J. M. J.

EX LIBRIS

A. POUGET DE S^T^- ANDRÉ

PRESBYTERI

FATHERS LIBRARY,
ALMA COLLEGE
LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH,
Alma, California
SAN JOSE, CAL.

FATHERS LIBRARY
PARISHERS LIBRARY
ALMA COLLEGE
LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CALIF.
CAL.

Joseph's Church.

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICE CONFLATUS,

PLURIMIS ANNOTANTIBUS PRESBYTERIS
AD DOCENDOS LEVITAS PASCENDOSVE POPULOS ALTE POSITIS.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

FATHERS COLLEGE ALMA LIBRARY ST. JOSEPH'S CHURCH SAN JOSE, CALIF. LIBRARY Alma, California

TOMUS DECIMUS-NONUS.

DE DISPENSATIONIBUS. — DE SACRIS RITIBUS.

FATHERS COLLEGE ST. JOSEPH'S CHURCH SAN JOSE, CALIF. LIBRARY Alma, California

28 VOLUMINA : 138 FRANCIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1841

1845

ALMA COLLEGE 230.8 LIBRARY M58g Alma, California

crorum canonum, conciliorum, aliarumque constitutionum apostolicarum sanctionibus, congregationis S. Tridentini concilii declarationibus, S. Rotæ Romanæ decisionibus, classicorum auctorum solidissimus doctrinis, peritissimorum denique virorum observationibus ac responsis munitam, ornatamque prodire; quibus et studiosi ipsius Curiæ tyrones (quos potissimùm alloqui profiteor) rem, ut aiunt, per causam addiscere; peritiores verò eorum quæ verè sciunt, aliqualem ideam in hoc opere contemplari non dedignentur. Id quod fidentiùs assero, tum quòd varias doctrinas à quàmplurimis insignis notæ scriptoribus, aliâ occasione ferente allatas ad rem hanc firmandam comparavi; tùm verò, et eò amplius, quòd ea quæ diutinâ Romanæ Curiæ experientiâ didici, profere in medium. Ut verò omnia mea, unde potissimùm accepi, cò referam, non est silentio prætereundum, quod inter omnes doctores quos magistros agnosco, non postremas retinet partes dulcissimæ memoriæ Fabius Corradus genitor meus jureconsultus, suo tempore celeberrimus; is enim non communibus tantùm adjumentis, quod omnes parentes solent, qui filios Minervæ dederunt; sed peculiaribus stimulis me à teneris annis semper urgebat optimo applicationis exemplo, prout tot sua MMSS. testantur, quibus tum in Salernitanæ civitatis auditoratûs, quod munus iteratò obivit; tùm in repetitis judicis et gubernatoris apud Rossanensem, tunc regiam Civitatem inclytam, officiis; tùm denique in supremo onere auditoris generalis, ad quod à Nicolao Bernardino Sanseverino, tunc Besignanensium principe, seu mavis ut ita dicam regulo, vocatus fuit, ita se comparavit, ut non minori vitæ integritate quàm doctrinis eximiis et præsentibus jus disceret, et posteris ad jus dicendum scribendumque, pararet iter. Utinam tanti parentis vestigia persequi liceat! Quoniam verò de stylo Romanæ Curiæ memini, cui inprimis hæc mea Praxis niti profitetur, illud advertendum occurrit, quòd quamvis stylus prædictus tàm varius quotidiè appareat, ut proinde, modò album, modò nigrum appellaverint Felin. in *c. Rodulphus, num.* 22, *de Rescript.*, et Cassad., *decis.* 2, *n.* 4, *cod. tit.*, ex eo, quoad summorum Pontificum mutationem mutatur; qui pro temporum varietate etiam ad prædecessorum suorum statuta mutanda, non tamen ex levi causâ, se pronos exhibere videntur; modò enim obsoleta innovant, modò vigentia enervant, modò ex parte, modò in totum immutant, aut etiam nova condunt, prout notavit Joan. Andr. in cap. 1, Elect. (quod præsertim in dispensationibus observatum extitit; quarum scripturæ sub diversis formulis comperiuntur emanàsse, juxta casuum et occurrentium materiarum varietatem, ut propterea certa regula certaque doctrina de illo tradi non videatur), non tamen ab hujus operis lectione te convenit abstinere: polliceor etenim hanc, quæ hìc proponitur, Praxim, circa ea potissimùm versari, quæ semper stabilia manent ac firma; nec præsertim per ipsorum summorum pontificum successiones, substantialem admittunt variationem. Hujus denique operis usus is esse poterit pro tyronibus supradictis, ut qui dispensationum earumdem impetrationes moliuntur, supplicationes, instar ejus, quæ sibi proponitur concipiant; quòd si materiam quam animo obversant, ipsissimis terminis in hàc Praxi, veluti in speculo non conspicient, noverint se paucis tantummodò immutatis, illam reperturos. Enimverò ne hoc opus in incommodum volumen excresceret, quamvis accuratissimè omnes formulas descripserim, ab iis tamen, quæ ad aliquas, velut species ad genus, vel ut simile ad consimile revocari possunt, meritò abstinui, ea duntaxat adnotando, quæ illi propria sunt; in reliquis verò, quæ cum cæteris habent communia, ad illas eos remitto; quippe si modicam adhibuerint industriam, optatò fine potientur, ac si extensæ omnes formulæ fuissent. Atque hæc certè fuit, ut ingenuè fatear, mei consilii ratio, lector benevole. Si opus placuerit, proba, consilium certè non despicies. Vale.

PRAXIS

DISPENSATIONUM APOSTOLICARUM.

LIBER PRIMUS.

DE DISPENSATIONE IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

De definitione dispensationis.

Eam majores nostri probavêre consuetudinem, ut dùm longiori sermone aliquid pertractandum susciperent, ante omnia ex Ciceronis præcepto in principio, *de Offic.*, statuerent omnem eorum institutionem à definitione debere proficisci, ut sciatur quid sit id de quo disputatur; ordo enim in omni scriptionis genere necessarius est, ut notavit Bald. in proœm. ff. in princip.; scire enim quid facias, et quo ordine facias ignorare, perfectæ non est cognitionis. Id quidem nobis

servandum omninò proposuimus. Ut hujus igitur nostræ praxis, juxta Rom. curiæ stylum, veritatem, eâ quâ par est sedulitate, aperianus, omnia breviter, quæ ad generalem dispensationis cognitionem pertinent, duximus proponenda. Cùm enim definitio rei naturam, vim atque potestatem demonstret, ut ex Philos. 7, Metaph. et per Bretium, quem refert Accurs. in l. *Omnis definitio*, de Reg. jur., et patet in l. 1, ff. de Just. et Jur., et idem in § *His igitur generaliter cognitis*, instit. eod. tit., profectò dispicere non poterimus quid simus pertractaturi, nisi priùs ab ipsâ dispensationis definitione in genere exordium sumpserimus.

Dispensatio igitur latissimè sumpta nil aliud est quàm justa distributio rei communis in singulos, juxta cujusque necessitatem ac dignitatem, Syl., verbo *Dispensatio*, q. 1; Covar., de Spons., c. 6, § 9, n. 1. At in re nostrâ, verbum dispensare, accipitur pro eximere, seu solvere à vinculo legis; et ob id dispensatio hæc à doctoribus definitur, quòd sit juris communis relaxatio, facta cum causâ justâ et rationabili ab eo qui jus habet dispensandi, Abb., in c. *Fraternitatis*, de Schism.; Angel., Tab. et Armil., in verbo *Dispensatio;* Glos. in c. *Requiritis*, § *Nisi rigor.* in ver. *Ut plerisque* 1, q. 7, unde si non præcessit causæ cognitio, non potest dici dispensatio, arguendo à definitione vocabuli; quare inferior arctatur ad causæ cognitionem pœnitendum; aliàs autem non dicitur dispensatio, licèt princeps non astringatur ad hujusmodi causæ cognitionem; nam in eo sufficit sola voluntas, ut ex Innoc. et Panormit. comprobat Sayr., de Cens., l. 7, c. 14, n. 14. Secundùm verò Host. dispensatio est rigoris juris, per eum ad quem spectat, misericors, canonicè facta relaxatio; quæ quidem definitio videtur etiam desumpta ex d. c. *Requiritis*, Bald. etiam in addit. ad specul., ait dispensationem esse rigoris mitigationem, vel pœnalitatis moderationem, per habentem auctoritatem, factam, suadente publicâ utilitate vel aliâ rationabili æquitate, quam lex civilis indulgentiam appellavit.

Et dicitur *juris communis relaxatio*, quia de jure illicitum, fit ex dispensatione licitum; et hic est propriè effectus dispensationis; nam, ut dixit Innoc. in c. *Pastoralis*, de Caus. poss. et prop., facit impossibile possibile; quia dispensatus restituitur in integrum, et redditur aptus et legitimus ad ea super quibus fuit dispensatus; sicut erat ante incursum impedimentum, c. *Ex diligenti*, de Simon., etc., *si quem pœnituerit*, 12, q. 3. Unde quotiescumque casus est possibilis et licitus, non dicitur fieri dispensatio; sed potiùs justitia, Oldrad., cons. 203.

Sed hìc notanda sunt illa verba Innoc. nimirùm, *ad ea super quibus*, etc., propter id etenim discrimen constituitur inter dispensationem et legitimationem; quandoquidem illa tanquàm arida et odiosa, ut infra dicitur, tantùm valet, quantùm sonat; per eam namque tollitur impedimentum, seu defectus quoad quid; vel uti cùm, e. g., illegitimus dispensatur super defectu natalium, vel in certo alio casu, ultra quem remanet illegitimus. Ista verò est favorabilis et ampla, per quam omnis macula tollitur ac quis natalibus et ingenuitati, ac ad omnes effectus plenè restituitur; quatenùs illa fiat ab habente hanc plenam potestatem, Ludovis., dec. 353, n. 14, et simpliciter habet omnia jura quæ habent qui ab initio legitimi nati sunt, Auth., *Quib. mod. natur. eff. sui*, § *Sanciendum*, Gamb., de Auth. leg., lib. 7, n. 208.

Dicitur, *cum causâ*, quia illa semper requiritur in dispensatione; nam si non adsit, certum est peccare prælatum ita dispensando; et data facultas dispensandi intelligitur, si adsit legitima et rationabilis causa, ac propterea etiam princeps dispensando sine causâ, maximè ubi adsunt scandalum et damnum tertii, non dicitur prudens et fidelis dispensatio; non prudens, quia sine ratione dispensat; neque fidelis, quia minùs convenienter utitur suâ potestate, unde dicitur Luc. 12: *Quis putas est fidelis dispensator, et prudens?* etc.

Decreto insuper conc. Trid., sess. 6, c. 2, cavetur, quòd dispensationes concedantur ex veris et rationabilibus causis, et sess. 24, c. 6, in fin., ne Papa dispenset in secundo gradu, nisi inter magnos principes, et ex publicâ causâ, et sess. 25, cap. 13, ibi, *cùm iis ex causâ visum fuerit dispensare.* Imò in quibuscumque dispensationibus, in quibus quævis causa allegatur, illa debet esse publica, exemplo Salvatoris nostri, qui noluit removere Judam ab apostolatu, licèt adesset causa quam ipse sciebat, ex eo quòd non erat aliis nota. Ex Ferett., cons. 32, n. 26.

Ad hæc id. Oldrad., cons. 325, n. 2, ait, quòd nunquàm causa subintelligitur, nisi exprimatur; ac propterea illa non expressa, redditur nulla dispensatio; unde sic dispensatus non erit tutus quoad Deum, Abb., in c. *Quæ in Ecclesiarum*, de Constit. Imò peccaret toties quoties uteretur dictâ dispensatione; sicut peccaret, si contraveniret legi super quâ obtinuit dispensationem, quia cùm dispensatio prædicta sit nulla, nihil ei prodest, nec eum excusat quoad Deum. Valer. in tract. de Diff. utr. jur., verbo *Dispensatio*, diff. 1.

Secùs tamen esset in foro exteriori, in quo hujusmodi dispensatio excusat; quia taliter dispensatus non poterit excusari vel puniri, si contraveniat legi, virtute dictæ dispensationis, quæ aliàs nulla est, ut per Gl. in c. *Non est*, verbo *Adimplere*, de Vot.; Innoc. in c. fin. de Renunt., ubi loquens de absolutione à juramento factâ sine causâ legitimâ, ait illam non valere.

Cùm verò causa in quâlibet re sit inprimis consideranda, ut per Menoch., de Præs., l. 5, c. 17, n. 2, id potissimùm locum sibi vendicare dignoscitur in rescriptis dispensationum; circa quas operatur, ut faciat recedere à regulis juris, l. *Si hominem*, ff. mand. Dec., in c. *Cùm sit Romana*, num. 1, de Appell., dummodò illa per tria requisita reddatur justa et honesta; scilicet quòd secundùm æquitatem sit licita, conveniens honestati, et expediens secundùm utilitatem, id. Menoch., cons. 75, num. 35, lib. 1. Et licèt secundùm varios effectus possit ipsa causa diversimodè capi, juxta tamen propositam materiam sufficit illam dupliciter considerare, finalem scilicet et impulsivam. Finalem eam dicimus, quæ est ipsius principis disposi-

tionis inductiva, ut per Rom., cons. 180, n. 6, vers. *Ad quod ostendendum*, relatum per Lotter., de Re benefic., lib. 2, q. 36, n. 4, scilicet, quæ in toto et funditùs movet animum disponentis, qui aliàs non esset ita dispositurus; aut illa non allegata, petitam gratiam denegaret, unde magis attenditur causa finalis, quæ est causa causarum, quàm causa impulsiva. Ipsa verò causa impulsiva est, quæ non est propriè causa, sed quoddam motivum ad magis adjuvandum animum concedentis ad concedendum, ut ait Bald., in l. 1, col. 2, C. de Fals. cau. Jas. in l. *Cùm quid*, col. fin. ff. si cer. pet.; Felin. in c. *Postulàsti*, de Rescrip., et tunc talis etiam dicitur, quando ipse princeps gratiam quidem concederet, non tamen ita de facili; cùm illa simpliciter occasionem præstet, Sanch., de Matr., l. 8, disp. 21, n. 6, id. Lotter., l. 1, q. 45, n. 46. Notandum verò est quòd in materiâ dispensationis, non solùm falsitas causæ finalis, verùm etiam impulsivæ reddit gratiam ipso jure nullam; Oldrad., cons. 256, vers. *Primum videtur*, et sequitur Dec. in c. *Cùm cessante*, de Appell., etiamsi sine dolo facta esset, et ita fuisse factum coram Oradino; in unâ Pientin. parochialis de Monticello, ait Caputaque, decis. 274, n. 9, part. 3.

Est igitur causa hujusmodi adeò necessaria, ut sine illâ vix aut rarò dispensetur. Propterea videndum erit, quænam sint justæ causæ de stylo Romanæ Curiæ receptæ, et ad praxim deductæ; quibus summus Pontifex frequenter et in dies uti consuevit; nam licèt eæ quamplurimæ sint, quæ non ita facilè numerari possent, ac propterea dispensantis arbitrio committantur, ut per d. Gamb., l. 10, n. 176, vers. *Decimò quæro;* nihilominùs, quæ in ipsâ notoriâ praxi receptæ sunt, enumerantur, ut inf.

Prima igitur causa est personæ, cujus merita satis juvant ad impetrandam dispensationem, c. *Innotuit*, in fine, de Elect., et circa sublimes et litteratas personas, c. *De Multâ*, de Præb. Secunda causa est necessitatis, cùm videlicet Ecclesia indiget ministro, et nullus alius reperitur idoneus c. *Necessaria*, 1, q. 7. Tertia causa est loci, cujus ratione aliquid conceditur, quod aliàs non concederetur, de quo est tex. in c. *Ad audientiam*, 1, de Eccles. ædif., ubi notatur, quod ob loci distantiam, potest construi nova ecclesia in alterius parochiâ, etiam in illius præjudicium; quia difficultas aliquid permittit quod aliàs prohibetur, c. *Cùm longè*, dist. 65, l. *Si longius*, ff. de Judic. Quarta causa est temporis, ut in c. *Quidam*, 25, q. 3, ubi cùm Angli essent ad fidem noviter conversi, cum eisdem, ut matrimonium in quarto gradu contrahere possent, dispensatum exstitit, d. c. *Necessaria*. Quinta causa est utilitas Ecclesiæ, d. c. *Necessaria*. Verùm utilitas et necessitas in materiâ dispensationis aliquando æquiparantur, ad not. in c. *Post translationem*, de Renunt. et in c. 1, de Reb. eccl. non alien. Sexta causa est ætatis, cujus ratione faciliùs dispensatur, c. *Pœnitentes*, 50 dist. et c. *Si duo*, 35, q. 6, quia si est ætas infantilis, quidquid vidit, ignorat; et ideò infans non potest pro delicto puniri juxta text. in l. *Infans*, ff. ad. l. Juliam de sicc., quia huic ætati nondùm est plenum rationis judicium, teste Arist., l. 1, Pol. c. ult. Septima causa est scandalum, quod justam causam præbet ad dispensandum, c. *Cùm teneamur*, de Præb. Glos. in c. 2, de Rescrip. Octava causa est majus bonum, ut in c. *Quod scripsi*, 35, q. 3, et in c. *Dispensationes*, 1, q. 7. Nona causa est futurum bonum, ut in c. *Ipsa pietas*, 22, quæst. 4, ubi dispensatur cum hæreticis, ut faciliùs convertantur. Decima causa est eventus rei, veluti, cùm faciliùs dispensatur in jam factis, quàm in faciendis, c. *Decernimus*, et ibi not. 28, dist., ac cùm proles inter consanguineos suscepta est, inducitur causa dispensandi, ut in c. *Quia circa*, de Consang. et Affin. Undecima causa est discretio, quæ potest exemplificari in eo quod habetur in c. *Nisi cùm pridem*, § *Personæ*, de Renunt. Duodecima causa est pietas, de quâ habetur in c. 1 et 2 de Cler. pugn. in duel. Tertiadecima causa est misericordia, quia dispensatio ex misericordiâ introducta est, c. *In singul.*, dist. 86. Quartadecima causa est religio, quæ justam causam dispensandi inducit, ut habetur in c. *Si quis diaconus*, 50 dist. Nonnullas etiam causas referam in meâ Praxi benef., lib. 7, c. 2.

CAPUT II.

De origine dispensationis.

Quò verò ad dispensationis originem, nulli dubium est, eam exordium sumpsisse à Deo Optimo Maximo, bonorum omnium dispensatore, qui eà solà misericordiâ creavit universa, eaque homini subjecit, § *In pecudum*, instit. de Rerum divis., et juxta illud Psal. 8: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, dùm ejus creaturam tot tantisque privilegiis illustravit; unde etiam apud Ovid. 1 Metamorph.:

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Hoc idem asseruit Cic. de Leg.: *Natura cæteros animantes ad pastum abjecit; solum hominem erexit, ad cœlique cognitionem et domicilii pristini conspectum excitavit.* Et de Amic.: *Homini datur ascensus ad cœlum ob mentem;* unde Raphael Regius sup. verb. *Pronaque cùm spectent*, etc., colligit hominem fuisse ad imaginem Dei creatum; quia cùm animalia curva sint in terram, solus homo ore sublimi ad cœlumque erecto præditus est, ut Deum ad cujus similitudinem creatus est, assiduè contempletur, et ait id. Cic., de Offic.: *Homini soli datum est loqui, quod non accidit cæteris animantibus;* sic etiam in l. *Justissimè*, ff. de Ædili. ædict. et l. *Ancillarum*, ff. de Petit. hæred. et in Gen. c. 1, ubi admirabilia Dei beneficia sunt collata, neque unquàm ab ejus solità donorum largitione cessavit, dispensando cum Adam et Evâ divini præcepti transgressoribus; nam post pœnitentiam, eis peccatum dimisit, c. *Serpens*, et c. *Sicut primi*, dist. 1, de Pœnit. Ex dispensatione etiam salvavit Noe et filios ejus, cùm unus illorum, scilicet Cham, esset reprobus, c. *Quia ex solâ*, 24, q. 1. Sicut etiam ex dispensatione liberavit Abraham à Chaldæis, ut 35, q. 1, § fin. Ex dispensatione liberavit Jacob de manu Esaü, 22, q. 2, § fin. Dis-

pensavit etiam Deus cum humano genere, quando pro nostrâ redemptione misit filium suum, c. *In Scripturis*, 8, q. 1. Sic igitur mirum non est, si etiam homines cum hominibus dispensant, cùm omnis Dei actio nostra sit instructio, c. *Exemplum*, 12, q. 1. Et si Dominus est largus dispensator, non debet famulus esse avarus; cùm meliùs sit de misericordiâ, quàm de severitate reddere rationem, c. *Allegant.*, 26, q. ult., de quibus et similibus multa congerit Specul. in princ. hujus tit. ibi; *Originem autem traxit*, etc.

Fuitque dispensatio inventa ut esset pars justitiæ distributivæ; quia cùm legislator faciat legem communem, omnes comprehendentem, l. 1, ff. de Leg., et eveniant multæ causæ, propter quas naturalis ratio, et illa extrinseca veritas facti non animadversa nec considerata à legislatore, suadet factum illud non debere comprehendi sub illâ generali determinatione; lex voluit esse unum qui secundùm terminos justitiæ dispensaret adversùs tenorem legis, et hic est princeps, qui est viva ratio et lex animata; unde omnis dispensatio reducitur ad causam juris; aliàs enim dicitur dissipatio, id. Gamb. d. lib. 10, num. 157.

CAPUT III.

De divisione dispensationis.

Visis difinitione et origine dispensationis, videamus etiam quotuplex sit dispensatio. Et secundùm terminos generales et in praxi deductos dicendum est dispensationum quatuor esse species; alia enim dicitur debita, alia prohibita, alia concessa, alia permissa.

Debita dicitur illa, ubi multorum strages jacet et de scandalo timetur. c. *Ut constitueretur*, 50 dist., Glos. fin. in c. *Noli*, 23, q. 1, Abb. in c. *Cùm nobis*, in 10, notab. de Elect. Lambert, de Jurepatr., art. 3, q. 9, p. 1, l. 1; Mil. in Repert., verbo *Dispensatio quædam*. Dicitur etiam debita ratione temporis, personæ, pietatis, vel necessitatis Ecclesiæ vel utilitatis, aut eventûs rei, ut supra diximus, et probatur in c. *Exposuisti*, de Concess. præb. vel alio modo dici potest debita, quæ ex legitimâ causâ peti potest à superiore per officium judicis, si non per actionem; et si denegatur, potest haberi recursus ad alium superiorem; quia tunc non est mera gratia, sed justitiæ executio, Gl. in c. *Exigunt*, 1, q. 7; Arch., in d. c. *Ut constitueretur*.

Undè infertur quòd hæc dispensatio non potest peti aliquo jure, quia solùm dicitur debita in prælato, qui tenetur occurrere et providere occurrentiis Ecclesiæ subditorum, d. c. *Ut constitueretur*, in fin. et in c. *Domino sancto*, dist. 50, ibi; *Illos ad pristinum statum redire canones præcipiunt*, etc., et exinde eo magis deducitur esse debita, quia verba canonis id præcipiunt, et sunt apposita dispositivè, ut habetur in Clem. fin. et ibi Gl. in verbo *Jubemus*, de Cens. et in c. *Quod præcipitur*, 14, q. 1, adeò ut, si ipse prælatus nolit dispensare, non evadat peccatum mortale, cùm hoc verbum, *jubemus*, importet necessitatem ut in c. *Raynutius*, de Testam., et in Clem. un. de Reliq. et Vener. sanct. Et sic dispensatio hæc dicitur in agente tantùm, non autem in patiente; et prælatus recusans dispensare, ubi adest rationabilis causa, peccat propter inobedientiam, Card. in Clem. *Ideòque*, eod. tit.

Prohibita dispensatio est illa quæ minimè fieri potest, absque manifestâ juris dissipatione, vel quandò justa causa dispensandi non adest, text. in c. *Tali*, et c. *Si illa*, 2, q. 7, c. *Innotuit*, § *Multa*, de Elect. et hoc habet locum etiam Papâ dispensante sine rationabili causâ, ut voluit Innoc. in c. *Inquisitioni*, de Sent. excom. Joan. Andr. in c. *Innotuit*, de Jud., et habetur in Gl. in c. *Requiritis*, in verbo *Et plerisque*, 1, q. 7.

Concessa dispensatio per se patet, cùm sit illa quæ ubicumque à jure conceditur, sitque quædam commensuratio communis ad singula; et est de jure concessa ob impossibilitatem providendi de omnibus particularibus; sicut navigantes quædam in mare projiciunt, ut alia salva fiant, c. *Dispensationes*, 1, q. 7.

Concessa dispensatio est illa quæ etiam arbitraria appellatur, nempe ubi in jure fit prohibitio, cujus moderatio relinquitur arbitrio superioris, ut habetur in c. *Si quis presbyter*, 50 dist., vel etiam quando aliquid permittitur ut pejus evitetur, c. 2, *de Spons.* sicut est, quando aliquid prohibitum toleratur ex principis dissimulatione, quæ potiùs tolerantia vocari debet adversùs legem scriptam, quia idem princeps sciendo et patiendo illud non observari, videtur dispensare, ne videatur velle animas illaqueare contravenientium, Abb. in c. *Quia circa*, de Consang. et Affin.

Hæc itaque dissimulatio, seu tolerantia principis in actu jure prohibito, regulariter inducit dispensationem ad ipsius actûs validitatem, d. c. *Quia circa*, et ibi Gl. et doctores, et not. ibi Butr., num. 7, Abb., num. 8 et alii, et planè per Jason in l. *Rem non novam*, num. 4, cum seqq. de Jud. Undè omnis actus justificatur propter scientiam et patientiam superiorum, tex. in l. *Quòd si*, § *Quia assidua*, ff. de Ædilit. c. *Constitutus*, ubi Abb., num. 6, de Relig. dom., c. *Nisi essent*, de Præb. Tiraquell., de Pœn. temp. causâ 42; Guttier, pract. q., lib. 3, pract. 29, n. 20, cum seq. Sicut etiam dicimus, quòd usus scitus, et diù à Sede Apostolicâ toleratus, debet pro lege servari, c. *Ex litteris*, cùm ibi not. de const. c. *Quàm gravi*, de Crim. fal.

Est tamen intelligendum de dissimulatione rationabili, et in principe, non autem in inferiore ab illo; quia inferior exercens talem actum cum subdito contra legem, eo casu quo potest dispensare, non propterea videtur dispensare, ut per Innoc. in c. *Veniens*, de Fil. presb. et nos infra dicemus. In principe tamen aliter dicendum est, cùm in eo non requiratur causæ cognitio; sed sola voluntas sufficiat, id. Innoc. in c. *Cùm ad monasterium*, de Stat. regul.

Alio item modo distinguitur dispensatio; nam alia dicitur voluntaria; alia rationabilis non necessaria; alia rationabilis et necessaria. Voluntaria est illa quam solus princeps concedere potest justâ existente causâ, ut not. in c. *Non est*, de Vot. Inst. de jur. nat. § *Sed et quod principi placuit*, c. *Cuncta per mundum*, et c. *Principalem*, 9, q. 7. Rationabilis non necessaria est illa quæ fit ob meritorum prærogativam, quæ etiam soli principi competit veluti in duplicibus beneficiis conferendis, ut in c. *De multâ*, de Præb. et simil. Ratio-

nabilis et necessaria est illa quæ etiam episcopo competit in duplicibus, ad not. per Host. in Sum. de Ætat. et qualit. ætat., vers. *Dico ergo*, et de Præb., § *Cui conferenda*, vers. *Sed numquid*.

Triplex etiam dicitur dispensatio : Alia legis ut in d. c. *Litteras*, ibi : *Permittimus ipsum ordinari in clericum;* alia hominis, ut illa, de quâ nos in præsenti agimus; alia mixta, quando scilicet lex concedit ut homo dispenset, ad text. in d. c. *De multâ*, de Præb.

Insuper dispensatio adhuc triplex : alia justitiæ, alia gratiæ, alia etiam mixta. Justitiæ est illa quæ dicitur debita, ut supra; gratiæ est illa quæ continet merum privilegium, meramque principis liberalitatem; mixta est illa quæ innititur partim justitiæ, partim gratiæ; et in hâc mixtâ potest etiam comprehendi principis tolerantia, Abb. in d. c. *Nisi*, de Præb.

Item dispensatio duplex est; alia collativa, alia restitutiva; collativa est illa quæ fit quoad quid futurum; restitutiva verò quæ fit ut ex retro quando nimirùm quis restituitur antiquis natalibus, quia per eam efficitur verè legitimus, Grat., c. Discept. for. 496, num. 30.

Præterea dispensatio, alia excusabilis, alia laudabilis, alia fidelis : excusabilis est quando urget necessitas, quia ipsa legem non habet, et propterea tunc legis rigor infringitur, ubi enim necessitas urget, dispensatio dicitur excusabilis; ubi verò utilitas provocat, dispensatio dicitur laudabilis; Barbos., de Potest. episc., Gl. 15, in verbo *Non cupidum*, n. 7; Felin. in c. 1, n. 49 et 50, de Constit., Menoch. de Arb. jud., lib. 2, cent. 2, casu 131, num. 1, quia nulla lex, quantumvis generalis, censetur excludere casum urgentis necessitatis quæ facit licitum quod aliàs esset illicitum, Abb. in c. *At si clerici*, § *de Adult.*, n. 9, de Jud., ubi plura in proposito congerit. Laudabilis est illa ubi communis provocat utilitas, quæ à jure æquiparatur necessitati, Innoc. in c. *Cùm omnes*, de Const. Fidelis est illa, quando in eâ concurrit aliquid præmissorum juxta dictum Apost. ad Cor. 4 : *Hìc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur;* aliàs enim non dispensatio, sed dissipatio diceretur, ut supra diximus, Barb., de Pot. Epis., p. 1, tit. 2, Gl. 15., num. 7; undè D. Bernardus, l. 3, de Consid. ad Eug. pap., sic ait : *Quid inquis, prohibes dispensare? non, sed dissipare. Non sum tam rudis ut ignorem positos vos dispensatores; sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est : utilitas dico communis, non propria. Nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.* Hæc ille.

Triplex alio modo dicitur dispensatio, scilicet, magna, major et maxima : magna, ut illius vigore possint illegitimi promoveri ad ordines, etiam sacros, et altaris ministerium et obtinere beneficia ecclesiastica, etiam curata, nec non regulares prælaturas, ut probatur in c. 1, c. *Veniens*, et c. *Proposuit*, c. *Ex transmissâ*, et c. *Extirpandas*, de Fil. presb. Major, ut in paternâ Ecclesiâ et beneficio succedant, aliquo tamen medio, ut in d. c. *Transmissa*, Majol de Irregul. p. 4, tit. de Fil., præsb. n. 3, vers. *Major*, Maxima, ut nullo medio ad episcopatum succedant, ut in c. *Ex tuâ*, eod. tit. idem Burgas., dicto num. 3.

Ad hæc, dispensatio duplex est; alia generalis, alia particularis. Generalis est illa quando aliquis generaliter dispensatur ad beneficia et successiones. Particularis verò, quandò dispensatur ad certa beneficia, vel certos ordines, Gamb. dicto lib. 7, anten. 233.

Nec non dispensatio duplex item est, videlicet alia propria, alia impropria : propria dicitur illa quæ est vera juris communis relaxatio; impropria est illa quæ potiùs dicitur quædam licentia, seu facultas; et est consensus quidam, seu approbatio superioris non relaxans obligationem legis, ut per Sanch., de Mat., l. 8, disp. 3, num. 1.

Rursùs, dispensatio quadruplex est, scilicet semiplena, ad minores c. *Si quis hæreticæ*, 3, q. 1. Plena, ad sacerdotium, c. *Convenientibus*, 1, q. 2. Plenior ad episcopatum, c. *Nos consuetudinem*, 12 dist. Plenissima, ad primatum, omnes ordines et dignitates, c. *Ipsa pietas*, 23, quæst. 4.

Aliam etiam et præcipuam capit dispensatio divisionem, ut scilicet, alia sit tacita, alia expressa.

Tacita est, quando princeps concessit officium alicui inhabili, vel Papa beneficium; nam tunc videtur tacitè super illius inhabilitate dispensare; ita communiter doctores in l. *Quidam consulebant*, ff. de Re jud

Quod tamen intelligitur, quando Papa vel princeps sciebat inhabilitatem illius, cum quo dispensavit; secùs verò, si ignorabat, Gl. in l. *Universis*, c. de Prec. imper. offer., quia nunquàm censetur princeps remittere vitium ignoratum, c. *Si eo temp.* de Rescript. in 6.

Hodiè tamen hujusmodi tacita Papæ dispensatio est minùs frequens in usu, ob regulam cancellariæ Apostolicæ, cujus verba hæc sunt : *Item quod per quamcumque signaturam in quâvis gratiâ, nullatenùs dispensatio veniat, nisi dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat; vel aliàs nihil conferat aut operetur.* Et sic licèt regulariter princeps disponendo ad favorem inhabilis, datâ scientiâ illius inhabilitatis, censeatur secum tacitè dispensare, ut dictum est; tamen urgente supra dictâ regulâ, est contrarium dicendum; nec attenditur propterea contraria doctorum conclusio, prout signanter tenuit Calder. cons. 8., de Rescrip., Felin. in c. *Cùm inter*, col. 1 et 2, de Except. et ibi Dec., num. 29; nam licèt aliàs fuisset resolutum in casu prædicto habere locum dispensationem, scilicet non factâ de eâ mentione, ut per Rot. in unâ Salamant. coram D. Mohedano anno 1545, cùm tamen fuisset opposita dicta regula cancellariæ, fuit recessum.

Voluit tamen Put. dec. 15, de Dispens. quòd quando Papæ est expressus defectus, si ille concedit gratiam, videtur dispensare, non obstante quòd oppositum sit de supradictâ regulâ; qui tamen in fine d. decis. dicit, quòd videndum est, quomodò respondeatur dictæ regulæ, ut per Beltr. ad Decis. Ludov. 109, num. 13. Hoc autem de Papæ dispensatione. Quo verò ad dispensationem episcopi, secùs dicendum est, si enim ipse

aliquem aliquod impedimentum habentem promoveat, super quo potest dispensare, si illud sibi innotescat, censetur ipso facto dispensare, licèt de dispensatione ipsâ nihil dixisset, Host. in Sum., tit. de Temp. ord., n. 6, Vivian. in Praxi jurispatr., lib. 6, c. 4. num. 37.

Verior tamen ac tutior sententia, cui satis adhæret praxis quotidiana, est, ut scientia tantùm episcopi circa hoc non inducat dispensationem, nisi illa expressè concedatur; episcopus enim promovendo illegitimum, non censetur cum eo dispensare; de quâ quidem praxi testatur Rebuff. in Praxi, tit. de Disp. sup. def. nat., n. 9, vers. *Cæterùm*, ubi ait, quòd *episcopus ante collationem beneficii vel tonsuræ dispenset cum illegitimo*; *aliàs non valebit actus*; *nec conferendo videtur dispensare*, et allegat doctores in c. 1, de Fil. presb.

Hujus autem rei evidentissima est ratio, quando quidem episcopus promovens indignum, punitur ut in c. *Nihil est*, de Elect., indèque satis arguitur promoventem non dispensare, ut per Gl. in c. *Un.*, verb. *Dispensaret*, de Ætat. et Qualit., quia ubicumque canon imponit pœnam ordinario, illi prohibere censetur dispensationem, Abb. in c. *Ad abolendam*, n. 3, de Fil. præsb., Lotter., de Re. benef., lib. 2, q. 48, n. 144, qui n. 146, ita id intelligendum esse ait, ut episcopus non excedat limites sibi concessæ facultatis, quæ restricta est ad ordines minores, et beneficium non curatum, sed simplex; non enim potest dispensare ad beneficium cui annexus est sacer ordo; nam si eidem episcopo prohibeatur dispensare cum illegitimo ad sacros ordines, consequens est quòd non possit dispensare ad beneficia, tales ordines annexos habentia.

Unde licèt nonnulli tenuerint præmissa sibi locum vendicare etiam in episcopo, ut hìc; attamen pars negativa tenenda est tanquàm per totum in praxi deducta et recepta, quæ satis docet episcopum non eo ipso, quòd sciat impedimentum, dispensare, Navar. in Man., c. 25, n. 74, vers. *Scd dubium est*, ubi ait quòd licèt contraria opinio fortassè locum habeat in foro conscientiæ, non tamen in exteriori; quia licèt communis opinio doctorum sit quòd dissimulatio Papæ vim habeat dispensationis tacitæ, hoc est, si Papa sciens defectum vel irregularitatem alicujus, et nihilominùs eum ad ordines promoveat, vel ei beneficium, conferat, eo ipso tacitè dispensat; in aliis tamen prælatis inferioribus, dissimulatio hæc non habet vim dispensationis, nisi causæ cognitione præmissâ; hæc est, si sit prælatus inferior, non eo ipso intelligitur dispensare circa jus commune, in quo aliàs posset, nisi exprimat causæ cognitionem, et expressè dicat: *Dispenso tecum*; per ea, quæ tradunt Gloss. in c. 2, verbo *Dispensatum*, et Joan. Andr. ibi de Schism.; Innoc. in c. *Veniens*, de Fil. presb.; ita Sayr., de Cens., lib. 7, c. 14, num. 10, vers. *Secunda opinio*.

Expressa verò dispensatio dicitur illa in cujus litteris narratur defectus impetrantis, et in illis Papa utitur verbo *Dispensamus*, d. c. *At si clerici*, §-de Adulter., et c. *De multâ*, de Præb., idemque esset, si in illis uteretur verbo, *Permittimus*, quo etiam dispensationem expressam inducit, d. c. *Litteras*, de Fil. presb., c. un. de Ætat. et Qual. in 6, et docet notorius cancellariæ Apostolicæ stylus.

Postremò, dispensatio altera dicitur præventiva, altera præservativa. Præventiva est illa cujusvis quoad defectus juris positivi, ea est, quòd quis dicatur esse in eàdem habilitate, veluti cùm Papa dispensat cum aliquo, ut etiam si contingat per illum bigamiam contrahi, possit pensionem ecclesiasticam retinere; quia ipse Papa præveniendo casum extinctionis hujusmodi pensionis per contractum matrimonii, relinquit ipsam pensionem in primævo statu; unde dicta dispensatio resistit incursui bigamiæ.

Præservativa verò est illa quæ exemplificatur, cùm Papa dispensat cum clerico bigamo, ut possit retinere pensionem, quo casu per dictam dispensationem, præservatur clericatus ad hunc effectum, ut per dictam bigamiam non amittatur; vel quando dispensatur cum clerico ad bellum; quia ille tunc per hanc dispensationem præservatur ab irregularitate.

Et ex his, hæc dispensatio, alia dicitur antecedens, alia verò subsequens. Antecedens præservat; subsequens verò tollit, ut in casu dec. Ferrar. pensionis coram virili 21 mar. 1627, per tot. quam reperie infra, c. 7, sub. num. 21.

CAPUT IV.

An in dispensatione requiratur verbum, Dispensamus.

Quia verò paulò ante diximus, propter supra dictam regulam cancellariæ, requiri ipsum verbum, *dispensamus* ad validitatem dispensationis; dicendum est idem procedere etiam de jure communi, ut per Glossam, in c. *Litteras*, de Concess. præb., in verbo *Vacare*, ante fin. et Glossa, in c. *Nos consuetudinem*, in verbo *Prohibemus*, 12, dist., Innoc., in c. *Diversi fallaciis*, de Cler. conjug., nec refert quòd nonnulli doctores, teneant contrarium, quia ex vi dictæ regulæ formatus est stylus Curiæ Romanæ, qui pro lege servatur, c. *Quàm gravi*, de Crim. fals. Mar. Ant. var. Resol., lib. 1, Res. 24, num. 2, et in dies videmus, quòd in dispensationibus jam factis, scilicet in formâ gratiosâ, semper Papa utitur verbo *dispensamus*; ex quo deducitur, quòd patientia et tolerantia principis non semper inducit dispensationem, Gloss., in c. *Cùm jam dudùm*, de Præb., et doctores in c. *Super eo*, de Cogn. spirit.; nam propterea utitur Papa verbo *dispensamus*, ut exprimatur intentio ipsius dispensantis; non enim sufficit velle, nisi exprimatur ore; cùm voluntas in mente clausa, nihil valeat in actibus hominum, l. *Quidem cùm filium*, ff. de Hæred. instit., ac propterea ex quibuscumque verbis generalibus in rescripto appositis non inducitur dicta dispensatio Caputaque, dec. 145, num. 7, p. 1, adeò ut nec dispensatio ipsa elici possit ex gratiâ, *motu proprio* concessâ: nam licèt illa sit latè et favorabiliter interpretanda, c. *Si pluribus*, de Præb. in 6; Felin. in c. *Causam*, quæ num. 8, vers. *Sed limita*, de Rescript., nunquàm tamen inducit dispensationem, c. *Si motu proprio*, eod. tit. et libro, cum Glossâ 2, vers. *Ob hoc*,

et ibi Joan. Andr. post princip. ibi : *Motus proprius non inducit dispensationem*, Gloss. in Clem. *Si Romanus*, in verbo *Validum*, de Præb. idem Felin. in c. *Cùm ecclesiasticæ*, ante fin. vers. *Rescriptum*, de Except., quamvis aliter dicendum sit de clausulâ, *Ex certâ scientiâ*, quæ omnem dispensationem et habilitatem inducit per textum, in l. 2, C. de Crim. sacr. in verbo *Elegerit*, licèt quotidiana nos doceat praxis vix aut rarò id evenire posse, stante super hoc dictâ regulâ cancellariæ : quia de dispensatione debet constare verbis claris et non ambiguis, Felin. in c. *Mandato*, n. 4, de Simon.; et latissimè tradit Ferret. cons. 32, num. 35, in materiâ dispensationis super pluralitate beneficiorum. Quare hìc non videtur subsistere illa vulgaris conclusio, nempe quòd princeps disponendo ad favorem inhabilis, datâ scientiâ inhabilitatis, censetur secum tacitè dispensare; hoc enim non vindicat sibi locum in summo Pontifice, stante regulâ cancellariæ 51, in quâ disponitur quòd dispensatio nullatenùs veniat nisi gratia totaliter effectum dispensationis concernat.

Verum tamen est quòd non desunt casus in quibus Papa absque eo quòd utatur verbo, *dispensamus*, tacitè dispensare censetur, quando ei est expressus defectus; namque si, verbi causâ, reservet pensionem militi Hierosolymitano, cùm ista qualitas pensionarii fuerit expressa Papæ, ipse illam reservando censetur dispensare. Rot. decis. 656, vers. *Neque etiam elevat*, sub n. 7, p. 4, recent., et dico in meâ Praxi benef., l. 1, c. 5, n. 223, vers. *Nec est novum*.

Cessat tamen conclusio hæc, quòd requiratur verbum, *dispensamus*, in rescripto dispensationis, ac ipsiusmet regulæ dispositio in nonnullis casibus, in quibus necessaria, non tamen expressa cadit dispensatio. Exempli gratia, in commendâ beneficii, quia ipsa dicitur dispensatio palliata ab obtinendum aliquod beneficium, aliàs obtineri prohibitum ob incompatibilitatem ratione tituli, vel supplendi aliquem defectum, Rota, decis. 217, num. 1, part. 1, Divers.; Gonz. ad reg. 8; cancell. Glos. 5, § 8, num. 6, et hæc sola commenda habet vim dispensationis, Rebuff. in tit. de Commendâ, num. 33, nec propterea requiritur alia dispensatio, neque quòd exprimatur per verbum *dispensamus*, Prob. ad Monach. in c. *Super eo*, de Præb. in 6, num. 15 et 16. Sed datur sub hâc formulâ, videlicet : *Tibi tale beneficium apostolicâ auctoritate concedimus et commendamus, per te quamdiù vixeris, obtinendum*, etc., quamvis minus sit habere commendam, seu administrationem, quàm provisionem alicujus beneficii, cùm provisio sit major et dignior; idem Gonz. d. § 8, sub num. 66.

Ac propterea declarat Sarnen, in 5, q. Reg. de trien., quòd hodiè commendæ perpetuæ inducunt incompatibilitatem; inferendo, quòd per eas dispensatur ad incompatibilia; unde jura prohibentia plura beneficia per eumdem retineri posse, per has modernas commendas tolluntur, seu adversùs eas tacitæ dispensationes resultant, Mandos. in reg. 32, q. 7, num. 5, ubi tanquàm optimus practitus, id ita exemplificat, videlicet : Datur beneficium regulare in commendam perpetuam clerico seculari; deinde eidem conceditur aliud beneficium in commendam absque dispensatione; ista beneficia commendata inter se incompatibilia erunt. Et similiter practicatur, ut si habenti beneficium seculare in titulum detur alterum regulare in commendam, adhuc exinde resultet tacita dispensatio : et absque eo quòd summus Pontifex utatur verbo *dispensamus*, hoc rescribendi modo uti consuevit, videlicet : *Tibi per te, quo ad vixeris, etiam unà cum tali beneficio tenendum, regendum et gubernandum; ita quòd tibi liceat debitis et consuetis dicti monasterii supportatis oneribus, tertiâ parte omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum monasterii hujusmodi in restaurationem illius fabricæ, seu ornamentorum emptionem, aut pauperum alimonium, prout major exegerit, et suaserit necessitas, ac omnibus aliis deductis oneribus, de residuis illius fructibus, redditibus, et proventibus disponere et ordinare sicut illius abbates, qui pro tempore fuerunt de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt; alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium tibi penitùs interdictâ, apostolicâ auctoritate commendamus; curam ipsius monasterii ac hujusmodi regimen et administrationem tibi in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo.*

Nec propterea in dictis litteris fit mentio dispensationis. Et nihilominùs hujusmodi commendatarii habentur uti titulares ac dispositio; et jura loquentia de titularibus, seu de veris prælatis, habent locum in istis commendatariis, qui possunt etiam esse delegati apostolici; juxta c. *Statutum*, de Rescr. in 6, sicut titulares; nec non juxta concil. Trid., sess. 25, c. 10, de Reform., possunt designari in judices synodales, et in eos delegatio, seu commissio sub nomine dignitatis facta transire; et etiam tales commendatarii non poterunt removeri, sicut neque titulares, ita Garc., de Benef., p. 4, c. 4, num. 48, cum seqq.

Id tamen declaratur procedere in commendâ perpetuâ, scilicet quæ conceditur favore personæ, eo modo, quo supra visum est, per quam commendatarius consequitur jus et titulum in illo beneficio, Paris. de Resign. benef., lib. 2, q. 17, num. 11.

Secùs verò dicendum est in commendâ temporali ad utilitatem Ecclesiæ, scilicet ad nutum revocabili factâ, donec de rectore seu ministro perpetuo debitâ præcedente cognitione, provisum sit; id Mandos. d. reg. 32, q. 7, num. 4.

CAPUT VI.

An dispensatio sit amplianda vel restringenda.

Dispensationem esse odiosam, et vulnerare jus commune, ac exinde aridam et arctam, ait Fel. in c. *Postulàsti*, num. 8, de Rescrip. nec non sterilem et infecundam, vocat. text. in c. 1, fin. de Fil. presb. in 6, ubi Fr., num. 4; Caputaque, dec. 303, p. 2; Sayr., de Cens., lib. 6, c. 11, d. num. 16, et alii, et proptereà strictè interpretandam et intelligendam, d. c. 1, de Fil. presb. in 6, c. *Non potest*, de Presb.

eod. lib.; Sanch., de Matr. lib. 8, disp. 1, num. 3; Marc. Ant. var. Res., l. 3, res. 2, n. 18; Campanil. in divers. jur. can. rub. 11, cap. 13, n. 90; Hojed, de Incompat., benef. p. 2, c. ult., n. 67, cum aliis relatis per Garc., de Benef., p. 1, c. 6, n. 58, cum plurib. seqq., cùm omnis recessus à jure qui fit per ipsam dispensationem, sit odiosus et restringendus, d. c. 1, de Fil. presb.; adeò ut in materiâ dispensationis non valeat argumentum de majori ad minus, id Caputaque, dec. 8, et 274, p. 1; Ludovis., dec. 353, num. 15, Garc., de Ben., p. 1, c. 6, num. 58 et 59; nam licèt hujusmodi argumentum valeat regulariter in jure, reg. cui licet, de Reg. jur. in 6, l. *Juris gentium*, § *Adeò*, ff. de Pact.; Cravett., cons. 290, num. 7, et cons. 526, n. 10, nihilominùs contrarium dicendum est in materiâ dispensationis, aut in privilegiis particularibus, seu dispositionibus odiosis, c. fin. de Translat. prælat., c. *Cui de non sacerdotali*, de Præb., in 6; Joan. Andr. in c. *Ea quæ*, de Reg. jur., eod. lib. subdit quòd ex dispositione monacho concessâ, ut possit beneficium curatum retinere, juxta dispositionem, c. *Quod Dei timorem*, de Stat. monach., non poterit propterea simplex beneficium possidere Barb., de Pot. episc., alleg. 33, n. 14.

Unde in eâ non procedit argumentum, neque ab identitate, neque à majoritate rationis, ut dictum est; Caputaque, decis. 8, n. 6, p. 1; Rota, decis. 491, n. 2, p. 5; hoc tamen limitatur primò, ut non procedat quando dispensatio habet causam expressam, quæ militat etiam in casu non expresso. Sanch., de Matr., lib. 8, disp. n. 34, et fuit dictum in unâ *Nullius*, seu Caputaque pensionis, 18 aprilis 1616; secundò non procedit in dispensationibus generalibus et favorabilibus; sed solùm in dispensationibus particularibus et odiosis, ex pluribus adductis per Addit. ad Ludovis., decis. 87, n. 17; aliàs autem non ita dicendum est: nam si mandetur provideri de majori præbendâ, non poterit provideri de minori; sicut etiam dispensatus ad dignitates, seu ad curata, non censetur dispensatus ad beneficia simplicia, Innoc. in c. *Cùm dilectus* 3, de Præb.; Felin. in c. *Veniens*, de Accusat. Et eò minùs, si quis fuerat dispensatus ad quæcumque beneficia ac quascumque dignitates, veniet episcopatus ob excellentiam et præeminentiam dignitatis. Unde docet stylus Curiæ quòd cùm illegitimus aliquis petit dispensari ad quascumque dignitates, etiam episcopales, archiepiscopales et patriarchales, ut aliquando peti consuevit non ita passim signetur à Papâ supplicatio, nisi de meritis et qualitatibus oratoris fuerit plenè certioratus; quare hujusmodi dignitates debent expressè narrari, quia sunt speciali notâ dignæ, ut testatur Abb. in c. *Dilectus*, n. 1 de Concess. præb.; ubi in propriis terminis docet quòd dispensatio ad dignitates, non extenditur ad dignitatem episcopalem; id Garc. d. part. 1, cap. 6, n. 66; sic etiam dispensatus ad beneficia, non censetur dispensatus ad pensiones, ut infra dicetur, nisi de ipsâ pensione fuerit facta expressa mentio, per text. in c. *Quamvis*, et d. cap. *Cui de non sacerdotali*, nisi tamen dispensatus ad beneficium illud postea resignaverit ad favorem alterius, reservatâ sibi aliquâ pensione super illius fructibus; nam pensionem hujusmodi licitè percipere potest absque novâ dispensatione, per text. in c. *Nisi de præb.*, quia si potuit obtinere beneficium integrum, ergo etiam partem illius, scilicet prædictam pensionem; quia idem juris est de toto quoad totum, quod de parte quoad partem, c. *Majoribus*, et ibi Glos. in verb. *Divisionem*, de Præb., et arg. c. *Si quis episcopus*, 1, q. 1, l. *Quæ de totâ*, ff. de rei Vend.

Unde aliàs dixerunt domini abbreviatores majoris præsidentiæ, quòd si regularis dispensatus ad unum seculare sine clausulâ permutandi, resignet illud, et eidem super fructibus illius reservetur pensio, erit capax illius absque novâ dispensatione, licèt non haberet clausulam permutandi, cùm dicta pensio succedat loco dicti beneficii, ad quod secum fuerat dispensatum. Verum est tamen quòd super his contrarium servari videmus.

Et est in hâc nostrâ praxi notandum, sicut docet etiam notorius Romanæ Curiæ stylus, quòd stante naturâ dispensationis, hunc, inter cæteros effectus, ea produxit, quòd secunda dispensatio dicitur subreptitia, si adjiciatur primæ dispensationi, non factâ mentione defectûs super quo orator fuit dispensatus: hæc enim expressio verisimiliter Papam retraheret à novâ concessione, ut est text. in c. 2, de Fil. presb. in 6, ex quo colligitur etiam quòd subreptio in dispensationibus reddit eas ipso jure nullas, Gloss. in c. *Ad audientiam*, 2, de Rescrip., quod tamen limitatur, quando videlicet secunda dispensatio impetratur à Papâ; secùs si ab episcopo, Clem. fin. de Off. ord. et text, in d. c. 2 de Fil. presb. in 6, et per Gloss. in d. c. 2, et est maximè notandum, quòd licèt illa in verbo *defectu* loquatur de naturali defectu, tamen etiam est intelligendum de accidentali; nam etiam supradicta praxis docet quòd si dispensatur cum homicidâ, ve. aliàs irregulari, ut non obstante delicto vel irregularitate possit promoveri ad sacros ordines, et beneficium obtinere, si postea impetret dispensationem super pluralitate beneficiorum, non factâ mentione primæ gratiæ, non valebit impetratio, quia secunda dispensatio additur primæ, per rationem supra allatam, nempe quia non est verisimile, etc., ut in d. c. 2, quia supradicti defectus non sunt in totum per dispensationem sublati; nam hic non intervenit (quoad illegitimitatem) plena restitutio natalium, seu legitimatio, sed tantùm dispensatio, quæ strictè intelligenda est, c. 1, eod. tit.; aliàs si intervenisset legitimatio (maximè in eo casu quo tota constitutio canonica faciebat illegitimum), tunc, cùm vitium esset totum sublatum, valeret secunda dispensatio, non factâ mentione primæ gratiæ vel defectûs; quod tamen intelligendum est, quando dispensatio additur dispensationi; secùs verò, si non adderetur dispensationi: exempli gratiâ, si cum illegitimo vel homicidâ sit dispensatum, ut non obstante tali defectu, possit beneficium ecclesiasticum consequi, et ipse postea, tacito tali defectu vel dispensatione impetret beneficium;

tunc profectò valebit impetratio, cùm non sit nova dispensatio addens primæ dispensationi, sed quædam executio dispensationis jam factæ; et ita tenet et observat dicta Curia, teste Joan. And. in d. c. 2, et ego dicam in meâ Practicâ benef. tom. 1, in 2 part., signaturâ vers. *Necnon dicti oratoris dispensationes*, etc., et reassumam in meis Additionibus ad Hieron. Paul. cancell. apost. correctorem, lib. 7, cap. 7, titulo, *Quando mandatur creari canonicus in unâ Ecclesiâ.*

Quò verò ad reliqua, generalis regula constituenda est, videlicet, quòd in quibuscumque dispensationibus, seu mandatis ad dispensandum, illud jus tantùm tribuitur, quantùm exprimitur, ut per d. Joan. And. in c. *Ex eo*, de Elect. in 6, et hoc propter naturam dispensationis, quæ propter recessum à jure, ut dictum est, venit restringenda.

Contrarium autem circa hos sentientes, nullo modo sunt audiendi, inter quos Henriq. in Sum. l. 15, c. 57, § 5; sicut pari modo neque audiendus Sayr. de Cens., l. 7, c. 14, n. 22, v. *Tertium est*, dicens quòd dispensatus ad ordines videtur dispensatus ad beneficia simplicia, quæ conferri solent, et convenire clerico, hoc vel illo ordine minori initiato, quia beneficium simplex non videtur aliquid ampliùs exigere quàm exigat ordo clericalis, propter quem illud beneficium simplex conferri solet; id enim falsum est, sicut ait idem Garc. d. cap. 6, n. 70, et scimus nimis distare à stylo Curiæ super his omnibus noto.

Supradictam tamen conclusionem, per quam dictum est non valere circa hoc argumentum, etc.; limita primò, quando illud minus est aliquo modo annexum majori, tanquàm illius pars, c. *Per venerabilem*, ubi Abb., Qui fil. sint legit, quia licèt dispensatio non extendatur ad connexa separabilia, quando videlicet ille cum quo dispensatur in principali, erat etiam inhabilis ante dispensationem ad connexum, attamen aliud dicendum est, quando taliter dispensatus non erat inhabilis ad accessorium, sed ad solum principale, quia, eo remoto per dispensationem, consequens et accessorium liberum erit ab omni maculâ; et sic poterit utrumque exerceri, Felin. in c. *Postulâsti*, n. 11 de Rescript., quod quidem exemplificari poterit in canonico qui non potest habere vocem in capitulo, nisi fuerit in sacro subdiaconatûs ordine constitutus, concil. Trid., sess. 22, c. 4. Quod tamen est non per se et principaliter ratione defectûs ætatis, sed ratione defectûs ordinis, eam ætatem requirentis. Unde si Papa super defectu ætatis, hujusmodi ad subdiaconatûs ordinem suscipiendum dispensaverit, censebitur etiam cum eo dispensatum, ut habere possit vocem in capitulo, Sanch., de Matr., l. 8, dis. 1, n. 33.

Limita secundò, quando sumus in necessariis consecutivis et accessoriis quia tunc dispensatio concessa super principali, censetur etiam concessa super necessariis consecutivis et accessoriis; et generaliter dispensatus ad aliquid, videtur dispensatus ad omnia accessoria, per Gloss. communiter receptam in c. *Quia in tantum*, vers. *Plures Ecclesias*, de Præb.; Sanch., de Math., l. 8, disp. 1, n. 19; Rota, decis. 12, n. 33, in recent., p. 5, sicut etiam dispensatus ad duo beneficia incompatibilia, censetur etiam dispensatus super illorum residentiâ, licèt non exprimatur, Gloss. in c. *Si quis in clero*, vers. *Solemnibus*, 7, q. 1; Host. in c. *Cùm in cunctis*, de Elect.; et in tali dispensatione subintelligitur clausula, quò dispensatus deserviat per substitutum seu vicarium, Mandos. super reg. 20, q. 7, n. 4, et comprehendit solùm ea quæ veniunt in necessariam consequentiam et inseparabilem, non autem separabilem, Felin. in c. *Postulâsti*, n. 10 de Rescr.; aliàs enim talis dispensatio redderetur prorsùs inanis, nullumque operaretur effectum; id Felin. in d. c. *Postulâsti*.

At pari ratione, dispensatus ad presbyteratum, censetur etiam dispensatus ad minores ordines; nam quamvis dispensatio sit stricti juris, extenditur tamen ad species inclusas et necessariò consequentes vel antecedentes, Archid. in c. *Cùm ex eo*, de Elect in 6, ubi ait quòd dispensatus ad Ecclesiam parochialem, videtur etiam dispensatus, ut non teneatur infra annum promoveri; quia si infra id tempus non promoveretur, illa vacaret; et sic nihil talis dispensatio prodesset, c. *Licet canon*, de Elect.; sicut etiam dicimus de infirmo dispensato ad carnes, prout in dies Papa dispensat de utriusque medici consilio, ac secretò, et sine scandalo, et præterquàm in sextis feriis, ac sabbatorum, et quatuor temporum diebus, nec non vigiliis de præcepto, et totâ majori hebdomadâ, et durantibus infirmitatibus tantùm, tunc taliter dispensatus censetur etiam dispensatus ad lacticinia, etiamsi supradicta licentia ab alio concedatur; sicut etiam is cui data est facultas comedendi ova, etiam butyro, lacte et caseo uti potest, cùm ex his ova præparari soleant; sic etiam concessâ facultate comedendi carnes, ea etiam concessa intelliguntur, quæ ex carnibus originem ducunt, Medina in Instruct., l. 1, c. 14, § 10, Azor, cap. 10, q. 3.

Illud autem quod in consequentiam venit, trahitur etiam contra naturam suam, à principali, quod aliàs frustra videretur concessum, l. *Papinianus*, § *Si ex causâ*, ff. de inoff. Testam.; et videmus in praxi receptum, quod cùm ad præscriptum consilii Trid., sess. 24, cap. 2, de Reform., provisi de quibuscumque beneficiis, curam animarum habentibus, in manibus episcopi vel vicarii; et provisi de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, etiam in capitulo, profes sionem fidei emittere teneantur, nihilominùs si dare tur provisò indultum de percipiendis fructibus in absentiam per necessarium antecedens censetur dispensatus à professione fidei faciendâ, *ut fuit resolutum in unâ Carthaginens. fructuum, die primâ julii* 1588, *coram Plato*, teste Garc., de Benef., p. 3, cap. 3, n. 77; jura namque correctiora, et quantùmvis exorbitantia, loquentia in casu expresso, trahuntur ad casum qui solet venire in consequentiam alterius, c. *Miramur*, de Serv. non ordin.

Et non aliter quàm ut præmittitur, intelligendi sunt text. in c. *Per venerabilem*, et ibi Abb. *Qui fil*

sint leg., qui videntur innuere quòd si quando in jure casus expressus ad dispensationem non reperitur, debemus confugere ad similes casus, quia in materiâ dispensationis valet argumentum à majori ad minus. Id enim, ut jam supra dictum est, optimè declaratur per Joan. Andr. in c. *Postulâsti*, de Rescript., videlicet ut hujusmodi argumentum procedat in causis minoribus annexis, vel inclusis sub majori; secùs autem in separatis.

Unde notandum est ex supradictis, quòd dispensatio nunquàm trahitur ad consecutiva ejus, super quo dispensatur quando ipsa dispensatio imprimit effectum validum super actu in quo dispensatur absque eo quòd extendatur ad illius consecutivum, ut optimè tradit Abb. in c. *Cùm in cunctis*, § *Cùm verò*, de Elect.

Sicque cessat illa communis doctorum opinio, nempe quòd dispensatus ad ordines censetur etiam dispensatus, ut unum tantum beneficium simplex possit obtinere; quod videtur inter cæteros firmare Borgas. de Irreg., p. 5, rubr. de Fil. presb., num. 9; eâ ratione, quia ex intentione concedentis, talis dispensatio est favorabilis et ampla, ne videlicet talis dispensatus in opprobrium ordinis clericalis mendicare cogatur, c. *Cùm secundum*, de Presb., quia contrarium verius est, ut supra diximus; satis enim liquet quòd unum sine altero stare potest, id Abb. in cap. *Pro illorum*, 3, notab. de Præb., sicut etiam ait Glossa in Clem. 2, in verb. *Annexi*, de Ætat. et Qualit., quòd dispensatus ad præbendam, sacrum ordinem annexum habentem, non est dispensatus ut possit habere vocem in capitulo cùm pariter possit unum sine altero subsistere, et sic dispensatio non remanet frustratoria, ut etiam tenet Imol. in d. Clem. 2. Canonicus namque, nisi fuerit in sacro ordine constitutus, non habet de jure vocem in capitulo, concil. Trid. d. sess. 22, cap. 4.

Limita tertiò in facultate concessâ alicui de dispensando, non expressis nominibus dispensandorum; sed in favorem illius cui datur potestas dispensandi, quia tunc tanquàm favorabilis est latè interpretanda, Felin. in c. final. de Simon.; Garc. de Benef., part. 1, cap. 6, num. 73. Et hìc est regula constituenda, quòd ad judicandum an dispensatio sit favorabilis vel odiosa, inspicitur principalis intentio disponentis, an videlicet fuerit odium vel favor, Tiraquel. de Retract. lignag., § 30, glos. 1, num. 5; Roman. cons. 4, num. 2.

Secùs verò ubi expressa sunt nomina ipsorum dispensandorum, quia dispensatio secundùm propriam suî naturam strictè interpretatur, Abb. in d. c. fin., nec propterea placet, tanquàm in praxi non recepta, illa opinio Bart. in lib. 2, ff. de verb. Oblig., quòd concessâ potestate dispensandi cum adulterino vel incestuoso, poterit dispensari cum eo qui patitur utrumque defectum. Hoc enim est communiter reprobatum, teste Gamb. de Auct. leg., lib. 7, num. 202, ex c. *Per venerabilem*, qui fil sint legit., quia hoc nullo modo potest ad utrumque conjunctim extendi, sed disjunctim, Borgas. de Irreg., p. 2., n. 11, ubi ait quòd in dispensationibus, in simplici non venit mixtum, Butr. in cap. *At si clerici*, § *De adulteriis*, circa fin. de Jud.

Limita quartò, ut dispensatio non veniat strictè interpretanda in eo significatu, qui ex verborum improprietate comprehenditur; quia ab ipsâ proprietate non est recedendum, nisi quando aliter constat de mente dispensantis, c. *Ad audientiam*, de Decim. l. *Non aliter*, ff. de Leg. 3.

Limita quintò, dispensationis significatum non adeò restringi, ut illa reddatur inefficax et nullius valoris; quia semper sumenda est interpretatio, ut actus magis valeat, quàm pereat, Felin. in cap. 1, vers. *Privilegium continens*, de Rescript. l. *Quoties*, ff. de Rebus dub.

Limita sextò, ut latè interpretetur dispensatio, quando est motu proprio concessa; quia tunc extenditur etiam ad consecutiva, sine quibus dispensatio in alio prodesset, Host. in c. *Cùm in cunctis*, col. 3, de Elect.; Rot., decis. 1 de Temp. ordin. in antiq., ubi dicitur quòd si Papa motu proprio ob publicam utilitatem dispensat cum episcopo, ut non teneatur consecrari intra tempus datum ad consecrandum, tamen dispensatio extenditur ut possit obtinere priora beneficia; et sic quando dispensatio fundatur super communi utilitate, est favorabilis; sicut etiam quando concurrit favor religionis aut animarum, Felin. in d. c. *Postulâsti*, de Rescript. id. Garc. d. 6, n. 64.

Limita septimò, quando dispensatio conceditur ad præterita validanda, veluti si cum aliquo fuerit dispensatum, ut possit de fructibus suorum beneficiorum testari, et ante talem dispensationem obtentam jam fecerat testamentum; illud enim virtute hujusmodi dispensationis validabitur, Castr. in l. *Filiæ meæ*, § *Si sic*, ff. de Const. et Demonst. et in l. *Militibus*, C. de Testam. milit. et ex præmissis satis constat non semper sequi dispensationem esse odiosam, et non favorabilem; quia teste Abb. in c. *Ad aures*, num. 8, de Rescript., jam datur dispensatio favorabilis, quamvis contrarium teneat Felin. in d. c. *Postulâsti*, sibi contrarius, dicens dispensationem dici semper odiosam, propter recessum, à jure communi.

CAPUT VI.

An dispensatio sine litteris suffragetur.

Exploratum habemus dispensationem, litteris super ea minimè expeditis, nequaquàm suffragari; quidquid enim sit de jure communi, exstat hodiè regula cancellariæ 52, quæ sic ait: *Item cùm concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque, quibusvis per ipsum D. N. concessarum vel concedendarum, per regulas cancellariæ Apostolicæ sint providè limitatæ, licèt aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita; ne quis talium concessionum prætextu, id dispensativè tenere aut facere præsumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quòd nulla talis dispensatio cuiquam in judicio, vel extra suffragetur, antequàm super ea litteræ apostolicæ sint confectæ.* Hæc quidem regula satis videtur etiam ipsi juri conformis; cùm gratia

semper concedatur sub quâdam tacitâ conditione, scilicet, si litteræ super eâ expediantur, ut ait Sarnen. super Reg. de non jud. juxta form. supplic., q. 1, n. 2, subdens ibi quòd sola supplicatio indubitatam probationem juris non inducit, propter interpretationem clausularum, quæ in expeditione litterarum per abbreviatores et alios officiales fieri solet; aliàs autem, etiam de jure communi, solo verbo Papæ, gratia perficitur, c. *Inquisitionis*, 25, q. 1, Clem. dudùm, § ult. de Sepul. Archid. et Joan. Andr. in procem. 6; Felin. in c. *In nostrâ*, in fin. de Rescript. Unde si ipse velit aliquem doctorem creare, id solo verbo efficere potest; ita evenit casus, cùm dominus Joannes Aloysius Riccius patritius Neapolitanus et canonicus hujus metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ fuisset per sanctissimum fel. record. D. N. Urbanum papam VIII, promotus ad episcopatum Ecclesiæ Vican, neque adhuc lauream doctoratûs suscipere curâsset, cùm idem summus Pontifex id rescivisset, licèt ex constitutione Gregorii XIV debuisset esse graduatus, attamen Sanctitas sua, cui benè innotuerat eumdem Joannem Aloysium, suis scriptis et doctrinis, prout tot illius opera in lucem edita testantur, nostrum seculum illustrâsse, unde omnium scientiarum arca potest jure optimo nuncupari, hæc dixit: Papa solo verbo doctores facit; ac propterea nos te doctorem facimus. Ita etiam, sicut scribunt doctores statim quòd Papa pronuntiat aliquem in episcopum alicujus civitatis, ille dicitur episcopus, Mascard, de Probat., concl. 842, num. 20. Regulariter tamen ad probationem gratiæ requiritur scriptura, id. Mascard., num. 10. Unde ait Gonz. gloss. 12, num. 47, quòd in linguâ principis stat gratia, et in scripturâ testimonium, et in executione commodum. Sed præcipuè secundùm dictam regulam sicut per aliam de non judicando juxta formam supplicationis, prohibitum est judici aliter judicare, propter duplicem rationem, quarum prima est, ut evitentur falsitates, quæ in supplicatione faciliùs committuntur, quàm in Bullis, per appositionem manuum plurimorum officialium; è contra si probaretur testibus, multa absurda evenirent, quia difficillimum et quasi impossibile esset scire omnem continentiam gratiæ, ut tradit Card. in procem. Clem., v. *Nec sanè*, ut per Paris., de Resign. benef., l. 8, q. 2, n. 8, cum seq., qui secundam rationem subdit num. 15, nempè, quòd si sola supplicatio sufficeret, officialibus Romanæ Curiæ præjudicium inferretur: qui officia bonâ fide à Sede Apostolicâ emerunt, ut aliquid inde emolumentum capiant ex appositione manuum; et summus Pontifex deputavit dictos officiales ad litteras super gratiis à se concessis, expediendas, quibus dedit regulas cancellariæ, ut litteræ possint expediri vel denegari, et cum clausulis consuetis.

Propterea licèt respectu dispensationis seu alterius gratiæ, illa dicatur facta absque expeditione litterarum, ut dictum est, attamen quia regula hæc est similis prædictæ de non jud. jux. form. suppl., ideò dicendum est quòd quando gratia ipsa deducitur in exercitium, est necessaria expeditio litterarum. Mant. decis. 3, n. 1, de Rescript. ut ait Joan. Andr. in Procem. 6 Decretal., n. 2, fuisse per doctores consideratum, quòd supplicatio sola nullius est effectûs extra curiam, nisi in eâ addatur, quòd sola supplicatio sufficiat, et ubique in judicio, et extra fidem faciat, quia juxta formam supplicationis prohibentur judices judicare.

Imò ex his concludendum est, hodiè solam supplicationis signaturam, neque in foro conscientiæ sufficere, quanquàm etiam moderni scribentes id affirment, qui forsan non perspexerunt modernas regulas super hoc editas, volentes quòd sola supplicationis signatura non suffragetur, neque in judicio, neque extra illud; quæ quidem verba à tempore Pii V, addita fuerunt.

Aliquas nihilominùs regula supradicta, *Quòd dispensatio non suffragetur, nisi litteris expeditis*, admittit limitationes, et præcipuè

Limitatur primò illam non procedere in dispensatione concessâ accessoriè simul cum provisione, seu quâvis aliâ concessione, super quâ erunt expeditæ litteræ; quia tunc sufficit de dispensatione constare per supplicationem; ratio autem ea potissimùm est, quæ affertur per Cassad., decis. 35, super d. Regulâ, num. 1, nempè quia regula et statutum parem habent interpretationem, cùm sint constitutiones extra corpus juris; ergo regulariter strictè interpretantur, et prout verba sonant, et in casibus tantùm expressis; sed hæc regula non loquitur expressè, quando dispensatio est cum provisione, seu aliâ concessione; ergo, etc.

Et sic cùm dicta regula loquatur in casu simplici, non autem mixto, nempe quando dispensatio conjuncta est tum aliâ concessione, ut dictum est, benè suffragatur dicta dispensatio, etiam sine litteris; quia hìc, cùm simus in odiosis, in simplicibus non continetur mixtum, Gonz. Gloss. 9, n. 20, et alia ad id conducentia videri possunt apud eumdem Cassad. decis. 25, et 36, super dictâ regulâ de non. Jud. juxta for., etc.

Limitatur secundò, quando supplicatio fuerit signata cum clausulâ in illius calce appositâ, nempe quòd *sola præsentis supplicationis signatura sufficiat, et ubique in judicio et extra fidem faciat, regulâ in contrarium non obstante;* quo casu debet in litteris dari specifica derogatio hujus regulæ, quæ, sicut aliarum regularum duobus modis concedi solet, uno videlicet ut hìc in supplicatione peti consuevit, absque eo quòd narrentur verba regulæ, per extensum, sicut ut plurimùm fit circa regulas, quæ respiciunt modum expediendi litteras apostolicas in cancellariâ; altero verò quando petitur derogatio regularum de dandis, id est, judicialium, et tunc extenditur in supplicatione tenor regulæ, saltem in substantiâ, ac postmodum in litteris apostolicis juxta stylum cancellariæ, post illarum exordium inseritur tenor regulæ ad longum, videlicet: *Hinc est quòd nos qui dudùm inter alia voluimus, quòd*, etc., ac postmodùm in clausulâ, *non obstantibus*, apponuntur hæc verba, videlicet *non obstantibus voluntate priori, et ordinationibus præmissis ac con-*

stitutionibus, etc.; aliàs enim pro illius derogatione non sufficiet clausula generalis, *non obstantibus*, etc. Paris. de Resign. benef., l. 1, quæst. 2, num. 8. Alia insuper infra circa id suo loco adducam.

Cæterùm supradicta regula quòd dispensationes non suffragentur, litteris non expeditis, ita intelligenda est, nimirùm, quòd gratia non propterea perditur; sed ejus tantummodò effectus retardatur, donec litteræ expediantur, firmâ remanente ipsâ gratiâ, illius usu suspenso, ut per Borgas, de Irreg. par. 6, tit. de Cleric. non resid., num. 14.

Cùm verò paulò superiùs dixerim, litteras expediri debere ad probandam gratiam Papæ, sive sub plumbo, sive in formâ brevis, sub annulo Piscatoris, accidit nihilominùs aliquando alio modo illam concedi, nempe ipsius vivæ vocis oraculo, cùm nimirùm sic expediat. Quod quidem pluries observavimus, præsertim verò pro religiosis, ad petitionem alicujus ex eminentissimis dominis cardinalibus, cui credendum est quando ipse testatur aliquid, cùm Papa est præsens in loco illo ad quem facilè quisque confugere potest; quia non est præsumendum ipsum mentiri; et ab omnibus receptum est, credi cardinali asserenti de gratiâ, seu commissione sibi factâ vivæ vocis oraculo à summo Pontifice, ut per Immol. in c. *Super his*, et ibi Fel. sub n. 10, de Fid. instrum.; Barbat. de Præstan. card. in 2 p., in 1 qu., Jason. in recept. l. *Admonendi*, n. 189, ff. de Jurejur., id Jas. conc. 145, l. 4; Rota in unâ Romanâ, inter canonicos ei beneficiatos S. Petri, cum aliis alleg. per Paris. de Resign. benef., l. 8, q. 11, n. 34.

Dixi gratias hujusmodi concedi, quando ita expediat; quia de more Papæ est, concedere religiosis plures gratias ore proprio, quibus ipsi secretò utuntur; nec ipse Papa vult litteras expediri, ne alii prælati seu religiosi insurgant, puta, quando alicui clarissimo et probatissimo religioso concedit quòd possit absolvere à casibus episcopalibus; quia si hoc innotesceret episcopis, recalcitrarent, ut ad verbum ait Fel., cons. 6, n. 2.

Quod quidem servatur etiam in aliis gratiis seu concessionibus, et cùm, sicut dictum est, illæ conceduntur ad intercessionem cardinalis, licèt ipsi simpliciter sit credendum; consuevit nihilominùs ab ipso litteras expediri, quas sub sequenti formulâ vidimus conceptas, pro milite S. Lazari, qui viduam in uxorem duxerat, videlicet:

Octavius miseratione divinâ tituli S. Alexii S. R. E. presbyter cardinalis Paravicinus nuncupatus. Universis et singulis præsentes nostras litteras inspecturis, visuris, lecturis et audituris, salutem in Domino sempiternam; eisdemque fidem indubiam facimus, et in verbo veritatis attestamur, quòd S. D. N. Clemens papa VIII ad intercessionem nostram volens dilectum nobis in Christo Augustinum Varanum Ravennaten., illustrissimi et reverendissimi domini mei Marci Sitici, tituli S. Mariæ in Transtiberim, ejusdem S. R. E. presbyteri cardinalis ab Altemps nuncupati domesticum et familiarem, qui piâ devotione ac religionis zelo ductus, habitum per fratres militum SS. Mauritii et Lazari ordinis, seu sub regulâ S. Augustini gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem consuetam, expressè emittere desiderat; sed quia multerem alterius viri prædefuncti relictam, atque ita viduam duxit, et adhuc habet in uxorem, suum hujusmodi desiderium, obstantibus dictæ militiæ statutis, adimplere non potest, nisi ad hoc sibi suæ Sanctitatis indulgentiâ suffragetur, specialis gratiæ favore prosequi, ac in hoc suo laudabili proposito confovere volens, vivæ vocis oraculo desuper facto, cum dicto Augustino Apostolicâ auctoritate dispensavit, ut etiam constante matrimonio, quod cum dictâ uxore sua contraxit, habitum per fratres milites dictæ militiæ gestari solitum, et professionem per easdem emitti consuetam, expressè emittere, ac deinde quæcumque et qualiacumque ejusdem militiæ præceptorias, prioratus, et hospitalia, cæteraque alia beneficia ecclesiastica quomodolibet qualificata, et qualitercumque nuncupata, sibi ritè conferenda recipere, et quoad viveret, retinere; nec non omnibus et singulis privilegiis, prærogativis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, indultis concessionibus, et quibusvis aliis gratiis, tam spiritualibus quàm temporalibus, quibus alii ejusdem militiæ fratres milites, etiam non conjugati vel non bigami, de jure, statuto, usu, privilegio vel consuetudine, aut aliàs quomodòlibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipse similiter et pariformiter, ac æquè principaliter, et absque ullâ prorsùs differentiâ etiam uti, frui, potiri, et gaudere, vocemque activam et passivam ubique habere; nec non ejusdem militiæ officia, dignitates et munia gerere, recipere et exercere liberè et licitè possit ac valeat ita ut inter ipsum Augustinum et cæteros milites, etiam non conjugatos, vel non bigamos, aliqua differentia non existeret. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non prædictæ militiæ etiam juramento, confirmatione apostolicâ, aut quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, nec non stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem militiæ illiusque magistro, seu administratori, nec non conventui, seu fratribus militibus, et aliis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium quomodòlibet facientibus; ac etiam iteratis vicibus, concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis specialis, specifica et individua mentio facienda foret (illis aliàs in suo robore permansuris), idem Dominus noster latissimè, hâc vice, derogavit, ac derogatum fore et esse voluit. Decernens litteras quas nos exinde conficeremus, eidem Augustino suffragari debere, ac si illæ in formâ brevis sub annulo Piscatoris, vel sub plumbo more Romanæ Curiæ confectæ et expeditæ forent. In quorum omnium et singulorum præmissorum fidem et testimonium, has præsentes litteras manu nostrâ subscriptas, fieri, et per secretarium nostrum infra scriptum subscribi, sigillique nostri consueti jussimus appensione communiri. Dat. Romæ in ædib. nostræ solitæ habitationis, prope Montem Jordanum, anno Domini, etc.

Locus † sigilli. O. Cardinalis Paravicinus.

N. Secretarius.

Et sub prædictâ formulâ dantur supradictæ litteræ cardinalis attestantis de gratiâ Papæ vivæ vocis oraculo concessâ, mutatis mutandis, juxta ipsius gratiæ qualitatem; et regula est, quòd præsertim in his ipsi cardinali sit credendum in omnibus, quæ ipse testatur, Pontificem ad suam instantiam, etiam pro aliis concessisse, prout ea tenuit Rota in unâ Pergamen. Bonorum de anno 1562, coram Oradino, relatâ per Marches. de commiss., p. 2, § unico, c. 11, n. *Etiam*, 11.

Aliam gratiam simili modo concessam, vidi ad intercessionem bon. memb. cardinalis Zabatta super commutatione recitationis horarum canonicarum pro episcopo Pampilon., eo quo sequitur modo, videlicet:

Nos Antonius miseratione divinâ tituli S. Crucis in Jerusalem S. R. E. presbyter cardinalis Zabatta nuncupatus, universis et singulis, præsentes nostras litteras inspecturis, visuris et audituris salutem in Domino sempiternam, eisdemque fidem indubiam facimus, et in verbo veritatis attestamur, quòd S. D. N. D. Paulus divinâ providentiâ Papa V, ad intercessionem nostram, volens reverend. in Christo patrem et dominum D. Antonium Vanegas, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ episcopum Pampilon. favore prosequi gratioso, vivæ vocis oraculo nobis facto, quòd ipse D. Antonius episcopus, omnibus diebus Jovis cujuslibet anni, non impeditis festo duplici aut semiduplici, officium SS. Sacramenti, loco officii ejusdem diei, recitare, et per recitationem hujusmodi, recitationi quarumcumque horarum, tam diurnarum quàm nocturnarum, quæ illo die caderent, satisfacere posset, et valeat, apostolicâ auctoritate concessit et indulsit. Decernens præsentes nostras litteras eidem D. Antonio episcopo suffragari debere ac si illæ in formâ brevis sub annulo Piscatoris, vel sub plumbo, more Romanæ Curiæ confectæ et expeditæ forent. In quorum omnium et singulorum præmissorum fidem et testimonium, præsentes nostras litteras, manu nostrâ subscriptas fieri, et per secretarium nostrum infra scriptum subscribi, sigillique nostri consueti jussimus, et fecimus appositione communiri. Datum Romæ in ædibus nostræ solitæ residentiæ, anno Domini, etc.

Antonius Cardinalis Zabatta.

Locus † Sigilli.

N. Secretarius.

Nec de prædictarum litterarum est aliquo modo ambigendum, licèt litteræ apostolicæ super gratiâ, modo præmisso concessâ, non conficiantur; nam quoad ipsius gratiæ substantiam, certum est illam valere; nec de necessitate requirit supradictas litteras, quæ solummodò requiruntur ad probationem: Sarnen., super reg. de non jud. juxt. for. suppl., q. 1, n. 2: nam, ut aliàs diximus, gratia stat in linguâ principis, et in scripturâ testimonium, ac in executione commodum, Gonz. ad reg. 8, glos. 12, n. 47, et antea dixit Fel., rubr. de Constit., n. 5, vers. *Et conclusio est*, ubi, quod statim etiam prolato simplici verbo Papæ, gratia dicitur facta ante litterarum confectionem, ut etiam docet text. in c. *Inquisitionis*, 25, q. 1, Clem. *Dudùm*, § fin. de Sepult., id. Felin., in cap. *In nostrâ*, in fin. de Reser., Cassad.; decis. 4, n. 2, de Caus. poss. et propr.; Bursat. cons. 393, n. 4, cum aliis relatis per Paris., de Resig. ben., l. 8, q. 2, n. 8.

Et licèt gratia dicatur informis litteris non expeditis, Rot., decis. 20, n. 5, de Concess. præb. in nov. id. Paris., lib. 1, q. 12, n. 38, et l. 8, q. 3, n. 11, ac lib. 10, q. 1, n. 8, tamen hìc hujusmodi gratia non dicitur sine litteris concessa, quæ licèt non sint apostolicæ, sunt tamen ipsius cardinalis, cui à Papâ conceditur ut ille possit super dictâ gratiâ litteras expedire, ut apparet ex formulis supra positis. Nam si in expeditione litterarum apostol. creditur officialibus ad id à Papâ præpositis, tam in cancellariâ quàm in cameră et in præfecturâ brevium, qui litteras apostol. formant super supplicationibus ab ipso Papâ signatis, eò magis credendum est cardinali de gratiâ ore tenùs factâ attestanti, qui dicitur frater Papæ, Host. in c. *Ad liberandum*, de Judæis, n. 3, Paris., l. 3, q. 1, n. 71, et facit unum corpus cum ipso Papâ, id Host. in cap. *Antiqua*, de Privileg.; nam ipse cardinalis, qui obtinuit à Papâ gratiam firmat suas litteras eo modo quo supra visum est ex illius voluntate, nec præsumitur dicere mendacium, id. Paris. d. lib. 8, q. 11, n. 34, et insuper testatur quòd Papa decrevit, prædictas litteras ab ipso cardinale super hâc gratiâ expeditas, habere vim litterarum apostol., ibi decernens litteras quas nos exinde confecerimus, eidem suffragari debere, ac si illæ in formâ brevis sub annulo Piscatoris, vel sub plumbo more Romanæ Curiæ confectæ et expeditæ forent; unde cùm supradictæ litteræ fuerint ab ipso cardinale de mandato Papæ, intrat illa conclusio, quòd omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur, c. *Si apostolicæ*, de Præb., in 6, l. 1, c. de vet. Jur. enuch., nec non regula, quâ qui per alium facit, per seipsum facere videtur, c. *Qui per alium*, de Reg. jur. in 6, l. 2, ff. Rem pupill. salut. fore; Boer., decis. 348, sub., n. 3; Vivian., de Jur. patr., l. 6, cap. 9, n. 18.

Sciendum est tamen quòd hodiè, quoad hujusmodi concessiones à Papâ vivæ vocis oraculo factas, adest constitutio fel. record. Gregorii XV, in formâ motûs proprii moderatorià supra dictarum gratiarum, quam hìc subnectere placuit, tenoris sequentis, videlicet.

GREGORIUS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam, Romanus Pontifex in speculâ militantis Ecclesiæ divinâ providentiâ constitutus, gratias et indulta à se, et prædecessoribus suis concessa, justis interdùm suadentibus causis, juxta creditum sibi pastoralis officii debitum moderatur aut revocat, prout rerum et temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Itaque motu proprio, etc., *omnia et singula indulta, facultates, privilegia, gratias et concessiones quascumque spirituales et ecclesiasticas, tam ad forum interius quàm ad exterius spectantia, ac tam ad supplicationem partium quàm motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus à Sede Apostolicâ, quæ tamen vivæ vocis oraculo hactenùs quandocumque et qualitercumque ex quâvis, etiam de necessitate exprimendâ*

causa, quibusvis collegiis, capitulis, ordinibus, tam mendicantium quàm non mendicantium, societatibus, etiam Societati Jesu, ac congregationibus quibuslibet, sive eorum et earum respectivè præpositis, decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus, generalibus, vel provincialibus quocumque nomine nuncupatis superioribus, et quomodòlibet exemptis, ac Sedi prædictæ immediatè subjectis, cujuscumque dignitatis, præeminentiæ, aut quovis privilegio munitis; non tamen ad supplicationem regum concessas, in iis videlicet quæ non sunt sortita effectum, tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus et annullamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata et annullata, viribusque et effectu vacua perpetuò fore et esse, neque in posterum cuiquam suffragari posse vel debere, neque aliquem iis de cætero uti ullo modo posse, etiamsi expressa et specificamentio, etiam de verbo ad verbum de iis facienda esset, decernimus et declaramus, firmis tamen, et in suo robore permanentibus omnibus indultis et aliis concessionibus prædictis, vivæ vocis oraculo S. R. E. cardinalibus, ad ipsorum vel aliorum quorumcumque favorem propria S. R. E. cardinalium manu firmatis, pro ipsis vel aliis factis, et de quibus iidem S. R. E. cardinales testimonium in scriptis præbuerunt. Decernentes, præsentes litteras, et in iis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quicumque præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad hoc vocati et auditi non fuerint, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui in jus vel in controversiam vocari, ad terminos juris reduci, aut adversùs illas, quodcumque juris gratiæ vel facti remedium impetrari nullatenùs posse; sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. Sicque per quoscumque judices, etc., sublata, etc., ac irritum, etc. attentari; non obstantibus præmissis ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, ordinibus, societatibus et congregationibus prædictis, eorumque præpositis decanis, magistris, ministris, prælatis, prioribus, rectoribus et aliis superioribus prædictis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, etc., derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 2 julii 1622, pontificatûs nostri anno secundo

S. Cardinalis Sanctæ Susannæ.

Est tamen hìc advertendum, quòd postmodùm similis Urbanus VIII, aliâ suâ constitutione, in simili formâ motûs proprii, sub die 20 decembris 1631, omnia prædicta vivæ vocis oraculo, tam per ipsum quàm per aĥos summos pontifices, datâ et concessâ, etiamsi à cardinalibus firmata sint, quibuscumque religiosis, tam in particulari quàm universali, cassavit, abrogavit et annullavit, ac præcepit sub excommunicatione, aliisque pœnis ipso jure incurrendis superioribus generalibus, ut infra tres menses tunc proximos, omnes et singulos provinciales de prædicto motu proprio certiores redderent, ipsisque provincialibus, ut illum in conventibus suarum provinciarum publicari facerent sub iisdem pœnis.

LIBER SECUNDUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS SUPER IRREGULARITATE EX DEFECTU SACRAMENTI, BIGAMIÆ VIDELICET, ET REITERATIONIS BAPTISMI.

CAPUT PRIMUM.

Praxis dispensationis super bigamiâ.

Hanc modò praxim dispensationum apostolicarum aggrediendo, dicendum est priùs illas variis temporibus, vario stylo à Sede Apostolicâ emanâsse. Nos verò recentiorem ostendere duximus. Verùm quia inter alia juris impedimenta, super quibus requiritur apostolica dispensatio, illa sunt quæ ex irregularitate proveniunt, et super quibus in dies dispensari videmus, et inter cæteras irregularitates, prima est ea quæ contrahitur ex bigamiâ, quæ ex antiquioribus Apostolorum decretis originem duxit, ut probatur 1 Tim. 3, ubi prohibetur quis ad Dei ministerium accedere, nisi vir unius tantùm uxoris fuerit, et D. Hieron. in Ep. 82, ad Oceanum, ut habetur in c. 1, et ibi Glos. in verbo *Unius*, dist. 26, quod tamen intelligitur, vel unius uxoris, vel nullius, prout declarat Innoc. in Ep. 3. Ambr., de Offic., lib. 1, cap. 50. Ideò non absre ab ipsâ dispensatione super bigamiâ exordiri visum est, illius priùs definitionem præmittendo, ac postmodùm, quonam pacto super eâ detur dispensatio, declarando.

Dicamus igitur cum omnibus summistis, quòd bigamia est irregularitas ex defectu sacramenti procedens, c. *Acutius*, 26 dist., Host. in Sum., lib. 1, tit. de Bigam. non ordin., n. 1; Covar. in Clem. *Si furiosus*, in 1 par., § 2, num. 1 de Homicid. Eaque triplex est, scilicet vera, interpretativa et similitudinaria, Glossa communiter recepta in c. 2, de Bigam. Navar. in man. cap. 27, num. 195, vers. 2. Et vera dicitur, quando quis secundas contraxit nuptias, Glossa in d. c. 2, de Bigam. Interpretativa, cùm viduam in uxorem accepit, eamque carnaliter cognovit, c. *Si quis viduam*, 34 dist., c. *A nobis*, de Bigam., et dicitur propterea interpretativa, quia fingitur duas habuisse uxores, id Navar. loc. cit. et idem erit, si cum virgine post adulterium ab eâ com-

missum, cognità, aut ex duobus matrimoniis consummatis, invalidis; aut uno valido et altero invalido. Similitudinaria autem est quæ contrahitur ex matrimonio contracto et consummato, etiam cum virgine per adstrictos ordine sacro aut voto solemni, c. fin., hoc tit. Garc., de Benef., p. 7, cap. 4, num. 15.

Et licèt ex his videatur bigamus non peccare, ex eo, quia prima et secunda irregularitas sine culpâ contrahitur; unde bigami non solùm non habent in se peccatum, sed ex illâ consequuntur gratiam et meritum, prout sunt in matrimonio, ut not. in c. *Aperiant*, 31, q. 3, attamen ipsi in jure canonico variis pœnis, ob hujusmodi defectum plectuntur; cùm nudati sint præcipuè omni privilegio clericali, etiam quoad personam; ita quòd non gaudeant privilegio can. *Si quis*, 14, q. 7, et subjiciuntur foro seculari, c. un. de Bigam. in 6; ibi *bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos*, c. *Subdiaconus*, dist. 34, et conc. Trid., sess. 24, c. 17. Majol., de Irreg., l. 1, c. 28, et sic non solùm privantur tonsurâ clericali, d. c. un. verùm etiam habitu, ut ex d. c. colligitur; si fuerint tantùm in minoribus ordinibus constituti; quia si fuerint in sacris, non privantur omni privilegio, nisi degradentur; ac propterea permittitur eis deferre habitum, et tonsuram ob reverentiam sacrorum ordinum; sicut etiam, nec bigami similitudinarii, ob eamdem rationem amittunt hoc privilegium, aut religiosi professi; qui jam nullo modo possunt contrahere matrimonium, c. *Nuper*, 1, de Bigam. et c. *Sanè*, 2, de Cler. conjug.

Est præterea bigamus incapax cujuscumque beneficii ecclesiastici, etiam simplicis, quamvis fuerit tonsuratus, d. c. un. quia merus laicus reputatur, Rebuff., de Pacif. poss., n. 193, Navar. cons. 1, de Bigam., quia, cùm jam reddatur inhabilis ad ordines, sic etiam ad beneficia, et quæ dantur propter officium, et docet text. in c. 1 et 2, de Cler. conjug., quòd clericus qui cum unicâ tantùm et virgine contraxit, ad ordines aut beneficia non admittitur; sed eo ipso, quòd matrimonium contrahit, statim amittit quæcumque beneficia ecclesiastica, c. 1, et ibi Glossa in verb. *Relinquendæ*, eod. tit.

Et est adeò gravis hujusmodi irregularitas, ut neque tollatur per ingressum religionis, per quem regulariter tollitur omnis macula. Sayr., de Cens., lib. 7, cap. 13, et neque episcopus super ea dispensare potest, neque ad minores ordines; cùm hujusmodi privilegiorum privatio sit à summo Pontifice inducta, d. c. un. hoc eod. tit. et nihil possit episcopus super jure communi pontificio, nisi in casibus sibi permissis; quamvis in bigamiâ similitudinariâ possit licitè dispensare, per tex. in c. 1, *Qui cler. vel voven.*, ubi impartitur sibi hujusmodi facultas, ibi, *injunctâ sibi pœnitentiâ de utroque excessu, post eam peractam dispensativè poteris ei diaconatûs officium reddere, et si perfectæ vitæ fuerit, eum in presbyterum ordinare.*

Cùm igitur hujusmodi impedimentum bigamiæ alio modo tolli non possit, quàm solâ dispensatione, d. c. *Acutius*, summoque tantùm pontifici competat facultas super eâ, quomodocumque proveniat, dispensandi ad omnes ordines, etiam pontificales, et quæcumque beneficia ecclesiastica, Innoc. in c. 2, hoc tit. Majol., lib. 1, c. 33, num. 14, propterea videamus qualiter cum ipsis bigamis dispensetur, et quid servetur circa hanc praxim, juxta prædictum recentiorem stylum. Super quo ita res se habet, ut tam super ipsâ bigamiâ, quàm super quibuscumque aliis gratiis apostolicis, quæ per datariam apostolicam transeunt, illæ petantur et concedantur per supplicationem; ex quâ, cùm fuerit à summo Pontifice signata, oriuntur postmodùm litteræ dispensationis, ut infra dicetur, ipsaque supplicatio fit à practicis viris illam solità methodo conficere scientibus in medietate unius folii papyri; vel si materia prolixa erit, in integro folio aperto; ac postea porrigitur R. P. D. datario, et revidetur à quibusdam officialibus ad id deputatis, à quibus in calce ipsius supplicationis apponitur summarium in eâ contentorum, quod solet legi vel referri per ipsum datarium eidem Pontifici, qui signat supplicationem, ipsâque signatâ, iterùm revidetur ab officialibus præpositis super compositionibus, et ibi solvitur compositio, si materia hoc exigit; quâ solutâ, ipsa supplicatio revertitur ad eumdem D. datarium, ut in eâ apponat datam, ac postea consignatur officiali de missis nuncupato; qui ab eâ aufert parvam datam et summarium, et supplicatio mittitur ad registrum; et postquàm ibi est registrata, et auscultata à magistris ipsius registri, mittitur in cancellariam, ubi postea expediuntur litteræ apostolicæ, teste Paris., de Benef. resign., lib. 8, q. 7, num. 19, cum seqq.

Supplicationis igitur formulâ pro hâc dispensatione conficitur eo modo quo sequitur, videlicet:

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Philippus Mariconda laicus Neapolitanæ diœcesis devotionis fervore accensus, plurimùm cupiat clericali militiæ adscribi, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, verùm, quia aliàs cum unâ illâque de medio sublatâ, cum alterâ ad præsens defunctâ mulieribus virginibus, matrimonium per verba de præsenti contraxit et consummavit, bigàmiam contrahendo, desiderium suum adimplere non potest absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter, E. S. V. orator præfatus, quatenùs ejus votis hâc in parte favorabiliter annuendo, eumque specialis gratiæ favore prosequendo, cum dicto oratore, ut bigamiâ eundo, cum ex præmissis contractâ, non obstante, clericali charactere insigniri, ac ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus, in illis etiam in altaris ministerio ministrare: necnon quæcumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiam si canonicatûs et præbendæ dignitates, etiam majores et principales administrationes, vel officia, etiam curata et electiva in cathedralibus etiam metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiæ, vel earum perpetua vicaria fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipsa obligatur, præsentetur, vel aliàs assumatur ad illa, et instituto in eisdem, recipere, et dummodò simul plura non sint, quàm quæ à concilio Tridentino permittuntur,

retinere; nec non quascumque pensiones annuas super similium vel dissimilium beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, reditibus et proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis, apostolicâ auctoritate sibi reservandas, percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere liberè et licitè possit et valeat, dispensare dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus eâdem bigamiâ, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *de speciali dispensatione præfatâ, aliisque præmissis, ut supra in formâ gratiosâ latissimè extendendis; et quòd præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, aliorumque necessariorum, major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris. Et committatur ordinario; et dummodò orator ad id reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas, et alia virtutum merita sibi aliàs suffragentur, nec aliud ei canonicum obsistat.*

Fiat, M. *Dat. Romæ apud S. Petrum, quarto kal. junii anno decimo sexto.*

Et sic non aliàs quàm per supplicationem impetrantur dispensationes, et quævis aliæ gratiæ apostolicæ, quæ transeunt per datariam, et stylus ac observantia Romanæ Curiæ testantur quòd litteræ apostolicæ non soleant expediri sine supplicatione; aliàs enim tanquàm suspectæ de falsitate rejiciendæ essent, Butr. et Abb. in c. *Quod super his*, de fid. instrum. et id. Abb. in c. ex parte 2, de Offic. deleg. Roman, cons. 376, num. 12, vers. *Secunda ratio*. Facit etiam text. in l. *Labeo*, ff. de Stat. lib.; Felin. in c. 2, num. 16, in verbo Stylus Curiæ, de Rescript.

Conficitur verò non aliàs quàm latino sermone omnis supplicatio, quæ per supradictam datariam transit, quod præcipuè usu receptum est, quia talis sermo tanquàm dignior intelligitur ab omnibus nationibus, et est frequentior aliis, maximè ob diversitatem nationum officialium summi Pontificis, per quorum manus transeunt et revidentur omnes supplicationes, ut dictum est supra; sicut ipse latinus sermo attenditur, quando constitutio respicit omnes nationes, vel quando concernit genus hominum diversi idiomatis, ut ait id. Felin. super rubr. de Constit., col. 1, in fin. c. eoque magis, cùm lingua latina sit propria Romanorum, quia dicta est à Latio; unde Virgilius Maro in princip. Æneid. ait:

Genus unde latinum
Albanique Patres, etc.

ut per Mandos., reg. 20, quæst. 10, n. 4, qui subdit quòd ista fuit lingua propria, naturalis et materna urbis Romæ, et quòd aliæ linguæ sunt accidentales et extraneæ; ac propterea hæc lingua tanquàm naturalis attendi debet, per text. in l. *Si quis posthumos*, et ibi Bart. ff. de Lib. et Posth., cùm Roma sit communis patria, l. *Roma*, ff. ad municip., et dixit Valer. Max. lib. 2 de Inst. antiq. quòd Romani, ut faciliùs à subditis intelligerentur, tanti idioma suum fecerunt, quòd eorum magistratus, quanquàm optimè linguam græcam callerent, nunquàm temen Græcis, nisi latinè responsa dabant, eosque per interpretes loqui cogebant, non Romæ tantùm, sed etiam in Græciâ et Asiâ, ut ait Sarnen., super reg. de Idiom., q. 1, n. 21.

Benè tamen verum est, quòd innumeræ gratiæ conceduntur, non per viam supplicationis in formâ signandi, ut patet ex supraposità formulâ; sed per supplices libellos vulgò memorialia nuncupata; et hujusmodi gratiæ conceduntur per præfecturam brevium sub annulo Piscatoris, ubi summus Pontifex omnia hujusmodi memorialia remittit, ut secretarius sanctitatis suæ illa referat; quæ quidem licèt respiciant et continent petitiones et commoda personarum totius orbis, et sic diversarum linguarum, nihilominùs conficiuntur vulgari sermone, inter Romanos consueto.

In confectione autem supradictarum supplicationum nimis invigilant illarum compositores, ne in eis utantur verbis impropriis et inusitatis, à quibus tam ipse summus Pontifex, quàm ipsius officiales semper abhorruerunt. Quare cùm his temporibus quidam eruditissimus prælatus in propositione cujusdam supplicationis in signaturâ gratiæ usus esset quodam vocabulo sibi tantùm cognito, ipse Pontifex in plenâ signaturâ dixit, se non parùm mirari de hâc vocabuli novitate, non sine ipsius prælati maximâ erubescentiâ; nec id deviare cognoscimus à jure communi; videmus enim expressum in c. *Nuper à nobis*, in fin., de Donat. inter vir. et uxor. quòd ibi Clemens III reprehendit consulentem, eò quòd non fuerit usus vocabulis propriis, et Abb. in d. c. nuper, num. 7, dicit, quòd iste consulens fuit reprehensus de ineptitudine vocabulorum; et ubi requiritur aliqua expressio, illa debet proferri verbis quæ possint intelligi, et sint usitata in Rom. Curiâ; et non sufficit uti verbis usitatis in patriâ illius, qui supplicat, ut docet Felin. in c. *In nostrâ*, sub n. 15, coroll. 12.

Ob eamdem causam nonnullas supplicationes vidi tam per ipsum D. datarium, quàm illius officiales lacerari. Hujusmodi enim supplicationes antequàm signentur à Papâ, revidentur etiam ab eodem D. datario, ut diximus, per cujus manus transeunt omnes gratiæ, qui accuratissimè considerat an gratia sit concedenda vel deneganda; nam quamvis Papa concedat gratias, et non datarius, ut per Rot., decis. 458, n. 5, l. 3, parte 3, divers., nihilominùs Sanctitas sua ad illas concedendas vel denegandas, moveri solet secundùm intentionem datarii, cui desuper rem totam commisit, quique tam ante quàm post signatas ipsas supplicationes, in illis et de illis, prout ratio suadet, addit vel demit; quapropter meritò datarius dicitur organum mentis et vocis Papæ, Gonz. Glossa 63, à num. 58.

Postquàm igitur formulam supradictam apposuimus, operæ pretium esse duximus illius verba quæ illam tantùm supplicationem concernunt, enucleare; alia enim, nec non clausulas. quæ concernunt litteras, deinde super ipsâ supplicatione expediendas, supplebimus in declaratione earumdem litterarum. Verba autem et clausulæ ipsius supplicationis, ita explicanda sunt, videlicet:

CAPUT II.

Praxis clausularum primæ partis supplicationis dispensationis super bigamiâ.

Beatissime. — Quod semper apponitur in principio cujuscumque supplicationis exemplo D. Hieronymi, qui Damasum Papam beatissimum appellavit in suâ Epistolâ ad eumdem, et in c. fin., 22 dist., appellatur *senioris Romæ sanctissimus;* Card. in Clem. 1, de Probat.; sicut etiam Ecclesiam Romanam sanctissimam nuncupatam videmus, imò etiam *episcopus sanctissimus, et beatissimus* vocatur in proœm. ff. ibi.: *Quàm beatissimus ejusdem civitatis episcopus*, et juxta text. in c. *Retulerunt*, ubi etiam Papam *episcopum sanctissimum* appelat, de Consecr., dist. 4. Verum est tamen, quòd hic honor solùm summo Pontifici debetur, ut per Troil. Malvet, de Cannoniz. sanct., q. 1, n. 16, sicut à toto orbe terrarum fieri videmus per diversas Epistolas diversis summis pontificibus missas, quæ his titulis prænotantur; nam cùm Franciscus rex Bungi, ac Protasius rex Arimanorum, nec non Bartholomæus princeps Omuranorum duos præclaros principes eorum consanguineos ad Gregorium XIII, ex Japoniæ regnis misissent, Francisci litterarum sub die 11 januarii 1582, inscriptio erat: *Adorando et cœli regi in terris locum obtinenti, magno et sanctissimo Papæ;* Protasii verò sub die 8 januarii 1582: *Reddatur epistola magno illi et sancto domino, quem adoro, Dei vices gerentem;* Bartholomæi autem sub die januarii 1582: *Sublatis manibus adorans sanctissimo domino Papæ magni Dei vices gerenti has litteras offero.* Necnon Don Sancius Omuræ etiam dominus, Sixto V: Offero, ait, præsentes magno et sanctissimo Papæ Sixto V, quem humillimè ut Dei vicarium veneror. Et ad Paulum V alii legati regis Voxii venerunt, illiusque litteras attulerunt sub dat. in civitate et curiâ Fendai, anno decimo octavo, quoquo quarto die lunæ nonæ, quod est anno 1613, pridiè non. octobris, quarum inscriptio erat: *Magni et universalis, sanctissimique totius orbis patris domini Pauli V, pedes cum profundâ submisione, et reverentiâ osculando, Idate Masamune, in imperio Japonico rex Voxii suppliciter dicimus.*

Pater. — Sicut enim Deus est omnium Pater, ut in Deut., cap. 23, ibi: *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, fecit, et creavit te;* et in Joan. 3: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus;* sic etiam Papa est omnium pater, cùm vices Dei gerat in terris, c. *quàm gravi*, de Crim. fals., c. ult. de Pact., in 6, et dicitur pater spiritualis omnium Christianorum; Abb. in c. ult. de Purgat. can., Dec. in c. *At si clerici*, num. 47 de Jud., et sponsus universalis Ecclesiæ, Card. in c. *Sicut*, num. 3, 7, q. 1. Sicut etiam Ecclesia Romana dicitur communis mater, c. penult, in fin. junctâ Glos. de Consecrat., dist. 1, ac aliarum Ecclesiarum mater, c. *Non deceat*, 12 dist.

Cum devotus. — Ea videlicet devotione, quæ est erga Deum et summum Pontificem ejus vicarium, ac Romanam Ecclesiam, et circa fidem catholicam, per text. in c. 2, in princ., junctâ Glos. in verb. *Devotione*, de Suppl. negl. prælat.; nam sicut princeps solet devotos vocare suos subditos, ita, et subditi tanquàm tales se debent gerere erga superiores. Unde supplicatio quæ ipsi principi porrigitur, debet esse devota, text. in l. 1, et ibi Bald. in verb. *Devotis*, de Pact. const.; et omnes aliquid à Sede Apostolicâ postulantes, se humiles et devotos exhibere debent, c. *Veniens*, de Jurejur.; sicut etiam ipse imperator, qui debet esse devotus et fidelis Romanæ Ecclesiæ, Felin. in c. *Constitutus*, n. 9, de Rescript.

S. V.— Ita enim convenit loqui cum summo Pontifice, sicut etiam cum ipso Deo, ut in psalm. 29: *Psallite Domino sancti ejus, et confitemini memoriæ Sanctitatis ejus;* et hæ duæ litteræ scilicet S. V., de stylo semper apponuntur abbreviatè, quæ significant, Sanctitati vestræ; nec tamen per extensum scriptæ rederent rescriptum subreptitium, quidquid dicat Rebuff. in formâ signat. hoc vers., volens, quòd si hæc verba fuerint abbreviatè scripta, signatura præsumatur suspecta. Horum namque et similium verborum exempla habemus in Auth. *Ut etiam Eccles. Rom.* vers. *Habeatque Sanctitas vestra hanc legem* ac etiam ibi: *Sanctitas itaque vestra*, nec aliquo modo in jure prohibitum reperitur, orationes, verba et clausulas extensè scribi, ita id Mandos. form. 2, commiss. verbo S. V. ubi nimis propterea invehit contra dictum Rebuff.

Orator. — Idem est quod deprecator qui supplex rogat, et ad denotandam efficaciam cum quâ aliquid petitur, quia major humilitas ostenditur per verbum *orare* quàm *petere;* ita dixit Luc. de Pen., super rubr. c. de Leg., lib. 10.

Philippus Mariconda. — Nomen et cognomen oratoris necessariò exprimi debent in supplicatione, nec possunt illa quâcumque de causâ in albo relinqui, seu mutari; aliàs enim supplicatio non reciperetur, sicut etiam servatur in oblatione libelli, text. in c. 1 de Libell. obl. et in l. 1, ff. de edend., et debent poni extensè, tam in supplicatione, quàm in litteris apostolicis ut per Imol. in c. *Cùm accessissent*, et ibidem Felin, vers. *Hodiè*, de Const., neque ea debent mutari, unde etiam si erretur, ut nomen pro nomine ponatur, rescriptum omninò vitiatur, quod satis docet Gloss. in c. *Significante*, verbo *Non de remensi*, et ibi Abb., n. 1 de Rescript., cùm nomina ipsa adinventa sint, ut homo ab homine discernatur, text. in l. *Ad cognoscendos*, c. de Ingen. manumiss., Menoch, cons. 173, n. 5. Nec cancellaria apostolica admittit correctionem proprii nominis in litteris expediendis, ut aliàs diximus; parùm enim refert quòd regula fin. ipsius cancellariæ, quæ est n. 72, facultatem tribuat vicecancellario et illius regenti circa correctionem nominum et cognominum, quia id tantummodò eis conceditur cum hâc limitatione, videlicet, *non tamen eorum quibus gratia et concessiones fiunt;* et de hâc necessitate exprimendi proprium nomen oratoris, plura congerit Lotter. de Re benef., lib. 3, q. 34, per tot.

Nec alicui, præter officiales ad id deputatos, licet

nomen aut cognomen sive aliquid aliud propriâ auctoritate in ipsâ supplicatione aut in litteris corrigere, postquàm supplicatio fuerit signata, ac litteræ in totum expeditæ, quod quidem sub atrocissimis pœnis prohibetur. Quòd si fortè id ignoranter, et bonâ fide contigerit, per dictam regulam conceditur eidem vicecancellario ac cancellariæ prædictæ regenti facultas, quòd possint committere absolutionem illorum qui ignoranter in supplicationibus vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigerent vel delerent; et ita est re ceptum in praxi.

Laicus. — Hæc qualitas de stylo semper exprimenda est, ubi orator est laicus; hic autem præcipuè apponitur ad denotandum quòd orator prædictus non modò sicut bigamus, verùm etiam sicut laicus est incapax spiritualium, cap. *Si quis deinceps*, 17, q. 7, c. *Messam*, c. *Sacrosancta*, de Elect. cap. *Causam*, quæ de Præscript.

Neapolitan. Diœcesis. — Debet etiam de stylo exprimi diœcesis oratoris, ut per Rebuff. in suâ Praxi, in formâ signat. vers. *Magalonen.*, quòd si orator, sive oratores nullius fuerint diœcesis, erit proinde in supplicatione exprimendum sub quâ provinciâ erit locus eorum originis, sive domicilium, veluti : *Exponitur humiliter S. V. pro parte N. talis loci, nullius diœcesis, provinciæ Placentin.* Idemque servatur, si fuerint duo episcopatus sub unâ eàdemque denominatione : quia etiam tunc illi distinguuntur per provincias, provinciæ verò per archiepiscopatus, veluti : *Placentin, provinciæ Compostellan, et Placentin, provinciæ Bononien.*; et sic de singulis, quia provinciæ secundùm canones distinguuntur per archiepiscopatus. Bart. in constit. *Qui sint rebell.*, verb. *Lombardiæ*, n. 7. Et iste est notorius stylus datariæ et cancellariæ apostolicæ, ex cujus libro excerpta est illa series omnium mundi episcopatuum, quæ proinde provincialis Ecclesiarum prætitulatur; et per Hieron. Paulum ejusdem cancellariæ vice connectorem in calce suæ praxis. Cætera circa expressionem diœcesis oratorum vide infrà, lib. 7, c. 4, n. 25 et seqq., et l. 9, c. 11, n. 8, cum seqq.; et in praxi notandum est quòd necessariò exprimendum est an orator fuerit civitatis vel diœcesis; nam si unum pro altero quoquo modo apponatur, litteræ non poterunt executioni demandari, nisi priùs corrigantur, quia civitas et diœcesis sunt diversa, c. *Ego Ludovicus*, 63, dist., c. *Si civitas* de Sent. excomm. in 6, quamvis sub unâ jurisdictione, sive uno episc. sint, cap. *Venerabili*, de Cens.

Circa quod est etiam in praxi notandum quòd non modo oriundi ex diœcesi dicuntur diœcesani, verùm etiam domicilium habentes, per Gloss. in c. *Statutum*, § *Cùm verò*, et Gloss. in verbo *Dictam*, in fin., ubi dicitur quòd diœcesanus, cùm aliud non adjicitur, debet intelligi de diœcesano domicilii, de Rescript., in 6, quia illa propriè est diœcesis alicujus, in quâ quis habet domicilium habitationis, licèt sit alibi natus, Franc. in c. *Præsenti*, § *Sanè*, num. 3, super Gloss., vers. *Originis*, de Præb. eod. lib.

Devotionis fervore. — Accensus, nec alia causæ expressio requiri solet ad sic super bigamiæ impedimento dispensandum, nisi devotio ipsius oratoris; principis voluntas absque causæ expressione sufficiat, l. *Quidam consulebant*, ff. de Re jud., c. *Præterea*, ubi Felin., de Test. cogen., gloss. in l. *Universa*, c. de Precib. imper. offer.; Ægid. decis. 694, ubi ait : *Agentem actum, cui certum obstaculum, quod scit, opponitur, in dubio censeri tollere illud, quando potest.* Non tamen apud curiales est ignotum, quòd si aliquando juxta qualitatem petitæ gratiæ levis adducatur causa, tunc ei additur etiam causa devotionis, cùm hæc sola per se non sufficiat.

Clericali militiæ.—Adscribi; non enim potuit orator à suo ordinario clericali charactere insigniri, cùm ista facultas, etiam quoad hoc summo tantùm Pontifici competat, d. c. 1, de Bigam., in 6, ubi habetur quòd bigamus non possit ad primam tonsuram, nec ad minores ordines ab ordinario promoveri, ut aliàs diximus, et testantur sum. Pisan. in verb. Bigamia, § penult., dùm ibi absolutè dicit non posse ordinarium super hâc irregularitate dispensare, Covar. in Clem. *Si furiosus*, § 2, n. 4 de Homicid., dicens ibi : *Nec ipsum ordinarium posse dispensare, si bigamiam contraxit post clericatum susceptum; quinimò nec magnâ existente causâ;* Navar. in Man., c. 27, n. 197, vers. *Sextò dico*, cùm sit privatus omni privilegio clericali, c. *Cognoscamus*, ibi, *neque clericum debere esse, qui secunda conjugia sortitus est*, dist. 34, Archid. in c. *Lector*, dist. 34, et communiter doctores.

Ac ad omnes.— Etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri. Hoc enim modo petitur dispensatio, etiam quoad minores. Si enim primâ tonsurâ non possit orator ab episcopo initiari, multò minùs ad minores ordines promoveri. Ad illud autem quod dicit D. Thomas, quòd episcopus potest bigamo concedere ut minores ordines suscipiat, et sic beneficium simplex eidem conferre, dicitur quòd neutrum horum est usu receptum, teste Azor. Instit. moral., p. 2, cap. 4, vers. *Undecimò quæritur*, et ita docet notoria Romanæ Curiæ praxis, quæ profectò fulcitur fundamento ipsius, c. unic. de Bigam. in 6, contra quod non potest episcopus dispensare in bigamiâ verâ vel interpretativâ, etiam quoad minores, aut usum susceptorum. Præterea exstat declaratio sacræ Congregationis relata à Garc., de Benef., part. 7, c. 6, n. 5, his verbis : *Episcopus auctoritate suâ ordinariâ cum sibi subdito vero bigamo, qui aliàs cum duabus virginibus successivè legitimum matrimonium contraxit, et modò defunctæ sunt, dispensare non potest, ut primam tonsuram et simplicia beneficia, à se vel ab aliis accipiat.* Ita censuit Congregatio die 30 januarii 1589, et Sixtus V approbavit.

Mulieribus virginibus. — Oportet enim in supplicatione exprimi qualitatem bigamiæ super quâ petitur dispensari; non enim sufficeret, si simpliciter diceretur quòd orator bigamiam contraxit, quia id satis deviat à notorio stylo, ac propterea in supra positâ supplicatione dicitur quòd cum duabus virginibus successivè contraxit, ut est vera bigamia; nam licèt fuerit interpretativa, quæ est minor verâ, vitiaretur

dispensatio, cujus falsitas committi potest tam narrando minus quàm majus, arg. l. 1, c. de Fals.; Bart. et Bald. in l. *Presbyteri*, c. de Episc. et Cleric. Verum est tamen quòd ad impetrandam dispensationem super impedimento bigamiæ, nullum videmus in praxi discrimen constitui super illius provenientiâ, sive videlicet fuerit matrimonium contractum cum duabus virginibus, ut hìc; sive cum unâ viduâ, vel cum unâ virgine et alterâ viduâ, dummodò id explicetur in supplicatione, quamvis Garc., de Benef., part. 8, cap. 3, num. 79, dicat quòd si quis ter vel quater contraxit nuptias, id non sit necessarium exprimere in supplicatione bigamiæ, ex Navar., cons. 2 de Bigam. et aliis auctoribus per eum ibi allegatis; id enim est contra notorium stylum Curiæ, qui non admittit tales supplicationes, nisi in eis fuerit expressa qualitas et provenientia bigamiæ. Vidimus enim quandoque fuisse trigamo, nempe ei qui cum virgine et successivè cum viduâ contraxit, denegatam dispensationem, quidquid dicat id Navar. d. cons. 2 de Bigam., num. 4, in fine, scilicet, quòd nullus unquàm Pontifex maximus curavit de trigamiâ; aliud enim nos docet notoria praxis, licèt etiam ipsi trigamo quandoque detur dicta dispensatio.

Matrimonium. — Si enim sponsalia tantummodò per verba de futuro contraxisset, non egeret dispensatione, quia non dicitur contrahere bigamiam, etiamsi sponsalia ipsa fuerint jurata, Sot., 4, dist. 27, quæst. 3, art. 1, § Bigamus, nec non iteratâ, etiam cum eâ copulâ, quia hanc irregularitatem non inducunt, Sayr., de Cens., lib. 6, cap. 2, n. 14.

Legitime. — Scilicet, quòd matrimonium fuerit legitimo modo contractum, Joan. Andr. in reg. *Factum legitimè*, in princip., de Reg. jur. in 6, ac juris ordine servato, et secundùm canones, Gloss. et Abb. in cap. *Consanguinei*, de Re jud.; Seraphin., decis. 290, n. 2, et decis. 433, n. 6; Card. Tusc. pract. Concl., t. 2, litt. D, conclus. 305, num. 1; quod enim fit lege permittente, legitimè factum censetur, lib. *Graccus*, ff. ad l. Jul. de Adult. Unde si hujusmodi matrimonium ob aliquod impedimentum esset nullum, non contraheretur bigamia, Navar. cons. 1 de Bigam.; Henriq., de Sacram. matrim., l. 2, cap. 6, § in fin.

Successivè contraxit. — Quia diversis temporibus duas habuit uxores, c. *Aperiant*, 31, quæst. 1, et ad emonstrandum quòd adulteria etiam iterata, fornicationes, aut plures concubinatus non inducunt hanc bigamiæ irregularitatem, etiamsi id contingat cum virginibus, sive viduis, ut constat ex c. *Quocirca*, de Bigam.; Majol., de Irreg., lib. 1, cap. 33, n. 3 et 10, quia sicut etiam docet quotidiana praxis, in impetrandâ hujusmodi dispensatione non admittitur supplicatio, nisi in eâ fiat mentio de matrimoniis legitimè contractis ex quo non sufficit ad id impedimentum inducendum quæcumque carnalis commixtio; sed illa quæ accidit per contractum sacramentum matrimonii de jure vel de facto; fornicaria enim conjunctio non significat unionem Christi cum Ecclesiâ, Sayr., de Cens. d. lib. 6, cap. 3, n. 16, ac propterea tunc bigamiam quis contraxit, quando videlicet carnem suam matrimonialiter in plures divisit, ut in c. *Debitum*, hoc tit., Host. in c. *Tam liberis*, de Test., et ibi Joan. And.

Et consummavit. — Pluralitas enim uxorum per verba de præsenti, si cum omnibus matrimonium non fuit carnali copulâ consummatum non inducit bigamiam; quo casu potest quis ad omnes ordines licitè promoveri, et beneficia ecclesiastica obtinere, Sot., 4, dist. 27, quæst. 3, art. 1, § *Bigamus*, Sum. Coron. tract. de Irreg., num. 6; Cucc., lib. 1, Instit. can., tit. 5, ac propterea intelligendum est, si cum utrâque consummaverit; aliàs non esset bigamus, c. *Debitum*, de Bigam., c. Valentino, 34 dist., etiamsi matrimonium cum eisdem esset ratum, nondùm tamen consummatum, Majol, de Irreg., c. 33, num. 10, lib. 1.

Supplicat igitur humiliter, etc. — Supplicatio namque debet esse humilis, quia ita supplicans faciliùs obtinet ea quæ petit, ad not. in c. *Cùm contingat*, § de Præscrip., et juxta illud Eccles. 3 : *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Unde omnes etiam reges et principes terræ summo Pontifici cum humilitate submittunt, ut patet etiam ex supra dictis, qui ad ipsos Pontifices per suos legatos, supra dictas epistolas miserunt; quorum subscriptiones tales erant, videlicet : *Sanctissimis pedibus Beatitudinis vestræ substratus, Franciscus Bungi rex; Sanctitatis vestræ substernitur calceis Don Protasius; advolutus pedibus Sanctitatis vestræ, Arimano Sciurinò Daibù, Don Protasius. Ego Don Bartholomæus sanctis eis pedibus humi substratus, elevatis manibus, et summâ reverentiâ has litteras pedibus Sanctitatis vestræ offero, Omura Scim Paciro Nobù, A. che Don Sancio;* prout hæc, et similia refert Capac. in li.. nuncupato *Secret.* lib. 1, fol. mihi 140, cum seqq.

Quatenus, etc. — Reliqua declarantur in infra scriptâ formulâ litterarum; ac propterea hìc tanquàm superflua, consultò omittuntur quoad primam partem signaturæ.

Fiat ut petitur, M. — Omnes supplicationes dispensationum ad ordines et beneficia signantur propriâ manu summi Pontificis; prout etiam regulariter omnes supplicationes beneficiales, præter quasdam exigui valoris, puta minoris 24 ducatis auri de camerâ, quæ à D. datario mittuntur ad signaturam, per concessum; et quamvis penes summum Pontificem plures sint gradus, seu modi super supplicibus libellis signandis, iste tamen (per *Fiat*) omnibus aliis antecellit, Mandos. in procem. reg. signaturæ, per *Fiat*, circa med. Et aliquando ipse Papa ipsas supplicationes, præsertim gratiam continentes, per seipsum signat, non per alium, sive in plenâ signaturâ, convocatis coram eo, statutâ die, quibusdam cardinalibus doctoribus in theoricâ et praxi primariis, et omnibus referendariis gratiæ ac D. datario : licèt aliàs absque plenâ signaturâ signet in cubiculo, seu alibi, porrigente sibi ipso D. datario supplicationes; quarum quidem supplicationum licèt nonnullæ consueverint signari per concessum à cardinali præfecto seu prælato habente hanc signaturam, nihilominùs signantur ab

ipso Papa per Fiat. In secundâ autem parte signaturæ signat etiam, ut supra visum est, Fiat M

ET CUM ABSOLUTIONE A CENSURIS, etc. — Hæc est secunda pars signaturæ quæ continet clausulas in litteris desuper expediendis, extendendas, ut infra. Et in omnibus ferè supplicationibus Papæ porrigendis adjicitur; nec tamen comprehendit S. R. E. cardinales, quia non egent hujusmodi absolutione, cùm nunquàm includantur in generali constitutione, maximè pœnali et odiosâ; nisi nominatim de eis sit cautum; Martin. Laud. de Card., quæst. 26; cùm sint speciali notâ digni, et tanquàm membra Ecclesiæ, præsumitur illos non subjacere excommunicationi, et optimè comprobat Dian. in Sum., p. 1, per tot, tit. *Cardinales*, quòd non includuntur in sententiâ suspensionis et interdicti latâ à Papâ; quod quidem deducit ex c. *Quia periculosum*, de Sent. excomm. in 6, qui licèt loquatur de episcopis tantùm, à doctoribus tamen extenditur ad cardinales. Et comprobatur etiam de stylo cancellariæ Apostol., quæ notat, quòd ubi cardinalis malè percepit fructus beneficii, non propterea rehabilitatur, sed solùm narratur factum; ex quo apparet quòd alius indiguisset eo casu rehabilitatione; sed cardinali non datur absolutio, quia non potest excommunicari, ut ex notab. dict. Cancell., fol. 16, à tergo. Hinc igitur est quòd quando porrigitur in datariâ apost. supplicatio nomine cardinalis, in principio secundæ partis ejusdem supplicationis, omissis illis verbis : *Et cum absolutione à censuris*, etc., incipit dicta secunda pars his verbis, videlicet : *Et quòd dictæ creaturæ obstantiæ et beneficiales*, etc., vel aliàs, secundùm casûs contingentiam. Si verò cardinalis insimul cum personâ privatâ supplicet, pro dictâ personâ tantùm ponuntur dicta verba, nempe : *Et cum absolutione à censuris ad effectum*, etc., *quoad dictum oratorem tantùm. Et quòd dictæ creaturæ obstantiæ*, etc., vel aliàs, etc.

CAPUT III.

Praxis clausularum secundæ partis supplicationis ejusdem.

Quia verò, ut aliàs diximus, tam dispensatio quàm quævis gratia apostolica, ante litterarum expeditionem, est informis, teste Oldrad., cons. 324, n. 5, cùm gratia principis scripturam exigat, Abb. in c. *Ex diligenti*, ult. not. de Sim., et per confectionem litterarum ad suum esse perducatur, Bellam., decis. 432, ac sine illis difficillimè probaretur per testes; cùm præter ea quæ sunt in supplicatione apposita, multa substantialia addantur in litteris, quæ super illâ expediuntur, ideò pro his quidem litteris construendis, limitandis, ac ad debitam formam reducendis, summus Pontifex deputavit abbreviatores majoris præsidentiæ, in cancellariâ apostolicâ, quibus dedit regulas dictæ cancellariæ, ut litteras possint expedire vel denegare, ac gratiam in supplicatione contentam ampliare, limitare, ac pro, vel contra impetrantes mentem Pontificis interpretari, Mandos. 31, quæst. 7, num. 3. Quod etiam servatur si ipsæ litteræ expediantur per cameram et per viam secretam PRO cardinalibus, aliisque personis qualificatis et benè meritis; nam licèt illæ non transeant per manus eorumdem abbreviatorum, ad hoc tamen Alexander VI constituit officium summatoris earumdem litterarum, ne præmissorum ratione, ex malâ ipsarum expeditione cum sedis apostolicæ ignominiâ, partes detrimentum sentiant; cùm ipsius summatoris officium sit recipiendi, videndi, summandi et referendi litteras apostolicas, quæ per cameram apostolicam pro tempore expediuntur, ut ex constitutione ejusdem Alexandri, quæ est in viridi observantiâ, et palam est omnibus qui aliquâ ex parte Romanæ Curiæ negotia hujus generis callent. Adsunt insuper alii officiales in ipsâ cancellariâ, qui ibi pro manuum suarum appositione, earumdemque litterarum revisione interveniunt, qui, ut ait id. Mandos., num. 4, oculis lynceis, etiam usque ad minimam syllabam, omnia prospiciunt; præcipuèque observant ne in illis aliqua falsa latinitas interveniat, ad evitandam suspicionem falsitatis, juxta text. in cap. *Ad audientiam*, et ibi Glossa in verbo *Manifestum*, de Rescrip., nam licèt d. Glos. arguendo per text. in l. *Imperator Titus*, ff. de Stat. hom., dicat quòd falsa latinitas non vitiat scriptum, ibi tamen agitur de testamentis, et ita solvendo argumentum dicit, quòd aliud est in testamentis, et aliud in litteris Papæ; nam testamentum committitur tabellionibus, cujus scripturam, sive latinum nullus corrigit; unde falsa latinitas non vitiat testamentum, dummodò constet per ipsum de intentione testantis; secùs autem in litteris Papæ; quia per multas manus transeunt, et magnâ maturitate digeruntur, cap. *Apostolicæ*, 35, q. 3.

Quin imò ab antiquo tempore fuit in cancellariâ prædictâ institutum quoddam officium, de primâ visione nuncupatum, cujus officialium proprium munus erat videre et legere omnes litteras apostolicas, quæ in eâdem cancellariâ expediebantur, an in illis adesset præsertim aliqua falsa latinitas; quam, si aderat, corrigi faciebant ab ipsis scriptoribus litterarum : quamvis hodiè adsit officium, nec tamen subeatur onus illi injunctum; et ad obviandum insuper falsitatibus, quæ non modò in supplicatione, verùm etiam in ipsis litteris committi possent, retinuit cancellaria apostolica antiquum stylum conscribendi dictas litteras charactere gallico, aliàs bullatico, ex communi Curiæ usu loquendi, nuncupato : quia cùm littera hæc non sit ordinaria, nec omnes illam delineare et scribere sciant; non potest aliquo modo falsificari, sic ut possent supplicationes, quæ etiam quâvis litterâ, seu quovis charactere confici et scribi possunt, id. Mandos., reg. 15, quæst. 2, num. 2.

Nec ignotum est quòd falsa latinitas vitiat litteras apostolicas, etiamsi constaret de mente Papæ, quo casu perfectio intellectûs non supplet imperfectionem scripturæ, juxta text. in l. *Cùm pater*, § *Cùm imperfecta*, ff. de Leg. 2; si verò adesset defectus orationis aliter quàm per falsam grammaticam, non nocet, dummodò colligatur mens Papæ, secundùm ea quæ dicit Innoc. in c. *Ex parte*, de Fid. instrum., ubi ait quòd defectus dictionis seu orationis non nocet, dum-

modò colligatur mens Papæ, ut per Felin. in c. *Ad audientiam*, num. 1, de Rescrip., ubi sic exemplificat : *Volumus providere Titio de spectante ad talem Ecclesiam*, et deficit, *beneficium;* non nocet, vel si diceretur : *Volumus Titio de beneficio spectante ad collationem episcopi*, deficit *providere ;* neque nocet, quia constat de mente Papæ; quod quidem mirabile, ait id. Felin., loc. cit., quia præsumitur falsitas, ex eo, quia non creditur transisse per tot manus materia tam malè constructa. Quod habet locum etiamsi falsitas grammatica esset in uno solo capitulo separato; quia vitiat totum rescriptum; nam deficit tota auctoritas et fides, et ideò non valet; qui fides ejusdem rescripti est indivisibilis, et sic ipsa grammatica facit videre rescriptum esse extra voluntatem et extra cancellariam; quia est signum quòd totum rescriptum caret examine; nam examinantes vidissent errorem.

Quod tamen limitatur, dummodò falsa latinitas sit manifesta, secùs si dubitabilis, vel nisi error grammaticæ procedat ex defectu unius litteræ, sive littera deficiat, sive loco unius litteræ sit posita alia, secundùm exemplum quod ponit id. Felin., loc. cit. de Indulgentiâ, in quâ dicebatur : *Præsentibus litteris perpetuis temporibus duraturas*, et debebat dicere *duraturis*, dummodò varietas litteræ non mutet substantiam, vel inducat æquivocationem. Vel nisi sit defectus orationis aliter quàm per falsam grammaticam, et non impediat perceptionem mentis litterarum; quia oculus officialis sæpè fallitur, et magis inspicitur sensus quàm scriptura; quia virtus humanorum actuum non stat in uno modico atramento, sed in mente hominis, ut de notario qui dixit *Facinia* pro *Falcidia*, et *Valeriano* pro *Velleiano*, sicut etiam de dicto notario, qui dixit *jure restitutionis* pro *institutionis*, quia non nocet, et quòd superfluitas in unâ litterâ, vel syllabâ, vel verborum inculcatio non nocet, nisi daretur alteratio sensûs; et text. in c. *Retulerunt*, de Consecrat., dist. 4, quòd illa verba : *In nomine patria, filia, et spiritus sancta*, etc., non vitiant baptismum.

Alio item modo, præter superiùs dicta, deprehenditur falsitas prædictarum litterarum circa personam Papæ ipsas litteras dirigentis, necnon personam cui illæ diriguntur, ut est text. in cap. *Quàm gravi*, de Crim. fals., ubi Innocentius III, scribens episcopo Attinacen., sic ait : *Nos verò litteras, quæ tibi sub nostro nomine præsentatæ fuerunt diligentiùs intuentes, in eis, tam in continentiâ quàm in dictamine deprehendimus falsitatem, ac in hoc fuimus admirati, quia tu tales litteras à nobis credideras emanâsse. Cùm scire debeas Apostolicam sedem consuetudinem in suis litteris hanc tenere, ut patriarchas, archiepiscopos et episcopos, fratres, cæteros autem, reges, principes, vel alios cujuscumque ordinis, filios in nostris litteris appellemus. Et cùm uni tantùm personæ nostræ litteræ diriguntur, nunquàm ei loquimur in plurali, ut* vos, *sive* vester, *et his similia in ipsis litteris apponamus. In falsis autem litteris tibi præsentatis, in salutatione,* « *dilectus in Christo* « *filius* » *vocabaris : cùm in litteris quas aliquando tibi transmisimus,* te, *videre potueris, à nobis* fratrem venerabilem *appellatum. Propter quod sic litteras apostolicas studeas intueri, tam in bullâ, filo et chartâ, quàm in stylo, quòd veras pro falsis, vel falsas pro veris litteris, modo aliquo non admittas.*

Quod quidem, tam in litteris sub plumbo, quàm in formâ brevis, et sub annulo Piscatoris cum cerâ rubeâ observatur. Hoc tamen inter eas, discrimine constituto, namque in litteris sub plumbo quæ in crassâ chartâ pergamenâ, gallico seu bullatico charactere conscribuntur, titulus Pontificis apponitur in principio primæ lineæ, dicendo : *Innocentius episcopus servus servorum Dei.* In brevi autem et in illius capite, *Innocentius Papa X.* Et licèt in simili chartâ communi charactere, aliquantulùm tamen formato scribatur, illa tamen tenuis est, ita ut ad modum litteræ missuræ commodè complicari possit.

In litteris sub plumbo incipit narrativa : *Exhibita siquidem nobis nuper pro parte N.*, vel, alio simili modo In brevi autem *Exponi nobis nuper fecit N.*, et ubi in dictarum litterarum commissione dicitur : *Discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus ;* in Brevi dicitur : *Per præsentes committimus et mandamus.*

In litteris sub plumbo et illius datâ apponitur annus Incarnationis dominicæ, et per consequentiam litterarum videlicet; *Millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto*, et per kalendas, nonas et idus. In brevi verò notatur data per numerum, ut dicunt, *ordinalem*, nempe; *Die* 15 *maii* 1654, non autem per consequentiam litterarum, veluti : *Die decimâ quintâ maii millesimo sexagesimo quinquagesimo quarto*, vel alio modo. videlicet, *die* 15 *maii* 1654, qui appellatur *numerus cardinalis*, quem nec dataria nec cancellaria Apostolica admittere consuevit; quòd si in supplicatione Papæ porrigendâ, esset mentio facienda de datâ litterarum Apostolicarum; illa etiam notatur per kalendas, etc., ut supra.

In litteris sub plumbo plurium officialium subscriptiones requiruntur, præterquàm in illis quæ transcunt per viam secretam; in brevi autem unius ex secretariis apostolicis subscriptio sufficit; quia sigillum Papæ cætera supplet; nam regulare est, quòd sigillum de voluntate domini impressum et subscriptio pari passu ambulant, et faciunt eamdem probationem. Roman., cons. 303, in fin. Menoch., de Præsumpt., lib. 2 Præsumpt. 57, num. 33; nunquàm enim Papa subscribit brevia; et quamvis concil. Trident. sess. 24, num. 20, de Reform. disponat quòd causæ non avocentur in primâ instantiâ ab ordinariis, nec committantur aliis, nisi quando Papa per speciale rescriptum manu propriâ subscriptum, contrarium judicaverit, intelligi debet, satis esse si tale rescriptum annulo piscatorio semper penes Papam existente, sit sigillatum, quamvis ab illo subscriptum non sit, quia idem importat sigillatio quod subscriptio, ut per Gonz. ad reg. 8, Cancell. Gloss. 61, num. 38.

Cæterùm verò ad dignoscendas falsitates in supradictis litteris Apost. generalem regulam dedit Innocent. III archiepiscopo et canonicis Mediolanens., ut in c. *Licet.* de Crim. fals., in quo prima species falsi-

tatis est, ut falsa bulla (id est, plumbum) falsis litteris apponatur. Secunda, ut filum de verâ bullâ extrahatur ex toto, et per aliud filum immissum falsis litteris inseratur. Tertia, ut filum ab eâ parte, in quâ charta plicatur, incisum, cum verâ bullâ falsis litteris immittatur sub eâdem plicaturâ, cum filo similis canapis restauratum. Quarta cùm à superiori parte bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, et per idem filum litteris falsis inserta reducitur infra plumbum. Quinta cùm litteris bullatis et redditis in eis aliquid per rasuram tenuem immutatur. Sexta cùm scriptura litterarum, quibus fuerat apposita vera bulla cum aquâ vel vino universaliter abolita, seu deleta, eâdem cum chartâ, calce et aliis juxta consuetum artificium dealbata de novo rescribitur. Septima cùm chartæ cui fuerat apposita vera bulla, totaliter abolitæ vel abrasæ alia subtilissima charta ejusdem quantitatis scripta cum tenacissimo glutino conjungitur. In cæteris autem diligens indagator falsitatem poterit intueri, ut in d. c. *Licet*, § *In cæteris*, etc., et dixi, l. 7, c. 7.

Est tibi præterea sciendum quòd cùm ad supra dictos dominos abbreviatores perveniat supplicatio, ad effectum conficiendi minutas litterarum, multas in ea quandoque reperiunt cassaturas, sive ab ipsis partibus ante illius porrectionem, sive etiam post signatam, ab officialibus revisoribus factas; nec propterea videtur falsitatis suspicio inde aliqua exoriri, quia aliquando vel aliquam tantùm syllabam, vel verbum superfluum, aut ineptè appositum, aliquando plures syllabas, vel verba impertinentia delent, et sic denotare etiam solent limaturam rei non substantialis, aliquando denegationem petitorum; aliquando etiam concessionis ampliorè gratiæ; quamvis, ut plurimùm practici curiales in compositione seu confectione supplicationum non audeant petere exorbitantia, sed supplicant juxta consuetum, et leges datariæ, submittendo se voluntati summi Pontificis, per ea quæ tradit Alciat. de Præsumpt. reg. 5, præsumpt. 36, quod quidem procedere docet notaria praxis, non modò de stylo, verùm etiam de jure; et non solùm in gratiis simplicibus, in quibus unus tantùm pro oratore nominatur; verùm etiam in correspectivis, utpote in resignationibus beneficiorum ad favorem cum reservatione pensionis, et similibus; in quibus agitur de amissione juris et de præjudicio oratorum, qui supplicant sub expressâ conditione, non aliàs, aliter, nec alio modo ut scilicet rejecta, restricta, et cassata per officiales conditione insolitâ, nihilominùs gratia sustineatur. Caputaque, decis. 89, part. 3. Quod quidem servant ipsi officiales præsertim, ut rescripta emanent secundùm jus, et nemini præjudicium inferant: quapropter ad datarii munus obeundum semper assumitur insignis Romanæ Curiæ prælatus, qui in magnis et arduis negotiis versatus, eximiâ probitate, fidelitate ac maturitate consilii, ac præcipuè canonum et legum peritissimus existat; ex eo quòd omnia rescripta apostolica continent suas clausulas restrictivas et limitativas, quæ eliciuntur ex visceribus utriusque juris; quinimò videmus quòd rescripta quantùmvis gratiosa, semper reducuntur ad dispositionem juris communis, in quantùm fieri potest, juxta text. in l. *Si quando*, c. de Inoff. testam.; Bald. in l. *Bonorum*, c. *Qui admit. cap. causam*, quæ de rescript. Unde ipse datarius sic ad hoc onus assumptus, videtur potiùs divinitùs, quàm humanitùs vocatus, ad text. in capitul. *Cùm deputati*, de Jud. ibi: *Qui undecumque venerint, gratiâ divinâ vocati, dummodò laudabiliter exsequantur officium sui ordinis.*

Similiter illius revisores supplicationum assumuntur qui saltem longo usu et exercitatione, in Romanæ Curiæ, præsertim ipsius datariæ negotiis maximè versati existant; et hi duo sunt, primus, scilicet et secundus nuncupati, qui omnibus supplicationibus, etiam manu Papæ signatis, ipsas clausulas restrictivas, ac decreta materiæ convenientia addunt, et ex eis, si opus est, detrahunt, notissimum est practicis dictæ Curiæ, ut supra dictum est.

Quæ quidem omnia aptantur seu cassantur, antequàm supplicatio fuerit registrata; undè optimâ ratione, stylo datariæ statutum est, quòd cùm possit in supplicatione talis adesse restrictiva seu cassatura, quæ secundùm desiderium impetrantis, posset destruere totam gratiam, propterea postquàm quævis supplicatio componibilis pervenit ad officium componendarum, in eo datur partibus facultas, inspiciendi suas supplicationes, et tempus deliberandi ac cogitandi an eo modo restrictivæ et cassaturæ sibi placeant, necne; et si quid addendum vel minuendum erit ad instantiam partis seu sollicitatoris, quod tamen gratiæ substantiam non mutet seu alteret, libenter additur vel detrahitur ab ipsis revisoribus. Si verò partes erunt à Romanâ Curiâ absentes, ad obviandum erroribus ac dispendiis, quæ ex malâ negotiorum expeditione pervenire possent, optima cautela erit, antequàm supplicatio registretur, imò ante solutionem illius compositionis, si talis erit materia, desumere illius copiam cum omnibus suis restrictivis, et cassaturis, illamque ad partes transmittere, ut orator videat, an velit uti dictâ gratiâ sic concessâ et restrictâ, ne sic quòd postea in litteris super eâ expediendis reperent quod sibi non placet, imputetur sollicitatori, qui ipsas partes de præmissis omnibus ante confectionem ipsarum litterarum non certioravit. Hoc insuper pro majori cautelâ ego in gravibus arduisque negotiis servare consuevi, nimirùm cùm quandoque neque ipsius supplicationis copia ad partes transmissa sufficeret, ex eo quòd ipsi domini abbreviatores in conficiendis minutis ipsarum litterarum, nonnulla quandoque addunt, quæ non adsunt in supplicatione; cùm ipsi possint in gratiâ concessâ aliquid detrahere et addere secundùm eorum regulas cancellariæ, quæ est organum mentis et vocis Papæ, ut per Mandos., reg. 34, quæst. 45, num. 2, desumpta copia supplicationis jam signatæ cum suis cassaturis et restrictivis, super eâ ab aliquo ex ipsis dominis abbreviatoribus, sive ab illorum peritissimo substituto curavi confici et extendi minutam litterarum exinde expediendarum, illamque ad partes transmitti, ad hoc, ut postquàm partes ipsæ minutam ipsam, de verbo ad

verbum, et per extensum viderint, possint deliberare an dictæ litteræ sic expediendæ sibi sint profuturæ, cùm multa in litteris addantur et restringantur, quæ non fuerunt addita neque restricta priùs in supplicatione, ut dictum est, et interim supplicatio, si componibilis est, ex dicto officio componendarum non relaxatur, nisi solutâ compositione. Sed ibi retinetur sub arctâ custodiâ, usque ad centum annos.

Idem quoque pro cautelâ servari potest, si gratia expedietur per breve, et in præfecturâ brevium super supplici libello, aut quocumque alio modo tunc enim, cùm non signetur supplicatio in formâ solitâ, sed tantùm in ipsâ præfecturâ fiat minuta litterarum in formâ brevis, potest peti copia ipsius minutæ quæ dari consuevit in materiis gravioribus et extraordinariis; quæ quidem copia subscribitur ab ipso præfecto in hunc modum, videlicet: *Sumptum ex minutâ originali brevium fel. record. Urbani Papæ VIII, collationatum concordat Franciscus Cajetanus.*

Locus sigilli † ipsius præfecti.

Ipsaque copia postmodùm transmittitur ad partes ad effectum supra scriptum, et rarò datur duplicatum litterarum in formâ brevis, et in annulo Piscatoris.

Similiter supradicta facultas inspiciendi supplicationes datur partibus, etiam in registro, ut dictum est, et antequàm registrentur; quia postquàm registratæ sunt, non est ampliùs locus replicandi adversùs restrictiva et cassaturas, neque illas ab ipsis officialibus corrigi faciendi, licèt aliquando visum fuerit in ipsâ supplicatione jam registratâ, per ipsum dominum datarium aliquid fuisse correctum, quod etiam in quinterno illius registri eodem tempore corrigit; quod tamen tantummodò fit ex gratiâ peculiari, et quando illud quod corrigit non excedit syllabam, aut unicum verbum, et quòd res non patiatur dilationem, ut quòd erratum, vel aliàs corrigendum est, non possit exspectare tempus ad supplendum per gratiam reformatoriam, de quâ in meâ praxi benefic. abundantiùs dicam.

Quòd si fortè aliquando contingat aliquid per errorem officialium in supplicatione cassari, possunt tunc domini abbreviatores prædicti interpretari cassaturam fuisse factam per errorem, sicut docet stylus cancellariæ.

Eòque magis, si aliquid in litteris fuerit erratum errore prædictæ cancellariæ, quia tunc absque aliquo partis aut sollicitatoris dispendio sive impensâ error ipse corrigitur, putà si per incuriam et inadvertentiam scriptoris litterarum aliquid fuerit in eis expressum aut omissum, quod exprimi vel omitti non debebat; talis enim erronea expressio, sive omissio non debet nocere parti, quia error iste nihil officit veritati; prout in simili dixit text. in l. *Si in nomine*, cod. de Testam., Staphil., de litt. Grat. de lit., Expect. 4, formâ n. 14, ac propterea licèt pro correctione alicujus erroris ex causâ partis seu sollicitatoris provenientis aliquid solvatur; quando tamen est error ipsius cancellariæ, nihil est solvendum, cùm sit error scribentis, qui non debet alicui nocere, ut dixit text. in l. *Errore*, cod. eod. Ac propterea voluit Martianus V, in suâ constitutione quæ incipit, *In Apostolicæ*. Quòd si abbreviatoris culpâ litteræ, quarum fecerit minutas, et pro quibus salaria seu emolumenta recipit, fuerint rescribendæ, illius expensis rescribantur, qui fuerit in culpâ, et quoad scriptores apostolicos repetit; quòd si littera fuerit in cancellariâ rescribenda judicata, infra tres dies, cujus culpâ judicata fuerit, rescribenda, expensis suis propriis, sine quocumque alio salario quantùmcumque modico, etiam gratis oblato teneatur rescribere, aut rescribi facere, sub pœnâ suspensionis ab officio scriptoriæ litterarum, et ingressu cancellariæ; si verò fuerit abbreviator, similiter compellatur litteram scribi facere infra prædictum terminum sub pœnâ suspensionis ab ejus officio, et ejus ingressu cancellariæ per tres menses; quo suspensionis tempore durante, nihil eidem distribuat vicecancellarius, aliasque pœnas in d. constitutione contentas ipse abbreviator incurrat.

Negari tamen non potest quin si per talem errorem, deprehendatur non esse servatum stylum Romanæ Curiæ, in dictis litteris servari consuetum, possint illæ argui de falsitate et impugnari, quia tunc non est eis aliqua fides adhibenda, donec per correctionem ipsarum litterarum de veritate constat, per text. in cap. *Porrecta*, de Confirm. util., et hic est notorius et vulgaris stylus.

Hujusmodi autem cassaturæ licitè possunt in supplicatione intervenire, sive ante, sive post illius signaturam; nec indecorum est supplicationes summo Pontifici signandas deferre etiam cum variis cassaturis, sivè à partibus, sive ab ipsis officialibus factis, cùm ex illis arguat potiùs Papa fidelitatem et vigilantiam suorum officialium, qui non sinunt illas transire, nisi per ignem et aquam; ad coercendam etiam arrogantiam oratorum, qui ut plurimùm prorsùs sibi deneganda petere non erubescunt. Sicque stante pluralitate dictorum officialium, parùm curat idem Pontifex quòd plures restrictivas diversis manibus in supplicatione conscriptas etiam diversis atramentis comperiat; quamvis regulariter atramenti diversitas reddat scripturam suspectam in locis in eâ alteratis, Curt. jun. cons. 52, in fin.; Succin. jun. cons. 41, num. 7, lib. 1; Rot. decis. 137, num. 1, p. 2 divers.; dummodò in supplicatione non appareat aliqua quantùmvis minima rasura, à quâ tota dataria semper abhorruit, cùm inducat suspicionem fraudis et doli, câd. Rot., decis. 541, num. 14, lib. 3, p. 3, divers. Unde tolerantur potiùs multæ cassaturæ in unâ supplicatione quàm rasura, etiam unius litteræ, quod est omnibus curialibus notum.

Sed eò redeuntes unde digressi sumus, diximus quòd regula de non jud. juxt. form. Suppl., de quâ supra aliquid diximus, locum sibi præsertim vendicat in materiâ dispensationis, quæ nullo modo oratori suffragatur, nisi litteris expeditis; præterquàm ut infra, unde dixit Sarnen., super d. reg., q. 1, num. 4, quòd hæc regula, nec non illa quæ disponit quòd commis-

siones non valeant litteris non expeditis, concordant in uno fine, et eamdem mentis intentionem habent; nam licèt verum sit quòd si Papa solo verbo pronuntiavit aliquem episcopum vel abbatem, ille sic pronuntiatus, est episcopus seu abbas, ut per Bald. in l. *Humanum*, cod. de Leg. et Angel. *Cùm salutatus*, c. de Sent. pass., ubi habetur quòd verba imperatoris, *Iste sit doctor*, incontinenter faciunt quòd iste sit doctor : dixit tamen id. Bald. loc. cit., quòd supradicti non debent recipi pro prælatis, nisi gratiam probent per litteras apostolicas.

Est tamen receptum dispositionem dictarum regularum non habere locum ubi non agitur de canonizatione gratiæ, Seraph., decis. 338, n. 4, quia tunc sola supplicatio sufficit absque aliquâ litterarum expeditione, id. Seraph., decis. 775, n. 3, sicut etiam ad effectum simplicis absolutoriæ, Ludovis., decis. 540, et ibi, Addit. n. 8, et in unâ Burgenn. canonicatûs, 19 januarii 1560, coràm Oradino fuit resolutum, regulam, quòd *commissiones non suffragentur litteris non expeditis*, non habere locum in eo, qui commisit causam jactationis et molestationis, qui est reus; et non tenetur expedire litteras pro absolutoriâ, teste Garc., de Benef., part. 5, cap. 2, n. 25, ubi plura in proposito adducit ex num. 19, ad fin., quia dicta regula non adimit supplicationi vim probationis, sed tantùm judici solam facultatem judicandi, quando agitur ad canonizationem tituli, prout fuit dictum in unâ Lonchen. beneficii, 10 junii 1628, coràm patriarchâ Manzanedo, et in unâ Neocastienn. parochialis, 11 martii 1630, coràm Durano, in quâ firmatur expeditionem litterarum non esse necessariam ad effectum audientiæ et disputationis; sed sufficere, quando petitur causam expediri. Addit. ad Buratt., decis. 747, n. 5 et 6.

Idemque dicendum est ad effectum docendi de jure tertii, quia neque requiritur litterarum expeditio, quod pro simplicibus curialibus, legum non professoribus, ita exemplificari potest, videlicet : Vacavit beneficium ecclesiasticum in uno ex mensibus ordinariis vigore alternaturæ; quod ab ipso ordinario fuerat collatum N. Ego verò illud impetravi à Papâ, tanquàm sibi et Sedi Apostolicæ reservatum; ex eo quòd ille, per cujus obitum beneficium vacavit, erat protonotarius, juxta reg. 1, Cancellariæ. Modò verò volo probare hanc reservationem; et sic defunctum fuisse protonotarium; hoc enim casu non teneor docere de litteris expeditis super gratiâ dicti protonotariatûs; sed illam sufficit probare per supplicationem, manu Papæ signatam et registratam, vel (quod idem est) per ejus sumptum; nam ex quo non agitur de canonizandâ gratiâ protonotariatûs, sed de eâ probandâ ad verificationem gratiæ beneficii à dictâ Sede impetrati; nulla prorsùs adest differentia inter supplicationem protonotariatûs et litteras super eo expeditas, ut fuit in Rotâ resolutum in unâ Burgenn. abbatiæ de Salas, sub die 14 maii 1612, et sic non obstat regula de non jud. juxta formam suppl., quia hoc casu protonotariatus allegatur, non ad canonizandam gratiam protonotarii defuncti (in quibus terminis procedit supradicta regula), sed ad probandam reservationem beneficii de dicto cap., in quo sola supplicatio sufficit, Seraph. in unâ Calciatenn. jurisdictionis, decis. 775, n. 5, et in propriis terminis, Mandos. super d. reg., quæst. 10, quærit an reservatio probetur per supplicationem signatam, et affirmativè concludit, et præcipuè in terminis probandi reservationem resultantem ex creatione protonotariatûs ad effectum canonizandi provisionem apostolicam contra provisum ab ordinario.

Cujus quidem rei ratio potissima est, quia cùm gratia sit perfecta ex solâ signaturâ Papæ, et supplicatio registratâ sit titulus non minùs quàm bulla, ut per Cassad., decis. 8 de Rest. spol., n. 8 et 9; Garc., de Benef., p. 4, cap. 2, num. 10, cum pluribus seqq., Gonz., Gloss. 12, n. 45, et probetur per testes, prout probatur reservatio, ut per Rot. in antiq. decis. 5 de Probat., multò magis probatur per supplicationem, manu Papæ signatam et registratam; et sic per scripturam, plus quàm publicam, per ea quæ tradunt id Cassad., n. 3, 4 et 6, et Mandos., n. 2 et 3, ac propterea Ægid., cons. 34, n 24, vers. *Sed ultimò*, inquit, quòd reservatio non insurgit ex litterarum confectione; sed ex supplicationis signatione, subdens ibi, *reservationem probari per signaturam, de quâ constat per registrum supplicationis, etiam litteris non confectis*, et ipsum refert, et sequitur id. Mandos. in supradictâ q. 10, n. 2, qui ibi concludit nihil aliud esse necessarium, nisi ipsam gratiæ concessionem, quæ in solâ supplicatione, seu in solo verbo Papæ verificari potest, et n. 3 ait etiam Rotam in unâ Compostellann. parochialis coràm Romano conclusisse solam supplicationem probare reservationem.

Aliud exemplum erit, quando quis petit à Papâ subrogationem in juribus defuncti; nam si ipse subrogatus habet litteras suæ subrogationis expeditas, sufficit quòd ille de jure defuncti doceat solùm per supplicationem signatam et registratam; nam satis est subrogatum suam gratiam subrogationis habere per litteras expeditas; ad eam tamen verificandam, et probandum circumstantias et narrata in dictis litteris, sufficit docere per solam supplicationem de jure tertii, ut per Cass., decis. 8, n. 13 de Restit. spol., aliaque; etiam quamplura exempla circa hoc adduci possent; et regulariter dicendum est quòd circumscriptâ regulâ cancellariæ, supplicatio sufficit ad probandum quamlibet gratiam, Gabr., cons. 190, n. 12, lib. 1, et cons. 194, n. 2, lib. 2, Sarnenn. super reg. de infir., quæst. 18, col. penult., vers. *Nec obstat*, ubi ait quòd sufficit sola supplicatio supradicta, etiam ad canonizationem, nisi opponatur de regulâ.

CAPUT IV.

Praxis litterarum dispensationis super eâdem bigamiâ.

Expeditâ in totum supplicatione, super eâ conficitur minuta litterarum per aliquem ex D. Abbreviatoribus majoris præsidentiæ, vel aliquo illorum substituto, quæ traditur deinde alicui ex scriptoribus apostolicis, ut ex eâ litteras apostolicas de verbo ad verbum conscribat.

His igitur paucis præmissis, consonum est, ut tenorem litterarum, quæ super prædictâ supplicatione de more expediri consueverunt, subjiciamus, qui talis est, videlicet :

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. Sedis Apostolicæ copiosa benignitas, rigorem juris mansuetudine temperans, nonnulla quandoque dispensativè concedit, quæ sacrorum canonum severitas interdicit. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Philippi Maricondæ laici Neapolitanæ diœcesis petitio continebat, quòd ipse devotionis fervore accensus, plurimùm cupit clericali militiæ adscribi, ac ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri. Verùm quia aliàs cum unâ, illâque de medio sublatâ, cum alterâ, ad præsentes defunctâ, mulieribus virginibus matrimonium per verba legitimè de præsenti successivè contraxit et consummavit, bigamiam contrahendo, desiderium suum adimplere non potest, absque speciali nostrâ et dictæ Sedis dispensatione. Quare pro parte dicti Philippi nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs sibi in præmissis de opportunæ dispensationis gratiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur prædictum Philippum, aliàs apud nos de vitæ ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, gratioso favore prosequi volentes, et à quibus vis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ, latis, si quibus quomodò libet innodatus existit ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenùs cum ipso Philippo, ut defectu bigamiæ hujusmodi non obstante, clericali charactere insigniri, illiusque privilegiis uti, ac ad quatuor minores, nec non meritis et idoneitate sibi aliàs suffragantibus, et dummodò aliud ei non obstet canonicum impedimentum, ad sacros etiam presbyteratûs ordines promoveri, et promotus, in illis etiam in altaris ministerio ministrare ; quæcumque et qualiacumque, cum curâ, et sine curâ, beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et præbenda, dignitates, etiam majores, et principales, personatus, administrationes, vel officia, etiam curata et electiva, in cathedralibus, etiam metropolitanis, vel collegiatis Ecclesiis, seu si parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipse eligatur, præsentetur, vel aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eisdem, recipere, et (dummodò simul plura non sint quàm quæ à concilio Tridentino permittuntur) retinere ; nec non quascumque pensiones annuas, super similium vel dissimilium beneficiorum ecclesiasticorum. fructibus, redditibus et proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis, apostolicâ sibi auctoritate reservandas, percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere, liberè et licitè valeat, dictâ auctoritate dispenses ; non obstantibus bigamiâ hujusmodi, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, quarto kal. junii, pontificatûs nostri anno decimo sexto.

Quarum quidem litterarum apostolicarum verba et clausulas pro junioribus explananda duximus, ut infra, videlicet :

Alexander. — Quocirca notandum est quòd in litteris apostolicis, etiam in formâ brevis, nunquàm fit inscriptio sub nomine proprio summi Pontificis, sicut in supplicatione, in quâ ipse ponit primam litteram sui nominis, videlicet F, cùm ipse vocetur Fabius, Felin. in c. 2, ante n. 18, vers. *Et dicit Abb.*, de Rescrip., adeò ut non in titulando se nomine Papæ, ipsæ litteræ, non facerent fidem ; sicut si scriberetur Papæ sub nomine proprio baptismali, posset ille ratione dicere : Istæ litteræ non diriguntur ad me, ut per Rebuff. in form. mand. apost. in verb. *Leo*, vers. *Nota tamen*.

Et hìc posset novus curialis quærere cur fiat ista nominis mutatio in Papâ, postquàm ille assumptus est ad apostolatûs apicem? Et quamvis multi multa dixerint, placet tamen ratio allata per Gonz., Gloss. 1, num. 44, ubi ait id fieri propter summam majestatem et excellentiam ipsius Papæ, qui statim, postquàm est electus, mutat primum nomen, quia ex subdito efficitur omnis creaturæ superior et Dominus ; unde justum est ut quando præest omnibus, non appelletur ampliùs nomine antiquo, sed novum nomen habeat, sicut de novo omnium Dominus et Dei vicarius effectus est, ut *per Vital. in Proœm. Clementin.* n. 21, verb. *Joannes*.

Sed hinc oritur aliud et majus, imò pulchrius dubium, scilicet cur Papa supplicationes signat proprio nomine baptismali, in litteris autem proponatur nomen pontificatûs? Et pluribus omissis placet inhærere sententiæ Sarnen. in compend. utr. sign. n. 6, ubi duas rationes assignat, quarum prima est, ad denotàndum utrumque nomen, seu utramque personam ; nam in supplicatione nomen proprium generationis ponit, in bullis verò nomen sui pontificatûs, id est, regenerationis, et sic duplicem personam, videlicet privatam et publicam repræsentat. Secunda est, quòd in supplicatione, ideò proprium nomen ponit, quia illud verum, naturale et originale nomen est ; nomen verò Pontificis, inductivum et accidentale, et quia in supplicatione verus scribendi actus attenditur, uti talis, ut verus et non repræsentativus homo scribit ; ideò vero nomine utitur. In bullis verò, quia Papa non scribit, nec manum suam apponit, sed illæ per officiales expediuntur, ideò in illis officii sui nomen, id est, papatûs, ponitur. Quando enim Papa organo vocis suæ loquitur, tanquàm privata persona loqui videtur ; quia per se scribere et loqui sunt actus personalitatem denotantes ; quando autem per litteras seu bullas loquitur, quia non loquitur Papa per organum propriæ vocis, sed officialium, tunc ut privatus homo loqui non dicitur, sed ut Christi vicarius, et sic signando supplicationem, et ita scribendo, denotat actum privati homi-

nis; in bullis verò dignitatis nomen apponitur. Hæc id. Sarnen. loc. cit.

Aliam item rationem affert Gamb., de Auth. leg. à lat., lib. 8, sub tit. de Pot. leg. in judicialibus, num. 208, nempè, hoc inductum esse ne pontificale nomen in vili scedulâ descriptum reperiatur. Videmus enim quòd infinitæ supplicationes, manu Pontificis signatæ, ex justis supervenientibus causis, solent etiam ab ipso datario lacerari, et in terram projici, antequàm tamen illæ fuerint registratæ; cùm usque ad illud tempus possit ille denegare gratias nomine summi Pontificis, et illarum supplicationes lacerare, sicut notissimum est curialibus.

Et cùm in dictis litteris sufficiat præpositio nominis Papæ, nulla illius subscriptio necessaria est, sed ejus loco apponitur plumbum, in quo impressum est illius nomen ex unâ; ex alterâ verò partibus, adsunt effigies, et nomina SS. Petri et Pauli. Et regulariter sufficit quòd cujuscumque nomen præponatur; unde si in epistolâ dicatur, Caius Sempronio salutem plurimam dicit et postea non scribatur proprium nomen mittentis, hæc epistola probat. text. est in l. *Cùm antiquitas*, § *Cùm autem*, c. de Test.

Nonnullæ nihilominùs adsunt litteræ apostolicæ, quæ ab ipso Papâ subscribuntur, ut sunt cardinalatûs, aliorumque graviorum negotiorum, cum hujusmodi subscriptione, videlicet: *Ego Alexander catholicæ Ecclesiæ episcopus*, et se in illis subscribunt etiam omnes cardinales in Romanâ Curiâ præsentes.

Jam verò, quoniam et plumbi et effigiorum SS. Petri et Pauli in ipso impressarum, mentionem fecimus, curiosiùs etiam inquiret aliquis, cur in prædicto plumbo pontificiorum diplomatum, eædem sacræ imagines Apostolorum ita collocatæ sint, ut Paulus dexteram occupet, Petrus verò sinistram; cùm dextera honoris sit, ac majoritatis signum; satis autem constat Petrum Paulo auctoritate præcelluisse.

Respondetur autem pluribus modis: Primò, si id honoris gratiâ factum esse velimus, tribus potissimùm de causis rationabile esse, primò, quoniam plus videtur Ecclesiæ profuisse Paulus, quàm Petrus; plures enim ex gentibus ad Christi fidem adduxit; plures provincias summo cum labore peragravit, plura scripta eaque utilissima nobis reliquit. Secundò quia Paulus doctor gentium præcipuè fuit, Petrus Judæorum: ut igitur significaret Ecclesia, gentiles Judæis tandem antepositos esse ab eo qui dixit: *Major serviet minori*; Paulum anteposuit Petro. Tertiò, quoniam Petrus à Christo vocatus fuit, adhuc mortali, et quodammodò in sinistris constituto; Paulus autem de cœlo vocatus est à Christo immortali, et regnante, ac à dextris Patris sedente, ut ait Pet. Dam. ep. ad Desid. de hâc re, Innoc. III, serm. de Evangelistis, et S. Thom., lect. 1, in epist. ad Gal. Addit etiam id. Pet. Dam. quartam rationem, quia Paulus de tribu Benjamin erat, et in ipso Benjamin demonstratus ac typicè expressus; Benjamin verò, licèt postremus erat inter fratres suos, tamen et à patre filius dexteræ est appellatus, et à Joseph cunctis fratribus antepositus, Gen., cap. 35 et 42.

Porrò quantacumque sit Pauli dignitas et auctoritas ac honor illi ab Ecclesiâ delatus, Petri primatui nihil officit: ea enim dignitas et auctoritas extraordinaria erat, quanta tandem esset; honor verò, quo eumdem colit Ecclesia, non tam à dignitate desumitur, quàm ab utilitate et gratitudine in ipsum. Certè Stephanus et Laurentius diaconi tantùm erant, quorum ille S. Jacobo episcopo et apostolo, iste S. Sixto summo Pontifici ministravit; et tamen Ecclesia magis honorat Stephanum quàm Jacobum; magis etiam Laurentium quàm Sixtum, ut ex eorum Octavis patet; quia clarissima horum diaconorum martyria toti Ecclesiæ prælucerunt. Ita etiam magis honorat Ecclesia S. Hieronymum et S. Thomam Aquinatem simplices presbyteros, SS. quoque Antonium, Benedictum, Franciscum, ne presbyteros quidem, quàm non paucos martyres, episcopos, imò et summos pontifices colat; quoniam illi scriptis libris, isti religiosorum ordinum institutione plurimùm Ecclesiæ profuerunt.

Respondetur secundò, ex Ant. Nebrissenn, in Annot. ad 50 script. loca, non semper dexteram, majoris honoris indicium fuisse: nam olim cùm duo simul incedebant, id observabatur, ut senior et honoratior ad lævam esset; junior autem latus ei dexterum claderet, et nonnihil præcederet in signum obsequii; inde enim dicti sunt *laterones*, et per contractionem *latrones* qui dextrum latus nobiliorum hominum defensionis causâ tegebant; Eusebius verò, l. 1 de Vitâ Constant., scribit se vidisse in Ecclesiâ Constantinum adolescentem obeuntem provinciam eum seniore Augusto, semperque ad dexteram ejus incedentem. Neque dubium esse potest, quin Constantinus adolescens, ac penè privatus, in loco minùs honorato esset quàm senior Augustus.

Respondetur tertiò neque perpetuum esse ut in antiquis imaginibus Paulus dexteram teneat, siquidem in iis quæ Romæ nunc exstant, quemadmodùm in quibusdam, Paulus cernitur ad dexteram, ita in aliis non paucioribus, cernitur ad sinistram; et sicut in diplomatibus pontificiis, Paulus obtinet dexteram, ita in numismatibus obtinet sinistram. Et fortassè non sine consilio id à veteribus observatum est, ut ex duobus Apostolis, modò unum, modò alterum anteponerent; nimirùm, ut eo modo significarent hos Apostolos, vel pares esse inter se, vel certè ignorari, uter alteri præstet. Nam etsi Petrus major est potestate; Paulus tamen major est sapientiâ, ut eleganter monet S. Maximus, serm. ult. SS. Petr. et Paul., ubi Petro clavem potentiæ, Paulo clavem sapientiæ datam esse dicit. Hæc omnia ferè desumpta sunt ex Bellarm., lib. 1 de Rom. Pont. c. 27, per tot., ubi agit de comparatione Petri cum Paulo. Alii etiam scribentes hanc rationem adduxerunt, nempe, ideò Paulus ita in dextris collocatur, quia virginitatem conservabat, quâ Petrus uti conjugatus carebat, ut per Gonz. in reg. 8, Cancell. Glossa 1, num. 38.

Episcopus.— Non modò urbis Romæ, c. *In canonibus*, 17, q. 1, verùm etiam universalis Ecclesiæ, cùm

sit vicarius Dei et successor Petri, Paris., de Resign. benef., lib. 8, q. 7, n. 5, cum seqq., et cùm respectu ordinis non detur ordo in Ecclesiasticâ hierarchiâ, qui sit major ordine episcopali; propterea Papa vocat se episcopum. Lotter., de Re benef., lib. 1, q. 26, num. 31, quia idem nomen episcopi, etiam ipsi Domino nostro Jesu Christo convenit, prout 1 Petr., cap. 2, in fin.; ibi: *Sed conversi estis nunc ad Pastorem et Episcopum animarum vestrarum;* sicut nec propterea dicitur episcopus, quòd habeat Ecclesiam certam, cujus ratione ita vocetur, licèt vulgus arbitretur, eum esse episcopum S. Joannis Laterani, ut per Rebuff. in tit. de Approb. Con. verbo *Episcopus*, sed quia ipsi Papæ omnis cura omnium civitatum, omnium magistratum, omnium episcoporum, omnium hominum, omnium animarum demandata est, Mandos. in dict. Glossâ Cam. tit. *Superscriptio*, eod. verbo *Episcopus*. Et ita intitulatur in suis litteris, etiam ante illius coronationem: nam utitur tunc eâdem bullâ, quâ post coronationem, quamvis nonnulli perperam contrarium dicant; non animadvertentes desuper emanâsse Extravag. Quia nonnulli de sent. excom. quæ est ult. inter commun. illis verbis: *Asserere non verentur, quòd summus Pontifex ante suæ coronationis insignia, se non debet intromittere de provisionibus, reservationibus, dispositionibus et aliis gratiis faciendis; nec se in litteris episcopum simpliciter, sed electum episcopum scribere. Nec etiam uti bullâ, in quâ nomen exprimatur ipsius. Nos talium temeritates compescere cupientes, singulos, qui occasione hujusmodi, aliquas litteras nostras super negotiis quibuscumque confectas, quæ à nobis ante coronationis nostræ insignia emanârunt, ausi fuerint impugnare, excommunicationis sententiâ innodamus.*

Unde non benè nonnulli dicunt, quòd de stylo, Papa non exprimit suum nomen in bullâ, ante dictam coronationem, sed tantùm utitur mediâ bullâ, in quâ insculptæ sunt imagines prædictorum SS. Petri et Pauli, alterâ ipsius parte vacuâ remanente; nam licèt mortuo Papâ statim frangatur plumbum, nihilominùs etiam illicò post novi Pontificis creationem formatur novum plumbum, ab unâ parte habens dictas imagines, ab alterâ verò nomen novi Pontificis, et nihil aliud immutatur, nisi data supplicationis et litterarum; cùm ante ipsam coronationem loco ipsorum verborum, *pontificatûs nostri*, dicatur, *suscepti à nobis apostolatûs officii, anno primo*, teste Garc. de Benef., p. 6, cap. 4, sub num. 3, in fine formulæ brevis de cap. poss. nom. cam.

Servus Servorum Dei.— Ut in c. *Salvator*, 1, q. 3, et in pluribus locis decretorum et decretalium, Papa servus servorum Dei se inscribit, et hic est consuetus modus se inscribendi in litteris apostolicis sub plumbo, quod ita inolevisse, ait Abb. in c. 2, de Cler. ven. 1 not., quia ipse utilitatibus et commoditatibus servorum Dei, se ingerit. Cujus quidem inscriptionis auctor fuit Gregorius primus, qui ita se inscripsit, exemplo Salvatoris, dicentis: *Discite à me, quia mitis sum et humilis corde, et non venit filius hominis ministrari, sed ministrare*, quod etiam fecit ad reprimendam Joannis patriarchæ Constantinopolitani insolentiam, qui superbiâ inflatus, ac imperatorio favore subnixus, concilio Constantinopoli habito, se œcumenicum, id est, universalem appellare episcopum instituerat, cum sibi titulum vendicans, qui ex antiquis conciliorum decretis, soli Romano Pontifici conveniebat: ad affectati etiam principatûs suspicionem atque invidiam apud homines evitandam, præcepti illius dominici memor: *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur*, ut cunctis mansuetudinis exemplum daret, primus se *servum servorum Dei*, appellari instituit anno 595, ut quantò major esset, tantò in omnibus se ampliùs humiliaret: quem morem successores subinde ejus acceptum in hunc usque diem constantissimè tenuerunt, et insigniter usurpârunt, ut eisdem verbis refertur in libro *Lign. vitæ* nuncupato, de Religione sancti Benedicti, p. 2, c. 12, lib. 5, fol. mihi 607. Quod quidem satis deviat ad instituto principum secularium, qui sæpè titulorum multiplicitate se decorari affectant, quod non modò inter principes nostros locum sibi vendicare videmus, verùm etiam aliarum nationum. Scimus namque regem Persarum sic se inscribere: *Rex regum Sapor, particeps syderum, frater Solis et Lunæ;* Regem Moscoviæ dixisse: *Magnus Dominus imperator, atque magnus dux Basilii;* similiter Altum Joannem Ægypti, secundùm linguam regionis Belul Jan, qui vulgariter *Prete Janni* nuncupatur, se inscribendo ita dicit: *David supremus regnorum meorum, à Deo unicè dilectus, altera Columna fidei ortus ex stirpe Juda, filius David, filius Salomonis, filius Columnæ Sionis, secundùm carnem, filius sanctissimorum Petri et Pauli, secundùm gratiam imperator superioris et majoris Æthiopiæ, et amplissimorum regnorum; rex Goæ, Gaffates; Jutigar, Angoræ*, etc. *Dominus partis Nubiæ, quæ in Ægyptum extenditur;* de quibus aliisque titulis videre est apud Capac., l. *Secr.* nuncupato l. 1, fol. mihi 139. Nec tamen hunc inscribendi modum à jure communi deviare cognoscimus, cùm unicuique liceat inscribere titulos dignitatis suæ, juxtà text. in l. *Hâc consultissimâ*, in princ. c. de Testam. Summus autem Pontifex ob suî singularem humilitatem titulo tantùm *servi servorum Dei* contentus est, cùm nihil aliud ambiat, nisi ipsum Dominum nostrum imitari. Quam quidem humilitatem non tantùm quoad se exercet, verùm etiam alios hortatur, præsertim consanguineos, ad illam insectandam, unde in epistolâ, quam Clemens IV, cuidam suo consanguineo scripsit, habentur hæc verba, videlicet: *Multis de nostrâ promotione gaudentibus nos soli sumus, qui certiùs immensitatem oneris experimur; idcircò, quod aliis gaudium, nobis subministrat metum et fletum. Sanè, ut scias qualiter his auditis debeas te gerere, scire te volumus, quòc humilior solito debes esse; neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere, maximè cùm honor hujus seculi momentaneus sit, et sicut ros transeat matutinus. Nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus sine nostro speciali mandato; quia spe suâ frustratus, si secùs venire præsu-*

mere oporteret, ut rediret confusus. Sed nec in sororis tuæ nuptiis quæras propter nos altiorem, nec enim nos haberet propitios, nec in aliquo adjutores; si tamen eam filio (millies) desponsaveris in trecentis libris Turonensibus tibi proponemus subvenire. Et si altiora quæsieris, nec à nobis denarium speres unum; et hoc ipsum secretissimum esse volumus, et tibi et matri solummodò notum esse. Illud etiam scias, quòd nullum, nullamque de sanguine nostro sub nostræ sublimationis obtentu, infiari volumus; sed tàm Sibillam, quàm Cæciliam, illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Sibillam visita, et dic ei, quòd locum non mutet, sed remaneat apud Susam, et omnem maturitatem, et habitùs honestatem observet, et preces apud nos pro aliquo non præsumat assumere; nam et ei, pro quo fierent, essent inutiles; et ipsis qui rogaverint, damnosæ. Et si fortè per aliquos, ex hâc causâ munera offerantur, ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Hujus epistolæ exemplum habes etiam penes Barbos., de pot. Episc., in addit. ejusd, ad tit. Glos., num. 31.

Dilecto filio vicario. — Decreto sacri concilii Tridentini, sess. 22, cap. 5, cavetur expressè quòd dispensationes quâcumque auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam committendæ erunt, committantur ordinariis illorum, qui eas impetraverint: Quod dicendum est etiam de dispensationibus gratiosis, quæ nec suum effectum fortiri possunt, nisi primò à prædictis ordinariis tanquàm delegatis apostolicis summariè et extrajudicialiter cognoscatur an preces veritate nitantur; vel subreptionis aut obreptionis vitio haberent, prout etiam declaravit S. Congregatio Eminentiss. DD. Cardinal. supradicti concilii interpret. sub die 14 januarii 1598, per hæc verba, videlicet: *Dispensationes gratiosas debere præsentari ordinariis, ut ab eis de subreptione et obreptione cognoscatur.* Rota, decis. 406, n. 1, p. 1, recent., et sub nomine ordinarii intelliguntur etiam inferiores episcopis, si habeant jurisdictionem, quasi episcopalem, ut Garc., de Benef., part. 9, capite 2, num. 142. Et licèt in clausulis supradictæ supplicationis additum fuerit: *Et committatur ordinario*, consueverunt nihilominùs hujusmodi dispensationes committi vicario generali episcopi, juxta consuetum stylum cancellariæ apostolicæ: ipse enim vicarius generalis est etiam ordinarius, cap. *Romana*, et ibi Glossa de Appel. Glossa in capite 2, verb. *Officialem*, de Off. vicar., lib. 6; Innoc. in cap. *Tua nobis*, eod. tit. Mandos., regulâ 24, q. 6, n. 6; Sanch., de Matrim., lib. 3, disp. 29, num. 1; Garc., p. 5, cap. 8, num. 21; nam unum et idem tribunal constituunt, d. c. *Romana.*

Et licèt quandoque vicarius vocetur officialis, ista tamen diversitas oritur pro consuetudinibus patriæ, seu regionum; unde si commissio fieret ultra montes, expediretur sub nomine officialis, non autem vicarii; nam ibi vicarii episcopi officiales appellantur, quod idem est; nam in effectu nulla inter eos adest differentia, nisi in nomine; et sicut testatur id. Barb., alleg. 54, num. 53, Romanæ Curiæ stylus observat ut in expeditionibus, seu delegationibus ad Italiam, Ungariam, Dalmatiam, Epyrum, sive Albaniam, Sclavoniam, Cretam et partes Orientales, Siciliam, Sardiniam et Corsiccam, concernentibus, cancellaria semper utatur verbo, *Vicarius;* sed ultra montes Alpinos, ut in Hispaniâ, Galliâ, Germaniâ, Poloniâ, Angliâ, et in Ultramontanis, ut in Africâ, officiales nominentur, ut ex libro *Provinciale*, nuncupato Her. Paul., vers. *In salutatione non ponitur*, fol. mihi 12, et docet inveteratus stylus cancellariæ Apostolicæ.

Et hoc modo satisfit prædicto concilii decreto, circa quod non incongruum hìc subnectere visum est pro nostrâ praxi per illa ipsius concilii verba, nimirùm, *si extra Romanam Curiam committendæ erunt*, etc., quòd præmissa commissio locum sibi vindicet extra Curiam; si etenim contingat oratores dispensatos tempore impetrationis in ipsâ Romanâ curiâ degere, præsertim si ibi domicilium contraxerint, tunc dispensationes ipsæ committuntur vicario urbis aut illius vices gerenti, vel alicui prælato signaturæ Papæ referendario, et quandoque alicui ex S. Rotæ Romanæ auditoribus prout pluries vidi, præsertim, si dispensatio, etiam cum aliquâ absolutione dependeat ab aliquâ causâ vertente coram ipso prælato vel auditore, ut habui in praxi pro quodam oratore qui pro consequendis cujusdam beneficii fructibus, recursum habuit ad judicem secularem; ac postmodùm, causâ in S. Rotæ auditorio introductâ, petiit à præmissis absolvi, nec non cùm ob irregularitatem ex celebratione in excommunicatione contractam, dispensari petiisset, litteræ absolutionis et dispensationis hujusmodi fuerunt commissæ ipsius Rotæ auditori, coràm quo lis pendebat ut oratorem in utroque foro simpliciter, vel ad cautelam, ad effectum, ut litem, et causam in ipso Rotæ auditorio prosequi posset, absolveret, et cum eo dispensaret.

Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani. — Papa episcopos, archiepiscopos, et partriarchas, venerabiles fratres appellat, ut docet text. in c. *Quàm gravi*, de Crim. fals., ibi: *Cùm scire debeas Apostolicam Sedem consuetudinem in suis litteris hanc tenere, ut patriarchas, archiepiscopos et episcopos fratres, cæteros autem reges, principes, vel alios cujuscumque ordinis filios in nostris litteris appellemus*, Rebuff. in Prax., tit. declarat. nov. prov., vers. *Et filios vocat*, id. Hieron. Paul. in d. libro nuncupato *Provinciali*, tit. de Instit., vers. *Item nota.* Ac propterea si supradictos episcopos, archiepiscopos et patriarchas filios appellat, erunt litteræ de falso suspectæ, d. cap. *Quàm gravi*, ibi: *In falsis autem litteris tibi præsentatis in salutatione, dilectus in Christo filius vocabaris, cùm in litteris, quas aliquando tibi transmisimus, te videre potueris à nobis fratrem venerabilem appellatum.*

In spiritualibus. — In quibus consistit administratio, videlicet ut possit excommunicare, suspendere, interdicere, conferre, instituere, confirmare, eligere, præsentare, visitare, corrigere et punire, collatio etiam sacramentorum, tota potestas fori pœnitentialis, dispensatio ac votorum commutatio, et alia juxta facultatem sibi ab episcopo attributam, prout in forma

vicariatûs, quæ habetur, apud Sbroz., de Offic. vicar., id. Barbos., alleg. 54, n. 56.

Generali. — Si autem constitutus esset in spiritualibus tantùm, non videtur dici posse vicarius generalis, qui talis tunc esse dicitur, quando in spiritualibus et temporalibus esset constitutus, cùm scilicet quoad temporalia habeat administrationem in judicio, et extra, habens temporalem jurisdictionem pleno jure, quoad merum et mixtum imperium, ac omnem jurisdictionem ac etiam administrationem in omni specie alienationis, nec non facultatem locandi, ad firmam dandi census, redditus, et pensiones colligendi. Rebuff. in Formâ vicar. episc., n. 21 et seq., et sic talis non esset, nisi haberet utramque jurisdictionem, cap. final. de Suppl. negl. præl.; Garc., de Benefic., part. 5, cap. 8, n. 120.

Quoad hujusmodi tamen delegationes, quæ emanant à Sede Apostolicâ, puto sufficere quòd vicarius sit in spiritualibus tantùm constitutus, ut dici possit etiam generalis; nam licèt ex eo consueverit constitui in spiritualibus et temporalibus, quia Ecclesia solcat habere spiritualia et temporalia, id. Barbos. dict. allegat. 54, n. 57, nihilominùs fieri potest quòd habeat spiritualia tantùm. Quòd si episcopûs jurisdictionem in duos vicarios dividat, alterum constituendo in spiritualibus, alterum verò in temporalibus, tunc dicendum est sufficere quòd sit generalis vicarius in spiritualibus, juxta materiam concernentem rem spiritualem, et ibidem ipse auctor ait quòd in brevibus summi Pontificis, cùm aliqua committuntur episcopis, seu eorum vicariis, vicarii generales in spiritualibus appellantur, dicendo sic: Venerabili fratri episcopo N. sive ejus vicario in spiritualibus generali, id. Garc., loc. cit.

Salutem et Apostolicam benedictionem. — Hoc modo salutat Papa, tam judices executores gratiarum et aliorum rescriptorum, quàm ipsos oratores, quibus rescribit in formâ gratiosâ; quo quidem salutandi more, primus usus fuit Cletus Romanus, summus Pontifex, quem servaverunt postmodùm omnes pontifices successores, ex eo quòd hæc salutatio producit actus charitatis, pietatis, largitatis, fidelitatis, sedulitatis, tranquillitatis et jucunditatis, ut ait id. Rebuff. in form. mandat. apost. in verb. *Salutem*, ubi etiam advertit quòd hæc salutatio debet scribi litteris longis, et tota debet poni in unâ lineâ; ita quòd tria ultima puncta retorta non fiant extra, sed intra lineam lateralem; quòdque aliqua dictio in litteris Papæ non debet dividi, ut in fine unius lineæ sit principium, et in principio alterius sit finis.

Mos tamen iste salutandi cessat quando summus Pontifex rescriberet schismaticis, hæreticis vel excommunicatis aut aliis, qui ab Apostolicæ Sedis obedientiâ se subtraxerunt, Phil. Franc. in procem., lib. 6, n. 3, et multa in dies emanant brevia et litteræ apostolicæ pro hujusmodi personis, quas neque filios appellat, sed tantùm cùm, v. g., scribit Hebræo, dicit, Benjamin, sanioris consilii spiritum, teste etiam Soccul. in tit. de Rescript. præsent., § *Ratione formæ*, n. 3, vers. *Item principium*, Joannes Andreas in procem., d. l. 6, et ibi Felin., n. 20, vers. *Et adde*; Butr. in procem. decret., col. 4, vers. *Quæro an Papa*, n. 32. Cùm verò litteræ diriguntur omnibus Hebræis alicujus loci, dicit: *Universis et singulis utriusque sexûs Hebræis in almâ urbe commorantibus et commorari solitis, viam veritatis agnoscere, et agnitam custodire.* Ad illam enim agnoscendum non desunt salubria remedia; nam propterea novissimè Gregorius Papa XIII suâ Constitutione præcepit patriarchis, archiepiscopis et episcopis, aliisque Ecclesiarum prælatis, etiam cardinalatûs honore præditis, ut in suis quisque civitatibus, terris et locis, in quibus competens aliquis numerus Judæorum, qui Synagogam constituant, commoratur, curent sabbato, vel alio cujuscumque hebdomadæ statuto die ad Judæos ipsos in locum præstitutum, non tamen sacrum, nec ubi sacra confici solent, convocatos, per aliquem magistrum in Theologiâ, aliumve idoneum virum ab eis eligendum, cum mercede congruâ illi ex ipsorum Hebræorum collatione, aut aliàs, prout commodius eis videbitur, Hebraicæ, si fieri poterit, linguæ peritum, sermones vel lectiones haberi, in quibus, illis exponantur Scripturæ veteris Testamenti, Moysis, scilicet et prophetarum, præsertim verò quæ eo sabbato leguntur, seu lectæ in eorum sint synagogis, juxta sanctorum Patrum interpretationes, ad verum catholicæ Ecclesiæ sensum, et aliàs ad præscriptum ejusdem constitutionis editæ sub datum Romæ apud Sanctum Marcum 1584, kal. septemb. anno decimo tertio. Quos quidem Hebræos sancta mater Ecclesia tolerat in memoriam passionis Dominicæ, eisque plerùmque multa concedit, ut Christianâ benignitate allecti, errorem suum recognoscant, et ad verum, quod est Christus, lumen tandem convertantur, ut dixit Sixtus IV, in quâdam suâ constitutione, 48 in ordine; quâ inter cætera, eisdem Hebræis concessit, ut dùm illos ab uno loco ad alium iter agere contigerit, in ipso itinere biretum seu pileum nigrum deferre; eâ tamen conditione, ut si ultra unam dictam in uno loco moram traxerint, postea solitum biretum glauci coloris gestent, quem colorem glaucum pro signo ipsorum Hebræorum, Pius V declaravit illum esse, qui vulgò dicitur, gialdo.

Et Paulus IV, in aliâ suâ constitutione, ait quòd Ecclesia Romana Hebræos tolerat in testimonium veræ fidei Christianorum; ac propterea convenit ut quamdiù in eorum erroribus persistunt, effectu operis recognoscant se servos, Christianos verò liberos per Jesum Christum Dominum nostrum effectos fuisse.

Si tamen in proposito contingat Papam salutare excommunicatum, clarum est, quòd per salutationem præsumitur illum absolvere, ut per Gloss. in cap. *Si quandò*, in verb. *Salutationis*, de Sent. excomm., et ad hoc ait id. Butr. in c. *Ad consultationem*, de Re jud., quòd ipse vidit quasdam litteras Gregorii XIII, quas quidam illius orator detulit regi Franciæ et quibusdam ducibus schismaticis, in quibus aderat solita salutatio, scilicet: *Salutem et apostolicam benedictionem*, Gratian. Discep. for., c. 538, per tot.

CAPUT V.

Praxis narrativa earumdem litterarum.

Sedis apostolicæ copiosa benignitas, etc. — In omnibus ferè litteris gratiæ, non autem illarum supplicationibus, consuevit præponi exordium, sive proœmium, quod semper desumitur ex visceribus litterarum prædictarum, et nihil aliud est, nisi quidam sermo generalis perambulatorius librorum, seu constitutionum, ostendens in generali quæ postea continentur in speciali; interùdm pleraque complectens, ut notat Joannes Andreas in Exord. Clement. in verb. *Quoniam;* quod præcipuè operatur, ut si aliquando contingat de ipsâ gratiâ, sive illius parte hæsitari, submoveri possit dubium ex verbis ejusdem proœmii; unde semper ex eo inter alia colligitur causa finalis eorum quæ continentur in ipsâ gratiâ, seu constitutione; nam sicut corpus ab animâ, ita dispositio à ratione proœmiali regulatur, ut dixit Jas. in l. *Qui quadringenta*, col. 2, ff. ad Trebell. Corn., cons. 311. n. 4, vol. 2, sicque ad ipsum exordium recurritur, juxta text. in l. ult. ff. de Hæred. instit., Bart. in l. *Cum ii* § *Eam transactionem*, ff. de Transact. Docet insuper Gaius in l. 1, ff. de Orig. jur., quòd nefas videtur esse nullâ præfatione factâ, rem exponere; nam præfationes libentiùs ad lectionem propositæ materiæ perducunt, Gonz., super proœm., reg. 8; cancell. n. 3, ac propterea apud rhetores vocatur prima pars orationis, quâ auditoris attentio, benevolentia et docilitas captantur; unde princeps in gratiarum concessionibus, se oratoribus benevolum reddit, juxta illud Cicer. 2 de Orat.: *Jubent exordiri, ita ut eum qui audit, benevolum nobis faciamus;* insuper dùm Papa hìc in proœmio dicit *rigorem juris mansuetudine temperans*, ostendit quòd ipse rigor aliquando temperatur, ut sæpè fit, et docet text. in c. fin., et ibi Gloss. in verb. *Rigor*, de Sent. excom.

Exhibita nobis, etc. — Ex quo habes quòd Papa semper loquitur in plurali, ut videre est per totum ferè corpus juris canonici: licèt si contingat ipsum propriâ manu in suis bullis se subscribere, loquatur in singulari, videlicet: *Ego Maphæus catholicæ ecclesiæ episcopus*, ut supra diximus; vel: *Ego Maphæus S. R. E. episcopus consensi et subscripsi;* cujus rationem diversitatis docet Mandos. in Gloss. cam. vers. *Nos qui*, fol. 90, ubi distinguit quòd aut loquimur in subscriptione et Papa loquitur in singulari, nempe: Ego Maphæus; vel sumus in narrativâ aut dispositivâ et subdistinguit, quòd si loquimur juxta tempora antiqua, tunc dicamus quòd tam singulari quàm plurali numero utebatur; si verò loquimur de modernis temporibus, dicemus Papam semper loqui in plurali; quòd si aliter ejus litteræ expeditæ reperirentur, essent de falso suspectæ; sicut etiam quando ipse Papa uni tantùm scribit, nunquàm ei loquitur in plurali, quod præcipuè docet text. in d. c. *Quàm gravi*, de Crim. fals. his verbis: *Et cùm uni tantùm personæ nostræ litteræ diriguntur, nunquàm ei loquimur in plurali, ut vos, sive vester, et his similia in ipsis litteris apponamus.* Sic etiam, si partim in plurali, partim in singulari, ut si diceretur: *Vobis Titio*, etc.; nam tunc pari modo ipsæ litteræ erunt de falso suspectæ, id. Mandos., loc. cit. in fin.

Dilecti filii Philippi, etc., Papa omnes Christianos dilectos filios appellat; non autem infideles, hæreticos, vel excommunicatos, sicut supradictum est; nam sicut omnes sumus filii Dei per fidem charitate firmatam sic filii omnes sumus ejus vicarii, scilicet Papæ, curâ et honore, ex eo quòd ipse curam omnium Christianorum habet; et omnes vocat filios, sive laici illi sint, sive clerici, Hostiens. in cap. *Ad deliberandum*, vers. *Cæteri autem*, de Judæis, et non modò hodiè, verùm etiam antiquitùs tales appellabat, ut patet per diversa loca decreta. Mulieres verò dilectas in Christo filias appellat; cujus appellatio ex monialibus exordium duxit, quas ita semper appellabat, ut in cap. *Dilecta in Christo filia abbatissa de Bubrigen*, et in c. *Dilecta in Christo filia abbatissa Jotren.*, de Excess. prælat., quem postea scribendi modum ad omnes mulieres extendit.

Matrimonium, etc., successivè etc. — Hæc irregularitas, quando nimirùm quis plures duxit uxores, duobus modis contrahi potest: uno modo, si ipsæ omnes vivant, quarum unam de jure, aliam de facto, duxit, ut supra diximus, et sic simul; et contra istos qui polygami vocantur, proceditur per tribunal Sancti Officii, tanquàm suspectos de fide; cùm malè sentiant de sacramento matrimonii; et ultra polygamiam, efficiuntur infames, ut per Majol., de Irregul., l. 1, cap. 33, n. 14, vers. *Posset autem.*

Altero verò modo, videlicet si mortuâ priore conjuge, duxit secundam; quo casu ad effectum suscipiendi ordines, et obtinendi beneficia ecclesiastica, opus est dispensatione; quamvis alioqui non prohibeatur quis plures successivè ducere uxores, ut habetur in c. *Adaperiant*, 31, q. 1, ibi: *Non damno bigamos, imò nec trigamos, et, si dici potest, octogamos.*

Et consummavit. — Non enim sufficit matrimonia hujusmodi contraxisse, nisi quis illâ carnali copulâ consummâsset; nam aliàs irregularitas hæc non contraheretur, Vivald. in Candel. aur., hoc tit., num. 21, quidquid dicat Magist. Sent. 4, dist. 27, dùm tenet quòd per solum consensum in duobus matrimoniis contractis per verba de præsenti, constituitur impedimentum bigamiæ; quod profectò nunquàm fuit, saltem in praxi, receptum. Sicut etiam neque constituitur per matrimonium ratum, nondùm tamen consummatum, cùm ex solâ animorum conjunctione nulla contrahatur irregularitas, id. Majol., de Irreg., lib. 1, c. 33, n. 10; ubi etiam subdit quòd si quis matrimonium contraxit cum arctâ, à quâ postea solutus est, et aliam ducit, non efficitur irregularis, quia nulla inde apparet carnis divisio.

Absque Sedis Apostolicæ dispensatione. — Nullus quippe, præter Papam, potest super hâc irregularitate dispensare, quæ secundùm omnem suî speciem jure canonico inducta est; unde dispensat ad omnes ordines

beneficia et dignitates, etiam pontificales; sic enim legimus dispensatum exstitisse per Lucium Papam, cum archiepiscopo Panormitano, qui erat bigamus, ut per Sayr., de Cens., lib. 6, num. 1, qui subdit ibi, quòd, *quamvis Papa non possit facere de bigamo non bigamum, quia tamen bigamum non promoveri, est de statuto, et ordinatione Ecclesiæ; ideò potest cum eo dispensare, sicut potest homicidam ordinare, quamvis non possit facere quòd non fuerit homicida; quia adhuc talem existentem non promoveri, est sola Ecclesiæ ordinatio, et decretum.*

Quare pro parte dicti Philippi nobis fuit humiliter supplicatum. — Hoc modo loquendi semper utitur Papa in suis rescriptis, sive orator sit in Curiâ Romanâ præsens, sive ab eâ absens : quod præcipuè considerandum est in dispensationibus, quæ ad partis petitionem regulariter conceduntur; non autem motu proprio, per text. in c. *Innotuit*, in fin., de Elect., c. fin. de Schismat., quìa, ut docet text. in lib. 4, § *Hoc autem*, ff. de Damn. infect., non debet aliquid solvi seu relaxari, nisi parte petente, instante et supplicante; quamvis negari non possit quin multotiès videantur etiam motu proprio concedi hujusmodi dispensationes, prout testatur Mandosa in praxi, titulo *Dispensationes*, verb. *Dispensatio ad partis petitionem conceditur*. Unde orta est illa quæstio an dispensationem petens censeatur fateri impedimentum super quo petit dispensari. Et super hoc etiam, secundùm praxim, dicendum est quòd licèt non appareat dispensationem fuisse impetratam ab ipsomet oratore, præsumendum est tamen quòd saltem fuerit de ejus mandato impetrata, propter impensam quæ in illius expeditione requiritur, Bar. et Alex. in l. *Cùm servus*, ff. de verb. Oblig., etiamsi nullo modo appareat de illius mandato, cujus interest, cùm non sit verisimile quòd solvens voluerit prodigere suas pecunias per text. in l. *Cæm indebito*, ff. de Probat., cap. *Super hoc*, de Renunt.; non enim est actus (præcipuè in casu præsentis dispensationis in quâ requiritur magna impensa) ad quem quis verisimiliter sine mandato accederet, saltem per litteras privatas. Unde, ut omnibus curialibus notum est, quæcumque dispensationes possunt pro aliis impetrari absque speciali mandato, teste Gonz. ad reg. 8, cancell. Gloss. 63, num. 16, et de stylo Curiæ, eo ipso quòd quis pro alio impetrat aliquod rescriptum gratiæ aut justitiæ, ac in tali impetratione pecunias expendit, ac laborem ponit, resultat mandatum præsumptum, quia creditur ordinem et mandatum illius, cujus interest, habere; nam aliàs non tereret tempus, pecuniam et laborem, Cassad. decis. 3, num. 4, de Procur.; Ludovis. decis. 331, num. 8, eò que magis, quando orator ipsam dispensationem producit : quia videtur fateri omnia in eâ contenta esse vera, id. Bart. in l. *Post legatum*, ff. de His quib. ut indig., Bald. in l. *Scripturæ*, c. de Fid. instrum.; Alex., cons. 30, n. 1, l. 7; Mohed., decis. 1, de Regular.; id. Ludovis. decis. 385.

Verùm hìc te monitum volo quòd Rota Romana non ita simpliciter tenet quòd supplicatio præsumatur porrecta ab eo in cujus favorem cantat, nisi quando ulteriùs concurrit notabilis impensa, ut dictum est; vel materia est difficilis impetrationis, Seraph., decis. 560, et abundantiùs fuit dictum in unâ Parmen. beneficii, 11 decembris 1604, coràm sacrato, ubi dicitur quòd aliàs daretur magna occasio fraudibus; quòdque hoc procedit, etiamsi ille qui in oratorem in supplicatione nominatus est, esset in Romanâ Curiâ præsens, ac etiamsi supplicatio esset registrata; id. Ludovis., decis. 331, n. 19.

Apud nos de vitæ ac morum honestate, — etc. Licèt summus Pontifex per hæc videatur moveri ad dispensandum, attamen verba ista non egent verificatione coram delegato, quia non scribuntur conditionaliter, ut docet Innoc. in c. fin., in princ., de Præsumpt.; sed apponuntur de consuetudine, ac propterea non probant ita esse, ut per Rebuff. in formâ mand. apost. fol. mihi 556, ubi etiam ait quòd verba, quæ in exordiis gratiarum apponuntur, dicuntur causa impulsiva, non autem finalis, per Gloss. in l. 2, ff. de Donat. quâ cessante, non propterea cessabit gratia vel mandatum, l. 1, § *Sexum*, ff. de Postul., c. *Cum cessante*, de Appell., et quod propterea, si probaretur contrarium, nempè oratorem non esse honestæ vitæ, non minùs esset ei gratia concedenda; tum quia hæc solent de consuetudine apponi, ut dictum est; tum quia verba narrativa non probant, sed de stylo scribuntur, et ad ornamentum potiùs, quàm ad veritatem, juxta communem opinionem, prout etiam de stylo receptum esse videmus.

Specialibus favoribus. — Clausula hæc licèt quandoque locum sibi vendicet in gratiis beneficialibus; potissimùm tamen procedit, quando Papa dispensat cum uno, ut plura beneficia obtinere possit, et sic regulariter in dispensationibus; quia tunc ipse Pontifex gratiam et favorem impartitur illi, cum quo dispensat; de quâ quidem clausulâ videndus est idem Rebuff. in Praxi, tit. *Bulla dispen. super defect. ætat., n. 5, fol. mihi* 290.

Eumdemque Philippum, a quibusvis, etc. — De hâc clausulâ dicam in meâ praxi benef., et de ejus effectu vide Vivian. in Praxi jurispatr., l. 13, c. 8, num. 124, cum pluribus seqq.; quomodò autem prædicta clausula in litteris extendatur, vide supra.

Per apostolica scripta mandamus. — Per hæc verba habetur tantùm mandatum de dispensando, non autem dispensatio jam facta, ut aliàs dixi; ex hoc etiam habes, quòd ad perfectionem gratiæ, requiruntur litteræ super supplicatione expediendæ; et nunquàm sufficit sola supplicatio, nisi summus Pontifex dicat illam sufficere. Alius item stylus retroactis temporibus usque ad tempus felice recordatione Gregorii XIII servabatur; nimirùm, ut pro nonnulis materiis, tàm justitiæ, quàm gratiæ minoris momenti, neque litteræ ex integro conficerentur; sed supplicatio in totum expedita introclaudebatur litteris, in formâ brevis clausi, et ad partes transmittebatur, et in fine clausularum ejusdem supplicationis, addebantur hæc verba· *Et per breve S. V. hâc suvvlicatione introclusâ.* Mox

breve expediebatur sub hujusmodi tenore, videlicet : *Venerabilis frater, salutem, etc. Mittimus fraternitati tuæ supplicationem, præsentibus introclusam, manu dilecti filii nostri Alexandri cardinalis Sfortiæ in præsentiâ nostrâ signatam. Volumus, et tibi committimus, et mandamus, ut ad illius executionem procedas; juxta ejus continentiam et signaturam. Dat. Romæ*, etc. Iste tamen rescribendi modus jam ab aulâ recessit cùm præsertim extra Curiam, vel dentur litteræ apostolicæ vel supplicationes cum dictâ clausulâ, quòd *sola supplicationis signatura sufficiat; et ubique fidem faciat.*

Et dummodo aliud ei non obstet canonicum impedimentum. — Clausulam istam reperio desumptam ex c. 1, de Fil. presb. in 6, ubi Bonifacius VIII, concedendo episcopis facultatem, ut cum illegitimè natis valeant dispensare quoad minores ordines, et unum simplex beneficium, hæc verba addidit, scil.; *Si ei aliud canonicum obsistat*, etc., et in c. un. de Ætat. et Qual., cod. lib. Unde in quibuscumque dispensationibus, quæ super quovis impedimento petuntur, præsertim ad ordines et beneficia, passim doctores officiales datariæ in calce supplicationis supra dictam clausulam adjiciunt, quæ est secundùm jus : quia ultrà ea super quibus dispensatur seu disponitur, omnia alia habilia et disposita, et quod impedire non possint, supponuntur ad l. *Ut gradatim*, verb. *Et si lege* de Mun. et Hon., ubi dicitur, quòd statutum disponens, aliquos in honore præferri, illos habiles et idoneos ut præferri possint supponit, l. *Qui testam.*, ff. de Test., l. 1, § *Lex falcidia.*, ff. *Ad leg. falcid.*, l. *Furiosum*, ibi, *Si omnia alia accesserint*, etc. C. *Qui testam. fac. poss.*, sic igitur in casu nostro, dispensatio super uno impedimento seu defectu, supponit nullum aliud impedimentum adesse, d. c. un. de Ætat. et Qualit., in 6, ibi, *aliud non obstet canonicum*, et ibi, Gloss. in verb. *Canonicum;* exemplificat, *quia non sunt illegitimi, non corpore vitiati, non bigami, non vitiosi*, etc., et ibi ait Franc., num. 2, quòd habens liberam potestatem dispensandi super certâ ætate et super uno defectu, non potest concurrente alio defectu dispensare, quia cùm in dispensationibus fiat stricta interpretatio, super uno defectu illâ concessâ, non extenditur ad aliud.

Ad omnes etiam sacros, etc. — Aliàs autem intelligeretur de solis ordinibus minoribus, quia, cùm simus in materiâ dispensationis, quæ de suî naturâ strictè interpretanda est, sufficiet, si suum effectum sortiretur in minoribus ordinibus, nisi essemus in casu, in quo jam ordinarius ad minores ordines dispensavit, puta cum illegitimo, ut suo loco dicemus; quia, si tunc erit orator in minoribus ordinibus constitutus, ne dispensatio evanescat, et ut aliquid operetur; intelligeretur etiam de sacris ordinibus, licèt id non exprimeretur in litteris dispensationis, juxta text. in c. *Si à Papâ*, de Privil. in 6. Et sic regulariter hujusmodi dispensationes super bigamiâ dantur, nedùm quoad ordines, ut supra visum est, verùm etiam quoad beneficia ecclesiastica; licèt quandoque dentur quoad ordines tantùm; et aliàs vidi similem dispensationem concessam bigamo, more græco uni versi, litteris super eâ ordinario loci directis, sub hâc formâ, videlicet :

Urbanus Papa VIII, venerabilis frater, etc., *salutem*, etc. *Exponi nobis fecit dilectus filius N. clericus Cassanensis diœcesis, pauper, ritu græco vivens, quòd ipse fervore devotionis accensus ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis Altissimo, quoad vixit, famulari summoperè desiderat. Verùm quia aliàs cum unâ virgine jam defunctâ, deinde cum aliâ viduâ jam superstite mulieribus successivè matrimonium contraxit, ex quo bigamus effectus est; desiderii sui voti compos in hâc parte fieri nequit absquevestrâ, et Sedis Apostolicæ dispensatione : nobis propterea humiliter supplicari fecit. Quare*, etc., *fraternitati suæ*, etc., *committimus, ut constito tibi legitimè de dictâ exponentis paupertate ac consideratis*, etc., *super bigamiâ hujusmodi*, etc., *ita ut illâ non obstante ad omnes, etiam sacros*, etc., *dummodò idoneus reperiatur; nec aliud canonicum obstet impedimentum*, etc., *promoveri, et promotus*, etc., *ministrare*, etc., *dispenses. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, die* 20 *augusti* 1638, *pontificatûs nostri decimo quarto.*

Necnon quæcumque et qualiacumque, etc. — Non enim sufficit dispensationem peti ad ordines tantùm, sed debet etiam impetrari ad beneficia; quia satis constat beneficium dari propter officium clericale, c. fin. de Rescript. in 6, ac propterea quicumque fuerint ad ordines inhabiles, erunt etiam ad beneficia, id Sayr., d. lib. 6, c. 11, num. 22. Et sic nunquàm dispensationes hujusmodi peti et concedi consueverunt quoad ordines tantùm. Liberum tamen est parti petenti vel unico contextu litteras ad utrumque, scilicèt ad ordines et beneficia, expedire; vel divisim, ad ordines tantùm, ac postmodùm occurrente assecutione beneficii, illius provisionem cum dispensatione ad beneficia in eâdem supplicatione contentâ à Sede Apostolicâ impetrare; ubi tamen materia hanc de stylo capiat divisionem. Et ex vi præsentis dispensationis ad ordines, non erit dispensatus orator ad beneficia, etiam extra casum bigamiæ, neque ad unum tantùm, etiam simplex, ut supra probavimus, quia unum sine alio consistere potest, ut videlicet dispensatio sortiatur effectum in ordinibus, Abb. in c. *Litteras*, num. 6, de Fil. presb. Felin. in c. *At si clerici*, § de *Adult.*, n. 17, de Jud. Paris. cons. 88, n. 21, vol. 4.

Et notandum est quòd licèt supra dicta verba, quæcumque et qualiacumque comprehendant beneficia tàm majora quàm minora; tàm curata quàm simplicia, nec non dignitates et præbendas; Garc. de Benef., p. 1, c. 6, num. 37; id tamen intelligi debet in facultate alicui datâ ad dispensandum; quia tunc ipsa dispensatio favorabilis reputatur, et cùm beneficium sit genus, omnes species propriè comprehendit; id Garc., num. 38.

Atverò, cùm hìc simus in dispensatione particulari, appellatione beneficii non veniunt omnia beneficia, Felin. in c. *Postulâsti*, num. 8, de Simon. ac propterea exprimi debent, ut infra, omnes qualitates benefi-

ciorum, ad quæ orator cupit, ac petit dispensari.

Cum cura. Hic est consuetus stylus qui servatur in dispensationibus ad ordines et beneficia, ut in exprimendis illorum qualitatibus, incipiatur à beneficiis curam habentibus, cùm beneficia curata cæteris digniora et nobiliora sint, ut ait Vital. in Clem. 1 de Præb. relatus per Gonz., Glossâ 6, num. 9, ubi ait quòd cura tantò est pretiosior, quantò periculosior. Est præterea ista expressio necessaria, quia in dispensatione nunquàm venit beneficium curatum, nisi de eo fiat specialis mentio; Majol. de Irreg., lib. 1, c. 9, n. 2, ex c. *Pro illorum*, ibi, *quòd nisi fiat expressa mentio de curâ, non venit beneficium curatum*, de Præb. Unde secundùm hanc praxim testatur id. Gonz. ad Gloss. 6, n. 14 et 15, quòd dispensatus ad beneficia quæcumque non intelligitur dispensatus ad beneficium curatum, nisi expressè in supplicatione fiat mentio de curato; ita ut non sufficiat illius expressio per æquipollens, veluti si diceretur, Ecclesia baptismalis, vel habens cœmeterium, seu jus sepeliendi : hæc enim possunt etiam esse in Ecclesiâ non parochiali, ut per Federici. de Sent., cons. 175.

Quod quidem non modò procedit in materiâ odiosâ, ut hìc, in quâ strictè proceditur, Alleg. jur., verùm etiam in materiâ favorabili, nempè si Papa det alicui facultatem conferendi beneficia in genere, quia neque tunc venit beneficium curatum, si de hoc non fiat specialis mentio; Calder. in c. *Nostra*, q. 4, de Rescript., ubi dicit, quòd nulla tam expressio requiritur. quàm de curâ, id. Rebuff. in praxi, tit. de Dispens. rat. ætat., vers. *Etiamsi cura*, ubi, quòd si quis esset dispensatus, ut quæcumque duo beneficia recipere possit et retinere, non intelligitur de curatis; quia sub verbis, quantùmvis generalibus, non comprehenduntur; etiamsi cura esset expressa per æquipollens, ut supra dictum est, etiamsi dispensatio fuerit motu proprio concessa; quia licèt ille excludat subreptionem, cap. *Si motu proprio*, de Rescript., in 6, non propterea in illius concessione comprehenditur curatum, id. Gonz. d. Gloss. 6, num. 10, eòque magis, quando dispensatio conceditur ad petitionem partis, ut hìc.

Imò semper tenuit cancellaria Apostolica, id procedere etiam in beneficiis curatis habitu tantùm, et non actu; quia si parochiani forsan ob aliquam causam recesserunt, potest tamen contingere eos ad eorum Ecclesiam reverti, Felin., in c. *Postulâsti*, num. 1, de Rescript., et Card., cons. 48. Quamvis aliter dicendum sit in impetratione horum beneficiorum, ut suo loco dicemus.

Nam licèt propter supra dicta verba, *quæcumque*, appareat quòd dispensatio sit exuberans, ac propterea censeantur venire beneficia curata; Crescent. decis. 1, num. 1, de Privil., inspiciendum est nihilominùs, quòd in hujusmodi concessione potest adesse defectus intentionis concedentis, ac propterea non extenditur, nisi ad ea tantùm quæ exprimuntur. Dec. in c. *Postulàsti*, num. 13, de Rescript.; id. Garc., d. c. 6, num. 50; Nald. in Sum. verbo litteræ, num. 3, ac propterea in his et similibus dispensationibus impetrandis, sunt omnia exprimenda; cùm ita etiam servetur de stylo Curiæ, à quo non est recedendum, cap. *Quàm gravi*, de crim. fal.

Et sine cura,— id est, beneficia simplicia, quæ talia sunt, etiamsi personalem residentiam requirant, dummodò dentur in titulum, Abb. in c. *Recolentes*, vers. *Altaria*, de stat. monach. et in c. fin. de Cens.; et hæc non habent clerum vel populum aut administrationem, c. 2, de Renunt.

Beneficia.—Ut paulatim descendamus ad singulorum declarationem, quæ in prædictâ supplicatione continentur, dicamus quòd beneficium in genere sumptum, nil aliud est, nisi benevola actio, gaudium tribuens capientibus, de quo per Bald., cons. 112, lib. 2, Gonz. ad reg. 8 Cancell. Glossâ 6, num. 3; id. Garc. d. p 1, cap. 1, num. 1, in præsenti tamen materiâ intelligendum est, de beneficio ecclesiastico, ut in c. *Ex parte*, de concess. præb. et ita definitur, nempè quod sit *benevola actio proveniens ex proventibus ecclesiasticis, et Deo dicatis per habentem potestatem et auctoritatem, gaudium tribuens capientibus*, ut per d. Gonz. num. 4, et d. Garc. num. 5, qui dicit, quòd in materiâ ecclesiasticâ, appellatione beneficii, intelligitur beneficium ecclesiasticum. Veriorem tamen definitionem beneficii, quæ omnibus suis partibus constat, puto illam quam tradit Tolet. in suâ Summâ, l. 5, c. 76, nempè quòd *beneficium est jus percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, clerico propter divinum officium competens*, quàm definitionem explicat, idem Garc. d. cap. 1, num. 3, cum seqq., eamque amplectuntur communiter recentiores, et abundè dicam in pract. benef.

Ecclesiastica.—Ad differentiam beneficiorum temporalium quæ sunt feuda, comitatus, ducatus et similia, de quibus omnibus loquitur text. in c. *Felicis*, § *Si quæ verò*, de Pœn. in 6; idem Rebuff. in Rubr. de Collat. § *Præfatique Ordinarii*, verbo *Ecclesiasticorum*.

Ad hoc tamen, ut beneficium dicatur ecclesiasticum, sex necessariò requisita concurrere debent. Primùm, quòd sit erectum et fundatum auctoritate episcopi, Sarnen. in reg. de Ann., q. 20, Rebuff. in suâ Praxi, in tit. *Quare sint instituta beneficia*, num. 10, Gonz., Glossâ, 5, num. 7, ubi subdit rationem, nempè, quòd nullus privatus sine episcopi auctoritate potest locum sacrum vel spiritualem constituere, per text. in c. *Ad hæc* de Relig. dom. Secundùm, quòd habeat aliquid spiritualitatis annexum, undè propter divinum officium, datur ecclesiasticum beneficium; id Gonz. d. Gloss. 5, num. 8. Tertium, quòd conferatur clerico, non autem laico, c. *Cùm adeò*, de Rescript.; Clem. *Quia contingit*, § *Nunc autèm*, de Relig. dom. et sic, cùm mandatur provideri clerico, intelligitur de beneficio vel officio ecclesiastico, c. Quàm sæpè, de Præb. in 6, Gonz. d. Gloss. 3, num. 9, cùm laicus sit incapax spiritualium. Mandos. in Praxi, signat. grat. tit. provis. vers. *Indubitati juris est*. Quartum, quòd conferri non possit nisi ab ecclesiasticâ personâ; cùm laicus sit penitùs incapax juris conferendi beneficia ecclesiastica, etiamsi in limine fundationis fuerit apposita conditio, ut illud conferri possit à laico, quamvis ad id interve-

niat consensus episcopi, Rota, decis. 318, p. 2, Divers. Nisi tamen laicus id habeat ex privilegio Papæ, text. in c. *Dilectus*, de Præb., c., ult. de Concest. præb. Bald. in lib. *Rescripta*, c. de Prec. Imp. offer. Imò ex privilegio sufficit collatio, absque aliâ ordinarii institutione, idem Garc., p. 1, c. 2, num. 33, cum seqq. Quintum, quòd sit perpetuum, cap. *Veniens*, de Fil. presb. Sextum, quòd sine aliquâ conditione conferatur; Barb. in Clem. *Causam*, § *Si forsan*, sub num. 30; alioquin committeretur simonia, c. *Sanctorum*, 1, q. 1, Gonz. d. Glossâ 5, num. 15, et latè dicam in d. meâ Praxi benef.

Etiamsi canonicatus et præbendæ. — Neque sub tali dispensatione venirent canonicatus et præbendæ nisi in supplicatione id exprimeretur; loquendo tamen de canonicatibus in cathedralibus aut collegiatis ecclesiis; non autem de quibusdam simplicibus beneficiis ecclesiasticis, nullam personalem residentiam requirentibus, quæ tamen canonicatus nuncupatur; qui forsan longo cursu temporis, ex aliquâ causâ amiserunt ipsam residentiam, sicut in frequenti curiæ praxi habemus; cùm in his et similibus impetrationibus dici consueverit: *Cùm perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, canonicatus nuncupatum*, etc.

Quamvis autem hìc addatur, et præbendæ; videtur tamen id exprimi ad cautelam; licèt enim adsit differentia inter canonicatus et præbendam, eò quòd canonicatus nil aliud est, nisi jus habendi stallum et locum in choro ac vocem in capitulo, proveniens ex receptione in fratrem, c. *In Genesi*, et ibi Glossa in verbo *Vel quasi de elect.*; Card. in Clem. 2, de jud. Præbenda verò est jus percipiendi fructus in Ecclesiâ, competens præbendato, ex officio divino, tanquàm uni de collegio, c. *Relatum*, de Præb.; nihilominùs dispensatus ad canonicatum; censetur etiam dispensatus ad præbendam, quæ venit in consequentiam canonicatûs, d. c. *Relatum;* Mandos. reg. 11, q. 10, num. 10, ubi adepto canonicatu, præbenda debetur de jure, c. *Si postquàm*, de Præb. in 6, quamvis nonnulli teneant, quòd nisi exprimeretur hìc, præbenda non veniret, cùm illa in materiâ strictâ, non includatur appellatione beneficii, per ea quæ dicit text. in c. *Tua nobis*, cum ibi not. de verb. Signif. cùm non modò in collegiatis, verùm etiam in cathedralibus, etiam metropolitanis, possint esse canonicatus sine præbendâ, ut paulò inferiùs dicetur.

Nonnulli etiam sunt canonicatus, qui etsi præbendas habeant, non tamen eas habent in ipsâ cathedrali, vel collegiatâ, sed in aliâ Ecclesiâ; et in illorum impetratione à summo Pontifice, sic exorditur supplicatio: *Cùm canonicatus ad Sanctæ Mariæ ad plateam nuncupatæ præbenda Ecclesiæ Napolitanæ*, etc.

Aliqui reperiuntur etiam canonicatus, nullam prorsùs præbendam habentes, sicque in eorum impetrationibus à Sede Apostolicâ, ita orator incipit supplicare, videlicet: *Cùm canonicatus præbendâ carens, Ecclesiæ N.*, sicut è converso in quibusdam partibus valor canonicatuum consistit totus in fructibus, nullis prorsùs existentibus distributionibus quotidianis. Et signanter in Ecclesiis cathedralibus Corduben. et Salamantin., teste Gonz. super reg. 8, Cancell. § 7, procem. num. 168.

Cur autem quandoque in canonicatibus nullam habentibus præbendam, seu fructus, illi nihilominùs exprimantur ad 24 ducatos auri de Cam. dicam in d. meâ Praxi benef.

CAPUT VI.

Praxis primæ partis dispositivæ earumdem litterarum.

Dignitates. — Nec etiam in præsenti materiâ, tanquàm restringibili et odiosâ, veniunt appellatione beneficii, dignitates, c. *Ad aures*, et ibi DD. rescript. c. fin. de Præb., et c. *Quamvis*, eod. tit., l. 6, Garc., d. p. 1, cap. 6, n. 52. Et idem erit, si, verbi gratiâ, concedatur mandatum ad beneficia curata, et quæcumque alia, quia tunc neque includitur dignitas, licèt illa sit beneficium, Innoc. in c. *Cùm accessissent*, de Const. et in c. *Quia nonnulli*, de Jud.; Card. in Clem. 2, vers. *Quid sit dignitas*, de Præb., quia hæc dictio *quæcumque alia*, includit tantùm similia, Gloss. in c. *Ex litteris*, de Off. deleg., Butr. et Imol. in c. *Sedes*, de Rescript.; Achill. de Grass., decis. 113, num. 5, ac propterea dignitas est necessariò exprimenda, ut illa veniat in dispensatione, Clem. 1, de Sequestr. poss. et fruct., ubi Papa, dùm de beneficio loquebatur, subjunxit, etiam dignitates, Clem. 1, de Caus. possess., et propr. Sarnenn. in reg. de ann., quæst. 29, num. 2, et in c. fin. § *Cùm igitur*, de Præb.; id per hæc verba declaratur: *Cùm igitur mandatum hujusmodi, se ad talia non extendat, nec ad rectoriam, vel dignitatem nostra feratur intentio, cùm pro simplici beneficio, jussio nostra monat*, ubi Gloss. in verb. *Ad talia*, dicit: *Ad dignitates, vel rectoriam.* Ac eâdem ratione, si mandatum erit ad beneficia curata, et quæcumque alia, ut dictum est, profectò non includetur dignitas curata, Clem. *Ne in agro*, § *Cæterùm*, de Stat. Monach.; Rota, decis. 343, n. 2, p. 1, divers., quæ quidem dignitas non excluditur, ex eo quòd non sit beneficium ecclesiasticum; sed quia est qualificatum, id. Sarnenn. in procem. Regul., quæst. 5, num. 4, ubi ad comprobationem ait, quod in legato lanæ, non venit lana tincta, nec in donatione marmoris, venit qualificatum, videlicet figura ex marmore facta, per text. in l. *Si cui lana*, ff. de Leg. 2. et in l. *Quæsitum*, § *Illud*, ff. de Leg. 3. Unde satis distat definitio dignitatis à definitione beneficii, ut ex præmissis patet. Dignitas namque est præeminentia cum jurisdictione, ut in cap. *Quamvis*, de verb. Sign., et cognoscitur, quando quis habet administrationem rerum ecclesiasticarum cum jurisdictione, Abb. in cap. *De multa præb.*, et sub nomine dignitatis post pontificalem, veniunt abbas, præpositus, prior, decanus, archidiaconus, primicerius sive præcentor aut cantor, item succentor, archipresbyter, thesaurarius aut sacrista, custos, scholæ magister sive scholarius, capellanus magnus; ex quibus aliquæ, juxta locorum varietatem, nomen accipiunt; et unum atque idem diversis vocabulis appellatur, quapropter dixit Abb., in cap. *De multa*, de Præb., quod in multis Ecclesiis dignitas

personatus vocatur, et in quibusdam, quilibet beneficiarius, cui cura est animarum commissa, dicitur personatum habere, ubi tandem concludit, illum habere dignitatem, qui vocatur nomine, quod in jure significat dignitatem, etiamsi jurisdictione careat; ut si vocetur archipresbyter, archidiaconus, primicerius, thesaurarius sive sacrista, quodque is etiam dignitatem habet, qui pro more vel consuetudine patriæ vel Ecclesiæ censetur esse dignitate præditus; quamvis omni administratione rerum ecclesiasticarum et jurisdictione in clericos careat. In proposito igitur dicendum est etiam quòd, sicut dispensatus ad beneficia non censetur dispensatus ad dignitates; ita è contra dispensatus ad dignitates, non censetur dispensatus ad beneficia, propter naturam dispensationis, ut per Innoc., in cap. *Dilectus*, de Præb.

Etiam majore. — Non tamen sub hujusmodi verbis venit episcopatus, propter excellentiam, et præeminentiam dignitatis, quæ est culmen dignitatum, ac speciali notâ digna abb. in cap. *Dilectus, de Concess.* præb., num. 1; Garc., d. p. 1, cap. 6, num. 66, qui num. seq. improbat Enriq. in Sum., lib. 13, cap. 57, § 5, dicentem quòd dispensatus ad curatum non eget novâ dispensatione pro episcopatu; et quòd homicida, si per dispensationem legitimam fiat habilis ad omnes ordines sacros, et illorum usum, videtur factus habilis ad beneficium, etiam curatum et pontificale; et quòd dispensatus ad ordines, etiam presbyteratûs, potest consecrari episcopus, et quòd ita dixerunt Salmaticenses theologi, et jurisperiti, et datarius Papæ consulti; quæ omnia pro falsis habet, et quidquid dixerint Salmaticenses theologi et Jurisperiti, datarium Papæ non credit id dixisse, id. Garc., num. 69. Nec in hujusmodi supplicationibus peti etiam consuevit dispensari ad episcopatum, nisi rarò, cùm ut plurimùm ad talem dignitatem dispensetur regulariter unico contextu, tempore provisionis Ecclesiæ episcopalis, seu archiepiscopalis; hic autem pro majoribus dignitatibus, ut ex contextu ipsius supplicationis patet, intelligitur de majoribus post episcopales, quas neque caperet simpliciter dispensatus ad dignitates, nisi dicatur *majores post Pontificales*, Rebuff. in Form. mand. apost. vers. *Nec comprehenditur*, fol. *Mihi* 570. Et sic per supradicta verba, *etiam majores*, et non aliter, venit orator ad illas dispensatus, attentâ eorumdem verborum naturâ, quæ sunt implicativa, et exprimunt casum magis dubitabilem, l. *Etiam*, ff. de verb. Sign., l. *Conventicula*, ff. de Epis. et Cler.; Menoc, de Arbitr. jud., lib. 1, quæst. 49, num. 8; Farinac., decis. 222, num. 3, et decis. 721, num. 6 et 7, tom. 1, part. 2.

De minoribus autem dignitatibus, nulla subest dubitatio quin orator censeatur ad illas dispensatus, absque aliquâ earum expressione, nam licèt simus in materiâ exorbitanti; nihilominus cùm verbum, *major*, sit comparativum, ex sui naturâ necessariò supponit positivum, nempe minores dignitates, per text. in l. 1, ubi doctores ff. de Verb. oblig.; nec quoad hoc refert, aliàs dixisse, quòd in dispensatione non valeat argumentum, etiam à majoritate rationis; cùm aliud hìc sit dicendum, teste cod. Garc., p. 5, c. 1, num. 268.

Majores autem dignitates sunt omnes post pontificalem, scilicet, archiepiscopatum, episcopatum etc., illius Ecclesiæ, in quo adest ipsa dignitas; quarum quidem dignitatum majoritas, regulariter quatuor modis considerari potest: Primò ratione temporis; secundò ratione prærogativæ ordinis; tertiò ratione prærogativæ ordinantis, seu constituentis; quartò ratione majoris officii.

Verius tamen est, quòd ad cognoscendum hanc majoritatem, considerari debet præcipuè ordo et administratio; id. Mandos. reg. 3, quæst. 1, num. 1, qui ibi allegat Glos. in cap. *Deliberatione*, in verbo *Electionis* de Offic. delegat. lib. 6, et ibi Gemin., num. 6; subdit tamen idem Mandos., num. 2, recurrendum esse ad consuetudinem provinciarum et Ecclesiarum; cad. Gloss. in d. c. *Deliberatione*, quam quidem consuetudinem amplexa est Rota de mense martii 1554, in unâ Tudenn Abbatiæ, coram Montistasconenn, et sic aliquando prima dignitas est archidiaconatus, aliquando verò archipresbyteratus, secundùm locorum consuetudines, Dec. cons. 451, num. 2; Alex. cons. 142, lib. 6; Boer. decis. 282, Ludovis. decis. 411, sub num. 5, vers. *Verùm, et ante omnia*: licèt hâc consuetudine circumspectâ, de jure communi, Archidiaconatus sit major dignitas.

Et principales, — videlicet in collegiatis Ecclesiis; quia majores tantummodò sunt post Pontificales in cathedralibus, et harum principalium cognitio pari modo habetur, sicut diximus supra de majoribus, nempe juxta consuetudinem Provinciarum et Ecclesiarum, quæ etiam constituit principalem dignitatem in Collegiatis Ecclesiis, id. Boer., decis. 286, num. 8; id. Rebuff. in Praxi, titulo de Reservat., num. 6.

Nec est omittendum, quòd quandoque dicitur etiam dignitas principalis in collegiatâ, illa quæ consistit in cathedrali, quamvis non sit prima dignitas post Pontificalem; sed tamen ex indulgentiâ Sedis Apostolicæ, aut consuetudine, vel alio quolibet jure habet principalem præeminentiam in Ecclesiâ collegiatâ, ut per Gonz. Gloss. 51, num. 55.

Hic verò fuit aliàs dubitatum inter dominos abbreviatores majoris præsidentiæ, nùm gratia dispensationis ad dignitates majores in cathedralibus, et principales in collegiatis Ecclesiis, ut hìc, comprehendat etiam dignitatem monocularem, scilicet, quandò non adest, nisi una tantùm dignitas. Ratio autem dubitandi ea fuit, quia dispensatio strictam capit interpretationem, ut supra pluries dictum est; ac propterea non valet, nisi quantùm sonat; quia majoritas, et principalitas non potest demonstrari in Ecclesiâ, ubi una tantùm adest dignitas; Mandos. reg. 3, q. 5, num. 1, ubi dat exemplum, si, scilicet homo unus esset in civitate, non posset propriè dici, quòd talis esset principalis, seu major; quia principale præsupponit accessorium, et major præsupponit minorem. id. Gonz. Gloss. 9, § 4, num. 12.

In contrariam tamen partem, scilicet affirmativam fuit per omnes ferè inclinatum, nempè adhuc posse oratorem, sic dispensatum, obtinere hanc dignitatem monocularem; ex eo, quia Rota et curiales totum contrarium tenent; nam communis usus loquendi ipsorum curialium est, appellare dignitatem majorem in cathedrali, et principalem in collegiatâ, etiam ubi nulla alia adsit dignitas, per d. Gonz., sub num 18., vers. *Quinimò*, ubi, loquens de dignitate principali in collegiatâ, ait intelligi principalem respectu aliorum de collegio; et sic etiam intelligi debet de majori in cathedrali, respectu videlicet aliorum, etc., vel clariùs dicendum, quòd non semper principale, et majus dicit relationem ad minus principale, et ad minus; sed satis est, si excludat principalius, et majus se; ita primus et primogenitus dicitur aliquis, etiamsi non habeat secundum; sed ex eo tantùm, quòd non habet priorem se; juxta quem sensum dicitur de B. Virgine, quòd peperit filium suum primogenitum, Matth. 1, ùt exponit S. Hieronymus in eum locum. Pari ratione, dignitas monocularis dici potest major et principalis, non quòd in eâdem cathedrali vel collegiatâ sint aliæ illâ inferiores, sed quòd non adsit alia major câdem.

Personatus. — Est etiam personatus beneficium ecclesiasticum, cap. *Cùm accessissent*, de constit. et est quædam prærogativa in Ecclesiâ sine jurisdictione et administratione, dùm habet stallum in choro honorificum præ aliis, abb. in c. *De multâ*, de præb. ac majorem præeminentiam, quàm alii canonici, etiam ante recepti in choro vel capitulo, ac processionibus; non tamen habet tantam prærogativam, quantam illi qui habent dignitatem; qui enim cæteris canonicis aut collegio præest duntaxat, nec jurisdictionem aut administrationem aliquam habet, dicitur personatum habere. Arch. in c. 1, de Consuet., lib. 6. Undè in proposito dispensationis, si orator obtinuerit sibi provideri de personatu, non poterit vigore talis dispensationis obtinere dignitatem cum administratione vel jurisdictione, nisi id in supplicatione petierit, ut supra, arg. c. *Quamvis*, de Præb. in 6.

Administrationes, — scilicet ecclesiasticæ, quæ auctoritate episcopi erectæ sunt in titulos, juxta Gloss. in Clem. fin., verbo *Beneficium*, de Decim.; Rebuff. in Praxi, tit. *Seculare beneficium quotuplex*, quia ab illarum fundatoribus fuit apposita conditio, ut per clericos administrentur; ac propterea tales administrationes ecclesiasticæ vacant per contractum matrimonii, sicut quodcumque aliud beneficium ecclesiasticum, ex eo quòd respectu testatoris dicitur administratio ecclesiastica, Cæs. de Grass., decis. 114, à num. 2, et debent esse perpetuæ, datæ aliquibus piis operibus, vel aliis rebus concernentibus cultum divinum: ut faciendo celebrari missas, etc. quarum impetrationes receptæ sunt in Datariâ Apostolicâ, illarumque initium tale est: *Cùm perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, administratio nuncupatum*, etc., quia, ut dictum est, sunt verè beneficia ecclesiastica, Fusc. de Visit. lib. 2, cap. 11. num. 6, cum seqq.

Vel officia, — similiter ecclesiastica, de quibus loquitur text. in c. *Cùm accessissent*, de const., c. *Dudùm*, de Elect., et c. *Quòd Dei timorem*, de Stat. monach.; ista enim verè beneficia sunt, ut thesauraria, sacristia, primiceriatus, archipresbyteratus, præpositura, et similia, ut per Gonz. Gloss., 5, § 11, num. 2, et ita definiri potest officium ecclesiasticum nempè quòd sit administratio rerum ecclesiasticarum sine præeminentiâ et honore, ut in c. 1 de Off. sacris, et sic sub isto nomine non comprehenduntur officia secularia, quæ ab uxoratis retineri possunt, nec alia officia, quæ licèt sint spiritualia, habent tamen admixtam temporalitatem, ut sunt vicarii episcopi, Eleemosynariæ, Sacristiæ, Cellarariæ, quæ non dantur in titulum de quibus loquitur etiam id. Gonz. d. Gloss. 11, num. 11, ubi dicit, quòd omnia jura loquentia de beneficiis ecclesiasticis, habent locum in istis officiis ecclesiasticis, d. § 11, num. 2, quæ possunt etiam resignari, sive simpliciter; sive ad favorem, Paris., de Resig. benefic., lib. 2, q. 1, à num. 92.

Etiam curata.—Adsunt etenim nonnulla officia quæ etiam sunt curata, sicut archipresbyteratus, cujus nomen licèt sit officii, nihilominùs curam animarum, ut plurimùm exercet, ut in cap. 1, ibi, *positos curam gerere animarum*, de Off. archipresb.

Et electiva.— Hæc præsertim beneficia neque veniunt in dispensatione prædictâ, nisi exprimantur: ex eo quòd sunt speciali notâ digna. Et in impetratione beneficii electivi, debet necessariò fieri mentio hujus qualitatis; aliàs impetratio erit nulla, et subreptitia, id. Gonz., num. 6, et jam videmus etiam in praxi, quòd si mandetur provideri de beneficio, spectante ad præsentationem, institutionem, collationem, et quàmlibet provisionem, non poterit provideri de beneficio spectante ad electionem, juxta text. in c. *Cùm in illis*, § Illis verò, et Gloss. in verbo *Electionis*, ubi expressè ait, quòd electio non includitur, sub verbo provisionis vel dispositionis; quia hæc tria nimis inter se differunt, de Præb., in 6.

Tunc autem dicitur beneficium electivum, quando in eo procedìtur per electionem, quæ exigit confirmationem superioris; secùs autem, si ipsa confirmatio non esset necessaria, ut ait Gloss. in Clem. *Quia contingit*, verbo *Electionem*, de relig. dom. Hæc tamen electio recipit in se restrictionem, nam debet fieri per capitulum Ecclesiæ cathedralis, seu collegiatæ aut conventualis, non autem per beneficiatos Ecclesiarum parochialium; taliter enim electi non egent confirmatione superioris; quia hoc modo dicuntur beneficia collativa, et talis electio dicitur provisio, ut fuit conclusum in Rotâ, in unâ Vercellen. canonicatus 4 maii 1598, coram Cordubâ, teste Garc., d. p. 1, c. 6, num. 26.

In cathedralibus. — Non enim censeretur orator dispensatus ad beneficia aut dignitates ac canonicatus et præbendas in cathedralibus, nisi hoc expressisset in supplicatione, per text. in cap. *Quamvis*, in fin. de

Fil. presb. in 6, Felin., in cap. *Postulâsti*, de Rescript. Calder., cons. 31, de Præb. Selv. de Benef., p. 3, q. 11, num. 20, et fuit tantùm in unâ Oxomen 28 junii 1552, coram D. Vestano, ubi fuit conclusum dispensationem non suffragari, nisi in eâ specialis mentio habita esset de cathedrali, cap. *Quamvis*, § *Quanquàm*, de Præb. in 6, id. Garc., d. cap. 6, num. 60, qui num. 63, limitat, præmissa non procedere, quando dispensatio fuit motu proprio concessa per Abb., in cap. Cùm in cunctis, § 1, num. 6, de Elect. et id. Felin. in d. c. *Postulâsti*, num. 13, limit. 6.

Ratio enim cur in dispensatione non veniant dignitates et beneficia in cathedralibus, est ob præeminentiam et honorem Ecclesiæ cathedralis, ut desumitur ex d. cap. *Quamvis*, ibi : *Ad cathedralem Ecclesiam, quam propter ipsius honorem, sub hâc generalitate nolumus hoc casu includi, se mandatum hujusmodi non extendit.*

Etiam metropolitanis.—Videntur primâ facie verba hæc apposita ad tollendam ambiguitatem, omnemque hæsitationem ; quia dispensatus ad beneficia in cathedralibus, ex supra adductis, poterit illa obtinere, etiam in metropolitanis, cùm appellatione cathedralis veniat etiam metropolitana, imò et patriarchalis, ut dictum est, c. *Cleros*, vers. *Omnes autem*, dist. 21.

His tamen non obstantibus, contrarium servat praxis Curiæ Romanæ; nam si orator non expresserit suam dispensationem ad beneficia in metropolitanis Ecclesiis, profectò non se extenderet ad illa ; hæc enim praxis mihi videtur fundata in d. c. *Quamvis*, in d. c. 1, de Fil. presb., ubi, Joannes Monach. et aliis, Rebuff. in Rubr. de Collat. § 1, in verbo *Metropolitana*, qui satis docet quòd dispensatus ad beneficia in cathedrali, non censetur dispensatus, ut illa possit obtinere in metropolitanâ, et cùm hoc sic etiam de stylo receptum, est omninò servandum, prout reipsà servatur, c. *Quàm gravi*, de Crimine fal. Dec. cons. 699, num. 5.

Vel collegiatis Ecclesiis, — quæ, licèt in plerisque æquiparentur Ecclesiis cathedralibus, cap. *Quia sæpè*, in princip. de Elect. in 6, Gloss. in c. *Statutum*, verb. *Cathedralium*, de Rescript. eod. lib. Clem. 2, de Ætat. et Qualit. in materiâ tamen restringibili, ut hìc, nulla fit comparatio, ac propterea, nisi exprimerentur hìc beneficia in collegiatis, ea non venirent; cùm hìc cesset argumentum, etiam à majoritate rationis, ut aliàs diximus, veluti si dispensatus, ut possit tenere beneficia in cathedralibus et metropolitanis, possit illa obtinere in collegiatis ; doctores in c. *Postulâsti*, de Rescript.

Oportet tamen, quòd Ecclesia collegiata, ut hìc habeat suas partes necessarias, veluti, quia fuit fundata, ut esset Ecclesia collegiata ; et dummodò ad minùs, tres fuerint in eâ instituti ; quia pauciores non faciunt Collegium l. *Neratius*, ff. de verb. Sign. Gloss. in c. 1, de Elect. Innoc. in c. *Postulâsti*, de Jure patr., licèt, secundùm aliquos, duo sufficiant, ut in c. 1 de Elect., necnon quandò plures canonici conveniunt in eâ, habentes commune sigillum, commune archivium, et arcam unam ac tractatum communem, c. *Tertio loco*. de Prob. ; Felin. in cap. *Attendentes*, de Præscript. Unde de jure communi, omnis Ecclesia cathedralis dicitur collegiata, cap. *Novit*, etc., *quantò, de his quæ fiunt à præl.*

Sed quia in casu petitæ dispensationis, eo modo quo supra visum est, oportuit qualitates supradictarum Ecclesiarum exprimere, non alienum erit à nostrâ praxi, videre quid sentiendum de Ecclesiis patriarchalibus. Dubitatum enim fuit pluries in cancellariâ Apostolicâ inter dominos abbreviatores, an dispensatus ad hujusmodi dignitates in cathedralibus, censeatur dispensatus, ut illas possit obtinere in Ecclesiis patriarchalibus. Et primâ facie videbatur eisdem in partem negativam inclinandum ; eâ potissimùm ratione, quia in materiâ non favorabili, ut in beneficialibus, stricta debet fieri interpretatio, per text. in c. 2, de Fil. presb. in 6, c. *Postulâsti*, et ibi, Felin. de Rescript., et propter honorem patriarchalis dignitatis, quæ super omnes alias eminet, sub hâc dispositione, quæ potiùs est restringenda, quàm amplianda, videtur, quòd non veniant dignitates in Ecclesiis patriarchalibus, de quibus non fuit facta mentio in supplicatione. Attamen, pluribus deinde allatis pro parte affirmativâ, omnes, uno tantùm excepto, tenuerunt in hoc casu, venire etiam dignitates in ipsis patriarchalibus Ecclesiis ; quæ benè veniunt appellatione cathedralium et metropolitanarum, per text. in cap. *Cleros*, vers. *Omnes*, 21 dist., ubi dùm quæritur de differentiâ inter patriarcham, archiepiscopum, metropolitanum et episcopum, dicitur, quòd omnes isti ordines uno eodemque vocabulo episcopi nominantur, quia hujusmodi nomina sunt ad distinctionem potestatum ; et nomen Ecclesiæ convenit tàm patriarchali quàm aliis cathedralibus, ut in c. *Constantinopolitanæ*, 22 dist., ac propterea extensio fieri debet etiam quòd simus in materiâ odiosâ, præsertim, cùm non possit assignari diversa ratio, l. *Senatûsconsultum*, ff. de Rit. nupt. ; Alex. in l. *Si quis iniquum*, § *Si procurator*, num. 17, ff. *Quod quisque jur.* Mandos. reg. 3, q. 2, à num. 2, ad 7, loquens ibi in materiâ reservationis beneficiorum, qui, d. num. 7, ait quòd secundùm communem usum, tam in cancellariâ quàm alibi, exprimendo simpliciter Ecclesias, vel cathedrales, vel metropolitanas, intelligimus etiam de Patriarchalibus, quòdque extensio de uno casu ad alium, secundùm communem usum comprehensum, fit etiam in materiâ strictâ et odiosâ, per text. in l. *Is cui bonis*, § fin. de Testam. Ad evitandum tamen aliquam sophisticam interpretationem seu cavillationem, solet expressio hæc fieri in supplicatione, dicendo, *etiam in patriarchalibus*. Aliâ tamen die, habito inter eosdem dominos abbreviatores de eâdem re sermone, præmissis maturiùs discussis, contrarium tenuerunt, scilicet in materiâ dispensationis, appellatione Ecclesiarum cathedralium non venire patriarchales, ut dictum est supra in verbo, *Etiam Metropolitanis*, pluribus juribus per eos allegatis.

Seu si Parochiales, etc. — Diximus supra, non

comprehendi in dispensatione, beneficia curata, nisi exprimantur; hìc verò ostenditur, neque parochiales Ecclesias venire : nam licèt istæ cùm curatis quodammodò confundantur, ut per Lotter. de Re benef. l. 1, q. 20, num. 55, ubi ait inter curatam et parochialem Ecclesiam, se nullam cognoscere differentiam per rationes ibi per eum allatas; tamen omissis, quæ hinc indè adduci possent, ad hanc differentiam constituendam, quæ videri poterunt apud Rebuff. in Rub. de Collat. § *Statuimus*, 2, verbo *Parochiales*, Gonz. Gloss. 6, num. 34, cum plurib. seq.; id. Garc. d. p. 1, cap. 6, num. 3, cum seqq. dicendum est hìc, quòd multoties in hujusmodi rescriptis apponuntur verba superflua ad occurrendum malitiis et subtilitatibus, undè dixit Felin. in c. *Eam te*, num. 15, vers. *Ex his infertur*, de Rescrip. quòd non semper est vera traditio, quòd non debeat esse aliquid superfluum, et in c. *Venerabili*, num. 1, 3, not. de Off. deleg. dicit, quòd sæpè quid bis ponitur, ad evitandam malitiosam et sophisticam interpretationem, id. Gonz. d. Gl. 6, num. 29, cum seqq., ubi plura in proposito congerit.

Vel earum perpetuæ vicariæ. — Quod enim dictum est de parochialibus, vendicat sibi locum etiam in vicariis perpetuis, de quibus, etiam extra materiam hujus dispensationis, idem est judicandum, ac de ipsis parochialibus, Clem. un. de Off. vicar., quia eodem jure reguntur, quo ipse parochiales; et omnia jura loquentia de beneficiis curatis, habent locum in vicariis perpetuis, Paris. de Resig. benef. lib. 3, quæst 1, num. 155.

Est autem duplex vicaria, alia temporalis, alia perpetua; temporalis est illa, quando tantummodò ad voluntatem constituentis fit vicarius; puta, cùm quis habet duas parochiales, æquè principaliter unitas; tunc enim unus curatus est utriusque et non tenetur constituere vicarium perpetuum in alterâ; sed tantùm ad tempus, juxta text. in c. *Temporis*, 16, q. 1, quia quando Ecclesia habet proprium rectorem, non datur vicaria perpetua. Vel etiam vicarius temporalis datur ab episcopo, habitâ notitiâ vocationis Ecclesiæ parochialis, cum congruâ ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur, concil. Trident. sess. 24, c. 18. Perpetua autem vicaria, ut hìc, est, quando beneficium unitur accessoriè, quia tunc apponitur, vicarius perpetuus, d. Clem. un. et dicitur perpetuus, id est, ad vitam ipsius vicarii.

Quomodò autem constituatur vicarius perpetuus, et ex quibus causis, dicendum est quòd constituitur in Ecclesiâ parochiali auctoritate episcopi, quoties beneficium aliquod Parochiale, curam habens animarum, alteri Ecclesiæ, vel collegio aut capitulo canonicorum, vel seminario clericorum, vel cœnobio monachorum, vel academiæ, aut hospitali, sive alteri loco, pietatis causâ extructo, vel dignitati, aut Præbendæ fuerit unitum et annexum, juxta text. in c. *Extirpandæ*, § *Qui verò*, de Præb., et plura de hâc vicariâ perpetuâ potest videre penes de Gonz. Gloss. 5, § 3, per tot., qui num. 3, docet duplicem rursùs esse vicariam perpetuam, unam videlicet quæ continet curam animarum actu; alteram, quæ consistit in Ecclesiâ cathedrali, vel collegiatâ, quando videlicet cura residet habitu penes capitulum et exercitium penes vicarium.

CAPUT VII.

Praxis secundæ partis dispositivæ earumdem litterarum.

Si sibi alias canonicè conferantur. — Hæc clausula, ni fallor, videtur extracta ex c. *Si gratiosè*, ibi; *Prætextu verò talis concessionis, quæ debet (cùm sit ambitiosa) restringi, ea solùm beneficia, quæ canonicè obtines, licitè retinere* de Rescrip. in 6, et ex c. *Non potest*, § *Illud autem Apostolicæ Sedis adultum, ut quis duo beneficia curam animarum habentia, si aliàs canonicè conferantur eidem, possit recipere*, et c. de Præb. eod. l. 6. Et illa dicitur canonica collatio, quæ facta est secundùm canones, et à jure canonico probata, Rebuff. in Praxi, tit. *Canonica institutio quæ dicatur*, num. 1, ubi per text. in cap. *Causam*, in fin de Rescript. subdit, quòd illud canonicè fieri dicitur quod jure fit, et secundùm jus canonicum. Quæ quidam clausula refertur tam ad habilitatem conferentis, quàm recipientis; id. Rebuff. in tit. de Dispens. rat. ætat. num. 1. Sic etiam intelligitur de quâcumque dispensatione ad beneficia, etiamsi dicta clausula non fuerit apposita; Franc. in c. *Non potest*, § *Illud*, num. 1 de Præb., in 6, subdens ibi quòd si Papa dispensat, ut quis possit retinere duo beneficia, quæ obtinet, intelligitur de his quæ legitimè obtinet, per d. c. *Si gratiosè*, et etiam hìc si dicta clausula non esset apposita, nihilominùs subintelligeretur; Garc. p. 11, c. 5, num. 21.

Conferantur. — Quamvis hoc verbum videatur respicere tantùm beneficia libera, quæ providentur propriè per collationem, existimo tamen illud sibi adhuc locum vindicare in beneficiis jurispatronatûs; nam bigamus et quilibet alius irregularis est incapax cujuscumque beneficii, sive liberæ collationis, sive jurispatronatûs, quia canones id prohibentes nullum constituunt discrimen inter utrumque beneficium; imò, ut ait Mandos. reg. 32, q. 4, num. 2, sub verbo collationis, venit præsentatio et institutio, per text. in c. un. Ut benef. eccles. sint dimin.; confer. Clem. un. junctâ Gloss. in verb. *Conferantur*, de rer. Permut., quod etiam paulò post inferiùs declaratur in verbo, præsentetur.

Aut ipse eligatur, — scil. canonicè. Et sunt adhùc verba hæc necessaria in hoc rescripto, ut expressè docet text. in cap. fin. de Præb. in 6, ubi dispensatus à Papâ ut promoveri possit ad ordines et beneficia, non poterit beneficium obtinere, ad quod quis consuevit per electionem assumi, sicut supra diximus; et ideò hic subdit ordo circa canonicam electionem, quæ fieri debet servatâ formâ juris per capitulum Ecclesiæ cathedralis, seu collegiatæ aut conventualis, juxta text. in cap. 1 de Elect. et tunc præsertim dicitur canonica electio, quando facta est de habili, cap. *Cùm in nostris*

de Concess. præb. cap. *Quia propter*, de Elect., et electores eligunt infra tres menses à die vacationis, cap. *Ne pro defectu*, eod. tit. et electus infra mensem consentit, c. *Quàm sit*, eod tit., l. 6.

Præsentetur, — ad beneficia scil. jurispatronatûs. Tunc etiam dicitur canonica facta præsentatio, quando in eâ concurrunt omnia requisita necessaria, quorum primum est, quòd patronus sit in quasi-possessione præsentandi, c. *Consultationibus*, de Jurepatron. Secundum, quòd patronus, vel ejus procurator, præsentet, c. *Ea noscitur*, et c. fin. de Concess. Præb. Tertium, quòd præsentatio fiat intra tempus à jure præscriptum, nempe, si juspatronatus sit laicale, infra quadrimestre, cap. *Cùm propter*, de Jurepatr.; si verò ecclesiasticum, infra semestre, cap. un. et ibi Gloss. eod. tit., lib. 6. Quartum, quòd post præsentationem, proponatur edictum, Lambert., de Jurepatr., lib. 2, p. 2, q. 6, art. 22. Quintum, quòd beneficium vacet, c. *Illud*, hoc tit. Sextum, quòd præsentatus, sit præsens, Gloss. in Clem. *Dudùm*, § *Statuimus*, de Sepult., et per illius præsentiam inducitur acceptatio; Vivian., in Praxi Jurispatr., p. 2, lib. 8, cap. 8, num. 11; aliàs enim, si præsentatus esset absens, deberet acceptare præsentationem infra idem tempus datum ad præsentandum; id. Lambert., d. l. 2, p. 1, q. 11, articulo 5; idem Vivian., d. p. 2, lib. 6, cap. 11, à num. 8.

Et instituatur in eisdem, — quia in dubio, Papa nunquàm intendit approbare institutionem beneficii non canonicam, Franc., in c. *Non potest*, § *Illud*, n. 2, de Præbend. in 6, et tunc dicitur canonica, quando est facta juxta formam, cap. fin. de Elect., in 6, ubi inter cætera habetur, quòd debeant proponi edicta, aliàs non valebit institutio, nec puto valere consuetudinem in contrarium, per ea quæ notat Joan. Andr., in addit. ad Specul., in tit. de act. et petit., § *Super petitionibus*, vers. *Per litteras verò*, circa fin.; Oldrad., cons. 146. Regula verò est, quòd canonicè præsentatus, veniat etiam canonicè instituendus, mediis requisitis; et sic canonica institutio dicitur facta secundùm canones, id Joan. Andr., in d. c. *Non potest*, in princip. de Præb., in 6, c. *Cùm olim*, de Dol. et cont. Ex parte verò episcopi instituentis, requiritur, quòd ille instituat præsentatum simpliciter et absque conditione, quod potest exemplificari, quando præsentatus, tempore suæ præsentationis, obtineret aliud beneficium, aliquo modo incompatibile; tunc enim non poterit episcopus illum instituere sub conditione, nempe, dummodò postea obtineat dispensationem à Sede Apostolicâ; cùm debeat omninò cessare quævis conditio, c. 2 de Concess. præb., c. 2, de Elect. in 6; Put. dec. 396, p. 1; Caputaque decis. 298, n. 5, p. 2; Mohed., decis. 30, n. 2, de Præb., quia provisio in beneficialibus est actus legitimus qui non recipit diem, neque conditionem, c. *Si tibi absenti*, de Præb. in 6, reg. *Actus legitimo*, ff. de Reg. jur., et licèt jura prædicta loquantur de collatione, idem tamen dicendum de institutione, Gloss. in Clem. 1, de Rerum permut. In isto tamen casu, cùm non possit ordinarius dispensare super retentione istorum beneficiorum incompatibilium, post præsentationem factam, debet præsentatus petere institutionem à summo Pontifice, et dispensationem in simul, quæ datur in eisdem litteris apostolicis super hujusmodi institutione, sicut docet inveterata praxis, et dicam in meâ Praxi benef.

Cessat tamen supradicta institutio, quando laicus ex privilegio Papæ confert beneficium, quia tunc per talem collationem acquiritur beneficium sine aliquâ institutione, seu confirmatione episcopi aut alterius clerici, Garc., p. 1, c. 2, n. 34.

Recipere. — Nam, ut ait Rebuff. in Praxi benef., tit. de Dispens. rat. ætat. vers. *Recipere*, hoc verbum ideò apponitur, quia priùs quis reddi debet capax ad recipiendum, quàm ad conservandum : recipere enim est primus actus, conservatio verò est ejusdem actûs continuatio.

Et dummodo simul plura non sint, quam quæ a concilio Tridentino permittuntur. — Posset hìc in dubium revocari an per hanc clausulam, quæ opponi consuevit in dispensationibus cùm irregularibus, seu inhabilibus, possit ita dispensatus, plura beneficia, aliàs non incompatibilia, adipisci, etiamsi illorum unum sit sufficiens ad sui sustentationem, et affirmativè resolvit id. Garc., p. 11, cap. 5, n. 335, eâ præsertim motus ratione, quia concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 15, in hoc non ligat, ac propterea supra dicta clausula non restringit aut modificat dispensationem, sed exprimit tantùm id quod inest de jure supra dicti concilii; et ponitur ad denotandum quòd Papa non intendit dispensare super retentione incompatibilium, et sic non sonat in conditionem, sed in monitionem.

His tamen non obstantibus, quidquid aliàs dictum fuerit, circa hoc extra casum dispensationis factæ cum inhabili, contrarium est verius satisque apertum, quòd licèt verba hujus dispensationis, scilicet *quæcumque et qualiacumque beneficia*, referantur ad facultatem recipiendi, ita ut possit orator quæcumque beneficia, etiam ultra duo, recipere, sive illa fuerint simplicia, sive curata; aut etiam dignitates; non tamen poterit vigore prædictæ dispensationis plura in simul retinere, nisi forsan, cùm primum beneficium non erit sufficientis redditûs; quo casu, oratori episcopus conferet dispensativè secundum, ut in sess. 24, cap. 17, prout fuit etiam resolutum coram Pamphilio, decis. 528, impressâ per Farinac., num. 3. Supra dicta enim dictio, *dummodò*, restringit hanc dispensationem ad mentem ipsius concilii : nam quoad plura insimul, præter in dicto concilio expressa, non est dispensatus; quod etiam fuit tentatum in unâ Cæsaraugustan. parochialis de Maella 21 junii 1621, coram illustrissimo D. Coccino Rota Decano, quam habes impressam penes Vivian. in calce suæ praxis jurispatr., decis. 47, n. 16, per hæc verba : *Neque etiam obstat, quòd Ludovicus fuit dispensatus, ut plura recipere, et dummodò plura non essent, retinere*, etc., *quo casu datur quidem acquisitio, sed non retentio*, c. *Non potest*, in fin. de Præb. in 6; Clem. *Si plures*, eod. tit.; Rot. decis. 528, num. 1, p. 1, in recent. Unde generaliter

ista clausula restringit ipsam dispensationem ad unius tantùm beneficii retentionem, ut optimè postmodùm declaravit id. Garc., in addit. ad num. 333, cap. 5, p. 11, ubi ad id refert declarationem sacræ Congregationis concilii 1 julii 1595, tenoris sequentis, videlicet : *Congregatio concilii censuit, qui dispensatus est ad beneficia, dummodò simul plura non sint, non posse obtinere plura, quàm unum, quamvis illud ad vitam obtinentis honorificè sustentandam non sufficeret.* Et in proposito refert Consil. Navar. 26, de Præb., quòd ista clausula cœpit apponi suo tempore in dispensationibus, quibus Papa dispensat ad ordines sacros, et beneficia cum illegitimis dispensatis ab episcopo ad quatuor minores, et unum simplex (hodiè tamen apponitur in quibuscumque dispensationibus ad ordines et beneficia) subdens ibi id. Nav. quòd cùm res esset obscura et ejus declaratio à mente concedentis gratiam, pendere videretur, consultus super hoc D. Datarius respondit, mentem Papæ et suam esse, ut virtute hujusmodi dispensationis nullus duo beneficia simul retinere possit; sed quod in hoc tantùm prosit; ut qui absque illâ non poterit obtinere, nisi unum simplex et primum quod sibi conferretur, virtute hujus poterit obtinere et retinere illud quodcumque maluerit; modò non retineat duo simul, et hic est verus intellectus supra dictæ clausulæ, cui adstipulatur communis praxis Curiæ, ut fatentur qui eamdem praxim benè callent. Unde si quis petierit sibi postmodùm aliud beneficium conferri, tenetur exprimere dispensationem priùs obtentam cum dictâ clausulâ : *Dummodò simul plura non sint;* et sic petere dispensationem; et ita successivè quoties novum beneficium assequetur.

Est tamen hìc advertendum quòd per plura beneficia ea intelligimus quæ inter se divisa sunt, et in titulum; quæ enim sunt legitimè unita vel connexa, illicitum non est retinere, ut habetur in cap. unic. 20, quæst. 3, et in cap. *Cùm venissent*, de Rest. spol. cap. *Eam te*, de Ætat. et Qualit., c. *Extirpandæ*, § *Qui verò*, de Præb., sicut nec etiam veniunt unum in titulum, et aliud commendatum ad sex menses tantùm, et sic commenda temporalis, ut in c. *Nemo potest*, de Elect., et in notoriâ praxi servatur.

Dixi, *commenda temporalis*, quia aliter dicendum est de commendâ perpetuâ, quæ nihil differt ab aliis provisionibus beneficiorum; quinimò ipsa commenda perpetua dicitur dispensatio palliata ad obtinendum aliquod beneficium, aliàs in titulum obtineri prohibitum, sicut dicitur de unione temporali, Cassad., decis. 33, num. 5, super reg.

Retinere. — Tam per supra dicta, quàm alia jura constat, quòd dispensatus ad retinendum et recipiendum, non est dispensatus ab obtinendum, Mar. Ant. var. Resol., l. 1, resol. 19, n. 14, aliud enim est posse recipere, et aliud posse retinere, Franc. in c. *Non potest*, § *Illud*, num. 2, de Præb. in 6, ubi ait quòd dispensatio facta, ut quis possit simul duo beneficia curata recipere, non includit quòd possit illa simul retinere, nisi hoc fuerit expressum; et sic in prohibitis, ut hìc, verbum, *recipere*, non includit retentionem, ut per Rebuff. in Praxi, tit. de Dispens. rat. ætat. vers. *Et insimul;* Rot., decis. 223, n. 26, p. 1, divers. Ideò subditur verbum, *retinere*.

Ac quascumque pensiones, annuas super similium, vel dissimilium beneficiorum fructibus, etc.—Fuit pluries in dubium revocatum an dispensatus ad beneficia censeatur etiam dispensatus ad pensiones, absque eo quod id exprimeretur in dispensatione. Et omissis quæ pro parte affirmativâ adduci possent, solùm mihi visum fuit eam tantùm opinionem amplecti, quæ in quotidianâ praxi tanquàm verior recepta est; nempe quòd si pensio reservetur loco beneficii, ut commodiùs orator sustentari valeat, vel ex causâ resignationis, seu cessionis, ne nimirùm dispendium patiatur, erit de hoc facienda mentio; nam perinde est ac si esset beneficium, Gar., de Benef., p. 1, num. 81, et sic hodiè quælibet pensio quæ reservatur ad vitam recipientis succedit loco beneficii; et propterea non includitur sub illâ generalitate, *quæcumque et qualiacumque*, etc., quia mat ria est odiosa, et cessat argumentum à paritate rationis; Navar., cons. 11, num. 2, de Temp. ordin., ubi ait quòd qui non est capax beneficii, neque est pensionis, saltem secundùm stylum Curiæ, qui est servandus, c. *Quàm gravi*, de crim. fal. Garc., d. c. 5, num. 121.

Hìc tamen licèt de dispensatione super bigamiâ, agatur pro laico petente secum super eâ dispensari ad ordines et beneficia, ac ad pensiones annuas, non propterea à nostrâ praxi devium agnovimus, si præmissis quædam nova et celebris Rotæ decisio annectatur, quæ inde emanavit pro validitate translationis pensionis ad favorem principis Perretti, per bon. mem. cardinalem de Montalto, vigore indulti transferendi à Sixto V sibi concessæ, non obstantibus bigamiâ per ipsum principem contractâ, et aliis in eâdem decisione expressis; quæ cùm in hâc materiâ dispensationis super irregularitate bigamiæ, plures casus, etiam in praxi scitu dignos contineat, illius tenorem hìc subnectere visum est; permissis priùs ipsius indulti verbis, ut sequitur, videlicet :

Tecum, ut etiamsi contigerit vel non contigerit te qualemcumque militiam cujusvis ordinis et professionis, regularem ingredi, habitumque per illius fratres gestari solitum suscipere, et professionem per eos emitti consuetam, expressè emittere, et etiam matrimonium cum quâcumque muliere, etiam viduâ, et successivè cum diversis nuptâ, ac aliter corruptâ, semel vel pluries præter, vel contra formam stabilimentorum et privilegiorum dictæ militiæ sub quibuscumque tenoribus, et formis concessorum, etc., *contrahere, et ad secunda, ac etiam plura laicalia seu etiam matrimonialia vota, aut secundas vel plures nuptias transire, ac carnali copulâ consummare,* etc., *quascumque pensiones annuas*, etc., *retinere, recipere; habere*, etc., *liberè et licitè possis, et valeas apostolicâ auctoritate tenore præsentium, de specialis dono gratiæ dispensamus.*

Prædictæ verò decisionis tenor talis est, ut sequitur.

R. P. D. Virili Ferrariens. pensionis. 21 martii 1627.

Sixtus Papa V Cardinali Montalto ex sorore germanâ pronepoti duas facultates transferendi pensiones concessit : unam ad favorem unius, vel plurium personarum ecclesiasticarum, quibus translationes suffragari voluit, perinde ac si per ipsum pontificem consistorialiter legitimis, et urgentissimis causis de cardinalium consilio factæ fuissent ; alteram ad favorem unius, vel plurium personarum etiam hospitalium regularium expressè professorum, aut alias similibus de causis incapacium, aut nondùm clericali charactere insignitorum ex nunc, prout ex tunc, postquàm eodem charactere fuerint insigniti.

Idem quoque Sixtus dispensavit D. principem Perrettum pronepotem jam clericali tonsurâ insignitum ad retinendum et recipiendum quascumque pensiones reservatas et reservandas, etiamsi contigerit vel non contigerit contrahere matrimonium cum quàcumque muliere etiam viduâ et successivè cum diversis nuptâ, ac aliter corruptâ semel vel pluries, et ad secunda ac etiam plura laicalia, seu matrimonialia vota, aut secundas nuptias transire decernendo per contractum matrimonii etiam pluries, ut præfertur reiterari pensiones minimè extinctas esse, aut fore, minùsque annullari aut invalidari, cum derogatione provincialium, synodalium, Lateranensis, aliorumque etiam generalium conciliorum, necnon Pii Papæ V, declarantis pensiones per futuri matrimonii contractum extinctas censeri.

Virtute supradictarum facultatum cardinalis Montaltus annuam pensionem scutorum trium millium auri in auro sibi reservatam super fructibus episcopatûs Ferrariensis transtulit ad favorem principis Perretti ejus fratris, et disputato dubio coram Remboldò sub die 14 junii 1624, dixerunt domini, translationem sustineri, quo iterùm reproposito sub die 15 maii 1626, domini steterunt in decisis. Undè cum D. cardinalis Lenius voluisset tertiâ vice audiri, utràque parte informante sub die 21 martii 1627, censuerunt domini, non esse recedendum à decisis tam inspectis ambabus facultatibus cardinalis Montalti, quàm dispensatione D. principis.

Prima enim facultas transferendi est ad favorem unius, vel plurium personarum ecclesiasticarum, et D. princeps ad differentiam laicorum, secundùm subjectam materiam pensionis, est persona ecclesiastica. cùm habeat primam tonsuram quæ efficit, ut dicatur clericus, et persona ecclesiastica, cap. *Cùm contingat*, de Ætat. et Qualit., c. *Cleros*, 20 dist. conc. Trid. sess. 23, cap. 2; Lap. alleg. 138, num. 12, et dixit Rota in Abulen. pensionis 27 junii 1608, coram card. Lancelloto, et in Verronen. pensionis 23 febr. 1600, coram eodem, in quâ dùm ageretur de interpretatione indulti Pii V, ad favorem cardinalis Alexandrini, ut posset transferre pensiones in personas ecclesiasticas, fuit dictum marchionem Bonellum uxoratum esse personam ecclesiasticam, ex quo habebat primam tonsuram ; verba enim de personis ecclesiasticis sunt intelligenda secundùm subjectam materiam pensionum, de quibus Sixtus V loquebatur, Aym. consil. 16, n. 3; Seraph., decis. 398, num. 7, et decis. 121, n. 11, et decis. 559, n. 2, et ideò ad effectum pensionis acquirendæ, princeps dicitur persona ecclesiastica per præallegata.

Secunda verò facultas transferendi est ad favorem illorum qui non fuerint clericali charactere insigniti, ex nunc, prout ex tunc postquàm eodem charactere fuerint insigniti, et consequenter multò magis virtute istius secundæ facultatis, sat est quòd princeps jam haberet tonsuram, cùm hìc Sixtus conformet se cum eisdem verbis concilii, sess. 23, c. 2, ibi : Qui jam clericali tonsurâ insigniti essent. Unde tales habentur pro clericis et personis ecclesiasticis, ad effectum pensionis.

Neque obstat quòd princeps per bigamiam remanserit denudatus omni privilegio clericali, cap. 1 de Bigam. in 6, et ideò non sit persona ecclesiastica, sed purus laicus, et qualitas clericalis remanserit extincta, cùm secundùm theologos prima tonsura non sit ordo, nec imprimat characterem, quia quidquid dicant theologi, magis communis sententia canonistarum tenet contrarium, quam Rota pluries secuta est, quòd scilicet prima tonsura sit ordo, et clericalis character indelebilis, et bigamus amittat quidem privilegia, sed non characterem indelebilem, et remaneat clericus ; text. enim in cap. 1 dicit quòd bigamus est nudatus omni privilegio clericali, non tamen dicit quòd non remaneat clericus ; ita tenent Butr. in c. *Joannes*, n. 17 ; Imol. n. 18, in sin. de Cler. conjugat., c. *Cùm contingat*, et ibi Gloss. in verb. *Abbati*, de Ætat. et Qualit. ; Host. col. 1 ; Joan. Andr. col. 2, Butr. num. 6 ; Card. q. 2 ; Ægid. q. 7, Anch. in fin. ; Abb. num. 1 ; Gemin. in c. *Cleros*, col. 3, in fin., ubi Præpos., num. 4, distinct. 21 ; Abb. in c. 1, num. 6, de Vit. et Honest. cleric. ; Felin. in c. *Sicut pro certo*, n. 2, de Simon. ; Gabr. cons. 181 ; n. 3, lib. 2, Rot. divers. decis. 731, n. 5 et 6, p. 1, Sylvestr. in Sum. in verb. *Ordo* ; Covar. in c. 4, *Quia nos*, n. de Testam. ; Card. in Clem. *Dudùm*, in 8, not. de Sepult. ; Gregor. decis. 516, n. 8 et 9 ; Rot. decis. 1, n. 6, bigam. in nov. et fuit dictum in supra dictâ Veronen. pensionis, et in Cæsaraugustanâ pensionis 18 Junii 1610, coram card. Lancellotto. Stant enim simul quòd quis remaneat clericus, non tamen gaudeat privilegiis clericorum, Abb. in c. 1, num. 6, de Vit. et Honest. cleric., et propterea princeps per characterem impressum et indelebilem habitu semper remanet clericus.

Nec dicatur quòd per bigamiam amittantur clericorum privilegia, et eorum exercitium, illisque princeps remanserit denudatus, et character mortificatus, juxta d. c. 1 de Bigam. in 6, quia cùm Sixtus V ad effectum pensionis (ut supra relatum est) dispensaverit princi pem ante incursum bigamiæ, versantur in dispensatione præventivâ et præservativâ, quæ removendo de medio obstaculum Canonis inductivi bigamiam, impedit incursum bigamiæ, et efficit ut remaneat non solùm præservatus clericatus habitu indelebilis, sed etiam exercitium ad effectum dispensatum respectu pensionum, juxta tenorem dispensationis præventivæ,

ac si bigamia nunquàm esset incursa, ita ut remaneat princeps in eodem statu primævo, prout erat ante bigamiam; Turrecrem. in c. *Quisquis ante*, n. 1, et ibi Præpos. n. 1, et Gemin. ibid., dist. 84; Molin. de Just. et Jur. tom. 2, tract. 2, disp. 108, vers. *Quoniam eo ipso;* Suarez de Leg. lib. 6, cap. 11, n. 4 et 5; Sanch. de Matrim. lib. 8, disp. 1, num. 1; Azor. Instit. moral., lib. 3, cap. 15, in princ., et quò ita dispensatus remaneat idem ac si non indiguisset dispensatione, Joan. Andr. in regul. in generali, num. 3, vers. *Quadragesimus septimus*, de Reg. jur., in 6; tanta enim est vis apostolicæ dispensationis præventivæ, quoad defectus juris positivi, quòd quis dicatur esse in eâdem habilitate, et idem sit esse habilem de jure communi, vel ex dispensatione Papæ; Anchar. cons. 404, in primo dub.; Dec. cons. 542, n. 4; Rebuff. super concord. rubr. de Collat. § *Præfatique ordinarii*, in v. *Idoneis*. Idemque sit esse habilem de jure quàm ex privilegio, tam in odiosis quàm in favorabilibus, Bald. in l. *Cùm exoratione*, in princ. ff. de Excus. tutor.; Rol. cons. 79, n. 7, lib. 1, et propterea decisio in Cæsaraugustanâ pensionis 18 junii 1610, coram card. Lancellotto, n. 13, dicit quòd ubi adest dispensatio Papæ, præservatur clericatus ad effectum pensionis, nec per bigamiam amittitur clericatus et tradit Capr. concl. 97, n. 82. Sicuti dispensatio clerici ad bellum præservat ab irregularitate. Molin. d. tom. 2 de Just. et Jur. tract. 2, disput. 108; Avila de Censur. part. 7, de Homic. in bello, disp. 6, dubit. 2, in concl., et judices in vim privilegii antecedentis præservantur ab incursu irregularitatis; Sayr. de Censur. lib. 6, cap. 18; si ergo impeditur incursus bigamiæ, pinguius jus concessit principi Papa, quàm si expressè dispensâsset super bigamiâ.

Eòque magis, quia Sixtus derogavit conciliis generalibus, et sic d. c. 1. desumpto ex concilio generali Lugdunen. Dec. cons. 341, n. 10, vers. *Et in tali clausulâ*, Prob. ad Monach. in cap. *Cùm in tua*, num. 24. de Consuet. Abb., in cap. *Ex parte*, n. 2, vers. *Saltem in genere*, de Cappell. monac. Gozad. cons. 6, n. 53, et fuit dictum in Conchen. exemptionis decimarum 17 Martii 1587, coram Orano.

Nec obstat quòd in dispensatione principis adsint verba: *Si contigerit contrahere matrimonium*, etc., quasi, verba: *Si contigerit*, conditionalia, effectus dispensationis fuerit collatus post incursam bigamiam, quia omisso, quòd verba dicunt: *Et si contigerit*, vel *non contigerit*, etc., quæ fuerunt apposita, ut exprimerentur casus dispensationis, cùm Papa de præsenti dispenset; ex quo utitur verbo temporis præsentis, dispensamus; dispensatio dicitur pura et præventiva, cùm tempus dispensationis attendi debeat, licèt, ut præventionis executione et effectu quis fruatur, exspectandi sint casus futuri expressi in dispensatione; Gig. de Pens. cons. 23, n. 10, vers. *Puto tamen*, et fuit dictum in Cæsaraug. pensionis 18 Junii 1599, coram Gypsio.

Et quòd effectus dispensationis sit purus ante incursum bigamiæ, apparet ex sequentibus verbis dispensationis, videlicet: *Decernentes per contractum matrimonii etiam pluries, ut præfertur, reiterari, pensiones minimè extinctas esse, aut fore, minùsque annullari, et invalidari*; ergo præveniendo et præservando, nam cùm per contractum matrimonii pensiones extinguerentur, Gig. de Pens. q. 54, et cons. 23, n. 7 et 10, et dicitur in supradictâ Cæsaraugustanâ pensionis 18 junii 1610, coram cardinali Lancellotto, Papa non reviviscendo pensiones, sed præveniendo casum extinctionis reliquit eas in primævo statu, et una pars dispensationis aliam supplet et declarat, l. *Qui filiabus*, ff. de Leg. 1, et propterea supradicti doctores distinguunt tantùm inter dispensationem antecedentem et subsequentem; nam antecedens præservat, subsequens tollit; Suar. de Leg. lib. 6, cap. 11, num. 4; Molin. d. disput. 108, § *Est verò*, Azor. Instit. moral. lib. 5, cap. 15, in princ.

Nec dicatur quòd Papa dispensaverit cum principe tanquàm laico, qui de jure est capax pensionis temporalis, non autem tanquàm personâ ecclesiasticâ, quia apertè apparet Papam voluisse dispensare cum eo uti habente primam tonsuram et personâ ecclesiasticâ, tum quia litteræ dispensationis sunt inscriptæ: *Michaeli Clerico;* ex inscriptione enim declaratur Papæ voluntas ad ea quæ tradit, Joan. Andr. in Reg. *Non licet*, n. 2, de Reg. Jur. in 6; Lap. alleg. 7, per tot.; Gig. de Pens. quæst. 22, n. 8; Rot. in. Toletanâ indulti 14 martii 1625, coram Remboldo, tum quia si princeps non obstante bigamiâ remanebat clericus et habebat characterem indebilem secundùm opinionem canonistarum à Rotâ approbatam, ut supra dictum est, sit potiùs verisimile quòd Papa voluerit considerare hanc qualitatem quam princeps habebat, et præservare exercitium characteris impressi ad effectum retinendi et consequendi pensiones, cùm longè faciliùs detur retentio et dispensatio, ut quis ministret in ordine jam suscepto; Seraph, decis. 625, num. 6, et in puncto bigamiæ; Sanchez, de Matrim.; lib. 7, disp. 86; tum quia cùm de stylo Curiæ pro pensionibus requiratur clericatus, intentio Papæ et ejus gratia recipit interpretationem à supradicto stylo; Felin. in cap. *Super litteris*, n. 8 de Rescript.; Cassad. decis. 12, n. 14, de Præbend.; Put. dec. 181, num. 6, lib. 1; tum quia pro pensione ad favorem laici non requirebatur derogatio conciliorum etiam generalium, ex derogatione colligitur qualitas gratiæ et intentio Papæ; Bald. in l. *Eam quam*, n. 36, c. de Fideicom.; tum quia ista dispensatio est præventiva, et sic resistit incursui bigamiæ, ut supra deductum est; tum quia sequeretur quòd ante bigamiam princeps retineret pensionem uti clericus, postea verò uti laicus, et ista mutatio non præsumitur, sed potiùs continuatio et conservatio ejusdem statûs, tum quia magis decori Ecclesiæ, ut tanquàm clericus retineat et acquirat pensiones, quàm uti laicus; tum quia parùm aut nihil ista dispensatio suffragaretur, si intelligeretur concessa uti laico.

Non obstat quòd princeps non gaudeat privilegio fori, et aliis privilegiis, seu effectibus clericatûs, quia sufficit quòd sit dispensatus pro pensionibus; nam in

hoc casu dispensationis retinet princeps clericatum illæsum; Turrecr. in c. *Quisquis*, in princ., vers. *Nisi cum tali dispensetur*, et ibi Præp., vers. *Tamen si corrigantur*, et Gemin., dist. 84.

Nec obstat quòd dispensatio ad obtinendas et consequendas pensiones reservatas et reservandas non comprehendat casum translationis pensionis, nisi exprimatur, ut videtur desumi ex Verall. decis. 322, part. 2, et ex decis. 143, n. 1, part. 2, in recent., quia in supradictâ dispensatione, sub verbis retinendi, recipiendi, consequendi ac exigendi pensiones reservatas et reservandas, comprehenditur etiam casus per iam translationis; Greg. decis. 18, num. 3, et fuit dictum in Romanâ pensionis 17 junii 1622, coram Buratto, et ratio est quia in translatione extinguitur pensio antiqua et reservatur nova; Gabr. cons. 186, n. 6, lib. 1.

Non obstat quòd prævention et præservatio dispensationis operetur quoad culpam et pœnam, non autem quoad antiquum statum personæ ecclesiasticæ, de quo bigamus remanet denudatus, cùm Papa non occultaverit explicitè aut implicitè contrarium, ut fit in postliminio in quo fit occultatio contrarii per fictionem contra veritatem fingendo nunquàm quem fuisse apud hostes, § *Si ab hostibus*, vers. *Nam postliminium*, Inst. quib. mod. jus patriæ potestatis solvitur, l. *Postliminii*, ff. de c. et postlimin. rever. Nam exemplum postliminii subsequitur factum, et ideò per fictionem requiritur sublatio et occultatio illius quod habuit effectum; at in dispensatione præventivâ, non requiritur aliqua occultatio, cùm illa præservet ab incursu bigamiæ, ut supra deductum est, unde si non sequitur eventus et factum incursûs bigamiæ, non requiritur occultatio, ultra quod secundùm opinionem canonistarum post bigamiam remanet clericatus impressus indelebilis, et sic bigamia non est contraria clericatui, nec illi repugnat; Joan. Andr. in cap. *Super*, num, 12, de Bigam.; Rot. d. decis. unic. num. 3 de Bigam. in nov.; Navar. de Redditibus, Eccles. monit. 1, q. 57, num. 9, in fin., et num. 12 et 13; Archidiac. in cap. *Lector*, num. 2, dist. 34; sed cessat privilegiorum exercitium per dispensationem, c. 1 *de Bigamis*, in 6, quæ dispositio, seu obstaculum, quod exercitium, si forsan habet vim contrarii, non solùm occultatur, sed de medio tollitur, et conservatur exercitium clericatûs ad effectum pensionum ex dispensatione præventivâ supradictâ cum derogatione conciliorum etiam generalium, et sic, d. c. 1 de Bigam., in 6, de quo propterea nulla est habenda consideratio.

Nec etiam applicatur exemplum cæcorum, et mancorum, et curvorum, et spurii, qui si dispensentur ad succedendum remanet macula; Achill. dec. 6, n. 2, *Qui fil. sint legit.*; Seraph. dec. 351, n. 14, prout cæci, manchi et curvi remanent cum eorum defectu, quamvis dispensentur.

Primò quia ubi Papa plenariè legitimat, vel cum derogatione obstantium, removetur omnis macula nativitatis; Glos. in Auth. *Quib. mod. natur. efficiant sui*, § fin in verb. *Participium*; Castr. cons. 41, n. 2, lib. 2.; Anchar. cons. 225, n. 2; Peregr. de Fideicom. art. 23, n. 32, vers. *Secunda est*, et paulò post, vers. *Cum derogatione obstantium*; Rot. decis. 505, n. 6, part. 1, divers.; hìc autem Papa dispensavit cum derogatione amplissimâ omnium conciliorum, etiam generalium, et sic d. cap. *de Bigam.* in 6.

Secundò exempla supradicta sunt in casibus in quibus macula est incursa; hìc incursus bigamiæ non evenit ob dispensationem præventivam et ob derogationem, cap. 1 de Bigam. in 6; est obviatum denudationi exercitii clericatûs ad effectum pensionis; Oldrad. Consil. 327, in princ., Bart. cons. 17, num. 1 et 2, lib. 2, Feder. de Sen. cons. 30, vers. *Sed dispensatio non est*; Bellam., consil. 32, n. 5 et 17; Abb. in cap. fin., n. 4, de Schismat.

Tertiò quidquid sit quoad defectus naturales, si illi per dispensationem Papæ removeantur, vel ne, et requiratur fictio, ut tradunt doctores, in l. *Gallus*, § *Quid si tantùm*. ff. de Lib. et Posthum.; Bart, in l. fin. num. 2, c. de His qui ven. ætat. impetr., utique in defectibus juris positivi, si Papa dispensat verè, et non fictè disponit, et præveniendo efficit ut etiam secundùm rei veritatem nunquàm ut incursa bigamia, vel irregularitas inducta ex dispositione canonis, ita ut propterea verè et propriè semper quis remaneat idem, prout ab initio erat ante bigamiam vel casum irregularitatis, c. *Lector*, dist. 24, ubi Archidiac. n. 3, Turrecrem. in c. *Quisquis*, ante num. 1, vers. *Nisi cum tali dispensetur*, Præpos. vers. *Tamen si corrigantur*; Gemin. super 1 Glos., vers. *Nihilominùs*, dist. 84; Joan. Andr. in Reg. in generali, n. 3, de Reg. jur; in 6; Oldr. cons. 215, n. 5; Dec. in c. *At si clerici*, § *de Adult.* num. 168, de Judic., et cons. 206, numero 6; Rot. Divers., decis. 505, num. 3, in fin., part. 1.

Gratiâ Clementis Papæ VIII non indiget princeps, et nisi ad effectum non gestandi habitum et tonsuram, cùm (quidquid sit respectu pensionum quas princeps obtinebat, et non deferebat habitum et tonsuram, et ideò intrare posset constitutio Sixti V contra non incedentes, etc., adversùs quam adest gratia Clementis VIII et revalidatio), tamen respectu istius pensionis nuper translatæ, de quâ agitur, non intrat Constitutio, cùm post gratiam de non incedendo in habitu et tonsurâ fuerit acquisita; constitutio enim Sixti extinguit pensionem ob non delationem habitûs et tonsuræ, non tamen reddit illum incapacem obtinendi pensiones futuras.

Nec obstat quòd dicta constitutio Sixti innovet constitutionem Bonifacii VII, relatam in cap. unico de Cler. conjug. in 6, quia constitutio Bonifacii loquitur in clerico qui cum uniçâ virgine contraxerit, nam si tonsuram et vestem clericalem deferat, retinet duo privilegia, illud videlicet cap. *Si quis suadente*, 17, q. 4; alterum quòd non possit conveniri coram judice seculari pro suis delictis, juxta Parisiense concilium; si verò non deferat, privatur istis duobus privilegiis, ex quâ constitutione Bonifacii nihil potest inferri ad incapacitatem clerici gaudentis pensionibus, et non

deferentis habitum et tonsuram, respectu acquisitionis pensionis futuræ.

Atque ex his et aliis meliùs explicatis in duabus decisionibus Rembòldi, ita fuit resolutum.

Ista tamen dispensatio vix, et rarò concedi consuevit, etiam personis sic qualificatis, sicut omnes sciunt curiales. Quinimò idem Sixtus V, abstulit his facultatem percipiendi et retinendi hujusmodi pensiones, voluitque ut laici etiam extra conjugium et in cœlibatu viventes, ac bigami, et clerici conjugati nullas novas pensiones possint capere, et qui conjugati non sunt, si ad primas aut alias nuptias transirent, antiquas deinceps percipere; clerici verò et alii matrimonium, etiam cum unicâ et virgine contracturi, nec antiquas retinere posse, ut in suâ Constit. sub. dat. kal. octobr. 1568, Lotter., de Re benef., l. 1, q. 40, n. 205.

Quia verò Papa nullis adstringitur legibus vulg. jur., videmus propterea nonnunquàm, etiam non qualificatis personis, nulliusque meritis intercedentibus, hanc facultatem, pensionem retinendi in statu conjugali concessisse, licèt non sine maximis et extraordinariis favoribus, prout inter cæteros D. N. Urbanus Papa VIII, cum Ludovico Francolisio clerico Neapol., qui cùm nonnulla beneficia ecclesiastica in hâc civitate consistentia ad favorem alterius resignâsset, reservatâ sibi super illorum fructibus pensione annuâ ducatorum triginta monetæ hujus regni, secum sub hujusmodi tenore dispensavit, videlicèt : *Tibi, ut etiamsi contingat, te matrimonium cum quâvis muliere, etiam viduâ, nullo tibi jure prohibitâ, semel vel pluries, successivè tamen et legitimè contrahere, illudque carnali copulâ consummare, ac in habitu, et tonsurâ clericalibus non incedere contingat, nihilominùs pensionem præfatam percipere, exigere et levare, ac in tuos usus et utilitatem convertere, liberè et licitè valeas, apostolicâ auctoritate concedimus et indulgemus. Decernentes pensionem hujusmodi per contractum matrimonii, aut habitûs et tonsuræ clericalium non delationem, minimè cessare, neque extinctam dici vel censeri posse. Irritum quidquid secùs super his*, etc., *attentari, prout in litteris in formâ brevis, sub annulo Piscatoris, sub dat. Romæ, apud sanctum Petrum, die* 23 *januarii* 1637, *pontificatûs nostri anno quartodecimo.*

Ex quibus nihilominùs apparet quòd, licèt summus Pontifex nimis difficilem se reddat ad hujusmodi dispensationes concedendas cum clerico in matrimonio futuro, id quandoque concedit, præsertim ex suppositione continuationis statûs clericalis, ne fortè pusilli et ignorantes scandalizentur, ut ait Lotter., lib. 1, q. 40, num. 198, ex Navar. in Manual., cap. 25, ante num. 120, vers. *Nec tamen probo*. Nullibi namque ambigitur posse Pontificem justè pensionem etiam conjugato concedere, non solùm ob ministeria quæ conjugatus ipse præstitit Ecclesiæ, sed etiam ratione paupertatis, aut aliâ justâ causâ occurrente, cùm non sit ipsius Pontificis potestas in assignandis pensionibus alligata, ut ex solâ causâ famulatûs Ecclesiæ illas reservet, ita docet Sanch., de Matrim., lib. 7, disp. 44, num. 9, circa finem.

Apostolica auctoritate sibi reservandas. — Nam obtinens beneficium, non potest illud auctoritate propriâ aut etiam episcopi, pensionibus oneraré, cap. *Nisi De præb.*, c. *Præterea*, de Cens., solus enim Papa constituit, assignat et reservat pensiones super beneficiis in quibus habet plenissimam potestatem, id Garc., d. c. 5, num. 274. Pensio namque aliter reservata non comprehenderetur sub præsenti gratiâ dispensationis.

Auctoritate nostra dispenses. — Quia, ut supra dictum est, nemo à Papâ potest super bigamiæ impedimento dispensare, quinimò, cùm contingat summum Pontificem aliquibus personis qualificatis indulgere, ut possint dispensare cum eorum subditis super quibuscumque irregularitatibus, ex illis semper excipitur ea quæ provenit ex bigamiâ; sicut videmus inter cæteros in Constitutione Pauli III, quæ incipit : *Licet debitum*, quâ conceditur generali, et de ejus licentiâ, provincialibus, præpositis Societatis Jesu, pro tempore existentibus, et illorum vicariis et loca tenentibus, ut cum ejusdem societatis personis, qui ex quâvis causâ, irregulares fuerint, præterquàm ex causâ homicidii voluntarii, bigamiæ et mutilationis membrorum, valeant dispensare.

Non obstantibus. — Eâdem bigamiâ ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etc. Hæc enim clausula tollit omnia quæ gratiæ obstare possunt, ut per Rot. decis. 506, num. 1, p. 1, in recent.

Necnon Ecclesiarum, in quibus, etc. — Quid contineat et operetur hæc clausula derogatoria statutorum, abundè dicam in meâ Praxi benef. tom. 1, c. 7, per tot.

Datum. — Triplicem datam habemus in rescriptis apostolicis, quæ nihilominùs idem tempus demonstrat : prima est, quando statim ac fuerit signata supplicatio, defertur ad officialem *parvæ datæ* nuncupatum, qui in calce ipsius supplicationis notat parvam datam; quæ propterea *parva* appellatur, quia paucis verbis inscribitur, videlicèt : Apud sanctum Petrum quarto kal. junii, anno decimo sexto, quæ ideò statim apponitur, ut dignoscatur quo die gratia concessa est; quod ita servatur, sive gratia sit concessa à Papâ, sive ab alio, ejus nomine. Scias tamen quòd hæc parva data, in supplicatione apposita, nullam fidem facit in judicio, nec aliquid operatur quoad alios, sed tantùm apud D. datarium qui illam, si sibi videtur, latiùs modo infrascripto extendit; ac multoties dat indifferenter has parvas datas, postea autem, ex causâ sibi benevisâ, illas extendere recusat, et hæ sunt temporales; quia post quoddam tempus, non solet eas extendere, et sic inserviunt in signum memoriæ super gratiâ concessâ vel concedendâ, ut ad datam illius temporis retrotrahatur, teste Mandos., reg. 15, quæst. 2, num. 5.

Secunda data est, cùm per ipsum D. datarium, post revisam supplicationem à revisoribus ad id deputatis, apponitur in ipsâ supplicatione paulò supra parvam datam, dicendo sic : Dat. Romæ, apud sanctum Pe-

trum, quarto kal. junii, anno decimo sexto. Ipsius enim D. datarii proprium munus est, datare omnes supplicationes, tam gratiæ quàm justitiæ, extendendo ipsam datam, ut dictum est. Quod quidem munus dandi erat etiam antiquitùs concessum insigni personæ quæ primicerius vocabatur, cui inter protonotarios, in signum majoris prærogativæ, concessa erat hæc facultas, et exindè pervenit ad manus bibliothecarii sedis Apostolicæ, qui pro vicecancellario accipiebatur, ut ait Sarnen. in proœm. regul., q. 1, n. 6, et ab ipso bibliothecario observatum est, pervenisse ad unum ex insignibus prælatis Romanæ curiæ; unde hoc datarii munus excelsius sublimiusque cunctis omnibus censetur, licèt illius officium per obitum summi Pontificis omninò expiret, ut ex Constitutione Pii IV, 61, super reformatione conclavis in electione Romani Pontificis, constat; quâ etiam cavetur ut ipse datarius non solùm datas, per eum antea notatas, extendendi potestate careat, sed quascumque supplicationes, sive gratiæ, sive justitiæ, quæ tempore obitùs prædicti summi Pontificis penès eumdem datarium et ejus officiales datariæ reperiuntur, etiamsi supplicationes ipsæ datatæ fuerint, collegio cardinalium statim sub sigillo clausas, præsentare teneatur, futuro summo Pontifici reservandas; prohibendo insuper ne cardinales et prælati signaturæ gratiæ et justitiæ, ipsâ sede vacante, supplicationes et commissiones aliquas, etiamsi supplicantes, parvas datas, ut moris est, antea obtinuerint, signare valeant; sed eorum officia omninò cessare intelligantur; quòd si contra præmissa quidquam ad cujusvis, etiam cardinalis, instantiam, attentare præsumpserit, irritum et inane existat et nihilominùs falsi crimen incurrat; illius rationem futuro Pontifici redditurus, ut in d. constit. quæ incipit: *In eligendis*, sub dat., Romæ, apud S. Petrum, 1562, septimo id. octobris, anno tertio.

Ac propterea, cùm omnia præmissa cessent per obitum summi Pontificis, introductum est ut, statim post illius decessum, fiat congregatio cardinalium tunc præsentium in Urbe, in camerâ consistorii, in quâ rumpitur annulus Piscatorius, et plumbum, ac postea mandatur, ut ad præscriptum dictæ constitutionis, sigillentur dictæ supplicationes et præsententur, ut suprà dictum est.

Tertia data est illa quæ pinguiùs extenditur in litteris, super supplicatione expediendis, et hoc modo videlicet: Dat. Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo sexcentesimo trigesimo octavo, quarto kal. junii, pontificatûs nostri anno decimo sexto.

De vi tamen et effectu datæ, sive parvæ, sive magnæ, satis multi scripserunt, ac propterea aliquid ampliùs hìc non repetam, ne eorum dicta transcribere videar, quamvis aliqua de necessitate dicam in meis Additionibus ad Hieron. Paul. cancell. Apost. correctorem, lib. 5, c. 9, à n. 51 ad 61.

Romæ. — Ubi propria sedes est summi Pontificis, cùm Romana civitas obtineat principatum et caput nationum, ut in cap. *Fundamenta*, de Elect., in 6, et ibi fuerit divinitùs sedes Apostolica ordinata, cap. *Per venerabilem*, qui filii sint legit., ac propterea justum est quòd Papa ibi resideat, Gonz., Gloss. 13, num. 5, quòd divinâ providentiâ constitutum est, nam licèt ipse Papa peculiari nomine vocetur episcopus urbis Romæ, c. *Si quis Episcopus*, 7, quæst. 1, est tamen propriè ordinarius cunctorum, Host. in c. *Dilecti filii*, n. 5, de For. comp., quia licèt urbs Roma non dicatur habere diœcesim, Burgas., de Irregul., p. 6, q. 2, n. 4, nihilominùs neminem latet, Papam totum orbem habere pro propriâ diœcesi, Felin. in c. *Gratiæ*, num. 2, vers. *Et de hoc aliàs*, de Offic. ordin., sicut etiam totus mundus dicitur parochia Papæ, id. Gonz. in § 1, proœm. num. 7 et 8, et sic tanquàm pater omnium, cùm vices Dei gerat, c. ult. de Pact. in 6, extendit commodiùs manus suas per totum, ut omnibus suis dilectis filiis provideat, illosque custodiat, gubernet et regat, undè non immeritò dicta sedes collocata est in urbe Romanâ, cùm illa in medio mundi sita sit, ut per Mandos., reg. 16, q. 41, num. 7, per auctorem ibi per eum allegatum, cujus verba sunt hæc: *Cùm ergo à naturâ rerum hæc ita sint in mundo collocata, ut omnes nationes immoderatis mixtionibus sint disparatæ, placuit ut inter spatia totius Orbis terrarum regionumque medio mundi populus Romanus possideret fines*, etc.

Quamvis ex pluribus datis diversarum litterarum apostolicarum, legamus multos summos Pontifices ad diversa loca, ex diversis causis se transtulisse ut, inter cæteros, legitur de Alexandro IV, qui cùm esset pronuntiatus summus Pontifex in hâc civitate Neapoli, confirmavit in ipsâ ordinem fratrum et militum hospitalis leprosorum sancti Lazari Hierosolymitani, sub regulâ S. Augustini, sub dat., Neapoli, tertio kal. maii, anno primo.

Per multos etiam annos Romani Pontifices civitus persequentibus ab Urbe exulare compulsi sunt, ut patet, tum ex historiis, tum ex B. Bernardo, epist. 242 ad populum Romanum, et epist. 243 ad Corradum imperatorem; sponte quoque manserunt in Galliis, cum totâ curiâ, per annos septuaginta. Nihilominùs tamen sedes nunquàm translata fuit, aut Romanus episcopatus cum Avenionensi aut alio aliquo commutatus. Jussu enim Domini Romæ fixa est Apostolica Petri sedes, ut testatur S. Marcellus Papa et Martyr in epistolâ ad Antiochenos, ubi dicit Petrum, jubente Domino, Romæ sedem suam ex Antiochiâ transtulisse; id etiam testatur B. Ambrosius in Oratione de non tradendis basilicis, ubi refert Christum omninò voluisse ut Petrus Romæ moreretur, et idcircò ei fugienti dixisse: Venio Romam iterùm crucifigi; quod est manifestum signum Deum voluisse, per mortem Petri, Romæ firmari ejus sedem, ut optimè argumentatur Bellarm., lib. 4, de Rom. Pontif., cap. 4.

Ex quibus colligitur quòd actualis etiam Papæ residentia debeat esse Romæ, Oldrad., cons. 85, num. 1, qui in fin. ait quòd, quando Constantinus dedit Urbem B. Sylvestro, ista fuit potissima ratio, quia non erat dignum quòd, ubi sedebat vicarius Christi, aliquis ha-

beret terrenam potestatem, ut in c. *Fundamenta*, de Elect., in 6, unde legimus quòd Gregorius Papa XI ex Galliâ Romam se contulit, motus maximè verbis cujusdam episcopi, qui interrogatus à Pontifice dùm simul ambularent cur non rediret ad Ecclesiam suam, quando malum erat tamdiù illam sine pastore nudam relinqui, respondit : Cur tu, summe Pontifex, cæteris exemplum daturus, tuum episcopatum non repetis? qui Romam reversus, ibi mortuus est, ut legitur in Sum. Concil., c. 69, fol. mihi 410.

Apud S. Petrum. — Licèt enim ex expressione loci generalis, tacitè deprehendatur locus specialis, cùm sit quasi notorium, ubi Papa manet, Archid. in c. *Abbate sanè*, de Re judic., et in c. *Cùm Redemptor*, 12, q. 3, tamen apponitur locus specialis, causâ demonstrationis, ne forsan contingat gratiam concessam falsitatis redargui; maximè, cùm possit per eam alicui præjudicium inferri, ut in Auth. *Quibus mod. nat. effic. legit.*, sicut dicitur de instrumento, in quo ob eamdem rationem, debet fieri mentio de loco speciali, ubi celebratum est, Joan. Andr. in c. *Inter dilectos*, vers. *Facilius*, de Fid. instrum.; Angel. in l. *Scripturas*, c. *Qui potiores;* et sic data erit apud S. Petrum, si Papa resideat in palatio Vaticano, quod ita dictum est, ex eo quòd populus Romanus eò potitus sit vatum responso, secundùm Fest., vel à vaticiniis, quæ ibi dari solebant vi atque instinctu Dei Vaticani, ut ait Gell., l. 16, c. 17. Si verò Papa commoretur, sicut æstivo tempore commorari consuevit in monte Quirinali, sic dicto, quòd in eo Quirini templum erat, qui hodiè, à duobus equis marmoreis in hoc colle sitis, vulgariter monte Cavallo nuncupatur, tunc dicetur : Dat. Romæ in monte Quirinali; tempore autem Pauli V, quando commorabatur in ipso monte Quirinali, ob eximiam ipsius erga Dei genitricis devotionem illiusque ecclesiam S. Mariæ Majoris, in quâ celeberrimam capellam suo nomine construi curavit, voluit quòd deinceps diceretur : Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, etc. Et sicut quando Papa commoratur extra Urbem, scilicet in villâ Tusculanâ, dici consuevit Dat. Tusculi, imò antea dicebatur : Dat. Frascati Tusculan. diœcesis, ita cùm sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII commoraretur in arce Gandulphi, dicitur : Dat. in arce Gandulphi Albanen. diœcesis, quamvis aliàs dici posset, quòd in quovis loco Papa moram trahat, adhuc dicere posset : Dat. Romæ, cùm satis dici queat, quòd ubi est Papa, ibi Roma, etiamsi ille esset in tugurio rusticano reclusus, ut dixit Bald. super rub., ff. de rer. Divis., num. 24.

Anno Incarnationis Dominicæ, etc. — Hic annus ex stylo Curiæ incipit ab 8 kal. april., quæ est dies vigesima quinta Martii, Annuntiationi B. M. Virginis, et Incarnationi D. N. sacra. Cùm autem variæ fuerint apud diversas mundi nationes annorum ac temporum supputationes; alii enim lunationum rationem habent, ut Sinenses, Japonenses, Æthiopes, ut ex eorum historiis patet; alii Olympiadum, hoc est, singulorum quinquiennium à ludis Olympicis, ut Plutarch. in lib. de Homero, à principio; alii à constructione vel destructione urbium insignium, ut à Româ conditâ, Trojâ eversâ, et similibus; Ecclesia tamen catholica ab Incarnatione dominicâ potiùs quàm à creatione mundi aut aliter exorditur; tum ob insigne nostræ Redemptionis beneficium, quod est omnium maximum, ut enim ait B. Gregorius, *nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset;* tum quia inde incipit sexta mundi ætas usque ad seculi finem duratura.

Quarto kal. junii. — Ad evitandas fraudes ubi præcedunt dictiones numerales, emanavit regula cancellariæ apostolicæ, quâ præcipitur ut dictiones numerales in litteris apostolicis ante kalendas, nonas et idus, per litteras et syllabas extensè scribantur, et si aliter scriptæ fuerint, ad bullariam mittantur. Quod sanè puto extractum ex text. in l. 2, § *Eamdem pœnam*, de vet. jur. Enucl., ibi : *Numeros per consequentiam litterarum volumus, non autem per signa manifestari.* Ipsæ verò kalendæ, nonæ et idus non extensè scribuntur, sed abbreviatè, ut supra, scil. kal. non. id. secundùm cancellariæ Apostolicæ stylum, de quo testatur Mandos., super Reg. de diction. numeral., ubi optimâ ratione statutum id esse probat, nempe quia si ipsæ dictiones scriberentur abbreviatè, videlicèt, VI kal., posset addi num. I, et diceret VII, et sic de aliis; vel posset abradi illud I, et diceret V, et data, quoad tempus anterius vel posterius accommodari; quod minimè fieri poterit in casu dictionum kal. non. id.; in his enim non potest cadere aliqua suspicio, mutatio, additio vel deletio sinè evidentissimâ fraudis conjecturâ. Imò cùm ipsa fraus possit committi etiam in supplicatione, propterea D. datarius extendendo in eâ datam, ponit semper dictiones numerales per eamdem consequentiam litterarum, veluti dicendo : *Decimo septimo kal.*, et sic de singulis.

Quo verò ad dictiones, *kal. non. id.*, nec non alias, quæ etiam abbreviatè et truncatè scribuntur, nec propterea suspicionem fraudis afferre possunt, id factum fuisse observavimus ad evitandam prolixitatem litterarum. Unde scimus Pium II, causâ abbreviandi et reformandi stylum, voluisse quòd in litteris apostolicis quæ videlicet sub plumbo expediuntur, non apponerentur diphthongi, teste Hier. Paul. in suo Provinc. fol. mihi 7; sicut pari ratione factum esse putamus ipsas litteras sinè punctis et virgulis conscribi; cùm alias punctandi modus sit adeò necessarius tam in conscribendis epistolis, quàm aliis scripturis; prout etiam stylus inolevit ut etiam nonnullæ dictiones in ipsis litteris apostolicis, imò in supplicationibus non extensè, sed truncatè apponantur, præsertim civitates et diœceses, ut cùm dicitur *Neapolitana*, *Capuana*, *Aversana*, inscribatur, *Neapolitan.*, *Capuan.*, *Aversan.*, ut constat ex quàmplurimis locis decretalium, in quibus præsertim civitates sic abbreviatè appositæ sunt.

Hoc autem quoad datam litterarum apostolicarum sub plumbo. In litteris verò in formâ brevis sub annulo Piscatoris, alius servatur modus omnibus notus: quandoquidem, omissis supradictis dictionibus numeralibus, et iis quæ sequuntur, brevior apponitur ipsa data; exempli gratiâ : *Dat. Romæ apud S. Petrum sub*

annulo Piscatoris die 25 *januarii* 1658, *pontificatûs nostri anno decimo sexto;* quid si aliter hic extenderetur, nempe eo modo quo extenditur in dictis litteris sub plumbo, illæ erunt de falso suspectæ, tanquàm contrà Romanæ Curiæ stylum, per text. in c. *Quàm gravi*, de Crim. fals.

PONTIFICATUS NOSTRI ANNO DECIMO SEXTO. — Mos antiquissimus est tum sacrorum tum profanorum librorum ad temporum chronologias designandas, summorum principum annos in regno describere; et quidem in sacris litteris non solùm in prophetalibus, sed etiam in historicis compertum est : cùm etenim summus Pontifex, et ecclesiasticæ hierarchiæ, et supremi muneris sanctitate cunctis principibus, tum sacris tum secularibus, qui in utroque testamento ac in universo mundo notari possunt, longè præcellat, meritò ejus pontificatûs anni in suis diplomatibus designantur; notanter autem post Dominicæ Incarnationis annos describuntur; tum ut pontificia potestas ad Christum principem referatur qui est *Sacerdos in æternum*, tum ad significandum quòd post Christi potestatem excellentiæ, non sit potestas major in terrâ quàm ejus vicarii. Hæc autem pontificatûs notatio pertinet tum ad pontificiæ majestatis declarationem, tum ad litterarum apostolicarum pleniorem fidem, præsertim quoties dubitatio aliqua suboritur, cùm utraque chronologia referatur, Incarnationis Dominicæ, nimirùm, et summi pontificatûs. Ex quâ quidem temporum concordantiâ multæ hostium fallaciæ, multaque mendacia à sacris scriptoribus detegi solent, quod præsertim præstitit oculatissimus Bellarminus, tam sæpè contra omnes hæreticos quàm præsertim lib. 3 de Roman. Pont. cap. 24; ubi contra Platinam et alios fabulam de Joanne Papâ confutat. Et hìc notatur quòd annus pontificatûs incipit à die consecrationis et coronationis, quia de consuetudine ipse Papa non scribit pontificatum in datâ ante eamdem consecrationem et coronationem, sed, sicut supra diximus, loco pontificatûs nostri, dicit : *Suscepti à nobis apostolatûs officii anno primo ;* quamvis de jure ex solâ electione legitimè factâ summus Pontifex absque aliâ confirmatione, plenam administrationem consequitur; Franc. super datâ sext. Decretal., n. 7, pers. *Et adverte.*

CAPUT VIII.

Praxis expeditionis earumdem litterarum.

Porrò hujusmodi litteræ expediuntur in cancellariâ Apostolicâ, cum subscriptionibus ac manuum appositionibus plurium officialium; et primò taxantur à dominis scriptoribus apostolicis, deinde à reliquis officialibus, qui pro suis taxis accipiendis regulantur à taxâ supra dictorum scriptorum; hi enim officiales sunt abbreviatores minoris præsidentiæ, jannizzeri et collectores plumbi, præter alios officiales, qui licèt suas etiam manus apponant, nihilominùs in receptione suorum emolumentorum non regulantur à taxâ eorumdem scriptorum.

Præsertim verò omnes hujusmodi litteræ subscribuntur ab aliquo ex dominis abbreviatoribus majoris præsidentiæ, et sine tali subscriptione, voluit Leo X illas esse nullas, ac illis utentes teneri pœnâ falsi, ac sententias, censuras et pœnas ecclesiasticas contra falsarios litterarum apostolicarum incurrere.

Ratio autem est quia prædicti domini abbreviatores (ut de his obiter pauca dicamus) sunt magnæ auctoritatis circa ea quæ concernunt expeditiones litterarum cancellariæ, unde voluit Martinus V quòd cùm deceat abbreviatores litterarum prædictarum assistentes vicecancellario, aut locum tenenti seu præsidenti in hujusmodi litterarum in cancellariâ prædictâ, expeditione, abbreviaturæ litterarum ipsarum officium, esse sufficientes et expertos, ac etiam circumspectos, prudentes et probos, nullus de cætero ad assistendum prædicto vicecancellario, seu locum tenenti vel præsidenti in litterarum apostolicarum expeditione, nisi per majorem partem ipsorum abbreviatorum continuantium cancellariam antedictam, primitùs examinatus fuerit, et ad id repertus sufficiens et etiam approbatus, nullatenùs admittatur, ut in suâ Constitutione, quæ incipit : *In apostolicæ dignitatis*, sub dat. Gabennis kal. septembris anno primo.

Quâ etiam statuit quòd prædicti abbreviatores, horâ super hoc, per vicecancellarium prædictum deputandâ singulis diebus, quibus ipsa cancellaria tenebitur ad eam venire, et in ipsâ quousque tenta fuerit, residere debeant; nec interim ab ipsâ recedere possint, cessante excusatione legitimâ, quam eidem vicecancellario, aut locum tenenti, seu præsidenti, si præsentes fuerint, vel in eorum absentiâ, prædictis assistentibus exprimere debeant, vel jurare se legitimam excusationem habere, nisi super hoc à vicecancellario vel locum tenente licentiam habuerint specialem.

7. Horum autem abbreviatorum collegium fuit primò institutum à Pio II, ac postea innovatum à Sixto IV, per suam constitutionem quæ incipit : *Divinâ*, sub dat. Romæ apud S. Petrum 1478, tertio id. januarii, pontificatûs sui anno nono; in quâ voluit quòd in cancellariâ apostolicâ præter alios officiales, esse debeant septuaginta duo abbreviatores duntaxat, inter quos duodecim præsidentes de Parco majori, viginti duo de Parco minori, reliqui verò examinantes litteras in primâ visione, et omnes abbreviatores nuncupentur et existant, ac unum collegium invicem constituant; et quòd ad hujusmodi officium non admittantur nisi probi viri, et in ætate decenti constituti, ac in officio abbreviatoriæ instructi. Ex quibus abbreviatoribus, sex de majori præsidentiâ, septem de minori Parco, ac octo examinatorum in primâ visione, dùm vacant, provisio spectat ad vicecancellarium; reliquorum verò ad summum Pontificem. His multa privilegia etiam Paulus V concessit, ex eo quòd ipsi in concessionibus gratiarum interpretandis et delucidandis egregias operas navare noscuntur, prout ipsemet Paulus in minoribus existens abbreviatoris hujusmodi munere fungens, plurium annorum experimento cognovit, ut in suâ Constitutione, quæ incipit : *Romani Pontificis*, sub dat. Romæ apud S. Petrum 1605 kal. julii.

Quò verò ad taxas à supradictis officialibus, pro

litterarum expeditionibus recipiendas, ac ad obviandum fraudibus tam in cancellariâ prædictâ quàm extra eam, alia officia exercentibus, emanavit constitutio Julii II, cujus tenorem hìc in studiosorum gratiam inserere placuit, qui talis est, videlicet:

Julius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Etsi Romanus Pontifex, in apostolicâ sublimitatis speculâ constitutus, ex debito pastoralis officii, divinâ dispositione sibi commissi, assiduâ meditatione cordis vigilare, et sollicitè intendere debet ut cuncta quæ christianæ reipublicæ commoditatem et utilitatem respiciunt, salubriter dirigantur; per Apostolicæ tamen Sedis officia, per quorum exercitium, in spiritualibus et temporalibus fidelium negotia geruntur, si qua labentis temporis cursu, aut calamitate, seu perversorum malitiâ excrescente, per ipsos officiales deformata fuerint, ad statutum debitum redigenda, solertioris diligentia studium vertit, ut per suæ provisionis ministerium appetitus noxii limitentur, Christique fideles perinde non lædantur, sed justitiâ et æquitate vigente, inordinata et damnosa, ad debitæ reformationis reducantur effectum, prout rerum et temporum qualitate pensatâ, conspicit in Domino rationabiliter expedire. Sanè, non sine gravi molestiâ accepimus quòd quamvis per fol. record. nonnullos Romanos pontifices, seu ab eis deputatos, et per nos in institutione et erectione seu aliàs regimine et gubernatione officiorum prædictorum, quantum illorum officiales pro taxis, salariis, emolumentis, laboribus, seu mercedibus eorum, recipere deberent, diversæ constitutiones, ordinationes et statuta edita fuerint, tamen plurimi officiales præfati, sive temporum adversâ conditione inducti, aut avaritiâ excæcati seu prædecessorum nostrorum indulgentiâ et mansuetudine abutentes, eorum conscientiarum prodigi, excommunicationis sententiam contra eos latam et promulgatam, qui contra fecerint; inordinationum et statutorum hujusmodi contemptum incurrere non expaventes; constitutiones, ordinationes et statuta præfata non observant; sed in taxis, salariis, seu mercedibus recipiendis, facultatibus ampliandis et extendendis, modum et formam in eis expressam excedunt; quinimò (quod etiam nullatenùs ferendum est) etiamsi nihil eis à partibus negotia prosequentibus debeatur, nova gravamina et angarias quotidiè imponentes, pro eorum arbitrio pecunias expetunt et exigunt, in animarum ipsarum periculum, et partium detrimentum, perniciosum exemplum et scandalum plurimorum, totiusque Romanæ Curiæ infamiam et jacturam. Nos igitur attendentes quòd fideles præfati, ex diversis mundi partibus, tùm ad dictam Sedem venerandam, tùm ad animarum salutem promerendam et procurandam, et pro incumbentium negotiorum expeditione accedunt, indecens, iniquum et non tolerandum fore duximus, pietatem in dispendium retorqueri. Cupientes igitur hujusmodi damnandis conatibus et indebitis exactionibus, more boni pastoris cujus non est pati ovem deglutiri, sed conservari, opportunè providere, habitâ super his cum venerabilibus fratribus nostris (Raphaele Ostiens camerario, et Marco Prænestin. episcopis, et Thomâ tt. S. Martini in Montibus, et Leonardo tt. S. Susannæ Majori pœnitentiario, nec non Antonio tt. S. Fitalis, et Petro tt. S. Eusebii presbyteris, et Alexandro S. Eustachii; et Loysio, S. Mariæ in Cosmedim, diaconis, S. R. E. cardinalibus, reformatoribus per nos nuperrimè deputatis) discussione et deliberatione maturâ, pro utilitate et conservatione dictæ curiæ officialium, ac ad tollendos clamores, querelas et quærimonias, quæ in dies propterea audiuntur, motu proprio, non ad aliquorum, nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostrâ merâ deliberatione; et ex certâ scientiâ, constitutiones, ordinationes et statuta prædecessorum præfatorum, et nostra hujusmodi, circa taxas, salaria et emolumenta, facultates, et mercedes dictorum officialium disponentia auctoritate apostolicâ, tenore præsentium innovamus, et quoad illa (ut in eis continetur) statuimus, et ordinamus, illisque stare, et ea inviolabiliter observari debere decernimus. Et nihilominùs omnibus et singulis urbis nostræ gubernatori, senatori, cameræ Apostolicæ auditori, clericis et præsidentibus, notariis dictæ sedis de numero participantium ac secretariis nostris, subdiaconibus, acolitis, cæremoniarum clericis, cubiculariis, litterarum apostolicarum, etiam de majori præsidentiâ abbreviatoribus, scriptoribus et sollicitatoribus, earumdemque, ac pœnitentiariæ apostolicæ, brevium apostolicorum; et archivii Romanæ Curiæ scriptoribus, plumbi, et ipsarum litterarum ac supplicationum per nos, et de mandato nostro signatarum, registrorum magistris; clericis, et registratoribus, plumbatoribus, taxæ plumbæ collectoribus, audientiæ contradictarum, et causarum palatii apostolici auditoribus, judicibus, et commissariis Curiæ præfatæ, pœnitentiariæ et audientiæ hujusmodi procuratoribus, advocatis consistorialibus, cursoribus, sacri palatii apostolici, cameræ, et auditoris cameræ notariis, ripæ præsidentibus, parafrenariis nostris et venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, servientibus armorum officialibus ad portam ferream, cæterisque officialibus sedis et Curiæ prædictarum, nunc et pro tempore existentibus, ne pro taxis, mercedibus, emolumentis, laboribus, regalibus, aut cujusvis alterius lucri et receptionis nomine, aliud in pecuniis, rebus, bonis aut promissionibus, quomodocumque et qualitercumque directè, vel indirectè, etiam à sponte dantibus et offerentibus, ultra quàm in eorum officiorum primævâ institutione seu erectione respectivè (si de eâ constare aut apparere potest, et in eâ de taxis, salariis, mercedibus vel emolumentis hujusmodi, caveatur) aliò quin, quàm temporibus piæ memoriæ Nicolai V, Calisti III et Pauli II, etiam prædessorum nostrorum Romanorum pontificum officiales, qui tunc temporis officia hujusmodi obtinentes et exercentes, similiter respectivè capiebant seu capere poterant, seu consueverant, petere, recipere, vel exigere per se vel alium præsumant sub excommunicationis latæ sententiæ, à quâ (excepto mortis articulo), non nisi per Romanum Pontificem absolvi possint, et pro primâ, centum ducatorum auri de camerâ, pro secundâ suspensionis exercitiis et perceptionis emolumentorum ad sex menses fabricæ basilicæ principis apostolorum dictæ Urbis, applicandorum; pro tertiâ verò vicibus, quibus contrafecerint, privationis officiorum pœnis, ipso facto incurrendis (absque aliquâ de-

clarationè) mandamus. Nec non ipsos officiales contra facientes, ad restituendum quidquid ultra promissa receperint, illis à quibus ea perceperint, obligatos fore decernimus et declaramus. Quarum pœnarum executores, venerabiles fratres nostros camerarium, vicecancellarium, et pœnitentiarium majorum, S. R. E. cardinales, qui nunc sunt et pro tempore erunt, esse volumus. Et ipsis non exequentibus, aut non curantibus procedere, juxta qualitatem officialium eis subditorum, et ab ipsis dependentium; executionem dictarum pœnarum per prædictos venerabiles fratres nostros reformatores, et quemlibet ex ipsis octo cardinalibus insolidum, fieri volumus et mandamus, omni prorsùs exceptione et cavillatione remotis, ipsosque ex nunc executores præmissorum facimus, constituimus, ordinamus et eorum quemlibet. Ne tamen propter præmissa gravamina et indebitas exactiones, ac inhonestas taxas in perniciem publicæ utilitatis tendentia, et tendentes, aliquibus officiis in Romanâ Curiâ, per inadvertentiam, vel aliter tempore institutionis et fundationis per bon. mem. prædecessores nostros, vel non impositas approbare et confirmare videamur, declaramus, tenore præsentium, nostræ intentionis non fuisse, nec esse, illa aliquo modo probare seu confirmare per præmissa, sed habitâ cum reformatoribus maturâ et diligenti discussione, et examine, ad rectitudinis et æquitatis normam reducere et reformare, illasque et illa corrigere et emendare. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, statutis quoque et consuetudinibus officiorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, aut quâvis aliâ firmitate roboratis privilegiis, indultis, litteris et mandatis Apostolicis, etiam in quinterno cancellariæ Apostolicæ, aut libris cameræ præfatæ, vel alibi descriptis, publicatis et innovatis etiam motu et scientiâ similibus, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, fortioribus, efficacioribus, insolitis, aut magis urgentibus, ac damnorum, etiam pro fide catholicâ passorum, jurium cessorum seu ablatorum, vel quâvis aliâ grandi et inexcogitabili consideratione, intuitu vel respectu, officiis seu officialibus hujusmodi concessis (quibus etiamsi de illis eorumque tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, et in eis cavcretur expressè quòd in illis non nisi sub certis inibi expressis modis et formis, aut nullatenùs derogari possit, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus inserentur, pro expressis habentes, motu et scientiâ prædictis derogamus), cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ innovationis, statuti, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, deputationis, constitutionis, declarationis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, tertio kal. aprilis, pontificatûs nostri anno nono.

At verò, cùm ex supradictâ constitutione summis pontificibus successoribus, neque satis cautum videretur, supradictis fraudibus evitandis: per regulam cancellariæ Apostolicæ, quam quilibet summus Pontifex cum aliis regulis innovat provisum est, ne officiales aliquid exigant ultra debitum, sub gravissimis pœnis.

Et hæc quoad supradictos officiales: quò verò ad alios, qui aliquid pro justitiâ vel gratiâ obtinendâ promittunt, vel recipiunt saluberrima emanavit constitutio Gregorii XIII, per quam habetur, excommunicationem incurrere eos qui pro prædictis obtinendis apud Sedem Apostolicam promittunt, dant vel accipiunt aliquod; imò et scientes non revelantes intra triduum, quin etiam utentes sic obtentis, et auxilium, consilium, vel favorem ad id præstantes; nec ab aliquo, quàm à Papâ posse absolvi, omniaque obtenta esse invalida, et omnes sua beneficia et officia perdere ipso jure, et aliàs, prout in dictâ constitutione, quæ tanquàm speculum, cùm illa maximopere vigeat, ante omnium oculos hìc per extensum suonectere non incongruum visum est, cujus tenor sequitur, videlicet:

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso pontificatûs nostri principio, quàm maximè possumus, innitimur atque contendimus, ut domus et Curia nostra à sordibus expurgetur. Cui salubri consilio incumbens fel. record. Bonifacius Papa VIII excommunicavit, et anathematizavit omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexûs, sive familiares Curiæ, sive undecumque alios, qui aliquod pactum facerent; seu quid parùm, vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occultâ vel manifestâ, sive sub verbis generalibus, et plenè non expressis, sive specialibus, et aperiè expressis factâ, quidquam darent aut reciperent pro justitiâ sive gratiâ, sive pro se, sive pro alio, in causis, vel judiciis, seu aliàs per litteras apostolicas, et quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, et eam sententiam ad promittentes et acceptantes, dantesque et recipientes dixit extendendam: illos etiam qui sibi intra triduum non renuntiarent eum quem in culpâ esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere; ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam, absque speciali mandato suo absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus; sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi priùs erogatum esset pauperibus quantùm ille dedisset vel etiam recepisset. Justitiæ verò, sive gratiæ expeditiones sic obtentæ nullius prorsùs essent roboris vel momenti; et scienter illis utentes simili sententiâ innodavit; ac reservans sibi absolutionem eorum cum prædictis, ad pœnas similes in omnibus obligavit. Sed hoc scelus ita hodiè in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstûs potentiorum suffragationibus adnixi hujusmodi negotiorum expeditiones hàc illàc conquirentes turpissimè nundinentur. Alii alios quos gratiâ præstare arbitrantur, donis, pollicitationibus ambiant. Quidam etiam se talium operam atque indu-

triam pretio et muneribus quæsisse affingant. Quæ cùm pessima sint et Curiæ prædictæ existimationem gravissimè offendant, in eos qui talia agunt, animadvertendum fore arbitrati, constitutionem prædictam cum suis censuris et pœnis omnibus innovamus; easdemque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum, quæ adscripsimus, dantesque illis et aliis supradictis auxilium, consilium vel favorem. Quin etiam eos omnes omni beneficio et officio ecclesiastico et seculari, sive temporali, sive perpetuo ipso jure privamus, ac privatos esse declaramus, et præterea infamiâ subjectos perpetuò ac inhabiles ad illa et alia esse volumus. A quibus etiam prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo. Illis tamen qui rem adhuc incognitam, complicesque fautores, et socios detexerint, impunitas concedatur. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, nonis novembris, pontificatûs nostri anno tertio.

M. Datarius.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexiis.

Registrata apud Cæsarem secretarium

Anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, indictione secundâ, die verò octavâ mensis novembris, pontificatûs santissimi in Christo Patris, et Domini nostri domini Gregorii divinâ providentiâ Papæ XIII, anno tertio, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, et publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranens. et Principis Apostolorum de urbe, nec non cancellariæ Apostolicæ, et in acie Campi Floræ per nos Alexandrum Anstancollum, et Antonium clerici sanctissimi domini nostri Papæ cursores, Petrus Aloysius Gayta magister curs.

Contra illos autem, qui etiam fraudulenter non uterentur, litteras apostolicas in ipsâ cancellariâ gratis, sub ficto colore exemptionis, expedire, emanavit etiam *motus proprius* Leonis X, quem, cùm adhuc sit in viridi observantiâ, tanquàm nimis salutarem, ut omnibus innotescat, etiam inserere hìc placuit, qui est talis, videlicet:

Motu proprio, etc. Inhærendo vestigiis prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, cùm, sicut non absque gravi displicentiâ accepimus, nonnulli animæ suæ prodigi, et avaritiæ morbo laborantes, ut litteras apostolicas gratis expediant, et Romanæ Curiæ officiales debitâ eorum portione defraudent, in eisdem litteris nonnunquàm venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. vicecancellarii, et aliorum cardinalium aut dilectorum filiorum abbreviatorum de majori præsidentiâ seu litterarum prædicturum scriptorum, nec non aliarum personarum quarumcumque, ex quarum qualitatibus et privilegiis, sive antiquâ consuetudine, litteras ipsas gratis expedire solent, nepotes et quandoque germanos, interdùm verò familiares continuos commensales fuisse et esse affirmare, et ut tales in dictis litteris se inscribi facere et fecisse non vercantur, cùm reverà tales non fuerint, in animarum suarum periculum ac officiorum ejusdem Romanæ Curiæ non modicum præjudicium, et gravamen: nos igitur fraudibus et deceptionibus huiusmodi, prout nostro incumbit officio, de remedio opportuno providere volentes, motu proprio, et ex certâ nostrâ scientiâ ac de apostolicæ potestatis plenitudine, omnes et singulos, cujuscumque statûs, gradûs vel conditionis fuerint, et quocumque nomine nuncupentur, qui se vicecancellarii, aut aliorum cardinalium vel abbreviatorum, seu scriptorum eorumdem aut aliarum personarum quarumcumque ex quarum qualitatibus et privilegiis, sive ex antiquâ consuetudine hujusmodi litteras ipsas in toto, vel in parte gratis expedire solent, nepotes, fratres, aut familiares continuos commensales, in eisdem litteris, etiam motu proprio concessu nominaverint, si reverà tales nepotes aut fratres vel familiares continui commensales non fuerint; necnon officiales præmissa fieri procurantes seu permittentes, excommunicationis sententiam, à quâ non nisi per Romanum pontificem pro tempore existentem (articulo mortis excepto ac debitâ satisfactione præviâ) absolvi possint, auctoritate apostolicâ per præsentes innodamus, eosque excommunicationis sententiam hujusmodi in dictum eventum ex nunc prout ex tunc, et è contra incurrisse declaramus, et pro talibus publicè judicari mandamus; ac ipsos officiales procurantes seu permittentes hujusmodi, à suorum ocffiiorum perceptione emolumentorum per annum continuum, ultrà alias pœnas quas propterea incurrent, omninò suspendimus. Et nihilominùs concessiones et gratias in eisdem litteris contentas quascumque ipsasque litteras hactenùs tàm per cameram quàm cancellariam expeditas et expediendas viribus omninò carere, eisque quos concernunt, et eorum singulis in aliquo suffragari non potuisse, neque in futurum posse, sed omninò surreptitias, invalidas et nullas fuisse, esse, et fore. Sicque per quoscumque judices, etiam S. R. E. cardinales, ac sacri palatii apostolici auditores in quâcumque instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter interpretandi et judicandi facultate, interpretari et judicari debere, ac irritum et inane quidquid secùs super iis quâvis auctoritate etiam per nos et successores nostros Romanos pontifices, qui pro tempore fuerint, scienter vel ignoranter contigerit, attentari, motu et scientiâ similibus decernimus et declaramus; ac volumus quòd mandatum, decretum et declaratio nostra hujusmodi in cancellariâ apostolicâ publicentur, et in illius libro describantur, ac perpetuis futuris temporibus observentur. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque privilegiis et indultis, eisdem vicecancellario et aliis cardinalibus, ac quibusvis personis, sub quibusvis verborum formis et clausulis, etiam derogatoriis concessis, et in posterum concedendis, quæ eis aut eorum alicui, quoad præmissa, nullatenùs volumus suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque.

Placet publicetur et describatur. I.

Lectum et publicatum fuit supra scriptum mandatum Romæ in cancellariâ Apostolicâ, anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimo septimo, die verò vigesimâ mensis februarii, pontificatûs sanctissimi Domini nostri Leonis Papæ X, anno quinto.

Præposuimus modum expediendi litteras apostolicas, datas ab ipsomet Pontifice, qui supplicationem

sign vit; verùm quia sæpè contingit post obitum ejusdem Pontificis supplicatione tantùm ab eo signatâ litteris autem super eâ nondùm expeditis, illas expediri ab illius successore, in formâ : *Rationi congruit;* operæ pretium esse duximus, illa tantùm hìc adnotare quæ circa hanc praxim et Romanæ Curiæ usum cognovimus adnotanda.

Et priùs sciendum est quòd inter alias cancellariæ regulas, quas summus Pontifex mandat publicari in crastinum suæ assumptionis ad apostolatûs apicem, adest regula de *Concessionibus expediendis, in formâ : Rationi congruit,* quæ hodiè decima inter regulas D. N. Urbani Papæ VIII, et generaliter hæc regula videtur præsertim tracta ex corpore juris canonici, nam in c. *Litteris,* de Rescript. videmus quòd in casu in eodem text. expresso, Papa exequitur concessa per prædecessorem suum, ibi : *Cùm factum prædecessoris nostri potiùs quàm nostrum fuerimus prosecuti;* et sic mentionem tantùm facit de concessione factâ à prædecessore, nihil de novo concedendo, sed solùm attestando, vel fidem faciendo, et gratiam à prædecessore factam executioni demandando; Mandos. super hâc reg., quæst. 2, num. 5. Et sic patet quòd per hanc concessionem expeditionis in dictâ formâ, non inducitur confirmatio, seu comprobatio gratiæ per prædecessorem factæ, quia Papa successor in expeditione litterarum hujusmodi, solùm attestatur super gratiâ jam factâ, et litteræ expediuntur ut illa possit executioni demandari; Bald. in l. *Humanum,* c. de Leg. ad not. in cap. *Si super gratiâ,* de Off. deleg. in 6. Ratio autem peculiaris est quòd licèt Papa moriatur ante confectionem litterarum, non tamen expirat jus quæsitum oratori, sed debent fieri litteræ à successore; Franc. in proœm. decret. lib. 6, § fin., n. 2, circa med., et propterea, ne gratiæ factæ et non expeditæ reddantur inutiles, cùm sine litterarum expeditione probari non possint, ex regulâ *de non judicando juxta formam supplicationis;* et aliâ, *quòd dispensationes nulli suffragentur, litteris non expeditis,* emanavit hæc regula, *de litteris expediendis in formâ : Rationi congruit;* quod quidem non solùm locum sibi vindicat in summo Pontifice, verùm etiam in quocumque principe seculari, qui tenetur litteras expediri facere super gratiis ab ejus prædecessore concessis, Gonz. Gloss. 12, num. 49; unde per talem expeditionem litterarum nullum jus additur, aut conceditur, seu confirmatur, imò nec ipse Papa, nec eorum officiales præpositi, litterarum expeditionibus provisionem, seu aliam gratiam forsan invalidam, seu jus inutile confirmare intendunt, id. Mandos. q. 10, num. 2, et paulò superiùs dictum est.

Idem esset si Papa concessisset gratiam solo verbo, prout potest, cap *Institutionis,* 25. q. 2, Clem. *Dudùm,* § ult. de Sepult.; Arch. et Joannes Andræas in proœm. 6; Gemin. cons. 106, col. 3, post num. 6; Felin. in cap. *In nostrâ,* de Rescript.; Jas. cons. 146, col. 5, post n. 3; Cassad. decis. 4, num. 2, de caus. poss. et propr.; nam, ut ait id. Mand. quæst. 11, sub num. 2; ratio hujus regulæ non magis militat in gratiâ super quâ supplicatio signata est, quàm super gratiâ verbo tantùm factâ, et in fine addit quòd si Papa mandaret expediri litteras in formâ : *Rationi congruit,* super gratiâ olim verbo factâ et per testes probatâ, jure procederet; verùm si id denegaret, nemini injuriam faceret, resistente cancellariæ stylo, qui litteras in formâ : *Rationi congruit,* nunquàm concedere solet nisi super supplicatione signatâ; quòdque si Papa prædecessor supervixit post gratiam verbo concessam, orator sibi imputet, qui dùm gratiam obtinuit, non curavit super eâ signari supplicationem; et propterea nullo modo est audiendus.

Regula autem hæc habet locum in quibuscumque supplicationibus et gratiis per illas concessis, cùm illius verba indistinctè loquantur, quæ, ut statim ante oculos habeas, hìc inserere volui, et sunt videlicet : *Item voluit idem D. noster Papa quòd concessa per fel. record. Paulum V et Gregorium XV prædecessores suos, et de eorum mandato expediantur in formâ : Rationi congruit, à die assumptionis suæ ad apostolatûs apicem, et idem quoad concessa per piæ memoriæ Leonem XI etiam prædecessorem suum, ad sex menses duntàxat ab ipso die assumptionis incipiendos, observari voluit.* Ex quâ quidem etiam patet quòd permittit litteras posse expediri sub hâc formâ, non solùm quoad concessa per Paulum et Gregorium prædictos, verùm etiam per Leonem XI; in regulis autem aliorum pontificum videmus hanc facultatem extendi ad duos tantùm prædecessores; hìc tamen extendit ad tres pontifices, dùm comprehendit etiam concessa per Leonem XI, ut in regulâ 10 Urbani Papæ VIII.

Verùmtamen non omittam quòd licèt in regulâ supradictâ restricta sit facultas expediendi ad sex menses duntaxat, et propterea videatur, quòd dictum tempus non possit ampliari, nihilominùs vidimus quòd semper summi pontifices tolerare solent et concedunt facultatem expediendi hujusmodi litteras in toto pontificatu ipsius pontificis viventis, saltem super supplicationibus signatis à pontifice immediatè prædecessore. Ut autem per extensum percipias quid contineat, et quomodo concipiatur formula : *Rationi congruit,* rationi itidem consonum existimavi eam super aliâ re hìc in extensum apponere, quæ talis esse potest, videlicet :

URBANUS *episcopus servus servorum Dei, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. Rationi congruit, et convenit honestati, ut ea quæ de Romani Pontificis gratiâ processerunt, licèt ejus superveniente obitu, litteræ desuper confectæ non fuerint, suum sortiantur effectum. Dudùm siquidem fel. record. Paulo Papæ V prædecessori nostro pro parte dilecti filii N. N. clerici Neapolitan. exposito, quòd cùm ipse aliàs fervore devotionis accensus, plurimùm cupere Altissimo famulari, et à suo ordinario litteras dimissoriales ad effectum ut se clericali charactere insigniri, ad quatuor minores, nec non ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri faceret, impetrare posse diffideret; litteris hujusmodi à se falsò fabricatis ab alio*

catholico antistite, communionem Sedis Apostolicæ habente, dicto charactere, aliàs ritè insigniri, ac ad minores ordines hujusmodi ritè quoque se promoveri fecerat, et promotus in illis, in eorum proprio officio (non tamen in contemptum clavium) ministravit, censuras et pœnas à sacris constitutionibus comminatas incurrendo; et in eâdem expositioni subjuncto quòd dictus N. de præmissis plurimùm doluerat et dolebat, ac à similibus in posterum abstinere intendebat; quare pro illius parte eidem prædecessori humiliter supplicato, quatenùs ejus statui et conscientiæ quieti, ac aliàs in præmissis opportunè providere de benignitate apostolicâ dignaretur. Idem igitur prædecessor, qui recurrentibus ad eum, post excessum, cum humilitate filiis se propitium exhibebat et benignum, attendens quòd Sedis Apostolicæ exuberans clementia gremium suæ pietatis veniam petentibus claudere non consueverat, prædictum N. apud prædictum prædecessorem de vitæ ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, illorum intuitu, favore prosequi, et à quibusvis excommunicationis, etc., præterquàm præmissorum occasione, vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodatus existebat, ad effectum infrascriptorum duntaxat consequendum, absolvens, et absolutum fore censens, sub dat. videlicet, sexto decimo kal. februarii, pontificatûs sui anno sexto decimo; hujusmodi supplicationibus inclinatus, voluit et concessit discretioni tuæ dari in mandatis, quatenùs eumdem N. si id à te petiisset humiliter, impositâ ei aliquâ, gravi tamen, pœnitentiâ salutari, paritoque priùs judicato, si quòd sit, à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, et censuris, et pœnis, quas propter præmissa quomodòlibet incurrerat, in utroque foro, apostolicâ auctoritate, citra tamen aliquam dispensationem, absolveres, et totaliter liberares, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Ne autem de absolutione, voluntate et concessione prædictis, pro eo quòd super illis ipsius Pauli prædecessoris ejus superveniente obitu, litteræ confectæ non fuerunt, valeat quomodòlibet hæsitari, dictusque N. illarum frustretur effectu, volentes, et similiter dictâ auctoritate decernentes, quòd absolutio, voluntas et concessio prædecessoris hujusmodi perinde à dictâ die sexto decimo kal. februarii suum sortiatur effectum, ac si super illis, ipsius prædecessoris litteræ sub ejusdem diei dat. confectæ fuissent, prout superiùs enarratur, quòdque præsentes litteræ ad probandum plenè absolutionem, voluntatem, concessionem prædecessoris hujusmodi, ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, eidem discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenùs dictum N. si id à te humiliter petierit, à præmissis auctoritate nostrâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, ac juxta voluntatem et concessionem prædecessoris hujusmodi absolvas, et totaliter liberes in formâ Ecclesiæ consuetâ, non obstantibus omnibus supradictis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum tertio decimo kal. martii, anno primo.

Quo verò ad litteras expeditas vivente Romano Pontifice, nondùm executoribus præsentatas ante dicti Pontificis obitum, alia emanavit regula revalidatoria litterarum gratiæ et justitiæ, cujus vigore novus Pontifex facit reviviscere dictas litteras, quæ jam extinctæ erant per obitum Pontificis.

Et ideò emanavit quia quoad litteras justitiæ, nempe ad lites, clarum est illas expirare morte Papæ concedentis, per text. in cap. fin, § *Officium;* de Off. deleg., in 6; et in l. *Mandatum*, c. *Mandati.*

De litteris autem gratiæ, idem dicendum est, ubi gratia ipsa non fuerit in formâ gratiosâ expedita, sed ei datus sit executor, juxta text. in cap. 2, de Rescrip., et c. *Exhibita*, de Judic.

Nec potest, etiam in praxi sustineri, quod circa litteras gratiæ tradunt scribentes, nempe quòd adhuc possunt ordinarii illas expedire, etiam Sede Apostolicâ vacante, quamvis re integrâ, et antequàm exeat regula revalidatoria litterarum gratiæ et justitiæ, hâc ratione moti, quia gratia dispensationis, et quælibet alia censetur jam facta, et est gratia singularis, certa et determinata, cujus executio et in esse deductio committitur, et mandatur Ordinariis, ut sunt Majolus de Irregul., lib. 4, cap. 51, num. 6; Silvest. in verb. *Gratia*, num. 3; Suar. de Cens., disp. 41, sect. 7, tom. 5; nam contrarium est verius, et in praxi receptum; quod profectò ex tenore earumdem litterarum desumitur : neminem enim latet quòd si Papa committat ordinario ut cum oratoribus dispenset, quatenùs preces veritate nitantur, ac moriatur ipse Papa, postquàm litteræ fuerint expeditæ in formâ commissariâ, et directæ ipsi ordinario, et hoc re integrâ, nempe nondùm litteris dispensationis executis, seu exsequi cœptis, moriatur, non poterunt ipsæ litteræ executioni demandari, et juxta hanc praxim tenet Navar. in Man., cap. 27, n. 253, vers. *Nono*, et in c. *Placuit*, n. 162 et 163, de Pœnit. dist. 6, nam aliud est mandatum seu commissio ad faciendam gratiam, verificatis narratis, aliud verò est gratia jam facta et alicujus executionis ministerium non requirens, nam mandatum et commissio semper, ut aliàs diximus, mortuo mandante vel committente, expirant, l. *Mandatum*, Cod. mand., l. *Et quia*, ff. de Jurisd. omn. jud. Gratia verò jam perfecta nequaquàm expirat, veluti cùm conceditur dispensatio ipsimet oratori directa, quæ in formâ gratiosâ dicitur, vel cùm ab ipso Papâ vel episcopo conceditur alicui licentia eligendi confessorem, audiendi confessiones, administrandi sacramentum pœnitentiæ, prædicandi vel non residendi, aut conceduntur litteræ dimissoriales ad suscipiendos ordines ab alieno episcopo, quia hæc nunquàm expirant per mortem concedentis; cùm quælibet ex suprà dictis sit gratia facta, nisi per successorem revocetur, Garc., de Benef. p. 6, c. 2. num. 319 et 321.

Undè satis firma remanet conclusio, quòd commissio, quæ fit alicui cum clausulâ : *Si preces veritate niti repereris*, vel aliâ simili, ut cum aliquo dispenset, seu aliam gratiam faciat auctoritate committentis, non est gratia facta, sed facienda; ac proindè expirat morte concedentis ; nam clarum est quòd, si narrata

in gratiâ non verificentur, denegabitur executio, sicut multoties vidi hoc modo denegari, et ita concludit Sayr., l. 7, c. 14, n. 6, quia hujusmodi gratia non continet quid perfectum, sed datur ad aliquid faciendum, id. Nav., cons. 3, de Fil. presb.

Nec refert quòd diversa jura à prædictis scribentibus adducantur ad excludendam hujusmodi litterarum invaliditatem; nam Papa, qui est solutus legibus, l. *Princeps*, ff. de Leg., et est supra jus, c. *Cuncta per mundum*, q. 9, 3, per dictam regulam revalidatoriam intendit ipsas litteras fuisse extinctas, quatenùs suis executoribus non fuerint debito tempore præsentatæ, quandoquidem regula hæc emanavit ad succurrendum negligentibus in præsentando, vel exsequi faciendo litteras, tempore aliorum Pontificum impetratas. Quòd si post obitum illius Pontificis qui dictam regulam edidit adhuc non fuerint dictæ litteræ præsentatæ, ob iteratam hanc negligentiam, difficiliùs oratoribus subvenitur aut indulgetur, juxta text. in l. *Nemo deinceps*, c. de Episc. aud., Mandos.. super hâc reg., q. 5, num. 3; et sicut pluriès observavi, ad prædictorum jurium præscriptum, quando petitur revalidari gratia nimis antiqua, etiam per peculiare rescriptum, sub prædictâ formâ, consuevit ista revalidatio denegari, si negligentia ipsa fuerit pluriès iterata, veluti, si neque orator tempore successoris Pontificis curavit litteras præsentare. Ex quo patet non esse audiendos doctores contrarium sentientes, ut supra dictum est; nam quamvis regula prædicta nonnullis videatur quodammodò dura, est nihilominùs attendenda, tum attentis præmissis, tum etiam quia ita scripta est, l. *Prospexit*, ff. *Qui et à quib.*, c. *In memoriam*, 19, dist., et omnes regulæ cancellariæ conduntur magnâ maturitate, ob idque quando fiunt, Papa non vadit venatum, ut ait Bald. in lib. 1, sub num. 12, c. *Si contra jus, vel. util. publ.*, sed semper in illis condendis conveniunt abbreviatores majoris præsidentiæ, duo auditores Rotæ antiquiores, totidem advocati et procuratores magis docti et practici, ut per Cassad., decis. 3, num. 2, de Reservat. super reg.; Gonz., Gloss. 30, num. 17 et 18.

Hujus autem regulæ, harum litterarum revalidatoriæ tenor talis est, videlicet, item prædictus *D. N. omnes et singulas ab ipsis Paulo V et Greg. XV, Romanis Pontificibus prædecessoribus suis infra annum ante diem obitûs eorum concessas gratiæ vel justitiæ litteras, temporibus debitis eorum executoribus seu judicibus non præsentatas, omninò revalidavit, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit; ac decrevit per executores seu judices prædictos, vel ab eis subdelegandos, ad expeditionem negotiorum in eis contentorum, procedi posse et debere juxta illarum formam*, ut habetur in regulis ejusdem S. D. N. Urbani Papæ VIII.

Ratio autem cur in dictâ regulâ revalidatoriâ litterarum præscribatur tempus unius anni, et non aliud majus vel minus, non pertinet ad nostram materiam; sed nihilominùs dici potest cum cod. Mandos. super hâc regulâ, q. 4, per tot., quòd dicitur annus congruum tempus ad omnia peragenda, vel quia jura canonica ac civilia, imò et divina in infinitis rebus solita sunt præfigere tempus unius anni.

At ubi præstitum tempus in dictâ regulâ, scilicet unius anni, lapsum jam fuerit, nec tam magna impetrantium negligentia appareat, præsertim, si aliquod allegetur impedimentum, propter quod adhuc litteræ dictis executoribus, pro illarum executione non fuerint præsentatæ, deficere nunquàm consuevit summi Pontificis clementia ad dictas litteras, post id tempus revalidandas; ac propterea notorius docuit stylus, ut à vivente Pontifice impetretur alia gratia, quæ de more curiæ intitulatur *Indultum, quòd Judex procedat ad executionem litterarum non obstante obitu prædecessoris;* cujus quidem indulti formula ea esse poterit, ut sequitur, videlicet.

Beatissime Pater, aliàs fel. record. Paulo PP. V. S. V. prædecessori pro parte tunc existentium rectorum seu magistrorum et confratrum confraternitatis sub invocatione B. Mariæ Virginis de Laureto nuncupatæ in ecclesiâ ejusdem S. Mariæ loci de Forio Isclan. dioc. canonicè institutæ, exposito, quod ipsi licèt à multo tempore, in pacificâ possessione, seu quasi dictam ecclesiam, illiusque bona regendi, gubernandi et administrandi, ac in eâ missas celebrari faciendi, atque alia divina officia, more confratrum dicendi, necnon eorum congregationes habendi, existerent; nihilominùs dubitant ne ab aliquibus eorum quieti invidentibus, et spe lucri illectis, dictam ecclesiam in titulum beneficii collativi erigi obtineretur, seu extorqueretur, ipsique exponentes in eorum possessione hujusmodi turbarentur tempore procedente, idem prædecessor supplicationibus rectorum, seu magistrorum ac confratrum prædictorum eâ in parte sibi porrectis, tunc inclinatus, eisdem rectoribus, seu magistris ac confratribus prædictis, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, ecclesia ipsa ab Ordinario loci, seu quibuscumque aliis, etiam Sedis Apostolicæ legatis de latere, aut ab eâdem Sede Apostolicâ, ad cujusvis instantiam, seu etiam motu proprio, et de certâ scientiâ in ecclesiam collativam erigi, vel uti beneficium ecclesiasticum in titulum, commendam, aut administrationem, cuicumque personæ seculari, vel regulari, aut loco pio concedi, vel aliàs de eâ provideri nullatenùs posset, nec ea sub quibusvis erectionibus, institutionibus, impetrationibus, provisionibus, expectativis, specialibus, vel generalibus reservationibus, aut aliis quibuscumque dispositionibus, et per dictam sedem, seu legatos aut ordinarium hujusmodi, cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, atque aliis quantùmvis fortissimis et insolitis clausulis et decretis irritantibus, absque expresso dictorum confratrum consensu comprehenderetur vel comprehendi posset, et quæcumque dispositiones de dictâ ecclesiâ contra præmissorum tenorem imposterum faciendæ, nullæ, irritæ et inanes, nulliusque roboris et momenti forent, nec cuiquam suffragarentur, perpetuò concedi et indulgeri mandavit; prout in litteris Apostolicis desuper expeditis, et ordinario Isclan. seu ejus vicario in spiritualibus generali directis, plenius continetur. Cùm autem, Pater sancte, rectores, seu magistri et con-

fratres prædicti, litteras prædictas ordinario seu vicario hujusmodi hactenùs minimè præsentaverint, hincque ad illarum executionem procedi non possit absque novo S. V. et S. Apostolicæ mandato. Supplicant igitur humiliter, E. S. V. devoti illius oratores moderni rectores seu magistri, et confratres dictæ confraternitatis, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, eidem ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali committere, et mandare dignemini, quatenùs negotium hujusmodi assumens, litterasque prædictas valere decernens, ad illarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat, perinde ac si idem Paulus prædecessor adhuc viveret, non obstantibus omnibus illis, quæ idem prædecessor in dictis litteris concessis non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., et de commissione, mandato, aliisque præmissis, ut suprà latissimè extendendis, et quòd præmissorum et singulorum etiam dominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium contradictarum expediendis. Et servatâ aliàs formâ dictarum litterarum.

Ex hâc igitur notoriâ praxi nullus remanet ambigendi locus, an videlicet litteræ, ut supra, infra annum minimè præsentatæ, mortuo Pontifice, expirent, vel ne. Et cùm aliàs in hâc curiâ archiepiscopali evenisset casus, fuissetque dubitatum, an mortuo summo Pontifice, dispensationes matrimoniales commissæ vicario, possint ab illo expediri, ac primâ facie videretur, quod sic, ex c. *Si super gratiâ*, de Offic. deleg., in 6, ubi gratia non expirat per mortem Papæ. Contrarium tamen fuit dictum, quia ille textus procedit, quando gratia summi Pontificis est jam perfecta, et datus merus executor : secùs verò si adhibenda erit causæ cognitio; quoniam si, antequàm adhibeatur, moriatur Pontifex, expirat, per diversa jura, quæ hìc allegat Genuen. in praxi curiæ archiepisc. Neap., cap. 94.

CAPUT IX.

Praxis dispensationis cum reiterantibus Baptisma.

Sequitur modò praxis dispensationis super irregularitate proveniente ex baptismi iteratione, per quam quanta huic sacramento fiat injuria, satis liquet ex c. 2 de Apost. Unde canones plurimùm ab hâc reiteratione, quasi Anabaptistarum hæresi abhorrent; quapropter, etiam pœnam irregularitatis imposuerunt iis qui sivè scienter, sivè ignoranter rebaptizantur, d. cap. 2, et c. *Quâlibet*, 1, q. 7, adeòque tam magna ista irregularitas existimatur, ut nec clericatus quidem et tonsura eis conferri possint, quinimò, si clerici sunt deponuntur, Majol. de Irregul, lib. 3, c. 14, num. 1 communis DD. apud Tol., lib. 1, c. 6; Enriq. de Bapt., c. 31, § 1, et de Irregul., cap. 4, § 3. Ratio autem cur ab Ecclesiâ imposita sit talis pœna, est propter reverentiam baptismi, Filliuc., tract. 20, cap. 6, num. 164. Quam quidem irregularitatem incurrit tam baptizans quàm baptizatus, d. c. 2, de Apostol., c. *Eos*, de Consecr., dist. 4; Suar., tom. 3, disp. 31, sect. 6. Ampliatur autem ut eam incurrat, etiam ministrans baptizanti; quia, ut dicitur in d. c. 2, cooperator extitit rei nefandæ. Ampliatur etiam ut se extendat ad scienter baptizatum ab hæretico, ex cap. *Inventum est*, 1, q. 1, et ex cap. *In quâlibet*, 1, q. 7, quod factum est, in odium hæresis, id. Filliuc., num. 172. Id verò intelligitur in hoc sacramento baptismi, non autem in aliis, etiam imprimentibus characterem, quia fuit hoc de baptismate tantummodò decisum contra Anabaptistas, Silvest., in verb. *Irregularitas*, num. 6; Zerol. in prax. Epis. eod. verb. vers. *Undecimò irregularitas est*, p. 1

Quod quidem in tantum procedit quòd hanc irregularitatem contrahit etiam qui ignoranter rebaptizat; tam ignorantiâ juris quàm facti : id enim jure etiam civili cautum est, l. 1, c. *Ne sanctum baptisma irritetur*, ibi : *Antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicitâ usurpatione geminaverit sacerdotio indignum esse censemus; eorum condemnamus errorem, qui Apostolorum præcepta calcantes, Christiani nominis Sacramenta sortitos, alio rursùs baptismate non purificant, sed incestant, lavacri nomine polluentes;* quinimò ipso jure civili, tam rebaptizanti quàm culpâ suâ rebaptizato imposita est pœna capitis, l. 2, c. *Eodem;* ex concilio autem Tridentino, sess. 7, canon. 11, de Baptism., hæc habemus verba : *Si quis dixerit verè et ritè collatum baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, anathema sit.*

Porrò hæc procedunt in eâ ignorantiâ quæ non excusat à culpâ : cæterùm ignorantia invincibilis, tum juris, tum facti, sicut excusat à culpâ, ita etiam ab hâc irregularitate quæ ex delicto contrahitur, communis DD. ex Suar., tom. 3, disp. 31, sect. 6; Navar., cap. 27, num. 246; Silvest., verbo *Irregularitas*, quæst. 4; Bonac., disp. 7, de Cens., quæst. 3, part. 3, num. 3, et aliis; idemque etiam est in infantibus rebaptizatis aut baptizatis ab hæreticis : non enim manent irregulares, quia infans excluditur à culpâ. Et quamvis in cap. *In quâlibet*, 1, quæst. 7, dicatur rebaptizatos in quâlibet ætate manere irregulares, intelligendum tamen est de ætate adultâ; ut declaratum est ex cap. *Qui apud*, et cap. *Placuit*, de Consecrat., dist. 4, cap. *Jure, qui bis*, eâd. dist., quod loquitur etiam de ignorantibus invincibiliter, non est Pontificis alicujus, aut concilii, ideò caret auctoritate, ut notavit idem Filliuc. d. n. 166, ex Scot. et Suar. et aliis; neque verò contrarium probatur ex legibus adductis.

Pro nostrâ verò praxi præmittendum est quod à pluribus in dubium revocatum extitit, an irregularitas inde proveniens, impediat susceptionem ordinum superiorum, an verò usum susceptorum. Difficultas autem insurgit ex eo quòd cùm irregularitas simpliciter dicta utrumque impedimentum includat, et doctores communiter dicant ex hoc peccato incurri irregularitatem, insinuare videntur impediri, quominùs quis in susceptis ministret, aut ordines de novo accipiat; super quo Suar., tom. 3, in 3 par., disp. 31, sect. 6,

quem sequitur id. Filliuc. loco cit., num. 177, affirmat solùm impedire ascensum ad ordines superiores ; eâ motus ratione, quia in cap. 2 de Apostat., solùm prohibetur acolytus ad ordines superiores ascendere ; et sic pœnæ sunt restringendæ ; Navar. autem in Manuali, cap. 27, num. 191, ait aliquas irregularitates impedire solùm susceptionem ordinum, non autem usum susceptorum ; ac propterea in partem affirmativam inclinari posse videtur : alii tamen, inter quos idem Majol., d. c. 14, n. 3, affirmant, nec susceptos ordines exercere, nec alios suscipere posse sine dispensatione. Et hæc sententia tanquàm probabilior et communior recepta est, Host., in dict. cap. 2, de Apostat., Summa Angelica, in verbo *Irregularitas*, § 24, qui affirmant tales secundùm canones, si clerici sint, deponendos esse ; si verò laici, excommunicandos ; ex quibus verbis volunt non posse in susceptis ministrare, et præsertim in d. c. *In quâlibet* apertè declaratur hanc irregularitatem non modò à susceptione, verùm etiam ab usu ordinum impedire, Sayr., De cens., lib. 7, cap. 8, n. 5, per tot. Cæterùm hanc irregularitatem incurri ipso facto nec expectandum etiam judicis sententiam, est communis opinio, usu et consuetudine recepta, ut testatur Filliuc., loc. cit., num. 178.

Quo verò ad dispensationem desuper impetrandam, dubitabatur etiam, numquid hæc irregularitas contraheretur propter rebaptizationem solummodò, quando delictum est publicum, an etiam quando est occultum ? In quo Scot. 4, dist. 6, q. 8, ait utroque modo incurri : cum hâc tamen distinctione, quòd, si crimen sit publicum, solus Papa dispensat, si verò occultum, potest episcopus dispensare. Alii tamen tenent nullam contrahi irregularitatem, quando delictum est occultum ; quod tamen aversatur communiori et receptiori sententiæ, ex Suar., d. sect. 6, per quam utroque casu docentur, ipsam contrahi irregularitatem, Henriq., lib. 14, cap. 4, § 5, et cap. 20, § 3, et in occulto potest profectò episcopus dispensare vigore decreti concil. Trid., sess. 24, cap. 6, de Reformat. ; idem Sayr., num. 6, per tot., docens ibi, occultum tale delictum censeri, quamvis rebaptizatio fuerit publica, si ratio culpæ sit occulta ; unde, clericus fuit justè accusatus de rebaptizatione, vel de excommunicatione, sed jam evasit, eò quòd se defendit per falsos testes, occulta nihilominùs censetur irregularitas ; quo casu episcopus vigore dicti concilii poterit cum eo dispensare, ut dictum est.

Nostra verò praxis versatur circa dispensationem apostolicam in suis casibus ; ac propterea, cùm ad summum tantummodò Pontificem spectet hic in utroque foro dispensare, juxta communem doctorum sententiam, Summa Confess., lib. 3, tit. 24, quæst. 7 ; Summa Pisanella, verbo *Dispensatio*, § 6 ; Angelica, verbo *Irregularitas*, 1, § 24, et alii, quos recenset id. Sayr., n. fin., et horum omnium sententiæ adstipuletur notoria Romanæ curiæ praxis ; propterea quomodò ipsa se habeat, per supplicationis formulam indicabimus, quæ ita formanda est.

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. N. clerici Neapolitan. diœcesis. Quòd cùm ipse aliàs, dum transiret per quamdam viam, ubi mulier quædam recenter pepererat, eò accersitus fuisset, ut illius infantem penè expirantem baptizaret ; ipse verò formam et modum baptizandi se nescire respondens, rogatus tandem enixè, ipsum infantem baptizavit ; ter proferendo formam baptismatis, nimirùm : Ego te baptizo in nomine Patris et Filii, et Spiritûs sancti : quâlibet vice aquam super caput infantis infundens. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator ad præmissa non suo, sed prædictæ mulieris errore devenerit, dubitetque propterea, se inde aliquas censuras et pœnas ecclesiasticas incurrisse ; supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs sibi opportunè providendo, eique specialem gratiam faciendo, eumdem oratorem ab excessibus præmissis, in utroque foro apostolicâ auctoritate absolvere, et totaliter liberare ; ac pœnas, quas propter præmissa quomodòlibet incurrit, sibi gratiosè remittere et condonare, secumque super irregularitate per eum ex præmissis quomodòlibet contractâ ; quodque illâ et aliis præmissis non obstantibus, suo clericali charactere, quo aliàs rite insignitus fuit, illiusque privilegiis uti, ac ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus, in illis etiam in altaris ministerio ministrare liberè et licitè valeat, dictâ auctoritate dispensare ; omnemque inhabilitatis et infamiæ maculam, sive notam circa eum et præmissis quomodòlibet insurgentem, ab eo penitùs tollere et abolere ; ac illum in pristinum, et eum, in quo ante præmissa quomodòlibet erat, statum restituere, reponere, et plenariè redintegrare dignemini, de gratiâ speciali, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum (et hìc fuit additum), *et dummodò dictus orator, ad id ætate, moribus et scientiâ idoneus reperiatur, ac aliàs ei merita suffragentur. Et citra dispensationem ad beneficia.*

Post tamen aliquot annos, idem Pontifex cum supradicto oratore dispensavit, etiam ad quæcumque beneficia ecclesiastica in formâ consuetâ, attentis illius simplicitate, et bonâ fide, ignorantis exinde aliquod impedimentum provenire ; nam licèt reiteratio baptismi sit prohibita jure divino, cujus ignorantia prætendi vix potest, sicut etiam pœnæ per legem positivam impositæ in illum qui contra jus divinum agit, ut per eumdem Sayr., d. lib. 7, cap. 8, num. 13, fuit tamen iste quodammodò excusatus ; quia præmissa ignorabat esse peccatum, aut jure divino prohibitam baptismi iterationem, aut pœnam irregularitatis impositam esse ab Ecclesiâ.

Et etiam pro istâ praxi notandum putavi, quòd supradicta jura prohibentia baptismi iterationem, intelligenda sunt, quoties ille collatus est in formâ Ecclesiæ ; quia tunc nullo modo est iterandus : at verò, quando, puta, ab hæreticis datus est in aliâ formâ, non dicitur iteratus ; cùm nunquàm fuerit collatus : ita enim sunt intelligendæ omnes auctoritates, quæ solent adduci ad probandum baptizatos ab hæreticis

iterùm baptizandos esse; loquuntur enim quoties hæretici in baptismo conferendo, non servaverint propriam formam Ecclesiæ; secùs verò, si servâssent, cùm ab hæreticis vera sacramenta conferantur. Director. inquisit., p. 1, comment. 12, vers. *Hæc autem lex.* Unde propositâ meo tempore quâdam supplicatione coram felic. record. Paulo V et cardinalibus congregationis adversùs hæreticam pravitatem, pro oratore qui narrabat se quemdam juvenem baptizâsse, quem in partibus hæreticorum sciebat esse baptizatum, ipseque pro certo haberet ex fide dignorum testimonio quòd in illius baptismo non fuerat servata forma, et propterea petebat nihilominùs dispensari ad ordines et beneficia, vidi in calce supplicationis per hæc verba responsum, *Stantibus præmissis, non eget;* et ita etiam in similibus audivi fuisse responsum, et vidi adnotatum in quibusdam memorialibus, Antimi Marchesani, qui fuit datarius Pii V.

Cæterùm ubi ex aliquâ causâ dubitatur de validâ collatione baptismi, certum est posse sub conditione illum conferri; qui sic collatus prodest ad cætera sacramenta suscipienda, cùm sit janua omnium sacramentorum, ex omnium theologorum sententiâ, præcipuè Suarez tomo 3, p. 3, disp. 23, sect. 2, in corp. et loc. cit., sect. 1, § *Congruentia*, dicitur, quòd homo per baptismum fit capax omnium sacramentorum; ut tamen ille sit validus, est necessaria intentio et voluntas baptizantis etiam ex communi doctorum sententiâ, teste Barth., ab Angelo dialog. 2, § 7, licèt quoad baptismum requiratur etiam voluntas ipsius suscipientis, id. Barth., loc. cit.; Suarez. d. p. 3, disp. 22, sect. 1, § *Dicendum.* Et sic dùm confertur sub conditione, non dicitur iteratus, cùm nunquàm fuerit collatus, ut supra dictum est.

Nec longè abest casus, quo, cùm quidam parochus genitorem infantis odio prosequeretur, ipsum infantem baptizavit, sine tamen intentione et voluntate baptizandi; post multos verò annos in articulo mortis constitutus, secretè de hoc, mediante quodam presbytero, monuit sic baptizatum, qui proindè petiit sibi per officium S. pœnitentiæ Apostolicæ, ut infra, provideri, videlicet.

Venerabili in Christo Patri, cuicumque catholico antistiti, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habenti, in propriâ diœcesi residenti, vel in alienâ de licentiâ diœcesani, ordines conferre valenti, per latorem præsentium, ad infra scripta specialiter eligendo, Nicolaus miseratione divinâ tituli S. Mariæ Angelorum S. R. E. presbyter cardinalis Ludovisius, salutem et sinceram in Domino charitatem. Ex parte religiosi latoris præsentium nobis oblata petitio continebat quòd ipse de anno millesimo sexcentesimo septimo habitum suscepit cujusdam religionis, et in eâ uti Clericus professionem emisit regularem, ubi primâ clericali tonsurâ insignitus, ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promotus fuit, et in eis ministravit; ac varia suæ religionis officia obtinuit et exercuit. Nuper verò, dùm ultimum diem ageret quidam parochus, in cujus parochiâ lator natus est, secretè ac in confessione, mediante altero presbytero, monuit latorem, quòd ipse verè non erat baptizatus; et sic ille decessit absque aliâ declaratione quomodò hæc acciderint, an ex defectu intentionis, vel alterius circumstantiæ; et quamvis lator post dicti parochi mortem, in libro ubi scribuntur baptizati, compererit se verè adscriptum, nihilominùs ob monitionem prædictam, dubitare cœpit an verè sit baptizatus. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, lator prædictus, securus non sit an ut præfertur, sit baptizatus; cùm baptismus sit janua omnium sacramentorum; ac propterea invalidè sacramenta receperit, et nulliter omnia fecerit, ideò, pro suæ conscientiæ quiete cupit ad cautelam vobis mediantibus baptizari, et sacramentum confirmationis de novo recipere; necnon professionem emittere, ac secum desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter sibi super his de opportuno remedio provideri. Nos igitur, etc., auctoritate apostolicâ specialiter nobis concessâ, circumspectioni vestræ committimus, quatenùs, si est ita, postquàm lator à vobis secretè, sub conditione sacramenta baptismatis et confirmationis receperit, cum eodem latore, auditâ priùs ipsius sacramentali confessione, ac suffragantibus sibi dignis virtutum meritis, alioque ei canonico non obstante, in manibus vestris professionem denuò emittere, à clericis prædictæ suæ religionis regularem, emitti solitam, necnon à vobis clericali charactere, sine litteris dimissoriis sui ordinarii seu commendatitiis suorum superiorum, ne se prodere cogatur, insigniri, et ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines, etiam extra tempora à jure statuta, tribus festivis, etiam continuis vel interpolatis diebus, suscipere et postmodùm in dictis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare licitè valeat, dispensetis, eumdemque latorem in pristinum statum restituatis, et reintegratis foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quòd hujusmodi dispensatio et reintegratio latori in foro judiciario nullatenùs suffragentur. Insuper, vobis, ut dicto latori prædicta omnia conferre, et facere valeatis, eâdem auctoritate indulgemus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub sigillo Officii pœnitentiariæ undecimo kal. junii pontificatûs domini Innocentii Papæ X, anno decimo.

LIBER TERTIUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS SUPER IRREGULARITATE PROVENIENTE EX DEFECTU CORPORIS ET ANIMÆ.

CAPUT PRIMUM.

Praxis dispensationis cum illegitimis ad ordines et beneficia.

Super defectu natalium frequenter datur dispensatio, eò quòd illegitimi justis de causis sunt jure canonico irregulares et inhabiles tàm ad ordines quàm ad beneficia ecclesiastica; ut est text. in cap. *Cùm in cunctis*, et c. *Innotuit*, de Elect. c. 1, et fin. de Fil

presb , et s. 1, eod. tit lib. 6; præcipua autem ratio est quia isti plusquàm alii, ut plurimùm solent esse imitatores paternæ incontinentiæ, et malè morigerati, cò quòd à parentibus non ita sollicitè, sicut legitimè nati, instruuntur, c. *Si gens*, 56 dist. ac propterea, cùm claritas hominis non parùm obscuretur ex origine vitiosâ; ideò illegitimè nati repelluntur à susceptione ordinum, nisi cum iis dispensetur; et tantò est eorum dispensatio difficilior, quantò eorum ori o turpior, ita Sayr. de Cens. l. 6, cap. 10, n. 2.

Propterea notorio stylo docemur quòd in impetrandis his dispensationibus, necessariò exprimenda est qualitas illegitimitatis; non enim sufficit narrare oratorem pati defectum natalium; nisi illius provenientia explicetur, veluti, si ex soluto et conjugatâ, aut è contra juxta text. in l. *Si quis*, ff. de Rit. nupt. et Glossa in c. *Per venerabilem*, verbo *Non naturalis, qui filii sint legit.*; text. enim in d. c. 1, collocatur sub titulo de Fil. presbyt. et aliis illegitimè natis, et declarat ibi Glossa in d. c. 1, l. 6, in verbo, *d. text.* indistinctè intelligendus est, prout jacet de quocumque defectu, sive sit spurius sive adulterinus, sive naturalis, licèt, quoad successiones distinguantur; nec ita de facili dispensetur cum uno, sicut cum reliquis. Et sic de qualitate incestûs facienda est specialis et individua mentio. Paris. cons. 9, n. 86, et cons. 15, n. 54, vol. 2; Menoch. de Arb. jud. l. 2, cent. tertiâ, casu 203, num. 2, cum aliis adductis per Marium Anton. var. Resol. l. 1, Resol. 108, n. 13; nam in legitimatione debet exprimi illa qualitas quæ alterat naturam concubitûs vel illegitimitatis, licèt non oporteat exprimi illam quæ aggravat vitium parentûm, prout habet stylus Curiæ, Rota, decis. 306, num. 30, p. 5, recent., ubi, n. seq., refertur notabile cancellariæ, fol. 154, in quo habetur quòd patiens defectum ex conjugato nobili, duce, marchione vel alio domino temporali, et solutâ, impetrat dispensationem narrando se natum ex conjugato et solutâ, et tacendo qualitatem nobilitatis vel similem aggravantem, valet dispensatio; nec est stylus Curiæ quòd tales qualitates parentum aggravantes exprimantur, etc. Idem si narrat se natum ex clerico vel presbytero et solutâ, non factâ mentione quòd soluta erat filia parochiana clerici vel presbyteri, et quodammodò spiritualis filia, aggravatur delictum et videtur commissus durior incestus, quod dicitur ibi perpetuò notandum. Secùs si esset filia spiritualis propriè levata de sacro fonte, vel soluta fuisset illustris, nobilis, vel similis, et hæc etiam notanda, quia facilè poterunt in cancellariâ occurrere, et sunt de pane lucrando. Unde quoad ordines, et beneficia, licèt id sit de stylo explicandum, non tamen reddit difficiliorem dispensationem; cùm ad illius concessionem solummodò consideretur, quòd hi omnes æquè vitio alieno laborent; ac propterea æquè veniâ digni sunt; id. Sayr. d. lib. 6, cap. 11, num. 8, vers. *Primò, sive sit genitus*, etc., quidquid ipsemet dixerit d. c. 10, num. 20.

Illegitimo autem qui fuerit postea effectus legitimus per subsequens matrimonium, non erit opus dispensatione, cùm possit absque eâ promoveri ad ordines et obtinere beneficia, virtute text. in c. *Tantæ*, verbo *Illegitimi, qui fil. sint legit.* præter tamen cardinalatum, qui excipitur vigore constitutionis Sixti V, editæ anno 1595, tertio nonas decemb., quâ cavetur, quòd Cardinales creandi sint ex legitimis et honestis natalibus exorti, neque; ullâ prorsùs labe, aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed omni maculâ et impuritate careant; alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum penitùs inhabiles et illius incapaces sint et esse censeantur. Sic etiam in aliquibus provinciis et dominiis nobilitate, et privilegiis non gaudent, nec ad secularia officia, et honores, et dignitates, neque ad nobilium feudorum, et statuum successiones admittuntur : undè multò magis indecorum videretur, si hujusmodi legitimi, etiam per subsequens matrimonium legitimati, assumerentur in cardinales, ut habetur in d. constit. de. S. R. E. cardinalium creandorum præstantiâ. Quare non abs re ait Sarnen. super reg. de Trienn., q. 2, sub. num. 2, vers. *Et quòd ista regula;* veteres summos pontifices diligenter curâsse, ne sacrum cardinalium collegium hâc labe pollueretur, nam refert Nicol. de Voaldis Rotæ auditor, in Tr. success. ab intest., col. 49, à Paulo II, proprio ejus ore audivisse quemdam spurium, per Eugenium IV ad cardinalatum assumptum, ante receptionem pilei, quasi miraculosè rebus humanis exemptum; subdens ibi quòd cùm idem Nicolaus apud eumdem Paulum Rotæ nomine supplicaret, licere eis inquirere contra quemdam, qui ab eodem Paulo mandatum ad auditoratum habuerat, numquid bastardus esset, Paulus libenter annuit, ac ob eam causam Philippum Decium ad auditoratum mandatum habentem, fuisse exclusum, ut per Lot. de Benef. l. 1, in Appar., n. 137. Sic etiam nullus admittitur ad numerum referendariorum, nisi sit ex legitimo matrimonio honestisque parentibus procreatus, etc., ut voluit Sixtus in constitutione quæ incipit, *Quemadmodùm*, 10 kal. octob. 1586, anno 2. Quinimò in dictâ constitutione statuit idem Sixtus ac prohibuit ne aliquis qui utriuslibet sexûs filium, seu filios ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotem, seu nepotes ex eis habeat, nullatenùs in cardinalem assumi aut promoveri possit, ne propterea variis propriæ domûs negotiis ac multiplici liberorum curâ distractus, Ecclesiæ negotia sibi credita aut negligenter tractet, aut minùs sollicitè, et fideliter ejusdem Ecclesiæ jura tueatur.

Et ex præmissis non incongruè sequitur dubium an legitimatus per subsequens matrimonium, possit absque dispensatione saltem, ac simpliciter præsentari ad beneficium jurispatr. et in illo institui, si in illius fundatione caveatur, ut ad illud præsentari non possit, nisi qui fuerit ex legitimo matrimonio procreatus. Et videtur affirmativè respondendum, per d. Glossam, cod. verb. *Legitimi*, quæ ait quòd per subsequens matrimonium efficitur quis legitimus quoad omnia, unde nihil videtur excludi; nam dictio omnis est universalis, l. *Testatorem*, ff. de Leg. 3. Tiraqueil. in l. *Si unquàm*, verbo *Totum*, c. de Revoc. donat.

His tamen non obstantibus, contraria sententia ve-

rior est : nempè quòd talis legitimatus non possit sine speciali dispensatione apostolicâ ad tale beneficium præsentari cum derogatione fundationis. Ratio autem ea est quæ affertur à doctissimo jureconsulto Donato Antonio de Marinis, *Quotid. resol.*, c. 226, num. 3, ex Mant. de conject., l. 11. tit. 12, num. 21 ; nempe, quia licèt legitimatus per subsequens matrimonium nihil differat ab eo qui nascitur constante matrimonio, ut in d. c. *Tanta*, id tamen procedit in iis quæ à lege, non autem quæ testatoris judicio deferuntur ; nam tunc spectanda est voluntas testatoris ; dummodò tamen ipse testator disposuerit ut præsentandus debeat esse de legitimo matrimonio natus ; idem de Marinis, num. 3.

Porrò episcopi hanc dispensandi facultatem ita restrictam habent, ut cum illegitimis possint tantummodò ad minores ordines et beneficium simplex dispensare, per text. in d. cap. 1, *de Fil. presb.*, in 6 ; cujus quidem verba hæc sunt : *Is qui defectum patitur natalium, ex dispensatione episcopi licitè potest, si et aliud canonicum non obsistat, ad ordines promoveri minores, et obtinere beneficium cui cura non imminet animarum ; dummodò sit tale, super quo per episcopum valeat dispensari. Ad ordines verò majores, vel beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicæ, promoveri non potest ;* Vivian., in praxi jurispatron., l. 6, c. 4, n. 24, in quo obiter nota quòd episcopus potest cum talibus dispensare, quomodocumque proveniat impedimentum, sive orator sit genitus ex soluto et solutâ, seu ex conjugato et solutâ, seu ex presbytero, aut religioso, et solutâ, per d. Gloss., in d. cap. 1, in verb. *Defectum*, id. Sayr., loco cit. Hanc eamdem ita dispensandi facultatem habent abbates et commendatarii habentes jurisdictionem quasi episcopalem ; et aliàs sacra congregatio concilii declaravit abbatem commendatarium posse dispensare super illegitimitate et quatuor minores ordines, si habet jurisdictionem quasi episcopalem in suo territorio separato, prout in unâ Nullius Oppidi Pinarol. 18, Nov. 1628, teste Barb., in coll. Bull., v. *Dispensare*, fol. 275, v. 2.

Ac insuper quòd dispensatus ab uno episcopo ad ordines minores, et ad unum simplex beneficium censetur dispensatus, ut illud obtinere possit in alienâ diœcesi alterius episcopi ; quòd inter cæteros probat Majol., *de Irregul.*, lib. 1, c. 8, num. 8, et seq., ubi legitimatus in unâ civitate, servato illius more, licèt ille mos legitimandi in aliis civitatibus non sufficeret ad legitimationem, inspecto tamen more loci, à quo emanat, habetur pro ritè legitimato ubique locorum, ut per Abb., in c. *Cùm olim*, not. 1, de Cler. conjug. ; Henriq., lib. 14, c. 8, § 10, in fin. ; quia hoc est de jurisdictione ecclesiasticâ, et nulli præjudicium infertur ; id. Sayr., dict. c. 11, num. 12, qui ibi in fin. ait, ex Palud., 4, distin. 41, q. 3, art. 3, concl. 1, quòd si episcopus scienter suo subdito illegitimo conferat ordines, vel beneficium simplex, eo ipso dispensare videtur ; quod tamen non est ita tutò credendum, per ea quæ infra suo loco dicentur.

Cùm igitur ad summum Pontificem spectet cum illegitimis ad omnes ordines, ac beneficia, et dignitates ecclesiasticas per totum mundum dispensare, c. *Per venerabilem*, et ibi DD. *Qui fil. sint legit.*, ex eo quòd legitimare, nihil aliud est quàm impedimenta juris canonici tollere ; idem Sayr., d. l. 6, c. 9. Videndum erit, quid circa hanc praxim servetur, et quomodò supplicatio super hujusmodi dispensatione concipiatur ; illius igitur formula talis esse potest, videlicet :

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Matthæus Balbinus laicus Neapolitan. ex fervore devotionis plurimùm cupiat clericali charactere insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis Altissimo, quoad vixerit, famulari ; quia tamen defectum natalium, ex conjugato et solutâ genitus, patitur, desiderium suum hujusmodi adimplere non valet absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs ipsum specialibus favoribus et gratiis prosequendo, secum ut, defectu natalium hujusmodi non obstante, clericali charactere insigniri, ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare ; necnon quæcumque, et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et præbendæ, dignitates, etiam majores, et principales, personatus, administrationes, et officia, etiam curata et electiva, etiam in cathedralibus et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipse eligatur, præsentetur, vel aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eisdem, recipere, et dummodò simul plura non sint quàm quæ à concilio Tridentino permittuntur ; necnon quascumque pensiones annuas super quorumvis beneficiorum fructibus, apostolicâ sibi auctoritate reservandas, constituendas, et assignandas, percipere et retinere liberè et licitè valeat, dispensare dignemini, de gratiâ speciali. Non obstantibus defectu prædicto ac Pictaven. concilii contra illegitimos, ac quibusvis aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, in quibus, ut in formulâ supplicationis dispensationis, ero bigamo positâ, lib. 1, cap. 2, num. 22.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., ut in supradictâ formulâ supplicationis, super dispensatione cum bigamo ; sed additur hìc : *Et committatur ordinario cum clausulâ, quatenùs consideratis*, etc. *Et citra dispensationem ad dignitates, ac canonicatus, et præbendas in cathedralibus, et dignitates principales in collegiatis ecclesiis.*

Et est in hâc praxi notandum : primò, quòd, licèt secundùm cursum hujus styli admittatur integra narrativa apposita in supplicatione, quâ petitur dispensatio ad omnia beneficia in eâ expressa ; restringitur illa tamen postmodùm et limitatur per suas clausulas limitativas et restrictivas, apponendas per ipsius datariæ officiales, qui in fine secundæ partis signaturæ excipiunt supradicta beneficia qualificata per ea ver-

ba : *Et citra dispensationem ad dignitates*, etc., et sic parùm refert, quòd in narrativâ prædictâ nihil fuerit deletum per ipsos officiales, et quòd illa videatur repugnare supradictæ limitationi; nam ex communi usu, verba dispositiva, magis quàm narrativa, sunt attendenda, Ludovis., decis. 522, num. 4; sicut dicimus etiam de contractibus et aliis negotiis, in quibus non attenditur quid tractatum sit, sed quid conclusum, l. *Si voluntati*, ubi Bald. et Salyc., in 1 not., c. *De rescind. vend.*; Alex., cons. 28, num. 3, lib. 1, quia ex tractatu non infertur ad conclusionem, Dec., cons. 448, num. 10. Unde sæpissimè videmus in proposito plura peti in supplicatione, quæ postea restringuntur in calce ipsius, et in fine clausulatur, sicut secundæ partis supplicationes prædictæ; et cùm signatura Papæ quandoque ampliet et quandoque limitet narrativam, tunc statur concessioni per text. in c. *Inter dilectos*, de fid. instrum., ubi petitio erat de confirmatione, et concessio fuit de confirmatione et donatione, et sic ibi Papa ampliavit gratiam. Felin., in c. *Super litteris*, sub n. 10, de Rescript., ubi quòd Papa signando supplicationem, restringit petitionem, et tunc non prodest impetranti dedisse generalem petitionem, prout habetur in supradictâ petitione ad quæcumque et qualiacumque beneficia; nam nihilominùs Papa restringit supradictam gratiam per illam restrictivam : *Et citrà dispensationem ad dignitates*. Et omnes sciunt periti curiales, quòd tota vis supplicationis consistit in illius conclusione, ac verbis dispositivis, juxta dictum Innoc. in c. *Super litteris*, de Rescrip., ubi non quod narratur, seu petitur, sed quod concluditur attendi debet, etiam quòd narrativa fuerit quantùmcumque generalis; Abb. in cap. *Ex parte*, de For. compet., 2 notab., Roman. cons. 123; vel quòd dicta clausula restrictiva sit apposita, sive in principio, sive in fine, cùm satis constet de mente Papæ, qui voluit totam gratiam restringi per clausulam supradictam. Hinc est quòd quoties præsentantur similes supplicationes, sive justitiam, sive gratiam continentes, cum variis clausulis contentis in eis, tunc signatura addit alias clausulas, secundùm quas vult regi totam gratiam, quasi dicat Papa : Fiat quidquid velis; volo tamen concedere ea in hoc modo, videlicet, cum his limitationibus, etc. *Rot. decis.* 676,, num. 5, lib. 3, p. 3, divers.; et aliàs dixit Bald., in c. *Cùm in veteri*, de Elect., ineptum esse narrationem vitiare dispositionem, cùm ex narrativis non valeat argumentum, c. *Si Papa*, De privil. in 6, quod tamen locum sibi minime vendicare certum est, si in Papæ narrativâ agatur de facto proprio; quia hoc casu narrativa litterarum papalium, si agitur de suo facto, et super his fundatur gratia, vel intentio, satis probat; huic enim narrativæ est credendum; text. est expressus cum Gloss. in dict. cap. *Si Papa*, verb. *Asserat*, et ibi in figuratione casus, de reliquo utem, ut suprà dictum est, nequaquàm probat; cùm egulariter conclusio ampliet, restringat, et declaret qualiter concessio gratiæ et omnia præcedentia sint intelligenda; unde dixit id. Bald., in l. *Nec quidquam*, §, *Ubi decretum*, ff. de Off. procons., per conclusionem restringi narrata in libello ad ea quæ conclusivè petuntur : nam licèt in supradictis gratiis, supplicationes non sint attendendæ, sed litteræ, secundùm quas videtur declarata per officiales cancellariæ Papæ intentio, ut per Cæs. de Grass., dec. 1, de prob., n. 7; attamen verum est etiam ipsas supplicationes emanare secundùm jus, unde per ea quæ suprà dicta sunt, satis liquet in dispensationibus pro illegitimis semper excipi supradicta qualificata beneficia; quamvis aliàs officiales datariæ non possint mutare substantiam gratiæ summi Pontificis, Butr., cons. 49, num. 4; Cavaler., decis. 285, per tot.

Clausula item ista sic restrictiva apponitur etiam in hujusmodi dispensationibus cum quantùmvis qualificatis et privilegiatis personis, sicut semper vidimus observari, præsertim cum conclavistis; quibus etsi amplissima privilegia concedantur, et inter cætera, cum eis novus Pontifex dispensat ut, non obstante natalium defectu, quem forsan aliquis illorum patitur ex quocumque damnato et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus et vilissimis feminis forsan procreatus sit, ut, defectu prædicto non obstante, si aliud canonicum ei non obstet, ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, ac quæcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica valeat obtinere; attamen quoad dignitates supradictas, additur clausula : *Non tamen dignitates majores post pontificales, aut principales in collegiatis.*

Litteræ autem apostolicæ super hujusmodi dispensatione, seu mandato ad illam, modo sequente per cancellariam dari consueverunt, videlicet :

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio vicario, etc., *Neapolitan.*, etc., *salutem*, etc. *Ex parte dilecti filii N. scholaris Neapolitan. nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs cum eo qui, ut asserit defectum natalium, ex soluto et solutâ genitus, patitur, quòd, defectu hujusmodi non obstante, clericali characteri insigniri, et ad quatuor minores, necnon omnes etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus, in illis etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quæcumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et præbendæ, seu dignitates, personatus, administrationes, vel officia, aut parochiales ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ fuerint, et ad dignitates, personatus, administrationes, vel officia hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipse eligatur, præsentetur, vel aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eisdem, recipere et retinere, necnon quascumque pensiones annuas, super similium beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, redditibus, proventibus, et distributionibus quotidianis, sibi apostolicâ auctoritate reservandas, constituendas, et assignandas, percipere, exigere, et levare ac in suos usus et utilitatem convertere liberè et licitè valeat, dispensare de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur eumdem N. à quibusvis*, etc., *censentes*, etc., *inclinati, discretioni tuæ, de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinemus*, etc., *mandamus, quatenùs consideratis dili-*

yenter circumstantiis universis quæ circa idoneitatem dicti N. fuerint attendendæ, si ipse paternæ incontinentiæ imitator non sit, sed bonæ conversationis et vitæ, ac aliàs ad id reperiatur idoneus ad hujusmodi dispensationis gratiam obtinendam; super quo tuam conscientiam oneramus, cum eodem N. super præmissis; ita tamen quòd beneficia hujusmodi, dignitates, aut canonicatus, et præbendæ in cathedralibus et metropolitanis, aut dignitates principales in collegiatis ecclesiis non sint; nec idem N. plures simul ex beneficiis prædictis retinere valeat, auctoritate nostrâ dispenses, prout, secundùm Deum, animæ suæ saluti videris expedire. Non obstantibus defectu præmisso, ac Pictaven. concilii contra illegitimos, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi forsan fuerint, juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ robotatis, statutis, et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Dat. Romæ,. etc.

Hìc verò, et pro hâc praxi adnotare placuit, circa suprâdictam clausulam, ita tamen quòd beneficia hujusmodi, dignitates, aut canonicatus et præbendæ, etc., quæ ita restringit, et qualificat gratiam dispensationis, quandoque summum Pontificem consuevisse nihilominùs postmodùm dispensare cum eodem oratore, etiam quoad canonicatus, imò dignitates prædictas, frequentiùs tamen quoad canonicatus supradictos; et quando ita supplicatur, dantur litteræ tenoris sequentis, videlicet: *Innocentius*, etc., *Vicario*, etc., *Neapolitan.*, etc., *Dignum*, etc., *Dudùm*, etc. *Cùm itaque canonicatus et præbenda majoris ecclesiæ N. per liberam resignationem B.*, etc., *nos volentes*, etc., *N. cum quo dudùm, ut, defectu natalium, quem, ut asserebat, ex soluto et solutâ genitus, patitur, non obstante, clericali charactere insigniri, ac ad omnes etiam sacros*, etc., *promoveri, et promotus*, etc., *ministrare; necnon quæcumque, et qualiacumque cum curâ et sine curâ, ac aliàs certis modo et formâ tunc expressis, qualificata beneficia ecclesiastica; dummodò illæ dignitates, aut canonicatus, et præbendæ in cathedralibus, seu dignitates principales in collegiatis ecclesiis, et plura simul non essent, recipere et retinere*, etc., *valeret; apostolicâ auctoritate dispensatum, seu dispensari mandatum extitit, prout in litteris apostolicis desuper confectis pleniùs continetur, apud nos*, etc., *discretioni tuæ*, etc., *mandamus, quatenùs, si per diligentem examinationem*, etc., *super quo*, etc., *oneramus, canonicatum, et præbendam prædictos quorum*, etc., *fructus*, etc., *sive præmisso*, etc. *Nos enim cum eodem N. ut canonicatum et præbendam supradictos, si illos sibi per te vigore præsentium conferri et assignari contigerit, ut præfectus, recipere et quoad vixerit, retinere liberè et licitè valeat, defectu prædicto, ac Pictaven. concilii, necnon quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac prædictæ ecclesiæ*, etc., *roboratis*, etc., *cæterisque contrariis, nequaquàm obstantibus, apostolicâ auctoritate præfatâ, earumdem tenore præsentium, de speciali dono gratiæ dispensamus*, etc. *Dat.*, etc.

Consuevit nihilominùs summus Pontifex, non tamen sine maximâ difficultate, et ad instantiam magnatum hunc rigorem postmodùm relaxare, non obstante dictâ clausulâ, *et citra dispensationem ad dignitates*, etc., ad ipsa sic qualificata beneficia dispensare; prout quandoque etiam legatis à latere et nuntiis, tam ad regna Hispaniarum quàm alibi transmissis, vidimus desuper attributam facultatem, quam solitam concedi testatur etiam Ludovis. dec. 353, num. 4, in quâ, cùm quidam Michael impetrâsset certo modo canonicatum, nempè ob illegitimitatem cujusdam Francisci, cùm ipse Michael ex diligentiis factis in registris Romanæ Curiæ, negativam dispensationis dicti Francisci probaret, fuit dictum hanc negativam non subsistere, respectu dispensationum apostolicarum, cùm dispensatio potuerit esse obtenta à legatis, vel nuntiis, quibus, ut dictum est, concedi solet præsertim hæc facultas, et sub sequenti formâ, videlicet: *Concedimus, ut super natalium, etiamsi ex adulterio, incestu, vel nefario, aut quocumque illicito coitu procreati fuerint, defectibus dispensare, ut quæcumque, quotcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, secularia et regularia invicem compatibilia, etiamsi secularia, canonicatus, dignitates et præbendæ, et si de nobili genere procreati fuerint, etiam majores, et principales, personatus, vel officia in cathedralibus et metropolitanis vel collegiatis ecclesiis, et in illis in quibus dictorum patientium defectum natalium, patres beneficia obtinuerint; dùm tamen insimul non ministrent in altaris ministerio, recipere; et dummodò illis immediatè non succedant, retinere, et quod de natalium defectibus hujusmodi, nullam in quibuscumque litteris, et gratiis sibi concedendis mentionem facere teneantur, indulgendi.* Consimilis facultatis tenorem habes penes Gamb. de Auth. leg. libro 7, sub. tit. de Potest. leg. in legitimando spurios, etc., num. 5. Rationem autem, cur ista clausula sic restrictiva regulariter apponatur, præter illam quæ in jure habetur, ostendit etiam Rebuff. in Praxi, tit. de Dispens. super defect. natal., num. 86, prout etiam dicunt antiqui curiales, nempe ne legitimi videantur similes illegitimis, qui ab omni jure sunt exosi: ac ob id Bonifacius, martyr scribens ad Anglorum regem, ipsos nec bello seculari fortes, nec in fide stabiles, neque hominibus honorabiles, neque Deo amabiles, exclamat: *Imò reputantur infames;* ac propterea repelluntur ab honoribus; et ad sacros ordines promoveri prohibentur à jure; et in cap. *Pervenit*, qui filii sint legitimi, habetur, quòd adeò lex tam Mosaica quàm canonica eos detestatur, quòd in Ecclesiam non intrabunt. Et verè felix illa Ecclesia, quæ tali peste caret: aliaque permulta de his et similibus, vide Marchesan. de Commiss., p. 1, c. 18 num. 33.

Diximus supra aliquando Papam postquàm cum illegitimo dispensavit ad beneficia, adjectâ clausulâ in litteris, videlicet; *Ita tamen quòd beneficia hujusmodi, dignitates aut canonicatus et præbendæ in cathedralibus et metropolitanis, aut dignitates principales in collegiatis Ecclesiis non sint*, consuevisse ampliare hujusmodi dispensationis gratiam, etiam ad supra dictos canonicatus et dignitates per aliud peculiare rescriptum

quod de more datariæ apostolicæ *Ampliatio gratiæ* nuncupatur; et quandoque eidem oratori conceditur, ut neque in quibuscumque collationibus sibi faciendis de beneficiis teneatur mentionem facere de suâ illegitimitate, prout de jure tenetur. Et litteræ alterius ampliationis gratiæ, nempe non faciendi mentionem de hujusmodi defectu in supra dictis collationibus erunt tenoris sequentis, videlicet.

Alexander, etc., *Vicario*, etc., *Neapolitan.*, etc., *salutem*, etc. *Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus dilectus filius N. scholaris Neapolitan. apud nos fide digno commendatur testimonio, nos inducunt ut eum specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Hinc est, quòd nos eundem N. cum quo dudùm, ut defectu natalium quem ipse N. ex soluto et solutâ genitus, patitur, non obstante, clericali charactere insigniri, ac ad omnes etiam sacros, etiam presbyteratûs ordines promoveri, et promotus*, etc., *ministrare necnon quœcumque et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, ac aliàs certis modo et formâ tunc expressis qualificata beneficia ecclesiastica, dummodò illa, dignitates aut canonicatus, et præbendæ in cathedralibus, aut dignitates principales in collegiatis ecclesiis simul plura non essent, quoad viveret; necnon quascumque pensiones annuas*, etc., *percipere*, etc., *apostolicâ auctoritate dispensatum, seu dispensari mandatum extitit, prout in litteris apostolicis desuper expeditis, et debitæ executioni demandatis, pleniùs continetur, præmissorum meritorum suorum intuitu amplioris gratiæ favore prosequi volentes, et à quibusvis*, etc., *censentes*, etc. *Discretioni tuæ, de quâ, in his specialem in Domino fiduciam obtinemus*, etc., *mandamus, quatenùs cum eodem N. meritis, et idoneitate sibi aliàs suffragantibus, et dummodò aliud ei non obstet Canonicum impedimentum, ut eodem defectu non obstante quoscumque canonicatus, et præbendas ac dignitates in cathedralibus, et metropolitanis, ac collegiatis ecclesiis; dummodò tamen majores post pontificalem in cathedralibus et metropolitanis, ac principales dignitates in collegiatis ecclesiis hujusmodi non sint, quoad vixerit, liberè, et licitè possit et valeat, auctoritate nostrâ dispenses. Sibique, quod de cœtero, in quibuscumque dispensationibus, indultis, impetrationibus, provisionibus, collationibus, commendis, unionibus, et litteris Apostol., ac quibuscumque aliis tam gratiam, quàm justitiam, separatim, seu utramque mixtim concernentibus, à Sede Apostolicâ ejusque legatis, seu locorum ordinariis, aut aliàs qualitercumque impetrandis et obtinendis, sibique etiam motu proprio concedendis, nullum de hujusmodi defectu mentionem facere teneatur, ac concessiones, gratiæ, dispensationes, indulta, impetrationes, provisiones, commendæ et uniones hujusmodi de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, aut intentionis defectu nullatenùs notari possint, ac valida et efficacia existant, ac sibi suffragentur in omnibus, et per omnia, perindè ac si in illis, de defectu et dispensatione hujusmodi expressa mentio facta foret, dictâ auctoritate nostrâ concedas et indulgeas ac quidquid secùs, super his à quoquam, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernas. Non obstantibus defectu vœmisso, ac Pictaven. concilii contra illegitimos, et quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiarum, in quibus canonicatus et præbendæ ac dignitates hujusmodi fuerint, juramento*, etc., *roboratis* etc., *cæterisque, etc. Dat. Romæ*, etc.

Sanè circa hujusmodi dispensationes ad ordines et beneficia pro illegitimis, quas frequentem in datariâ, et cancellariâ Apostolicâ cursum habere non ignoramus, notandum est in praxi, quòd in quâcumque summi Pontificis dispensatione, indulto, aliisque gratiis ad ordines et beneficia supra dicta semper sit facienda mentio hujusmodi illegitimitatis; hæc etenim praxis satis superque elicitur ex notorio text. in c. 2, de Fil. presb. num. 6; ibi enim statuit Bonifacius VIII, quòd si is cum quo fuit per Sedem Apostolicam dispensatum, ut non obstante defectu natalium, quem patitur, ad omnes ordines promoveri valeat et obtinere beneficium, etiamsi curam habeat animarum, dispensationem aliam, tacito de prædicto defectu, postmodùm obtineat à sede præfatâ, ut duo aut plura beneficia similem curam habentia possit recipere, etc., talis dispensatio, cùm non sit verisimile sedem ipsam cum illo patiente prædictum defectum voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare, veluti per subreptionem obtentâ, nullius penitùs sit momenti, ut sunt formalia verba prædicti text., et ibi Franc. num. 3 et 5.

Hujus namque rei ratio assignatur ab Oldrad., cons. 215, num. 5, nempe quia licèt orator fuerit ad id aliàs dispensatus nihilominùs quia in eo, etiam post dictam dispensationem remanet quædam nebula, eum afficiens, ac propterea de eâ necesse est fieri mentionem.

Verùm, circa hoc apprimè necessarium est scire distinctionem, quâ dataria et cancellaria Apostolica utuntur, diù practicata, quam etiam tangit id. Oldrad. de cons. 215, et clariùs distinxit Put., decis. 196, lib. 1, quem sequitur Rota in pluribus decisionibus relatis per Garc. de Benef., p. 7, cap. 2, num. 73. Distinguit namque idem Put. circa mentionem faciendam de supra dictâ illegitimitate ad ordines et beneficia, ad præscriptum supra dicti text. in d. c. 2; quòd aut impetratio continet dispensationem, quæ additur primæ dispensationi, et tunc non valet impetratio, non factâ mentione primæ dispensationis, et ita procedit text. in d. c. 2, aut impetratio non continet dispensationem, addentem priori dispensationi, sed est executiò dispensationis jam factæ, veluti quia orator obtinuit dispensationem in genere ad ordines et beneficia in futurum obtinenda, ut apparet ex formulis supplicationis, necnon litterarum apostolicarum idem continentium, quas supra adjecimus, et tunc non est opus facere de eâ mentionem. Ac proindè cùm in decisione *Burgen. abbatiæ coram Blanchetto*, penes eumdem Garc., loco cit., objiceretur, quod G. in litteris provisionis cujusdam abbatiæ non fecerit mentionem suæ illegitimitatis, et quòd licèt esset dispensatus, tamen debebat facere mentionem dispensationis, ex d. c. 2, fuit tamen responsum, quòd in gratiâ supra dicti G. non erat necessaria mentio suæ dispensationis, cùm

gratiâ ipsius Gregorii sit executio suæ dispensationis, ut supra dictum est.

Et hic est stylus qui tenaciter servatur hodiè absque aliâ contradictione. Quinimò, stante clausulâ, quæ in supplicationibus beneficialibus semper adjicitur in principio secundæ partis supplicationis, nempè : *Et quod oratoris dispensationes habeantur pro expressis*, et proinde valet impetratio etiamsi adderetur dispensatio dispensationi, nihilominùs tempore pontificatûs Sixti V, qui abhorrebat ab istis illegitimis, non dabatur ista clausula, nisi in hâc limitatione, videlicet, *non tamen super defectu natalium*, quia idem Sixtus nolebat conferre beneficia ecclesiastica supra dictis illegitimis, etiamsi aliàs essent antea dispensati; et sic erat necessarium exprimere dispensationem super defectu natalium in impetratione, etiam quòd esset executio dispensationis, ut testatur etiam Garc., d. p. 7, c. 2, num. 74, cum pluribus seqq., et hoc modo vidi nonnullas supplicationes, tempore prædicti Sixti ab eo signatas, in quibus per additionem officialium datariæ apostolicæ adjiciebantur supra dicta verba, *non tamen super defectu natalium*.

Iste autem stylus tanquàm nimis rigorosus recessit à Curiâ, ac propterea standum est supradictæ distinctioni, de quâ id. Garc., loco cit., num. 75.

Nec ab hâc praxi alienum, imò consentaneum agnovimus quòd cùm naturaliter unusquisque proprios defectus propalare effugiat, arg. text. in leg. *Cùm profitearis*, c. de Revoc. donat., optimum erit à Papa impetrare indultum, quòd orator in quibuscumque impetrationibus apostolicis, ut supra diximus, non teneatur de hujusmodi defectu facere mentionem, quod nihilominùs rarò ac pro personis plurimùm qualificatis concedi consuevit; pro quibus porrigitur Papæ supplicatio sub eâdem formulâ, quâ petitur ista dispensatio ad ordines et beneficia pro illegitimo, quam supra præposuimus, videlicet in illius primâ parte, ac post illa verba, *liberè, et licitè valeat dispensare*, sic addendum erit, videlicet: *Necnon eidem oratori, ut de cætero, perpetuis futuris temporibus, tam in suâ ad dictos ordines promotione quàm in quibuscumque dispensationibus, indultis, impetrationibus, provisionibus, collationibus, commendis et præfectionibus, necnon pensionum et aliis reservationibus, concessionibus, aliisque gratiis et litteris apostolicis, tàm gratiam quàm justitiam, divisim seu mixtim concernentibus à Sede Apostolicâ, vel ejus legatis de latere, seu vicelegatis, nuntiis, ac etiam ordinariis, aut aliàs quâcumque auctoritate et ratione quarumcumque dignitatum etiam episcopalium, vel archiepiscopalium, monasteriorum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum desuper per eum, seu ejus nomine ab eâdem sede, seu ejus legatis, vel locorum ordinariis, aut aliàs qualitercumque impetrandorum et obtinendorum, sibique etiam motu proprio concedendorum, nullatenùs de hujusmodi defectu, et super eo ipsi concessâ dispensatione mentionem facere teneatur. Et nihilominùs dispensationes, indulta, impetrationes, commendæ, præfectiones reservationes, concessiones et aliæ gratiæ, etiam litteræ desuper conficiendæ hujusmodi de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio, intentionis S. V. vel quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus aut controversiam vocari non possit; sed semper et perpetuò valida, et efficacia existere, ac sibi suffragentur in omnibus et per omnia, perinde, ac si in illis de hujusmodi defectu, et dispensatione, ac indultis desuper per eum obtentis expressa mentio facta fuisset, dictusque orator de legitimo thoro natus esset, concedere et indulgere. Sicque et non aliter per quoscumque judices*, etc., *etiam causarum palatii Apostolici auditores judicari*, etc., *ac quidquid secùs super his à quoquam*, etc., *attentari, ac irritum*, etc., *dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus*, etc.,

Secluso igitur hujusmodi indulto, ac tacito prædicto defectu, ut supra diximus, clarum est quamcumque dispensationem subjacere vitio subreptionis, ex juribus superiùs allegatis; quod quidem certum est locum sibi vendicare, etiam in permutatione, namque si illegitimus dispensatus ad obtinendum beneficium, et illud assecutus, postea idem beneficium permutet, non tenet permutatio, sed est ipso jure nulla; Arch. in c. 1, num. 5, in fine, in verbo *Obtinere*, de Fil. presb., quia virtus prædictæ dispensationis consumitur in primo actu, prout receptum est ex stylo et observantiâ, de quâ testatur Cresc., decis. 1. num. 6. de Reb. eccles. non alien. Lott. de Re. benef. lib. 2, q. 48, num. 22 et seq. qui, n. 25, subdit quòd propter errorem juris dubii, et facti ignorantiam datur compermutanti irregressus ad beneficium sic permutatum, ex ibi per eum allegatis.

Quo verò ad dispensationem circa pensionem, in ipsâ supplicatione expressam, teneo, illam non esse necessariam, quinimò superfluam, quamvis de stylo ita hujusmodi supplicatio fabricetur; quia licèt illegitimè natus non possit sine dispensatione obtinere beneficium, ut in d. dist. 1, de Fil. presb. in 6, poterit tamen, obtinere pensionem super fructibus alicujus beneficii, quatenùs fuit primâ clericali tonsurâ initiatus, et ad illam dispensatus; unde Rota in unâ *Legionen. pensionis* 10 octobris 1577, tenuit quòd illegitimus non est inhabilis ad obtinendum pensionem; nisi ratione clericatûs, ex quo non potest esse clericus; et ideò cùm sit dispensatus super clericatu, non indiget aliâ dispensatione super illegitimitate, et ita tenet Gonz. Glossâ 5, §, 5, num. 24, ubi alias decisiones allegat, improbando contrariam aliorum opinionem, et ibi affert rationem, nempe quia pensio est quoddam jus temporale formatum et per se distinctum à dicto beneficio, num. 25, subdens num. 26, quòd exinde privatus et inhabilitatus ad beneficia non est privatus ad obtinendas pensiones, per Navar. cons. 12, num. 15, de Rescript.

Sicut pari modo dicendum est de infante, qui licèt sit incapax pensionis, nihilominùs si à Papâ ante septennium dispensetur, ut fiat clericus, potest hujusmodi pensionem obtinere, ut est casus in unâ *Forolivien. pensionis coram Peniâ*, decis. 206. tomo 1; ibi enim cùm fuisset reservata pensio N. scholari in sexto suæ ætatis anno constituto, cum clausulâ : *Postquàm clericali*

charactere insignitus foret, et idem N. ante reservationem dictæ pensionis fuerat ex dispensatione effectus clericus, cùm dubitaretur de validitate d. reservationis, fuit pronuntiatum pro eâ, cùm infans propterea sit pensionis prædictæ incapax; quia non potest esse clericus, ut fuit decisum in unâ Veneten. pensionis, coram Oriolen., 10 decembris, 1572, et 10 aprilis 1575, et coram Gypsio in unâ Cathanen. pensionis, 4 maii 1553, sicut etiam illegitimus ob eamdem causam est incapax pensionis, ut dictum est, et hic constaret de clericatu valido, non fuit necessarium, quòd dictus N. efficeretur septennio major, ad pensionem obtinendam, cùm per clericatum sibi ritè collatum sublatum esset incapacitatis impedimentum. Et ad contraria fuit responsum ea procedere, quando Papa ex narratis non poterat intelligere N. esse inhabilem, nec in eo potuisse adimpleri illas conditiones, nisi jure extraordinario; sed quando Papa ex narratis intelligit ipsum esse inhabilem, tunc nedùm intelligit de jure extraordinario, sed statim etiam censetur dispensâsse et habilitâsse, ex DD. in d. decis., n. 6, allegatis.

Secundò notandum quòd per illam clausulam : *Si paternæ incontinentiæ imitator non sit*, etc., quæ postea additur in litteris, non inducitur conditio, ut aliqui voluerunt, præcipuè Felin. in cap. *Ex parte*, 1, de Rescrip., num. 6, vers. *Clausula, si preces*; si enim importaret conditionem, infinitæ dispensationes hujusmodi nullæ et irritæ essent; nam si dispensaretur sub dictâ conditione, sub contrariâ conditione non censeretur dispensatus; hæc enim sunt verba simpliciter extracta ex concil. Trid., sess. ult., c. 15, de Reformat., prout in exordio d. c., ibi : *Ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis*, etc., Mandos. in Prax. signat, grat., tit. *Dispens.*, § *Super defectu natal.*, vers. *Sed advertendum*, cum seqq., quidquid super hoc teneant, et dicant etiam moderni scribentes.

Tertiò notandum quòd in dictâ supplicatione, ac in illius obstantiis debet omninò derogari concilio Pictaven. contra illegitimos edito, quod est relatum in dict. cap. 1, de Fil. presb., cujus titulus est, videlicet : Ex concil. Pictaven., verba autem hæc sunt : *Ut filii presbyterorum, et cæteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur: nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonicâ regulariter viventes; prælationem verò nullatenùs habeant*, etc. Cùm igitur hæc dispensatio desumatur ex constitutione conciliari, necessariò debet de eâ fieri expressa mentio cum illius derogatione; quia non sufficit illi derogare per consuetas clausulas derogatorias, etiamsi diceretur : Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus seu synodalibus conciliis editis, etc., quia si nihilominùs petitæ gratiæ adversatur etiam aliqua conciliaris constitutio, si non appareat de illius specificâ derogatione, videtur Papam, quoad eam, voluisse illam illæsam remanere, Cavaler., decis. 601, num. 3, et sic observatur in quibuscumque gratiis, quæ fiunt à Romano Pontifice adversùs aliquam constitutionem conciliarem, sicut etiam dicimus de concilio Lateranen. quod fuit celebratum sub Leone X, sess. 9, § *Dispensationes*, in reformatione curiæ; neque sufficit ipsi conciliari constitutioni simpliciter derogari, verbi gratiâ, si dicatur: *Non obstante concilio Lateranen. seu Pictaven.*, sed oportet quòd etiam addatur illud quod dictum concilium disponit circa illum casum, super quo petitur dispensari; veluti; cùm dispensatio petitur pro illegitimo, ut supra, oportet quòd dicatur : *Non obstante concilio Pictaven. contra illegitimos edito.*

Circa derogationem hujus concilii Pictaven. fuit aliàs inter dominos abbreviatores dubitatum, quid dicendum esset, cùm patiens defectum natalium fuerit dispensatus ad quæcumque beneficia, invicem tamen compatibilia, vel cum clausulâ : *Dummodò simul plura non sint, quàm quæ à Concilio Trident. permittuntur*, et in ipsâ dispensatione fuit derogatum concilio Pictaven. ut supra, numquid si orator postmodùm petiisset dispensari ad duo incompatibilia, debuisset denuò derogari supradicto concilio? Nonnulli ex ipsis dominis tenuerunt non requiri hanc derogationem; quia cùm jam fuerit dispensatus ad quæcumque invicem compatibilia, nunc dispensatur ad duo incompatibilia, et hoc tantummodò operatur dicta secunda dispensatio; unde postquàm beneficia hujusmodi facta sunt compatibilia, orator retinet ista vigore primæ dispensationis; ac propterea non indiget secundâ dispensatione, quia jam dispensatus est ad quæcumque compatibilia, ac ista duo beneficia modò facta sunt compatibilia, ut dictum est; et ideò non debet poni derogatio concilii supradicti.

Quidam tamen ex eisdem contrarium tenuerunt; quia ad ista sic incompatibilia obstat etiam defectus natalium, ac propterea non est omittenda dicta derogatio; et quatenùs de jure non requireretur attento, quòd nunc tantùm incompatibilia fiunt compatibilia, ad quæ jam videtur dispensatus, omnes unanimiter in fine tenuerunt poni debere dictam derogationem ad cautelam, prout in Notab. Cancell., fol. 129, et ita videmus semper illam apponi, quod in gratiam simplicium curalium tantummodò hìc apponere visum est; quia adhuc audio præmissa etiam de recenti in dubium revocata extitisse.

Huic praxi alius cancellariæ Apost. stylus accedit; quòd, si fortè hujusmodi constitutionis derogatio fuerit in supplicatione omissa, poterit per DD. abbreviatores in litteris super eâ expediendis, suppleri; quod intelligitur non modò de constitutione conciliari, verùm etiam de quâcumque aliâ; dummodò pars illa concilii, quæ obstat gratiæ sit registrata in corpore juris, sicut pluriès vidimus practicari, et testatur Germ., de Indult. card., §. *Per quæ sublatis*, num. 74.

Fuit etiam aliud dubium propositum in cancellariâ, nempe aliquis patitur defectus natalium, et cum eo fuit dispensatum ad quæcumque, non obstante defectu : modò impetrat beneficium, et in supplicatione narratur, qualiter patitur defectum natalium; sed non dicit ex quibus genitus sit, et quod est dispensatum secum : nunc pars est absens, et sunt litteræ expediendæ, et sollicitator ignorat ex quibus sit genitus :

An possint expediri cum simplici narrativâ, quòd patitur defectum natalium absque aliâ expressione, ex quibus, etc.; et fuit dictum in cancellariâ, quòd, postquàm non erat dispensatio sed executio dispensationis prædictæ ad quæcumque, satis poterat tolerari, ut in prædictis notab. cancell., fol. 124 à tergo.

Sic enim servat praxis circa hujusmodi conciliorum derogationes. Verùm cùm aliæ peti consueverunt adversùs disposita in ultimo concilio Lateranen. sub Leone Papâ X celebrato cæteris frequentiores, sicut nos quotidiana docet praxis, nonnulla circa illam hìc pro novis curialibus subnectere visum est. Ipse itaque Leo in dicto concilio, constitutionem edidit super reformatione Romanæ Curiæ, quæ sic exorditur : *Leo episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante concilio*, etc., et inter cætera nonnulla statuit quæ ad officium datariæ et cancellariæ Apost. pertinere noscuntur, etc.

Primò ut super fructibus patriarchalium, metropolitanarum ac cathedralium ecclesiarum, non reserventur pensiones, nisi ex resignationis causâ, aut etiam alia quæ in secreto consistorio justa, probabilis et honesta visa fuerit.

Secundò ut de cætero parochiales Ecclesiæ, ac dignitates majores et principales, aliaque beneficia ecclesiastica, quorum fructus, redditus et proventus, ducentorum ducatorum auri de camerâ secundùm communem æstimationem, valorem annuum non constituunt, vel attingunt, etc.; S. R. E. cardinalibus non commendentur, aut alio quovis titulo conferantur, etc.

Tertiò ut uniones perpetuæ, præterquàm in casibus à jure expressis, vel sine rationabili causâ nequaquàm fiant, et alia, ut dictâ constitutione : *Sub Dat. Romæ, in publicâ sessione in Lateranen. sacrosanctâ ecclesiâ solemniter celebratâ, anno Incarnationis dominicæ 1514, tertio nonas maii, pontificatûs ejusdem Leonis anno secundo.*

Cùm igitur petitur gratia à summo Pontifice, adversatur dicta constitutio, continens hujusmodi statuta et ordinationes, ne ipsa gratia reddatur inanis, erit petenda et concedenda supradicta derogatio sub sequenti formâ, nimirùm :

Circa primum : *Nonobstan. concilii Lateranen. novissimè celebrati, pensiones annuas super fructibus mensarum episcopalium, nisi ex cessionis, aut aliâ probabili causâ reservari prohibentis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; necnon dictæ Ecclesiæ juramento, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque.* Et hæc derogatio hoc casu sufficit, quod detur per cancellariam, super cameram in litteris reservationis hujusmodi pensionis; quia super hoc non expeditur supplicatio, sed tantùm cædula, et contra cædula, super quâ expediuntur litteræ tam episcopatûs quàm reservationis pensionis, teste Sarnen., super reg. *De non judice juxta form. suppli.*, q. 9; Caputaq., decis. 290, p. 1. De modo autem et praxi provisionis Ecclesiarum cathedralium abundè dicam in meâ Praxi benef., tom. 2, lib. 9, cap. 9.

Hic tamen advertit Paris., de Resign. benef., lib. 6, q. 2, n. 39, quòd licèt verba et ratio dicti concilii Lateranen. hanc prohibitionem continentis, videantur comprehendere beneficia, etiam non consistorialia; attamen stylus et consuetudo Romanæ Curiæ contrarium servat, teste eod., Caputaque, decis. 177, p. 1, ubi dicitur ita fuisse tentum et declaratum per nonnullos peritissimos abbreviatores de majori; hoc igitur casu non videtur petenda derogatio dict. concilii.

Illud autem quod ait id. Paris., d. q. 2, sub n. 34, vers. *Si verò*, veluti, quod si resignetur ecclesia metropolitana vel cathedralis, et imponitur pensio super illius mensæ fructibus, si illorum valor excedat ducatos mille, ut cautum est concilii Trident. decreto, sess. 24, cap. 13, de Reform., § *Ad hæc : In posterum omnes hæ cathedrales ecclesiæ, quarum redditus, summam mille, et parochiales, quæ summam ducatorum centum secundùm verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur*, si fiat contra dictum decretum, oportet derogari in specie dicto concilio Trident. negatur omninò; quia, quidquid sit de aliis constitutionibus conciliaribus, necessariò expressam derogationem requirentibus, fallit in decretis concilii Tridentini, per ea quæ infra adducemus.

Circa secundum, dicendum est : *Non obstan. concilii Lateranen. novissimè celebrati, beneficia ecclesiastica* (vel aliud prout casus requirit) *quorum fructus, redditus*, etc., *ducentorum ducatorum auri de camerâ*, etc., *S. R. E. Cardinalibus commendari, seu conferri prohibentis;* ac insuper addi etiam consuevit : *Ac aliorum, quorumcumque statutorum et privilegiorum; indultorum, ac litterarum apostolicarum, etiam contra commendas, aut aliàs in contrarium quomodòlibet concessorum; quorum omnium tenores ad effectum sufficientis derogationis eorum, latissimè exprimi possint, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis*, etc.

Nec omittam circa illud, quòd pro hâc praxi pluries in dubium revocatum audivi, nempè quod, stante dicto concilio, similes commendas, ac provisiones ita prohibente, voluerunt aliàs domini de Rotâ, quod hujusmodi provisio facta cardinali post dictum concilium, non esset valida; eâ moti ratione, quia licèt illud non haberet decretum irritans, satis tamen est legislatorem prohibuisse, l. *Non dubium*, Cod. de legib., et quia iste casus fertur per Cassad., in Decis. 2, sub tit. de Præb., ipsum dubitâsse ait de veritate dictæ decisionis; ex quo in dictâ Constitutione solùm dicitur, quòd, non providea tur, non quòd si fiat, nulla sit provisio; cùm non sit simpliciter verum, ex solâ inhibitione induci nullitatem; ac propterea per alia jura, et exempla in d. decis. adducta, deducitur, quod licèt dicta constitutio loquatur, quòd dictis cardinalibus ita provideri non debeat, tamen si provideatur, valet provisio; et quamvis aliqua in dictâ decisione fuerint in contrarium adducta, tamen concludit non posse contrarium sustineri, scilicet, quòd similes provisiones sint validæ, præsertim, cùm ipse Papa pro simili gratiâ ad favorem cujusdam cardinalis, in signaturâ dixerit, quod non poterat, si valor beneficii ad ducentos ducatos non ascendebat.

ergo ejus fuit interpretari cujus fuit condere, cap. *Cùm venissent de judic.* Attamen quidquid sit, sufficit dicere quòd de validitate dictæ provisionis semper potest dubitari; cùm jam stylus inveteratus obtinuerit, non disponi adversùs dictam constitutionem, nisi ei expressè derogetur. Quocirca ait Mandos. in Praxi signat. grat., titulo *Provisiones*, vers. *Beneficia valoris annui*, quod ipse pro cardinali Neapolitano obtinuit prædicto concilio Lateranen. derogari, nec voluit dubitationi locum relinquere, an ex quo Papa ex certâ scientiâ commendabat, videretur habilitare adversùs concilium, cùm constitutio conciliaris expressam derogationem requirat, ut per Archid. in cap. 1, in verbo *Noscatur*, in fin., de Constitut. in 6.; Joann. Andr., in cap. 1, de Excess. præl., eod. lib. et hanc praxin sequuntur omnes periti curiales in petendâ in his casibus expressâ dicti concilii Lateranen. derogatione; quos ad id observari, nunquàm ab hâc cautelâ discessisse; ac proinde magni fecisse Puteum, decis. 483, per quam neque certa scientia Papæ etiam pro illius nepote, aut quâvis aliâ dilectâ personâ; etiam cum quibusvis clausulis generalibus, arguit mentem Pontificis, velle dicto concilio derogare: et sic regulariter dicendum est de quibuscumque aliis conciliis generalibus; quod est ab ipsis curialibus non oscitanter notandum; quia ob non petitam hujusmodi expressam derogationem, quamplurimas lites in ipsâ Romanâ Curiâ insurrexisse compertum est.

Circa tertium dicendum est: Non obstan. concilii Lateranen. novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus, etc., nec unquàm omittenda est ista derogatio in unionibus quæ fiunt per Sedem Apostol. ac ordinariis sunt prohibitæ: exempli gratiâ, in unione factâ ab episcopo ipsis capitulo, requiritur auctoritas Papæ; cùm non possit ad hoc suam ordinariam auctoritatem interponere in facto proprio, ut est Glos. in Clem. *Si una*, in verbo *Mensæ*, de Reb. eccles. non alien. Potissima autem ratio est quia capitulum et episcopus, fictione juris unam constituunt repræsentationem, cap. *Quantò* de his quæ fiunt à præl. fin. cons. cap. Et sic de singulis perpetuis unionibus; quod quidem intelligas, etiamsi unio prædicta fiat vigore concilii Trident., sess. 21, cap. 5, de Reform. Et denique oportet supradictam derogationem petere supradicti ultimi concilii, ad differentiam aliorum conciliorum etiam Lateranen., quæ antea fuerunt sub diversis summis Pontificibus celebrata, inter quæ unum fuit generale sub Innocentio II, anno 1215, in quo interfuerunt patriarchæ Hierosolymitanus, et Constantinopolitanus, Metropolitani septuaginta, episcopi quadringenti duodecim, abbates et priores conventuales octingenti, Græci et Romani imperii legati, regum verò Jerusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, et Cypri oratores. Si quis verò inquiret cur dicatur Ecclesia Lateranen. ea, in quâ fuit dictum concilium celebratum, ea est responsio, quòd ita dicitur, quasi latens rana; nam rana quam vomuit Nero intra illam ecclesiam statim latuit, nec potuit ampliùs conspici, ut legitur in Actis sanctorum Petri et Pauli, et refert Rebuff., super concord. tit. *de Approbat convent.* per Lateranen. Concil. fact., fol. 50, ubi ait putare diabolum cor tyranni Neronis fuisse ingressum, et eum postea sic evomuisse in ranæ specie; vel, ut idem ibi subdit, ideò Lateranen. dicta est, quia Lateranensium nobilissimæ gentis in ædibus exstructa est. Et hæc per transitum dixisse sufficiat de derogatione supradictorum conciliorum; reliqua et abundantiùs dicam in meis amplissimis Additionibus ad Hier. Paul. cancell. Apost. vicecorrec.; ibi enim hæc materia pro eo quod ad praxim pertinet, tractatur.

Quoniam verò circa ea tantùm quæ ad nostram praxim pertinent, pauca hæc de constitutionum conciliarium derogatione dicere oportuit, non immeritò, pro novis simplicibusque curialibus videndum est quid sentiendum circa decreta concilii Tridentini, an videlicet illa adhuc specialem ipsam derogationem requirant; cùm quotidiè videamus summos Pontifices disponere contra dicta decreta. Causa dubitandi ea est, ut docet Sanch., lib. 3 *De Matrim.*, disp. 26, n. 7, quòd non censetur derogatum prædicto concilio Tridentino, nisi de eo expressa fiat mentio, nimirùm, non obstante aliquâ lege, aut constitutione in concilio generali editâ, per nonnullos auctores, ibi per eum relatos; ex quo, cùm decreta concilii ita maturâ deliberatione sancita sint, videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, nisi de illis faciant specificam mentionem, et ibi idem Sanch. loquitur in specie de dicto concilio Tridentino, et concludit quòd, cùm illud sit generale et modernum, oportet illius facere mentionem, neque sufficiet generalis derogatio cujuscumque concilii.

His tamen non obstantibus, contrarium verius est, ac in praxi receptum, prout omnibus curialibus, etiam mediocriter versatis, notum est: nunquàm enim visum fuit per ipsos summos Pontifices adversùs prædicti concilii Tridentini decreta dari specificam derogationem; quinimò in supplicatione appositam, per suos officiales, tanquàm prorsùs non necessariam, deleri. Id enim inter cætera resolutum fuit in causâ Sancti Angeli, pensionis, 16 decembris 1594, coràm Pamphylo, ubi fuit consideratum quòd, quamvis quoad alia concilia sit necessaria expressa derogatio, c. *Ex parte*, de capell. monach., tamen secùs est quoad concilium Tridentinum, cùm in cap. *Fin.*, sess. 25, expressè disponatur quòd omnia decreta illius intelligantur facta, salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate; et sic Papa, utendo suâ auctoritate superiore, potest quaslibet gratias facere, absque dicti concilii derogatione, cùm tunc potiùs uti videatur facultate sibi reservatâ; quàm contra concilium aliquid facere. Idque etiam fuit resolutum in unâ Bononien. Pioratus, 9 junii 1606, coram D. Manzanedo, quam quidem decisionem affert Gonz., ad reg. 8, Cancell. Glos. 6, n. 20, vers. *Ac præsertim*; qui tamen ibi ait id solùm procedere, quando constaret Papam voluisse eidem concilio derogare, Cavaler., decis. 601, n. 3; et à practicis curialibus observatum semper extitit.

Idemque antea declaravit Pius Quintus suo motu proprio anno 1570, cujus tenorem hìc subnectere optimè visum fuit, qui talis est, videlicet :

Motu proprio, etc. *Cùm plerùmque contingat dubitari in causis in Rotæ auditorio nostro, et alibi pendentibus super provisionibus, et commendis, unionibus, et aliis dispositionibus ac gratiis apostolicis quæ contraveniunt decretis concilii Tridentini, an sit opus speciali derogatione ejusdem concilii. Nos quæcumque dubia desuper mota et movenda submovere volentes, ac quorumcumque decretorum concilii hujusmodi tenores præsentibus pro expressis habentes, motu simili*, etc., *ex certâ nostrâ scientiâ et de apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuâ valiturâ constitutione declaramus neque speciali neque generali derogatione ejusdem concilii opus fuisse, et esse in quibusvis collationibus, provisionibus, commendis, unionibus*, etc., *et aliis dispositionibus de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus, et quorumvis ordinum regularibus, etiam monasteriis conventualibus et consistorialibus, ac curam animarum habentibus, quæ quomodòlibet vacârunt, et vacabunt, ac etiam gratiam et justitiam concernentibus, et aliis gratiis, ac concessionibus apostolicis per nos, ac felicis recordationis Pium Papam IV, prædecessorem nostrum, necnon quoscumque Romanos pontifices successores nostros, nostrâ tamen, et prædecessoris, ac successorum prædictorum propriâ manu signatis, ac Sedem Apostolicam quibusvis personis, collegiis, et aliis piis locis, et aliàs quomodòlibet factis et faciendis, ac concessis, et concedendis; et ita per quoscumque judices*, etc., *ac causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales in quibusvis causis, etiam per appellationem pendentibus, judicari, et diffiniri debere, sublata*, etc. *Non obstantibus*, etc.

Ac subinde proposito etiam dubio in sacrâ Congregatione ejusdem concilii per hæc verba : *An ad derogationem sacri concilii Tridentini sufficiat Papam contra illud rescribere absque aliquâ speciali vel generali derogatione, ut Pius V declarâsse dicitur*, sic respondit : *Si supplicatio manu Papæ signata fuerit, non requiritur nec specialis nec generalis derogatio.* Hoc idem fuit declaratum per dominos abbreviatores majoris præsidentiæ in cancellariâ Apostolicâ, ut refert Garc., *de Benef.*, p. 4, cap. 5, à n. 30, ad 36.

Quæ quidem omnia videntur potiùs ad exuberantiam quàm ex necessitate emanâsse, cùm satis totum id declaretur per d. Concil., d. sess. 25, cap. 21, dùm dicit : *Postremò sancta Synodus omnia et singula, sub quibuscumque clausulis et verbis, quæ de morum reformatione atque ecclesiasticâ disciplinâ, tam sub fel. record. Paulo III ac Julio III, quàm sub Beatissimo Pio IV, pontificibus maximis, in hoc sacro concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostol. sit, et esse intelligatur.*

Unde ex præmissis ista super hoc inolevit datariæ Apostolicæ observantia, quòd D. datarius illiusque officiales nunquàm supplicationes, per quas petitur disponi adversùs conciliares constitutiones, etiam supradicti concilii Tridentini, mittant ad signaturam, quæ fit per concessum, neque ad ipsum signaturæ, sive gratiæ, sive justitiæ, cardinalem præfectum, sed summo Pontifici tantummodò regulariter illæ offeruntur signandæ per Fiat, ut petitur; quamvis negari non possit quòd etiam stantibus supradictis tales supplicationes adhuc subsisterent signatæ per concessum, cùm id fiat in præsentiâ Papæ, et de illius voluntate, seu mandato; ut enim omnes sciunt, quædam supplicationes, gratiam continentes, signantur per Papam, et non per alium; quædam coràm eo, et in ipsius præsentiâ ejusdem nomine et auctoritate; quædam etiam ejus nomine et auctoritate, sed in ejus absentiâ; et sic, cùm alii à Papâ de illius mandato, scientiâ et voluntate signant, perinde est ac si ille signaret : omnia enim nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur, ait tex. in l., §. in l. 1, *Sed neque*, c. de Vet. jur. enu.

Et hìc pro coronide, in gratiam novi curialis apponere visum est quòd, si contingat peti dispensationem pro patiente defectum natalium, qui jam aliquo modo fuerat promotus absque dispensatione ad sacros ordines, eosque etiam exercuit, non propterea erit petenda dispensatio super irregularitate, quam eum contraxisse prætenditur ob exercitium dictorum ordinum; sicut meo tempore quidam doctor de hâc re altercabatur cum D. Lamberto Ursino, eximio abbreviatore majoris præsidentiæ in cancellariâ Apostolicâ; fuit enim sibi responsum quòd hoc non est jure cautum, quia irregularitas non contrahitur, nisi in casibus à jure expressis, cap. *Is qui de sent. excom.*, in 6, licèt talis celæbrando peccet, ut per DD. in cap. fin de Cleric. excomm. ministr.

Quapropter, in vim supradictæ conclusionis, docet nos vulgaris praxis quòd in tali impetratione, scilicet dispensationis super defectu natalium, sufficit facere mentionem (si res ita se habet) quòd orator non obstante defectu hujusmodi, se fecit ad dictos sacros ordines promoveri, nullâ factâ mentione de novâ prætensâ irregularitate; et iste est notorius stylus, de quo testatur etiam Rebuff., in d. prax., hoc tit., n. 13 et 14; neque eo ipso quòd fuerit ad ordines promotus, manet suspensus, ut voluit Scot., 4 dist., 25, q. 1, art. 3, concl. 1. Ratio enim jam expressa est, nimirùm, quia non est in jure cautum quòd iste in censuram aliquam incidit, sed solùm peccat mortaliter, vel celebrando, vel ordines suscipiendo; eo enim ipso quòd est irregularis, prohibitus est recipere ordines, vel in susceptis ministrare; quia eâdem irregularitate quâ prohibetur ordines suscipere tanquàm illegitimus, prohibetur etiam in susceptis absque dispensatione ministrare, Sayr. de Cens., lib. 6, cap. 10, n. 38; et sic, licèt irregularitas cumulari possit, non ob id is qui irregularis est ex defectu corporis, si celebret, novam irregularitatem incurrit, sed tantùm gravissimè peccat; Innoc., in cap. *Si celebret*, de cler. Excom. min.; Majol, de Irreg., l. 1, cap. 2, n. 8; et hoc scitu dignum putavi pro novis curialibus, ne in his casibus frustrà petant dispensationem super hâc novâ prætensâ irregularitate, sicut pluries, etiam à

peritissimis, id perperàm observari visum est. Hanc praxin dispensationis ad ordines et beneficia cum illegitimis latiùs prosequar in meâ Praxi benef., l. 2, c. 12, à n. 90.

CAPUT II.

Praxis dispensationis cum expositis ad ordines et beneficia.

Omnia quæ servantur in dispensatione pro illegitimis, habent locum etiam in expositis, secundùm notorium stylum datariæ; nam licèt nonnulli teneant expositos posse promoveri ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines, et beneficia ecclesiastica obtinere absque apostolicâ dispensatione, cùm sint pro legitimis habendi, hâc duntaxat ratione moti, nimirùm quia multi etiam legitimi exponuntur; et licèt veritas circa hoc constare non possit, nihilominùs debet fieri interpretatio in meliorem partem, et in favorem prolis, auctoritate text. in cap. ex tenore, *Qui fil. sint legitimi.* Attamen, cùm illorum genus tam obscurum existat, ut nec origo, nec parentes sciantur, non abs re dubitari contingit an inter legitimos connumerentur, quamvis plures etiam legitimi ob suorum parentum egestatem, exponi consueverint; quod tamen non ita sæpè contingit sicut de illegitimis, qui ob turpitudinem à parentibus vitandam exponuntur; ideò non immeritò inter illegitimos connumerandi sunt, quando eorum parentes ignorantur: quòd si parentes agnoscuntur, nihil refert quòd expositi fuerint; et sic, sicut cæteri legitimi possunt ad ordines promoveri, et beneficia ecclesiastica obtinere, cùm in jure nil eis adversetur, cap. 1 de Infant. expos. Cùm autem nihil constat de legitimis parentibus, æquius est illos pro illegitimis haberi, non solùm quoad honores seculares, sed etiam quoad ecclesiasticos ordines, cùm verisimilius sit eos extra matrimonium nasci, qui sic à genitoribus contemnuntur; imò suspicandum est ab infamibus generatos esse, qui licèt infames non erant, hoc ipso tales effecti sunt, eò quòd proprium partum mortis periculo exposuerunt, cap. ult, 87 dist., Majol., de Irreg., lib. 1, cap. 11, n. 1 et 2.

In proposito igitur fuit semper tentum et servatum quod præcipuè meo tempore defendebant in cancellariâ Apostolicâ domini Ulpianus Ulpius et Lambertus Ursinus, eximii abbreviatores majoris præsidentiæ, ut in hujusmodi expositis agi debeat conjecturis quòd filii legitimi exponi non solent; sed potiùs qui nascuntur ex furtivis et fornicariis congressibus, cùm verisimile admodùm sit eos extra matrimonium nasci. Insuper, quia sicut omnes incogniti ab ordinibus excluduntur, ita multò magis isti expositi, qui, cùm possint esse rebaptizati, ex hoc solùm, etiamsi ignorantes id patiantur, non admittuntur ad clerum, cùm sola dubitatio an quis sit rebaptizatus, efficiat irregularem. Et propterea, sicut etiam, ait Garc., p. 7 c. 2, n. 30, experientia docet quòd, quamvis aliqui legitimi exponantur, attamen hi sunt paucissimi, et ferè omnes qui exponuntur, sunt illegitimi, et ex centum plusquàm nonaginta sunt illegitimi, et sic in dubiis tutior pars est eligenda, cap. Illud, de Cler. excommun. min., prout in dubio facti de homicidio quis censendus est irregularis, cap. *ad Audientiam*, et cap. *Significàsti*, de Homicid.; et sic supradictus stylus docet hujusmodi dispensationes peti et concedi cum omnibus qualitatibus, conditionibus, clausulis et decretis cum quibus conceduntur pro illegitimis. Supplicatio igitur pro exposito, secundùm eumdem stylum, ita concipi poterit, videl.:

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Joannes de Olivares, laicus Capuan., ex fervore devotionis, plurimùm cupiat clericali militiæ adscribi, ac ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines, promoveri, et promotus in illis Altissimo, quoad vixerit, famulari; sed quia ab infantiâ suâ in quodam hospitale prædictæ, seu alterius, civitatis, vel diœcesis, ubi pueri expositi recipi et educari solent, expositus fuit, licèt credat se ex legitimo thoro procreatum esse; quia tamen incertis parentibus ortus est, desiderium suum in hâc parte adimplere non posse dubitat, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs sibi suoque statui in præmissis opportunè providendo, eumque specialis gratiæ favore prosequendo secum, super quocumque natalium defectu, si quem forsan incertis parentibus genitus patitur, illoque non obstante, clericali charactere insigniri, ac ad omnes, etc; ut in priori supplicatione pro illegitimo.

Et inter cætera apponitur etiam clausula restrictiva, nempe: *Et citra dispensationem ad dignitates, ac canonicatus, et præbendas in cathedralibus, nec non dignitates principales in collegiatis ecclesiis;* per quam, servatur, quod quando cum illegitimis et expositis dispensatur, semper excipiuntur supra dicta sic qualificata beneficia. Ratio enim est quia ad dignitates ac canonicatus, et præbendas hujusmodi, semel minùs dignè assumpti postmodùm successu temporis, paternæ incontinentiæ imitatores, quietem publicam et statum cæterorum Deo famulantium, perturbare consueverunt. Unde hâc motus ratione Sixtus V, per suas litteras in formâ brevis sub dat. Romæ apud S. Marcum, 22 augusti 1588, anno quarto, voluit, quòd deinceps, quoties canonicatus, et præbendæ ac dignitates Ecclesiæ Valentin. vacare contigerit, ipsi canonicatus, et præbendæ ac dignitates dictæ Ecclesiæ alicui, vel aliquibus qui ex legitimo et vero matrimonio procreati non sunt, spuriis aut illegitimè genitis, etiam apostolicâ, imperiali, regiâ vel quâvis auctoritate legitimatis, aut natalibus et primævis juribus naturæ restitutis, per Romanos pontifices, seu de latere legatos, vel pro tempore existentem archiepiscopum Valentin. aut alios ad quos de jure vel aliàs quomodòlibet spectat et spectabit in futurum, conferri nullo modo debeant.

In ipsâ verò Urbe voluit Gregorius XI, in suâ constitutione sub dat. Avinionen. tertio id. novemb. pontificatûs sui anno quarto, quòd de cætero nullus clericus defectum natalium patiens, in Lateranensis, vel B. Petri principis Apostolorum, aut B. Mariæ Majoris patriarchalibus Ecclesiis urbis Romæ, vel aliquâ eorumdem, canonicatum, et præbendam, aut dignita

tem. personatum, vel officium prætextu cujuscumque dispensationis, sibi super eodem defectu, sub quâcumque formâ, seu conceptione verborum à Sede Apostolicâ jam forsan concessæ, cujus auctoritate quis nondùm fuerit canonicatum et præbendam, dignitates, personatus, vel officia hujusmodi assecutus, vel de cætero concedendæ; etiamsi dispensatio ipsa contineat, quòd in aliquibus cathedralibus, etiam metropol. et patriarchalibus Ecclesiis possit canonicatus, et præbendas, dignitates, vel officia licitè obtinere, si sibi aliàs canonicè conferentur; nisi de prænominatis Ecclesiis patriarchalibus dictæ Urbis, seu illa ex eis in quâ canonicatus et præbendæ, aut dignitates, vel officia hujusmodi, seu aliquod ex eis impetrata fuerint, et toto tenore præsentium in litteris dispensationis hujusmodi, caveatur expressè, valeat obtinere. Et hic ponit idem Gregorius primo loco Lateranensem Ecclesiam; quia jam aliâ suâ constitutione, quæ incipit, *Super universas*, decimo kal. februarii anno secundo declaravit, et diffinivit Ecclesiam ipsam Lateranensem inter omnes alias Urbis et orbis ecclesias et basilicas, etiam super Ecclesiam seu basilicam S. Petri principis Apostolorum de Urbe supremum locum tenere.

Negari tamen non potest quin sæpè videamus summum Pontificem, etiam ad sic beneficia qualificata eodem tempore dispensare cum personis graduatis, vel valdè dignis, aut eidem gratis, vel cum maximis favoribus, sive expositi, sive manifestè illegitimi fuerint, sicut pluries vidimus.

Consueverunt quandoque summi Pontifices nonnullis piis locis, ubi isti filii exponuntur, per peculiarem bullam concedere, ut hujusmodi expositi habeantur pro legitimis ac puri sanguinis, tam ad ordines, quàm ad beneficia, vel ad ordines tantùm; sicut Papa Nicolaus, archiepiscopo Neapolitano pro tempore existenti, ut pueros, qui pro tempore in hospitali domûs sanctissimæ Annuntiationis Neapolitan. projecti, seu reperti forent, et qui in futurum reperirentur, et projicerentur in illo, non obstante, si forsan dubitaretur an de legitimo matrimonio procreati existerent, ad omnes, etiam sacros ordines, statutis tamen anni temporibus, promoveri possent, apostolicâ auctoritate indulsit, confirmando idem privilegium ab aliis etiam summis Pontificibus concessum. Romæ autem expositi apud hospitale S. Spiritûs, pro spuriis habentur, tractantur et nominantur ab omnibus, teste Grat. discep. for. c. 55, à n. 31; Garc. in suis Addit. ad p. 7, c. 2, n. 7.

Absque tamen speciali facultate dispensandi ad ordines sacros et beneficia episcopis permittitur dispensare cum expositis, quoad minores tantùm, et unum simplex, sicut cum illegitimis, ut supra dictum est, Covar. in Clem. un. de Homicid. p. 1, num. 9; Vivian. in Praxi jurispatr. lib. 6, cap. 4, num. 27.

Quandoque etiam hanc facultatem Papa concedit superioribus nonnullarum religionum, sicut præsertim constat ex constitutione Pauli III editâ anno 1549, kal. novembris, quâ conceditur generali ac provincialibus et præpositis societatis Jesu, ut cum ejusdem societatis personis, defectum natalium ex adulterio, sacrilegio, incestu, et quovis alio nefario et illicito coitu provenientem, patientibus, postquàm in dictâ societate vota emiserint, ut ad quoscumque etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri et promoti ministrare, et ad quascumque administrationes, et officia dictæ societatis eligi, recipi et assumi, illaque gerere et exercere, dispensare possint.

Et hic incidenter nota, quòd exponentes suos filios, ut supra dictum est, sive legitimos, sive naturales tenentur ad omnes expensas, quas hospitalis, sive alius pius locus fecit in illis alendis; nisi notabilis paupertas eos excuset, cap. *Cùm haberet*, de eo qui duxit in matrim., etc., et ibi Panorm., quia patres tenentur alere filios etiam naturales, si possunt, eisque per totum tempus vitæ eorum providere ad not. in dicto cap. *Cùm haberet*; et in nonnullis locis scio tales exponentes esse excommunicatos ab illorum ordinariis, et absolutionem Sedi Apostolicæ reservatam; nec possunt absolvi, nisi à commissariis hujusmodi hospitalium, seu aliorum locorum, factâ priùs restitutione. Quid autem juris in dubio, si mater asserat filium esse illegitimum circa ordines et beneficia, dicam infra, hoc lib. cap. 5.

Ad beneficia autem in Ecclesiâ, in quâ pater fuit, vel est beneficiatus, nunquàm vel rarò conceditur dispensatio, sive filius sit illegitimus, sive legitimus, cap. *Ad extirpandas*, et cap. 2, de Fil. presb. Id enim inter cætera cavetur novo jure concilii Tridentini sess. 25, cap. 15, de Reform. ibi, *ut paternæ incontinentiæ memoria à locis Deo consecratis, quos maximè puritas, sanctitasque decet, longissimè arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non est legitimo matrimonio nati sunt, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt quandocumque etiam dissimile beneficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquomodo ministrare, nec pensiones super fructibus beneficiorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere*, etc.

Et quia hìc non minùs obstat dictum decretum concilii Tridentini, quàm constitutio Clementis VII, quæ est in viridi observantiâ, non incongruum visum fuit illius tenorem hìc subnectere, qui talis est, videlicet:

Clemens episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ad canonum conditorem non est dubium pertinere, cùm statuta à se vel prædecessoribus suis, ad animarum Christi fidelium salutem edita, propter eorum abusum, qui successu temporum, malitiâ hominum succrescente magis in dies dignoscitur obesse, quàm prodesse animadvertit, ne ulteriùs obesse valeat providere. Sanè postquàm fel. record. Alexander Papa III, prædecessor noster, filios præsertim sacerdotum in Ecclesiis paternis succedere prohibuerat, easque nihilominùs, mediâ intercedente personâ, filios ipsos habere disposuerat, cùm passim sacerdotes, ut Ecclesiis suis eorum filii potirentur, satagentes, in Alexandri prædecessoris hujusmodi dispositione confisi, Ecclesias suas, quas ad eorum pervenire filios gestiebant, in favorem personarum, quæ

Ecclesias ipsas, etiam illarum possessione non habitâ, in ipsorum resignantium filios, ex fornicatione genitos, illicò mox resignare. Ipsique filii Ecclesias ipsas, dispensatione super defectu natalium, quem ex dictis sacerdotibus resignantibus geniti patiebantur, etiam patris nomine expresso, obtenta consequi hactenùs consueverint, profectò perniciosum semper et abominabile, ac in gravem divinæ Majestatis offensàm tendere, videlicet, quòd ipsi presbyteri eorum crimen, quod erat occultum, non sine turpitudine, ob inordinatum spuriorum filiorum amorem detegere non erubescerent. Judicavimus propterea, quòd ubi tempus, quod omnia palam facit, et præsentium ratio quid in futurùm cavendum sit, admonet, meritò admonemur, ut ad tollendum hujusmodi abusum necessarium arbitrati sumus ejusdem Alexandri prædecessoris canonem corrigere potiùs quàm talia cum tanto hominum scandalo tolerare. Habitâ igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus maturâ deliberatione, de eorum consilio et unanimi consensu, auctoritate apostolicâ, tenore præsentium statuimus et ordinamus, quòd de cætero filii presbyterorum ex fornicatione nati, ecclesias cathedrales, etiam metropolitanas, ac monasteria, quibus eorum patres præfuerunt, seu illa, et illas dignitates, etiam majores, et principales personatus, administrationes, et officia, etiam curata et electiva, et alia quæcumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ, secularia, et quorumvis ordinum regularia, quæ presbyteri et clerici, ac religiosi eorum patres in titulum, vel commendam, aut administrationem ad tempus, seu in perpetuum aliquando obtinuerunt, nullo unquàm tempore quoquomodo obtinere possint, nec cum eis super hoc dispensare intendimus. Et si quas dispensationes per nos concedi contigerit, tanquàm per præoccupationem, et contra mentem nostram concessas, eis nullatenùs suffragari, talisque dispensationes nostris volumus exulare temporibus, et quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus. Non obstantibus præfati Alexandri prædecessoris, et aliis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præsentium transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus prælati, vel personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, ea prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, etc., *ordinationis, statuti, intentionis, indicationis, et voluntatis infringere*, etc. *Si quis autem*, etc. *Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo tertio, nonas junii, pontificatûs nostri anno septimo.*

Quâ etiam constitutione sic stante, sciendum est quòd hodiè hujusmodi dispensationes videntur à Curiâ exulare, ut supra dictum est; quòd si aliqua forsan concedatur, non nisi cum sudore sanguinis, ac maximis et extraordinariis favoribus; imò eas meo tempore indistinctè vidi denegari, etiam ad instantiam nonnullorum magnatum, cujus quidem denegationis ratio esse potest, ne beneficia jure hæreditario concedi videantur, quod est prohibitum, ut patet in c. 1, de Præb.

Aliquas nihilominùs dispensationes hujusmodi postmodùm audivi concessas per Paulum V et Gregorium XV, cum derogatione supra dictæ constitutionis et aliorum contrariorum, per hæc verba, videlicet : *Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papæ, prædecessoris nostri, aliisque constitutionibus apostolicis, necnon litteris piæ mem. Clem. VII etiam prædecessoris nostri, per quas idem Clemens prædecessor de tunc S. R. E. cardinalium consilio, et unanimi consensu, statuit, quòd ex tunc de cætero filii presbyterorum ex fornicatione nati, canonicatus et præbendas, ac alia beneficia ecclesiastica, quæ videlicet genitores clerici, aliquando obtinuissent, nullo unquàm tempore quoquo modo obtinere possent; et si quas dispensationes eis super hoc per D. Clementem prædecessorem concedi contigerit, tanquàm per præoccupationem, et contra mentem suam concessas, eis nullatenùs suffragari, talesque dispensationes suis temporibus exulare voluit, et quod sibi licere non patiebatur, aliis interdixit.*

Quòd si fortè hujusmodi derogatio non fuerit facta in specie, ut præmittitur, dispensatio non valebit, prout testatur etiam Rebuff. in suâ Praxi hoc tit. n. 24. et nihilominùs per dominos datariæ officiales additur in calce supplicationis hæc restrictiva, nempe : *Et dummodò in beneficio patris non succedat, nec cum eo in altaris ministerio ministret.* Insuper novos curiales hìc monendos puto, ut quotiescumque aliqua petitur à summo Pontifice dispensatio, cui resistit vehemens prohibitio, etiamsi illa non esset constitutio concilii generalis, expressam requirens necessariò derogationem, optima erit cautela petere ipsam derogationem; prout pluries didici à peritissimis et antiquissimis curialibus, ac idem reperio docuisse Felin., in cap. *Nonnulli*, num. 21, de Rescrip.; Alex., cons. 195, num. 16, lib. 2; Menoch. de Arbitr., casu 203, n. 12.

Verùm quoad beneficium, de quo filius legitimus et naturalis petit sibi provideri in Ecclesiâ, in quâ pater, etc., licèt obstet jus antiquum, nempe text. in c. *Ex transmissâ*, c. *Ad extirpandas*, et c. *Michael.* de Fil. presbyt., attamen dataria et cancellaria Apost. tenent non esse ad id necessariam dispensationem expressam, sed sufficere quòd Papa sciat oratorem esse filium legitimum et naturalem beneficiati defuncti; ac proindè videmus quòd in supplicatione Papæ porrigenda sufficit dicere : *Beatissime Pater, cùm tale beneficium, quod quidam Antonius obtinebat*, etc., *vacaverit*, etc., *supplicat igitur*, etc., *Franciscus, prædicti Antonii natus legitimus et naturalis, quatenùs*, etc.

Et in specie cancellaria tenet hanc solam expressionem sufficere, per quam inducitur tacita dispensatio.

Et cùm quidam Savinus Perettus familiaris Clement. VIII resignàsset quoddam beneficium ad favorem Petri Peretti ejus nati, dicebatur in litteris provisionis ipsius Clement. : *Nos tibi asserenti te prædicti Savini filium legitimum et naturalem ex legitimo matrimonio procreatum existere.*

CAPUT III.

Praxis legitimationis quoad honores et successiones.

Quo verò ad honores et successiones, datur legitimatio, etiam per archivium scriptorum Romanæ Curiæ ex diversorum Romanorum pontificum privilegiis ut constat ex constitutione Julii II, super erectione eorum collegii, sept. kal. decemb. 1550; quæ fuit confirmata per Leonem X ac Paulum III, et Pii V, per suam constitutionem, quæ incipit, *Pridem*, in ordine 89. Cujus quidem legitimandi formula hæc est :

Collegium archivii Romanæ Curiæ scriptorum. Universis, et singulis, præsentes litteras, sive hoc præsens publicum legitimationis instrumentum inspecturis, lecturis, visuris pariter et audituris, salutem in Domino sempiternam. Sicut Salvatoris nostri immensa clementia non modò peccati maculam, quam primi parentes humano generi reliquerunt, sacri baptismatis regeneratione delere; sed eos qui proprii peccati infelicitate laborant, pœnitentiam agentes, benignè recipere, et peccata remittere non dedignatur. Ita Romanus Pontifex, cui cœlestis aulæ collatæ sunt claves, ad gremium Ecclesiæ recurrentes, minimè repellere; sed ad exauditionis gratiam, præsertim cùm non suâ, sed alienâ graventur culpâ, admittere consuevit. Cùm itaque pro parte Lelii N. Neapolitan., seu alterius civitatis vel diœcesis nobis humiliter supplicatum fuerit, quatenùs ipsum, qui defectum natalium ex Jacobo Marinetto, et muliere, solutis, vel conjugatis, seu aliàs genitus, patitur, legitimare, ac ad omnia et singula jura legitima, nec non successiones, hæreditates, legata, libertates, honores, dignitates, prærogativas, officia, status, et actus quoscumque legitimos restituere, reponere, et reintegrare, ac habilem, et idoneum, ac sufficientem ad hæc omnia et singula, defectum, et inhabilitatem, ac maculam geniturœ ipsius Lælii tollere; et aliàs in præmissis auctoritate apostolicâ providere dignaremur. Nos igitur considerantes, ut ex fide dignorum testimonio percipimus, supra dictum Lælium bonæ conversationis et famæ, aliisque probitatis et virtutum meritis insignitum esse, ut sperandum sit, in virum evadere virtutibus præditum; ejus igitur supplicationibus inclinati, auctoritate S. D. N. Papæ, cujus in hâc parte vices gerimus, ex indulto apostolico collegio nostro gratiosè concesso, ac de consensu et maturâ deliberatione admodùm illustris et excellentis D. N. juris utriusque doctoris, nostri collegii hujusmodi magistri correctoris, et egregii viri D. N. dicti archivii scriptoris et clerici, per nos in generali nostrâ congregatione deputatorum, eumdem Lælium, de speciali gratiâ, tenore præsentium (absque tamen præjudicio venientium ab intestato) legitimamus et habilitamus; ac ad omnia et singula jura legitima, nec non patris et matris, ac quorumvis aliorum parentum, et aliorum quorumcumque successiones, hæreditates, legata, libertates, honores, dignitates, prærogativas seculares, seu mundanas, officia, statusque, et actus quoscumque legitimos restituimus, reponimus, et plenariè reintegramus, ac aliàs habilem, idoneum et sufficientem ad hæc omnia et singula, auctoritate Apostolicâ prædictâ, reddimus et facimus per præsentes, omnemque defectum, et inhabilitatem, ac geniturœ maculam ipsius Lælii cassamus, tollimus et penitùs abolemus. Ita quod deinceps dictus Lælius, tanquàm legitimus ac de legitimo thoro procreatus, possit, et valeat in eorumdem suorum patris, et matris, ac quorumcumque aliorum parentum suorum agnatorum, et cognatorum proximorum suorum, et quorumvis aliorum, rebus, et bonis mobilibus et immobilibus, necnon juribus et actionibus quibuscumque succedere, illiusque necnon quibuscumque officiis, honoribus dignitatibus et prærogativis publicis et privatis, secularibus, seu mundanis ubilibet uti, frui, potiri et gaudere; ac ad ipsa officia, bona jura, et actiones quascumque et quodlibet eorum recipi, et admitti; illiusque, et eorum cuilibet præfici et præesse possit, et valeat, decernentes eumdem Lælium fore et esse legitimum, ac ad omnia, et singula jura legitima, et quoscumque alios actus legitimos esse ubilibet admittendum, prout nos auctoritate et tenore prænissis, admittimus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, legibus quoque imperialibus, et provincialibus, ac synodalibus, et municipalibus statutis et consuetudinibus, privilegiis et indultis, quâvis auctoritate roboratis, cæterisque in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. In quorum omnium et singulorum fidem, præsentes litteras exindè fieri, et per unum dicti archivii scriptorem infra scriptum, subscribi, sigillique nostri, quo in talibus utimur, jussimus et fecimus appensione communiri. Datum Romæ in palatio Apostolico et camerâ dicti archivii, anno à Nativitate Domini, etc., *indictione*, etc., *die verò*, etc., *pontificatûs*, etc. *Præsentibus N. N. ejusdem archivii Scriptoribus testibus ad præmissa vocatis, specialiter atque rogatis.* Sequitur subscriptio cum sigillo.

Datur etiam ista legitimatio per rescriptum apostolicum, ac litteras sub plumbo, in quibus etiam apponitur clausula : *Et citra præjudicium venientium ab intestato.* Id enim cavetur etiam regulâ cancellariæ, quâ summus Pontifex vult, quòd in dispensationibus super defectu natalium, ut sic dispensati, possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula quòd non præjudicetur illis ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debet, et ita intelligendum est in quibuscumque legitimationibus, factis ab habentibus ad id potestatem à Sede Apostolicâ; ac propterea, si à supradictis aliquis legitimetur absque prædictâ clausulâ, ipsa legitimatio non operaretur in præjudicium venientium ab intestato, quia istæ facultates non dantur, nisi cum câdem clausulâ, quæ procul dubio operatur eumdem effectum, quando est in facultate, quem operaretur, si esset in legitimatione posita, ut per Paris., cons. 14, num. 43, l. 2, quia quibuscumque verbis usus sit, sive comes Palatinus, sive alius habens facultatem, legitimando, non potuit plus operari, quàm sibi esset concessum, Soccin jun. cons. 120, num. 20, l. 2. Et deducendo in praxim hanc clausulam, constat ex eâ, ita legitimato legitimam non deberi, ut per Dec. cons. 576, num. 6, quia illum excludit à successione intestati, id. Dec. cons. 338, num. 4; nam legitima ei non debetur, qui ab intestato non succedit; cùm sit portio portionis debitæ ab intestato,

sicut etiam legitimatus cum dictâ clausulâ, non potest dicere testamentum ex causâ præteritionis, nec legitima debetur ei, cui præterito, querela, vel alius jus impugnandi testamentum non datur, text. est in l. *Cùm quæritur* c., de Inoff. testam. ad quod videndus est Ludovis., decis. 135, per tot.

Et ita videmus Papam modo præmisso per totum orbem supradictam legitimationem concedere, cùm ipse possit quemcumque etiam quoad temporalia et successiones, sicut potest legitimare ad ordines et beneficia, ut supra dictum est.

Nec de effectibus et validitate hujus legitimationis est quoquomodo ambigendum, etiamsi in illius instrumento non fuerit expressa qualitas illegitimitatis, attentis amplissimis causis in eâ appositis vigore amplissimorum privilegiorum summi Pontificis; ac proinde semper et ubique hujusmodi legitimationes suum sortiuntur effectum. Soccin., cons. 93, num. 15, in fine vol. 3, Gozad., cons. 48, n. 1; Roland à Valle, consil. 96, num. 16, lib. 3. De cujus facultatibus legitimandi spurios, et jam ex quâcumque illicitâ conjunctione natos fuit dictum in unâ Interamnensi de Paradisis penes Farinac. in posthum., decis. 5, n. 1, tomo 1. Nec refert si in legitimatione, ut dictum est, non fuerit expressa supra dicta qualitas illegitimitatis, quia nihilominùs perinde est ac si esset expressa, dùm in supra dicto instrumento legitimationis dicitur, *maturâ deliberatione ad hujusmodi legitimationem processisse;* ac etiam, *præfatumque defectum, necnon omnem inhabilitatem, et genituræ maculam tollere.* Quæ verba tanquàm universalia, omnes defectus ultra expressos comprehendit. Ruin., cons. 73, n. 12, 15 et 18. Id. Roland., cons. 12, n. 48, lib. 4, quibus accedit omnia alia verba, in illâ legitimatione, videlicet *Plenariè reintegramus, ac omnem genituræ maculam penitùs ac omninò abolemus.* Gonz. cons. 6, n. 45 et 62, et cons. 86, n. 16. Necnon adjicitur clausula : *Non obstantibus quibuscumque.* Ex quâ constat de mente legitimantis et volentis legitimare non obstante quocumque; defectu spurietatis, adeò quòd non possit de subreptione opponi, Alex. cons. 60, in fine lib. 2; Paris. cons. 15, n. 67, cum seqq. eò magis quia dictum collegium legitimat in dies super quâcumque spurietate sibi expressâ, et sic taciturnitas hujusmodi spurietatis non inducit subreptionem, Felin. in c. *postulâsti*, de Rescript. et alii allegati in d. Interamnens. de Paradis.

Et cùm legitimatio sit de reservatis principi; Paris. cons. 2, n. 7, et cons. 3, num. 8, vol. 2, cum aliis adductis per Surd., cons. 210, n. 42. Hinc illa etiam fit per excell. D. proregem Neapolis auctoritate sibi attributâ ab invictissimo Hispaniarum rege catholico, et nomine suæ Majestatis sub sequenti tenore, videlicet :

Philippus III, Dei gratiâ rex. *Don Petrus Giron dux Ossunæ comes Uregnæ, marchio de Pignafiel, camerarius major suæ Majestatis, ejusque major notarius in regnis Castellæ, et in præsenti regno vicerex locumtenens, et capitaneus generalis*, etc., *universis et singulis præsentium seriem inspecturis tam præsentibus quàm futuris. Sequentes studium vetustæ providentiæ, conditionem pristinam cupientes adjuvare naturæ, ut ingenuitatis jus in republicâ polleat, et natalium illegitimorum status inferior principum reparatione et beneficio adjutus, exurgat. Expositum nobis nuper pro parte N. hujus fidelissimæ civitatis Neapolis, quemadmodùm existens ipse solutus, procreavit ex quâdam muliere similiter solutâ N. N. M. ejus filium; et desiderans in præsentiarum dictum ejus filium legitimari ad omnes et quoscumque legitimos actus, honores, dignitates et præeminentias, prærogativas, jurisdictiones, gratias et jura, quas et quæ eidem illicita procreatio abstulerat tantùm, humiliter nobis supplicavit, ut circa reparationem status dicti ejus filii, auctoritate regiâ, legibus absolutâ ac nobis attributâ, benignè, providere, et culpam quam in hoc contraxêre parentes, abolere, ipsumque legitimare ad omnes honores, actusque prædictos legitimos tantùm, et non aliter, nec alio modo, admittere et restituere dignaremur. Nos autem, auctoritate prædictâ, hujusmodi supplicationibus benignè et favorabiliter annuentes, animadvertentes ad naturæ primordia, quæ quando sola sanciebat inter homines, antequàm scriptæ pervenirent leges, naturales et legitimos non distinxit; et quòd origo naturalis, non ejus qui nascitur, sèd gignentis est vitium, et quòd augeri rempublicam expedit, et multis legitimis hominibus frequentari, eumdem M. ex certâ scientiâ auctoritateque regiâ nobis attributa, per beneficium plenæ restitutionis in integrum, tenore præsentium, reintegramus, restituimus et legitimamus, ac omninò habilem et idoneum reddimus et restituimus ad omnes, et quoscumque legitimos actus, honores et dignitates, præeminentias et prærogativas, jurisdictiones, gratias et jura, quas et quæ eidem illicita procreatio abstulerat, habilem et capacem reddimus in omnibus prædictis tantùm, et non aliter, nec alio modo, non secùs ac si esset de legitimo matrimonio natus, conceptus ac procreatus, taliter quòd nullo modo possit dici bastardus, et ad legitimorum consortium adjungimus et admittimus; ita quòd privilegio hujusmodi nostræ reintegrationis adjutus, et natalium splendore illustratus, ad omnes et quoscumque honores, legitimos actus et gradus, dignitates, præeminentias, prærogativas, jurisdictiones, gratias et jura, quas et quæ eidem dicta illicita procreatio abstulerat, habilis efficiatur, atque capax, nostri hujusmodi privilegii auctoritate, per prædictam Majestatem nobis attributa, ex certâ scientiâ nostrâ, notâ et maculâ illicitæ prolis penitùs quiescente atque sopitâ, ad prædicta tantùm legibus, constitutionibus, juribus, tam communibus quàm municipalibus, capitulis, et observantiis quibuscumque contrariis, et aliis ex adverso facientibus, non obstantibus quoque modo, et signanter lego primâ, § final. quib. mod, natur. effic. legit. et leg. Licet, cod. de Natural. liber. et leg. Qui contra, authent. ex complexu, cod. de Incest. nupt., et si qua sunt similia, quibus expressè de dictâ nostrâ scientiâ ac nomine regiæ Majestatis auctoritate prædictâ nobis attributâ, derogamus, et derogatum esse volumus, et jubemus. Supplentes nihilominùs de dictâ nostrâ scientiâ, et pro suppletis haberi volentes et de-*

cernentes, omnes et quascumque solemnitates, clausulas, et defectus in præsenti privilegio fortè omissas, et in talibus observari solitas, et de jure necessarias, seu requisitas, sub quibusvis verborum expressionibus sive formis. Ita quidem quod præsenti privilegio legitimationis, et natalium restitutionis ac habilitationis, et gratiæ eidem concessæ, et in eo contentis expressis et declaratis in judiciis, et extra judicia, et coram quibusvis judicibus, seu Tribunalibus non possit aliquatenùs de vitio deficientiæ, subreptione, culpâ, obreptione, vel omissione, aut aliquo defectu opponi, etiam quod esset vel esse prætenderetur, vel diceretur ex quovis illicito coitu procreatus, conceptus et natus, sed hujusmodi nostra legitimatio, et natalium restitutio et habilitatio, ac ex gratiâ præsens privilegium exinde subsecutum, hìc, et ubique locorum plenissimum et validissimum robur, et vigorem obtineat, omniaque et singula contenta in dicto privilegio, et declarata semper intelligantur et interpretentur, intelligique et interpretari debeant de regiâ potestate nobis attributâ in favorem utile, et commodum dicti M. ac reintegrationis ipsius quoad honores tantùm, ut supra, omni sinistrâ interpretatione et impedimento cessantibus; et ut præmissa illum quem volumus debitum sortiatur effectum, mandamus illustribus, specialibus, magnificis viris, hujus regni magno camerario, protonotario, magistro justitiarum, eorumque locatenentibus, præsidentibus, et rationalibus regiæ cameræ summariæ, et aliis in sacro consilio deputatis et deputandis, regenti, et judicibus magnæ curiæ vicariæ, gubernatoribus, provincialibus, capitaneis, assessoribus, syndicis et electis, universitatibusque omnibus, aliisque officialibus et personis quibuscumque majoribus et minoribus, tam demanialibus, quàm baronum, præsentibus et futuris, quatenùs formâ præsentis privilegii per eos et unumquemque ipsorum diligenter attentâ, illam prædicto M. ut supra legitimato inviolabiliter observent, et observari faciant per quos decet, juxta præsentium seriem, continentiam, et tenorem; omni dubio et difficultate cessantibus, et contrarium non faciant pro quanto gratiam prædictæ regiæ et catholicæ Majestatis curam habent, pœnamque ducatorum mille cupiunt evitare. In quorum fidem hoc præsens privilegium fecimus, magno predictæ regiæ, et catholicæ Majestatis sigillo pendenti munitum. Datum Neapoli in regio palatio, et propè Castrum novum, die 12 mensis maii, millesimo sexcentesimo decimosexto.

El Duque.

Vidit Constantius regens.

Vidit de Ponte Præses.

Solvit ducatos 12. Hieronymus Riva.

Pro taxatore solvit ducatos quatuor.

Et ut patet ex ipsâ formulâ litterarum legitimationis, oportet in eâ fieri mentionem de qualitate spurietatis, nisi tamen in ipsis litteris adessent verba prægnantia omnes defectus etiam non expressos, comprehendentia, nempe si diceretur, qualitercumque et ex eo quocumque coitu natus ille sit, ut per Fel. in cap. *Postulâsti*, n. 2, vers. *Declara prædicta*, n. 2, de Rescript. Marescott. var. Resol. lib. 2, cap. 87, num. 5.

CAPUT IV.

Praxis dispensationis ad beneficia cum filiis hæreticorum.

Ad nostram etiam praxim videre pertinet quid servetur circa dispensationem cum filiis hæreticorum, et an isti sint eâdem irregularitate irregulares, quæ oritur ex defectu natalium. Et affirmativa est responsio; quandoquidem omni ecclesiastico gradu privantur, nec restitui possunt, nisi prævià dispensatione apostolicâ text. est in cap. *Excommunicamus*, § *Si verò clericus*, § *Sanè de hæret.*; hos enim adeò Ecclesia detestatur, ut nec ipsorum prolem, usque ad secundam generationem, ad ullum beneficium vel officium admittat; et sic filii et nepotes ex paternâ lineâ promoveri non poterunt, si eorum pater, vel avus in hæresi mortuus est; Majol., de Irreg., l. 5, c. 46, num. 5; id enim ipse probat ex cap. *Quicumque*, de Hæret., in 6, et cap. *Statutum felicis*, eodem tit. et lib.; ubi filii hæreticorum et credentium hæreticis, vel fautorum, vel receptatorum, promoveri non possunt ad beneficia ecclesiastica, vel officia publica, et consequenter inhabiles sunt ad ordines; Navar., in Manuali, cap. 27, num. 205, § *Tertiò dico;* et licèt hic contrarium sentiat circa inhabilitatem ad ordines, Sayr., de Cens., l. 6, cap. 10, vers. *Cæterùm*, nihilominùs Romanæ Curiæ praxis hìc nos errare non sinet; ibi enim videmus frequentem dispensationum apostolicarum desuper cursum haberi, cùm illæ à Papâ debeant omninò emanare, c. de Eo, dist. 50, ad quem illi confugiunt; cùm sint ita inhabiles ad ordines et beneficia obtinenda post delictum parentis, ac ipso jure beneficiis privati, Farinac., de Hæres., q. 191, num. 46. Propterea oratori filio hæretici dari consuevit absolutio ab infamiâ, et restitutio ad famam, gradus, honores, dignitates, officia publica, et privata; et quòd clericali charactere insigniri et ad quatuor minores ordinis duntaxat promoveri, necnon quæcumque beneficia ecclesiastica sine curâ, et sacrum ordinem non requirentia, extra parochiales, aut collegiatas ecclesias consistentia, accipere, ac pensiones, et fructuum perceptiones et reservationes suscipere, exigere, et levare possit, et valeat; et quod petitur in supplicatione, denuò repetitur in fine clausularum, juxta consuetum.

Porrò optimâ ratione, etiam filii supradictorum hæreticorum, fautorum et cæterorum similium, ita à supradictis omnibus arcentur, ut in facto et praxi docemur; unde gratiæ apostolicæ sic eis concessæ ita restringuntur, ut hìc visum est; ipsi enim infames sunt, cùm paterna infamia eos afficiat; deinde quoniam in odium paterni sceleris, visum est non modò animadvertere in ipsos sceleratos, sed etiam in progeniem damnatorum, cap. *Vergentis*, de Hæret. Denique ut parentes à tanto crimine patrando avocentur, in filios eorum leges quandoque sæviunt; sæpè enim contingit ut parentes magis filiorum pœnâ quàm propriâ terreantur, ob vehementissimum amoris affectum, quem erga filios gerunt, l. *Isti quidem*, ff. de Eo quòd

met. caus., ut in direct. inquis., part. 3 quæst. 104, comment. 163, litterâ C; ubi quamvis inferiùs, vers. *In hâc quæstione*, dicat convenire interpretes filios quocumque modo illegitimos pœnis in hæreticorum filios latis plecti, per auctores ibi per eum allegatos nihilominùs videmus quòd quidquid sit quoad alios effectus, aliud se habet Curiæ stylus circa ordines et beneficia ecclesiastica, cùm neminem lateat curialium quòd usus jam receptus est ut cum illegitimis ex quocumque damnato coitu dispensetur ad quæcumque beneficia, exceptis tantummodò dignitatibus, canonicatibus in cathedralibus, ac dignitatibus principalibus in collegiatis, ut suprà diximus; cum filiis verò hæreticorum et aliorum, ut suprà, vix dispensari consuevit ad ordines minores et beneficia simplicia eo modo quo dictum est; imò quandoque eis denegatur dispensatio, ut ipsa beneficia possint in civitate, vel oppido, aut in illorum Ecclesiis obtinere, sed tantummodò extrà ea, ut observatum est à pluribus antiquissimis curialibus.

Unum tamen pro hâc nostrâ praxi omittere noluimus, quòd porrectâ aliàs domino datario supplicatione pro parte cujusdam Roberti N. filii cujusdam hæretici, qui duo beneficia ecclesiastica obtinuerat antequàm ejus pater id crimen admitteret, in ipsâ supplicatione fuit tantummodò petita dispensatio ad ordines et beneficia consequenda; at cùm idem dominus datarius ore tenùs accepisset oratorem tunc temporis obtinuisse supradicta duo beneficia, dicebat quòd pro eis tenebatur ille petere dispensationem, etiam super illorum retentione, quandoquidem omnes DD. tenent filios et nepotes hæreticorum fautorum, et similium, non modò fieri inhabiles ad officia et beneficia in posterum obtinenda, verùm etiam ipso jure privari omnibus quæ jam obtinebant, eo tempore quo eorum parentes hoc crimen patrârunt, secundùm diversa jura tunc allegata; et signanter voluit Præpos., in cap. *Satis perversum*, dist. 56; Imol., in l. *Insulam*, ff. Solut. matrim.; Director. inquisit., p. 3, q. 104, comment. 143, litt. E.

Attamen pro firmiori et veriori sententiâ, responsum extitit supradictos filios ipsis beneficiis jam antea obtentis minimè privari, cùm ad ea tantummodò inhabiles reddantur, quæ post dictum admissum crimen impetrata fuerunt; quapropter fuit dicta supplicatio signata quoad dispensationem super beneficiis secundo modo impetratis, prout tenet Repert. inquis., verbo *Filii*, § *Suprà dictum est*, vers. *Sed salva*, etc., quod allegat d. Direct. in d. Comment. 143, sub eâdem litterâ D., vers. *Sententiam superiorem*, cum omnibus seqq., præsertim auctoritate text. in d. cap. *Quicumque*, § *Hæretici*, de eod. lib. 6, in quo solùm videtur excludere filios hæreticorum à beneficiis in futurum obtinendis per verba ipsius text. ibi: *Ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium publicum assumantur*; quandoquidem verbum illud, assumantur, nullo modo dici potest, quòd inducat privationem beneficiorum obtentorum ipso jure, cùm sit futuri temporis.

Pro iis verò qui forsan, etiam presbyteri, hæreticis supradictis adhæserunt, et modò reversi petunt absolutionem et dispensationem si in supplicatione narretur quòd jam orator fuerit vigore alicujus facultatis ad id in partibus absolutus, ac in alicujus manibus omnes hæreses et hæreticam pravitatem abjuraverit, nec non fidem catholicam juxta articulos à Sede Apostolicâ propositos cum solemni juramento professus sit; et absolutionem ac facultatem divinis officiis se immiscendi, ac missas celebrandi obtinuerit; tunc committi consuevit ordinario, qui, attento quod dictus orator pœnitentiam egit, abjuravit, et professus est, ut suprà, eum absolvat, ac faciat, prout petitur; citra tamen dispensationem ad beneficia curata, et ipso oratore ab executione suorum ordinum ad triennium, seu si eidem ordinario videbitur, ad aliud longius tempus, suspenso. Quòd si nondùm per dictum oratorem præmissa adimpleta fuerint, committitur ordinario, qui illum, postquàm hæreticam pravitatem et omnes hæreses in genere abjuraverit, et detestatus, ac fidem catholicam, etc., professus fuerit, ac aliàs juxta indultum et facultatem nonnullis episcopis et prælatis Franciæ (si ibi, vel inde fuerit orator) hæreticos absolvendi concessam, et non aliàs, absolvat et dispenset, ut suprà; ipso oratore, arbitrio ejusdem ordinarii, suspenso; et cum prædictis, etiam dispensatur ad retinendum beneficia quæ obtinere expressit, ut suprà visum est. Quoad eos verò qui scienter animoque deliberato hæreticorum libros, vel cujusvis auctoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, damnata legunt, vel habent; quique propterea ipso jure in excommunicationis pœnam incidunt, et ob eam causam tanquàm de hæresi suspecti possunt inquiri, ut in bullâ Pii IV, ut refert Leo, in Thesaur. for. eccles., par. 3, cap. 5, num. 63, petitur absolutio per officium sacræ pœnitentiariæ Apostolicæ, si factum occultum est. Quòd si fortè orator fuerit presbyter qui propterea inciderit in censuras ecclesiasticas, suosque ordines exercendo irregularitatem contraxerit, dantur sibi litteræ discreto viro cuicumque confessori directæ, cui committitur, quatenùs oratorem, auditâ priùs illius sacramentali confessione, postquàm libros prædictos inquisitori consignaverit, vel alteri per quem ipsi inquisitori cautè consignentur, dummodò ex lectione hujusmodi nullam hæresim hauserit, ab excommunicationis aliisque sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, etc., absolvat, etc., injunctâ, etc., pœnitentiâ salutari, et aliis, etc., ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso. Demùm, dummodò præmissa occulta sint, etc., super irregularitate, etc., dispenset, declarando ipsum oratorem licitè retinere posse beneficia sibi ante præmissa, canonicè collata. Datur aliquandò dispensatio oratori ut possit etiam obtinere quæcumque beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, si quæ illi in futurum, aliàs tamen canonicè, conferantur.

Licèt enim antiquitùs nulla aderat excommunicatio contra prædictos, ut colligitur ex cap. *Fraternitatis*, et ibi Gloss. de Hæret., hodiè tamen præter constitu-

tionem, seu decretum supra dicti Pii IV, adest etiam excommunicatio contenta in bullâ *Cœnæ Domini*. Est tamen, pro consolatione multorum, hìc notandum quòd, licèt nonnulli teneant hanc excommunicationem incurri etiamsi unam tantùm, vel alteram lineam legunt, dummodò contineat integram et perfectam hæresim : inter quos fuit Card. Tolet. in quodam scripto supèr Bullâ *Cœnæ*, verius tamen est illam supra dicto modo non incurri ob tam modicam quantitatem, quia, sicut in aliis rebus privàtas materiæ excusat à peccato mortali, ita etiam excusat ab incursu majoris excommunicationis, quæ peccatum mortale necessariò supponit; ita idem Sayr., lib. 3, c. 5, num. 12, vers. *Ad hanc autem*, circa med. et vers. seq.; qui fundatur in verbis ejusdem bullæ in *Cœnâ Domini*, dùm ibi dicitur : *Qui legerit librum hæreticum*; unde, qui duas, tres, quatuor, aut decem lineas legit, non dicitur legere librum hæreticum; subdit idem tamen ibi quòd ex hâc sententiâ quæ mitior est, non est de facili accipienda occasio ita legendi, sed ante factum timendum et abstinendum est omninò à quâcumque minimâ parte; quòd si ex humanâ fragilitate et curiositate contingeret aliquem legisse quantitatem prædictam, non de fallaci damnandus erit incurrisse dictam excommunicationem, neque facilè neganda erit illi absolutio. Hæc idem Sayr., loc. cit.

Quoad laicos autem qui aliquo modo opinionibus hæreticis adhæserunt, in illorum absolutionibus semper additur clausula : *Dummodò non habeant complices; quòd si habuerint, factâ priùs illorum denuntiatione, auditâque eorum confessione, postquàm præfatos errores et omnes quascumque alias ab Ecclesiâ damnatas hæreses coram eodem confessario abjuraverint, et detestati fuerint in formâ solitâ, eos absolvat in foro conscientiæ tantùm.* Quomodò autem facienda sit denuntiatio, vide Farinac., de Hæresi, q. 185, num. 67, cum seq.

CAPUT V.

Praxis dispensationis cum illegitimis regularibus.

Pro iis autem qui, cùm sint illegitimè nati, cupiunt religionem ingredi, de jure per illius ingressum ac professionem in eâ emissam omnis irregularitas ex illegitimitate proveniens tollitur, non modò quoad ordines minores, verùm etiam quoad sacros, ut docet Gloss. in c. fin. verbo *Sedis Apostolicæ*, de Fil. presb.; et licèt extet constitutio Sixti V contra ipsos illegitimos, quæ incipit : *Cùm de omnibus*, etc., quâ illis prohibetur non modò professio, verùm etiam ingressus, fuit tamen dicta constitutio moderata, et ad terminos juris communis reducta; ac propterea licitè possunt ii ad professionem et ordines supra dictos admitti, non autem ad officia et dignitates religionis, quo casu recurritur ut plurimùm ad officium sacræ pœnitentiariæ, quæ habet facultatem dispensandi super hoc cum religiosis professis; ut, si nullum aliud canonicum obstet, dicto natalium defectu non obstante, quæcumque officia et dignitates sui ordinis, si ad illa aliàs canonicè et juxta ejusdem ordinis regularia instituta eligantur vel assumantur, recipere, gerere et exercere licitè valeant; et misericorditer dispensetur in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm.

Idemque practicatur quoad moniales; nam, si contingat aliquam talem defectum pati, qui occultus est, ipsaque jam fuerit electa ad abbatissatum, vel prioratum, aut aliud officium, seu aliam dignitatem, similiter committitur confessario, aut auditâ sacramentali confessione, dummodò defectus natalium hujusmodi occultus sit, aliudque canonicum non obstet, ut dicto defectu non obstante, dictum abbatissatûs, seu prioratûs officium retinere, gerere et exercere liberè et licitè valeat, dispenset.

Hanc dispensationem vidi etiam concedi per datariam cum litteris cancellariæ Apostolicæ in utroque foro pro moniali quæ asserebat se defectum natalium ex soluto et solutâ pati, et habitum monialis suscepisse, professionemque emisisse, tanquàm de legitimo matrimonio procreatam, et bonâ fide; postmodùm verò accepisse se esse legitimam; propterea petiit ad præmissa habilitari et restitui, ac ad officia et dignitates suæ religionis dispensari; quapropter fuerunt prædictæ litteræ directæ ordinario loci, illique commissum quatenùs cum oratrice, dummodò vitæ munditia morumque probitas ac alia merita ipsi suffragentur, et fundatio monasterii non obstaret, super præmissis, non tamen ad abbatissatum, et dummodò ipsa, prætextu dispensationis hujusmodi, duo ex officiis et dignitatibus, simul retinere nequeat, apostolicâ auctoritate dispensaret, prout ipsius animæ salutis viderit expedire, cum derogatione concilii Pictaven. ac monasterii statutorum. Multoties has dispositiones videmus concedi, etiam per litteras sacræ Congregationis regularium.

Nec incongruè aliam praxim sequitur hìc videre, numquid videlicet filius in possessione legitimæ filiationis existens, teneatur credere matri asserenti eum esse illegitimum; ac propterea, quatenùs ita credat, egeat dispensatione ad ordines et beneficia? Iste casus perquàm frequens in Romanâ Curiâ occurrit in petendâ desuper dispensatione, cum narrativâ præmissorum, ac proinde ibi semper responsum extitit quòd de jure non tenetur ei fidem adhibere; sic etenim omnes communiter affirmant ex lib. 1, ff. de *Carbon.*, edic., Bart. et alii, ac ibi Gloss. in lib. *Si vicinus*, c. de *Nupt.* et l. *Si posthumus*, ff. de Liber. et posthum.; Abb. in c. 1, de Fil. presb., et in c. *Officii.* de Pœnit. et remiss., eo quod matres sæpè, prout ipsis libet, facilè ac temerè modò aiunt, modò negant; et alleganti turpitudinem tuam non est credendum; Alex., cons. 111, num. 2; Mascard., de Probat., conclus. 439, num. 31, vol. 1; et solum matris dictum non sufficit ut quis debeat se existimare illegitimum, etiamsi illa id asserat cum juramento, et in articulo mortis constituta; est ferè communis sententia, ex Suar., disp. 49, sect. 4, n. 5; Navar., c. 27, n. 201, nisi sufficienter probetur tempore conceptionis, eam non fuisse cognitam à marito, juxta text. in l. *Filius*. ff. Qui sunt sui, vel alieni jur., et procedit, etiamsi ille credat eam esse adulteram; quandoquidem ex adulterâ possunt oriri

filii legitimi, Filliuc., tract. 9, de Cens., c. 5, n. 144, quocirca melior est conditio possidentis, sufficitque quòd ab omnibus pro legitimo habeatur, sitque in possessione legitimitatis cum publicâ voce et famâ, quòd sit legitimus, quæ plurimùm in hoc probant, cùm jus et possessionem habeant ad bonum nomen ex publicâ famâ, et in hâc parte adsit matrimonii favor; cùm natus sit ex parentibus matrimonio conjunctis simulque habitantibus; hoc enim casu, nullâ opus est dispensatione. Si verò habeat ille conscientiam læsam, seu adsit dubium, tutius est promovendus, ob periculum animæ, abstineat ab ordinibus suscipiendis, per text. in c. *Accedens*, de Purgat. can., ac obtineat secum dispensari; quòd si jam fuerit promotus, inspicienda est propria conscientia; nam si pendeat ad credulitatem, debet abstinere, si verò secùs, nec abstinere nec petere tenetur dispensationem, Majol., de Irreg., lib. 1, c. 7, num. 3 et 4. Si autem fuerit infamatus, quòd non sit legitimus, non debet ad sacros ordines promoveri, nisi priùs se purgaverit, per text. in d. c. *Accedens*, et ibi Gloss. in verb. *Purgatione*, ubi quærit quomodò fieri poterit ista purgatio, cùm negativa directè probari non possit, et docet id indirectè probari posse, scilicet quòd fuerit filius talis laici, et uxoris ejusdem, qui pro legitimâ eam tenebat; unde post dictam purgationem, talis licitè poterit absque dispensatione promoveri.

Alius item casus, hìc satis in praxi frequens subnectendus venit. Quid nimirùm sentiendum est de eo, qui licèt illegitimus, promotus est nihilominùs ad sacros ordines, et beneficia ecclesiastica; postmodùm verò ad illius notitiam aliquo modo pervenit, se tanquàm illegitimum, malè ad præmissa fuisse promotum, an videlicet hoc casu teneatur petere dispensationem, vel ne. Et duplex datur responsio, aut enim sciens præmissa admiserit, aut verò ignoranter et bonâ fide. Primo casu graviter peccaret, licèt novam irregularitatem non contraheret, ut per Innoc. in cap. *Si celebret*, de Cler. excomm. min. Secundo verò casu, cùm nimirùm id ex ignorantiâ evenerit, neque peccavit, neque irregularitatem contraxit; etiamsi in dictis sacris ordinibus scienter se exercuerit, sicut nos alibi diximus, ut etiam ait Rebuff. in Prax., tit. de Dispensat. super defect. notal., n. 13, neque in dispensatione desuper petendâ, opus erit mentionem habere de supradicto exercitio ordinum, cùm sufficiat exprimere se esse illegitimum, et sacros ordines suscepisse; sicut neque suspensionem incurret ob exercitum dictorum ordinum; quidquid alii in contrarium dixerint, quod prorsùs Romanæ Curiæ stylus rejicit, quando in his casibus petitur dispensatio, et orator declarat, scienter ad dictos ordines se promoveri fecisse; unde sibi conceditur, ut dictos ordines exercere et beneficia ecclesiastica obtinere possit, ut per Archid. in cap. *Apostolica*, dist. 56; Azor. Instit. moral., p. 2, lib. 6, cap. 4, litt. D.

Nec ab hâc nostrâ praxi dissonat, quod servari in Curiâ videbimus in petitione dispensationis ad ordines, et beneficia pro eis, qui nati sunt ex matrimonio invalido, ob occultum impedimentum inter conjuges; circa quod consideratus fuit, an parentes, cùm nuptias contraxerunt bonâ fide, id impedimentum ignorabant, an verò sciebant. Nam, primo casu, legitimi erunt; quia jus canonicum habet prolem pro legitimâ; textus est clarus in cap. *Cùm inter*, cap. *Ex tenore*, et cap. *Referente, qui filii sint leg.* Secundo verò contrarium est dicendum, et quod dictum est in primo casu, nempe legitimam esse censendam prolem, idem tenendum erit, si parentum alter sciebat, alter verò ignorabat tale impedimentum; tunc enim omnis proles legitima habenda est, favore matrimonii; unde pluries in casibus petendæ hujusmodi dispensationis, fuit per D. datarium responsum, oratores, stantibus præmissis, non indigere dispensatione; quod etiam omnibus curialibus notum est; licèt aliter fuerit tentum, etiam in praxi, in casu dispensationis matrimonialis super impedimento dirimenti, cùm videlicet unus contrahentium illud sciret, alter verò ignoraret, ut suo loco diximus.

CAPUT VI.

Praxis dispensationis cum corpore vitiatis.

Dixit Abb. in cap. *Quia diversitatem*, 1 not. de Concess. præb., quòd corporis deformitas, animi, et morum deformitatem declarat; nec tamen ex istâ solâ causâ prohibetur corpore vitiatus ordines suscipere, et beneficia ecclesiastica obtinere; sed quia ex Levit. 21, constat hanc irregularitatem provenire ex veteri Testamento, ubi omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, accedere prohibetur ad offerendas hostias Domino aut panes Deo suo.

Ut autem circa nostram praxim, sciatur, quisnam dicatur corpore vitiatus, indeque dignoscatur, an et quando super tali vitio requirenda sit apostolica dispensatio, dicamus quòd in hâc materiâ, tales illi dicuntur, qui sunt aut debilitati, aut mutilati: ille autem dicitur debilitatus, qui licèt omnia membra habeat, attamen aut unum, aut plura ex illis habet inutilia, puta oculum cœcum, aut manum aridam, aut crus contractum, et alia similia. Mutilatus verò, ille dicitur qui aliquo membro necessario ad usum ordinum careret, veluti manu, aut oculo.

Unde, quicumque caret aliquo ipsius corporis membro, ad usum ordinis necessario, vel, licèt habeat membrum, habet tamen impeditum ad dictum usum, vel quemcunque habet defectum deformem corporis qui propterea scandalum generet in populo, erit irregularis, tam quoad ordines quàm ad beneficia, tum propter inhabilitatem ad exequendum officium, tum ob deformitatem, ac etiam, quia indignum est offerre Deo quod homo dedignatur, ut habetur in c. fin., 49 dist., nec est habilis ad beneficia quia quicumque est inhabilis ad ordines, erit etiam inhabilis ad beneficium quod ordo ille requirit; nam inhabilis ad unum censetur etiam inhabilis ad ei necessario annexum, ita Sayr. de Cens., l. 6, c. 2, n. 22, qui n. seq. addit id non procedere, quando irregularitas talis est, ut licèt impediat usum unius ordinis, non tamen impedit usum alterius ita

suscepti, et talis defectus sine culpâ contractus est, nam in hoc potest quis habere beneficium, sed tale, quòd non requirat alterius ordinis usum quàm illius quem exercere potest, ut est casus in c. 2, de Cler. ægrot., ubi ei cui abscissi fuerunt duo digiti et pars manûs, sine culpâ, permittitur conferri beneficium, non requirens celebrationem; non autem illam requirens, Nav. in c. 27, n. 252.

Et ne tempus frustra teratur in illicitè iis petendis, quæ licitè denegantur, omnes supplicationes in dataria rejiciuntur, cùm petitur dispensari cum oratore habente talem defectum, qui faciat magnam deformitatem in quâcumque parte corporis, aut membro, quo personæ claritas nimis obscuratur; veluti, si ille habeat nasum amputatum, aut insignem maculam in oculo, sive alium notabilem defectum; nam licèt vitium hujusmodi sive mutilatio non obstet substantiæ sacramenti, quominùs verè ministretur ac suscipiatur, est tamen contra præceptum Ecclesiæ, idem d. Sayr., lib. 6, c. 7, n. 2

Ubi autem dubitatur an talis sit deformitas vel debilitatio quæ irregularitatem inducat, standum erit judicio episcopi, Abb. in c. 2, de Cler. ægrot.; Innoc. in c. *Significávit*, de Corp. vit., licèt non possit ipse super dictis impedimentis dispensare, cùm hoc ad solum Papam spectet, c. *Non confidat*, 50 dist.; Butr. in c. *Significásti*, de Corp. vitiat., si enim episcopis aliquo modo permitteretur hæc dispensatio, periculum esset eâ cum detrimento debitæ sacramenti reverentiæ ac populorum scandalo abutendi; omnis enim corporis defectus, quantùmvis parvus vel occultus, si faciat sacramenti administrationem minùs tutam, vel si generet scandalum aut periculum scandali imminentis, reddit hominem irregularem, Majol., de Irreg., l. 1, c 2, n. 1, vers. *Quarta*, omnis corporis defectus.

Id verò quantùm dedeceat, nostri temporis probavit eventus, quo quidam episcopus quemdam Didacum, quem alii pigmæum, alii balænam vocitabant, ob sui corporis deformitatem, tum quia staturâ pusillus, tum etiam quia ex utrâque parte mirum in modum gibosus est, non sine gravissimo scandalo in ordinantem et ordinatum, ad omnes sacros etiam presbyteratûs ordines promovit. Cæterùm priscis illis temporibus non modò episcopus abstinebat à tali promotione quam non faciebat, nisi de consensu plurium episcoporum, sed etiam ipse summus Pontifex tam grave negotium, non uni tantùm episcopo committebat, sed, licèt litteræ dispensationis hujusmodi uni dirigebantur, puta archiepiscopo, aderant tamen in illis inserta verba, videlicèt, *de consilio suffraganeorum suorum*, ut in c. 2, de Corp. vit, ubi Gloss. in verb. *Cum consilio*, dicit quod isti suffraganei delegati censentur; ita ut sine istorum consilio, episcopus seu archiepiscopus nihil disponere debeat, aliàs non valeret, cap. *Cùm in veteri*, de Elect.

Est tamen circa hanc praxim sciendum, quòd in dispensatione cum corpore vitiatis, id potissimùm servat Romana Curia, ut si culpâ suâ deformati fuerint, veluti si quis ex indignatione vel causâ continentiæ et sic propriâ voluntate virilia sibi amputaverit, vel quid simile fecerit, denegetur illi dispensatio; quia sui homicida est, text. in c. *Si quis abscidit*, et ibi Gloss., dist. 55, nec prodest quòd circa hoc nonnulla possent exempla in contrarium adduci, præsertim de Origene, qui se eunuchum fecit, ut liberiùs in occulto posset prædicare tempore persecutionis Ecclesiæ mulieribus, qui tamen postea apud Cæsarem factus est sacerdos. Sic etiam Marcus præscidit sibi pollicem, ut sic fieret indignus sacerdotio, et postea tamen factus est sacerdos, ut legitur in historiâ ecclesiasticâ; quia hæc non sunt trahenda in consequentiam, ut ait Gloss. in d. c. *Si quis abscidit*, in verbo *Clericus*. Cùm verò per Papam cum eunucho dispensatur, hujusmodi dispensationis litteræ quoad ordines erunt tenoris sequentis, videlicet:

A tergo: *Venerabili fratri Archiepiscopo Neapolitan.*

Intùs verò:

URBANUS VIII. — *Venerabilis Frater, salutem* etc. *Exponi nobis nuperfecit dilectus filius Gregorius Andreas de Asossâ collegii seminarii Neapolitan. alumnus, quòd ipse devotionis fervore accensus, clericali charactere insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri et promotus*, etc., *famulari summoperè desiderat. Verùm quia ipse eunuchus existit, desiderii sui compos hâc in parte fieri nequit absque speciali nostrâ et Sedis Apostolicæ dispensatione seu indulto; nobis propterea*, etc. *Nos igitur dictum Gregorium Andream in suo laudabili proposito confovere, ac specialibus favoribus*, etc., *discretioni tuæ per præsentes committimus et mandamus, quatenùs cum eodem Gregorio Andreâ, licèt ipse eunuchus existat, ut præfertur, nihilominùs si nullum aliud canonicum obstet impedimentum, et dummodò ipse an id idoneus reperiatur, servatisque aliis servandis, clericali charactere hujusmodi insigniri, ac ad omnes etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus*, etc. *ministrare*, etc. *liberè et licitè possit et valeat, auctoritate nostrâ Apostolicâ dispenses, illique concedas et indulgeas. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus cæterisque contrariis quibuscumque. Dat.* etc., *apud S. Petrum*, 9 *februarii* 1643, *pontificatûs nostri anno vigesimo.*

M. A. Maraldus.

Quoniam verò defectus alicujus membri occulti, qui notabilem deformitatem in facie, manibus aut corpore non generat, si ex propriâ culpâ non acciderit, irregularitatem non generat, veluti si ex causâ justâ, non autem sponte, sed invitus sibi ab inimicis per insidias, aut vim; vel etiam si ita natus, aut puer in cunabilis virilia amiserit, aut aliud membrum occultum non generans deformitatem, talis promoveri potest ad ordines, et in susceptis ministrare, Sayr., de Cens., l. 6, c. 7, num. 14, ubi multas congerit doctorum auctoritates, cum iste non sit irregularis; nec tenetur testes sibi abscissos secum deferre, ut vulgus falsò opinatur, prout dixit Abbas in c. *Ex parte*, n. 1, de Corp. vitiat; Covar. in Clem. un., p. 1, num. 5, et alii.

Si autem casu, præmissa et alia hujusmodi evenerint, puta si quis partem digiti aut alterius membri

sibi abscidit, dùm aut operi rustico curam impendit, aut aliquod faciens, se non sponte percussit, ut in c. *Qui partem*, d. dist. 55, similiter, si pro ægritudine, naturalia à medicis qui secta habuerit, vel alias, ut in cap. *Si quis pro ægritudine*, d. dist. 55, datur dispensatio; adhibitis tamen moderationibus et decretis in infra scriptâ formulâ supplicationis appositis.

Modus igitur et praxis supplicandi summo Pontifici pro dispensatione ad ordines et beneficia cum corpore vitiatis, constant ex sequenti formulâ supplicationis pro patiente defectum oculi Canonis, cujus dispensatio in Romanâ Curiâ frequens est, videlicet :

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Rhodericus Montesanus laicus Neapolitan., devotionis fervore accensus, plurimùm cupiat clericali charactere insigniri, et ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio ministrare; verùm quia ex causâ cujusdam infirmitatis, visum oculi Canonis amisit, licèt inde non tanta causetur deformitas quæ scandalum generet in populo, aut divinis præstet impedimentum, sui voti compos effici non potest, absque Sedis Apostolicæ dispensatione; supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs ejus pio desiderio hâc in parte favorabiliter annuendo, eumque specialis gratiæ favore prosequendo, cum eodem oratore, ut defectu hujusmodi non obstante, dicto clericali charactere insigniri, ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quæcumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etc.; prout in formulâ supplicationis dispensationis ad ordines et beneficia pro bigamo, lib. 2, c. 1.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et de dispensatione, aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis, et quòd præmissorum omnium, et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio, et expressio fieri possit in litteris per breve S. V. seu officium minoris gratiæ (non tamen quoad beneficia hujusmodi) expediendis.* Et additur : *Et committatur ordinario, qui inspecto per seipsum, et considerato diligenter dicto defectu, si talis non sit, nec ex eo tanta proveniat deformitas, quæ scandalum generet in populo, aut divinis impedimentum præstet, super quo ejusdem ordinârit conscientia oneretur, cum eodem oratore, dummodò ad id reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas, et virtutum merita sibi aliàs suffragentur; nec aliud ei obstet impedimentum, dispenset, ut supra.*

Cùm autem hujusmodi dispensatio conceditur super prædicto defectu oculi Canonis, tunc, ne ipse patiens, legendo Canonem, vertat se ad populum, cùm velit ad Canonem ipsum oculum dextrum dirigère; id etiam additur in fine dictarum clausularum, videlicet : *Et quoties missam celebrabit, tabellam Canonis in medio altaris tenere debeat.*

Ex hâc verò formulâ est etiam in praxi notandum. Primò, quòd cùm in executione litterarum desuper expediendarum, maxima sit diligentia adhibenda, circa ipsius defectûs inspectionem, si orator erit in Romanâ Curiâ præsens antequàm signetur supplicatio, se præsentabit coram D. datario, qui inspiciet et considerabit defectum, quem orator ipse patitur; quandoque verò inspiciendum et considerandum ille committit D. regenti cancellariæ, cum aliquibus ex abbreviatoribus majoris præsidentiæ; vel saltem uni ex ejusdem Curiæ referendariis. Imò sæpè contingit ut si orator est ab ipsâ Curiâ absens, et illius defectûs qualitas non permittat summum Pontificem de ordinario confidere circa talem inspectionem, præcipit oratorem ipsum ad Urbem accedere, si id sine magno ipsius oratoris dispendio fieri possit; ubi considerato defectu, videatur an sit super eo concedenda vel denegunda dispensatio; quo casu, licèt litteræ dirigantur ordinario pro executione aliorum in eâ narratorum, non tamen committitur ampliùs eidem talis defectûs inspectio; sed in ipsis litteris dicitur : *Nos igitur qui dictum N. per quosdam probos viros diligenter inspici fecimus, et ex eorum relatione accepimus hujusmodi defectum talem non esse qui notabile scandalum generet in populo, ipsius supplicationibus inclinati*, etc.

Pro oratore verò absente regulariter committitur ordinario, qui inspecto per seipsum et considerato diligenter defectu, ut ex supradictâ clausulâ supplicationis, debet ille vigore litterarum dispensationis, seu potiùs mandati ad illam, judicare quænam sit ea deformitas aut debilitas vel infirmitas, sive horribilitas, et quale constituat in oratore impedimentum, ac propterea illum subjiciet conspectui oculorum, per text. cap. *Communiter*, 33 distinct., juxta illud :

Segniùs irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Quarum quidem litterarum executionem ordinarius non poterit alteri subdelegare, per tot clausulas supra additas; præcipuè per illa verba, *per seipsum*; quæ, cùm sint personalissima et demonstrativa ad oculum, ut in l. 1, § *Adipiscimur*, ff. de Acquirend. possess.; Abb. in cap. fin., n. 1, et Felin., n. 3 de Off. deleg.; Rota, decis. 359, n. 36, p. 5, recent., imponunt necessitatem ut id alteri non committatur; sicut quando in commissione causæ dicitur quòd illam per se cognoscere debeat; capite 1, ut Eccles. ben. fin. dim. conf. l. *Prætor*, ff. de eden.; Ias. in l. *A judice*, num. 11, vers. *Sextò limita*, c. de Jud., maximè quia sumus in re gravi, quæ impedit omninò sub delegationem; Menoch. de Arbitr. jud., lib. 1, q. 54, n. 7. Ego aliàs vidi similem supplicationem signatam à Clemente Papâ VIII, qui, cùm in ipsâ fuissent ob inadvertentiam revisoris omissa dicta verba, *per seipsum*, ipse Pontifex propriâ manu illa addidit; quando autem summus Pontifex non intendit impedire subdelegationem, utitur illis consuetis verbis, videlicet : *Quatenùs per te, vel alium, seu alios*, etc., ut omnibus notum est; unde per dictas clausulas omninò est electa industria personæ, ut per Imol., Abb. et alios cap. *Final.*, per illum text. de Off. deleg.; Alexand. in d. l. *A judice*, et Bald. in cap. *Si pro debilitate*, de Off. deleg.

Et quomodòcumque ista dispensatio concedatur, sive oratori præsenti in Romanâ Curiâ, ubi defectus fuit recognitus, ut supra dictum est, sive à dictâ Curiâ absenti, nunquàm dantur litteræ dispensationis, sed tantùm mandati de dispensando; nec in re tam gravi confidit summus Pontifex de vicario episcopi oratoris, sed similes dispensationes diriguntur ipsi episcopo tantùm, per text. in d. c. 2 de Corp. vitiat., ibi : *De maculâ verò, archiepiscopo prædicto mandavimus, ut cum consilio suffraganeorum suorum, quod exinde visum fuerit, exequatur; in quo tibi ex maximâ dispensatione curavimus provideri;* ac proinde benè nôrunt curiales quòd nunquàm hujusmodi impedimentorum cognitio per similia rescripta apostolica tollitur ab oratoris superiore ordinario.

Quod quidem adeò inconcussè observatur, ut cùm sacra pœnitentiaria Apostolica, ex facultate sibi traditâ, dispensat cum religiosis professis corpore vitiatis, nunquàm alteri quàm ordinario illius loci, ubi orator professus est, rescribat, dando ei facultatem cum illo di pensandi super corporis vitio, seu defectu, cum illis limitationibus et clausulis quibus utitur cancellaria Apostolica, sed gratis quoad omnia.

Rationem autem cur in his et similibus casibus parùm summus Pontifex confidat de prædictis vicariis, eam potissimùm esse puto, quòd quandoque, sicut hodiè videmus, pauci sunt vicarii episcoporum, qui eorum munus rectè explere sciant, cùm, ut plurimùm ad id officium assumantur viri rudes et imperiti, qui neque prima nôrunt legum elementa; unde optimâ ratione Azor., Instit. moral., p. 2, lib. 3, cap. 37, invehit contra vicarios ignaros, dicens quòd vicariorum ignorantia destruit diœceses episcoporum, et pro eis tenetur episcopus, cùm mala electio sit in culpâ, vulg. jur., ac propterea ait Sbroz., de Off. vicar., lib. 1, quæst. 33 et 34, quòd episcopus in assumendo vicario, non oscitanter se gerere debet, sed tenetur eligere personam qualificatam, circumspectam, bonæ et approbatæ vitæ, timentem Deum, veridicam, liberalem, temperatam, fortem, magnanimam, mansuetam, doctam, et quæ non declinet neque ad dexteram, neque ad sinistram.

Secundò notandum, quòd restringitur dicta dispensatio per illa verba : *Dummodò ex impedimento hujusmodi non proveniat deformitas, quæ scandalum generet*, etc. Quam quidem restrictivam reperio extractam ex capite *Presbyterum*, ibi : *Quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri posse confidimus*, de Cleric. ægrot., et per eam ostenditur papam non dispensare si adsit magna deformitas vel defectus, præstans divinis impedimentum, quia, cùm, verbi gratiâ, habeat quis oculos maculatos, vel nimiam in eis distillationem ac putrescentem, quæ affert horrorem inspicientibus, non debet episcopus, cui directæ sunt litteræ hujusmodi dispensationis, illa exequi in his casibus, quia id remittitur illius arbitrio; Majol., de Irreg., lib. 1, cap. 20, num. 5.

Et faciliùs summus Pontifex dispensat cum patiente defectum oculi dextri quàm oculi sinistri, qui de stylo Curiæ dicitur oculus Canonis, quia sinister oculus est magis utilis et decens ad legendum Canonem missæ; nam qui illo caret, Canonem oculo dextro aspicere non potest sine indecentiâ; oportebit enim se vertere versùs populum, ut dictum est; Sayr., de Cens., lib. 6, cap. 9, num. 8. Nihilominùs ista dispensatio in casibus præmissis adhuc concedi frequenter consuevit, cùm tali indecentiæ provideatur prævià dictâ tabellâ Canonis, in medio altaris positâ.

Et cùm in supradictis attendatur deformitas, et non defectus, sæpè fuit conclusum in cancellariâ non esse cum difficultate concedendam dispensationem ei qui licèt sit notabiliter corpore vitiatus, non tamen ex tali defectu habet deformitatem aut impedimentum in celebratione missæ, si aliquo modo sibi occurri possit, verbi gratiâ, valgio, cui crura sunt in diversum acta, si aliàs idoneus erit, etiamsi talos ante habeat, digitos verò retrò, quia veste talari teguntur, id Majol. d. lib. 1, tit. de Claudicantibus, n. 3, ubi ait quòd in his claudicantibus dispensandis, plurimùm versatur arbitrium episcopi, ut dictum est, qui inspicere debet an ista claudicatio sit valdè ridiculosa; præsertim ob mutilationem per culpam; quo casu non dispensabit, sed remittet oratorem ad Papam, ad quem dispensatio hujus culpæ et magni defectûs pertinet, per text. in cap. 1, de Cler. pugn. in duel.

In multis namque corporis defectibus, qui tamen non generant scandalum, vidimus eos compensari cum aliis bonis oratoris qualitatibus; unde non ignoramus quamplurimos viros, licèt ex naturâ seu casu defectuosos, proinde non fuisse exclusos à ministeriis ecclesiasticis : nam Beda fuit eximius concionator, ac doctissimus sacræ Scripturæ interpres, licèt cæcus. Item Didimus Alexandrinus fuit cæcus, et sciebat vetus et novum Testamentum. Joannes Palæstinus fuit etiam cæcus, et referebat omnia verba S. Scripturæ, et nihilominùs ex supradictis causâ prædicationis potest dispensari cum cæco, ut possit promoveri ad sacerdotium, imò etiam ad episcopatum. Etiam dicitur de Roberto Scoto cæco à puerili ætate, qui Parisiis theologiam ita didicit, ut Romæ fuerit creatus sacerdos et archiepiscopus Armacanens., ut per Paris., de Resign. ben., lib. 5, q. 6, n. 39, cum plur. seqq.; ubi etiam alia ad id luculenter adducit.

Et meo tempore vidi per fel. record. Paulum V, ex causis sibi narratis, ut infra, dispensari cum quâdam puellâ mutâ, et partim sine auditu, ad effectum suscipiendi habitum monialis et profitendi; quæ quidem dispensatio fuit habita pro singulari, illiusque tenor talis est, videlicet :

Paulus, etc., *dilecto filio vicario*, etc., *episcopi Cuman. Salutem*, etc. *Apostolicæ Sedis copiosa benignitas vigorem juris interdum mansuetudine temperans, nonnulla aliquando dispensativè concedit, quæ sacrorum canonum severitas interdicit. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis Antonii Crucei nobilis Cuman, petitio continebat : Quòd ipse dilectam in Chri-*

sto filiam Brigidam ejus natam sexdecim annorum, habet, quæ licèt septem circiter ab hinc annis, ex quodam sinistro sibi supervento accidente, sine loquelâ, et partim sine auditu remanserit, iis tamen est ingenii dotibus prædita ut quidquid sibi nutu, signis et gestibus indicatur, ac etiam verbis significatur, perspicaciter comprehendat et faciat, adeò ut apertè videatur, Deum optimum maximum illi hujusmodi defectuum damna, longè nobiliioribus ingenii dotibus liberaliter rependere voluisse. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, exterioribus indiciis evidenter appareat dictam Brigidam regularis vitæ cupidissimam et observantissimam esse, et dictus Joannes Antonius timens ne ipsa quæ eleganti vultûs formâ et corporis compositione præstat, in seculo innupta remanens, tempore procedente aliquod pudicitiæ detrimentum patiatur; et propterea, tam suo suorumque honori quàm etiam ipsiusmet Brigidæ saluti, et spirituali consolationi paternè prospicere volens, eam in monasterio monialium S. Agathæ, civitatis Cuman. in quo jam per tres annos, educationis causâ permansit ad hoc, ut inibi professionem emittat regularem, collocare desiderare, ipsæque moniales quæ ejus animi candorem, pietatem et devotionem diutinam trium annorum, quibus in eo permansit, experientia haud dubiis signis, et argumentis probè agnoverunt, illamque insociam, et consororem suam recipere paratæ existant, idque summoperè exoptent; sed cùm id stantibus prædictis defectibus, effectum sortiri non possit absque Sedis Apostolicæ licentiâ. Quare pro parte dicti Joannis Antonii nobis humiliter supplicatum extitit, quatenùs in præmissis opportunè providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur eosdem Joannem Antonium et Brigidam, et eorum quemlibet à quibusvis, etc., censentes, necnon aliquarum, si quæ sint ipsius Brigidæ dispensationum tenores præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenùs cum eâdem Brigidâ, super dictis defectibus, ac quòd illis non ostantibus, dictum monasterium, quatenùs abbatissa seu priorissa, et conventus monialium hujusmodi eam recipere velint, ingredi, et habitum per illius moniales gestari solitum suscipere, ac professionem regularem per eas emitti consuetam, nutu, signis, et gestibus apparentibus, emittere liberè, et licitè possit, et valeat pro arbitrio tuo, auctoritate nostrâ, dummodò tamen ad id aliàs idonea reperiatur, dispenses; necnon ejusdem monasterii abbatissæ seu priorissæ, et conventui prædictis, ut illam in monialem hujusmodi recipere et admittere possint, licentiam et facultatem dictâ auctoritate concedas et impartiaris, non obstantibus defectibus, aliisque præmissis, ac quibus vis constitutionibus et ordinationibus apostol. necnon monasterii et ordinis, cujus illud est, etiam juramento, confirmatione Apost., vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis, illis earumque superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam cum quibusvis clausulis et decretis in contrarium forsan quomodòlibet concessis quibuscumque. Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis dominicæ 1613, sexto idus augusti, pontificatûs nostri anno nono.

Et dantur supradictæ, ac similes dispensationes, seu potiùs mandatum ad sic dispensandum cum supradictâ clausulâ, videlicet, de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, quæ proinde impedit subdelegationem, ut dicam infra, l. 7, cap. 6, n. 3.

In proposito autem, quia ut supra jam diximus, potiùs attenditur deformitas quàm impedimentum, proinde dicendum illud attendi tam in quâlibet parte deformi, quàm in totâ hominis staturâ, si talis deformitas, sive ridicula conditio scandalum afferret; namque etiam in eâ re, quæ de sui naturâ, non impedit executionem ordinis, illud scandalum sufficit ad inducendum impedimentum, ne quis promoveri possit, veluti cùm quis adeò est brevis staturæ corporis, ut quasi monstrum videatur; nam licèt capax sit characteris ordinis, tamen apud omnes magnam admirationem inducit, ut sunt pygmæi, qui non debent facilè ad ordines admitti propter scandalum et vulgarem admirationem, quod tamen intelligendum est de iis quorum nimia brevitas affert contemptum, risum et admirationem, sicut legitur de Gregorio episcopo Turonensi, quem, cùm Romam venisset, omnes ferè ob pusillam staturam parvi pendebant; unde et ipsemet summus Pontifex Gregor. I miratus est quomodò vir tam brevi corpore in episcopum promotus fuisset, qui ille respondit: *Ipse Deus fecit nos, et non ipsi nos.* Et sub Bonifac. VIII, Joannes Maria de Castello Bononiensis mansionarius, tam brevi staturâ erat, ut cùm stans verba faceret coram Papâ, genu flexus putabatur, prout refert Majol, de Irreg., lib. 1, cap. 13, sub. 9. Nec non de Alphonso Ritio, qui cùm coram summo Pontifice staret, et crederetur pariter genu flexus, jussus ab ipso Pontifice surgere, respondit ille: *Beatissime Pater, non sum plus,* quo responso, non modò adstantibus ingentem movit risum, sed et ipsi Pontifici, ut refert Menoch. in Addit. ad. lib. 2 de Arbitr. jud, casu 226, num. 12.

Quamvis negari non possit, quin aliquando doctrina, cæteræque animi dotes, hujusmodi defectibus suppleant; nam prædictus Gregorius episcopus Turonensis fuit apud Gregorium Magnum supradictum in magnâ veneratione habitus, sicut etiam ipse Joannes Maria fuit in jure canonico peritissimus, [id. Majol., loco cit.

Ex præmissâ ratione, cùm non tam vitium corporis in se quàm deformitas et impedimentum attendatur, ut quis censendus sit irregularis, sicut paulò ante diximus, si tale vitium non obstet ad ministrandum in altaris ministerio, nec apparebit, non erit opus aliquâ dispensatione; exemplum affert Campanil. in divers. Jur. can., rubr. 11, cap. 17, sub num. 131, vers. *Quinimò*, ubi ait quod accidit Venetiis, quemdam hominem visum fuisse crus lævum à nativitate, breve habentem, eoque nutantem, et convaluisse ex ictu scopitti in dextro recepto, quod optimum fuit temperamentum, et opportunum remedium, ut crure lon-

giore decurtato, et cum brevi exæquato, claudicare desierit.

Porrò hujusmodi claudicantes non possunt uti baculo, accedentes ad celebrandum, cùm id summâ ratione statutum fuerit in c. *Nullus episcopus*, d. 1, de Consecrat., ubi Zacharias Papa, in synodo Rom., voluit ut nullus episcopus, presbyter, aut diaconus ad solemnia missarum celebranda præsumat cum baculo introire; aut velato capite altari Deo assistere; quoniam et Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesiâ, et qui temerè præsumpserit, communione privetur. Sed cùm istud caput duo contineat, unum scilicet, nec cum baculo quis accedat ad altare, alterum verò, nec velato capite: quoad primum, nulla datur dispensatio, quia baculo non potest occurri periculis et necessitatibus, quæ ex notabili impedimento presbyteri proveniunt, et aliàs vidi presbyterum quemdam ad altare cum baculo accedentem in die festo sancti titularis Ecclesiæ, qui, dùm ad divina ibi convenisset populi multitudo, nescio quo casu, in terram concidit, cum maximo ejusdem populi scandalo. Quoad secundum, quidquid dicat Navar., cons. 7, de Celebrat. miss., num. 1, videlicet, quòd nullo jure cavetur, vel specialiter prohibitum est, et n. fin., quòd si causa esset dubia, et posset commodè adiri episcopus, deberet ab eo impetrari dispensatio, adest d. cap. *Nullus*, quo id expressè prohibetur; quo verò ad dispensationem, nullo modo competit episcopo, super quo decreta congregationis cardinalium super negotiis episcoporum adsunt, sub die 2 januarii 1590, et 7 januarii 1595, per quæ concessit usum pileoli episcopo Faventin., et proposito in eâ supplici libello pro parte archiepiscopi Urbitanen., super eâdem re, eidem ipsa Congregatio respondit, eo non posse uti, sine speciali sedis Apostolicæ licentiâ; prout refertur etiam in synodo diœcesanâ Neapolitan. celebratâ anno 1632, per hæc verba, videlicet: *Concessionem usûs pileoli in missæ celebratione sedi Apostolicæ tantum reservatam esse, sacra rituum congregatio declaravit; propterea in missarum celebratione à sacerdotibus, sub pœnis nostro arbitrio reservatis, absque dictæ sedis dispensatione adhiberi interdicimus, et vetamus; dictaque congregationis declaratio emanavit sub die 31 januarii 1626, quia cùm canon ipse prohibeat episcopo velatum caput, ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest. Hæc autem delatio prohibetur, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine, ut etiam per dictam sacram rituum congregationem est decisum.*

Datur propterea desuper dispensatio, ubi legitima causa intervenerit; unde mihi facultas per litteras in formâ brevis attributa extitit, eo quo sequitur modo, videlicet:

URBANUS *Papa VIII, dilecte fili*, etc., *vitæ ac morum honestas*, etc. *Cùm itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu continuâ ferè distillatione è cerebro ad nares, seu ebataro, præsertim hiemali tempore, labores, et missam, capite detecto celebrando, non modicum valetudinis tuæ detrimentum patiaris, et provterea tibi per nos, ut infrà, indulgeri summoperè desideras. Nos te præmissorum meritorum tuorum intuitu, specialibus favoribus et gratis prosequi volentes, et à quibusvis*, etc., *censentes*, etc. *Tibi ut dùm sacrosanctum missæ sacrificium celebras, caput biretino tectum (non tamen à præfatione, usque ad peractam communionem) habere liberè et licitè possis et valeas, apostolicâ auctoritate tenore præsentium concedimus et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ⁊ cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ*, etc.

Et quòd ista facultas dispensandi super delatione biretini competat soli Pontifici, declaravit etiam præd. S. congregatio sub die 2 januarii 1590 et 31 julii 1626.

Quinimò supradicta sacra rituum congregatio, ut eâ quâ decet reverentiâ, sacrum conficiatur, non modò præmissa circa hujusmodi pileoli delationem statuit, verùm etiam per eamdem usus annuli in missâ prohibetur protonotariis non participantibus, et quibuscumque aliis doctoribus die 11 februarii 1623. Item et canonicis cathedralium fuit prohibitus die novembris 1628.

Quo verò ad cætera corporis impedimenta seu deformitates, videndi sunt doctores de hoc tractantes, inter quos Filliuc, tract. 9, de Cens. c. 6, præsertim à num. 165, inde enim elicitur, in quibus casibus opus sit dispensatione. Dubium solùm remanet, an ex ipsius faciei turpitudine impediatur promovendus, et certò tenent doctores quòd, si quid est deforme in ipsâ facie, quod ad monstruositatem et ridiculosam faciem vergeret, prohibetur quis profectò promoveri. Ipsius verò faciei color, sive candidus, sive rubens, sive niger, ut in Mauro vel Æthiope, nequaquàm impedit, nec aliquo jure isti prohibentur promoveri, Majol., l. 1, cap. 21, n. 2, ubi etiam refert, quòd illi qui faciem fuco illiniunt., aut crines, vel barbam tingunt, non nisi post pœnitentiam admittendi sunt, et quandoque deponendi, afferens ibi exemplum, nempe quòd Philippus Alexandri pater, Antipatrum ex ordine judicum deposuit, quòd barbam tingeret; dicens, in pilis infidelem, in negotiis nequaquàm fidelem existimes; et fieri non potest, ut veram mentem gerat, qui caput habet adulterinum; et adversùs hos pilorum tinctores scribit Clem. Alex. relatus per eumdem Majol. loco cit., ubi videtur annuere, quòd tales sint irregulares; quod tamen nullo jure probatur: si enim ita esset, hodiè quamplurimi istorum egerent dispensatione.

Hæc autem quoad defectus corporis extrinsecos, continuatos et apparentes; quo verò ad defectus intrinsecos et non continuatos, interpellatim tamen apparentes, ut sunt, videlicet, podagra, paralysis et similia hujusmodi, certum est quòd podagra et chiragra inducunt canonicum impedimentum ad ordines suscipiendos, tanquàm gravis morbus, qui ut plurimùm viros nobiles invadit, etferè incurabilis est. Cap. penultimo. de Cler. ægrot., et juxta illud Ovidii de pont.

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Majol. de Irregul., l. 2, c. 21, et quandoque ex otio causatur; quare, ut ait Plin., l. 26, c. 10, Roma, cùm sudando et laborando vivebat, hoc malum non cognovit; quòd etiam ex in gluvie ortum ducat, certius est; saluberrimum proinde antidotum et præservativum S. canones docent adhiberi, juxta text. in c. *Legimus.*, de Consecr., dist. 5, ibi : *Legimus quosdam morbo articulari et podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam et pauperes cibos redactos, convaluisse. Caruerant enim sollicitudine dispensandæ domûs, et epularum largitate, quæ et corpus frangunt et animam.* Quare contraria contrariis curanda sunt. c. *Si quis semel*, de Pœnit. dist. 21. Unde supradictis nunquàm, aut rarò datur dispensatio ad ordines quia tales sunt, qui impossibilitatem celebrandi inducunt, vel quia scandalum aut periculum timetur, et eò minùs datur ipsa dispensatio arreptitiis, sive dæmoniacis, caducis aut furiosis, habentibus dilucida intervalla, etiamsi sani appareant, per Gloss. in c. 1, 31, dist.

Nec unquàm vidi desuper dispensari sed sempèr supplicationes omninò rejici, præsertim pro hujusmodi arreptitiis, circa quos, scio D. datarium semper respondisse, quòd cùm semel quis talis apparet, nunquàm potest promoveri; quod satis ostenditur in c. Maritus, 33 d., quia sæpè tentatur ab illo dæmone; qui dùm se fingit recessisse, tamen sæpè permanet, etiam per annos, quod clarè colligitur ex verbis Evangelii Marci, cap. 19 : *Surde et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, et ampliùs ne introeas in eum ;* quæ quidem verba ideò locutus est Dominus, quia semel arreptitius sæpè tentatur ab illo dæmone, ut dictum est, Borgas., p. 5, tit. de Corp. vit., num. 18.

CAPUT VII.

Praxis dispensationis cum neophytis.

Post praxin dispensationis super corporis defectu, jam propositam, videre est quid ipsa Romana Curia, circa dispensationem super irregularitate ex defectu animæ proveniente, sentiat, illo, inquam, defectu, super quo ex causis rationabilibus inducitur summus Pontifex ad dispensandum; quandoquidem multi sunt hujusmodi animæ defectus, qui non immeritò ipsum Pontificem ab illorum dispensatione quandoque retrahunt. Constat enim praxim ipsam ad hunc ferè defectum restringi, quæ frequentiùs docet, quomodò et quando cum neophytis dispensetur; eos enim irregulares esse deprehenditur per totam dist. 48, nec non c. *Si officia*, et c. *Hoc ad nos*, et c. *Ordinatos*, dist. 59, et per alia jura allegata per Sayr., de Cens., l. 6, cap. 14, num. 10, ac propterea neque ad ordines sunt promovendi, Cov. in Clem. *Si furiosus*, in 1 p. Relect., § 2, num. 7; neque eis beneficia ecclesiastica sunt conferenda, cùm eis indigni reputentur, ut per D. Paulum in 1 ep. ad Timoth. c. 3; Hojed. de Incomp. benef. 1, c. ult., num. 1, quod tamen intélligitur, dùm isti neophyti recenter legem Christi professi sunt; cùm isti propriè tales dicantur, ut per Covar. loco cit.; postquàm enim moribus, et christianâ doctrinâ instructi sunt, possunt licitè promoveri, ut est text. in cap. 1, dist. 57; Felin. in cap. *Cùm sit*, de Jud., nec non habere possunt beneficia supradicta; idem Hojed. loco citato.

Quid autem dicendum sit de filiis Judæorum, servat stylus Curiæ, ut illi efficiantur capaces beneficiorum ecclesiasticorum, ac etiam dignitatum, si Christiani sunt, per text. in cap. *Eam te*, de Rescrip., cap. *Si quis in ægritudine*, d. dist. 57; Navar. in Sum., cap. 25, num. 205, quamvis non possint ad sacros ordines promoveri, ut statuit Paulus IV, quod etiam confirmavit Gregorius XIII, qui id extendit, etiam ad descendentes ex Mauris, ut per Navar., cons. 1, de Judæis. Quinam autem propriè dicendi sunt neophyti in jure canonico, hoc nomen restringit idem Sayr., num. 11, ex pluribus per eum allegatis doctoribus ad eos solùm qui ex lege Judaicâ, Mahumeticâ vel Ethnicâ, noviter fidem Christi professi sunt; et per baptismum Christo initiati. Cum his summus Pontifex dispensat ad omnes ordines et beneficia ecclesiastica, quando ipsi semper vixerunt catholici, teste Mandos in praxi signat. rat., tit. *Dispensatio cum neophytis*, vers. 6, qui vers. seq. ait, quòd si de noviter ad fidem conversis non habeatur firma spes, seu morum et vitæ ipsorum certitudo, non statim ad ordines et beneficia ecclesiastica sunt admittendi seu dispensandi, quinimò, neque ad minores ordines; et quamvis Covar., in d. Clem. *Si furiosus*, d. num. 7, vers. *Tertiâ conclusione*, dicat satis esse ut cum supradictis possit episcopus dispensare, habitâ ratione temporis et personæ; ac propterea non sit exspectanda summi Pontificis dispensatio, et quòd, licèt in aliquibus Ecclesiis soleant esse constitutiones à Sede Apostolicâ approbatæ, quibus isti, qui genus et originem à Judæis vel Saracenis ducunt, quantùmvis ab infantiâ baptizati, excluduntur à beneficiis, possunt tamen ad sacros ordines promoveri, et alibi, tam isti qui ab infantiâ baptizati sunt, quàm ii qui in ætate adultâ ad fidem Christi convertuntur, si in eâ benè instructi sunt, in eâque per longum tempus laudabiliter vixerint, episcopi judicio ad ordines sacros et ecclesiastica beneficia admitti, id. Sayr. num. 12.

Huic tamen sententiæ, quoad episcopalem dispensationem, neminem latet, adversari Curiæ stylum et consuetudinem, quæ jam diù admisit, ad Romanum tantùm Pontificem dispensationem hujusmodi pertinere; qui non ita passim cum his dispensare consuevit, præsertim, cum de recenti ad fidem conversis, nisi re maturè discussâ, per quam ii dignoscantur digni tali dispensatione, ac cum opportunâ prædictorum statutorum expressâ derogatione; et proinde consuetus modus desuper supplicandi, talis esse debet, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. quòd aliàs ipse qui parentibus Muhametanis natus, per bon. mem. Octavium cardinalem de Aquavivâ nuncupatum, tunc Ecclesiæ Neapolitan. archiepiscopum ex concessione et dispensatione apostolicâ, à quodam cive Neapolitan., cujus

ipse orator servus erat, proprio ære redemptus, ejusque jussu septennis, assumpto nomine et cognomine dicti Octavii cardinalis, baptizatus, et mox ab eo tempore, undecim annorum spatio, fide catholicâ, omnibusque ad eam facientibus imbutus, et in collegio seminarii Neapolitan. in quo adhuc moratur, litteris operam navans, ac sacrosancta Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta frequentans, educatus existit, ex fervore devotionis, ac aliàs, clericali militiæ adscribi, et ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis, Altissimo, quoad vixerit, famulari summopere desiderat, supplicat, etc., *quatenùs,* etc., *cum eodem oratore, quòd præmissis non obstantibus, clericali charactere insigniri, illiusque privilegiis uti; necnon ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri et promotus,* etc., *ministrare, necnon quæcumque et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et præbendæ,* etc., in formâ.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et committatur ordinario. Et dummodo reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas, ac alia virtutum merita sibi aliàs suffragentur, nec aliud canonicum obsistat.*

Nec supra dicta dispensatio restringitur ad certa qualificata tantùm beneficia; sed conceditur, sicut aliis inhabilibus, præterquàm patientibus defectum natalium. Isti enim neophyti, cùm sint sufficientes et habiles, promoveri possunt, etiam ad dignitates, id. Mandos., dict. tit. v., *Si igitur;* imò tanta esse potest integritas neophyti, ut etiam ad episcopalem dignitatem evehatur, ut per Majol., de Irregul., lib. 1, cap. 31, n. 4, cum seqq., ubi plura in proposito congerit.

CAPUT VIII.

Praxis dispensationis super defectu libertatis.

Alia insuper species irregularitatis adest, quæ ex defectu libertatis procedit, et ad quatuor genera reducitur à Sayr., d. lib. 6, cap. 14, num. 1, nimirùm eorum qui sunt servituti subjecti; obligati ad ratiocinia; obligati curiæ seculari; vinculo matrimonii obstricti; qui propterea inhabiles redduntur ad ordines, ut in totâ dist. 54.

An autem cum istis, durante eorum vinculo, servitute, ratiocinio aut matrimonio, dispensatur, parùm hìc refert immorari, cùm hujusmodi dispensationes vix aut rarò concedantur.

Quia verò servi, ut hìc, illi intelliguntur, qui cujusvis alterius obsequiis subjecti sunt, præsertim mancipia in bello, seu aliàs quomodolibet capta, ut in d. dist. 54, propterea videamus, quid in praxi servetur, circa illorum libertatem acquirendam Romæ in Curiâ capitolii: his enim illa competit libertas, super quâ Deus Optimus Maximus ex solâ misericordiâ dispensavit cum homine, cujus dominio omnia subjecit, ut diximus in principio in tit. de Orig. dispens.

Pro cujus quidem rei notitiâ sciendum est hanc facultatem competere illustriss. dominis cameræ Urbis conservatoribus, vigore cujusdam legis, seu constitutionis editæ ab Antonino Pio, ipsisque diversis summis Pontificibus confirmatæ, cum pœnæ excommunicationis adjectione contra impedientes. Inter hos fuit Paulus III, per suum motum proprium reintegratorium, cujus quidem tenorem, saltem pro exteris, hìc subnectere visum est, videlicet:

Motu proprio, etc., *novimus, quòd in hâc almâ urbe nostrâ, quæ caput Ecclesiæ existit, sicut hactenùs ante christianam religionem, totius orbis sibi et meritò caput obtinebat, ob reverentiam christianæ religionis, asperum servitutis jugum penitùs extinctum fuerit; quinimò ex causâ prædictâ, mancipia quæque ad sacri senatûs cameræ Urbis officium, et ejusdem nostræ Urbis conservatores confugientia, et libertatem acclamantia, libertatem consequi, veteri instituto consueverunt, ac forsan etiam magistratus præfati, ex speciali privilegio pontificali, seu imperiali, potestatem, mancipia hujusmodi ab aspero servitutis nexu liberandi, habeant privilegia, quæ hujusmodi tam temporis diuturnitate, quàm etiam in Urbis direptione deperdita esse potuerunt. Nos volentes dignitatem conservatoriam prædictam in præmissis speciali favore prosequi, et ambiguitates tollere, harum serie, motu et scientiâ, similibus, de apostolicæ potestatis plenitudine, jurisdictionem, potestatem et facultatem, per quam mancipia, quæcumque sub jugo servitutis quoquomodò obligata ad sacri senatûs cameræ Urbis officium, et pro tempore existentes Urbis conservatores confugientia, et libertatem acclamantia, per eosdem conservatores libertate donari, et Romani cives liberique homines effici possint et debeant, reintegramus, et quatenùs opus sit, de novo damus, concedimus, et gratiosè impartimur; ita quòd mancipia quæcumque ab eisdem conservatoribus liberata hactenus fuerunt, et in posterum liberabuntur, pro liberis hominibus, et Romanis civibus in omnibus, et per omnia ubique habeantur, teneantur, et reputentur, et tractentur, et facultatem habeant in judiciis standi, contrahendi, et alia faciendi, sicut cæteri cives Romani liberi homines facere consueverunt et faciunt, et ita ex nunc prout ex tunc, et è contra, libera esse volumus, et mandamus, ac liberamus, omni jure cujuslibet statuti, consuetudine, vel aliorum contrariorum rigore penitùs rejecto, irritum, et inane decernimus, quidquid scienter, vel ignoranter contra præsentium tenorem factum et attentatum fuerit, et ab omnibus judicibus, tam ordinariis quàm delegatis, etiam quâcumque jurisdictione fungentibus aliter judicandi, sententiandi, et definiendi potestate et facultate sublatâ, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stylo palatii, privilegii, indultis, statutisque etiam juramento firmatis, in specie, vel in genere editis cum quibusvis clausulis, et derogatoriarum derogatoriis, et per quoscumque Romanos pontifices prædecessores nostros, etiam per litteras sub plumbo, et cum derogationibus quibuscumque emanatis, aliisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Quibus, omnia et singula illorum tenores,* etc., *pro expressis habentes, et aliàs latissimè extenden. derogamus.*

Fiat ut petitur, A.

Et cum absolutione à censuris ad effectum præsentium, et quòd litteræ etiam in formâ brevis expediri possint, et obstantiæ habeantur pro expressis. Et cum derogationibus solitis, et potestate, et facultate latiùs extendendis.

Datum Romæ apud S. Petrum, quinto kalendas julii, anno primo.

Idemque voluit Pius V in suâ constit. 17, quæ incipit *Dignum*, 5 Id. septembris 1566, nempe quòd sclavi baptizati, si ad conservatores almæ Urbis confugiunt, libertatem consequantur; confirmando constitutionem præd. Pauli III, per hæc verba : *Motu simili*, etc., *eosdem conservatores*, etc., *speciali favore*, etc., *ipsos conservatores, ac officium senatûs cameræ Urbis, in jurisdictionem, facultate et potestate, mancipia quæcumque sub jugo servitutis quomodolibet alligata, ad hujusmodi senatûs cameræ Urbis officium pro tempore existentis, ac ipsius Urbis conservatores confugientia, ac libertatem acclamantia, per eosdem conservatores libertate donari, et Romani cives liberique homines effici possunt, prout ipse Paulus prædecessor redintegraverat, ac pro potiori cautelâ, de novo damus, concedimus, ac gratiosè impartimur. Itaque mancipia, seu sclavos, eadem, quæ ab eisdem in posterum liberabuntur, pro liberis hominibus et Romanis civibus, in omnibus et per omnia ubique haberi, teneri et reputari debere. Dantes*, etc., *eisdem mancipiis*, etc., *facultatem in judiciis standi, contrahendi, testandi, et alia faciendi, quæ cæteri cives Romani liberi homines facere consueverunt, et faciunt, et ea in omnibus, et per omnia haberi, et libera esse decernimus, volumus et mandamus*, etc.

Ad præmissorum igitur præscriptum petens sibi hujusmodi libertatem impartiri accedit ad curiam capitolii in die audientiæ; ac se coram prædictis dominis conservatoribus præsentando, eis sufficientem fidem sui baptismatis ostendit; ibique genu flexus exponit, qualiter, cùm esset per tantum tempus mancipium, petit propter amorem Dei libertatem. Tunc primus ex dominis conservatoribus, attentâ supra dictâ fide baptismatis, ab ipsis recognitâ, ponit manum dexteram super ipsius mancipii caput, hæc proferendo verba, nimirum: *Esto liber.* Postmodùm verò super hujusmodi libertate expediuntur litteræ patentes, quæ per totum orbem terrarum, etiam ab ipso Mahumete Turcarum principe in maximâ veneratione habentur.

Formula autem harum patentium litterarum hæc est, videlicet :

Nos Octavius Mandosius, Marcus Casalius, et Petrus Vincentius Cavalerius cameræ almæ Urbis conservatores.

Universis et singulis, has nostras litteras visuris, inspecturis, lecturis pariter et audituris, salutem. Cùm discretus juvenis Augustinus Scalia, ante Baptisma nuncupatus Assan, Turca de Lepanto, olim mancipium illustriss. D. Melchioris Borgiæ, ætatis suæ annorum triginta quinque circiter, staturæ parvæ, coloris castanei, lator præsentium, coram nobis in nostro capitolio, publicâ audientiâ comparuerit, humiliterque supplicaverit, ut postquàm plures annos in servitutis jugo permanserit, cum beneficio civitatis Romæ, quæ solâ libertate lætatur, à vinculis servitutis eripere, et natalibus quibus omnes homines à principio liberi nascebantur, restituere dignaremur. Et Redemptor noster, totius conditor orbis, ad hoc propitiatus, humanam voluit carnem assumere, ut de rupto quo tenebamur captivitatis vinculo pristinæ. nos restitueret libertati; salubriterque agatur, si omnes homines, quos ab initio natura liberos procreavit, et servitutis jugo jus gentium contra naturam subjecit, in quâ nati fuerant, libertati reddantur. Propterea, præsentium tenore, vi litterarum apostolicarum, nostrique officii auctoritate, vice et nomine senatûs, populique Romani, ac omnibus melioribus modis, viâ, jure et formâ; quibus magis, melius, validius et efficacius, de jure fieri potest, et debet, ac nos possumus, et debemus prædictum Augustinum Scaliam, qui, ut per fides nobis porrectas, in Basilicâ S. Joannis in Laterano Urbis baptizatus ac nuilitiæ Christi adscriptus fuit, liberum declaramus, et ab omni vinculo servitutis eximimus, absolvimus et liberamus, suique juris efficimus; ita ut ab hâc die, et deinceps in posterum, quò voluerit, pergat, et æquè ac si fuerit Christianus ingenuus, et ex liberis parentibus procreatus, agat. Declarantes eidem Augustino præsenti, et intelligenti, jura et meram libertatem, rerumque suarum generalem et particularem administrationem competere; ita ut sine aliquo servitutis, aut aliarum quarumcumque contradictionum obstaculo, possit emere, vendere, donare et in judicio stare, testimonium dicere, testamentum facere, omniaque alia, quæ quilibet ingenuus, liber, et sui juris facere potest, liberè exequi. Nulli ergo hominum liceat hanc libertatis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire vel contradicere ac facere, contrariis non obstantibus quibuscumque. In quorum fidem præsentes per nostrum secretarium fieri, nostroque solito sigillo, quo in talibus utimur, communiri jussimus. Datum ex nostro capitolio, hâc die 24 aprilis 1632.

Octavius Mandosius, conservator. — Petrus Vincentius Cavalerius, conservator.

Marcus Casalius, conservator. — Antonius Citarella, prior almæ Urbis.

Locus † sigilli

Andreas Origus,
S. P. Q. R. Secretarius.

LIBER QUARTUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS SUPER IRREGULARITATE PROVENIENTE EX DEFECTU ÆTATIS ET TEMPORIS.

CAPUT PRIMUM.

Praxis dispensationis super defectu ætatis ad ordines et beneficia.

Ad ordines et beneficia super defectu ætatis frequenter apostolica datur dispensatio quia per concilium Tridentinum circa hoc multa sunt innovata; nam, quoad simplicia beneficia ecclesiastica obtinenda hodiè nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus

ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficia hujusmodi poterit obtinere, ut ejusdem concilii decreto cavetur, sess. 23, cap. 6, de Reformat.; contra quod nullo modo potest episcopus dispensare, quia id soli Papæ est reservatum, ut constat ex notorio text. in cap. *Vel non est compos*, de Tempor. ordin., Thes. for. eccles., p. 2, c. 3, n. 15, Vivian., in praxi jurispatr., lib. 6, c. 4, n. 38. Nec refert aliquos tenuisse episcopos posse dispensare cum majore septem annorum, ad simplex beneficium ecclesiasticum, ac etiam ad horas canonicas recitandas, ut loco earum alias preces recitet; hoc enim falsum esse testatur Navar., de Hor., cap. 11, num. 24, quandoquidem neque legati dispensant super defectu ætatis ad beneficia obtinenda requisitæ, cùm neuter ipsorum dispenset contra concilia generalia, Navar., loco cit., idque privativè quoad alios spectet ad Papam, quem pluries videmus etiam cum simplici infante ita dispensare. Episcopus autem non potest cuiquam indulgere ut ante quartum decimum annum inceptum possit beneficium simplex obtinere : quòd si secùs fecerit, peccabit mortaliter, et collatio erit nulla, Barb., de Pot. epis., allegat. 60, n. 75, nisi tamen in beneficii fundatione expressè contrarium caveatur; undè sacra congregatio concilii pluriès declaravit quòd, si fundatione cavetur quòd minor ætate quatuordecim annorum possit tale beneficium obtinere, debet hæc dispositio servari, quia per dictum concilium non est derogatum fundationi, ut per Gonz. ad reg. 8, Cancell., gl. 5, n. 91, Garc. de Benef., p. 7, c. 4, n. 10.

Præmissorum autem ratio est quia lex posita in fundatione ad unguem est servanda, Crescent., decis. 7 de Jurepatr.; si tamen fuerit usu recepta, et non aliàs. Vivian., d. lib. 6, capite 6, num. 17.

Est tamen, ex pluribus ejusdem S. congreg. declarationibus, advertendum prædictum decimum quartum annum ad simplex beneficium obtinendum non oportere esse expletum, sed tantummodò cœptum; id. Gonz., n. 95, et Garc., d. n. 10, ubi etiam affert declarationem dictæ congr., quæ sic censuit : *Hoc cap. non prohibere, quin ille qui jam quartum decimum annum suæ ætatis attigit, licèt nondùm explevit, possit beneficium simplex obtinere*, quicquid dixerit Mandos., de Ætate min., c. 4, n. 15, tenens quòd quis ante decimum quartum annum completum non possit præsentari ad hujusmodi beneficium; quod puto ita dixisse quia nondùm eo tempore emanaverant tot dictæ S. congreg. declarationes. Et quod est de simplici beneficio, intelligitur etiam de canonicatu collegiatæ ecclesiæ; pro quo sufficit etiam prædicta ætas quatuordecim annorum, ut etiam declaravit supradicta cong. declarando d. concil., sess. 24, c. 12; ex quâ quidem ratione, sicut potest episcopus dispensare cum illegitimo ad beneficium simplex, ut infra dicetur, sic etiam ad canonicatum et præbendam collegiatæ ecclesiæ; id. Gonz., num. 98.

Ad dignitatem verò, canonicatum, aut portionem, ex eodem concilio, d. c. 12, non admittitur nisi qui eo ordine sacro sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in illâ ætate, ut infra tempus à jure et à dicto concilio statutum, scilicèt infra annum, initiari valeat, ut in sess. 22, cap. 4, de Refor.

Ad parochiales autem ecclesias, seu beneficia curata, necnon dignitates quascumque quibus subest cura animarum, debet promovendus attingere vigesimum quintum suæ ætatis annum, ut in cap. *Cùm in cunctis*, § *Inferiora*, de Elect., et in d. conc. Trid., dict. sess. 24, cap. 12; et eodem modo quo supra dictum est, potest quilibet obtinere beneficia curata et quælibet alia sacerdotalia aptitudine, etiamsi tantùm habet primam tonsuram, dummodò sit in supra dictâ ætate; id Garc., num. 44, qui, nu. 47, affert sacræ congregationis declarationem in proposito, quæ sic ait : *Licèt ex decretis hujus concilii, post minores ordines expectandus esset annus, antequàm quis ad sacros ordines promoveatur, ut in cap* 11, *sess.* 23; *potest tamen quis parochialem acquirere, etiamsi non habeat aliquem ordinem sacrum, et infra annum promoveri ad sacerdotium debet.* Et alia, quæ sic ait : *An obtinentem beneficium curatum oporteat esse diaconum, vel saltem subdiaconum; cùm intra annum debeat promoveri ad sacerdotium, congregatio censuit non oportere.*

Stantibus itaque præmissis, provisio facta non habenti ætatem in beneficio requisitam, est nulla, tex. in cap. *Licèt canon.* de Elect. in 6, quia quicquid fit contra legem, est nullum, l. *Non dubium*, c. de Leg.; præsertim quia supra dictum concil. Trid. habet decretum irritans, quod annullat actum, Abb. in cap. *Dilectus*, nu. 4, de Præb.; nec iste defectus videtur posse suppleri per consuetas clausulas generales supplicationis aut litterarum, ex quibus non inducitur dispensatio; Paris., de Resig. benef., lib. 4, q. 9, num. 34. Quod quidem procedere ait id. Garc., n. 84, etiamsi ad ætatem requisitam desit quantùmvis parum et modicum tempus, ut unus dies, vel hora; quia in his quæ à jure determinata et limitata sunt, non licet arbitrari; ac proindè gratia erit subreptitia; verum tamen est quòd, sicut omnes sciunt curiales, summus Pontifex faciliùs dispensat cum propinquo ætati requisitæ, quàm cum alio, teste Caputaque, decis. 274, num. 3, par. 1.

Hæc autem ætas est numeranda non à die conceptionis ut nonnulli falsò asseruerunt, sed à die nativitatis ex utero, quia, ut ait id. Mandos., d. tit., cap. 1, num. 1, nativitatis primus effectus est ut ab ipso ejus initio quis verè et propriè homo dicatur, per tex. in l. *Cùm inter veteres*, c. de Fideicom. libert.; quamvis aliter dicendum sit quoad irregularitatem incurrendam per eum qui datâ operâ occidit fœtum animatum in ventre matris; nam hoc casu etiam ante nativitatem committitur homicidium, ut infrà in praxi dispensationis super irregularitate ex homicidio.

Est tamen, contra nonnullos, advertendum quòd dispensatus super defectu ætatis, licèt narret se tot annos tantùm habere, si postmodùm in verificatione litterarum constiterit se plures habere annos quàm

expressè, non propterea subreptitia dici poterit dispensatio; quia isti qui nituntur contrarium tenere ob naturam dispensationis, quæ est stricti juris, ac propterea tantum valeat quantùm sonat, ut aliàs diximus, loquuntur sine aliquo fundamento; cùm reverà, si quis habet majorem ordinem, vel ætatem, quàm requirit præbenda, seu beneficium, vel ad alium effectum, non propterea debet excludi, sed admitti; quia narrans majorem ordinem, non recedit à minore, et habens majorem ætatem non desinit habere minorem, cap. *Continebatur*, de Homicid.; cap. Degradatio de pen. gemin.; in cap. *Si pro clericis*, col. 1, in fin., vers. *Quid de illo*, n. 5, de Præb. in 6; id. Gonz., n. 99; et sic semper minus continetur sub majori, c. 1, de Arbitr.; l. 6, c. *Plus semper*, de Reg. jur., eod. l.; non autem è contrario, majus sub minori, l. *In eo quod plus*, ff. de Reg. jur., et qui 70 annos natus est, utique potest affirmare se esse in ætate quinquaginta annorum constitutum, l. 1, § *Si stipul.*, ff. de Verb. oblig., l. 3, vers. *Sed quia plus*, ff. de adim. leg., l. *Qui concubinam*, § 1, ff. de Leg. 3, ut per Ludovis., decis. 230, num. 3; et præter id quod dictum est de contrariâ dispositione in fundatione appositâ, excipitur etiam à prædictis capellania, quæ licèt erecta fuerit in titulum beneficii ex bonis alicujus, accedente consensu episcopi, potest ex ordinatione fundatoris dari puero antè primam tonsuram titulo seculari donec fiat clericus, qui suo tempore tenebitur ordinari et fieri clericus, et cùm capax fuerit, et habilis ad horas canonicas recitandas; cùm id non repugnet hujusmodi fundationi auctoritate superioris; non ut antè primam tonsuram illam teneat quis in titulum beneficii, quod fieri non potest, sed pro eo tempore non sit beneficium, donec fiat clericus, et ex tunc tenebit eam ut beneficium et in titulum beneficii accedente collatione ordinarii; nisi forsan à principio quo eam obtinuit, ipsius ordinarii auctoritas intervenerit, dummodò in specie ipsius capellaniæ fundator disponat quòd ea possit dari puero ante primam tonsuram titulo seculari; ita idem Garc., part. 1, c. 2, num. 30, et in simili infrà dicemus.

CAPUT II.

Praxis eadem sequitur.

Deveniendo nunc ad praxim petendi hujusmodi dispensationem, sciendum est quòd illa nunquàm, aut raro, conceditur ad partem : veluti si minor inhabilis ad beneficia petat secum dispensari ut possit quæcumque beneficia ecclesiastica obtinere non obstante defectu ætatis; sed datur in provisione, scilicèt, cùm vocat beneficium, et orator est in minori ætate constitutus, ac eget propterea dispensatione apostolicâ, debet à Papâ petere provisionem illius beneficii super quo erit ita dispensandus; licèt beneficii hujusmodi collatio tunc non spectet ad Papam; hoc enim casu, in narrativâ supplicationis si beneficium fuerit simplex, dicitur : *Supplicat igitur humiliter S. V. devotus illius orator N. in duodecimo, vel circa, suæ ætatis anno constitutus, qui in litteris ita versatus existit ut divinum officium commodè recitare valeat, quatenùs*, etc.; et in fine ejusdem supplicationis, post illa verba, *eidem oratori conferre*, additur, *secumque super defectu ætatis hujusmodi dispensare dignemini*, etc.

Et quia, sicut ordinarius non potest dispensare super defectu ætatis ordinandi, cap. *Dilectus*, de Tempor. ordinat., ita nec beneficium conferre minori, per ea quæ supra dicta sunt; propterea vacante beneficio, cujus collatio spectat ad ordinarium, cùm ille non possit illud conferre oratori minori, oportet quòd ratione dispensationis prædictæ petatur, ut dictum est, provisio apostolica, cujus ratione solvuntur jura cameræ apostolicæ consueta; unde si beneficii hujusmodi fructus excedant valorem 24 ducatorum auri de cam., solvenda erit etiam annata Annatistis; perindè ac si illius collatio spectaret simpliciter ad Papam; non enim poterit hoc casu beneficium conferri per ordinarium, et dispensatio peti ad partem à Papâ; sed utrumque, scilicèt et provisio et dispensatio unico contextu, unicâ supplicatione, et unicâ bullâ conceditur ab ipso Papâ.

Idemque erit, si orator minor fuerit præsentatus ad beneficium simplex de jure patronatûs; quia ad illud non poterit, etiamsi fuerit compatronus, vel hæres patronorum, præsentari, contra nonnullos contrarium sentientes; eâ forsan ratione, quia, ut ait Mar. Ant. Var. resol., lib. 4, resol. 4, num. 9, aliàs fuit decisum per Rotam, minorem quatuordecim annorum posse obtinere beneficia simplicia de jurepatronatûs laicorum : cùm de jure communi sufficit, quòd sit major septennio, quòdque concilium Tridentinum intelligendum est de simplicibus beneficiis liberæ collationis, non autem de jurepatronatûs; cùm in correctoriis sit facienda restrictio, Jas. in auth. non licèt, num. 6, cum seq. c. de *Liber. præter.* Contrarium enim verius est : nam licèt olim de jure communi minor quatuordecim annis esset habilis ad obtinenda beneficia simplicia : nihilominùs hodiè per nova jura ejusdem concilii, sess. 25, cap. 6, de Reform., est inhabilis, ut per Navar., concil. 11, num. 1 de Præb.; Leo in Thes. for. Eccles., par. 2, cap. 18, n. 14, id Mar. Ant., resol. 112, casu 51, versic. *In primo fuit resolutum*, ubi prosequitur quòd, non obstante Rotâ Rom., dec. 482, num. 3, in fin., dicente d. concil., habere tantum modò locum in beneficiis liberis, tamen testatur in praxi de contrario; et ita se vidisse observari, et sic in casu præmisso obtineri dispensationem apostolicam pro patiente defectum ætatis 14 annorum ad beneficia simplicia de jurepatronatûs, sicut etiam hoc testari potest universa curia Romana, subdens ibi quòd, cùm id concilium loquatur generaliter de beneficio, illius appellatione venit etiam beneficium de jurepatronatûs, Vivian. in d. Praxi, par. 2, l. 6, cap. 6, n. 8, qui num. 9, ait se vidisse plures dispensatos super ætate ad beneficia simplicia, etiam jurispatronatûs, cùm essent novem vel decem annorum, ex aliquâ causâ rationabili, puta si clericus præsentatus sit ex consanguineis patronorum, vel sit de compatronis, vel ex aliâ causâ : cùm enim non possit ab ordinario ob minorem

ætatem institui ob defectum potestatis in dispensando, petenda erit institutio et dispensatio à Papâ, eo modo quo supra dictum est; nisi forsan in fundatione dicti jurispatronatûs caveatur, quòd in illo beneficio possit institui etiam minor quatuordecim annis, ut etiam supra diximus. Et quod dicitur de beneficio jurispatronatûs, intelligitur etiam de beneficio, in quo proceditur per viam electionis, aut alterius cujuscumque provisionis, stante generică dicti concilii Tridentini prohibitione, et ob verbum in eo appositum, *obtinere*, quod generale est, et infinita significat juxta subjectam materiam, ut probat Mandos., in regulâ 13 cancell., q. 3, et regul. 5, q. 4, Barbos., gloss. 60, num. 78.

Nec poterit ordinarius minorem hujusmodi præsentatum instituere sub conditione, videlicèt, dummodò taliter præsentatus et institutus obtineat dispensationem à summo Pontifice, et non aliter; quia, sicut nec collatio, ita neque institutio fieri potest sub conditione, Caputaque, decis. 298, num. 5, id. Mar. Ant., d. resol. 112, casu 4.

Benè tamen admisit Romanæ curiæ stylus, ut possit minor, vel aliàs inhabilis præsentari sub expressâ conditione impetrandi à summo Pontifice dispensationem, vel super ætate, vel etiam super aliis in fundatione requisitis; nec propterea ita præsentans privatur eâ vice facultate præsentandi, eò quòd scienter præsentaverit indignum et inhabilem; ratio est quia, cùm præsentatio fuit facta cum decreto impetrandi dictam dispensationem, poterunt patroni, durante tempore ad præsentandum, hujusmodi dispensatione non obtentâ, de novo, saltem cumulando, præsentare; et sic stante dictâ conditione, non privantur supra dictâ facultate; sicut neque propterea devolutio fiet ad alios, nisi elapso dicto tempore, de quo stylo, et praxi testatur Vivian., d. c. 6, num. 19.

Vendicant sibi tamen præmissa locum in iis beneficiis ecclesiasticis, quæ omnia eorum requisita habent, ut aliàs diximus; secùs enim, etiam circa hanc praxim, dicendum est de aliis, veluti capellaniis, quæ ut plurimùm fundari solent absque episcopi, sive alterius superioris auctoritate; nam licèt illæ sint perpetuæ, sicut alia beneficia ecclesiastica, habeantque cætera requisita, non tamen dicuntur beneficia ecclesiastica, cùm sint erecta auctoritate privatâ, veluti laicali testatoris, qui ratione sui patrimonii, eas constituit sine auctoritate ordinariâ, vel delegatâ, juxta ea quæ notantur in cap. *Dilectus*, de Jurepatron., quamvis ipse testator disposuisset, ut adveniente vacatione præsentetur sacerdos, qui ex familiâ suâ reperiretur in sacerdotio; ad quod facit optimum consil. Navar., 5 de Præb., quod quidem in tantùm procedit, etiamsi fundator fuerit episcopus, qui fundavit, non episcopali auctoritate, sed privatâ, et communi laicorum; quia poterat uti bonis patrimonialibus, id. Navar. consil. 7, eod. tit., et sic, cùm non sint beneficia ecclesiastica, non erit super defectu ætatis, aut aliquo modo, ex illorum causâ, petenda dispensatio; sicut pluries responsum audivi per ipsos datariæ apostolicæ officiales, præsertim in casibus hujusmodi capellaniarum, quæ sæpè fundari solent in partibus Hispaniarum, de quibus loquitur Gonzal., gloss. 5, à n. 20, et in propriis terminis dispensationis super defectu ætatis quatuordecim annorum ad obtinendas dictas capellanias, loquitur Rota, decis. 482, num. 5. in fin., part. 1, divers., his verbis: *Reservârunt Domini, an ex quo non probatur, quod Antonius sit constitutus in quartodecimo anno, prout requirit concil. Tridentin., sess. 25, cap. 3, sed tantùm in duodecimo, ei obstet dictum concilium. In quâ difficultate illustrissimi cardinales congregationis sacri concilii Trident. censuerunt non obstare, die 2 julii* 1585.

Ac pro præmissorum corroboratione, ait id. Gonz., d. gloss. 5, num. 42, quòd licèt fundans capellaniam, nequeat in illius fundatione adjicere gravamen, quòd episcopus aut alius superior non se intromittat in provisione vel dispositione illius; aliàs ex nunc, prout ex tunc cassat, revocat, et annullat dictam fundationem, et tanquàm pro non factâ et constitutâ haberi vult, et omnes illius fructus et redditus converti in aliud opus pium, etc., attamen talis conditio est contra naturam beneficii; et nemo potest facere, quin jura desuper constituta in suâ fundatione, locum habeant; aliter enim dicendum est de capellaniis, quæ sine alicujus superioris auctoritate fundatæ sunt; prout dicitur de legatis piis, seu missarum celebrationibus, quæ etiam minori quatuordecim annorum conferri possunt absque aliâ dispensatione; nisi fortè illa fuerint consueta conferri in titulum perpetuum simplicis beneficii ecclesiastici, quia tunc omninò requiritur dispensatio, sive super defectu ætatis, sive ratione pluralitatis, aut alterius incompatibilitatis, prout stylus curiæ servat.

Hìc tamen te monitum volo, quòd cùm ad sedem apostolicam habendus est recursus per oratorem minorem qui ad beneficium jurispatronatûs ecclesiastici præsentatus fuit, et ob defectum ætatis petit secum dispensari, si vacatio supradicti beneficii occurrerit in aliquo ex mensibus reservatis, contingere posset, quòd Papa non ipsi oratori minori, sed alteri, prout ei placuerit, dictum beneficium conferat, sicut pluriès vidimus, licèt orator asserat se ab illius patronis infra legitima tempora præsentatum; quia etsi regula reservatoria cancellariæ, sive quælibet alia constitutio, non comprehendat in suâ reservatione beneficia jurispatronatûs laicorum, ut inter cæteros firmavit Lapus, alleg. 48, num. 6, ubi ampliat procedere, etiam stantibus illis generalibus verbis, videlicèt, *ad cujuscumque collationem, provisionem, electionem, præsentationem, vel quamvis aliam dispositionem*, Mandos., reg. 1, q. 10, num. 2, Gonz., gloss. 8, sub n. 2, vers. *Et in terminis nostræ regulæ;* attamen secùs dicendum est, quoad jurispatronatûs ecclesiasticum; quia illud comprehenditur sub quâcumque reservatione; ratio autem est quia huic juris patronatûs facilè præjudicatur, cap. *Cùm dilectus*, de Jurepatr., et cap. *Dilectus*, de Offic. leg., qui text. quotidiè in proposito recitantur, ab officialibus datariæ apostolicæ; unde per solam simplicem collationem factam à Papâ de hoc beneficio, con-

setur derogatum juripatronatûs ecclesiastico, etiam absque aliâ expressâ derogatione; imò neque opus est aliquam de eo fieri in litteris mentionem, Cassad., decis. 4, num. 2, de Jurepatronatûs; Garc., de Benef., part. 5, capitulo primo, num. 552.

Quia verò dictum est supra dispensationem super defectu ætatis hujusmodi ad beneficium obtinendum, non dari à summo Pontifice, nisi in ipsâ provisione beneficii; visum tamen fuit interdùm, illam ad partem, et absque aliquâ provisione concedi, sed tantummodò Citramontanis, et quandòque pro aliis personis, nec sine maximis favoribus; et tunc sub sequenti formulâ, videlicèt:

Beatissime Pater, supplicat humiliter S. V. devotus illius orator N. quatenùs sibi, quî in undecimo suæ ætatis anno constitutus existit, specialem gratiam faciendo, cum ipso oratore, ut defectu ætatis hujusmodi non obstante, quæcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica simplicia, ac unum canonicatum, et unam præbendam alicujus cathedralis, seu collegiatæ ecclesiæ, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipse eligatur, præsentetur, aut aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eisdem, recipere et retinere, necnon quascumque pensiones annuas super quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, etiam distributionibus quotidianis sibi, etiam canonicè reservandas et assignandas, percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere liberè et licitè valeat, dispensare dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus defectu ætatis hujusmodi, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostol., ac etiam in synodalibus et provincialibus, et in quibuscumque conciliis generalibus vel specialibus editis vel edendis, necnon ecclesiarum in quibus, etc., *etiam juramento,* etc., *statutis,* etc., ut in formulâ supplicationis dispensationis pro bigamo.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et quòd aliæ dicti oratoris dispensationes habeantur pro expressis, seu in toto, vel in parte exprimi possint in litteris. Et dispensatione ad supradicta omnia pro eodem oratore, aliisque præmissis, ut suprà in formâ gratiosâ, latissimè extendendis; et quod præmissorum omnium, et singulorum,* etc., *fieri possit in litteris.*

Et ex supradictâ formulâ, aliisque præmissis, constat, praxim esse explicandi præcisam oratoris ætatem, aliàs enim non admittitur supplicatio; quia ab octo vel novem annis circa rarò conceditur ista dispensatio.

Est præterea advertendum pro iis qui non benè callent hanc praxim, quòd illa dictio *vel circa* primo loco allata, non semper admittitur in supplicatione; sed distinctè exprimendum est in eâ oratorem tot annos, et tot menses suæ ætatis habere, propter fraudes, quæ circa talem expressionem committi solent; et quatenùs aliquando admitteretur, prout ego pluriès vidi, ipsa tàm in his dispensationibus, quàm in quibuscumque aliis concessionibus, in quibus oportet fieri mentionem de ætate cum istâ dictione, non est attendenda illa doctorum explicatio, nempè, quòd minimum et modicum dicitur attentâ qualitate rei, secundùm judicis arbitrium, juxta textum in l. *Legitimos*, ff. de Legit. tut.; Corne, cons. 179, incip. ex puncto, coll. 2, vol. 3, vers. *Præterea*, ubi loquens de hâc dictione, dicit, quòd illa refertur ad modicum tempus, et quòd tempus trium annorum potest censeri modicum respectu quinquaginta ita Redoan., de Reb. eccles. non alien., rubr. *Quid et quomodò dicatur modicum.* Imò nec hodiè attenditur, quod advertit Mandos. in Glos. Aud. cam., § *Volentes*, vers. *Circa*, ubi ait non esse subreptitium rescriptum, si in undecimo anno constitutus, asserat se in duodecimo, et sic propter hanc dictionem *vel circa*, non potest impugnari impetratio beneficii, vel alia gratia, etiam si orator sit in undecimo anno constitutus sed tantummodò quandò intercedit favor, seu commendatio alicujus principis vel cardinalis. In partibus verò Poloniæ vidimus etiam concedi prædictam dispensationem partim ad retinendum plures canonicatus, et alia beneficia incompatibilia. Nam verius est, quod Mandos., loc. cit., prosequitur, nempè per hanc dictionem, non fieri extensionem ultra sex menses ad plus, arg. text. in d. l. *Non tantùm*, et ibi Gloss., in verb. *Semestre*, ff. de Excuss. tut., et dicit Rebuff. in suâ Praxi benef., tit. de Disp. ratione ætatis, vers. *Seu circa*, num. 4, quòd dictio hæc intelligi potest de duobus, tribus, quatuor, vel quinque, aut ad summum sex mensibus; et verè juxta etiam currentem praxim importat sex tantùm menses, quatenùs dictio hæc admitteretur, habitâ tamen ratione ad expressionem quantitatis annorum; unde ita erit de illâ circa hoc judicandum, sicut quando, verbi gratiâ, narratur resignantem suum beneficium illud possedisse per quinque annos, vel circa, quo casu sufficit verificare, quòd possedit per quatuor annos, cum dimidio, Menoch., de Arbitr., l. 2, casu 46, n. 5, Rota in unâ Meliten. parochialis, 2 junii, 1552, coram Caputaque, in quâ fuit dictum, quòd, cùm testes dicant à tot annis vel circa, Rota per illam dictionem, *vel circa*, tollit sex menses, ead. Rot, decis. 297, lib. 2, part. 3, divers., n. 1, ubi de ætate narratâ in coadjutoriâ pro coadjuto sexaginta annorum, vel circa, solùm tollitur dimidius annus, ut per Garc., p. 11, c. 3, n. 49, qui, n. 50, ait quòd si aliàs diceretur, quòd illud possedit per quinque annos, vel quòd illud obtinet à quinque annis, sine dictione, *vel circa*, deberet illud tempus integrè verificari.

Quòd si beneficium, quod à minore impetratur, annexum habeat presbyteratûs ordinem, additur decretum, *quòd orator cùm primùm ad ætatem legitimam, ordinem quemcumque sacrum suscipiendi, pervenerit, proximis inde temporibus, ordinem quem ætas postulaverit, videlicèt subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus, suscipere omninò teneatur, alioquin, eo deficiente in quibuslibet temporibus prædictis, beneficium ipsum vacare censeatur eo ipso.*

In canonicatibus autem aliisque beneficiis personalem residentiam, vel aliquod munus personale requirentibus additur, ut *interim eisdem canonicatui, et præbendæ, ne debitis fraudentur obsequiis, per substitutum, seu sacerdotem idoneum ab ordinario loci, seu capitulo dictæ Ecclesiæ approbandum, deservire possit, et teneatur,*

Quandoque etiam ex officio, cancellaria in hujusmodi provisionibus addit clausulam : *Volumus autem, quòd canonicatus, et præbenda hujusmodi debitis propterea non defraudentur obsequiis, sed eorum congruè supportentur onera consueta :* et sic servatum fuit, cùm vacàsset primiceriatus hujus Ecclesiæ Neapolitan. de jurepatronatûs aicorum, videlicet familiæ de Januario, ad quem fuit præsentatus D. Aloysius Vincentius de Januario patritius Neapolitanus, qui cùm esset in vigesimo tantùm suæ ætatis anno constitutus, dictusque primiceriatus, presbyteratûs ordinem annexum haberet, litteras provisionis, seu institutionis à summo Pontifice obtinuit, ut defectu ætatis hujusmodi non obstante dictum primiceriatum retinere posset; cum supradicto decreto : *Volumus autem, ut cùm primùm*, etc., cujus vigore ordinarius ad consueta munia subeunda, ob minorem ætatem hujusmodi, deputavit primum canonicum ex ordine presbyterorum, ejusdem Ecclesiæ, addito etiam supradicto alio decreto, videlicèt, *Quòdque dictus Aloysius Vincentius cùm primùm ad ætatem*, etc. Hoc insuper in eisdem litteris adjecto, ut ultra vacationem ob non promotionem supradictam, ad restitutionem fructuum per eum perceptorum obligatus existeret, sub datum Romæ sexto idus martii 1628.

Qui quidem orator, licèt stantibus præmissis potuisset se promoveri facere ad præscriptum supradicti decreti, nihilominùs postmodùm ab eodem summo Pontifice obtinuit secum dispensari, ut si, et quando unus annus tantùm de ætate legitimâ, ad id à sacro concilio Tridentino requisitâ, defecerit, defectu hujusmodi non obstante ad sacrum presbyteratûs ordinem promoveri valeret. Ac insuper, cùm pro parte ejusdem oratoris fuisset Sanctitati suæ expositum, canonicatus et præbendas in Ecclesiâ Neapolitan. pro tempore obtinentes, indulto utendi mitrâ à sede Apostolicâ eis concesso, dummodò in ætate triginta annorum constituti existant, gaudere; primiceriatumque obtinentem, qui primus in ordine presbyterali existit, juxta Rituale romanum, ac etiam ex antiquâ consuetudine, archiepiscopo Neapolitan. solemniter celebranti assistere consuevisse, dictumque oratorem de nobili genere procreatum esse, eique nuper primiceriatum hujusmodi apostolicâ auctoritate collatum fuisse, et, possessione subsecutâ, archiepiscopo celebranti cum mitrâ, ob defectum ætatis triginta annorum hujusmodi assistere non posse, prout cæteri dictæ Ecclesiæ canonici assistunt, eidem oratori, ex voto congregationis cardinalium ritibus ecclesiasticis præpositorum, ut etiam si trigesimum suæ ætatis annum nondùm attigerit, in omnibus dictæ Ecclesiæ functionibus, ac processionibus, mitrâ uti valeret, etc., indultum fuit sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 14 martii 1634.

Est verò notandum quòd licèt minor, tempore præsentationis ad beneficium jurispatronatûs, supplicaverit summo Pontifici pro institutione cum opportunâ dispensatione, si tamen à signaturâ supplicationis usque ad tempus confectionis litterarum, tantum tempus efflaxerit, quòd orator ad ætatem jam legitimam pervenerit, licèt in ipsis litteris non debeat dari dispensatio, cùm verè illa non sit necessaria, nihilominùs de utroque tempore in ipsis litteris, secundùm consuetum stylum mentio habenda erit, exempli gratiâ *Nuper vacante perpetuâ capellaniâ N. de jurepatronatûs clericorum* (vel sub aliis verbis, quibus cancellaria Apostolica in simili jurepatronatûs utitur, etc.) *ad illam sic vacantem, N. qui tunc decimum tertium suæ ætatis annum attingebat*, etc., *præsentatus fuit;* et in dispositivâ prosequitur : *Nos volentes eumdem N. asserentem se in ætate legitimâ de præsenti constitutum existere*, etc.

Mirabitur tamen quis fortassè hìc : Ad quid ista litterarum apostolicarum expeditio, cùm jam interim idem orator legitimæ ætatis effectus sit ad idem beneficium assequendum? Responsio tamen, quæ contemnenda non est, desumitur etiam ex notorio stylo cancellariæ Apostolicæ, quæ omninò tenet, oratori prædicto dandas esse supradictas litteras; quandoquidem per appositionem manûs summi Pontificis, alteri non remanet facultas providendi seu investiendi de dicto beneficio, ex vi hujusmodi manûs appositionis in necessariâ tunc ejusdem summi Pontificis collatione, respectu petitæ dispensationis; quæ licèt modò cesset ob supervenientiam legitimæ ætatis, nihilominùs etiam ex eo, quòd agitur de beneficio jurispatronatûs ecclesiastici, illud propter præmissa remaneat affectum, pro quo facit quod tradit Gonzal., ad reg. 8, cancell. Gloss., num. 23, quamvis aliàs dicendum esset de beneficio jurispatronatûs laicalis, quod per dictæ manûs appositionem minimè remanebit affectum, teste eodem Gonzal. d. Gloss., num. 64, licèt me non lateat ipsam cancellariam pluriès contrarium tenuisse, per rationem desuper allatam.

Non est autem omittendum quòd si orator infra tempus in prædicto decreto, seu forsan in fundatione, aut aliàs ex statuto, seu quomodolibet præscriptum non posset ad illos ordines promoveri, ne collatio sibi facta evanescat per illius lapsum, petere potest, antequàm id tempus labatur, prorogationem ad se promoveri faciendum, quæ concedi consuevit ad aliud tempus D. datario benè visum; et hujusmodi prorogationes sunt admodùm in Rom. curiâ frequentes.

Quòd si tempus prædictum jam fuerit elapsum, petenda erit nova gratia, scilicet restitutionis adversùs lapsum temporis ad suscipiendum ordines; et exprimendum in eâ est an fructus perceperit; quia si ita est, cùm illos non fecerit suos, debet super illis componere cum D. datario, ut aliàs dictum est. Et insuper additur consueta clausula præservativa juris tertii, scilicet : *Dummodò tempore datæ præsentium, ob lapsum temporis hujusmodi, non sit alicui indicta capellania specialiter jus quæsitum.*

Quo verò ad pensiones obtinendas, non requiritur eadem ætas, quæ ad beneficium, scilicet quatuordecim annorum ex dicto concil. Trident., sess. 23, cap. 6, quia cùm circa hoc nihil fuerit in eo expressum,

remanet id dispositioni juris communis, prout erat ante concilium, quod loquitur duntaxat de beneficiis; et sic nihil innovat quoad pensionem; et ita declarâsse sacram congregationem ipsius concilii, et in praxi servari, testatur Gonzal., gloss. 5, § 5, sub num. 26.

Sæpè accidit in Romanâ curiâ, peti dispensationem pro minori ad canonicatum et præbendam Ecclesiæ cathedralis; ignoratur tamen, quem ordinem illi requirant, ac propterea ne retardetur expeditio litterarum datur decretum, *quòd orator, cùm primùm 22 suæ ætatis annum attigerit, ad subdiaconatûs ordinem, et si canonicatus et præbenda prædicti, alios ordines requirant, ad illos, ætate legitimâ sibi suffragante, in tunc proximè successivè futuris temporibus à jure statutis, se promoveri facere omninò teneatur; alioquin præsens gratia nulla sit; ipsique canonicatus et præbenda vacent eo ipso;* ubi tamen in catholicâ Ecclesiâ non est fortè facta distinctio præbendarum, sacrum ordinem requirentium, neque sacri ordines singulis ejusdem Ecclesiæ canonicatibus et præbendis ex præscripto dicti concilii adhuc designati existunt, ut in sess. 24, cap. 13, ibi: *In omnibus verò Ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus et portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatûs, vel subdiaconatûs*, etc., vel, si forsan ex aliquo statuto, seu fundatione aut consuetudine, vel aliàs nullum ordinem sacrum annexum habeant, cùm propterea non requiratur dispensatio, debet de hoc fieri mentio in supplicatione et in litteris.

Præterea servatur, ubi orator fuisset dignitate, seu alio beneficio, gradum aliquem requirente, provisus, ac tempore collationis non esset graduatus, et propterea apponeretur decretum, quòd infra annum, vel aliud tempus, gradum doctoratûs vel licentiaturæ, aut alios suscipere teneretur; alioquin collatio ipsa seu alia gratia nulla esset eo ipso: tunc circa hoc idem est in praxi, quod in aliis supradictis casibus, in quibus datur etiam prorogatio et restitutio adversùs decretum hujusmodi cum supradictis clausulis et decretis.

Hîc autem, saltem per transitum, videamus circa hujusmodi decretum susceptionis gradûs doctoratûs in provisionibus apost. appositum, quid in praxi servandum, quando Papæ narratur oratorem non esse graduatum, prout dignitatis, aut aliàs beneficii qualitas illum requirit tempore provisionis. Ipsius quidem tenor talis adjici consuevit per revisores datariæ apost. nempe: *Et cum decreto, quòd orator infra sex menses* (quandoque verò infra annum) *à datâ præsentium computandos, gradum magisterii in theologiâ, seu doctoratûs vel licentiaturæ in utroque jure, vel saltem in decretis, in aliquâ universitate, ubi studium generale viget, prævio rigoroso examine, suscipere, et ad illum promoveri realiter et cum effectu teneatur; aliàs præsens gratia, ac inde secuta quæcumque ei minimè suffragentur, ipseque archidiaconatus vacare censeatur eo ipso.*

Certum est enim, quòd si dictus orator non satisfaciat ad unguem huic decreto, beneficium vacat, et potest à quocumque, si ita ille qualificatus sit, impetrari; nisi eidem oratori succurratur per viam prorogationis aut restitutionis ad suscipiendum hujusmodi gradum, ut supra dictum est. Nam voluit Julius III, fel. record., circa eos qui in Rom. Curiâ extorquent insignia doctoratûs ab aliis, quàm excellentissimis DD. advocatis consistorialibus, et assumerentur ad gradum doctoratûs in utroque seu altero jurium, assumptiones ac creationes doctorum, ac insignium doctoralium traditiones cum inde secutis, irritas et inanes censeri, ac nemini suffragari, ac si nulliter assumpti pro non doctoribus haberi; prout in suâ constitutione, quæ incipit, *Cùm sicut*, sub dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 6 februarii 1552, pontificatûs sui anno secundo.

Id ipsum fuit in sacro Rotæ auditorio determinatum in unâ Romanâ juris doctorandi in quâ causâ diligenter discussâ, fuit dictum cessare super hoc omnem difficultatem ex posteriore privilegio concesso per Sixtum V, supradictis DD. advocatis, sub dat. 7 kal. septembris 1587, cum derogatione regulæ de jure quæsito non tollendo, et cum clausulâ; *Quorum tenores*, per quam procul dubio revocatum censetur privilegium dominorum protonotariorum, ut ex Seraph., decis. 1271.

Quod quidem jam ipsa praxis comprobat; namque Papa privilegia protonotariatûs nunquàm concedit, nisi cum clausulâ: *Et citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios creandi, aliaque similia privilegia, eisdem notariis de numero participantium, concessa, seu prætensa, quibus nullibi uti valeas*, prout formula litterarum protonotariatûs, quam apposui lib. 5, cap. 6, num. 50.

Ad præmissorum corroborationem, de mandato felic. recordation. Urbani Papæ VIII, emanavit edictum in Urbe, tenoris sequentis, videlicet:

EDITTO.

Octaviano raggi protonotario Apostolico dell' una, et l'altra signatura referendario, et della camera apostolica auditore generale.

Essendo stato provisto altre volte da Sommi Pontefici, per ovviare à molti inconvenienti, che nascevano, che in Roma, et suo distretto nessuno possa essere addottorato in legge, ò canoni da altri, che dal collegio de Signori avvocati Consistoriali, et del tutto espeditone privilegii à favore d'esso collegio, con le pene alli contraventori, contenute in essi; quali ultimamente sono stati confirmati dalla felice mem. di Clemente Ottavo, causa cognita, et con decisione Rotale. Et perche s'intende, che non ostante detti privilegii, alcuni ardiscono addottorare, et quel che è peggio, ancora quelli che dall'istesso Collegio, come non idonei, sono reprovati, Però d'ordine espresso di N. S. datoci à bocca, per il presente publico editto comandiamo espressamente, che nessuno sotto qualsivoglia pretesto, et privilegio ardisca creare, et far dottori in legge, ò canoni contro la forma di detti privilegii, sotto pena, oltre la scommunica, et altre contenute in essi di scudi mille d'oro in oro per ciascheduna volta d'applicarsi ipso facto alla camera Apostolica, in caso di contraventione, et dell' essilio da Roma, et altre

pene corporali, ad arbitrio nostro. Dichiarando, che nell' istesse pene incorreranno quelli, che si faranno dottori, et i testimonii, che interverranno in simili dottorati, et li notari, et segretarii, che se ne rogaranno, oltre le pene sodette, incorreranno nella pena del falso. Dichiarando ancora nulli per il presente editto tuti li privilegi de dottorati, che dalla detta confirmatione di Clementi Ottavo sino al presente saranno stati concessi da altri, che dal collegio sodetto, et questi addotterati dopò detta confirmatione, non possino essercitare l'officio di dottore, ne farsi chiamare tali sotto pena del falso. Volendo che quelli s'intendano incorsi in detta pena, che passati tre giorni dopò la publicatione del presente editto controveranno. Et acciò non si possa in alcun tempo pretendere ignoranza del præsente editto, comandiamo, che ciascun notaro ne debbia tenere una copia affissa nel suo officio sotto le pene predette. Datta in Roma, quæsto di 2 di luglio 1640.

Ottaviano raggi auditore della camera.
Santi Florido notaro decano.
Publicatum 4 julii 1640.

Supradictum edictum fuit renovatum etiam ab illustrissimo Domino Odoardo Vecchiarello ejusdem cameræ auditore, sub die tertiâ novembris 1654, de mandato fel. record. Innocentii Papæ X.

Cùm igitur ex supradictis satis constet, demptam esse omnibus aliis facultatem ad gradus promovendi, proinde dicendum est, ad beneficia ecclesiastica assequenda, neminem posse sic promoveri, nisi à supradictis dominis advocatis consistorialibus in Urbe prædictâ, quod quidem statutum etiam est per fel. record. Pium V, in suâ constitutione, quæ incipit, *Quamvis à Sede Apostolicâ;* cùm enim ille accepisset nonnullos comites Palatinos et diversos alios, prætextu facultatum, sibi à Romanis pontificibus, et à Sede Apostolicâ concessarum, quamplurimos, tam laicos quàm clericos, tam jure civili quàm canonico et theologiâ, nullo aut non debito examine prævio, indoctos et inhabiles, doctores, licentiatos et magistros creâsse et promovisse, uti ad dignitates, cæteraque beneficia ecclesiastica faciliùs assumerentur, et de eis providerentur, in animarum suarum jacturam, et quamplurimorum scandalum, omnia et singula, facultates, et indulta eisdem comitibus, ac etiam quibusvis officialium Romanæ Curiæ collegiis, singulisque aliis personis cujuscumque statûs, gradûs, ordinis, et præeminentiæ existentibus, ad doctoratûs, licentiaturæ et magisterii gradum promovendi per quoscumque Romanos pontifices prædecessores suos quomodolibet concessa et confirmata et innovata revocavit, cessavit et annullavit, ac decretis concil. Trid. inhærendo, decrevit et declaravit, eos qui à comitibus et aliis præfatis promoti fuerunt, quoad dignitates, cæteraque beneficia ecclesiastica, nullâ gradûs prærogativâ frui, et gaudere posse, vel debere. Sub dat. Romæ apud S. Petrum 1568, kal. junii, pontificatûs sui anno tertio.

Quare, supradictis sic stantibus, licèt nonnulli curialium tenuerint posse nihilominùs sic promotos ad hujusmodi gradum, dignitates, aliaque beneficia ecclesiastica assequi, saltem ex privilegio concesso excellentissimo duci Sfortia, quod dicitur inniti concessioni diversorum summorum pontificum, nempè Pauli III, quod fuit confirmatum à Gregorio XIII et Sixto V; attamen prædicto Urbano fuit lectum privilegium quoddam doctoratûs, à supradicto duce concessum, quod erat tenoris sequentis, videlicet :

In Christi nomine, Amen. N. de comitibus Sfortia sacri Romani imperii princeps, dux Signiæ, princeps Vallis Montanæ, comes Dei gratiâ Sanctæ Floræ, marchio Proceni, et eques ordinum Galliarum regis Christianissimi.

Universis et singulis præsentes litteras visuris, lecturis et audituris, salutem et omne gaudium. Noveritis quòd fel. record. Paulus Papa III, per litteras desuper concessas, ac sub plumbo expeditas, sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno dominicæ Incarnationis 1533, *mensis maii, pontificatûs sui anno quinto, nobis et cæteris omnibus de familiâ ac prosapiâ Sforiæ, amplam, liberam ac omnimodam facultatem, et licentiam concessit, doctores in jure canonico et civili creandi, ac solemniter ordinandi, et quos benemeritos, dignos et sufficientes, ac idoneos reperiremus, ad doctoratûs gradum, recipiendi, declarandi et pronuntiandi, aliaque faciendi in præmissis necessaria et opportuna, prout in dictis litteris plenè continetur, quæ fuerunt confirmatæ à fel. record. Gregorio XIII et Sixto V; cùmque illustr. D. N. N. vir, scientiâ, moribus, ingenio, doctrinâ, studiisque præclarus, qui assiduis vigiliis, multis abhinc annis, juri canonico et civili operam impendit laboriosam, suorumque laborum præmium assequi cupiens, doctoratûs gradum, et insignia in utroque jure humiliter à nobis sibi concedi postulavit, et propterea illustr. et excell. D. N. illum coram nobis præsentaverit per rigorosum et tremebundum examen ab illustr. et excell. D. N. N., in hoc casu locum tenente, idoneum repertum; et ideò ad insignem doctoratûs lauream promoveri posse, nobis attestante. Ea propter infra scripta puncta illi assignata videlicet in canonico. c.* Sanè, *de foro comp., et in civili, l.* Mandati, *c.* Mand., *ita miro ordine ac methodo recitavit, continuando rubricas, textus dividendo, notabilia colligendo, casus figurando, dubitationes solvendo, doctorum dicta reassumendo, et argumentis acutè, et subtiliter respondendo, adeò doctè se habuit, quòd fuit à nobis, et supradictis in utroque jure sufficiens et idoneus judicatus. Et ob id unanimiter, concorditer, pari voto, nemine penitùs discrepante, vivâ voce, vivisque suffragiis, jure et meritò approbatus. Nos igitur N. Sfortia, consideratis scientiâ, moribus et virtute quibus eumdem D. N. altissimus illustravit; præcedente fidei catholicæ professione, ac juramento ab eo præstito in manibus nostris, auctoritate apostolicâ, et etiam imperiali, quâ fungimur ordinariâ, eumdem D. N. dignum, sufficientem, et idoneum, ac benemeritum judicavimus, eique juris utriusque doctoratûs insignia assumenda et recipienda fore et esse, pronuntiamus et declaramus, ac ipsum in utroque jure doctorem fecimus, creavimus, et solemniter ordinavimus; ita quòd in futurum omnibus et singulis privilegiis, immunitatid*

bus, exemptionibus, libertatibus, favoribus, gratiis, indultis, dignitatibus, et præeminentiis, quibus alii doctores et magistri de jure vel consuetudine, aut aliàs utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere solent, debent et possunt vel unquàm potuerunt, ipse quoque D. N. doctor creatus utatur, potiatur et gaudeat, ac uti, potiri et gaudere possit et valeat. Dantes insuper, et concedentes sibi licentiam, liberamque facultatem et auctoritatem glossandi, consulendi, interpretandi, et magistrulem cathedram ascendendi pro ejus libito voluntatis. His sic peractis, prædictus D. N. considerans quòd ad perfectionem cujuslibet humani actûs, finis congruus appetendus est, per quem appareat principium et medium aptè præcessisse, solita doctoratûs insignia sibi dari et concedi humiliter postulavit; cui honestæ petitioni annuentes, ipsum in cathedrâ collocandum, eique libros clausos, mox et apertos in manibus dandos, et digito annulum pro desponsatione, et capiti biretum pro coronâ imponendum per illustrem et excellentem D. N. prædictum ejus promotorem fraterno osculo muniendum, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Deiparæque Virginis Mariæ, et sanctorum omnium. In quorum omnium et singulorum fidem præsens hoc doctoratûs instrumentum manu nostrâ subscriptum, et nostro solito sigillo munitum publicari mandavimus. Dat. in Terrâ nostrâ S. Floræ anno à Nativitate Domini, etc., *indictione*, etc., *die primâ mensis septembris, Pontificatûs sanctissimi in Christo patris, et D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papæ VIII, anno*, etc., *præsentibus*, etc., *vocatis atque rogatis.*

N. Dux Sfortia. N. Secretarius.

Quo quidem benè per eumdem Urbanum VIII audito, respondit illud non suffragari ad obtinenda beneficia prædicta, quicquid dicendum esset quoad alios effectus.

Redeundo autem unde digressus sum, dispensatio super defectu ætatis ad suscipiendos sacros ordines adeò semper exulavit à Curiâ, ut vix pro aliquo ultra montes existente, et cum maximis favoribus concessa fuerit; quamvis ex urgentissimâ causâ videatur non consuevisse denegari; quod jam visum est annis proximè elapsis, quibus, grassante non modò in civitate Neapolitan., verùm etiam in nonnullis aliis mundi partibus, tum peste, tum pestilente et immani morbo strangulatorio, vulgò, *mal di gola*, *seu di canna* nuncupato, iidemque morbi ab infantibus et pueris ad natu majores transeuntes, ferè omnes qui in illos inciderunt, de medio sustulerunt unde etiam numerus sacerdotum, tam secularium quàm regularium imminutus valdè remansit; propterea sanctissimus D. N. fel. record. Urbanus Papa VIII, ne Christi fideles sacrificii missæ fructu aliquando destituti ob dictorum presbyteratorum penuriam remanerent, tam cum clericis secularibus quàm regularibus super defectu ætatis, etiam ultra annum dispensavit ad suscipiendos sacros etiam presbyteratûs ordines; necessitas enim facit recedere à regulis juris, cap. 2, in fin. de Observ. jejun.; Menoch. de Arbitr. jud., lib. 2, casu 182, num. 1, et per tot.

Sed ne quis mireţur cur plerùmque in supradictis, aliisque similibus casibus, petatur specificè in supplicationibus dispensatio, de illâ tamen nulla fiat mentio in litteris apostolicis, supradictas gratias concernentes, scire oportet quòd etiam secundùm stylum et praxim datariæ et cancellariæ Apostolicæ, inter cæteras gratias apostolicas, quæ inde emanant, adsunt dispensatio et indultum, qui quidem termini satis inter se diversi sunt; nam dispensatio datur in his quæ sunt contra juris communis dispositionem, ut patet ex ipsius dispensationis definitione, scilicet quòd sit juris communis relaxatio, et tunc necessariò ad illius validitatem summus Pontifex utitur verbo, *Dispensamus*, nisi essemus in illis casibus in quibus regulâ cancellariæ non obstante, seu quodam inveterato stylo, sufficit Papæ ad aliquid disponendum ad alicujus favorem contra, absque eo quòd utatur verbo, *Dispensamus*.

Atverò, ubi non disponitur contra jus commune, non cadit dispensatio; exemplum erit inter alia, ut hìc : nam Papa, providendo minori quatuordecim annis de simplici beneficio, non dicitur disponere contra concilium Tridentinum, loc. cit., sed uti jure suo; ut enim aliàs diximus, in sess. 25, cap. 21, statuitur omnia ipso concilio ita decreta esse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ sit, et esse intelligitur. Unde hæc reservatio excludit præcisam dispensationem; atque ideò nunquàm, etiam de stylo Curiæ, datur, aut cadit dispensatio contra disposita per idem concilium, sed sufficit quòd Papa contra illud ex certâ scientiâ ita disponat; ac propterea in litteris provisionis pro eodem minore dicatur : *Nos volentes dilectum filium N. in undecimo suæ ætatis anno constitutum*, etc., quibus verbis ostendit se jam habere scientiam inhabilitatis oratoris, unde potiùs dici posset, Papam indulgere, quàm dispensare; licèt indultum propriè detur contra statuta fundationis, vel regulas in quibus non dicitur jus solvi, ut per Hier. Paul. in suo Provinc., tit. *Notab.* tam circa benefic. reserv., etc., et ego dicam in meâ Praxi benef. et latiùs prosequar in amplissimis meis Addit. ad eumdem Hier. Paul., lib. 9, cap. 21, à num. 3, ad 10, præsertim vers. *Sed an ista ratio.*

Quia verò, ut supra ostendimus, oportet quòd in provisione apostolicâ supradictâ, cum insertâ dispensatione super defectu ætatis fiat mentio, quòd orator ad horas canonicas ratione sibi collati beneficii recitandas, idoneus existit, propterea hìc pro hujus materiæ conclusione, illiusque praxi, dicendum est quòd cùm beneficium detur propter officium, illud obligat saltem ad dictarum horarum recitationem, ut per doctores in capite 1 de Celebr. Miss., quanquàm illius fructus sint quantùmvis exiles, et tenues, Zerol in Praxi episcoporum part. 2, verbo Beneficium, § 2, et infra dicetur, licèt secùs dicendum esset, si illud nullos prorsùs habeat redditus, quia tunc ad dictas horas non tenetur, Garc. de Benefic. part. 3, capit. 1, num. 41, qui, num. 44, ait id procedere etiam in beneficio quod initio et tempore fundationis habuit redditus, sed temporum calamitate perierunt; propterea in simili

bus dispensationibus super prædicto defectu ad simplicia, semper juxta formulam superiùs positam, additur clausula habilitatis oratoris ad dictas horas recitandas; aliàs enim, si sciret summus Pontifex illius inhabilitatem circa hoc procul dubio à prædictâ collatione retraheretur, ut pluriès visum fuit; nisi fortè ex speciali gratiâ sibi indulgeret; prout sæpè solet, ut loco divini officii, donec ad illud recitandum fiat habilis, recitet officium B. Mariæ Virginis, quod tantùm habentibus pensiones ecclesiasticas, ex præcepto constitutionis Sixti V, concessum est.

Nec incongruè, etiam juxta præsentem casum dispensationis, hìc dubitare visum est, primò, an ratione solius tituli beneficialis, absque illius possessione, obligetur idem orator ad dictum officium recitandum? Est negativa responsio, quando quidem in jure quis non censetur habere beneficium, nisi perfectè illud habeat; quod profectò non accidit absque pacificâ possessione, vel saltem, si per eum non stet quominùs illam adeptus fuerit, arg. capite *Licèt episcopis*, de Præbend., in 6. Durum etenim videtur quòd aliquis sine mercede laboret; Paris., de Resign. benefic., lib. 1, q. 9, num. 15, quicquid dicat Navar., de Orat. capitul. 7, num. 28 et 29.

Secundò dubitatur an idem teneatur ad officium prædictum recitandum, ratione possessionis absque fructibus. Et est affirmativè respondendum, quatenùs adsit certa spes illos recipiendi; is enim completum habet beneficium, nec necessaria est ipsorum fructuum anticipata solutio, ut est communis opinio; quod profectò est intelligendum, etiamsi fructus integrè alteri solvantur, solâ administratione retentâ. Id tamen limitatur, ubi beneficiatus neque habeat administrationem, sed tantùm nudum titulum, ut accidit in resignatione abbatiarum quas possident cardinales et alii prælati, qui eas ex licentiâ Papæ renuntiant suis nepotibus, aut aliis consanguineis, ut in dies accidit, tunc enim onus recitandi officium manet penes fructuum reservatarium loco pensionis, quia apud illum manent administratio, et alia onera, id. Navar. cap. 25, n. 104.

Tertiò dubitatur an ratione tenuitatis beneficii excusetur idem à dictarum horarum recitatione; et quidem communis opinio docet, quantùmvis tenue beneficium obligare ad dictas horas; Covar. lib. 3 var. Resol., cap. 13, num 8; Suar. de Relig. tom. 2, lib. 4, cap. 21, num. 4. Ratio enim est quia, quamvis beneficium tenues habeat fructus, gaudet tamen beneficiatus cæteris privilegiis beneficiatorum, quandoquidem concil. Lateran. sub Leone X, sess. 29, capite 9, indistinctè ad id obligat omnes beneficiatos; et sic, ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, c. *Quia circa*, de Privil., l. *Quamvis*, et ibi Jas. in 1, not., ff. de Jus. voc.; Bart. in l. *Eâ mente*, ff. de Furt.

Et licèt nonnulli contrarium asserant, ac propterea nimis laborent, arbitrando quodnam dicatur tenue beneficium, ad effectum evadendi onus recitationis hujusmodi officii, attamen unusquisque propriæ conscientiæ consulat; ego autem pro nunc nihil firmo; aliqua tamen circa hoc dicam in meâ Praxi benef., tom. 2, lib. 3, cap. 3, à num. 21 ad 37.

Præmissa verò circa recitationem prædictarum horarum canonicarum, secundùm nostram praxim, limitanda etiam sunt, dummodò post provisionem beneficii, seu sacrorum ordinum susceptionem, non efficiatur quis aliàs inhabilis inhabilitate superveniente; in his enim casibus, cùm revera beneficiatus, seu ad dictos ordines promotus, non possit dictas horas recitare, satis excusatur; impossibilium enim nulla est obligatio, l. *Impossibilium*, ff. de Reg. jur., l. *Cùm hæres*, § 1, ff. de Stat. lib., § *Impossibilis*, Instit. de hæred. instit., c. *Nemo potest*, de Reg. jur., in 6, unde Pius V, inter facultates quas concessit summo pœnitentiario his qui dicunt se ob infirmitates non posse recitare officium, et ideò petunt declarari se non teneri, mandavit sic responderi: Aut verè non possunt, et satis sunt excusati absque aliâ excusatione seu declaratione; aut possunt, et Sanctitas sua non vult quidquam indulgere, sed tantùm relinqui conscientiis confessariorum suorum, qui, si dixerint eos non teneri, poterunt ipsis acquiescere.

Unde Navar., de Hor. can., cap. 11, n. 39, loquens de quibusdam personis, ibi expressis, non valentibus dictas horas canonicas recitare, dicit quòd tales, licèt de rigore juris non teneantur aliquid dicere determinatum, de illius tamen consilio, ipsi et omnes qui non possunt dicere horas prædictas, deberent dicere tot *Pater Noster*, et *Ave Maria* aliasque preces, quot arbitrio boni viri ad id sufficerent, et aliquando arbitratus fuit supradictos sic recitare non valentes debere tantum temporis plùs vel minùs insumere in attentè dicendis *Pater Noster*, et *Ave Maria*, et *Salve Regina*, quantum insumpturi essent in recitandis omnibus horis, si eas recitare possent, addendo ter, *Ego peccator*, semel manè supplentes matutinum, et iterùm supplentes primam, tertiam, sextam et nonam, et tertiò, vespere supplerent vespertinam et completorium; ac propterea addit ibi quòd si sibi à maximo Pontifice committeretur commutatio horarum canonicarum in aliquod aliud, commutaret in hoc quod videtur hodiè posse servari, quando confessarius non valenti dictas horas recitare absque aliâ facultate sibi attributâ, vellet in locum dictarum horarum, aliqua injungere, eo modo quo supra dictum est, prout à pluribus peritissimis theologis et confessariis vidi et audivi in praxi servari, quamvis à pluribus annis, citra, circa commutationem hujusmodi per dispensationem apostolicam aliud servetur; nam Clemens Papa VIII, sub die 22 mensis aprilis 1593, concessit Julio Antonio Sanctoro cardinali Sanctæ Severinæ, majori pœnitentiario, facultatem dispensandi super recitatione prædicti divini officii, seu horarum canonicarum, propter aliquam impossibilitatem vel difficultatem, cum commutatione in alias preces, seu orationes, aut illarum injunctione, hoc eâ occasione, quia fecit verbum ipse major pœnitentiarius cum ipso Clemente, de quâdam supplicatione cujusdam monialis monasterii Sanctæ Mariæ de Donna

Romita hujus civitatis Neapolitan., ordinis sancti Benedicti; quæ, cùm pervenisset ferè ad annum septuagesimum, nunquàm potuit addiscere divinum officium, et ideò nec etiam profiteri; quapropter supplicabat, ut secum dispensaretur, quatenùs in eâ ætate tam gravi (ne sancto habitu et merito regularis professionis privaretur) possit in eodem monasterio profiteri vota religionis, non obstante quòd divinum officium, more aliarum monialium professarum, recitare non valeret; cui per alias preces satisfaceret; ipseque Clemens concessit ut loco matutini diceret coronam beatæ Mariæ Virginis, et loco primæ ac aliarum horarum alia recitaret, arbitrio ejusdem majoris pœnitentiarii, qui propterea censuit ut ad primam et alias horas et completorium, septies *Pater noster* et septies *Ave Maria;* in vesperis autem, saltem duodecim *Pater noster*, et duodecim *Ave Maria* recitare teneretur; licèt postmodùm tractu temporis ad formulam infra scriptam commutatio ipsa extensa fuerit. Unde licèt, præmissis non obstantibus, rarò ipsa sacra pœnitentiaria concedat, etiam cum quâvis urgentissimâ causâ commutationem recitationis hujusmodi horarum canonicarum, sed tantùm huic petitioni sic respondere consuevit, videl., si non potest, non tenetur; quamvis summus Pontifex possit per suam dispensationem excusare aliquem ab horis canonicis, cùm illæ sint jure humano præceptæ; ipseque Papa possit circa omne jus humanum dispensare, cap. *Proposuit*, de Concess. præb, id. Nav. d. cap. 11, num. 31.

Scimus tamen quòd si fortè aliquis ad importunas petentium preces commutationem ipsam concedat, puta presbytero qui propter visûs debilitatem, vel pro moniali quæ aliàs infirmitate, quâ laboravit, lumen dextri oculi amisit, altero maculoso remanente, et in eis continuam lacrymationem patiente, propter quod inhabilis redditur ad dictas horas recitandas, et in aliis similibus casibus, tunc ut plurimùm committitur ordinario ut per se, vel alium, et quandoque confessario approbato ab ipso ordinario sub sequenti formulâ, videlicet: *Quatenùs si est ita, cum eodem oratore, auditâ priùs ipsius sacramentali confessione, ut loco matutini coronam beatæ Mariæ Virginis et aliquot psalmos, quos memoriter recitare potest, arbitrio suo, vel saltem* miserere meî, Deus, *cum cantico Zachariæ; loco verò singularum aliarum horarum, videlicet, primæ, tertiæ, sextæ, et nonæ, septies* Pater noster, *et toties* Ave, Maria, *ac psalm.* De profundis; *loco vesperarum, duodecies* Pater noster, *et toties* Ave, Maria, *ac psalmum* Dixit Dominus Domino meo, *cum cantico beatæ Mariæ Virginis, et loco completorii, etiam septies* Pater noster *et toties* Ave, Maria, *ac psalmum*, Qui habitat in adjutorio Altissimi, *cum cantico Simeonis*, Nunc dimittis servum tuum, Domine, *et symbolo Apostolorum, singulis diebus recitet, misericorditer dispenset in foro conscientiæ tantùm.*

In utroque autem foro, per datariam diversimodè hujusmodi commutationes vidi concessas; quandoque enim non valenti dictas horas canonicas recitare, fuit indultum ut illarum loco recitaret officium Beatæ Mariæ virginis, ac insuper aliquam elemosynam Christi fidelibus, vel alicui pio loco, elargiretur; quandoque ut pro singulis matutinis et laudibus ac horis, necnon vesperis et completorio, recitaret septem psalmos pœnitentiales, aut rosarium, seu aliquam illius partem arbitrio ordinarii; aliquando verò, ut hujusmodi septem psalmos pœnitentiales ter, ac quinquies orationem Dominicam, et toties salutationem Angelicam cum symbolo Apostolorum, et antiphonâ currenti cum versiculo ac oratione de beatâ Mariâ Virgine quotidie celebraret.

Conceditur adhuc frequenter hæc horarum canonicarum recitationis commutatio, etiam per litteras in formâ Brevis sub annulo Piscatoris per ipsam Brevium præfecturam, per quam committitur ordinario tantùm, quatenùs, constito sibi legitimè de præmissis, oratrici recitationem divini officii hujusmodi in recitationem aliarum precum sibi benè visarum auctoritate apostolicâ, arbitrio ejusdem ordinarii, et de consensu ejusdem oratricis confessarii commutet, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti monasterii et alius ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque; prout novissimè concessa fuit dispensatio hæc Euphrasiæ de Basio, moniali expressè professæ monasterii monialium Sanctissimæ Trinitatis Neapolitan., cum expressione causæ quòd eâ capitis vacillatione laborabat, ut divinum officium, videlicet horas canonicas recitare non posset; quæ propterea petiit secum desuper indulgeri, prout in eisdem litteris, sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, die quintâ martii 1637, pontificatûs sanctissimi dom. nostr. Urbani Papæ VIII anno decimo quarto. Similiter facultatem commutandi dictas horas canonicas impartiri etiam consuevit sacra congregatio cardinalium super negotiis episcoporum, prout pluriès vidi.

Et hæc pauca circa praxim commutationis horarum, quasi per transitum dixisse sufficiat.

In proposito autem, nisi assereretur oratorem esse aptum ad celebrandum horas canonicas, vix aut cum maximâ difficultate dispensaretur, sicut neque talis dispensatio sive ad ordines, sive ad beneficia, conceditur penitùs illitterato et ignoranti, cùm de jure isti censendi sint indigni, ut per Glos. in capitul. de his, distinct. 28; et fuit dictum in Rotâ in unâ Calaguritan. portionis, die veneris 27 januarii 1576; talis enim collatio eis facta non tenet. Abb., in capitul. *Cum nostris*, de Concess. præbend. Quod tamen intelligitur, ut dictum est, de eo qui nec prima rudimenta grammatices didicit; quia juxta oneris qualitatem, debet quis esse scientiâ præditus. Unde Honorius III, relatus in capitul. *Quamvis*, de Ætat. et Qualitat., mandat quemdam episcopum à pontificalis officii executione et ab administratione suæ Ecclesiæ abstinere, eo quòd ipse coram eodem Honorio confessus est se nunquàm de grammaticâ didicisse, nec etiam legisse Donatum, et sic per evidentiam facti de suâ illitteraturâ consta-

bat: cui quadrat illud Ovid., lib. 2 de *Trist. Quod minimè novit, nemo docere potest*; ac propterea illiteraturæ defectus est omninò indispensabilis. Nec me latet meo tempore institisse quemdam oratorem regis Hispaniarum, penès Paulum V felice recordatione, pro collatione cujusdam simplicis beneficii, ac pro litteris super eâ in formâ gratiosâ, non autem in formâ dignum, expediendis: sed quoniam ipse orator fassus est petentem de eo beneficio sibi provideri, esse prorsùs illitteratum, ideò Pontifex noluit cum eo super hujusmodi defectu dispensare; attento quòd litteratura requiritur de jure divino; Cardinal. Turrecrem., in capitul. *Si in laicis*, distinction. 38. Vidi aliàs quoddam indultum faciendi celebrari horas canonicas per alium, etiam ex gravi causâ, additâ clausulâ: Ipso oratore præsente, et audiente, ac recitante, et saltem corde, si ore nequiverit, prosequente.

Cæterùm, dictas horas canonicas non recitantes, neque dispensationem ex gravi causâ, ut dictum est, impetrantes, si in sacris ordinibus constituti fuerint, peccant mortaliter; si verò beneficiati, post sex menses ab obtento beneficio illas omiserint, fructus suos non faciunt pro ratâ omissionis officii et temporis, illosque restituere tenentur eo modo quo cavetur constitutione Pii V, desuper editâ; cùm sit in viridi observantiâ, hìc inserendam putavi, cujus tenor talis est, videlicet:

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex proximo Lateranen. concilio pia et salubris sanctio emanavit, ut quicumque habens beneficium ecclesiasticum cum curâ et sine curâ, si post sex menses quàm illud obtinuerit, divinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro ratâ omissionis officii et temporis, suos non faciat; sed eos tanquàm injustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Verùmtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei evidentiùs atque expressiùs providere volentes, statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè dividerentur; qui verò matutinum tantùm dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem dici amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque et distributiones fortè aliter assignatas, solâ præsentiâ juxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat is, etiam præter fructuum et distributionum amissionem; item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonia, præstimoniales portiones, et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò servitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter conveniri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, ut clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, et pensionum, fructuum rerumque ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, et decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo primo, duodecimo kal. octobris, pontificatûs anno sexto.*

Cæs. Glorius. H. Cumyn.

Verùm si contingat oratorem, ob omissionem recitationis prædictarum horarum, fructus suos non fecisse, ac propterea illorum restitutioni obnoxium remanere, et ob illius paupertatem illos restituere non valere, consuevit recursum haberi ad officium sacræ pœnitentiariæ, quæ confessario committit quatenùs oratorem absolvat, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, necnon erogatione alicujus partis dictorum fructuum, quæ ipsi confessario juxta modum facultatum oratoris visa fuerit, in pauperum alimoniam, aliosve pios usus; ac idem residuum fructuum indebitè perceptorum gratiosè remittat, et condonet in foro conscientiæ tantùm; sicut etiam illos condonat, quando orator beneficiatus non incessit in habitu clericali, eidem confessori mandando ut ipsum oratorem absolvat; quòdque faciat elemosynam ejusdem confessarii arbitrio. Et hæc etiam obiter dixisse sufficiat circa fructus lucrari solitos, ratione recitationis horarum canonicarum, illorum amissionem, ac super eisdem dispensationem.

CAPUT III.

Praxis dispensationis super defectu ætatis ad matrimonium requisitæ.

Quia verò, sicut in matrimonio spirituali, quod inter beneficiatum, seu rectorem, illiusque ecclesiam contrahitur, ad sacrorum canonum præscriptum, certa et determinata ætas requiritur, ita etiam in matrimonio carnali, per jura infra scripta, non nisi in pubertate annorum, videlicet, duodecim in fœminâ, ut in cap. *Continebantur*, de Desp. impub.; in viro autem quatuordecim, ut in cap. ex *Litteris*, eod. tit.; propterea, postquàm de dispensatione, illiusque praxi super defectu ætatis ad beneficia ecclesiastica assequenda actum est, non incongruum videtur subnectere quid circa dispensationem ad matrimonium contrahendum, dùm opportuna deficit ætas, romanæ Curiæ stylus servet.

Est tamen necessariò præmittendum hùcusque ex DD. aut summistarum conclusionibus parum aut nihil liquidò deprehendi, quoniam taliter contrahentes, proximi dicantur pubertati; ad hoc ut jura sibi ad sic contrahendum indulgeant, ubi malitiam constet supplere ipsorum ætatis defectum, cùm omnes supradicti adeò obscurè loquantur, ut relicto omnibus ambigendi loco, nemo, ad quem spectat, tutò audeat proximitatem hujusmodi declarare, ut juribus desuper suffragantibus possit licitè matrimonium contrahi; dixerunt nonnulli tunc quem dici pubertati proximum,

cùm ab eâ per menses distat, auctoritate text. in l. *Non tantum*, ff. de Excusat. tutor. Alii verò, cùm nihil certi asserere potuissent, id judicis arbitrio remiserunt, per illam communem et tritam conclusionem: nimirùm, quòd judicis arbitrio relinquuntur ea quæ sub certâ lege definita non reperiuntur à jure, juxta vulg. l. 1, ff. de Jur. deliber.; in cap. *Sedes*, n. 2, de Rescript., et cap. *Si pro debilitate*, in Fin. de Offic. deleg. Unde omnes in tantâ hujus rei ambiguitate, ne quid contra leges admittant, quamvis eiusdem rei declaratio ad ipsum judicem spectet, nihilominùs, ut tutiùs agant, oratores ad summum Pontificem remittunt, ut ab eo opportuniùs, prout facti qualitas exposcit, sibi consulatur, cùm de ipsius summi Pontificis potestate nullibi super hoc remaneat dubitandi locus; licèt enim jure naturali ætas aliquorum annorum requiratur ad matrimonium contrahendum, determinatio autem ejus quòd requiratur in masculo ætas quatuordecim annorum completorum, in feminâ verò duodecim, jus est humanum; et ita licèt Papa non possit dispensare, quòd nullorum annorum ætas requiratur ad contrahendum matrimonium, potest tamen ex causâ dispensare, quòd non requiratur ætas quatuordecim annorum in masculo, et duodecim in feminâ; ita *Navar. cons. 4, n. 9, de Desp. impuber.*

Præter dispensationem, seu declaratoriam ad contrahendum matrimonium, super defectu d. ætatis, petitur quandoque pro minoribus præd. dispensatio super aliquo canonico impedimento, puta consanguinitatis, seu affinitatis, etc., quæ tamen non erit subreptitia, si taceatur minor ætas oratoris seu oratricis ad contrahendum matrimonium, cùm sufficiat eos postmodùm contrahere, quando sunt legitimæ ætatis, quia dispensatio non fuit petita ad effectum contrahendi ante ætatem, quo casu non solùm est necessaria dispensatio super gradu, sed super ætate, Dec. cons. 602, n. 19; et fuit dictum in unâ Mediolanen. matrimonii, penès Farinac. in Posth. Decis. 27, n. 4. Et sic videmus pluriès practicari, et in unâ tantùm bullâ datur dispensatio super gradu, ita ut contrahere possint, cùm fuerint in ætate legitimâ, ut in infra scriptâ formulâ litterarum, videlicet:

Innocentius, etc., *vicario*, etc., *Beneventan.*, etc., *salutem*, etc., *oblatæ*, etc., *pro parte dilecti filii Josephi Castrocuceo laici Neapolitan., et dilectæ*, etc., *Antoniæ Riccardæ mulieris Bojanen. diœcesis, in octavo suæ ætatis anno constitutæ, et in civitate Beneventan. commorantis*, etc., *continebat, quòd ipsi, qui de nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis*, etc., *cupiunt, postquàm dicta Antonia ad ætatem legitimam pervenerit, invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti*, etc.; *quare*, etc; *nos igitur*, etc.; *discretioni tuæ, attento quòd d. Antonia in civitate Beneventan. commoratur, ut præfertur*, etc., *mandamus, quatenùs, postquàm dicta Antonia ad ætatem legitimam pervenerit, deposito per te*, etc.; *te diligenter informes, et factis proclamationibus canonicis, etiam in parochialibus Ecclesiis oriundis eorum, si habitâ relatione præfatur proclamationum, per informationem eamdem*, etc., *tunc*, etc., *quòd impedimento tertii consanguinitatis*, etc., *dispenses; prolem*, etc.; *volumus autem*, etc. *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno 1651, id. febr. pontificatûs nostri anno octavo.*

An autem in aliquo casu possit etiam episcopus cum hujusmodi impuberibus ad matrimonium contrahendum dispensare, quæstionem hanc movet Sanch. de Matrim., lib. 7, disp. 104, n. 12, ubi affirmativè concludit ex verbis supradicti c. 2, de Desp. impub., ibi: *Districtiùs inhibemus ne aliqui ante ætatem à canonibus præscriptam, conjungantur; nisi fortè aliquâ urgentissimâ necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur;* sicque duo ex supra dictis verbis textus eliciuntur, unum, nimirùm, ut hæc cognitio spectet ad episcopum, ex nonnullis doctoribus per eumdem Sanch., loc. cit., allegatis; alterum, quòd requiratur urgentissima causa, quæ tamen cùm non ita reddat tutum episcopum, desuper dispensantem, antiquus jam inolevit usus, ut habeatur propterea recursus ad Sedem Apostolicam; tametsi minimum tempus, puta duorum mensium, desit ad ipsam legitimam ætatem; quod quidem à suâ theoricâ non longè distat, per rationem text. in d. cap. *Tuæ nobis*, ubi Innocent. III, propositâ muliere ad contrahendum matrimonium in ætate duodecim circiter annorum, sic ait: *Quia verò nobis constare non potuit, cujus ætatis esset puella, cùm eidem viro extitit desponsata; cùm dicatur quòd circiter duodecim annos habebat*, etc., *respondemus*, etc., *quòd procul dubio inter eos, non conjugium, sed sponsalia contracta fuerunt*, etc. Et ita in hâc Curiâ archiepiscopali servatum semper extitit per Jacobum Terragnolum vicarium generalem Neapolitan., Patritium Beneventanum, qui suo tempore, tum vitæ integritate, tum doctrinæ magnitudine et experientiâ, nulli inferior fuit; semper enim res, quomodòcumque esset, dubia sibi visa est, tum ratione præmissorum, tum etiam quia ubi ad id deficit legitima ætas, vix intervenire soleant omnes circumstantiæ supplentes defectum ætatis; et in tali minori ætate vix etiam detur perfectus consensus undequàque; et multoties ita contrahentes nesciunt quid agant; et si perfectè scirent, matrimonium fortassè non contraherent; cùm igitur erit desuper summo Pontifici supplicatio porrigenda, quæ de stylo Curiæ intitulatur, *quòd impubes, in quo malitia supplet ætatem, possit contrahere matrimonium*, eo, quo sequitur modo, ad ejusdem Curiæ præscriptum, concipi solet, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotùm illius oratorum Pompeii Cerviani laici, et Indictæ Melaspontæ mulieris Neapolitan. diœcesis, quòd ipsi, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari; e licèt oratrix undecimum tantùm suæ ætatis annum cum dimidio agat, in eâ tamen malitia supplet ætatem, ut de iure matrimonium contrahere possit; nihilominùs, ne de contractu matrimonii hujusmodi hæsitari contingat, supplicant humiliter E. S. V. oratores prædicti, quatenùs

sis in præmissis opportunè providendo, sibique specialem gratiam faciendo, ordinario loci, seu ejus vicario in spiritualibus generali, committere et mandare, quatenùs se de præmissis diligenter informet, et si per informationem eamdem, sibi verè et legitimè constiterit, in præfatâ oratrice malitiam supplere defectum ætatis, cum eisdem oratoribus, quòd ætatis defectu hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè valeant, prout juris fuerit, declaret, dignemini de gratiâ speciali, non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et de commissione, mandato, aliisque præmissis, latissimè extendendis, et quòd cognominum aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium contradictarum expediendis. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui declaret, ut supra. Et prout de jure, et dummodò, exploratâ priùs oratricis voluntate, ipsa non vi, metu, vel blanditiis, aut promissionibus ad matrimonium cum prædicto oratore contrahendum, inducatur, nullumque aliud canonicum impedimentum obsistat.*

Porrò verbum, *malitia*, accipitur hìc pro prudentiâ, ut docet text. in cap. *De illis*, 2, de Desp. impub., ibi : *Cùm in eis ætatem supplevisse malitiam constet*, ubi Gloss. in verbo *Malitia*, ait, alibi appellari prudentiam, ut in c. *Tuæ nobis*, § *Quia verò*, ibi : *Quia verò nobis constare non potuit*, etc., *utrùmne prudentia tunc in illâ suppleret ætatem;* et paulò inferiùs : *Et ætatem in eâ, prudentia non supplebat*, ubi Gloss. in verbo *Prudentia*, exponit, *id est, carnalis concupiscentia*, eod. tit., quæ ut plurimùm evenire solet ante prædictam ætatem in illis qui inter delicias nutriuntur, qui vires majores, majusque robur corporeum sibi quærunt, ut ait id. Nav. d. cons. 4, num. 13, ubi ex D. Gregorio, lib. 4 Dialog., refert quemdam puerum, ætatis novem annorum, nutricem suam reddidisse prægnantem, et D. Hieron. se audisse, quemdam puerum decem annorum gravidam etiam fecisse suam nutricem; quòdque fuerunt viri magnâ fide digni, qui asseruerunt quamdam puellam decem annorum, ante paucos annos peperisse in regno Neapolitano; ibique alia affert similia exempla : unde, quidquid cæteri per malitiam hujusmodi senserint, satis apertè docet id. Sanch., lib. 7, disput 104, num. 21, quòd multò probabilius est, nomine malitiæ supplentis defectum ætatis ad matrimonium contrahendum, comprehendi potentiam ad copulam, ac prudentiam et discretionem ad intelligendum consensùs conjugalis vim, quæ, cùm sit res gravissima, et perpetua, exigit majorem discretionem eâ quæ in tenerâ ætate reperitur; quare non sufficit ad matrimonii impuberis valorem, sola generandi potentia, ætatem præveniens, nisi in eâ quoque prudentia adsit. Hæc id. Sanch., loc. cit.; ac proinde, litteris desuper confectis, ac delegato præsentatis, ad infra scripta regulariter per eum procedendum erit : primò, videlicet, ut ipse per se vel per alium deveniat ad explorationem voluntatis oratricis, à quâ intelligat an ipsa velit nubere, et cum quo; secundò, an sciat quid sit sustinere onera matrimonii; tertiò, an matrimonium contrahat ex suâ voluntate, aut per vim, vel metum, vel aliquid ei promissum fuerit, aut inde speret; quartò, an ipsa noscat se aptam ad hujusmodi matrimonium contrahendum, oneraque illius sustinendum, seque carnaliter copulandum cum prædicto N. Deinde alii testes ad præscriptum supra dictorum omnium examinabuntur. Postmodùm devenitur ad decretum per quod declarabitur quòd tam ex ipsius mulieris quàm testium depositionibus, ac etiam extrajudiciali informatione habitâ ab aliis personis veridicis et fide dignis, sibi constat prædictam mulierem, quamvis in undecimo tantùm anno cum dimidio, constitutam, talem existere, ut in eâ malitia suppleat defectum ætatis. Propterea ex actu explorationis voluntatis ipsius, per eum facto, per quam comperit quòd ipsâ sponte, non autem vi, metu, vel blanditiis aut promissionibus ad matrimonium cum dicto N. contrahendum inducatur, nullumque aliud eis obstet canonicum impedimentum, cum supradictis M. et N., ut defectu ætatis hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahendi, auctoritate Apostolicâ sibi commissâ, et quâ fungitur in hâc parte, licentiam et facultatem concedendam duxit, non obstantibus defectu prædicto, ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, quæ summus Pontifex in prædictis litteris voluit non obstare, ad præscriptum earumdem litterarum, etc. Et in præmissorum fidem, etc. Et iste ordo circa hoc servatur in hâc Curiâ archiepiscopali.

Ex supradictis nihilominùs patet, quòd ubi hujusmodi ætatis defectus ad contrahendum matrimonium intervenerit, ut ex hâc praxi desumitur, potiùs declaratio quædam requiritur, quàm propriè dispensatio : cùm, stante, quòd malitia supplet ætatem, possit matrimonium contrahi per omnia supradicta jura; unde si aliquando, loco hujusmodi declaratoriæ, petatur dispensatio ad supradicta, videtur potiùs ex communi usu loquendi, etiam sic nominari, quàm, propriè dispensationem dici posse; cùm non simus in actibus de directo contra jus commune, ubi propriè cadit ipsa dispensatio, ut aliàs diximus.

Hoc tamen, circa hanc praxim, de stylo Curiæ servatur, ut si fortè oratores nimis, et per notabile tempus distent à legitimâ ætate ad matrimonium contrahendum, tunc, licèt asseratur malitiam supplere ætatem, potiùs dispensatio, quàm declaratio datur : quo casu, sæpè summus Pontifex, sive illius D. Datarius mandat pro eisdem oratoribus in sic tenerâ ætate constitutis, eorum parentes, seu in illorum defectum, alios proximiores consanguineos, preces ad id porrigere, præsertim pro privatis personis; ac pro-

pterea quando Pontifici supplicatur pro hujusmodi declaratoriâ, narratur, quòd orator ex certis causis, etc., cupit matrimonium contrahere de consensu parentum suorum, et litteræ declaratoriæ diriguntur executori sub hâc formâ, videl.

Discretioni tuæ, etc., mandamus, quatenùs, si tibi verè et legitimè constiterit inprimis, et ante omnia de dicti N. parentum expresso consensu malitiam supplere defectum ætatis.

Quamvis aliud regulariter, inter magnates, seu alias qualificatas personas, servetur: sic enim inter cæteros, vidimus felic. recordation. Gregorium XV, dispensâsse cum duce Fiani, et principissâ Venusii, pro quibus emanârunt litteræ tenoris sequentis, videl.

Gregorius Papa XV. *Ad futuram rei memoriam. Cùm, sicut accepimus, dilectus filius nobilis adolescens Nicolaus Ludovisius dux Fiani, noster secundùm carnem ex fratre germano, nepos, dilectum in Christo filiam nobilem puellam Isabellam Jesualdam, principissam Venusii, et Compsæ comitissam, in uxorem ducere intendat, ipsique invicem matrimonialiter copulari cupiant; et licèt Nicolaus in undecimo, Isabella verò prædicti in decimo eorum ætatis anno duntaxat constituti existant; nihilominùs, eam in dicto Nicolao, prudentiam, familiari experientiâ, esse comperimus, ipsam verò Isabellam tali etiam prudentiâ decoratam esse, ex fide dignorum relationibus intelleximus, ut cujuslibet eorum prudentia suppleat defectum ætatis. Ne tamen de ipsius matrimonii validitate, ob defectum ætatis hujusmodi ab aliquibus hæsitari contingat, cùm eis desuper opportunè dispensare decrevimus. Idcircò ipsos Nicolaum et Isabellam, ob eximium erga nos et Sedem Apostolicam, devotionis affectum, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et à quibusvis, etc.; censentes, motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, cum eisdem Nicolao et Isabellâ, ut defectu ætatis hujusmodi non obstante, ex nunc matrimonium inter se per verba legitimè de præsenti, publicè, consuetis etiam proclamationibus, seu denuntiationibus desuper, juxta formam concilii Trident. faciendis, minimè factis, etiam in domibus privatis, et eorum quocumque sacerdote, per eos seu alterum ipsorum eligendo; cui sacerdoti sic electo, loco proprii parochi, matrimonio hujusmodi assistendi, licentiam et facultatem concedimus contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, apostolicâ auctoritate, tenore præsentium dispensamus; eisque matrimonium hujusmodi ad invicem contrahendi, plenam, liberam et omnimodam facultatem et potestatem impartimur, prolemque suscipiendam exinde, legitimam nuntiamus. Decernentes, matrimonium hujusmodi verum et validum matrimonium, et pro tali, quoad omnes, tam juris quàm facti effectus, censeri et reputari debere, omnesque in eo defectus supplentes. Sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apost. Auditores, sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus ætatis hujusmodi defectu, aliisque præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die undecimâ aprilis 1622, pontificatûs nostri anno 2.* S. Cardinalis S. Susannæ.

Atverò, quia, nisi desuper dispensatio seu declaratio supradicta intervenerit, matrimonium ante legitimam ætatem contractum, in dubio declarandum est nullum; Surd., cons. 364, per tot. vol. 4, tam ex defectu præsumpto naturalis vigoris ad generandum, quàm ex defectu conjugalis consensûs, cap. fin. de Despons. impub.; Sanchez., de Matrim., lib. 7, disp. 104, num. 1, quamvis hoc intelligendum sit, quando malitia non supplet ætatem, id Sanch., d. disp. 104, num. 3, et fuit dictum in unâ Viterbien. Matrim. 19 januarii 1629, coram Pirovano. Verùm, ut malitia dicatur supplere defectum ætatis, requiritur copulativè potentia ad carnalem copulam, necnon prudentia rationis ad discernendum sufficienter vim conjugalis consensûs; nec satis est alterum tantùm adesse; Rota decis. 246, num. 16, p. 4, divers. Et cùm præsumptio sit in contrarium contrahenti matrimonium ante legitimam ætatem, incumbit onus probandi habilitatem, quæ suppleat utrumque defectum prædictum, prout firmavit Rota in d. Viterbien. matrimonii; et ut malitia suppleat ætatem circa potentiam generandi ante pubertatem, probatur concludenter, si femina impubes ab alio cognita, vel puer impubes aliam feminam cognoverit, ut dicimus in supra alleg. Viterbien. matrimonii. Quæ quidem copula subsecuta in muliere impubere, probatur ex relatione obstetricum deputatarum per judicem ad id dignoscendum, quæ probatio passim admittitur urgente necessitate, ne matrimonium contractum dissolvatur; ut in d. Viterbien. et ex aliis, quæ ad id adducit Addit. ad Curatt., decis. 530, num. 28, cum pluribus seqq., qui num. 33, subdit prædictam exceptionem, quòd malitia supplet ætatem, admittitur, etiam in his qui pubertati adeò proximi non sunt, ut ab eâ plusquàm sex mensium spatio distent ut in d. Viterbien., in quâ fuit dictum, sustineri matrimonium contractum cum puellâ annorum decem et novem mensium, proinde sciendum est, quod in tali casu docuit idem Navar., cons. 3, de Despons. impub., tales qui ita contraxerunt debere dicere ordinario, quòd ipsi ex causâ quâdam, quam non oportet ei notam facere, habent scrupulum, qui jam cessavit de valore matrimonii sic contracti coram parocho ante tot annos; et quòd ad deponendum illum vellent denuò contrahere, et quòd supplicant ei, ut det eis licentiam id faciendi coram suo parocho, vel alio sacerdote de suâ licentiâ, non præmissis denuntiationibus, per concil. Trident requisitis; attento quòd jam antea cum illis contraxerunt; et post illam licentiam habitam, adeant suum parochum, vel alium sacerdotem, cui ipse, vel ordinarius ad assistendum matrimonio contrahendo, licentiam dederit, et votatis duo-

bus, vel tribus testibus amicis suis, qui rem teneant secretam, contrahant, etc.

Et cùm hic casus, in quodam loco Alerien. diœcesis meo tempore contigisset, ac oratores juxta prædictum consilium Navarri, omnia ad amussim peregissent, cùm adhuc ipsi circa præmissa aliquo modo hæsitarent, consulta desuper sacra congregatio concilii, omnia in vim litterarum, episcopo Alerien. directarum approbavit sub die 17 julii 1616.

Super defectu, etiam temporis ad aliquid peragendum datur adhuc dispensatio; veluti, cùm nemini regularium liceat ante completum annum probationis, ad professionem regularem admitti, concil. Trid., sess. 25, c. 15, ibi: *Nec qui minores tempore, quàm per annum post susceptum habitum in professione steterit ad professionem admittatur*, unde aliter, id est, intra dictum annum emissâ, nihil ageret, ex eod. concil. loco cit., nisi fortè in casu ex privilegio à Pio Papâ V concesso novitiis religionum, in articulo mortis existentibus ante expletum annum probationis, qui, ut lucrentur ac consequantur indulgentias, possunt profiteri, si tamen in ætate legitimâ ad profitendum fuerint constituti, ut in suâ constitut. sub dat. Romæ die 21 augusti 1570, qui tamen tenentur, postquàm convaluerint ex eâ infirmitate, ipsam professionem, integro probationis anno elapso, complere. Igitur (præter casum prædictum) in hoc etiam consuevit quandoque summus pontifex ex causis sibi benè visis, dispensare, pro quo affertur exemplum similis gratiæ dispensationis cuidam nobili puellæ Neapolitan. concessæ, quæ est, ut sequitur, videlicet:

A tergo: *Dilectæ in Christo filiæ Laurâ de Sangro puellæ nobili Neapolitan.* Intùs verò: *Urbanus Papa VIII, dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. Cùm sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, quæ, ut asseris, in vigesimo ætatis tuæ anno constituta, et dilecti filii nobilis viri moderni ducis de Vietre, soror germana existis, aliàs cùm tu septimum tuæ ætatis annum ageres, in monasterium Sancti Sebastiani monialium ordinis Prædicatorum Neapolitan., in quo semper vitam exemplarem duxisti, jejunia omnia de præcepto dicti ordinis, observâsti, choro, tam diù quàm noctù interfuisti, necnon habitum per dicti monasterii moniales gestari solitum, continuò detulisti, quando quidem ab eo tempore, quo rationis usu prædicta fuisti, è dicto monasterio non egredi, sed in eo monachari statuisti, educationis causâ ingressa fueris; ad præsens verò habitum per dicti monasterii moniales gestari solitum suscipere, et professionem per easdem emitti consuetam, quantò citiùs expressè emittere desideres, regularem: Nos te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et à quibusvis*, etc., *censentes, supplicationibus tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati tibi, ut de prædictarum dicti monasterii monialium et earum superiorum consensu, habitum prædictum suscipere et professionem præfatam, peractis duntaxat sex novitiatûs mensibus, emittere liberè et licitè possis et valeas, apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, concedimus et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon ordinis et monasterii hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ, roboratis, statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem, sub annulo Piscatoris, die 16 maii MDCXXXVI; pontificatûs nostri anno tertio decimo.* A. M. Maraldus.

Pari modo concessum exstitit nobili mulieri Joannæ della Cerda, Antonii de Aragona, et Moncada, ducis Montis alti, conjugi, quòd cùm ipsa habitum alicujus à Sede Apostolicâ approbati ordinis monialis gestari solitum suscipere, et professionem per easdem emitti consuetam, expressè emittere regulares, præfatus verò Antonius clericali militiæ adscribi, et ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri respectivè desiderarent, fuit pro parte dictæ ducissæ S. D. N. Urbano Papæ VIII supplicatum, qui de S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus regularium præpositorum consilio, archiepiscopo Neapolitan. sive ejus vicario generali commisit, ut eidem Joannæ, quatenùs illa, habitum per moniales alicujus ab eâdem Sede Apostolicâ approbati ordinis, in quo benevolas invenerit receptrices, gestari solitum, suscipere, et sex tantùm mensibus novitiatûs in eâ peractis, professionem per easdem moniales emitti consuetam, expressè emittere, necnon omnibus, et singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, prærogativis, indultis, aliisque gratiis, tam spiritualibus quàm temporalibus, quibus aliæ ordinis cujus habitum suscepisset, moniales utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo uti, potiri, et gaudere valeret; dummodò tamen ipsa Joanna, prior professionem hujusmodi emitteret, et successivè, eodemmet die Antonius dux prædictus ad sacrum subdiaconatûs ordinem promoveretur, concederet et indulgeret, cum opportunâ contrariorum derogatione, prout in litteris in formâ brevis sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 24 decembris 1625, pleniùs continetur.

CAPUT IV.

Praxis dispensationis de promovendo extra tempora.

Concilii Trident. decreto cavetur ne quis, nisi post annum à susceptione postremi gradûs minorum ordinum, ad sacros ordines promoveatur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi aliud exposcat, ut in sess. 23, cap. 11. Et quòd promoti ad sacrum subdiaconatûs ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum ascendere, nisi aliud episcopo videatur, non permittatur, d. sess. 23, cap. 13.

Hinc est quòd si nulla subsit causa ex quâ possit episcopus dispensare super hujusmodi interstitiis, recurritur ad summum Pontificem, qui causâ tantùm devotionis oratoris, dispensat passim, ut possit ille infra annum, in temporibus tamen à jure statutis, ad sacros, etiam presbyteratûs ordines, promoveri; quæ quidem dispensatio, ex communi Romanæ Curiæ vocabulo, dicitur, *In temporibus*, et hujusmodi gratiæ concessio frequentissima est.

Alter tamen modus, minùs frequens est, cùm scilicet petitur dispensatio ad suscipiendos dictos ordines extra quatuor tempora ; quam quidem dispensationem in Curiâ Romanâ, curiales appellant, *Extra tempora*, Barbos. de Potest episc. glos. 17, num. 5.

Quæ regulariter concedi consuevit iis tantùm, qui ratione curati, sive alterius beneficii ecclesiastici, cui onus missarum incumbit, post illorum pacificam adeptam possessionem, per seipsos, tanquàm arctati celebrare tenentur. Verùm, cùm id dependeat à voluntate ipsius summi Pontificis, sæpè ab eo conceditur hujusmodi dispensatio, sive indultum, non modò supradictis, tanquàm arctatis ; verùm etiam obtinentibus beneficia, quibus, licèt missarum celebrandarum onus incumbat, non tamen tenentur beneficiati, id onus per seipsos obire; sed tamen illis indulgetur, ut adhuc extra tempora valeant promoveri, ut onus hujusmodi valeant, etiam ex causâ devotionis, per seipsos explere; necnon aliis personis, puta, nobilibus, graduatis, aut trigesimum ætatis suæ annum excedentibus, vel saltem in eo constitutis, seu benè meritis, ac aliàs ipsi Pontifici gratis ; aut sacerdotum attenta penuria concedi; sicut hucusque videmus in pontificatu sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII, qui attentâ populi diminutione, ob morbum epidemiæ, qui per totam ferè Italiam grassatur, adeò diminutus est, ut maxima clericorum penuria inde exorta fuerit; ipsa enim penuria presbyterorum, omni tempore causam præbuit ad ita dispensandum. Nam ob præd. sacerdotum penuriam potest etiam episcopus concedere parocho, ut diebus festivis bis celebret, prout declaravit sacra congregatio concilii sub die 7 aug. 1627, teste Barbos., in coll. Bull. ver. paroch. fol. 534. Nec tamen peculiaris ad id Ecclesiæ necessitas admittitur, nisi per oratorem asseratur, ut ipse, penuriæ sacerdotum in illis partibus urgenti faciliùs subvenire valeat; licèt delegari non consueverit dispensatio hæc pro eorumdem sacerdotum penuriâ in Ecclesiis regularium, quatenùs illorum superiorum, pro aliis verò, proprii ordinarii, super eâ, in Romanâ Curiâ, testimonium, regulariter exhibeatur.

Sunt etiam nonnulli, qui ex ipsius summi Pontificis privilegio, hâc utuntur facultate; præcipuè in Urbe inter cæteros, scholares colleg. Anglici, quibus per fel. record. Gregorium XIII, concessum est, ut de consensu rectoris ejusdem collegii et examine præcedente, etiam extra tempora à jure statuta, et etiam absque suorum ordinariorum litteris dimissorialibus, ac sine aliquo titulo beneficii, vel patrimonii, et non obstante quovis natalium defectu, super quo cum talibus per suam constitutionem dispensavit, ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et postquàm promoti fuerunt, in illis, etiam in altaris ministerio ministrare possint, ut in dictâ constitutione, quæ incipit : *Quoniam divinæ*, sub datum Romæ apud S. Petrum 1579, non. kal. martii Pontificatûs sui anno septimo.

Similiter Urbanus VIII, cùm audivisset quòd professores ord. S. Francis. de observant. in Indiarum Occidentalium partibus commorantes nimis ibi proficerent in spiritualibus exercitiis, ad supplicationem commissarii generalis ejusdem ordin. in Rom. Curiâ omnibus et singulis eumdem ord. S. Francisci in supradictis partibus tantùm expressè professis, ut de suorum superiorum licentiâ à quocumque, quem maluerint, catholico antistite gratiam et communionem Sed. Apost. habente, et in propriâ diœcesi, etc., vel in alienâ, etc., pontificialia exercente, per eos eligendo, ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines, etiam extra tempora, etc., minimè servatis, etc., et si in unoquoque, etc., minimè se exercuerint; dummodò tamen idonei reperiantur, ac servatis aliàs servandis promoveri et promoti, etc., ministrare, etc., indulsit sub dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, 20 junii 1625.

Item fratribus ordinis S. Joannis Hierosolymitani indultum est, ut à quocumque catholico antistite sub Rom. Sed. obedientiâ constituto, sacros ordines, etiam extra tempora, tribus diebus festivis, et in quibusvis tam secularium quàm regularium Ecclesiis, absque alicujus licentiâ suscipere possint, teste Barbos. de Pot. episc. alleg. 4, in fine.

Necnon Clem. Papa VIII, concessit PP. cong. S. Joan. Baptistæ per suas litteras in formâ brevis 23 novemb. 1596, ut possint etiam promoveri extra tempora, Barb. in collect. DD. ad loca concil., fol. 270, num. 7.

Consueverunt etiam summi pontifices, sive per litteras sub plumbo, sive per supplicationem in formâ motûs proprii, cum eorum cubiculariis ac familiaribus, necnon continuis commensalibus clericis, ut, si ipsi voluerint, tam in Romanâ curiâ, quàm extra eam, à quocumque maluerit, catholico antistite, etc., quem ipsi duxerint eligendum ad omnes etiam sacros, et presbyteratûs ordines, aliquibus tribus dominicis, vel aliis festivis diebus, extra tempora à jure statuta, proprii ordinarii, aut cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, si aliàs ad id idonei reperti fuerint; antistitis conscientiam super hoc onerando, promoveri, et in illis promoti, etiam in altaris ministerio ministrare valeant dispensare.

Patribus insuper Societatis Jesu per fel. recordat. Gregorium XIII, indultum est, ut possint tam ad minores quàm ad majores ordines, etiam extra tempora promoveri, cujus quidem indulti verba hæc sunt: *Præcipimus episcopus ut extra tempora à jure statuta, tribusque dominicis, vel aliis festivis diebus continuis, ad sacros, etiam presbyteratûs ordines promoveant. Nos enim illis ordines prædictos sic suscipiendi, ac prædictis antistitibus, eos ordines ipsis conferendi facultatem tribuimus. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis*, etc. *Præsentis autem gratiæ communicationem aliis mendicantibus interdicimus omninò*, prout in suis litteris, in formâ brevis sub dat. Tusculi, 12 septembris 1582. Necnon similis recordationis Clemens VIII patribus congregationis S. Joannis evangelistæ Portugaliæ, de mense septembris 1596, idem indulsit.

Modus autem sive praxis ab ipso summo Pontifice

impetrandi hujusmodi dispensationem, duplex est: alter videlicet, per porrectionem supplicis libelli in præfecturâ brevium extra datariam; alter verò per supplicationem in formâ signandi, ipsi D. datario sive ejus deputato porrigendam, cujus formula talis est:

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Laurentius Manifolus canonicus Ecclesiæ N. ratione canonicatûs, et præbendæ dictæ Ecclesiæ, qui sacerdotales existunt, et quos nondùm ab anno obtinet, ad omnes sacros, etiam presbyteratûs ordines, infra annum promoveri teneatur, nec tempora à jure statuta exspectare possit, supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs ipsum specialis gratiæ favore prosequendo, eidem oratori, ut à suo ordinario vel de ejus, cujus testimonio, vita, mores, et probitas sui commendentur, licentia, à quocumque alio, quem maluerit, catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habente, in propriâ diœcesi residente, vel in alienâ de diœcesani loci licentiâ, pontificalia exercente, per eum eligendo, ordines conferre valente, ad quatuor minores, quatenùs illos nondùm susceperit, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unicâ, et subinde ad sacros subdiaconatûs, diaconatûs et presbyteratûs ordines, tribus Dominicis, seu aliis festivis diebus continuis, vel interpolatis etiam extra tempora à jure statuta, ad titulum dictorum canonicatûs et præbendæ, quorum fructus ad suî sustentationem sufficientes existunt, promoveri, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio ministrare liberè et licitè valeat, apostolicâ auctoritate concedere et indulgere, nec non ordinario prædicto et antistiti, ut præfertur, eligendo, ac oratori licentiam desuper et facultatem impartiri dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus quòd dictus orator, tempore promotionis suæ ad quemcumque ex ordinibus prædictis, se in alio vel aliis antea susceptis minimè exercuerit, nec exerceat, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et de concessione, indulto, licentiâ, facultate, impertitione, aliisque præmissis, latissimè, ut supra in formâ gratiosâ extendendis; et quòd præmissorum omnium et singulorum, etiam cognominum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per breve S. V. seu officium minoris gratiæ expediendis.* Et additur: *Et dummodò orator ad id reperiatur idoneus, et constito priùs quòd canonicatum et præbendam prædictos pacificè possideat, illique sacerdotales sint.*

Idemque erit, cùm orator quodcumque beneficium obtinuerit, cujus ratione de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ, vel fundatione, aut aliàs annexum habeat onus aliquod missarum, quas orator, tanquàm arctatus, teneretur per scipsum tantùm, et non aliàs, celebrare. Arctatus enim dicitur ille qui aliquid facere tenetur sub certâ pœnâ. Quinam verò sint hujusmodi dies festivi, in quibus ordines sacri sint conferendi, vigore supradicti indulti de promovendo extra tempora, dicendum est sufficere eos esse de præcepto; et quòd in diœcesi episcopi ordinantis sit solemnitas diei festi, licèt ubique illa non celebratur, Barb. de Potest episc., gloss. 11, n. 18; Addit. ad Buratt. n. 14, decis. 758; prout etiam, qui sede episcopali vacante erit præsentandus ad aliquod beneficium, et caret primâ tonsurâ, quo casu vicarius capitularis dabit ei dimissorias ad illam; Vivian. in Prax. jurispatron. l. 6, c. 6, n. 55 et 56; quo casu, juxta mentem concilii Trid., sess. 7, c. 10, ille dici potest arctatus occasione beneficii recipiendi, qui habet jus seu est vocatus ad aliquod beneficium vacans, seu capellaniam quæ requirit actu certum ordinem quo ille caret; sicut etiam ille qui cùm non sit ordinatus primâ tonsurâ, ex. præsentatus ad beneficium, cùm benè possit sic præsentari cum conditione ut infra tempus datum ad præsentandum fiat clericus; et ita intelligenda declaratio S. congregationis, quæ sic ait: *Vicarius capituli, sede vacante, infra annum potest concedere dimissorias ad primam tonsuram ei qui ex. præsentandus* à patronis laicis ad beneficium ecclesiasticum jurispatronatûs ipsorum, ut illud obtinere valeat; Garc. de Benef. p. 5, c. 7, n. 99, et p. 7, c. 1, n. 30, ubi refert declarationem concilii; et d. c. 7, n. 102, ait non dici arctatum occasione beneficii recipiendi cum cui aliquis vult resignare aliquod beneficium, requirens actu ordinem, quo ille caret, quia hoc est merè voluntarium. Cæterùm quocumque modo petat promoveri orator ad titulum cujuscumque beneficii, semper intelligitur de beneficio jam sibi collato, et illius possessione adeptâ, quia ad titulum beneficii, etiam de proximo sibi conferendi, quamvis ille habeat patrimonium sufficiens, non dabitur ei hæc dispensatio de promovendo extra tempora, nisi aliud visum fuerit summo Pontifici pro personis ut supra qualificatis. Ad titulum etiam coadjutoriæ, cum futurâ successione, datur licentia promovendi ad ordines, etiam extra tempora, si ipsi clerico coadjutori promovendo fuerit à coadjuto, apostolicâ auctoritate assignatum salarium, ad suî congruam sustentationem, ut plerùmque fieri solet: nam stante supradicto concilio Trid., sess. 21, c. 2, disponente quòd nullus ordinetur, nisi ad titulum beneficii, potest quis ordinari ad titulum supradictæ coadjutoriæ; Gonz. gloss. 5, § 9, n. 8, et ita servatur passim, quia etiam illa dicitur beneficium ecclesiasticum; id. Gonz. loc. cit. num. 1.

Et dummodò supradictum salarium sit pariter sufficiens, quia ea ratio de illo habenda erit, quæ de quocumque alio beneficio ecclesiastico; et idem erit si beneficium nullos fructus habeat, sed tantummodò in distributionibus quotidianis consistat, quia ad effectum constituendi titulum pro ordinibus suscipiendis, ipsæ distributiones habentur, ac si fuissent fructus certi; et ita servatur passim cum canonicis ad sacros ordines promovendis, cum canonicatibus nullam habentibus præbendam, sed tantùm distributiones quotidianas.

Admittitur etiam promotio ad sacros ordines ad ti-

tulum massæ communis, cum clausulâ : *Dummodò constet quòd illa sufficiat pro oratoris alimentis, et quòd ad vitam duret*, ut docet vulgaris Romanæ Curiæ stylus circa dispensationes ad ordines.

Sic etiam ad titulum alicujus portionis distributionum, cum clausulâ : *Dummodò servitio illius Ecclesiæ se adscribat, et portio distributionum hujusmodi lucrari solitarum, ad congruam oratoris sustentationem sufficiat.*

Et nihilominùs circa hanc praxim notandum quòd si fortè contingat oratorem, sic arctatum etiam vigore apostolicæ dispensationis extra tempora, ad requisitos ordines, sive ex decreto summi Pontificis, sive alio quovis modo intra præstitutum sibi tempus promoveri ex aliquâ causâ non posse, ne propterea orator ipse aliquod dispendium sentiat, ei occurri potest per viam prorogationis ad se ita promovendum. Unde cùm casus evenerit, dabitur supplicatio hujusmodi prorogationis, quæ ita concipi poterit, videlicet :

Beatissime Pater, aliàs perpetua capellania sub invocatione sancti Francisci in Ecclesiâ S. N. Neapolitan. certo tunc expresso modo, vacante, de illâ sic vacante, devoto S. V. oratori Annibali Corsetto, clerico Neapolitan. diœcesis, apostolicâ, seu quâvis auctoritate, provisum fuit, in cujus fundatione expressè cavetur quòd eam pro tempore obtinens, sacerdotalem ordinem, infra annum assumere teneatur, et quæ forsan personalem residentiam non requirit, prout in litteris desuper expeditis, pleniùs continetur. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator, certis ex causis præpeditus, ad dictum presbyteratùs ordinem infra annum hujusmodi, in quo adhuc existit, se promoveri facere non potuerit, neque posse speret; supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs sibi in præmissis opportunè providendo, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequendo, dictum annum, ad alios sex menses, à fine dicti anni computandos, intra quos idem orator ad presbyteratùs ordinem hujusmodi se promoveri, ac omnia alia, quæ quomodòlibet facere tenetur, facere et adimplere liberè et licitè valeat; perinde ac si infra dictum annum adhuc existeret, apostolicâ auctoritate prorogare et ampliare, irritum, etc., *decernere dignemini, de gratiâ speciali, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon fundatione prædictâ, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.*

ET CUM ABSOLUTIONE A CENSURIS AD EFFECTUM, etc. Et datur ad tres vel quatuor menses, vel ad aliud tempus, prout causa ipsa suadet, et summo Pontifici

um fuerit; et si petatur restitutio ob lapsum hujusmodi temporis, datur cum additione clausulæ præservativæ juris tertii, cùm ob lapsum hujusmodi temporis potuerit ab alio beneficium impetrari ob non promotionem; quod etiam passim servatur pro provisis de parochialibus ecclesiis, pro quibus frequens est usus in Romanâ Curiâ impetrandi has prorogationes, cùm hi de jure infra annum teneantur ad sacros ordines promoveri, c. *Licèt canon*, c. *Cùm ex eo*, et c. *Cummissa*, de Elect. in 6; aliàs elapso anno parochialis ecclesia hujusmodi vacat; concil. Trid. sess. 24, cap. 12, de Reform., ibi : Aut in tali ætate, ut infra tempus à jure et ab hâc synodo statutum, initiari valeat, prout etiam declaravit ejusdem concilii congreg.; Vivian. in Praxi jurispatron. l. 5, c. 5, n. 50, insuper per regul. cancell. ult. datur vicecancellario facultas quòd possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc à jure statuta tempora, in quibus sic arctati successivè ad ipsos ordines promoveantur.

CAPUT V.

Praxis dispensationis de promovendo in temporibus et intra annum.

Frequentior tamen omni tempore visa est dispensatio de promovendo, ut supra diximus, in temporibus à jure statutis, infra tamen annum, cujus supplicationis formula sequens est :

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Octavius Aquaviva clericus Neapolitan., fervore devotionis accensus, plurimùm cupiat ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines, ad titulum sui patrimonii, quod ad id sufficiens habet, promoveri, et promotus in illis Altissimo, quoad vixerit, famulari. Supplicat igitur humiliter E. S. V. orator præfatus, quatenùs ejus votis hâc in parte favorabiliter annuendo, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequendo, eidem oratori, ut à suo ordinario, vel cum ejus litteris dimissorialibus, à quocumque alio, quem maluerit, catholico antistite, gratiam, et communionem Sedis Apostolicæ habente; et in propriâ diœcesi residente, vel in alienâ de diœcesani loci licentiâ, pontificalia exercente, per oratorem eligendo, unicâ die feriatâ, ad quatuor minores, quatenùs illos nondùm susceperit, et deinde ad omnes sacros, etiam presbyteratûs ordines, in temporibus à jure statutis, intra tamen annum, annique curriculo non exspectato, minùsque à concilio Tridentino designatis interstitiis, servatis, sub dicto titulo, promoveri, et promotus, in illis, etiam in altaris ministerio ministrare liberè et licitè valeat, apostolicâ auctoritate concedere, et indulgere; necnon ordinario, prædicto et antistiti, ut præfertur, eligendo, etc., ut in priori formulâ, *Extra tempora.*

Et cum absolutione à censuris, etc., et de concessione, indulto, etc., ut in supra positis clausulis ejusdem formulæ.

Et additur :

Et dummodò orator ad id reperiatur idoneus, et alicujus Ecclesiæ servitio se adscribat. Et constito priùs quòd patrimonium hujusmodi ad congruam ejus sustentationem sufficiens verè et pacificè possideat. Cum decreto, quòd illud sine ordinarii sui licentiâ alienare, seu quoquo modo distrahere nequeat, nisi priùs in ecclesiasticis, vel aliis redditibus annuis habuerit, unde commodè vivere possit.

Quâ quidem supplicatione signatâ, et in totum, consueto more expeditâ, conficiuntur super eâ litteræ apostolicæ, sive sub plumbo, sive in formâ brevis, prout sollicitatori opportunius visum fuerit, et utroque

modo, semper expediuntur in formâ gratiosâ, etiamsi hæc dispensatio annexa fuerit alteri gratiæ pro eodem oratore, si tamen non requirat aliquam indaginem ordinarii; exempli gratiâ, fuit similis dispensatio de promovendo extra tempora concessa Claudio Blanditio Neapolitano, asserenti, se regiæ cameræ summariæ Neapolitan. præsidem existere, ac petenti sibi indulgeri super retentione hujus officii; quapropter in litteris super hoc expeditis, additum est: *Tecumque ut etiam, postquàm presbyter factus fueris, officium præsidis hujusmodi, qui in civilibus tantùm jurisdictionem exercere consuevit, quoad vixeris, exercere, omniaque et singula quæ ad hujusmodi præsidis officium de jure, usu, consuetudine, aut aliàs quomodòlibet pertinent, quoad civilia duntaxat, facere, et exequi, etiam liberè et licitè possis et valeas, auctoritate et tenore præmissis, dispensamus.*

Formulam verò litterarum, quæ super dictâ supplicatione expediuntur, ut dictum est, parùm refert hìc subnectere; cùm in illis, ultrà narrata in supplicatione, nihil aliud addatur, nisi proœmium, *Vitæ ac morum honestas*, etc., et in fine illarum, clausula: *Nulli ergo*, etc., sed tantummodò ipsius supplicationis clausulas, ex quibus illa constare debet dilucidemus: dicitur ergo:

Beatissime pater, etc. — De hoc aliàs diximus in formulâ supplicationis pro bigamo, vers. eod.

Clericus neapolitan. — Ita dicitur, sive fuerit originarius, sive domiciliarius, sive beneficiatus, ut infra.

Ad titulum sui patrimonii. — Frequenter ignorari contingit in Romanâ Curiâ, an orator petat hanc dispensationem de promovendo ad titulum beneficii vel patrimonii, propterea, ne retardetur expeditio, admittitur illa sub titulo patrimonii; nam, licèt postea ipse orator non habeat reverà patrimonium, sed beneficium; absque aliquo vitio subreptionis, poterit ad titulum dicti beneficii promoveri; quia si id à summo Pontifice petiisset, faciliùs sibi concessum fuisset, arguendo à majori ad minus 22, l. 1. C. de Neg. gest. l. *Non debet cui, quod plus est*, ff. de Regul. jur.; imò etiam de jure non habenti beneficium, permittitur quòd possit promoveri ad titulum patrimonii, ut est text. in cap. *Tuis*, de Præb., cujus verba sunt hæc: *Tuis quæstionibus respondemus, quòd clericos in minoribus ordinibus constitutos, de matrimonialibus bonis, habentes, unde possint congruè sustentari, etsi nondùm beneficium ecclesiasticum assecuti; dummodò aliud canonicum non obstat, ad superiores pateris ordines promoveri*, et ibi glossa in verba *Patrimonialibus*, ait, quòd isti habent patrimonium pro titulo.

Et sub hoc nomine patrimonii, secundùm hanc materiam, non solùm intelligitur, quidquid ex bonis paternis filio obvenit, verùm etiam totum id quod aliunde, et ex quâvis causâ, eidem filio delatum est; cùm, quomodocumque proveniat, satisfiat menti conc. Campan. in divers. jur. can. rub. 8, c. 4, n. 1, Ugol. de Pot. episc. c. 26, § 9, n. 3.

Et hìc incidenter notandum est illud quod diximus, in præced. c. 2, n. 44, nempe, quòd licèt capellania non fuerit collativa, si tamen sit perpetua, id est, ad vitam capellani, ac sufficientis redditûs, poterit quis ad illius titulum ad sacros ordines promoveri, tanquàm si esset patrimonium.

Ad titulum quoque receptitiæ Ecclesiæ datur quandoque indultum promovendi cum clausulâ: *Et dummodò ex illius servitio tantùm percipias, quantùm ad congruam suâ sustentationem sufficiat.* Et additur hoc decretum, videlicet: *Volumus autem, quòd donec tibi de aliquo ecclesiastico, vel alio annuo redditu, ad congruam suâ sustentationem sufficiente provisum fuerit, si te ad titulum dictæ Ecclesiæ promoveri contigerit, ab illius servitio recedere nequeas, nec debeas; nisi fortè ad alia ministeria cum aliâ commodiori sustentatione transeas, et illis adscribaris; et aliter recedens ab executione ordinum per te suscipiendorum arbitrio ordinarii suspensus remaneas.*

Circa tamen utrumque titulum, beneficii scilicet et patrimonii discrimen notoriè versatur quoad facultatem ordinarii, ad promovendum ad sacros ordines; quia non omnis ad titulum patrimonii promovendus est, nisi dispensativè, ut elicitur ex verbis concil. Trid. sess. 21, c. 2, de Reform., dùm dicit, *patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthàc non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum*, circa quod ita Barbos. de Potest, episc. alleg. 19 n. 53, quòd non semper convenit hanc dispensationem elargiri, sed tantùm ex causâ, prout ejusdem concilii verba demonstrant, scilicet ex necessitate vel commoditate; quæ tamen commoditas, seu utilitas regulariter adest in personis doctis et probatæ vitæ. Garc. de Benef. part. 2, cap. 5, n. 75, dicens ibi quòd ideò hodiè potest quis ordinari ad titulum patrimoni vel pensionis, referens declarationem sacræ congregationis, quæ sic ait: *Cùm ad patrimonii vel pensionis ecclesiasticæ titulum ordinari non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel utilitate Ecclesiarum suarum, juxta cap. 2, sess. 21, clerici autem absentes, Ecclesiis necessitatem habentibus, aut subvenire aut utilitatem aliquam afferre non possint, quæritur an hujusmodi clericis litteras dimissorias episcopus concedere possit? congregatio censuit, posse et ad ipsum spectare.*

Dataria tamen apostolica semper tenuit, et præcisè tempore Pauli V, quòd tales dispensativè promoveri poterant ad titulum patrimonii vel pensionis, imò in clausulis restrictivis supplicationis semper per officiales addebantur hæc verba: *Et dummodò Ecclesiæ necessitas vel utilitas ita postulet*; quia clericus debet promoveri ad titulum beneficii potiùs quàm patrimonii, eâ potissimùm ratione; quia multæ fraudes quotidiè fiunt ordinatoribus: cùm postea clerici cogantur, promoti ad sacros ordines, mendicare panem in dedecus et opprobrium Ecclesiæ, et cleri, ut ait Redoan. de Reb. Eccles. non alien., q. 51, cap. 13, n. 6.

Et quod dicitur de titulo beneficii quoad ordines, idem quoque dicendum est de distributionibus quotidianis sive canonicatûs sive dignitatis, sive cujuscum

que alterius beneficii, cujus fructus in solis distributionibus quotidianis consistat, dummodò illud sit perpetuum, id est, ad vitam obtinentis, quatenùs ipsæ distributiones sufficiant pro titulo ad congruam sustentationem, Lotter. de Re benef. lib. 1, q. 19, n. 7.

Unde ad hujusmodi fraudes evitandas, servatur in pluribus locis, præcipuè in hâc civitate, et diœcesi Neapolitanâ, quòd cùm clericus petit promoveri ad titulum patrimonii, ante omnia obtinebit ab ordinario dispensationem, ut possit ad dictum titulum promoveri pro necessitate seu utilitate Ecclesiæ; deinde debet docere de sufficientiâ dicti patrimonii, quòdque illud consistat in bonis stabilibus censibus, vel alàs annuis redditibus, de quibus, jam per prius, fuerit in pacificâ possessione. Et cùm ipse clericus non habet per se patrimonium, et contingit donationem seu assignationem ab aliis sibi fieri, producitur publicum instrumentum, ab utrâque parte juramento vallatum, quòd donatio seu assignatio hujusmodi sit realis, omni dolo et fictione carens; quòdque neque in præteritum confectus fuerit, neque in futurum conficietur actus seu contractus aliquis in præjudicium dictæ donationis, seu assignationis cum annullatione, etc.

Et si talis donatio, seu assignatio fiet à patre vel matre ipsius, sive ab aliis parentibus, illa debet ratificari per publicum instrumentum à fratribus, sororibus seu quibuscumque aliis personis, super tali donatione seu assignatione, interesse prætendentibus, illique promittere debent, se nullo unquàm tempore illam ex quâcumque causâ annullare; quod si secùs fieri contingat, protestantur totum id nullum et invalidum, nulliusque roboris vel momenti existere; quod etiam idem ordinandus, medio ejus juramento, confirmabit, præcipiturque etiam sub pœnâ excommunicationis donatori, ne præsumat talem donationem seu assignationem efficere super censibus, seu redditibus alteri forsan obligatis, vel quorum ipse non esset verus et legitimus dominus. Et hæc est tuta praxis, quam etiam innuit Quar. in Sum. bull. verbo *Ordo*, versic. *Quod intellige*, circa fin. Ex quo patet, quòd potest quis ad titulum donationis promoveri ad sacros ordines, prout sacra congregatio concilii censuit, sequentibus declarationibus, quarum prima est : *Ad titulum donationis alicujus potest quis ordinari, si ita episcopus judicaverit assumendum pro necessitate et utilitate Ecclesiarum; et si donatio est realiter vera, et non ficta, quæ deinceps alienari non possit absque episcopi licentiâ, donec beneficium sufficiens adeptus fuerit, vel aliunde habeat, unde commodè vivere possit.* Secunda : *Potest aliquis ad sacros ordines promoveri ad titulum bonorum, quæ donantur, si episcopus judicaverit eum assumendum pro necessitate, vel utilitate Ecclesiarum, donationesque hujusmodi verè, et absque ullâ fraude, in formâ validâ fiant de tot bonis quot promovendo sufficiant ad vitam honestè sustentandam : quæque deinceps nullo modo alienari possint sine licentiâ episcopi, donec beneficium sufficiens adipiscatur, vel aliunde habeat, unde vivere possit.*

Unde etiam ex prædictis declarationibus, voluit ipsa sacra congregatio, cautum esse promoto, circa tales donationes, quæ simulatæ censentur, quando inter donatorem et donatarium fiunt apparenter, non autem verè et animo donandi; vel si factæ fuerint cum pacto de illis non utendo; tunc enim hujusmodi donationes non sunt reales, sed verbales tantùm, quæ nihil operantur, ut per Garc. de Benef. part. 2, c. 5, n. 53.

Ad occurrendum verò, quantùm fieri potest circa hujusmodi donationes, omnibus fraudibus, sacra congregatio cardinalium controversiis jurisdictionalibus præpositorum censuit clericos non gaudere exemptione pro bonis ad suscipiendos sacros ordines eis assignatis, donec non fuerint in eisdem sacris ordinibus constituti, et episcopum cognoscere debere super dictis fraudulentiis. Dat. Romæ die 18 septembris 1639.

Et cùm aliàs pro parte communitatis et conductorum gabellarum communitatis terræ Itri Cajetan. diœcesis fuisset S. congregationi immunitatis ecclesiasticæ expositum, qualiter crescente dominorum malitiâ sæpè sæpiùs acciderat quamplures donationes in dies fieri per laicos in personam clericorum, sub ficto prætextu, ut cum illis faciliùs possent ad sacros ordines promoveri, ac multoties postea occurreret dictos clericos habitum clericalem dimittere, vel uxores ducere, ipsique donatores se movebant ad hujusmodi donationes faciendas, ad fraudandas gabellas, et ab illarum solutione se eximendum : Idcò *d. sacra congregatio cardinalium controversiis jurisdictionalibus præpositorum censuit clericos non gaudere exemptione pro bonis, ad suscipiendos sacros ordines eis assignatis, donec non fuerint in eisdem sacris ordinibus constituti, et episcopum cognoscere debere super fraudulentis donationibus.*

Dat. Romæ die 18 septemb. 1639.

B. cardinalis Gypsius.

Franciscus Paulutius, S. C. Secretarius.

Et antea episcopus Venusimus Vitiator apostolicus de anno 1628 in hoc regno, suo edicto mandavit ut de cætero clerici donationibus bonorum sibi factis à suis patribus, matribus, sororibus, in fraudem, solutionem, onerum universitatem, non possint uti nisi pro viridi portione tantùm, et quod reliquum est, spectet ad dictos patres, matres, sorores et fratres, qui obnoxii sint oneribus universalibus.

Per quod quidem edictum postmodùm supra dicta sacra congregatio declaravit, voluit, et ordinavit, non intelligi prohibitum supra dictis clericis, tàm in minoribus, quàm in sacris ordinibus constitutis, donationem etiam ultrà virilem fraudibus cessantibus : eodemque modo bona sic donata pro portione virilem excedente, ac alia bona supra dictorum, non solùm ad quorum titulum ipsi fuerint ordinati, sed etiam patrimonialia extra titulum esse exempta à gabellis juxta dispositionem sacrorum canonum, donec in ipsâ S. congreg. vel in alio foro ecclesiastico competente, servatis servandis, supra dictæ donationes fuerint fraudulentæ declaratæ, prout ipsa S. congregatio scripsit episcopo Avianensi sub die 28 januarii 1633.

Cùm verò titulus erit ratione successionis hæreditariæ, exhibebit particulam testamenti, et medio præ-

ambulo, vel aliâ publicâ scripturâ, ostendet se esse hæredem, et ex ipsâ hæreditate saltem summam ipsi titulo requisitam, liberam, immunem, et exemptam à quocumque onere et debito possidere.

Debetque hujusmodi patrimonium pro ordinibus suscipiendis constitui tantummodò super re immobili, ut dictum est; aliàs enim non satisfieret menti concilii prædicti : quia si in rebus mobilibus consisteret, cùm illæ de facili consumi et exstingui possint, ordinatus remaneret sine titulo; Navar., consil. 54 de Temp. ordin.; Azor, Instit. moral., part. 2, lib. 3, cap. 4, q. 7; Barbos., alleg. 19, num. 55; ac proindè non potest quis ordinari ad titulum censûs non perpetui, sed redimibilis; nam ad libitum vendentis redimi et exstingui potest, et propterea idem est ac si esset res mobilis; ex Ugolin., de Offic. episcopi, c 26, § 10, n. 2; Garc., in Addit. ad p. 2, c. 5, post num. 95, vers. *Nec est necessarium.*

Quibus adde quòd si clericus ordinandus plura et diversa bona possideret, ad quorum titulum specialiter et nominatim ordinaretur, illa solùm deservirent pro titulo, et non alia; Garc., par. 2, c. 5, num. 78; et cùm ipse titulus debeat esse perpetuus, non debet constitui super rebus mobilibus, puta mercibus, animalibus, aut obligationibus personalibus; cùm hæc omnia facilè pereant, et lapsu temporis consumentur; licèt secùs dicendum esset, si hujusmodi bona mobilia statim converti possint, et cum effectu convertantur in bonis stabilibus, ex quibus percipiatur sufficiens titulus pro sustentatione; quia hoc modo satisfit concilio supra dicto; id. Azor., loc. cit.; Graff., concil. 4, de Temp. ordinat.

Præmissa tamen non ita passim, nisi valdè cautè, admittenda esse existimarem; quia postquàm clericus ita promotus fuerit ad S. ordines, de facili ipsum concilium eluderetur; nam ipsa bona mobilia possent postmodùm, sive in totum, sive paulatim alienari, et sic committerentur fraudes, quibus omninò est obviandum; l. *Si legatarius*, cod. de Leg.; Jas., in l. *Cùm fundus*, § *Servum tuum*, num. 4, ff. Si cert. pet. Ad hæc si quis dives, seu sufficiens, habens patrimonium ordinatus nullâ factâ assignatione censi fundi pro patrimonio, censetur ad titulum totius patrimonii sui ordinatus; ex eo quòd ea expressio non sit necessaria; Lotter. de Re benef., l. 1, q. 2, num. 36.

Ac propterea, cùm adsint in Romanâ Curiâ nonnulla officia perpetua, id est, quæ durant ad vitam officialis, licèt eorum unum quodque sit amplissimi redditûs, nihilominùs illa obtinentibus, ac petentibus ad illorum titulum ac S. ordines promoveri, sæpè vidi summum Pontificem præmissis non ita libenter annuisse, cùm hujusmodi officia consistant in rebus mobilibus; ac propterea, si id aliquandò concedatur, adjicitur in calce supplicationis ac in litteris talis promotionis clausula ista, scilicet : *Et cum decreto, quòd dictus orator officium hujusmodi vendere vel resignare nequeat, nisi priùs in ecclesiasticis vel aliis redditibus annuis habuerit, undè commodè vivere possit. Et si antea contigerit officium prædictum ab eo vendi, seu resignari, aut aliàs quomodolibet transferri, illius pretium in alia bona, vel census aut officia, pro eodem oratore, donec, ut præfertur, aliundè commodè vivere queat, omninò convertatur.*

Ego verò, dùm S. pœnitentiariæ Apostolicæ inservirem, ac ratione mei officii tenerer, juxta constitutionem Pii V, super ordinatione novi statûs ejusdem pœnitentiariæ, ad S. ordines promoveri, petii à fel. record. Paulo V licentiam suscipiendi prædictos ordines ad titulum supra dicti officii, tanquàm perpetui, et in concursu obtenti, sicut sunt nonnulla ejusdem pœnitentiariæ officia; ipse autem Paulus negativè respondit, sed potiùs nonnulla mihi beneficia ecclesiastica benignè contulit; quamvis anteà nonnullos ejusdem pœnitentiariæ officiales sciam fuisse ad titulum illius officiorum, ad sacros ordines promotos; et inter cæteros hi sunt, nimirùm : Hercules Flecinius, de mense junii 1602; et Jacobus Danielius, scriptor de eodem mense junii 1605; necnon Joannes Priamus, procurator, de mense februarii 1606.

Porrò officiales summi Pontificis, qui officia ad eorum vitam obtinent et ad quorum titulum, eo modo quo supra dictum est, possunt ad sacros ordines promoveri, quosque nunc temporis in memoriam revoco, hi sunt videlicet :

Auditor generalis cameræ Apostolicæ, unus.
Thesaurarius generalis, unus.
Clerici cameræ Apostolicæ, duodecim.
Protonotarii apostolici participantes, duodecim.
Secretarii apostolici, viginti quatuor.
Scriptores apostolici, centum et unus.
Scriptores minoris gratiæ, viginti septem
Scriptores brevium, octoginta unus.
Scriptores archivii, nonaginta unus.
Registratores supplicationum, viginti.
Registrator secretus earumdem, unus.
Registratores bullarum salariati, octo.
Registratores earumdem non salariati, quatuor
Regens cancellariæ Apostolicæ, unus.
Abbreviatores majoris præsidentiæ, duodecim.
Abbreviatores minoris præsidentiæ, sexaginta.
Jannizzeri, centum.
Præfectus sollicitatorum, unus.
Milites S. Petri, quadraginta unus.
Milites S. Pauli, ducenti.
Milites de Lilio, trecenti quinquaginta.
Milites Lauretani, trecenti.
Milites Pii, sexcenti quinquaginta quinque.
Magistri plumbi, tres.
Præsidens plumbi, unus.
Collectores plumbi, centum et quatuor.
Magistri registri supplicationum, quatuor.
Clerici ejusdem registri, sex.
Corrector contradictarum, unus.
Correctores archivii, decem.
Cubicularii, sexaginta.
Scutiferi, centum quadraginta.
Portionarii, sexcenti triginta duo.
Subdiaconi, quinque.

Acoluthi, octo.
Auditor contradictarum, unus.
Procuratores contradictarum, quatuordecim.
Procuratores minoris gratiæ, viginti quatuor.
Depositarius militum SS. Petri et Pauli, unus.
Depositarius præsidentium, portionariorum et militum de Lilio, unus.
Depositarius montis fidei, unus.
Depositarius cubiculariorum et scutiferorum, unus.
Judex confidentiarum, unus.
Notarii auditoris cameræ Apostolicæ, decem.
Notarii eminentissim. Vicarii Urbis, quinque.
Notarii capitolini, triginta.
Notarius ripectæ, unus.
Cursores, decem et novem.
Mazzerii, viginti quinque.
De virgâ rubeâ, decem et septem.
De portâ ferreâ, sex.
Mandatarii gubernatoris Urbis, septem.

Cæteros verò, si qui eidem memoriæ occurrerint, sicut etiam supra dictos, elegantiori ordine, etiam quo ad eorum officiorum collationem, valorem et redditum, in meâ praxi beneficiali supplere curabo, ubi circa ea, nonnulla ad praxim pertinentia referam; nunc autem dicere sufficiat ad effectum prædictum, ea haberi adinstar beneficiorum ecclesiasticorum, cùm vacent tam per obitum quàm per resignationem, non autem per ingressum religionis et professionem in eâ emissam, ut patet ex eorum collationibus, quandoquidem in supplicationibus semper apponuntur illa verba, *quòd censeantur vacare per obitum;* et licèt professio sit mors civilis, attamen non comprehenditur sub dictâ dispositione, cùm in jure non reperiatur cautum quòd in istis terminis mors civilis æquiparetur morti naturali; Alex., consil. 109, num. 4, lib. 2; ubi ait quòd mors civilis, resultans ex ingressu monasterii, non facit monachum haberi pro vero mortuo, nisi in casibus à jure expressis, ut per *Glos.* in c. *Placuit*, 2, verbo *Mortuus*, 16, q. 2, quandoquidem verba sunt intelligenda de morte naturali; arg. l. fin., c. De his qui ven. ætat. impetr., et l. fin., ff. de Condit. et demonst., l. *Cùm pater*, § *Hæreditatem*, ff. de Leg., 2 l. *Ex eâ parte*, § *In insulam*, de verb. *Oblig.*, et tradit Joan. Andr. regulam, quòd nunquàm mors civilis æquiparatur naturali, nisi ubi hoc reperitur in jure expressum; et dixit id. Alex., consil. 282, vers. *Secundò, quia mors civilis*, vol. 2; mors enim deducta ab homine in conditione non intelligitur de fictâ civili, sed tantùm de verâ et naturali, per jura desuper allegata, præsertim cùm, sicut dictum est, secundùm consuetum stylum et praxim Romanæ Curiæ semper apertis verbis dicitur quòd prædicta officia vacent per obitum; non autem dicitur per mortem, et appellatione obitûs de suî naturâ, non venit mors civilis, l. *Si decesserit*, ff. *Qui satisd. cogam;* unde parùm refert quòd beneficia ecclesiastica per emissionem professionis vacent; hoc enim idcircò evenit, quia regulares, sine dispensatione apostolicâ, sunt incapaces beneficiorum secularium, cap. *Cùm de beneficio*, de Præb. in 6; et habes ad id optimam Rot. decis. 543, p. 2 tom. 2, in recent.

Ut a suo ordinario. Proprius oratoris ordinarius dicitur, vel ratione originis, vel domicilii, aut beneficii, per tex. in cap. *Cùm nullus*, de Tempor. ordin. in 6. Et quoad originem, sæpè videmus per episcopos, præsertim hujus regni, illam nimis extendi, cùm vix tolerari debeat circa hoc paterna origo ad effectum ut quis ordinetur propter fraudes, quas in dies inde oriri videmus; licèt reverà aliud doceat tex. in c. 1, verbo *Alienigenas*, de Usur. in 6, cùm etiam esse locum originis ostendat jus civile, in quo pater natus est, ut habetur in l. Assumptio, ff. ad municip.; et dicit tex., in l. Filios eod tit., quòd filius sequitur originem patris, licèt natus sit in civitate matris, et hâc ratione videtur tolerari posse, cessante fraude, quamvis doctores, in d. c. *Cùm nullus*, asserant hoc non esse consulendum, sed post factum excusandos esse t: n ordinantem, quàm ordinatum; Nav., Consil. cons. 19, de Temp. ordin.; quem ideò puto id cum aliis tenuisse, quia sæpè compertum est nonnullos fuisse non modò ordinatos ratione originis paternæ, verùm etiam maternæ, necnon avi et proavi; ex quo diversa mala et inconvenientia orta sunt; ac propterea dicit Glos., in d. c. 1, de Usur., in addit., quòd oriundus de civitate dicitur, qui ibi ortus est, vel ejus pater inde originem duxit; et quòd non sic in avo; nam aliàs inquirendus esset ager Damascenus, ubi Adam formatus est.

Et cùm aliàs in sacrâ congregatione concilii, ad instantiam bon. mem. cardinalis de Aquaviva, tunc archiepiscopi Neapolitani, fuissent nonnulla dubia proposita per congregationem declaranda, in quinto capite proponebatur: Quòd sunt nonnulli qui cùm Neapoli domicilium habeant, ibique nati sint, tamen cùm parentes illorum ex aliâ civitate sint oriundi, suscipiunt ordines ab ordinario civitatis originis paternæ, absque litteris dimissoriis, et sine attestatione de vitâ et moribus ordinari Neapolitan., idque non semel contigit in diœcesibus Puteolan. Vican. in abbatiâ montis Cassinen., et alibi contra præscripta sac. concil. Trid. Ipsa congregatio nil aliud circa hujusmodi dubium respondit, nisi per hæc verba, videlicèt: *Ad quintum sacræ congregationi non videri in præsenti, in hâc re quicquam novi juris statuere.* Unde concludit propterea, Campan. in divers jur., can. rubr. 9, c. 8, sub n. 9, posse tum præsulem originis paternæ, tum propriæ, illum ordinare, dicens etiam, d. n. 9, quòd non esset reprehendendus qui defenderet non tantùm excusari præsulem post collatos ordines, sed insuper tutè induci posse præsulem ipsum originis paternæ ad ordinandum illum; neque hoc ratione caret, quando quidem etiam quoad ordines persona patris non est diversa à personâ filii; tex. in l. fin., cod. de Impub., et ad subst. l. *Cùm simus*, § fin., c. de Agric. et Cens., lib. 12; nam pater et filius sunt una identitas; Bald., cons. 294, n. 1, ante med. 1; Tiraq., in l. *Si unquàm in præfat.*, n. 15 et seq.; c de Revoc. donat.; Ludovis., decis. 498, num. 7. In hâc tamen Curiâ archio-

piscopali nullomodo quis admittitur ad ordines ratione originis paternæ, sine litteris dimissorialibus episcopi propriæ originis, ut testatur Genuen. in praxi archiepiscopi. Neapolitan., c. 47, num. 3. Cæterùm hodiè circumferuntur pro parte affirmativà declarationes S. congr., quas etiam refert Diana, resol. 148, p. 4, tract. miscel. resol. mor.

Sanè paternam originem intelligimus attendendam, etiamsi filius in aliquo loco fortuito natus sit, quem mater pertransibat; aut illùc, non animo permanendi, iverat; aut pater ad matrem accesserat absque animo ibi permanendi, et interim filium peperisset, quem postea absque eo quòd contraheret domicilium, ejus pater cum totâ familiâ extraxerat ad locum undè digressus fuerat; talis enim filius non diceretur esse illius loci, in quo sic per transitum natus fuit, ita ut neque ratione originis sequeretur forum dicti loci; ita Barbos., de Pot. episc.; gloss. 4, n. 18, ex Panorm. in c.; Rodulphus, num. 3, ubi Felin., n. 13, de Rescript., et aliis; quia tunc filius sequitur originem patris; nam non inspicitur quod per accidens est, sed quod per se; sicut etiam præd. filius habebit originem patris, si natus sit in mari; id. Barb., loc. cit., ex Ugol. de Pot. episc., c. 26, § 1, n. 5; et propterea talis filius non potest promoveri ab episcopo, ubi per transennam sic natus est, nec ab alio de ipsius licentiâ; idem Barb., lo. cit., num. 19; quidquid nonnulli in contrarium dixerint, nempè quòd poterit ab episcopo illius loci promoveri, maximè si ibi statim baptizatus fuerit; quia baptismus dicitur nativitas, et per eum homo de novo nascitur, c. debitum, de baptis.; nam verior est prior opinio, ut docet praxis.

Ratione domicilii promovetur quis ab ordinario loci ubi illud contractum est; quod quidem tunc contrahi dicitur, cùm in aliquem locum domicilium suum transtulit, ut patet in l. *Pupillus*, § *Incola*, ff de Verb. sign., l. Domicilium, ff. *Ad municip.*, l. Cives, c. de incol., ubi in eo loco quis dicitur domicilium habere, ubi larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, undè rursùs non sit discessurus, Gloss. in l. fin., verbo *Inter absentes*, c. de Præscript. per larem autem intelligitur focus, domus tota, et Gl. in d. l. *Cives*, verbo *Larem*, intelligit animum habitandi perpetuò, et ut de facto habitet. Quamvis ad alium effectum, aliter dicendum sit, puta in capitanco, aut alio officiali, qui in aliquo loco exerceret officium; quia licèt inde sit discessurus, poterit ibi contrahere matrimonium coram parocho ipsius loci; cùm jam ad id sufficienter dicatur ibi contraxisse domicilium, ex illâ communi doctorum conclusione, nempe, quòd ille qui in aliquâ civitate est electus ad honorem, dicitur civis, et gaudet privilegiis civilitatis, Glos. in d. l. *Cives*, verbo *Electio*.

Debet tamen, qui petit ordinari ratione domicilii, expressè declarare se habere animum ibi contrahendi dictum domicilium; aliàs enim non dicitur mutare sedem qui non mutat mentem, c. *Scias*, 7, q. 1, Anch. in se præsenti, num. 1, de Præb., in 6; nam factâ tali declaratione, statim illud acquirit, Butr. in d. c. *Ad apostolicam*, de Decim., quamvis Rota, decis. 250, num. 8, p. 2, divers. teneat hanc tantummodò animi declarationem minimè sufficere, nam copulativè requiritur aliquis actus significativus domicilii, scilicet, quòd emerit domum, d. l. *Cives*, ff. de Incol.

Sufficiens etiam conjectura erit, continua habitatio in aliquo loco per decennium, cum animo ibi perpetuò manendi, l. 2 c. de incol.; aliàs enim non essent incolæ, qui in aliquo loco commorantur, sine animo constituendi ibi domicilium; sola enim habitatio, non facit aliquem incolam; quia requiritur etiam animus ibi commorandi, Bart. in l. *Quæsitum*, ff. de Leg. 3; Sanch. de Matr. lib. 3, disp. 23, n. 1. Et aliàs orator Nuscan. diœcesis obtinuit per breve summi Pontificis dispensationem super defectu natalium ad ordines, directum ordinario Neapolitano pro illius executione, cum narrativâ, quod præd. orator à teneris annis commorabatur Neapoli, ubi domicilium contraxerat.

Sed reverà, decennalis habitatio, ad hunc effectum non videtur necessaria; sed statim atque quis incipit in aliquo loco habitare, cum animo ibi perpetuò manendi, domicilium acquirit, Menoch., de Arbitr. jud. lib. 2, cent. 1, casu 86, num. 2. Si enim haberet animum recedendi, licèt per mille annos moratus fuerit in tali loco, domicilium non contrahit, Barbos., de Offic. episc., alleg. 4, num. 25, dicens ibi, quòd hoc practicatur in Urbe, ut cùm quis fuerit per decennium ibi commoratus, poterit à vicario Papæ ordinari. Id tamen non ita passim practicari videtur, nisi cum quibusdam personis valdè cognitis et benè meritis, ac summo Pontifici benè visis; et de quibus aliàs probabilis sit conjectura, illos nunquàm dolosè ab ipsâ Urbe discessuros, cùm satis probabile sit, clericos exteros ibi existentes, ut plurimùm ad beneficia dignitatesque ecclesiasticas aspirantes, de illis postea provisos ad propriam patriam reversuros; et sic, cùm ad hunc finem in ipsâ Urbe commorentur, semper habent animum ab eâ discedendi, prout dicendum est de eo qui causâ studiorum ad aliquam civitatem se confert, non animo in eâ permanendi, sed ut finito studio ad patriam revertatur, ut per Bart. in l. *Lex Cornelia*, § *Si tamen*, ff. de Injur., cùm dulcis sit amor patriæ, l. *Qui habebat*, post principium, et ibi not. Glossa 1, in fin. ff. de Leg. 3. Cæterùm verò per acquisitionem hujusmodi domicilii nunquàm censetur renuntiatum domicilio propriæ originis, illudque nunquàm perditur; quia cùm sit naturale, dicitur immutabile; ac proindè Bursatt., cons. 74, num. 113, vol. 1, ait focum originis esse irremissibilem et principaliorem, Marius Antonin. var. Resol. l. 2 resol., 59, casu 10.

In hâc tamen curiâ archiepiscopali Neapolitan., ita servatur, quòd clerici exteri, qui cum dimissorialibus litteris suorum ordinariorum in civitate Neapolitan. commorantur, quamvis declarent se habere animum contrahendi domicilium in eâ, et per longum tempus habitaverint, non tamen admittuntur ad civilitatem Neapolitanam, nisi captâ informatione, quòd in eorum patriâ non habent aliqua bona, et tamdiù Neapoli habitaverint, quòd præsumptio sit, ampliùs non habere

animum redeundi ad dictam patriam, et postea mediante decreto, declarantur cives Neapolitani, et nisi prædicta omnia serventur, non habentur pro talibus, nec conferuntur eis ordines sine dimissoriis suorum ordinariorum, nec permittitur eis celebrare missas in dictâ civitate et diœcesi, si testatur id. Genuen. d. c. 47, num. 2, ubi subdit, causam hujusmodi observantiæ fuisse, quia multi clerici delinquentes, condemnati ab eorum episcopis, accedunt ad hanc civitatem; et non valentes ampliùs ab illis obtinere dimissorias pro exercendis ordinibus susceptis, vel pro suscipiendis, de facili declarant, se habere animum habitandi in eâ; et nisi ita fieret civitas Neapolitana abundaret pessimis clericis, ad not. in c. fin. de Consuetud., quamvis talis esse posset qualitas personæ quæ, non obstante hâc observantiâ, posset statim admitti ad hanc civitatem, d. num. 2.

An autem baro possit ab episcopo ad ordines promoveri in cujus diœcesi habet feudum, de hoc sæpè quæri solet præsertim in hâc civitate, et videtur affirmativè respondendum, etiamsi in feudo non habitet, prout resolvit Campanilis in divers. jur. can., rubr. 9, c. 8, n. 20. Eâ ratione, quia baro dicitur primus civis prædicti feudi, et sic, licèt inde absens, habet tamen præsumptum domicilium, quod ad id sufficere videtur, licèt requiratur, quod ipse baro habeat suam determinationem à feudo, castro, terrâ, etc. Quòd si baro renuntiaverit feudo, etc., non poterit promoveri à prædicto episcopo, quia sic cessat domicilium. Quod ita demùm intelligendum videtur, ut si dùm esset baro fuit ita promotus, post dictam renuntiationem non poterit ampliùs ab eodem episcopo promoveri: ex adductis per d. Campanil. loco citato.

At quidem verius est, dictum baronem in tantum posse à prædicto episcopo promoveri, in quantum ibi domicilium verè et formaliter contraxerit; et hæc fuit semper mens sacræ congregationis concilii Tridentini, quæ in casu sibi proposito circa promotionem ad ordines respondit, prout in quarto capite infra scriptæ declarationis, quæ ita se habet; videlicet:

Cùm à S. congregatione concilii Trid. fuerit declaratum, rectores beneficiorum, qui missas per alios celebrare possunt, tribuere posse sacerdotibus celebrantibus eleemosynam congruam juxta morem regionis; non autem ad rationem majorum reddituum ipsorum beneficiorum, quæritur an id procedat quoad capellanos amovibiles ad nutum patronorum, qui missas per eos celebrandas faciant per alios celebrare.

Secundò quæritur an sacerdotes diversarum diœcesium, in quibus fuerunt ad ordines promoti, qui tamen ratione beneficiorum non sunt residentiæ adstricti, et per decennium, et ultra habitârunt in civitate Neapolitanâ, et ratione hujusmodi domicilii fuerunt declarati cives Neapolitani, possunt ab episcopis dictarum diœcesium cogi pœnis et censuris ad synodum accedere.

Tertiò quæritur an iidem sacerdotes cogi possint pœnis et censuris accedere ad processiones.

Quartò quæritur an barones, patritii Neapol. prætextu, quòd sint cives in eorum civitatibus et locis, possint præsertim post dimissionem baronatûs ab ordinariis earumdem civitatum et locorum ad ordines promoveri absque litteris dimissorialibus ordinarii Neapolitan. et quatenùs non possint, in quas pœnas incurrant.

Die 18 martii 1645, S. congreg. eminentissimorum DD. cardinalium concilii Trid. interpretum ad dubia superiùs proposita respondit, ut sequitur:

Ad 1, non procedere, quandò hujusmodi capellanis datur certa eleemosyna pro quâlibet missâ celebrandâ; secùs verò si annuatim constituti sint pro capellaniâ certi redditûs perpetui, et eidem capellano assignati.

Ad 2, si nulla habeant beneficia, non posse cogi; si verò habeant beneficia tantummodò simplicia, non teneri accedere, nisi concurrente consuetudine, vel quando ageretur in synodo de rebus concernentibus beneficia diœcesis, vel totum clerum: seu de notificandis et intimandis decretis synodi provincialis; et tunc tenentur accedere ad synodum diœcesanam episcopi, cui ratione habitationis et domicilii subjiciuntur.

Ad 3, si nulla habeant beneficia, cogi non posse; si verò retineant beneficia tantùm simplicia, cogi posse, si in diœcesi habitent; secùs si ratione habitationis in aliâ diœcesi alteri episcopo subjiciantur.

Ad 4, non posse ad ordines promoveri ab ordinariis civitatum, et locorum baronalium absque litteris dimissorialibus ordinarii Neapolitan. nisi in iisdem civitatibus et locis baronalibus haberent domicilium; aliàs sic ordinati remanent suspensi ab exercitio ordinum arbitrio ipsius ordinarii Neapolitani.

F. card. episcopus Portuensis.

L. (†) S. Francis. Paulutius S.C.C. secret.

Gratis etiam quoad scripturam.

Regist. Fol. 77.

Domicilium namque etiam ad effectum suscipiendi ordines debet omninò formaliter et legitimè acquiri, et probatur ex animo habitandi et permanendi, l. *Domicilium ejus*, § *Celsus*, ff. *Ad municip.* Abb., in c. fin. de Paroch.; Surd., cons. 346, n. 4; Menoch., de Arbitr. cas. 86, n. 2. Et habitatio cum totâ familiâ in loco præd. domicilii ubi bona mobilia transportavit, et habet domum apertam, cum aliis adductis in unâ Granaten. capellaniæ, quæ est decis. 188, num. 1 et 2, p. 3, recent.

Sed quid dicendum de exposito cujus parentes ignorantur? Numquid poterit ordines suscipere ab ordinario loci, ubi expositus est? Et absque aliquâ hæsitatione affirmativè est respondendum; quia non solùm quis judicabitur municeps, et civis loci in quo natus est, sed etiam in quo expositus, Bart, in l. 1, num. 21, ff. *Ad municip.*, l. *Hæres absens*, § 1, ff. de Judic. Barbos., alleg. 4, num. 37.

De liberto autem dicendum est, quòd, si eum ordinari contingat, promovendus erit ab ordinario illius loci, unde ejus patronus trahit originem, Campan. in d. Divers, rubr. 9, c. 6, num. 24.

Ejectus ab aliquâ religione in quâ professionem regularem emisit, ob aliquod delictum, propter quod fuit ordine et habitu exutus, poterit promoveri ad ordines ab episcopo propriæ originis; si tamen nullum

ei obstet impedimentum, et aliàs idoneus reperiatur.

Ratione beneficii efficitur etiam quis subditus episcopi illius diœcesis, in quâ habet beneficium ecclesiasticum, et potest ab eodem episcopo, sive de ejus licentiâ à quocumque antistite promoveri, d. c. *Cùm nullus*, et remanebit subditus, donec ibi beneficium tenet, Boer., decis. 260, num. 20, quem ad hoc allegat Mar. Ant., var. Resol., lib. 1, resol. fin., casu. 24, etiamsi ipsum beneficium residentiam non requirat, id. Campan. rubr. 8, c. 8, n. 12. Qui quidem episcopus ratione præd. beneficii non solùm potest clericum ordinare, sed etiam cum eo dispensare in interstitiis, ac etiam in illegitimitate ad minores ordines juxta terminos d. c. *Cùm nullus*, de Fil. presbyt. in 6, ex eâ ratione, quia cùm ratione beneficii sit illius subditus quoad ordines, est etiam subditus quoad omnia concernentia et illis annexa, Garc., de Benef., p. 2, c. 4, num. 14. Et elegantissimè probat D. meus Paulus Squillante juris utriusque doctor celeberrimus, canonicus hujus metropol. eccles. Neapolitan., vir tum vitæ integritate, tum doctrinæ magnitudine et experientiâ nulli inferior, in suo utilissimo tractatu de Privileg. cleric., cap. 4, dub. 18, num. 228.

Cujus autem redditus debeat esse hujusmodi beneficium, ad effectum de quo agitur, id non reperitur jure cautum, nec expressum, text. enim in d. c. *Cùm nullus*, nullo modo loquitur de quantitate reddituum, unde cùm lex non distinguat, nec nos distinguere debemus, l. *Illam*, cod. de Collat., ac propterea concludit Piaset. in suâ Praxi, cap. 1, num. 15, quòd sufficit illos esse quatuor aureorum.

Attamen non est novum, quòd lex generaliter loquens, recipiat interpretationem, et sic restrictionem à ratione, l. *Cùm pater*, § *Dulcissimis*, ff. de Leg. 2; Bart. in l. *Pater*, § *Fundum*, in fin. ff. de Leg. 3; tempore enim quo Bonifacius Papa VIII, edidit hanc decretalem, non vigebat hominum malitia, sicut hodiè, maximè circa ordinationes clericorum; quod si aliàs fuisset, utique in d. cap. expressisset quantitatem redditum beneficii, ut illius ratione fieret quis subditus ordinario, sicut postmodùm tractu temporis, per nonnullos summos pontifices provisum fuit in aliquibus locis, ne clerici promoverentur ab ordinario tenuis beneficii, ratione præsumptæ fraudis. Unde consulta sacra congregatio conc. Trident. ab archiepiscopo Neapolitano super hoc dubio, videlicet, alii sunt, qui cùm Neapoli primam tonsuram, vel quatuor minores ordines susceperint, deinde ad subterfugiendum examen, et probationem patrimonii sufficientis, prout constitutiones synodales Neapolitanæ requirunt, adeunt aliquem ex vicinis episcopis, puta Caven. Acerrarum, Vican. Litteren. et Amalphitan. à quo provideri sibi de aliquo, etiam tenuissimo beneficio, curant, cujus ratione, tanquàm illi episcopo subditi sint, ab eo ad subdiaconatûs, diaconatûs et presbyteratûs ordines, promoventur: ac mox Neapolim reversi, ordines per supra dictam fraudem susceptos, exercent, ita respondit, videlicèt: *Ad quartum, nec item hos, ad effectum ordinationis, beneficium adipiscentes, debere ordinari ab episcopo, conferente beneficium, ordinatosque in suspensionem incidisse, et episcopum à collatione ordinum per annum suspensum esse;* et sic in dies secundùm casuum contingentiam, emanant ab Urbe ordinationes circa hoc.

His accedit, quòd cùm supra dictus text. in c. *Cùm nullus*, loquatur de beneficio jam collato, non potest purus laicus, sive alius pro eo exigere beneficium in alienâ diœcesi, ut illius ratione promoveatur ab illo episcopo; quia sola erectio non facit eum subditum; nec post erectionem potest illud sibi conferre, cùm sit laicus; nec potest à prædicto episcopo tonsurari, cùm adhuc non sit illius subditus; quod quidem sæpè occurrere solet, cùm quis ad effugiendum ordinarium propriæ originis satagit ad alium confugere, credens talem erectionem sufficere, cùm d. c. *Cùm nullus*, ut dictum est, requirit quòd ordinandus ab episcopo beneficii illud jam obtineat, prout ait id. text. ibi: *Seu in cujus diœcesi obtinet beneficium ecclesiasticum;* et sic verbum *obtinere* intelligitur, quòd verè et cum effectu habeat beneficium ad text. in l. *Nomen*, § fin., et l. *Habere*, ff. de Verb. signif.

Sed numquid poterit orator, si plura habeat beneficia in diversis diœcesibus, ordinari ab unoquoque illarum episcopo, seu litteras dimissoriales ad ordines obtinere? Et certè sic, Ancharan., in d. c. *Cùm nullus*, num. 1, vers. *Circa secundum*; Innoc., in cap. *Cùm iam dudùm*, num. 3, de Præb. Barbos., d. alleg. 4, num. 51. Quod intellige etiam præter episcopum originis, vel domicilii, à quo poterit ordinari, etiamsi beneficium sit manuale, seu ad nutum amovibile; quia licèt non possit ad illius titulum ad ordines promoveri; tamen poterit ratione illius ad alium titulum ordinari, Garc., de Benef., p. 2, c. 4, num. 3. Idem quoque dicendum est de commendâ perpetuâ; quia adhuc ratione illius potest ab episcopo commendati beneficii ordinari; quia cùm illa sit perpetua, reputatur ut titulus Garc., loco citato, num. 10. Et episcopus beneficii potest non solùm ordinare, sed etiam dimissorias concedere, etiamsi beneficium esset subjectum alteri episcopo quoad promissionem alterius episcopi; sed si esset alteri subjectum, etiam quoad jura episcopalia, quia ad illum tunc id spectabit, in cujus diœcesi esse videtur; Garc., l. cit., num. 15.

Ratione autem pensionis, quis nequaquàm efficitur subditus episcopo; nam licèt nonnulli dixerint idem dicendum esse de pensione, ex eo quòd pensio dicatur beneficium ecclesiasticum, Barbos. in cap. *Ad audientiam*, de Rescrip., num. 6; Gigas de Pens. q. 56, attamen verius est contrarium; nam in præsenti materiâ agitur de beneficio quod datur in titulum, habens jus spirituale, quod profectò non habet pensio, quia consistit in merâ temporalitate; nec per eam quis intitulatur et obligatur Ecclesiæ, sicut per beneficium; Archid. in cap. *Quamvis*, de Præb. col. 2, vers. *Provideri*.

Nec tamen est silentio prætereundum, quòd si quis subditus sit tribus episcopis, scilicet originis, domicilii et beneficii, semper poterit circa ordinum susceptio-

nem illos variare : unde uno seu pluribus ordinibus, ab uno illorum susceptis, non prohibetur deinde recursum habere ad alium, pro reliquis ordinibus, seu eorum aliquo, suscipiendis ; ista enim variatio, quoad hoc, non est in jure prohibita nec expressa, cùm possit quis ea quæ sunt facultatis, pluries variare ; Anchar. consil. 214 ; probat textus in d. cap. *Cùm nullus*, qui loquitur de clerico cupiente ad superiores ordines ascendere, et illi datur electio ut valeat ordinari vel dimissorias ad ordines impetrare ab episcopo domicilii, vel originis, aut beneficii, quod fundatur ex principio d. c. ibi : *Cùm nullus clericus*, etc., et ita intelligit ibi Gloss. in traditione casûs, per quem textum Abb. et Butr., in c. *Cùm in distribuendis*, de Tempor. ordin., concludunt quòd unus qui ordines suscepit ab uno episcopo, potest ad superiores ordines promoveri ab alio ex dictis tribus episcopis, quia sufficit quòd illi sit subditus ratione domicilii, vel originis aut beneficii ; cùm tantummodò speciale sit in ordinato à Papâ ut nequeat ab aliis inferioribus promoveri, d. c. *In distribuendis*, Gonz. ad reg. 8 cancell., § 3, Proœm., n. 117, et Gloss. 52, num. 24, cùm ipsi Papæ datum sit in prærogativam supremæ potestatis, ut in quibus ipse manus apposuit alii se intromittere non possint, c. *Ut nostrum*, de Appell. ; Mandos., super regul. cancell. in proœm., lib. 1, q. 5, num. 9.

Quamvis non desint qui contrarium teneant, inter quos Barb. in Addit. ad alleg. 4, sub. n. 1, dicens quòd si subditus, aliquo ex prædictis tribus modis, semel elegisset unum episcopum, à quo aliquem ordinem suscepisset, non posset variare, et assumere alios ordines ab alio ex dictis episcopis, nisi episcopus qui priùs illam ordinavit, judicàsset cessare causam ordinationis, et remitteret ordinatum ad alium ex dictis episcopis ; quamvis quoad ordinarium domicilii dixit id Barbos., dict. alleg., num. 41, non idem esse, nempe quòd ratione domicilii nullus ordinari potest, nisi priùs consulto priore episcopo, cùm locum suum primum, illo inconsulto, deserere non possit ; sed tamen prosequitur ex conc. Trid., sess. 23 de Reform., verius esse non requiri licentiam episcopi in domicilio mutando, ex juribus ibi allegatis ; tenetur tamen portare veritatis testimonia circa mores sufficientia, et natalitia, nisi à teneris annis domicilium fuerit translatum, et illic habitatio continuata usque ad tempus promotionis, in quo potest tunc servari quod disponit concil., sess. 23, cap. 5, de Reformatione, circa diligentias ordinandorum præmittendas.

Ex his modò infertur, sicut etiam in praxi docemur, quòd, si aliquis oriundus ex aliquâ diœcesi, habens domicilium vel beneficium in aliâ diœcesi, impetret beneficium, dicendo se clericum diœcesis beneficii, et non originis, talis gratia valet, nec est subreptitia, Garc. p. 7, c. 9, num. 17, quia ad hoc, ut quis verè dicatur esse diœcesis N., satis est ibi habere originem, domicilium vel beneficium.

Verùm, si clericus unius diœcesis, parochialem ecclesiam obtineat in aliâ diœcesi, et favore studii cupiat habere dispensationem, ut usque ad aliquod tempus non teneatur promoveri, solus episcopus, in cujus diœcesi sita est parochialis ecclesia, potest de jure communi super hoc dispensare, non autem episcopus domicilii, seu originis, per text. in c. *Cùm ex eo*, de Elect. in 6 ; nam ut notabiliter per Domin. in d. c., in verb. *Subjectus*, quando requiritur dispensatio personæ respectu rei, tunc ille debet dispensare qui rem habet subjectam, respectu cujus dispensatio requiritur, et si ab alio dispensaretur, dispensatio non traheret effectum suum extra territoriorum dispensantis.

Et quamvis præmissis nihil obstare videatur, attamen negari non potest quin ex supra dictâ variatione, possint multæ fraudes committi : nam, ut plurimùm, cùm quis se agnoscit minùs idoneum ad suscipiendos ordines, relicto episcopo originis, confugit ad episcopum domicilii seu beneficii à quo facit se ad ordines promoveri ; unde optimâ ratione provisum est per hanc curiam archiepiscopalem, ut nullus originarius clericus Neapolitanus, ad sacros ordines, ab aliquo ex episcopis domicilii, sive beneficii, promotus, possit postmodùm in civitate et diœcesi Neapolitanâ, missas seu alia munia exercere, nisi priùs denuò Neapoli examinatus et approbatus fuerit, tam quoad doctrinam, quàm ad cætera requisita.

Quòd si orator fuerit nullius diœcesis, litteræ dispensationis ad dictos ordines non dantur, nisi cum clausulâ : *Ut ab ordinario viciniore, vel cum illius litteris dimissorialibus, à quocumque alio antistite*, etc., sicut semper fit, quandò in quâcumque gratiâ impetratâ asseritur oratorem esse nullius diœcesis. Quod etiam servatur si narretur oratorem, licèt nullius diœcesis, subditum tamen esse abbati seu alteri, separatum territorium et jurisdictionem quasi episcopalem habenti ; quia, licèt possit ille ex privilegio concedere dimissorias, etiam ad ordines sacros, nihilominùs indultum de promovendo ad dictos ordines non datur nisi cum supra dictâ clausulâ, scilicet : Ut ab ordinario viciniore, etc.

Ita etiam si ex duobus episcopis uterque prætendat habere jus conferendi ordines, vel ad illos litteras dandi dimissoriales clerico alicujus loci, et super id lis vertitur inter illos ; tunc enim petitur posse promoveri, etiam ab ordinario viciniore, attento quòd inter dictos episcopos controversia super jurisdictione prædicti loci vertitur, vel de ejusdem vicinioris licentiâ, à quocumque alio, etc.

Quòd si adhuc de ordinario viciniori hæsitetur, quoad facultatem promovendi, et dimissorias ad ordines concedendi, sicut olim subortâ lite super hoc, inter episcopum Gravinen. viciniorem, et archipresbyterum secularis et collegiatæ Ecclesiæ terræ Altamuræ, nullius diœcesis, provinciæ Baren., tunc debet de hoc fieri mentio, et conceditur ipsi oratori ut à quocumque alio ordinario, vel de ejus licentiâ, etc., absque tamen archipresbyteri præfati jurium præjudicio.

Admisit etiam Romanæ Curiæ stylus, seu praxis, ut cùm quis voluerit ad ordines promoveri, suusque

ordinarius, quem ipse debitè requisivit, ut illum ad ordines prædictos promoveret, vel litteras dimissoriales daret, id facere recusaverit, committatur ordinario vicinlori, quatenùs iterùm requisito ordinario oratoris, ejusque procuratore fiscali audito, si idem ordinarius ipsum oratorem ad dictos ordines promovere, aut ei litteras dimissoriales dare recusaverit, causamque legitimam suæ recusationis non adduxerit, ipsum oratorem, absque litteris dimissorialibus ordinarii sui constituto tamen eidem ordinario viciniori, priùs, per legitimas probationes, de vitâ et moribus legitimisque natalibus, et aliis requisitis qualitatibus suis, promoveat, etc., et in hoc casu, solent litteræ apostolicæ super hoc committi ordinario viciniori tantùm absque consuetâ clausulâ : *Vel de ejus licentiâ*, etc., *à quocumque*, etc., quod quidem concordat cum jure communi, ut per Archid. in cap. *Primates* in fin., dicentem, quòd si proprius episcopus denegat sine causâ commendatitias litteras ad ordines concedere, potest clericus agere coram Papâ, ut eum licentiet, ex pluribus in proposito per Lambert. de jurepatr., 2 p., lib. 1, art. 1, q. 1, sub num. 5, fol. 278.

Supra dicta etiam clausula apponi consuevit in novis commissionibus pro mutatione judicis super executione quarumcumque litterarum apostolicarum, quandò videlicet primus executor in illis datus ex aliquâ assertâ et non legitimâ causâ, recusat procedere ad illarum executionem; quia, nisi fortè fuerint litteræ beneficiales, quæ habeant plures executores, juxta formam constitutionis Pii V, de expediendis litteris in formâ *Dignum*, datur supra dicta mutatio judicis, cum dictâ clausulâ : *Requisitis denuò ordinario et ejus promotore fiscale*. De his autem mutationibus judicum, fusiùs suo loco diximus.

Item, quia sæpe contigit, inter episcopum et clericum, ejus subditum, propter litem aut ipsius episcopi sævitiam, vel aliàs, inimicitiam exortam esse, quæ omnes sunt causæ se eximendi à jurisdictione ipsius episcopi; propterea quotidiè à Sede Apostolicâ emanant hujusmodi exemptiones, prout testatur Paris. de Resign. benef., lib. 3, quæst. 11, num. 7, qui ita ait censuisse sacram congregationem concilii 7 julii 1575, et ipsum vidisse plures exemptiones propter hoc fuisse concessas per sacram congregationem episcoporum, quoad ordinationes; sæpè etiam videmus quòd ex causâ inimicitiæ, committitur etiam ordinario viciniori, ut attento quòd inter oratorem et episcopum N. ordinarium suum, notoriè vertuntur inimicitiæ, absque litteris dimissoriis dicti ordinarii, ab ordinario viciniore, constito illi priùs per legitimas probationes de prædictis inimicitiis, ac de vitâ et moribus, etc., idem orator promoveatur, etc.

Et regulariter, clericis non obtinentibus ab eorum ordinariis, sine legitimâ causâ, ad ordines promoveri, per præmissa succurritur, quod præsertim habetur in constitutione Pii IV, super reformatione Officii sacræ Pœnitentiariæ, quâ majori pœnitentiario, aliisque illius officialibus, præcipitur ne litteras de promovendo ad sacros ordines, ac etiam ad primam tonsuram à quocumque catholico antistite concedant, nisi allegetur justa causa propter quam ab ordinariis suis promoveri, aut ab eis eorumque officialibus litteras dimissorias obtinere non valeant; et tunc concedi possint, ut à quocumque ordinario, vel pro eo pontificialia exercente, etc., et si causa allegata falsam saltem fuisse deprehendatur, sic promoti ab executione ordinum per suos ordinarios suspenduntur. Unde patet quòd ex justâ causâ possunt hujusmodi litteræ concedi, sicut hodiè passim conceduntur non modò per officium sacræ Pœnitentiariæ prædictæ, quod *Minoris gratiæ* nuncupatur, verùm etiam per breve, sub annulo Piscatoris, ut frequentissimè videmus.

Idque ratione fundatur : nam ex causâ abusûs jurisdictionis ordinariorum, est concedenda subditis exemptio, Boer., decis. 104, num. 5; Cassad., decis. 6, num. 1, de Privileg.; Caputaque decis. 62, num. 4, part. 2; undè dixit Bald. in tractatu de Exempt. inter tractatus diversorum DD., num. 24, quòd ordinarii faciunt majores abusus prætextu suæ jurisdictionis, quàm exempti prætextu suæ exemptionis; ac propterea subditis litigantibus cum suo episcopo, non modò per dictam sacram congregationem, verùm etiam per signaturam durante lite, conceditur universalis exemptio ab illius jurisdictione; id Casad. d. num. 1 et seq.; quapropter stante dictâ universali exemptione, datur clericis sæpè facultas de promovendo ab alieno episcopo, etiam sine litteris dimissorialibus proprii episcopi.

Si, etiam sede episcopali vacante, et infra annum vacationis, petatur licentia de promovendo, sive extra tempora, sive in temporibus, infra annum, cùm aliàs per decreta concilii Trid. id sit expressè vetitum, ipsa licentia non datur nisi ut orator possit promoveri ab ordinario viciniore, vel de illius licentiâ, ab alio antistite; quòd, si absque aliquâ dispensatione super interstitiis, cupiat promoveri, cùm non possit vel nolit orator ipse exspectare donec plena sit sedes, concedi consuevit facultas vicario capitulari, per litteras privatas sacræ congregationis episcoporum, ut ipsi oratori concedat litteras dimissoriales ad ordines.

Prout etiam similem facultatem quandoque impartiri visum est, cùm jam orator supradictam dispensationem de promovendo, vivente illius ordinario, obtinuerat cum solitâ clausulâ, videlicet : *Tibi, ut ab ordinario tuo, vel de ejus testimonio*, etc., et antequàm orator cœpisset uti dictâ licentiâ, dictus ordinarius obierit; tunc enim, ne ipse frustretur effectu dictarum litterarum, consuevit eidem vicario capitulari, ad instantiam ipsius oratoris, per dictam sacram congregationem, dari in mandatis, ut eidem oratori concedat litteras dimissoriales uni et certo ordinario, qui eum promoveat.

Est insuper præmissis addendum quòd etiam proprius episcopus est ille in cujus familiaritate ordinandus reperitur; sed tamen videamus quisnam dicatur verè familiaris, ad effectum suscipiendi ordines, juxta decretum concilii Trid., dùm præcipit quòd episcopus familiarem suum sibi non subditum ordinare non

possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et quàcumque fraude cessante, statim reipsà illi beneficium ecclesiasticum conferat, ut sess. 23, capitulo nono.

Et præmittendum est quòd ille dicitur familiaris qui cum aliquo inhabitat, cap. *In litteris*, et cap. *Insinuante*, de Offic. delegat., ac insuper de jure communi, ii dicuntur familiares, qui subsunt alicui ratione potestatis, et cum eo cohabitant, cap. ult. de Verb. sign. in 6; Bald. in l. 2, c. de Test.

Sed quantùm ad rem nostram pertinet, ille dicitur familiaris episc., qui ei inservit vel ministrat, ad text. in l. 1, § *Familiæ*, ff. de Public., l. Pronuntiatio, § *Servientium*, ff. de Verb. signif., sunt servitores vel famuli, cap. fin., eod. titulo, lib. 6.

Non sufficit tamen solùm servitium, si ipse familiaris abfuerit ab ipsius episcopi familiâ, etiam si illius sumptibus vivat; Quarant. in sumpt. bull., verb. *Ordo*, versic. *Limita in eo*, ubi ait quòd hoc intelligitur procedere in illis familiaribus qui cum episcopo commorantur, id est præsentibus, et ipsius obsequiis assistentibus; secùs verò, si absentes fuerint in regione remotâ etiam si ipsius sumptibus vivant; Ugol. de Potestate episc., cap. 26, § 4; Barbos. allegat. 5, n. 6, quia mens supra dicti concilii fuit ut episcopus per hanc continuationem familiaritatis experiatur mores sui familiaris, quos procul dubio posset difficilè experiri, propter hujusmodi absentiam; id. Quar. loc. cit.

Verum est tamen quòd parvi interest si dictus familiaris non habitet in eodem palatio episcopi, et illi continuò serviat, ut per Genuens. in praxi, cap. 81, n. 3, dummodò hoc triennale tempus non sit interpolatum; nam per illa verba concilii, *fuerit commoratus*, hoc tempus debet esse continuum; id Barbos. d. alleg. 5, num. 9. Si aliquando contingat ipsum familiarem à domo episcopi abesse, animo tamen revertendi in brevi, vel infra modicum tempus, adhuc dicitur in domo episcopi continuò commorari. Et per rationem supra allatam, sufficit quòd tempus triennii hujusmodi incœperit antequàm ordinator esset episcopus; Garc., p. 1, c. 5, n. 83; id. Barbos., d. alleg. 5, num. 8; sicut etiam fuit pluries declaratum per S. congr. ejusdem concilii.

Putant nonnulli attentâ ratione finali concil., nempè, ut ab episcopo cognoscerentur mores ordinandorum, potuisse etiam nepotes, sive alios consanguineos, cum eo per dictum triennium commorantes, absque eo quòd ipsi episcopo inserviant, ab illo promoveri, absque litteris dimissorialibus proprii ordinarii; nec ta men advertunt ad hoc non solùm sufficere familiaritatem, sed etiam requiri servitium; quod tamen regulariter adesse non solet in nepote, vel alio consanguineo, nisi ille fuerit deputatus ad aliquod servitium; ad doctr. Bart., in l. 1, § *Familiæ*, num. 5, ff. de Probat.; nam illi appellantur familiares, qui actu deserviunt, et continuò in domo commensalitatem habent, ut dicit tex. in c. fin., de Verb. sign., in 6; sicut nec ipsa commensalitas sufficit, nisi etiam actus servitutis concurrat, cùm utrumque copulativè requiratur, ut in d. cap. fin. Undè, si ipsius episcopi nepos, seu alius consanguineus, illi actualiter inserviat, sicut cæteri, ita, et non aliter, ab eo promoveri potest, per jura superiùs allegata.

Atverò huic sententiæ quam nonnulli episc. exquisitis, seu potiùs mendicatis, rationibus satagunt sustinere, acquiescere potui, propter innumeras fraudes inde insurgentes, quandoquidem certum est quòd ad illius familiaritatis essentiam requiritur continuum servitium, atque continua commensalitas, undè in dict. c. fin. Bonifacius VIII intelligi vult familiares, sine fraude, ac propterea oportet familiarem esse deputatum ad servitium episcopi, adeò ut dicatur illius servitor et famulus quòd vix fieri potest ut episcopus nepotem, aut alium consanguineum hunc locum occupare sinat, nisi quando velit illum ordinare, et aliquod ei pingue beneficium, tunc vacans, aut de proximo vacaturum, conferre, prout experientia docuit, tanquàm rerum magistra. Paris., de Consid., q. 7, n. 3; Buratt., decis. 631, n. 9.

Silentio tamen hìc prætereundum non est quòd non desunt qui teneant collationem beneficii esse dicto familiari faciendam in minoribus ordinibus tantùm, non autem in primâ tonsurâ constituto, eâ moti ratione, quia videlicet concil. Trident., loco cit., non loquitur de primâ tonsurâ, sed de ordinibus minoribus; et propterea in ipsâ primâ tonsurâ sola familiaritas sine aliquâ beneficii collatione sufficere non potest, per Glos. in cap. *Eos*, in verbo *Figmento*, in fin., de Tempor. ordin., lib. 6. Id tamen communiter est reprobatum· quia dictum concilium loquitur generaliter de ordinibus, inter quos connumeratur prima tonsura; Rota, in unâ Cremonen. pensionis, decis. 731, num. 13, p. 1, divers., ubi num. 15, ait quòd ad hunc effectum non est differentia inter primam tonsuram et alios minores ordines; rationem subdens, num. 14, quia collatio beneficii requiritur ut ordinatus ab episcopo non suo, ratione beneficii efficiatur de ejus foro, et sit ei subditus; quæ ratio militat in primâ tonsurâ, cùm etiam tonsurandus debeat esse subditus tonsuranti; nam, quidquid teneant theologi qui negant primam tonsuram et episcopalem dignitatem esse ordines, juxta magis communem et receptam canonistarum opinionem, etiam clericale initium inter ordines ecclesiasticos connumeratur, et est character indelebilis, ut post Hostien. concludunt communiter alii in cap. *Cùm contingat.*, de Ætate et Qualitate; Abb., in cap. 1, num. 6, de Vit. et Honest. cleric.; Felin., in cap. *Sicut pro certo*, num. 2, de Simon.; Gemin., in cap. *Cleros;* et ibi latè Præpos., num. 4, dist. 21, qui testatur de communi; Gabr., cons. 181, num. 3, lib. 2, cum aliis per Garc. de Benef., p. 7, cap. 1, num. 2, et seqq.; et d. Glos. in d. verbo *Figmento*, in fin. dùm, loquendo alternativè, videtur sentire quòd sufficiat familiaritas sine beneficio, loquitur contra communem opinionem; ac propterea cùm hoc sit in satis notoriâ praxi deductum et receptum, parum refert super hoc immorari. Dicam tantùm quòd sacra congregatio concilii declaravit supradictum decretum habere locum tam in minoribus quàm in majoribus ordinibus, in

unâ Hieracen., 6 septembris 1581; et sic in utroque casu requiritur beneficii collatio; Quar. in Sum. bull., verb. *Ordo.*, vers. *Limita in eo,* circa med.

Ex ante jam dictis igitur constat collationem beneficii esse omninò necessariam, ut familiaris efficiatur prædicto episcopo, qui si aliàs promoveret illum, sive ad minores, sive ad majores ordines, absque eo quòd sequatur statim dicta collatio ad præscriptum prædicti concilii Tridentini loco superiùs citato, incurrerentur pœnæ tam contra ordinatum quàm contra ordinantem alienum clericum inflictæ, et quoad ordines sacros intraret constitutio Pii II, quæ incipit, *Cum ex sacrorum.* Et cùm aliàs quidam clericus Neapol. familiaris triennalis episcopi Nicoteren. bonâ fide ab eo fuisset ordinatus ad subdiaconatûs et diaconatûs ordines ad titulum patrimonii, et in dictis ordinibus aliquoties ministrâsset, à sacrâ congregatione concilii petiit absolutionem et dispensationem, et eminentissimi Patres, bonæ fidei hujusmodi ratione habitâ, suspensionem eidem remiserunt, ac absolutionem et dispensationem super irregularitate concesserunt, dummodò se examini in civitate Neapolitanâ se subjiceret pro illius idoneitate, quoad susceptos ordines, constito de congruo patrimonio. Die 11 junii 1611.

CAPUT VI.

Praxis sequitur clausularum ejusdem.

VEL CUM LITTERIS DIMISSORIALIBUS ORDINARII SUI. — Hæc clausula, ut ait Mandos., in Praxi signat. grat., titul. Licentiâ ad ordines, vers. *Si tamen,* cùm apponitur in litteris de promovendo, plures tollit abusus, quia solent infames et imperiti loca propriæ nationis declinare, et ad alios ordinarios confugere, à quibus sæpe ea quæ à propriis ordinariis obtinere non possent, extorquerent. Unde nullus episcopus potest alienum subditum sine prædictis litteris dimissorialibus ad ordines promovere; quare etiamsi nuntius apostolicus promoveat ad ordines sacros suæ provinciæ clericos absque facultate Sedis Apostolicæ, ipse et ordinati incurrunt pœnas impositas à sacro concilio Tridentino, sess. 23, cap. 8, prout declaravit ipsius concilii sacra congregatio in unâ Taurinen., 16 aprilis 1633.

Quo verò ad primam tonsuram, vicarius Urbis habet facultatem conferendi eam exteris, maximè curialibus, ut habetur in unâ Colimbrien. reservatoris fructuum penès Seraph. decis. 1292, n. 3, ubi dicitur quòd hoc quotidiè practicatur, prout ego non semel observavi, et promoto dantur litteræ tenoris sequentis, videlicet:

Frater Antonius Barberinus, miseratione divinâ tituli S. Petri ad vincula S. R. E., presbyter cardinalis S. Honuphrii nuncupatus; sanctiss. dom. nostri Papæ provicarius generalis, Romanæque Curiæ, ejusque districtûs judex ordinarius; universis et singulis præsentes nostras litteras visuris, lecturis pariter, et audituris, notum facimus et attestamur admodùm illustrem et R. D. D. Joannem Baptistam Alterium episcopum olim Camerinensem, nostrûm vices gerentem, Romæ die veneris undecimâ mensis maii anni 1640, in ejus domo, et mansione, ordinationes particulares celebrando, dilectum nobis in Christo perillustrem D. Jacobum Galeottum filium q. domini Horatii et q. Bernardinæ conjugum Neapolitanum, etiam absque litteris dimissorialibus sui ordinarii, in vim facultatum nobis concessarum et confirmatarum, prævio examine, ab examinatoribus in urbe deputatis, idoneum repertum et admissum, clericali charactere insignivit, militiæ clericali aggregavit, eidemque primam clericalem tonsuram cum ceremoniis, juxta S. R. E. ritum et consuetudinem, ritè et rectè in Domino contulit. In quorum fidem, etc., *dat. Romæ hoc die 11 maii 1640; pontificatûs sanctiss. D. N. Urbani Papæ VIII anno ejus 14.*

Possunt eminentiss. domini cardinales suis familiaribus triennalibus dimissorias, ad ordines suscipiendos, ex consuetudine concedere, quamvis illis nec anteà nec statim postea conferant beneficium, prout declaravit sacra congreg. conc. sub die 22 januarii 1602, teste Barbos., in Collect. bull., verb. *Cardinalis,* fol. 56, vers. 5. Et istæ litteræ dimissoriales sunt in duplici differentiâ: aliæ enim sunt speciales, aliæ verò generales.

Speciales sunt, quando conceditur ordinando ut possit ab uno et certo episcopo promoveri; et tunc, si ab alio promoveatur, non juvabitur ordinibus per eum susceptis, ut ait Rebuff. in Praxi, tit. de Dimissoriis, num. 2. De quibus quidem specialibus dimissoriis, quoad hoc regnum Neapolis, emanavit decretum sacræ congregationis cardinalium pro negotiis jurisdictionis ejusdem regni, tam quoad concessionem prædictarum litterarum, quàm quoad alia in eodem decreto contenta, ad obviandum fraudibus et excessibus illorum, qui diversis artibus quærebant ordines perperàm suscipere; cujus quidem decreti tenor talis est:

Sacra cardinalium congregatio negotiis jurisdictionis regni Neapolitani præpositorum, justis gravibusque adducta causis, de S. D. N. Greg. XV speciali ordine, vivæ vocis oraculo, desuper habito, expressè percipit, et mandat omnibus et singulis ejusdem regni archiepiscopis, et episcopis, et aliis inferioribus, legitimam facultatem habentibus, ut antequàm ad primam tonsuram, sive ad minores ordines aliquem promoveant, parocho, seu alteri, cui magis expedire videbitur, committant ut nominibus et desiderio eorum qui volunt promoveri, publicè in Ecclesiâ propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vitâ, à fide dignis diligenter inquirat, et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum committentem, quamprimùm transmittat, ad hoc, ut tam ex his, quàm ex aliis, ex sacro concil. Trident. præscriptis in cap. 3, sess. 23, de Refor., adhibendis diligentiis, sibi constet promovendos illis esse qualitatibus præditos, quæ per sacros canones idemque concilium requiruntur; quod, et observetur in litteris dimissoriis concedendis, in quibus exprimatur præfatas diligentias præcessisse. Dictæ autem litteræ dimissoriæ uni tantùm et certo ordinario, ad electionem concedentis.

in posterum dirigantur, et pluribus directæ sint nullæ. Prædictaque vult inviolabiliter observari, donec aliud fuerit ordinatum. Si quis verò contra formam præsentis decreti fuerit ad primam tonsuram, sive ad minores ordines promotus ab executione collati et susceptione superioris ordinis perpetuò suspensus sit eo ipso, et ulteriùs condignis pœnis puniatur. Ordinans verò, vel dimissorias concedens, ultra divinam ultionem, quam incurret, à collatione ordinum per annum suspensus sit eo ipso. Præterea iisdem ordinariis injungit ut decreta per sacros canones, sacrumque concilium Tridentinum, et Apostolicas constitutiones, quoad delationem clericalis habitûs, et tonsuræ, servitiumque Ecclesiæ præstandum, ita curent per hujusmodi clericos observari; et in eos qui contra fecerint, statutis per ea pœnis, animadvertere, ut ipsi nequeant de damnabili circa hoc negligentiâ redargui. Romæ, decimo kal. julii 1623.

Octavius card. Bandinus.

Laurentius Campegius, secret.

Ad præscriptum verò supra dicti decreti, formula dimissorialium litterarum talis esse potest, videlicet : *Nos, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ episcopus, N. dilecto nobis in Christo N. N. salutem in Domino, ut à perillustri et reverendissimo episcopo N. in propriâ diœcesi residente, vel in alienâ, de diœcesani loci licentiâ, pontificalia exercente, primâ clericali tonsurâ initiari, et ad quatuor minores ordines in temporibus ad id à jure statutis, promoveri possis et valeas, antistiti præfato licentiam desuper, et facultatem in Domino concedimus et impartimur; stante quòd tuo nomine et desiderio publicè in nostrâ cathedrali ac tuâ parochiali ecclesiis, propositis, factâ que diligenti inquisitione, juxta formam sacri concilii Tridentini, ac decretorum S. congregationis compertum est, te esse legitimis natalibus ortum, in ætate legitimâ constitutum, bonâque vitâ, et moribus esse præditum, non inquisitum, non contumacem, nec ullo censurarum vinculo, quod nobis innotescat, innodatum, sed habere omnes qualitates requisitas juxta sacrorum canonum, ejusdem sacri concilii dictorumque decretorum ejusdem sacræ congregationis præscriptum; prout ex actis nostræ curiæ episcopalis constat. Dummodò prævio examine quoad doctrinam, ad id idoneus repertus fueris, super quo tuam et prædicti episcopi conscientiam oneramus. Et in præmissorum fidem*, etc.

Hic verò silentio prætereundum minimè duximus abusum quemdam desuper irrepsisse, per quem certum est, à formâ prædicti decreti plurimùm recedi, quando quidem eo cautum est, quòd supra dictæ litteræ dimissoriæ, uni tantùm et certo ordinario ad electionem concedentis in posterum dirigantur; unde non videtur ipsi decreto satisfactum, si ordinarius dimittens concedat ordinando præd. litteras, relicto in albo quovis prætextu, vel causâ nomine episcopi ordinantis, prout sæpè vidimus, ut sic idem ordinandus postmodùm ad suî libitum, in eodem albo nomen episcopi ordinantis scribat, undè fit, quòd iste episcopus, non ab episcopo dimittente, sed ab ipsomet dimisso eligitur, contra formam supra dicti decreti; quare supra dicti non videntur immunes à pœnis in eo, et de mandato Papæ inflictis, ibi : *Si quis contra formam præsentis decreti*, etc.

Et cùm anno 1626 quæsitum esset an prædicto decreto, comprehenderentur fratres ordinis Minorum sancti Francisci, capuccini nuncupati, in dicto Regno Neapolitano, pro tempore de familiâ commorantes; fuit sic responsum : *Sacra congregatio cardinalium negotiis regularium præposita, censuit decretum, ut supra editum ad capuccinos, aliosve regulares non pertinere; Romæ, die* 27 *julii* 1626.

Laud. card. S. Sixti.

P. Fagnanus. secret.

Aliæ verò sunt litteræ dimissoriales generales, nempe cùm episcopus dimittit subditum suum ordinandum à quocumque antistite, sicut servatur per totum ferè orbem, ut ait Rebuff. in suâ Praxi benef., in tit. Form. litter. dimis. Vel etiam generales dici possunt respectu ordinum suscipiendorum, quia conceduntur ad minores et majores ordines, id. Rebuff., eod. tit., vers. *Vel etiam sunt general.*

Ab hujusmodi tamen litterarum dimissorialium concessione, excipiuntur inferiores prælati, nisi illis à Sede Apostolicâ fuerit id desuper specialiter indultum, ut habetur in d. c. *Cùm nullus*, § *Inferiores*, de Temp. ordin. in 6, vel eis id competeret ex consuetudine, ut per Glossam in d. § *Inferiores*, verbo *Indultum*, dummodò hæc consuetudo fuerit legitimè præscripta, d. § *Inferiores*. Hoc enim jus est præscriptibile, sicut alia jura episcopalia; dummodò adsint requisita, notata per Innocent. in cap. *Bonæ*, de Postul. præb., et in c. 2, de in integrum Restitut. Campan. in divers. Jur. can., rubr. 9, cap. 6, num. 2.

Vicario autem generali episcopi non competit hæc facultas, nisi episcopo in remotis agente, ut per d. Rebuff. in Praxi in formâ vicariatûs, num. 47, Ugol. de Pot. episc., c. 4, § 7, vers. *Quintò dimissorias*, vel si talis vicarius ad hoc habeat speciale mandatum d. c. *Nullus*, § *Episcopo*.

Vicario capitulari, sede episcopali vacante, hodiè non competit supra dicta facultas, nisi elapso anno, ex decreto conc. Trid., sess. 7, c. 10, ubi decrevit, quòd non liceat capitulis eccles., sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas (ut aliqui vocant) tam ex juris communis dispositione, quàm etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione, arctatus non fuerit, concedere. Si secùs fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto; et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant; in majoribus verò, ab executione ordinum ad beneplacitum futuri prælati, sint ipso jure suspensi.

Quare restricta est hæc facultas, quoad capitul. ut nonnisi elapso anno, à die obitûs præsulis, possit hujusmodi litteras dimissorias concedere, cum limitationibus tamen supra dictis, etiamsi haberet territorium distinctum et exemptum ex immemorabili possessione;

ac etiam, si sint judices ordinarii. Quar. in Sum. bull., verbo *Capitulum sede vacante*, vers. *Decimò quæro.*

Quo quidem conc. decreto sic stante, quoad concedendas hujusmodi dimissorias, sufficit sola concessio ad incurrendam pœnam, licèt promovendus eis usus non fuerit; super quo declaravit S. congr. conc., his verbis : *Vicarius capitularis sede episcopali vacante, litteras dimissoriales ad ord. concessit infra duos menses à die vacationis. Verùm, cum is, cui concessæ litteræ fuerunt, eis usus non esset, dubitatum fuit, an pœna, c. 10, sess. 23, in hoc casu locum haberet, congregatio censuit concedentem incidisse in pœnam, licèt is cui concessit, usus non fuerit : nam actus fuit perfectus, quoad concedentem, ver quem non stetit.*

Non tamen erit idem dicendum de vicario sum. Pontificis, Sede Apostolicâ vacante, quia ipse non prohibetur etiam statim, post vacantem Sedem Apost. concedere dictas litteras, ex eo quòd conc. Trid. non restringit jurisdictionem dictæ sedis vacantis, ut per Majol. de Irreg. l. 4, c. 5.

Potest tamen capitulum concedere litteras testimoniales, quæ satis differunt à litteris dimissorialibus, faciendo testimonium, etiam idoneitatis ordinandi; nam ad hoc, ut quis possit ordinari ab alieno episcopo non sufficiunt istæ litteræ testimoniales, quas concedendo capitulum, seu vicarius capitularis, non dicitur concedere dimissoriales litteras, et sic non incurrit aliquas censuras quia non facit aliquod, sibi per dictum concilium prohibitum, ut ait Navar., cons. 27, de Temp. ord.; id. Quar., verbo *Ordo*, vers. *Tertiò limita.*

Has litteras dimissoriales, concedunt, etiam superiores regulares suis subditis, qui ordinandi sunt, servatâ tamen formâ traditâ per fel. record. Clementem Papam VIII, illius decreto super hoc edito, cujus tenorem hìc inserere placuit, qui talis est, videlicet :

De mandato sanctissimi D. N. Clementis, divinâ providentiâ Papæ VIII, tenore præsentium mandamus omnibus et singulis quorumcumque regularium superioribus, ut de cætero observent, et observari faciant ea quæ in decreto S. congr. conc. Trid. continentur, cujus tenor talis est : Congr. conc. censuit superiores regulares posse suo subdito, item regulari, qui præditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere ad episcopum tamen diœcesanum, nempè illius monasterii, in cujus familiâ, ab iis ad quos pertinet, is regularis positus fuerit, et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium episcopum, dum tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit, examinetur, quoad doctrinam; et dùm ipsi regulares non distulerint de industriâ concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes; verùm, cum à superioribus regularibus (episcopo diœces. absente, vel ordinationes non habente) litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ diœcesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse; quòd qui non fecerint, officii et dignitatis seu administrationis, ac vocis activæ et passivæ privationis, ac aliàs, arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent. Datum Romæ, die 15 martii 1596.

Et quia per dictum decretum, non ita plenè provisum erat super hoc, unde quandoque nonnulla inconvenientia circa hujusmodi ordinationes in dies oriebantur, propterea fuit illud per eamdem S. congregationem in aliquâ ipsius parte immutatum; ac propterea aliud postea emanavit decretum tenoris sequentis, videlicet :

Sacra congregatio cardinalium, concilii Tridentini interpretum censuit, superiores regulares posse suo subdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere ad episcopum tamen diœcesanum, nempè illius monasterii in cujus familiâ, ab iis ad quos pertinet, is regularis positus fuerit. Et si diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, et sive absens, alium suî loco antistitem qui ordinationes habeat, non adhibuerit; ita ut jam continuo integroque spatio sex mensium in eâ diœcesi, generales ordinationes habitæ non fuerint, sedes episcopalis vacaret, ad quemcumque alium episcopum, dùm tamen ab eo episcopo, qui ordines contulerit examinetur quoad doctrinam; et dùm ipsi regulares non distulerint de industriâ concessionem dimissoriarum in id tempus, quo episcopus diœcesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verùm, cùm à superioribus, episcopo diœcesano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in ejus utique causam absentiæ diœcesani episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod si regulares ordinandi morentur in monasteriis nullius diœcesis, hujusmodi dimissorias concedendas esse ad episcopum viciniorem, in eoque procedere omnia quæ de episcopo diœcesano superiùs præscripta sunt.

Hieronymus cardinalis Pamphilius.

Porrò hujusmodi dimissoriæ ad ordines, durant etiam mortuo episcopo concedente; card. in Clem. fin. p. 5, num. 9, in fin. de Elect.; Gonz. ad reg. 8, cancell. gloss. 12, num. 36. Ratio enim est quia hujusmodi litteræ continent meram gratiam, quæ non expirat morte concedentis; sicut etiam dicendum est quoad delegationem et commissionem jurisdictionis ad absolvendum, quæ neque expirant ex supra dictâ ratione, Garc. de Benef. p. 6, cap. 2, num. 321.

Sic etiam si concedantur à capitulo, sede vacante, sicut aliæ concessiones et dispensationes ipsius capituli; sed potiùs sortiuntur effectum, finitâ potestate capituli, c. un. de Major. et Obed. in 6; id. Gonz., num. 37, cum plurib. seqq., ubi in proposito, more suo, plura congerit : nam finitâ ejus potestate per supervenientiam novi episcopi, non expirabunt, quia gesta à capitulo valida sunt, et durant si rectè gesta sunt, c. *His quæ*, de Majorit. et Obed., nisi tamen novus episcopus illa revocaverit, antequàm executioni mandata fuerint; cùm enim agatur de gratiâ factâ, illa non expirat; Quar., in verbo *Capitulum*, versic. *Secundò dubitatur.*

Sicut etiam dicendum est de indulto à Papa con-

cesso de suscipiendis ordinibus etiam extra tempora à jure statuta ; nam ipso Papâ mortuo adhuc illud durat etiam re integrâ, quia est gratia jam facta, quæ non est directa alieno executori, sed ipsi oratori, et proinde neque intrat regula revalidatoria novi Pontificis, quia illa loquitur de litteris justitiæ vel gratiæ, quæ habent suos executores. Gonz. glos. 12, num. 51, et ita passim servatur.

Debebit tamen episcopus ordinans, semper inspicere, à quanto tempore fuerint dictæ litteræ dimissoriales concessæ, sicut faciebat S. Carolus Borromæus archiepiscopus Mediolanen., qui in edicto de S. Ordinatione, in § *Afferant*, ait quòd hujusmodi dimissoriæ non debent esse vetustiores duobus vel tribus mensibus à die ultimæ ordinationis, computandis, nisi ob absentiam superioris, Zerol., in Praxi, verbo *Dimissoriæ*., vers. *Ad octavum*, p. 1, ubi assignat rationem, nempe, quia si superior esset præsens et ordinandus haberet dimissorias veteres, poterit interim incidisse in aliquam censuram, vel aliquod canonicum impedimentum, et sic esse inhabilis ad ordinem suscipiendum. Si verò superior abesset, vel ipse ordinarius esset in longinquis regionibus, potest accidere, et probabiliter credi, intercessisse tantum temporis curriculum, absque aliquo defectu, ut optimè concludit Navar., conf. un. de Cleric. peregr., ubi ait, quòd, si magnum intervallum interfuit inter dimissorias ad presbyterium et illius assumptionem, satis videretur egere novâ dimissoriâ quoad hoc, ut justè possit et debeat reputari non impeditus ad celebrandum ; quia testimonium tacitè datum de moribus ejus, per licentiam accipiendi presbyterium longè antequàm illud acciperet, non videtur probare mores præsentes. Unde nec dimissoria quâ episcopus proprius significaret dimissum esse probatis moribus, videtur sufficere, si multo tempore antea fuisset concessa.

Et sicut pro concedendis dimissoriis hujusmodi, nihil potest episcopus, neque cancellarius recipere, ut per d. concil., sess. 11, cap. 1, statutum est, nisi decimam partem unius aurei, ubi ipsi cancellario, salarium non est assignatum, ita nec episcopus ordinans, attentâ declaratione sacræ congregationis ejusdem concilii, potest ab ordinandis accipere, neque forbices, neque tobaleas aut pectines, sed tantùm cereum juxta pontificale Romanum, ut refert Genuen. in suâ Praxi, c. 81, n. 8.

A QUOCUMQUE, etc., CATHOLICO ANTISTITE, GRATIAM ET COMMUNIONEM, etc. — Hæc quidem verba puto desumpta ex c. *Veniens*, ibi : *à Vesprimen. episcopo postulabit, siquidem catholicus fuerit, et gratiam Sedis Apostolicæ habuerit*, de Præscrip., ubi notat Glossa in d. verbo *Gratiam*, quòd episcopus non sit excommunicatus, suspensus et interdictus. Et antiquitùs cùm supra dicta verba non apponerentur in supplicatione, nihilominùs in eâ semper addebatur ab officialibus clausula : *Et promoveatur per aliquem catholicum antistitem, gratiam et communionem Sedis Apostlicæ habentem;* declarat etiam supra dicta verba Glossa in c. *Quod sedem*, § *Consultationi*, et Glossa in verbo *Gratiæ*, de Offic. ordin.; Mandos. in Praxi sign. grat., tit. *Licentiæ ad Ordines*, vers. *Additur*.

Clericis verò ritu Græco viventibus, non aliter quàm sub formâ infra scriptâ datur hujusmodi indultum de promovendo etiam extra tempora, videlicet :

Innocentius, etc. *Volentes tibi, qui ut, asseris, ex diœcesi Hidruntin. oriundus existis, ac in diœcesi Neritonen. ab octo annis contracto ibi domicilio commoraris, et Græcus, et ritu græco vivis, et doctor existis, et fervore devotionis*, etc. *ad omnes sacros etiam presbyteratûs ordines ad titulum patrimonii tui seu perpetui simplicis beneficii ecclesiastici*, etc. *promoveri et promotus*, etc. *Tibi, attento, ut præfertur, in diœcesi Neritonen. contracto ibi domicilio commoraris, et venerabilis frater noster Fabius episcopus Neritonen. munere nostri, et Apostolicæ Sedis nuntii in partibus inferioris Germaniæ fungens, à suis civitate et diœcesi procul absit, ut cum litteris dimissorialibus*, etc. *Vicarii ejusdem Fabii episcopi in spiritualibus generalis, ab aliquo antistite Græco, gratiam et communionem*, etc., *de diœcesani licentiâ pontificalia exercente per te eligendo, clericali charactere*, etc. *ac ad quatuor minores, quatuor feriatis, vel non feriatis, seu unicâ, ac subinde ad sacros*, etc., *etiam presbyteratûs*, etc., *etiam extra tempora*, etc., *idoneus reperiaris, ritu græco promoveri, et promotus*, etc., *ministrare, nec non antistiti græco per te eligendo*, etc., *Dat.* etc. 31 *ianuarii* 1647.

M. A. Maraldus

DE DIŒCESANI LOCI LICENTIA PONTIFICIALIA EXERCENTE.— Quia nemini licet pontificialia exercere, nisi in propriâ diœcesi et jurisdictione, non autem extra, sine consensu ordinarii loci ; Gloss. magna, in Clem. archiepiscopo de privil. confirmata per concil. Trid. sess. 6, cap. 5, de Reform.; Ledesm. in Sum. p. 1, de Sacram. Ord., c. 8, conclus. 4, dub. 4.; Majol. de Irreg., lib. 2, c. 2, num. 2, ubi chyrotecas cum annulo baculum et caudatam vestem deferre non poterit, nisi eodem ordinario consentiente, sive sit patriarcha, sive archiepiscopus, sive episcopus.

Imò nec primam clericalem tonsuram potest episcopus in alienâ diœcesi suo subdito conferre, sine ejusdem diœcesani licentiâ ; quidquid dixerit Rebuff. in tract. Nomin., quæst. 14, num. 28, ubi ait, num. 29, quòd, sicut legatus existens extra terminos suæ legationis, potest beneficia conferre, quæ vacaverunt in provinciâ sibi commissâ, sic etiam episcopus, suis subditis tonsuram in alieno territorio concedit, quia cùm hæc sententia careat fundamento, nullo modo videtur posse practicari ; ac propterea omninò reprobanda ; Campan., in divers. jur. can., rubr. 6, cap. 1, num. 2.

Formula autem, sub quâ conceditur supra dicta licentia, talis esse potest, videlicet :

N. eminentissimi, et reverendissimi domini D. Francisci tituli SS. Quatuor Coronatorum S. R. E. presbyteri cardinalis Boncompagni, et archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus et temporalibus, vicarius, et officialis generalis, dilecto nobis in Christo N. clerico Neapolitano, in primâ clericali tonsurâ constituto, à quocumque illustri

et reverendissimo domino catholico antistite, gratiam et communionem sanctæ Sedis Apostolicæ habente, Neapoli commorante, ostiariatûs et lectoratûs ordines, servatis tamen temporum interstitiis, recipiendi, et antistiti prædicto, illos tibi conferendi, et hâc de causâ, pontificialia exercendi, de mandato tamen prædicti eminentissimi et reverendissimi D. cardinalis archiepiscopi, facultatem concedimus et impartimur; attento quòd de omnibus requisitis necessariis, in actis hujus archiepiscopalis curiæ constare fecisti; ac prævio examine, quoad doctrinam coram admodùm reverendis examinatoribus, peracto, idoneus repertus fuisti. Volumus autem quòd bullæ collationis supra dictorum ordinum scribantur per infra scriptum nostrum actuarium. Dat. in palatio archiepiscopali Neapolitano, die, etc.

De mandato eminentiss. D. mei card. archiep. Neap.
N. vic. generalis.

Et in calce supra dictæ licentiæ fit fides episcopi ordinantis de collatione supra dictorum ordinum; formula supra dicta poterit etiam deservire, si contingat hujusmodi licentiam concedi pro exteris, mutatis mutandis.

Quòd si contingat episcopum ordines conferre in loco exempto, non solùm requiritur licentia superioris loci exempti, verùm etiam illius episcopi intra cujus fines locus exemptus est constitutus, Barbos. de Potest. episcop., p. 1, alleg. 4, n. 12.

In temporibus a jure statutis, intra tamen annum, annique curriculo non exspectato.—Ad differentiam alterius facultatis de promovendo, extra tempora à jure statuta, ut supra diximus. De minoribus ordinibus nullum penitùs tempus præfixit supra dictum concilium Tridentinum, ac propterea, licèt omnes simul unâ die conferri possint, ut per Gloss. in cap. 2, in verbo *Minores*, de eo qui furt. ordin. suscepit; card. in Clem. *Generalem*, n. 5, de Ætat. et Qualit.; Barb., d. alleg. 11, n. 13, nec si simul conferantur extra tempora, aliqua pœna incurritur, quia constitutio Pii II non comprehendit clericos ad minores ordines promotos, sed tantùm ad sacros, ut rectè deprehenditur ex illius procœmio, cujus verba sunt: *Cùm ex sacrorum ordinum collatione*, etc.; Rebuff. super reg. cancell. 23, vers. *Item cupiens*, ubi testatur sic de consuetudine servari; sicut neque obstat constitutio Sixti V, quæ incipit: *Sanctum et salutare*, quia illa fuit reducta per Clementem VIII, ad viam juris, Mandos. sup. reg. 24, de malè Promotis, q. 1, ubi ait quòd supra dicti quatuor minores ordines possunt simul extra tempora recipi, Rebuff. sup. reg. 23 cancell., vers. *Item cupiens*, et cùm nulla exinde incurratur pœna, vidi nonnullos episcopos ordines supra dictos ita contulisse; sic ut nec incurreretur aliqua pœna, si primam tonsuram et omnes quatuor ordines minores unicâ tantùm die ex consuetudine conferrent: quinimò etiam dictâ consuetudine possunt ipsi quatuor minores et prima tonsura ipsa unicâ die conferri, nec proinde aliqua pœna seu irregularitas incurreretur aut contraheretur; quò verò ad prædictos ordines suscipiendos, prima tonsura non habet aliquod tempus determinatum; sed in omni tempore potest conferri ex allegatis per eumdem Barbos., l. cit., n. 19. Quatuor verò minores sunt conferendi eodem tempore quo ordines sacri conferuntur, et sic in quâlibet Dominicâ seu festivâ die de præcepto; quo verò ad locum ubi dicti quatuor minores sunt conferendi, dicendum est illos conferri posse in quâcumque ecclesiâ, licèt non sit cathedralis, dummodò sit in diœcesi propriâ, vel in alienâ de diœcesani licentiâ, vel etiam in domo episcopali, imò etiam non episcopali, si ita se habeat consuetudo, prout ait Campanil., in d. Divers. jur. can., rubr. 6, c. 2, num. 17, ubi ait quòd ita non semel servari vidit, quem refert idem Barbos., l. cit., num. 20.

Aliud tamen dicendum est de sacris ordinibus, namque concilii Tridentini decreto sessionis 23, capitulo 8, de Reformatione, eautum est ut illi conferantur in ecclesiâ cathedrali, quamvis de consuetùdine illis possit episcopus conferre in quâvis aliâ ecclesiâ, et ibi etiam dicitur quòd si in alio diœcesis loco præsente clero, loci dignior, quantùm fieri potest, ecclesia semper adeatur, quare alibi non possunt prædicti ordines sacri conferri; unde nimis incautè nonnullos episcopos scio supra dictos ordines contulisse in privato proprii palatii oratorio: nam licèt nulla proinde pœna incurratur, nihilominùs agunt contra dispositionem dicti concilii, cùm ex illo debeant conferri in ecclesiâ, et aliàs S. congregatio concilii, cùm sibi propositum esset quòd quidam episcopus conferebat ordines sacros aliquando in capellâ sui palatii, respondit: *Ad decimum*, etc., *sacrorum ordinum collationes in cathedrali ecclesiâ vocatis, ac præsentibus ad id ecclesiæ canonicis, publicè celebrari debere*, quam declarationem refert Garc., de Benef. p. 8, capitulo primo, num. 77, in fine.

Laudabilius tamen est, à prædictorum minorum ordinum collatione, sic, ut præmittitur, abstinere, nisi immineret necessitas vel alia urgens causa, episcopo benè visa; ita Macerat., var. Resol. lib. 1, resol. 121, casu 26, ubi etiam ait hoc suaderi ex illis verbis concilii Tridentini, sess. 3, cap. 11, videlicet: *Atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate, vitæ meritum et doctrina major* accrescat; ac propterea, putat, neque laudabiliter facere episcopos, qui, si non in eâdem die, saltem in diversis diebus, sed in unâ hebdomadâ, vel mense, illos conferunt; cùm cesset in hoc casu etiam prædicta ratio concilii, et dicatur in continenti fieri ob interventum brevis temporis. Id. Barb., loc. cit., num. 14

Sed cùm non sit in jure determinatum, quonam tempore minores ordines conferri possint, eò magis Papa indulget oratori ut illos, unicâ die feriatâ vel non feriatâ suscipiat; prout aliquando concedere consuevit, ut possit quis unicâ item die primam clericalem tonsuram et dictos quatuor minores ordines insimul habere; quia nec de primâ tonsurâ, reperitur determinatum tempus ad illam suscipiendam; Armill. in verbo *Ordo*, num. 7; Henriq. lib. 10, cap. 15, § 1.

Quo verò ad majores ordines, clarum est illos conferendos esse servatis temporum interstitiis, nempe uno anno elapso post susceptionem ultimi minoris, ad

subdiaconatum, et sic ad diaconatum, post annum, et post alium ad presbyteratum, ex d. concil., sess. 23, cap. 11, 13 et 14. Quæ quidem interstitia ad hoc statuta sunt ut interim ordinandi commodiùs edoceri possint, quantum sit pondus et dignitas ordinis quem susceperunt, etc., ex eod. concil. Trid.

Nec non ordinario, etc. — Ista clausula, licèt apponatur de stylo in supplicatione, nihilominùs, si omitteretur, illius omissio non vitiaret rescriptum, quia, et oratori et ordinario supra dictis ex vi connexionis videtur data licentia ordinandi, eo ipso, quòd ipsi oratori datur licentia recipiendi ordines ab eodem episcopo; nam conferre ac suscipere, sunt correlativa quorum eadem est regula ac ratio, Franc., in cap. *Eos qui*, de Tempor. ord.

Non obstante quod tempore promotionis, etc. — Nisi apponeretur clausula ista, posset oratori adversari decretum conc. Trid., sess. 23, cap. 11, quo cavetur ut in minoribus ordinibus, debeat promotus se exercere, sicut etiam in majoribus, d. sess. 23, c. 13, ubi promoti ad subdiaconatûs ordinem, si in eo per annum saltem non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, ascendere non permittuntur. Ratio autem est quia interim ordinandi commodiùs edoceri poterunt, quantum sit ordinum quos suscipiunt pondus et dignitas; Ugol., de Potestate episcop., cap. 26, § 27, num. 2, ac juxta illud: *In vacuum gratiam Dei non recipiatis;* Majol. de Irreg., lib. 3, n. 1, cap. 27, ubi subdit, quòd si quis in sacris ordinibus positus, nunquàm deservierit, non erit tam facilè admittendus ut ascendat, nisi priùs causa cognoscatur, quare non deservierit an per negligentiam, aut quia vagus, aut quid simile.

Eximuntur tamen ab observatione supra dictorum decretorum, Patres societatis Jesu, nempe viatores omni tempore parati, exspectantes diem et horam quâ vel ad extremas orbis regiones, cùm venerit usus, emittuntur, et quisque pro suo captu, et juxta datam sibi à Domino sapientiam, sese in viâ Domini excolendâ exerceat, prout in litteris in formâ brevis Gregorii XIII, incipit: *Pium et utile*, sub datam Tusculi, die 21 sept. 1582, anno 11, qui propterea, præcipiendo omnibus episcopis et antistitibus, in perpetuum interdicit ne ab hujusmodi promovendis, qui licentiam à proposito generali dictæ societatis, pro tempore existentes, vel ejus delegatis, habuerint, quidquam requirant, vel exigant, sed ipsos etiam absque ullâ functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos, observatione aut inquisitione de cantu, officiis et cæremoniis ecclesiasticis, idoneitate, proprii ordinarii licentiâ, et aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure statuta, tribusque Dominicis vel aliis festivis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam presbyteratûs ordines promoveant, ac si illis omnibus requisitis prædíti essent, etc.

Aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis. — Ista clausula, licèt passim apponatur in rescriptis Apostolicis, tanquàm necessaria ad tollendum præcedentem dispositionem derogatoriam subsequentis voluntatis, per ea quæ dicit Bart. in I. *Omnes populi*, num. 31, vers. *E contra*, ff. de Just. et Jur., non tamen necessariò requiritur pro derogatione supra dicti concilii Tridentini, præscribentis interstitia ad ordines; cùm satis sit quòd Papa contra ipsius concilii decreta, absque aliquâ illius derogatione, disponat, quamvis aliter dicendum sit de aliis conciliis generalibus, in quibus expressa requiritur derogatio, ut aliàs diximus; sed supra dicta clausula tollit cætera quæ huic dispositioni forsan adversarentur.

Nunquàm enim vidimus alicui contrariæ constitutioni in similibus expressè derogari, præcipuè circa supradicta interstitia, licèt id tantùm servetur in promotionibus ad cardinalatum, in quibus pluribus contrariis constitutionibus derogatur in specie per hæc verba, videlicet: *Non obstantibus fel. record. Sixti Papæ V, de certo cardinalium numero, et de illis, non nisi in jejuniorum decembris, temporibus tantùm creandis, ac Eugenii IV similis memoriæ Romanorum pontificum, et aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, etiam forsan consensu omnium cardinalium etiam absentium, illis priùs ad hoc specialiter vocatis, atque ad certum tempus exspectatis, vel majoris partis eorum collegialiter habito, in card. creatione intervenire consuetis.* Et, si cardinalis creandus fuerit alterius cardinalis consanguineus, vel affinis, additur: *Necnon ipsos cardinales creandos celsis aliis qualitatibus præditos, nec secundo, vel altero consanguinitatis vel affinitatis gradu, cum aliis cardinalibus conjunctos esse debere; alioquin eorum creationem nullam censeri debere, disponentibus.*

Derogatio autem supradictæ constitutionis Eugenii IV (quod per transitum dictum sit) in ipsâ cardinalium creatione plurimùm videtur necessaria; illiusque omissio in aliquâ parte posset aliquam circa id hæsitationem afferre: quia, ut refert Tusc., in suis pract. Conclus., conclus. 98, aliquando fuerunt declarati cardinales, etiam post obitum summi Pontificis; nam Paulus II creavit quatuor cardinales, videlicet Joannem archiepiscopum Strigoniæ, Petrum Foscarum Venetum protonotarium, Joannem Baptistam Sabellum protonotarium, Federicum de Cluniaco protonotarium, ut essent cardinales S. R. E., statimque post obitum Pontificis publicarentur, supplevit omnes defectus ex certâ scientiâ, et de plenitudine potestatis; sed quia in specie non derogavit extravag. Eugenii IV, fuit dubitatum de promotione, an esset valida, et pro validitate consuluerunt, Alexand. cons. 111; Perspectis., lib. 6, et Corn. cons. 178, lib. 3. Paulus III creavit similiter Bernardinum della Cruce, qui post mortem Pontificis præsentavit suum breve, et collegium cardinalium non admisit, sed et breve prædictum laceravit, et ab inde citra abiit in desuetudinem hic modus creandi cardinales, qui reverà posset afferre magnam perniciem, et maximum scandalum in Ecclesiâ Dei.

Si verò ad rem nostram, in hujusmodi indulto de promovendo, addatur aliqua dispensatio oratoris super aliquo impedimento, ad dictos ordines suscipiendos,

derogabitur profectò in specie constitutioni vel ordinationi contrariæ, si ita opus erit.

CAPUT VII.

Praxis decretorum ejusdem.

ET DUMMODÒ ORATOR IDONEUS REPERIATUR. — Id non solùm intelligitur de scientiâ, verùm etiam de natalibus, ætate, moribus aliisque in prædictâ formulâ litterarum dimissorialium contentis, et ad præscriptum supra dicti concilii Tridentini, sess. 23, cap. 5, de Reform. ibi, *de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vitâ; ac insuper genere, institutione, patriâ et fide, ut* in capite Quandò, 24 dist.

Et quoad primam tonsuram, servatur in curiâ archiepiscopali Neapolitanâ, ut cùm quis petit ea initiari, mandet archiepiscopus, ut initiandus, exhibeat pro necessariis requisitis, infra scriptas attestationes, quarum prima est legitimorum natalium, facienda per illius parochum; secunda ejusdem parochi de vitâ et moribus; tertia magistri scholæ in quâ educatur, et quòd ibi vacet litteris grammaticalibus, ibique sit assiduus; quarta ejusdem parochi de Baptismate; quinta confirmationis, quæ debet esse authentica facta à compatrino, sin minus stabitur juramento ipsius initiandi accipiendo per notarium dictæ curiæ, seu alium ad id deputandum; sexta perquisitionis factæ in magnâ curiâ vicariæ, in quâ appareat ipsum non esse inquisitum, aut contumacem; septima frequentiæ sacramentalis confessionis et communionis per illius confessarium; octava publicationis in cathedrali et parochiali ecclesiâ.

Quo verò ad scientiam, habetur in supradicto concilio, quòd primâ tonsurâ non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint, quique legere et scribere nesciant, et fidei rudimenta edocti non fuerint, sess. 23, cap. *M*.

Requiritur etiam quòd sit in ætate legitimâ constitutus, nempe septem annorum completorum, cap. fin. de temp. Ordin., in 6, cap. *Cùm adeò*, de Rescrip.; Rebuff. in Praxi, titulo de Dispens. rat. ætat., in princip.; Paris. de Resign. benefic., lib. 4, q. 2, n. 9, dictam tamen primam tonsuram recipiens ante dictum septennium, non peccat mortaliter, si nondùm pervenit ad usum rationis; episcopus autem, qui ante dictam ætatem conferret, peccaret mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi, Barbos., de Potest. episc., allegat. 11, num. 3. Et licèt quoad alios ordines minores suscipiendàs nulla sit præscripta ætas, attamen ex communi usu Ecclesiæ conferre consueverunt, videlicet ostiariatus et exorcistatus in ætate duodecim annorum, acolythatus verò in quarto decimo anno, ut ex Campanil in Divers. jur. can., rubr. 7, cap. primo., per. tot., quem sequitur id. Barbosa, loco cit., n. 2, qui numero 1, ait supra dictam ætatem septem annorum completorum sufficere etiam quoad tres primos minores, quamvis aliud servetur, ut dictum est.

Ad minores ordines promovendus, intelligere debet saltem linguam latinam ac bonum à parocho et magistro scholæ testimonium de litteris et moribus habere, ex d. conc. Trid. sess. 23, cap. 5 et 11, quæ quidem latinitas non rectè capi potest, nisi maternas seu vulgares compositiones latinè verterit per omnes regulas grammaticales, et audierit aliquot lectiones humanitatis; quia tunc intelligitur lingua latina aliquantulùm, ut ait Zerol. in Praxi, verbo *Ordo*, vers. *Secundum dubium*, p. 1, ex concilio quidem desumitur, quod majorem scientiam linguæ latinæ admittit, propter illam dictionem, *saltem*, quæ de suî naturâ est subsidiaria, nec restringit quod expressum est, sed majus includere intendit, per text. in cap. *Excommunicatus*, § *Addamus*, de Hæret.

Advertit tamen, Menoch., de Arbitr. jud., casu 425, n. 58, arbitrari posse episcopum magis expedire Ecclesiæ, si alicui conferat ordines min., qui licèt adhuc linguam latinam non intelligat, est tamen bonæ indolis ac pro ætate docilis, quia illitteratus puer dici non debet qui pro ætate didicit, quique ostendit se proficere, Barbos., p. 2, alleg. 11, num. 6.

Ad subdiaconatûs et diaconatûs ordines, requiritur quòd probè sit in minoribus versatus, et in illis benè instructus, d. sess. 23, cap. 13.

Ad presbytetatum verò promovendus, requiritur, quòd possit populum docere ea quæ ad salutem necessaria sunt, d. sess. 23, cap. 23, ac quòd sciat canones pœnitentiales, cap. *Quæ ipsis*, dist. 38.

Debet propterea animadvertere episcopus an promovendus ab initio ostendat suam habilitatem, ut possit tantùm proficere, quòd sit spes, tempore procedente, se futurum habilem ad omnes ordines suscipiendos; sunt enim nonnulli, qui primâ tonsurâ se faciunt initiari, et aliquando ordines, etiam minores suscipiunt, in quibus postea remanent, sine ascensu ad sacros, dicentes id facere ad imitationem aliquorum sanctorum, qui ob suam humilitatem, noluerunt sacros ordines suscipere; quod licitè fieri posse affirmat Nav. in Man., cap. 25, n. 108, cùm tamen id expressè neget Zerol., in Prax. episc., verbo *Ordo*, vers. *Primum dubium*, p. 1, si id fieret, causâ vitandi judicii secularis, ex eod. Navar., de Hor. can., cap. 7, num. 16, dicente, magnâ laude dignos esse episcopos, qui primam tonsuram et quatuor minores ordines non conferunt, nisi ei qui per se si fuerit adultus, aut per parentes si puer, juraverit se velle ad minores ordines ascendere; nam multi sunt qui, ut deludant utrumque forum, solùm accipiunt minores ordines vel primam tonsuram, ut laxiorem ducant vitam, nec in hâc præsertim civitate, desunt hujus farinæ homines qui pro eâ fraude divinam ultionem severiorem sibi et ordinatoribus suis conciliant.

Negari tamen non potest quin cessante fraude hujusmodi possit quis in minoribus ordinibus remanere, si vellet servire Deo, contentus illo statu minorum ordinum, id. Zerol., d. p. 1, vers. *Primum dubium*, et supra diximus.

Licèt enim multi clerici ordinentur ad hoc, ut eximantur à foro seculari, sintque immunes à gabellis aliisque impositionibus; nihilominùs, si secùs episcopus deprehendat, ac probabilem esse conjecturam,

illos huic militiæ adscribi, ut Deo promptiùs exhiberant famulatum, profectò non poterunt domini temporales, sive barones conqueri quòd omnes ferè cives fiant clerici; etiamsi non habeant animum ascendendi ad ordines superiores, ut dictum est, ita concludit Navar., d. cap. 25, num. 104, licèt aliud dicendum sit de clericis beneficiatis, qui ratione suorum beneficiorum, tenentur juxta illorum qualitatem, ad dictos superiores ordines ascendere, et ad id compelli possunt.

Atverò cùm idoneitas ordinandi, quoad doctrinam, fuerit nota episcopo, nihil obstat quin idem possit, si ita sibi videbitur, absque aliquo examine, illum ordinare; quia vigore supra dicti decreti, dummodò orator idoneus reperiatur, non inducitur conditio, ut debeat omninò examinari; cùm totum id caveatur decretis supra dicti concilii, etiamsi decretum ipsum non fuerit in supra dictis litteris appositum; quod virtute dicti concilii tacitè inest, argum. text. in capite *Præsentium*, de Solut., et sic expressio eorum quæ tacitè insunt, nihil operatur, l. *Conditiones*, quæ ff. de Condit. et Demonstr.; cùm enim dicitur hìc : *Dummodò idoneus reperiatur*, non propterea inducitur conditio seu forma, annullans actum, ob illius non observantiam, sed liberè poterit episcopus omittere examen, si oratoris doctrina sit aliàs eidem episcopo nota; unde videmus in Romanâ Curiâ, multos viros, quorum doctrina cognita est vicario summi Pontificis, non supponi examini, sicut cæteri ordinandi, sed illos, tanquàm idoneos reputatos, permittit ad omnes sacros, etiam presbyteratûs ordines, promoveri; quia novâ demonstratione non indigent, quæ jam demonstrata sunt, l. 1. ff. de Dot. præleg., ubi dicitur quòd quidquid demonstratæ rei adjicitur satis demonstratæ, frustra est, et manifestâ non indigent probatione; l. *Emptorem*, et ibi Glossa in verbo *Manifestum*, de Act. empt. Imò etiam de jure habemus, quòd notus promoveri potest absque examine, quod aliàs in incognito requireretur, cap. *Qui episcopus*, junctâ glos. 2, 23 dist., cap. *Veniam*, vers. *Eustachium verò à me sæpissimè comprobatum*, 35, quæst. 9, cap. *Nullus*, 2, junct. Glos., ubi, quod potest notus absque examine ordinari, dist. 25. Nisi tamen, supra dictum examen requireretur pro formâ, ut dictum est; tunc enim illa non potest præteriri, Abb., in cap. fin. de Rest. spol.

Quamvis, quoad cæteras personas ad ordines promovendas, in ipsâ Urbe degentes, debeant omninò inibi examinari; quinimò contra tales hodiè viget quoddam publicum edictum à Paulo V emanatum, dum vicarii in spiritualibus generalis Clementis VIII officio fungeretur; quo cautum est ne quisquam clericus in dictâ Urbe, pro tempore commorans, etiam prætextu quarumcumque litterarum dimissorialium sui ordinarii, à quibusvis locorum ordinariis, extra dictam Urbem, se ad sacros ordines, nisi prævio examine, ab examinatoribus in ipsâ Urbe deputatis, sub suspensione ab exercitio eorumdem ordinum, ac aliis pœnis, approbatus fuerit, promoveri facere possit. Unde stantibus præmissis, si contingat aliquem sic promoveri, opus est rehabilitatione ac absolutione à prædictis censuris, et datur clausula, quòd remaneat ab ipsorum ordinum exsecutione, suspensus, donec per examinatores prædictos, prævio diligenti examine, fuerit examinatus ac idoneus repertus.

Cùm verò contingit episcopum dimittere clericum suum subditum ab alio episcopo ordinandum, vel ei dare debet litteras dimissorias cum mentione illius idoneitatis, vel erit ille examinandus ab episcopo ordinante; verum est tamen melius esse eum non dimittere nisi examinatum à proprio episcopo, quo casu non erit denuò examinandus ab episcopo ordinante, prout declaratum est à S. congregatione. Molfes. in Sum. theol. moral. tr. 2, c. 2, n. 21, dicens Sixtum V. auditâ sententiâ congregat. præd. declarâsse, quòd si episcopus litteras dimissorias concedens subditum examinavit, et in litteris dimissorialibus hoc affirmaverit, non tenetur episcopus ad quem ordinandus mittitur, illum examinare, nec inquirere super idoneitate et litteraturâ. Barbos. in Add., ad. alleg. 7, n. 26.

Et alicujus ecclesiæ servitio se adscribat. — Hocitidem cavetur concilio Tridentino, sess. 23. c. 11, 13, 14 et 16, dùm ibi dicitur, quòd *nullus debeat ordinari qui judicio episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*, etc , *et nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, ne incertis vagetur sedibus*, etc.

Eòque magis, cùm orator petit sic promoveri ad titulum patrimonii, quia in sess. 21, c. 2, dicitur quòd patrimonium vel pensionem obtinentes, ordinari posthàc non possint, nisi illi quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum, sicut aliàs diximus.

Si verò clerici essent absentes ab Ecclesiis, quibus adscribuntur; ac propterea illarum necessitatibus subvenire, aut aliquam utilitatem afferre non valeant, potest adhuc episcopus eis litteras dimissorias concedere, ut declaravit S. congr. concil., teste Garc. de Benefic. q. 2, cap. 5, num. 76, et taliter promoti, ac servitio Ecclesiæ in propriâ diœcesi adscripti, juxta decretum supra dicti concilii, si moram extra eam trahunt, non possunt ab illius episcopo compelli, et ad dictam diœcesim revocari ad inserviendum eisdem Ecclesiis, prout pluries per sacram congregationem concilii Tridentini fuit declaratum, et ad nonnullorum instantiam rescriptum episcopo Policastren. tenoris sequentis, videlicet:

Reverendissime domine, uti frater, S. Joannes Colastutus presbyter istius diœcesis, ad titulum patrimonii promotus, ac matrici Ecclesiæ adscriptus, nullum obtinet beneficium aut officium ecclesiasticum, quod personalem residentiam requirat; sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum, amplitudini tuæ injungit, ut permittat eum Neapoli commorari, quo de ejus licentiâ se dicit contulisse, et ubi bona, et consanguineos habet, undeve pater traxit originem; sed si quid est quod justè amplitudinem tuam ab hujusmodi licentiæ concessione abducat, id ad

sacram congregationem diligenter perscribito, et valeat in Domino. Romæ, die 12 *aprilis* 1620.

Ampl. Tuæ Reverendissimæ,

Uti Frater,

H. Cardinalis Lancellottus.

Eidem episcopo fuit pariter tenoris sequentis rescriptum, videlicet:

Reverendissime domine, uti frater, cùm actum esset in sacrâ congregatione cardinalium concilii Tridentini interpretum, in sacerdotes istarum ecclesiarum servitio in ordinatione adscripti, atque ob ipsarum ecclesiarum itidem utilitatem, vel necessitatem, ad titulum patrimonii promoti, ad sacros ordines tenerentur, cogive possint isthùc redire, atque eisdem ecclesiis inservire; illustrissimi Patres, istius negotii circumstantiis, singularumque personarum qualitatibus maturè perpensis censuerunt tres quidem ex iis, nempe Joannem Colastutum. Marcum Antonium Ciccolum, et Hieronymum Adatum, sinendos esse Neapoli commorari; similiter Antonium Bolutum, qui ab amplitudine tuâ institutus fuit in beneficio cum onere sex missas in hebdomadâ per se, vel per alium celebrandi, nequaquàm compelli posse ab amplitudine tuâ inservire, nisi eidem beneficio, quo intitulatus est, ad fundationis præscriptum. De reliquis verò quatuor presbyteris, censuerunt Patres, ipsis auditis, maturiùs esse deliberandum; sed interea eos teneri observare interdictum, ab ampl. tuâ promulgatum, atque à divinorum exercitio abstinere. Reliquum est ut ampl. tua sacræ congregationis sententiæ, quam nunc tenet, alacriter adhæreat, et benè valebit in Domino. Romæ, die 10 *junii* 1622.

Ampl. Tuæ Reverendissimæ,

Uti Frater,

H. Card. Ubaldinus.

Quinimò habetur quandoque recursus ad auditorem cameræ Apostolicæ cui præmissa exponuntur, et ab eo conceditur monitorium, cum inhibitione, directum omnibus et quibuscumque personis ecclesiasticis, quatenùs inhibeant omnibus qui supplicantem cogere voluerint ad sic residendum, ut sub pœnâ ducatorum quingentorum, et in juris subsidium, quatenùs opus sit, excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, debeant ab omnibus et singulis molestationibus, et impedimentis, dicto supplicanti illatis, ac inferri comminatis seu comminandis in futurum realiter et cum affectu abstinere; nec præsumant supplicantem ipsum alibi, præterquàm coram eodem auditore cameræ, vel ejus in civilibus locum tenente, molestare, perturbare, aut in judicium trahere quovis prætextu.

Ratio enim est quam supra adduximus; et sic non sunt ab episcopo denegandæ litteræ commendatitiæ sacerdotibus et clericis qui non habent beneficia residentiam requirentia; et etiam aliàs S. congregatio card. congreg. episcoporum decrevit episcopum non posse revocare subditos ecclesiasticos alibi degentes, nec eos cogere; sed tenetur litteras eis dare extra volentibus morari, si ratione beneficii non adstringerentur in suâ diœcesi residere, prout ait Campanil. in suo divers. jur. can., rub. 9, c. 6, n. 4; ubi ait se ita in causâ propriâ obtinuisse; quem refert Barb., de Pot. episc., alleg. 21, n. 5; ubi, num. seqq., ex eodem Campanil., quòd episcopus nec clericum potest cogere ad residentiam in diœcesi, si in eâ habet beneficium simplex; sed poterit ille ire quò voluerit. Ludovis., decis. 175, per tot.; Barb., d. alleg. 21, n. 6.

Quod patrimonium ad congruam ejus sustentationem, etc. — Licèt quantitas patrimonii quoad ordines nullibi reperiatur expressa, nec in ipso concil. Trid., tanta tamen debet esse, quòd ex illius fructibus seu redditibus valeat ordinatus commodè sustentari, quod est de mente ipsius concilii, sess. 21, cap. 2 de Refor.; circa quod versatur arbitrium ordinarii, ut est videndum apud Menoch., de Arbitr. jud., casu 380.

Nec propterea circa hoc attenditur nobilitas, vel alia qualitas ordinandi, quia tam dictum concilium quàm jus antiquum requirit tantùm sufficientiam ad se honestè sustentandum; adeò ut non cogatur mendicare; et ob id decens et honesta qualitas clerici attendenda est, non quasi sui particularis; Barbos., de Potest. episc., cap. 26, § 12, in princ.

Quoniam verò nonnulli ex clericis civitatis et diœcesis Neapolitanæ ad titulum minùs sufficientis beneficii fuerunt ab alienis episcopis promoti, habuerunt postmodùm recursum ad S. congregationem concilii pro opportuno remedio; ac proinde ipsa congregatio concessit, sub die 18 novembris 1611, archiepiscopo Neapolitano facultatem absolvendi duodecim oratores, ac cum eis dispensandi, et in pristinum statum restituendi, qui ab alienis episcopis S. ordines susceperunt, prætextu tenuis beneficii, ut ab eis ordinari possent in eorum diœcesibus obtenti, cum expressione nominum et cognominum eorumdem oratorum, qui adierunt primò summum Pontificem, remedium desuper postulantes: etiamsi postmodùm ipsi ministraverunt, et irregularitatem contraxerunt. Eidemque archiepiscopo, sub die 17 decemb. ejusdem anni 1611, præd. S. congreg. nomine summi Pontificis concessit similem facultatem absolvendi alios duodecim oratores à præmissis, et cum eis, ut supra, dispensandi; addito in his posterioribus litteris, quòd si adhuc alii adessent, qui egerent similibus absolutione et dispensatione, eamdem facultatem ipse Pontifex eidem archiepiscopo impartiretur.

Debet tamen ipse episcopus in arbitrando considerare non modò quantitatem reddituum ex dicto patrimonio proveniendorum, juxta tex. in c. *Episcopus*, et ibi DD. de Præb., verùm etiam locum originis clerici; quandoquidem in uno loco minorem impensam, quàm in alio fieri contingit; et sic minùs patrimonium clerico sufficit, si moretur in oppido, seu villâ, quàm si in civitate, ut probat Hartaman. decis. 3, de Probat., circa quod tradi non potest certa regula, ut ait Zerol., in suâ Praxi, verbo *Dimissoriæ*, vers. *Quartum dubium*. p. 1.

Verè et pacificè possideat, — scilicet de præsenti, quia non potest quis ordinari ad titulum de futuro,

veluti in aliquâ certâ spe acquirendi, ac propterea si promovendus exspectaret ex bonis paternis vel maternis etiam amplam hæreditatem, non poterit sub hâc spe ordines suscipere; nam licèt valeat argumentum, pater est dives, ergo et filius, § *Hæc autem*, ubi Glos. Instit. de hæred. qual., Alexand. in l. *Suis*, ff. de Lib. et Posth., nihilominùs servanda est forma tradita ab ipso concilio, requirente quòd dictum patrimonium verè possideat; quæ quidem dictio, verè, importat veram ac realem possessionem, excludendo omnem fictionem, ut per Gonz. ad reg. 8, Cancell. glos. 43, n. 15 et 16.

Quare, prorsùs rejicienda est illa opinio Gratian., discept. for., c. 57, n. 30, dicentis quòd doctor et persona graduata non habens patrimonium, aut beneficium, poterit legitimè ordinari, non obstante concil. Trid., sess. 21, c. 1, de Refor., ex eo quòd verisimile est illum posse commodè sustentari ob doctrinam; cùm leges non permittant illarum professores vivere in paupertate, et quòd jura illis spem præmiorum pollicentur, § fin. auth. de Hæred. et Falc.

Similiter Gonz., glos. 4, num. 36; ubi ait se aliquando consilium dedisse quòd quidam doctor in sacrâ theologiâ, vel jure canonico, aut aliàs persona graduata et litterata, quamvis non haberet patrimonium, aut beneficium, posset legitimè ordinari; quia, cùm dicta litteratura satisfit menti d. concil. *Nam verisimiliter*, ei congrua sustentatio non deficiet.

Contrarium enim, tanquàm magis rationi congruum, etiam in praxi servatur; nam persona graduata quæ petit promoveri, majus et pinguius debet habere beneficium, seu patrimonium, ut valeat juxta sui qualitatem honestè sustentari; ac propterea, licèt redditus beneficii seu patrimonii pro clericis Neapolitanis, ad sacros ordines promovendis, debeat esse triginta sex ducatorum monetæ hujus regni, nihilominùs vix aut rarò hujusmodi personæ admittuntur, nisi habeant ad minùs redditus quinquaginta similium ducatorum; quamvis regulariter sufficiat ut valeant se honestè sustentare, non habito respectu ad qualitatem personarum. Nec tamen desunt qui, quamvis doctrinâ et virtute insignes, promoti cum tenui vel ficto titulo, ad extremam inopiam redacti, miserabiliter mendicare, cum maximo dedecore statûs clericalis, non rarò cogantur. Et per illam dictionem, pacificè, demonstratur quòd patrimonium supra dictum non debet esse litigiosum; aliàs enim repelleret ordinandum; quia non dicitur quis pacificè possidere, si aliquam super hujusmodi possessione patiatur juris vel facti controversiam in judicio, vel extra, Felin., in c. *Cùm Joanne*, n. 33, de Fid. instr.; Cassador., decis. 6, de Cau. poss. et prop.

CUM DECRETO, QUOD ILLUD SINE ORDINARII SUI LICENTIA ALIENARE, SEU QUOQUO MODO DISTRAHERE NEQUEAT, NISI PRIUS, etc. — Quæ quidem clausula desumpta est etiam ex supra dicto concilio Trid., d. sess. 21, c. 2, de Reform., ibi: *Atque illa deinceps sine licentiâ episcopi alienari, aut exstingui, vel remitti nullatenùs possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint.*

Quia verò, quandoque petit quis hujusmodi indultum de promovendo ad titulum patrimonii, seu perpetui simplicis beneficii ecclesiastici, si quod obtinet, propter illam dictionem, seu, quæ passim, ut hìc admittitur, et disjunctim accipitur, ut in l. 1, § *Sublata*, ff. ad Trebell., et l. *Si quis ita legaverat*, ff. de Aur. et Arg. leg., et licèt ponatur inter diversa, arguit tamen similitudinem, Seraph. decis. 393; propterea in decretis litterarum additur: *Volumus autem, quòd donec tibi de aliquo ecclesiastico vel alio annuo redditu ad congruam tuî sustentationem sufficienti provisum fuerit, patrimonium tuum, si te ad titulum illius promoveri contigerit, alienare, vel hypothecare nullo modo possis.* Et si orator petit promoveri ad sacros ordines, ad titulum pensionis annuæ sibi super fructibus alicujus beneficii ecclesiastici auctoritate apostolicâ reservatæ, additur decretum, *quòd dictus orator dictam pensionem cassare, exstinguere, aut transferre nullo modo possit, donec aliunde habuerit unde commodè vivere possit;* quod et servatur in cassatione ipsius pensionis, quæ passim concedi consuevit ùt in eâ apponatur clausula, dummodò ille qui hanc cassationem petit, quatenùs sit in sacris ordinibus constitutus, habeat aliunde, etc.; et cùm petit ad eosdem ordines promoveri ad titulum pensionis, et beneficii aut pensionis, et patrimonii, vel beneficii et patrimonii insimul, ut in dies occurrit in litteris de promovendo ad dictos ordines; cùm unumquodque eorum per se non sufficit, prohibet summus Pontifex cassationem pensionis, resignationem beneficii, et alienationem patrimonii, donec orator habuerit, etc., ut quotidianâ praxi docemur, et omnibus notum est.

Bona etenim super quibus constituitur patrimonium supra dictum, sunt subrogata loco beneficii, et assumunt illius naturam, ob idque non possunt aliquo modo distrahi; Paris., de Resign. benef., lib. 2, quæst. 6, n. 1; et habent privilegia à jure concessa bonis ecclesiasticis; Barbos., de Potest. episc., allegat. 19, num. 91. Imò ex ipsomet concilio habetur quòd non solùm integrum patrimonium, verùm nec etiam illius pars poterit alienari, propter illam dictionem, nullatenùs, quæ annullat actum ipso jure; Glos. in Clem. 1, versic. *Nullatenùs*, de Sequestr. poss. et fruct.; et negat. omnem casum omnemque potentiam, l. ult., c. de Testam. milit., habetque vim præcisæ prohibitionis, Stephan. Grat., decis. March. 51, n. 8; et cùm sit universalis negativa, excludit etiam quamcumque minimam partem; Glos. in reg., Nemo potest, de Reg. jur. in 6; Card. Tusc., pract. conclus., tom. 2, litt. D., concl. 315, num. 1.

Porrò, si post ordinationem ad subdiaconatum, ad titulum patrimonii sibi donati, illud renuntiaverit et retrocesserit in favorem parentum, vel alterius, nec postea fecerit se promoveri ad reliquos sacros ordines, non propter id remanebit suspensus; quia si ipsa donatio fuerit sibi validè facta, dicta renuntiatio seu retrocessio, erit nullius momenti, ac pro non facta,

Quaran. in Summâ bullarii, verbo *Ordo*, versic. *Quotidianus casus est;* quod quidem procedit, etiamsi ipsum patrimonium fuerit donatum ipsi clerico, cum pacto de eo restituendo, postquàm ille fuerit promotus ad sacros ordines, nec eo casu aliter ordinatus incurrit suspensionem; quia ille est verè ordinatus cum vero patrimonio, neque refragatur pactum in dictâ donatione adjectum, ex eo quòd illud non obligat, attentâ dispositione prædicti concilii prohibentis remissionem, seu alienationem dicti patrimonii; Barbos. alleg. 20, num. 30, par. 2.

Cùm autem contingit oratorem de aliis redditibus annuis post promotionem ad sacros ordines provisum fuisse, ac propterea patrimonium, ad cujus titulum promotus est, velle alienare; seu aliàs distrahere, id nullo modo sibi permittitur sine ordinarii licentiâ; quidquid alii dixerint; quia obstat dictum concilium id expressè prohibens, actum annullando; ex quo inducitur forma quæ nullo modo potest præteriri, cap. *Cum dilecta*, de Rescript., etiam in casu licitæ alienationis dicti patrimonii, licèt orator aliunde habuerit unde commodè vivere possit, per illa verba supra dicti concilii, scilicet *Quodque deinceps sine licentiâ episcopi*, etc. Nec refert quòd supra dicta dictio, donec, sit limitativa et restrictiva temporis, habeatque naturam suspensivam, l. *Legatum*, ff. de An. leg.; Menoch. consil. 151, num. 4; Surd., consil. 186, num. 15; quia his non obstantibus aliud est circa hoc dicendum; ut scilicet, etiam postquàm orator habuerit aliunde, etc., non possit dictum patrimonium, sine consensu episcopi, alienare; Barbos., alleg. 19, num. 90, quia, ut ait Campan., in Divers. jur. can., rubr. 8, cap. ult., num. 9, versic. *et obviam*, ponderando verba supra dicti concilii, duo concurrere debent in supra dictâ alienatione: unum videlicet, quòd alia res subrogetur pro decenti victu clerici promoti; alterum verò quòd episcopus cognoscat, et comperto ita esse assentiat; id Barbos., d. num. 90; et sic in praxi receptum videmus; nam in hujusmodi alienatione adhibetur consensus ordinarii, prævio supplici libello, qui mandat desuper capi informationem, et comperto, rem subrogatam esse similis vel majoris redditûs; medio ejus decreto, fit alienatio; aliàs enim mens concilii facilè eluderetur, et fraudes committerentur, ad text. l. *Hæres meus*, § fin., ff. de Cond. et Demonstr., l. Quod in conditionibus, junctâ Glos. ff. de Donat. cau. mor.

Negari tamen non potest quin promoto concedi possit licentia in aliquo casu, dictum patrimonium alienandi, quamvis ille non habeat unde commodè vivere possit; veluti, si ejus parentes essent captivi: nam ob illorum redemptionem poterit licitè alienari, absque eo quòd habeat aliunde; et idem dicendum est, si pater aut frater clerici, esset ob homicidium vel aliud delictum puniendus pœnâ mortis; nisi accusanti daretur certa quantitas pro remissione, aut etiam ipsius sorori providendum esset, quæ in magno honoris discrimine versaretur, Garc. p. 2, c. 5, num. 188. Qui, n. 189, subdit, episcopum, concedendo talem licentiam, remanere tutum in conscientiâ, etiamsi clericus non haberet aliunde, etc., quia necessitas eum excusat; nam quidquid fit ob necessitatem, fit licitè, et licitum fieri censetur, Glossa in c. *quoniam*, 48, dist., et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, c. *Quod non est licitum*, de Reg. jur., nec refert, quòd dictum patrimonium sit constitutum pro honestâ sustentatione clerici; quia necessitas facit, ut omnia bona sint communia, c. *Sicut hi*, dist. 47, l. 2, § *Cùm in eâdem navi*, in fine, ff. ad l. Rhod, de Jact., et in quibus casibus ob necessitatem, legis rigor infringatur, vide Felin. in c. 1, n. 49 et 50, de Constit., Jas. in l. 1, c. de Præc. imper. offer.

Quibus etiam adde quòd ordinatus ad titulum patrimonii, cui post ordinationem illud retrocedit, seu renuntiat, vel alienat, quamvis peccet mortaliter, quia facit contra prohibitionem concilii, et propterea puniri potest per episcopum, non tamen incurrit aliquam suspensionem, ut probat Barbos., d. alleg. 21, n. 32. Prout eò minùs remanet ab executione susceptorum ordinum suspensus, si patrimonium aliquâ causâ amisit, puta chasmate, vel alluvione, ut per Glos. in c. *Tuis.*, in verb. *De patrimonial. ac præbend.*

Id verò quod dictum est supra de sufficientiâ tituli pro clericis, ad sacros ordines promovendis, procedit etiam, quoad clericos regulares, nulliter professos, et ad dictos sacros ordines in religione promotos ad titulum paupertatis: nam ita servat Romanæ Curiæ praxis, ut si petant ii propter aliquam legitimam causam, declarari nullam professionem, in litteris hujusmodi declaratoriis istius nullitatis, semper adjicitur clausula, *quod orator ab executione susceptorum ordinum suspensus remaneat, donec habuerit unde commodè vivere possit.* Quo casu constituendus erit ei titulus eo modo quo à principio constituitur clericis secularibus ad dictos sacros ordines promovendis; ac propterea debet ad id intervenire decretum ordinarii, qui diligenter inspiciat, an supra dictus titulus sit verus et sufficiens, propter identitatem rationis; unde idem jus constitui debet, § *Pari ratione*, instit. quib. mod. jus patr. potest. solut., l. *A Titio*, in fin., ff. de Verb. oblig.

Quo verò ad patres societatis Jesu, Sixtus V, auditâ relatione sacr. congregationis sic declaravit: *Quoad Jesuitas, cùm post sacerdotium exire non possint, nisi à superioribus ejiciantur, provideant illis de redditu 40 aureorum annuorum ex bonis religionis. Quoad alios, qui arbitrio suo exire quando volunt, possunt, ne detur illis occasio exeundi, ut fruantur illo redditu, vocentur priùs et intelligantur, quâ aliâ viâ prospici possit; deinde maturè deliberandum.*

Datur denique hujusmodi dispensatio, nedùm in temporibus, verùm etiam extra tempora sine titulo beneficii, aut patrimonii, et sine litteris dimissorialibus, quatenùs causa aliqua ita suadeat: sic enim vidimus dispensatum per sum. Pont. cum quodam Transylvano, eo modo quo sequitur, videlicet:

Feriâ 5, die 10 junii 1638, in congregat. generali S. R. et universalis inquisitionis habitâ in palatio apostolico

Montis Quirinalis coram S. D. N. Urbano divinâ providentiâ Papâ VIII, ac eminentiss. et reverendiss. cardinalibus in universâ republicâ christianâ adversùs hæreticam pravitatem generalibus inquisitoribus, à sanctâ Sede Apostolicâ specialiter deputatis. Lecto memoriali D. Stephani Desy Transylvani ex patre hæretico calvinistâ nati, matre autem catholicâ S. D. N. Urb. Papa prædictus cum eo dispensavit, ut promoveri possit à quocumque episcopo ad omnes ordines, etiam sacros et presbyteratûs ad titulum missionis, non servatis interstitiis, extra tempora et sine litteris dimissorialibus.

Joan. Antonius Thomasius S. Romanæ, et universalis inquisitionis Not. Registrata fol. 11.

Locus † sigilli.

CAPUT VIII.

Praxis dispensationis cum malè promotis extra tempora.

Quomodò etiam malè promotis ad dictos ordines, per apostolicam dispensationem succurratur, ex infra dicendis, unicuique innotescet. Adeò etenim invaluerunt, præsertim in hoc Regno, malæ promotiones ad ordines, ut oratores summi Pontificis aures in dies infestare non desinant circa petitiones dispensationis super hujusmodi impedimentis, quando quidem potissimùm obstat constitutio fel. record. Pii II, quâ cavetur, ut promoti ad ordines sacros extra tempora, sive ante legitimam ætatem; aut sine litteris dimissorialibus proprii episcopi, sint ipso jure suspensi; et in ordinibus sic susceptis ministrando irregularitatem incurrant. Et cum his Papa tantummodò dispensare potest. Antequàm tamen ad praxim petendæ et concedendæ dispensationis cum taliter promotis, accedamus, ejusdem constitutionis tenorem hìc inferendum duximus, qui talis est, videlicet :

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam. Cùm ex sacrorum ordinum collatione, character invisibilis animæ imprimatur, sacra mysteria dispensentur, et ipsarum cura tribuatur animarum; in eorum susceptione, excessus graves, tantò magis plectendi sunt, quantò ex illis majora in mentibus fidelium scandala generantur; cùm itaque (sicut fide dignorum relatione, non nisi molestè accepimus) nonnulli clerici, extra tempora à jure statuta quidam antè ætatem legitimam; aliqui verò sine dimissoriis litteris, contra sanctiones canonicas, se faciunt ad sacros ordines promoveri; nos eorumdem temeritatem, tali castigatione reprimentes, ut aliis inposterum committendi similia, aditus præcludatur; auctoritate apostolicâ, hâc constitutione perpetuò valiturâ, statuimus et ordinamus, quòd omnes et singuli qui absque dispensatione canonicâ aut legitimâ licentiâ, sive extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris, etiam citramontani à citramontanis (præterquàm si in hoc ultimo casu, per cameram Apostolicam; juxta illius stylum) ordinati fuerint, et ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, à suorum ordinum executione ipso jure supensi sint; et si hujusmodi suspensione durante, in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter à jure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint jure privari. Volumus autem quòd præsens nostra constitutio, in Romanâ Curiâ existentes, post quindecim dies; absentes verò Italicos, post duos menses, alios verò ultramontanos post sex menses, ab ipsius in audientiâ contradictarum, et cancellariâ Apostolicâ, publicatione et affixione, ligare incipiat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis et voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno ab Incarnatione dominicâ, millesimo quadringentesimo sexagesimo primo, quintodecimo kal. dec. pontificatûs nostri anno quarto.*

Quam quidem constitutionem (cum in multis locis, ac ferè ubique extra Urbem ignota esset, ut ait Sayr. de Cens., lib. 4, c. 14, num. 14) confirmârunt Sixt. V in aliâ suâ constitut. quæ incipit *Sanctum et salutare*, nonis jan. 1588, et Clem. VIII, in aliâ quæ incipit *Romanum Pontificem decet*, pridie kal. martii 1595, et quilibet summus Pontifex in crastinum suæ assumptionis ad summi apostolatûs apicem, eam etiam renovat inter alias regulas cancellariæ, sub titulo *de malè promotis*, per hæc verba, videlicet :

Item de clericis extra tempora à jure statuta, sive ante legitimam ætatem, aut absque dimissoriis litteris ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit, constitutionem piæ mem. Pii II, similiter prædecessoris sui desuper editam; et in dicto cancellariæ libro descriptam, quæ incipit : Cùm ex sacrorum ordinum, etc., *pari modo observari.*

Unde patet quàm perperàm loquantur qui dicunt hanc constitutionem Pii II non esse usu receptam; quod quidem fuit etiam à Rotâ Romanâ rejectum : in praxi enim videmus quotidiè ob hujusmodi malas promotiones, recursum haberi ad datariam apostolicam pro absolutionibus et dispensationibus super eis; quia dicta constitutio fuit solemniter publicata, sicut aliæ constitutiones apostolicæ, et in quinterno cancellariæ Apostolicæ registrata, ac in Bullario impressa; unde necessariò præsumitur usu recepta, ut per Put., dec. 181, n. 1, lib. 1, dictaque regula addita est pro approbatione prædictæ constitutionis, quæ antea non solùm exteris, verùm etiam ipsis curialibus incognita erat, ob idque indiguit tali revalidatione, seu confirmatione.

Ab incursu tamen pœnæ hujus constitutionis, quoad primum caput sunt immunes fratres minores, et omnes qui illorum privilegiis concessis et concedendis fruuntur, ex concessione Clementis VIII; hi enim possunt extra tempora à jure statuta, dominicis et aliis festivis diebus, sacros ordines suscipere; sicut etiam patres societatis Jesu ex indulto Gregorii XIII ipsis concesso. Barbos. alleg. 17, num. 6 et 7.

Quoniam verò ex his tribus capitibus malæ ordinationis, in ipsâ constitutione contentis, primus est, cùm quis ad dictos ordines sacros facit se promovere extra tempora à jure statuta, ideò cùm ita promotus petit

secum desuper dispensari, supplicatio concipienda erit eo modo quo sequitur, videlicet :

Beatissime Pater, Exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. presbyteri Neapolitan. diœcesis. Quod ipse aliàs in quatuor minoribus ordinibus constitutus, cupiens quamprimùm ad sacros ordines promoveri, ad omnes sacros, etiam presbyteratûs ordines, interstitiis à conc. Trid. statutis minimè servatis, à devotâ creaturâ vestrâ episcopo N. promoveri dolo se fecit, et in illis, etiam in altaris ministerio (non tamen in contemptum clavium) ministravit, suspensionem incurrendo et irregularitatem contrahendo. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator, de præmissis plurimùm doluerit, et doleat ad præsens ; supplicat igitur humiliter E. S. V. quatenùs ejus statui et conscientiæ securitati, in præmissis opportunè consulendo, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequendo, eumdem oratorem à malâ promotione hujusmodi ; nec non à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa, quomodòlibet incurrit, in utroque foro apostolicâ auctoritate absolvere, et totaliter liberare ; dictasque pœnas sibi gratiosè remittere et condonare ; secumque super irregularitate, per eum ex præmissis quomodòlibet contractâ, quòdque illâ et aliis præmissis non obstantibus, suo clericali charactere, quo aliàs ritè insignitus fuit, ac omnibus sacris, etiam presbyteratûs ordinibus, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem etiam ordinibus, et in altaris ministerio ministrare : nec non quæcumque, et qualiacumque, cum curâ et sine curâ, beneficia ecclesiastica, etc., *dispensare dignemini*, etc. *Non obstantibus*, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur : *Et committatur ordinario, impositâ oratori aliquâ pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione suorum ordinum ad triennium, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso.*

Huic constitutioni concordat illud quod antiquo jure circa hoc statutum erat ; nam si quis extra tempora à jure statuta, aliquem ordinem sacrum recepisset, ab ejus executione suspensus erat, ut est text. in c. *Cùm quidem*, de Temp. ord., ubi relataxio hujus suspensionis, summo tantùm Pontifici reservatur, quamvis postea fuerit relataxa per Gregorium IX, ut in cap. *Consultationi*, eod. tit., qui facultatem eam relaxandi episcopis concessit, Sayr., de Cens., lib. 4, cap. 14, n. 21, ubi ait quòd licèt olim inter veteres canonistas fuerit controversia, an promoti extra tempora essent ipso jure suspensi, hodiè tamen omni dubio caret, præsertim ob declarationem dictæ constitutionis, et sic suspensi, si celebrent, fiunt irregulares à solo Papâ absolvendi et dispensandi.

CAPUT IX.

Praxis dispensationis cum malè promotis ante ætatem.

Secundus casus in dictâ constitutione expressus est cùm quis ante legitimam ætatem, ad supra dictos ordines se fecerit promoveri ; quod etiam magnam habet cum ipsius juris communis dispositione, conformitatem. Voluit enim Alexander III, relatus in cap. *Indecorum*, de Temp. ordin., ut interdictum esset pueris ullâ dignitate fungi ; ne, qui sibi nihil adhuc prodesse possunt, aliis dignitate præfulgeant, cùm ipsi nunquàm ad ullum munus putentur idonei, cap. *Superinordinata*, de Præb., et hodiè ex novo jure concilii Trid. ; sess. 23, cap. 6, admitti non possunt vel ad beneficium simplex, ante quatuordecim annos, ut aliàs diximus ; quamvis olim septennium sufficeret tàm ad primam tonsuram, quàm ad beneficia simplicia, Majol. de Irreg., lib. 1, c. 30, n. 1 et 2. Ex ipsâ autem constitutione Pii II ante ætatem legitimam ordinatus, scilicet, aliquo ex sacris ordinibus, est ipso jure suspensus ; et in ipsis ordinibus ministrando, efficitur pariter irregularis ; cum quo solus Papa dispensare potest, sicut etiam in aliis casibus ejusdem constitutionis ; nisi forsan irregularitas inde proveniens sit occulta, quia tunc potest super eâ episcopus dispensare, ex concil Trid., sess. 24, cap. 6, de Refor. ; Sayr., de Cens., lib. 4., c. 14, n. 11. Quod quidem intelligas, etiamsi ad ipsam ætatem quantumcumque minimum tempus deficiat ; cum per d. concil. Trident. fuerit jam præstitum tempus, ut in sess. 23, cap. 12, ubi : *Nullus in posterum ad subdiaconatûs ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatum ante vigesimum tertium, ad presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur.*

Cùm igitur opus erit hujusmodi dispensatione in utroque foro super hâc irregularitate, porrigenda tenoris sequentis erit supplicatio, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Lucii Alberici presbyteri Neapolitan. diœcesis, quòd ipse aliàs in vigesimo, vel circa, suæ ætatis anno constitutus, sacerdotalis dignitatis fervore accensus, ad omnes sacros etiam presbyteratûs ordines, ab episcopo Minoren. ante ætatem legitimam, aliàs tamen ritè, se promoveri fecit, et in eisdem omnibus (non tamen in contemptum clavium) ministravit ; quapropter archiepiscopus Neapolitan., crimen hujusmodi conspicatus, contra ipsum oratorem desuper procedens, illum in quasdam pœnas condemnavit, ac ab executione prædictorum ordinum suspensum declaravit ; donec à Sede Apostolicâ absolutionis beneficium et dispensationis gratiam meruisset obtinere. Cùm autem, Pater Sancte, dictus orator in vigesimo tertio suæ ætatis anno constitutus, de præmissis plurimùm doluerit, et doleat, cupiatque absolutionis beneficium, et dispensationis gratiam per dictam sedem sibi misericorditer impendi, supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs ejus statui et conscientiæ securitati in præmissis opportunè consulendo ; eumque specialibus favoribus, et gratiis prosequendo, eum à malâ promotione hujusmodi, necnon à quibus vis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, in utroque foro, Apostolicâ auctoritate absolvere, et totaliter liberare, dictasque pœnas sibi gratiosè remittere et condonare ; secumque super quâcumque irregularitate ex præmissis per eum quomodòlibet contractâ ; quòdque, illâ et aliis præmissis non obstantibus, suo clericali charactere, quo aliàs ritè insignitus fuit illiusque privile-

giis, ac omnibus, etiam sacris, et presbyteratûs ordinibus, per eum, ut præfertur, quoque susceptis, postquàm ad legitimam ætatem pervenerit, uti, et in illis etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quæcumque et qualiacumque, sine curâ et (ætate legitimâ sibi suffragante) cum curâ, beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatûs, etc., dignemini, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur, *et committatur ordinario, impositâ oratori pœnitentiâ salutari, tamdiu duraturâ quantùm ei deerat ad ætatem legitimam, cùm promotus fuit; ipsoque ab executione suorum ordinum ad biennium, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso.*

Quoties autem orator fuerit sic promotus à non suo ordinario, additur etiam : *Ita quòd tempore hujusmodi elapso, suspensio prædicta minimè sibi relaxetur, donec prævio diligenti examine super vitâ, moribus, et doctrinâ, ac sufficientiâ patrimonii, vel beneficii ecclesiastici titulo, ab eodem ordinario approbatus fuerit. Et quoad dispensationem, dummodò oratori nullum aliud canonicum obstet impedimentum.* Si verò orator tempore impetrationis hujusmodi gratiæ, neque pervenerit ad ætatem legitimam, additur : *Ipsoque oratore ab executione suorum ordinum, donec ad ætatem legitimam pervenerit suspenso*, ut dictum est in corpore supplicationis.

Si autem orator narraverit in supplicatione se bonâ fide, eò quòd putaret esse legitimæ ætatis, promotum fuisse ad sacros ordines, sublatâ supra dictâ pœnitentiâ salutari, committitur ordinario cum clausulâ : *Dummodò constet oratorem, ignorantem defectum ætatis hujusmodi, promotum fuisse, ipsoque ab executione suorum sacrorum ordinum, donec vigesimum quintum ætatis suæ annum attigerit, et deinde ad beneplacitum ejusdem ordinarii suspenso.* Namque ad incurrendas pœnas d. constitutionis requiritur quòd ordinatus dolosè et in contemptum susceperit ordines præd., et in illis ministraverit; Abbas, in c. Pastoralis, § *Verùm*, n. 5, de Appel.; Cart., in Clem. *Si furiosus*, p. 1, § 1, n. 4, de Homicid.; Cavaler, decis. 1, n. 1 et 2, ubi dicitur quòd iste dolus et contemptus non solùm de jure communi, sed etiam ex d. constitutione Pii II, quæ loquitur contra eos qui ministrare præsumpserint; quia verbum *præsumpserit* inducit contemptum; et fuit, in d. decis. n. 3, excusatus ordinatus stante attestatione matris, cui credere potuit, cùm præsumatur habere veram notitiam ætatis filiorum, et sic cùm habuerit justam causam credendi matri, cessat in eo omnis dolus et contemptus, ac propterea non incurrit irregularitatem, ut in d. decis. sub n. 6, in fine.

Contingit ut plurimùm oratorem sic malè promotum obtinuisse beneficium etiam curatum; quo casu petenda erit nova provisio à Papâ, et in calce supplicationis addi consuevit : *Et committatur ordinario, impositâ oratori aliquâ pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione suorum ordinum ad octo menses, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso; et dimissâ priùs per ipsum oratorem prædictâ parochiali ecclesiâ. Et quoad novam provisionem, committatur cum clausulâ : Si per diligentem*, etc., *et deputato per eumdem ordinarium, durante suspensione hujusmodi, vicario idoneo in dictâ parochiali cum congruâ portione illius fructuum pro sustentatione ipsius vicarii.* Et hæc ita practicantur in utroque foro.

Fuit aliàs tempore Clementis VIII, petita commissio declaratoria nullitatis susceptionis subdiaconatûs in decimo septimo anno per vim parentum : et commissum ordinario quatenùs, si, vocatis qui forent evocandi, ac inquisitâ per eum super præmissis diligentiùs veritate, rem ipsam ita esse reperisset prout narrabatur, oratorem ad servandam continentiam non teneri, sed matrimonium cum aliquâ muliere sibi benè visâ, nullo alio jure sibi prohibitâ, contrahere, illudque in facie ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, prolemque susceptam exinde legitimam fore, alio canonico non obstante impedimento, liberè et licitè posse apostolicâ auctoritate, nuntiaret et declararet, prout juxta casus hujusmodi exigentiam de jure esset faciendum.

In foro autem conscientiæ, quando videlicet irregularitas in his casibus occulta est, licèt super eâ possit episcopus dispensare virtute concilii Tridentini; quia tamen quandoque credit forsan non tutò se posse dispensare, propterea pro ipsâ dispensatione recurritur ad officium sacræ pœnitentiariæ, quæ committit confessario per oratorem eligendo, quatenùs ipsum oratorem, auditâ priùs ipsius sacramentali confessione, à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodòlibet incurrit, et excessibus hujusmodi, absolvat hâc vice in formâ Ecclesiæ consuetâ; injunctâ indè ei pro modo culpæ gravi pœnitentiâ salutari, quæ duret per tantum tempus quantum ei deerat ad ætatem legitimam, cùm promotus fuit, et aliis quæ de jure fuerint injungenda; ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso; demùm dummodò præmissa occulta sint, et orator legitimam ætatem expleverit, cum eodem pœnitentiâ vel illius parte peractâ, et suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus et meritis, alioque ei canonico non obstante super irregularitate per eum ex præmissis quomodòlibet contractâ, quia interim sic ligatus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebravit; vel aliàs divinis se immiscuit; quòdque, illâ et aliis præmissis non obstantibus, postquàm in hujusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio confessoris statuendum, in suis ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare; et sibi ante præmissa canonicè collata retinere, et si quæ in futurum, aliàs tamen canonicè, conferantur beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, inviceum tamen compatibilia, recipere et similiter retinere licitè valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, neque ullo alio modo : Ita quòd absolutio et dispensatio hujusmodi oratori in foro judiciario nullatenùs suffragentur.

Atverò posse episcopum in hoc dispensare, quando videl., promotus pervenit ad ætatem legitimam, in du-

bium minimè revocatur : quod etiam patet in declatione S. congregationis concilii super sess. 24, c. 6, de Ref., ut infra, videl. : *Item congregatio censuit, si is clericus pervenit jam ad ætatem legitimam, posse episcopum cum illo dispensare tam super irregularitate, quàm super suspensione, ex delicto occulto tamen proveniente; quia se fecit promoveri non in ætate legitimâ. Si nondum ad ætatem legitimam pervenerit clericus, episcopum non posse, sed petendam absolutionem à Sede Apost.*; quam quidem declarationem refert Garc., de Benef., p. 2, c. 5, n. 51.

Si verò orator sic irregularis, tempore supra dictæ dispensationis, obtinuerit beneficium curatum, semper sacra pœnitentiaria exquirit an illud obtinuerit in concursu; quòd si ita esse respondetur, fit de hoc mentio; et in litteris prædictæ dispensationis additur ut orator prædictus illis quibus ipse in concursu per fraudem sic prælatus fuit, satisfaciat, vel cum eis concordet; ac cum eo confessarius dispenset, ut in suis ordinibus ministrare valeat; et postquàm prædictis satisfecerit, vel cum eis concordaverit, eidem concedat retentionem beneficii prædicti cum condonatione fructuum perceptorum; quorum quantitas debet omninò eidem sacræ pœnitentiariæ explicari. Et hæc in illius prætorio servantur, quoties petitur retentio beneficii curati, quoad aliorum concurrentium præjudicium; quod etiam illius praxis servat circa fructuum malè perceptorum expressionem, et iamin beneficiis simplicibus; quandoquidem, si ipsorum beneficiorum fructus sic percepti ascendunt ad aliquam notabilem summam, præcipitur ut ex illis fiat aliqua eleemosyna alicui ecclesiæ, seu alteri loco pio.

Dispensatio etenim ad beneficia omninò petenda est, cùm ad illa inhabilis existat promotus ante tempus à jure statutum; Clem., fin., de Ætat. et Qual.

Et magis declaratur in supra dictâ constitutione Pii II, § : *Præterea, ultra alias pœnas in tales generaliter à jure inflictas, beneficiis ecclesiasticis possint jure privari.* Quod tamen intelligendum est de ordinatis sacris ordinibus, de quibus ipsa constitutio loquitur; nam si conferantur ipsa beneficia clericis in minoribus constitutis, illaque nullum sacrum ordinem annexum habeant, tenet collatio, ut ex ipsâ constitutione elicitur.

Quapropter, ex præmissis deducitur notoria praxis datariæ Apostolicæ, quæ in casibus supra dictis, nimirùm, quando quis ante legitimam ætatem sibi obtinuit absque apostolicâ dispensatione provideri de beneficio curato, cùm jam pervenerit ad legitimam ætatem, illi datur etiam nova provisio, quæ committitur ordinario, et beneficio per oratorem prædictum priùs in manibus ejusdem ordinarii realiter dimisso; et quoad novam provisionem, cum clausulâ : *Si per diligentem*, etc. Et præcipitur quòd infra sex menses proximos ad subdiaconatûs ordinem, quatenùs illum nondùm susceperit, necnon cùm primùm ad ætatem legitimam suscipiendi sacros diaconatûs et presbyteratûs ordines pervenerit, proximis inde temporibus; ad illos promoveri et interim eidem beneficio per presbyterum idoneum deserviri facere, omninò tenetur : alioquin, eo in singulis præmissis deficiente, beneficium prædictum vacare censeatur eo ipso; quòd que idem orator quamdiù presbyter non fuerit, fructus hujusmodi beneficii nullatenùs suos facere, sed in usum ecclesiæ quam sic obtinuit, vel illius sacristiæ, detractâ congruâ portione pro dicto presbytero deserviente, converti omninò debeant; et ita passim in his et similibus casibus servari videmus.

CAPUT X.

Praxis dispensationis cum malè promotis sine litteris dimissoriis.

Tertius verò et ultimus ex supra dictis tribus casibus est, cùm quis fuerit ad ipsos sacros ordines promotus absque litteris dimissorialibus proprii ordinarii, vel etiam ab ipso oratore, aut (quod idem est) ab alio falsò fabricatis; et cùm ista mala promotio adhuc jam creverit in immensum, frequentiorem reddit in dies petitionem super eâ dispensationis. Quapropter sanctissimus dominus noster Urbanus Papa VIII, ad obviandum tot malis inde jugiter provenientibus, aliam edidit super hoc, et aliis capitibus, constitutionem, quæ cùm satis inconcussè servetur, non incongruum visum fuit illius tenorem hìc inserere, qui talis est, vid. :

Urbanus *Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam. Secretis æternæ providentiæ consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum speculatores domûs Israel, in sublimi Apostolatûs culmine constitut, ieò potissimùm pontificiæ sedulitatis officia convertenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocantur, Christique militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ác tam strenuè se gerant, ut ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates ac principes tenebrarum quotidiè magis perhorrescant. Hæc autem quantò impensiùs fieri optamus, tantò majori indignatione irreligiosam quorumdam impudentiam detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui sacros canones summorumque pontificum decreta non verentes, clericales ordines illegitimè suscipiunt, ac dùm in ecclesiasticorum ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum Christianæ reipublicæ regimen pertinentibus, plurimùm obesse noscuntur, aliàs siquidem felicis recordat. Clemens Papa IV prædecessor noster volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni suam patriam, in quâ de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad hujusmodi ordines promoveri, statuit ut nullus episcoporum Italiæ de cætero aliquem ultramontanum clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente prædecessore, vel ab episcopo, de cujus diœcesi traxerat originem ordinandus, vel in cujus diœcesi beneficiatus existebat, per ejus patentes litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam haberet; eos verò quos contra præmissa contigisset ordinari, manere vo-*

luit absque spe dispensationis super hoc à Sede Apostolicâ obtinendæ, suspensos ac ordinantes condignâ pœnitentiâ puniri. Cùm autem, non sine gravi animi nostri molestiâ, nobis innotuerit, quàm plures ultramontanos suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad ordines prædictos, cum falsis dimissorialibus litteris, seu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo, se promoveri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minùs canonicâ clericorum ordinatione hujusmodi proveniunt, malis, quantùm nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clem. prædecessoris constitutionem, cum omnibus et singulis in eâ contentis approbantes et innovantes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, venerab. fratribus patriarchis, archiepiscopis et episcopis in Italiâ existentibus tenore præsentium prohibemus, ne quovis prætextu, et ex quâcumque causâ, Hispanos, Lusitanos, Gallos vel Germanos, aliosque quoscumque ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solùm ad sacros, sed neque etiam ad minores ordines, vel clericalem characterem promovere audeant, seu præsumant nisi dimissoriales suorum ordinariorum litteras à nostris, et hujus S. Sedis nuntiis seu collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas et subscriptas habeant, eorumdemve nuntiorum seu collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spiritualibus generali similiter examinatæ, recognitæ et probatæ fuerint; aliàs promoventes ad annum ab exercitio pontificalium; promoti verò perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolicâ obtinendæ incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solùm prædictis, verùm etiam majoribus arbitrio nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis. Italos verò, si quos in posterum clericali charactere insigniri, vel ad minores ordines promoveri ab alieno episcopo, cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per con. Trid. decretum, cap. 16, sess. 23, requisitis prædicti sint; nihilominùs, secutâ tamen priùs desuper judicis Eccles. declaratione, fori privilegio minimè gaudere, sed seculari jurisdictioni, ut antea, plenè in omnibus subjacere et subjectos esse respectivè volumus; sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et diffiniri debere; ac irritum et inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. In contrarium faciendum non obstantibus quibuscumque. Per præsentes autem, constitutioni rec. mem. Pii Papæ II, prædecessoris nostri contra malè promotos editæ nullatenùs derogare intendimus; sed illam cum omnibus et singulis in eâ contentis, in suo robore et efficaciâ permanere, perinde ac si præsentes non emanâssent, decernimus. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam faciliùs devenire possint, volumus, quòd illæ, sive earum exempla in valvis Basilicarum sancti Joannis Lateranen. ac principis apostolorum de Urbe, et cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie campi Floræ, ut moris est, affixa, omnes et singulos quos illæ concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; quòdque earumdem transumptis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, et extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 11 decemb. M.DC.XXIV, pontificatûs nostri anno secundo.

V. Theatinus.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, indictione septimâ pontificatûs sanctissimi D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papæ Octavi, die verò decimo sexto mensis decembris retroscriptæ litteræ apostolicæ affixæ lectæ et publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Joannis Lateranen., principis apostolorum de Urbe, ac cancellariæ Apostolicæ, aciei Campi Floræ, per nos Alexandrum de Rocchis, et Fabium Emilianum sanctissimi D. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus pro mag. DD. Curs.

Quæ constitutio adeò viget, et observatur, ut nunquàm aut rarò cum talibus promotis summus Pontifex dispenset, ut patet ex illis verbis: *Promoti verò perpetuæ suspensionis pœnam absque spe dispensationis à Sede Apostolicâ obtinendæ, incurrant eo ipso*, sicut etiam ab ipsâ dispensatione abstinuerunt nonnulli sui prædecessores; vel saltem illam vix, et cum maximâ difficultate concesserunt, sed præcipuè hodiè rigidè ista constitutio, ut dictum est, servatur; nam, non solùm Papa facta suorum prædecessorum cum magnâ reverentiâ custodit, teste Gonz., ad reg. 8, Cancell. gloss. 9, num. 77, sed frequentiùs etiam arctatur suâ propriâ voluntate ad observantiam suorum decretorum, imò si posset, etiam ligaret ad hoc suos successores, quod cùm facere nequeat, idem Gonz., d. gloss. 9, num. 74, quandoque his utitur verbis in suis constitutionibus et decretis, videlicet, *et quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicamus;* cùm non possit ipsis legem imponere potestati, seu voluntati, Rot., decis. 137, n. 8, part. 1, divers., et sic in proposito videmus, quòd Papa ad amussim solet observare propria decreta, propriasque constitutiones; unde, cum quibusvis quantùmvis maximis favoribus nunquàm, vel saltem rarò adversùs ea disponere consuevit; aliàs enim multa inconvenientia sequerentur; ac propterea actus pontificis debent esse stabiles, Felin. in cap. *Cùm olim*, num. 5, de Sentent. et re judic. Unde in his et similibus, neque pro sanguine sibi conjunctis, sive aliàs dilectis, benè meritis, et præclaris viri, vidi hanc dispensationem concedi. Quare benè confert illud Catonis in distichis moralibus, scilicet: *Patere legem, quam tu ipse tuleris*, quod citat Glossa in caput *Cùm omnes*, in verbo *Legem*, de Constitut., et text. in lib. 1, ff. *Quòd quisquis juris;* quamvis summus Ponti-

lex ita constituendo, non imponat sibi legem, quin saltem, ad suî libitum possit ab eâ recedere, l. *Princeps*, ff. de Leg., l. *Digna vox*, cap. eod., l. pen., ff. de Arb., ubi nemo sibi ipsi imperare, seu legem imponere potest l. *Si quis*, in princ., ff. de Leg. 3.

Ista tamen dispensatio non modò difficilis redditur per illa verba supradictæ constitutionis, scilicet *absque spe dispensationis*, etc., verùm etiam id antiquo jure cavetur, ut in cap. 1, de Temp. ordin., num. 6, ubi causæ explicantur, per quas prohibetur quis, sine litteris dimissoriis, ad ordines promoveri; nempe quia sæpè contingit, quod nonnulli clerici, vinculo excommunicationis astricti, aut apostatæ seu irregulares, vel aliàs ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in quâ de his habetur notitia, fugientes se in remotis partibus faciunt ad hujusmodi ordines promoveri. Unde sic prosequitur text.: *Nos igitur volentes animarum ipsarum periculis obviare, statuimus ut nullus episcoporum Italiæ de cætero aliquem ultramontanum clericum ordinare præsumat, nisi à nobis specialem licentiam habeat, vel ab episcopo, de cujus diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cujus diœcesi beneficiatus existit, per ejus patentes litteras, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit aut nequeat ordinare. Eos verò quos contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus, absque spe dispensationis, super hoc à Sede Apostolicâ obtinendæ, suspensos*, etc., ut in princ. d. const.

Quibus sic stantibus, licèt à Sede Apostol. petantur absolutio à malâ promotione hujusmodi, necnon dispensatio ad suscipiendos sacros ordines; nihilominùs petitio hæc restringi semper consuevit, quoad absolutionem tantùm : quod si aliquando pro jàm promotis, etiam ad sacros ordines, petitur absolutio, hæc cum dispensatione sub sequenti formulâ datur, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Landulphi de Aprano clerici Neapolitan. diœcesis, quòd cùm ipse aliàs fervore devotionis accensus, plurimùm cuperet, dùm laicus esset, Altissimo famulari; et à suo ordinario litteras dimissoriales, ad effectum, ut se clericali charactere insigniri, et ad quatuor minores, necnon ad omnes sacros, etiam presbyteratûs ordines promoveri faceret, impetrare posse diffideret, litteris hujusmodi à se falsò fabricatis, ab alio catholico antistite, communionem Sedis Apostolicæ habente, dicto charactere insigniri, ac ad dictos quatuor minores, necnon subdiaconatûs, diaconatûs et presbyteratûs ordines, aliàs tamen ritè promoveri se fecit, et promotus, in illis etiam in altaris ministerio (non tamen in contemptum clavium) ministravit, et aliàs divinis se immiscuit, irregularitatem contrahendo. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator de præmissis plurimùm doluerit et doleat ad præsens, supplicat igitur humiliter S. V. quatenùs sibi absolutionis beneficium misericorditer impendendo, ac aliàs in præmissis opportunè providendo, eumdem oratorem ab excessibus hujusmodi, in utroque foro absolvere, et totaliter liberare; necnon cum eodem oratore, super dictâ irregularitate, quodque eâ et aliis præmissis non obstantibus, dicto clericali charactere quo antea ritè insignitus fuit, illiusque privilegiis, ac dictis quatuor minoribus, et sacris ordinibus prædictis uti, et in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, necnon quæcumque et qualiacumque, cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur: *Et committatur ordinario; impositâ oratori aliquâ gravi pœnitentiâ salutari: ipsoque ab executione suorum ordinum ad biennium, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso; nec lapso tempore suspensionis hujusmodi celebrare possit, donec prævio diligenti examine super ejus vitâ, moribus et scientiâ, ac legitimis natalibus, necnon patrimonii, vel beneficii ecclesiastici, ad congruam ejus sustentationem sufficientiâ, aliisque ad id requisitis ab eodem ordinario approbatus fuerit, suspenso.*

Idemque servatur in S. pœnitentiariæ prætorio, quæ non dispensat neque in foro sententiæ tantùm cum taliter promotis. Unde orator promotus ad primam tonsuram et quatuor minores, ac ad subdiaconatum cum falsis dimissoriis, petiit ibi absolutionem, necnon dispensationem; sed obtinuit tantùm absolutionem; ita quòd illa in foro judiciario nihil suffragetur, ipseque intelligeret secum minimè dispensatum esse super irregularitate, per eum ex præmissis contractâ, sed suspensum remanere ab executione sic susceptorum ordinum.

Vidi quandoque oratori impositam fuisse pœnam suspensionis ad majus tempus, puta ad sex annos, quia summus Pontifex ab hujusmodi malâ promotione præsertim sine litteris dimissorialibus, maximè abhorret ac propterea in ipsis clausulis restrictivis addi consuevit pro majori declaratione, quod durante tempore suspensionis, orator beneficia curatâ, aut aliàs sacrum ordinem requirentia, seu annexum habentia, obtinere nequeat.

Solet tamen summus Pontifex quascumque suspensiones, ex aliquâ causâ relaxare præcipuè cùm orator intra tempus suspensionis hujusmodi, personaliter accesserit ad Urbem; vel, si sit pauper, et ad longum tempus abstinuit ab exercitio suorum ordinum; nam clerici, præsertim pauperes, sunt alendi beneficiis ecclesiasticis, quæ dicuntur patrimonium Christi, cap. *Cùm secundum*, de Præb.

Denique ex supradictæ constitutionis contextu satis elicitur, non includi eos, qui præmissa agunt simpliciter, et absque dolo et temeritate; quia lex puniens præsumentem aliquid facere, non includit taliter facientes simpliciter, bonâ fide, et absque dolo et temeritate, ut per Cardin. in Clemen. 1, 9, 38, de Privileg., cùm isti excusentur à pœnâ suspensionis, ipso jure inflictâ per eamdem constitutionem.

Ad hæc, silentio non prætereundum existimavi, supradictam constitutionem, saltem quoad hanc nostram praxim, nonnullis egere declarationibus, sicut in facti contingentiâ, ac in casibus petendæ dispensationis, pluries occurrit : propterea

Dubitatur primò an illa habeat locum etiam in regularibus, ut si fortè ii, sic mali promoti fuerint, in-

curram pœnas ibi inflictas et consequenter indigeant apostolicâ dispensatione, et rehabilitatione. Et pro negativâ responsione facit, quòd appellatione clericorum non veniunt fratres, ac monachi; cùm in jure ponantur tanquàm diversi, ut in c. *Quisquis*, 17, q. 4, c. *Si quis suadente*, eâd. quæst. 8, prout etiam è contra, constitutio loquens de regularibus, non comprehendit clericos seculares, Clem. 1, et ibi Glossa in verbo *Religiosus*, de Reb. eccles. non alienand. Ad hoc plurimùm confert, quòd, quando Papa voluit fratres seu monachos comprehendi in regulis cancellariæ, illos expressit, faciendo de eis expressam mentionem, ut in pluribus regulis dictæ cancellariæ; unde si Papa id voluisset, expressisset.

His tamen non obstantibus, contrarium potiùs est verius, et hoc propter identitatem rationis, quæ militat tam in regularibus, quàm in secularibus; quando quidem non minùs errant ipsi regulares, quàm seculares contra dictam constitutionem; unde stante dictâ identitate rationis, constitutio ipsa omnes ligat, argum. text. in l. *Si postulaverint*, § *Ratio*, ff. de Adulter. Id enim magis liquet ex procœmio ejusdem constitutionis; cujus verba applicari optimè possunt in sacrorum ordinum collatione, quæ fit etiam monachis, aliisque regularibus, nec aliquem latet, quòd constitutio, quæ emanavit in favorem animarum indistinctè ligat omnes, nemine penitùs excluso. Abb. in cap. *Significâsti*, de For. compet., ac insuper, quia dicta constitutio dùm loquitur de clericis, indistinctè veniunt etiam monachi, et quicumque regulares, text. in cap. *Duo sunt genera*, 12, quæst. 1, ubi colligitur, quòd terminus iste, *clericus*, est nomen univocum; præterea dicta constitutio loquitur per verba satis generalia, dùm dicit: *Ordinamus, quòd omnes et singuli*, etc., *ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri*, etc., illa enim dictio, *omnes*, generalitatem, et universalitatem infert, Clem. 1, et ibi Glossa in versic. *Quovis modo*, de Reb. eccles. non alienan.; Alexand., consil. 30, n. 14, et ita in facti contingentiâ pluries fuit tentum et judicatum.

Dubitatur secundò an prædicta constitutio vendicet sibi locum in eo qui tanquàm episcopo ordinanti notus, fecit se ab illo promoveri, absque litteris dimissorialibus proprii ordinarii? Et omissis quæ pro parte negativâ afferri possent, concludendum est prorsùs affirmativè; fundamentum autem est, quia supradicta constitutio pro formâ requirit litteras dimissoriales, quæ procul dubio inducitur, quando illa non modò disponit super aliquo actu faciendo, sed ultra procedit, nimirùm annullando actum, quando ipsa forma non servatur; Alexand. in lib. 1, num. 6, ff. de Lib. et Posth.; Dec. consil. 455, num. 7, ipsam namque formam in eâ constitutione traditam jam habemus ex illis verbis, *et ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoveri, à suorum ordinum executione ipso jure suspensi sint*, etc. Neque hìc proderit ratihabitio superveniens proprii episcopi, quia licèt illa de suâ naturâ regulariter validet actum præcedentem ac æquipolleat mandato tollatque omnem inhabilitatem, quæ à voluntatis defectu causari possit, ut dicit text. in l. *Julianus*, ff. *Qui satisd. cogan.*, Bald. in l. fin., cap. de Pact., attamen in casu nostro, ista ratificatio, seu consensus, post actum à principio nullum, seu potiùs illegitimum superveniens, non operatur, l. *Quod ab initio*, ff. de Reg. jur.; Bart. in l. *Observari*, quæst. ult. de Offic. procons.; Alex. cons. 78, n. 24, vol. 5, et satis patet per diversa jura quòd ordinatio sine litteris dimissorialibus, nulla est ipso jure, quoad executionem susceptorum ordinum, ut probat text. in cap. *Illud*, in fin., et in cap. *Si quis*, 71 dist.; Gloss. in cap. *Significâsti*, de Offic. archid., quæ tenet hujusmodi ordinationem non valere, quoad suum episcopum: quapropter per illius ratihabitionem minimè reviviscit, neque ejus consensus superveniens proderit; nec pœna ipsa, quæ incurritur per hanc contraventionem, pœnitentiâ superveniente, tollitur aut purgatur post actum consummatum; text. in l. *Non prodest*, ff. *Vi bon. rapt.*, l. 1, § *Si rem depositam*, ff. *Depos.* Insuper quando iste fuit ordinatus sine litteris dimissoriis, id nequaquàm fecit nomine et prætextu sui episcopi, sed nomine et auctoritate ipsius episcopi ordinantis; ac propterea quis ratum habere non potest, quod suo nomine gestum non fuit, text. in l. *Si servus*, ff. de Precar., et quod majus est, neque hujusmodi ratihabitioni datur locus, ob non servatam supradictam formam, ut per Bald. in l. *Executorem*, n. 15, c. de Execut. rei jud.; Mandos. in reg. 35, q. 4, n. 6, cum seqq.

Dubitatur tertiò an prædicta constitutio habeat locum in promoto absque litteris dimissorialibus in propriâ ipsius diœcesi, ab alieno episcopo, qui inibi consuevit ordines conferre, propositis publicè edictis, proprio episcopo sciente et non contradicente; et cum d. Mandos., q. 5, per tot., resolvitur adhuc negativè: quia licèt scientia cum patientiâ operetur idem quod deputatio ad aliquod officium, seu ad aliquid peragendum, ut est text. in l. *Qui patitur*, ff. *Mand.*, ac proinde cùm episcopus proprius potuerit alienum episcopum ad sacros ordines conferendum deputare, et propter eam scientiam et tolerantiam videatur ipsum deputâsse; nihilominùs, quia, sicut supra dictum est, litteræ ipsæ dimissoriales pro formâ omninò requiruntur, taliter ordinatus subjicitur pœnis supradictæ constitutionis; id. Mandos., d. q. 5.

Dubitatur quartò quid si quis ad dictos sacros ordines promoveatur cum litteris dimissorialibus vicarii generalis, an incurrat pœnas supradictæ constitutionis et pro parte negativâ facit, quia illius tenor indistinctè se habet de litteris dimissorialibus; ac propterea quomodòcumque illæ concedantur, censetur satisfactum huic constitutioni; cùm satis certum sit vicarium generalem episcopi, habentem generale mandatum, illas concedere posse. Ipse namque vicarius generalis, seu vices alicujus gerens, omnia potest quæ is cujus vices gerit, l. 1, § *Hi quibus*, ff. de Leg. 3, et vicarius generalis est ordinarius, cap. *Romana*, in princ., et ibi Gloss. de Appell., ac propterea potest ea quæ sunt legis diœcesanæ et jurisdictionis, et sic dictas litteras dimissoriales concedere.

Contraria tamen sententia verior est, nimirùm, ut dictis pœnis subjiciatur; cùm ipse vicarius, qui dictas litteras concessit caret ad id speciali mandato; textus est expressus in capitulo *Cùm nullus*, § *Episcopo*, de Tempor. ordin., in 6, et in cap. *Significàsti*, de Offic. archidiac., quia non sufficit generalis vicarii constitutio. Quod tamen declaratur, nisi videlicet episcopus sit in remotis, quia isto casu, poterit ipse vicarius dictas litteras concedere, d. § *Episcopo*, de Tempor. ordin. in 6, et ibi Franc. in 4 not., æquiparat, quòd habeat speciale mandatum ad hoc, vel quòd habeat solùm generale, et episcopus sit in remotis, et notavit Archidiac. in c. *Reatina*, post med., 63 distinct., quòd ubicumque regis, vel comitis, aut archiepiscopi consensus requiritur, et ille sit absens extra regnum, comitatum vel archiepiscopatum, sufficiat requirere illius vicarium. Idemque dicitur de vicario ab ipso Papâ deputato, prout in dies deputari consuevit, cum facultate concedendi etiam litteras dimissoriales ad ordines, juxta text. in l. 1, et ibi Barthol. ff. de Leg. 3; Cassad., decis. 4, num. 1, de Constitut.; alia multa circa hæc videri possunt penes d. Mandos. super regulâ de malè promotis, per omnes illius quæstiones. Et hæc sunt maximè notanda, quia frequenter accidunt in praxi.

CAPUT XI.

Praxis dispensationis cum malè promotis sine titulo.

Quia verò adhuc ipsa mala promotio ad sacros ordines ex falsâ tituli constitutione insurgit, ad quem quis petit promoveri, non absonum quærere visum est, quid hìc sentiat ipsius Curiæ praxis; circa quod ita disserendum est, ut priùs tres constituantur casus, quorum primus est quando quis titulo carens exposuit episcopo ordinanti se nullum habere titulum, et nihilominùs episcopus prædictus sciens, vel scire debens illum ad dictos ordines absque titulo promovit; et tunc ita ordinatus non incurrit suspensionem, adeò ut celebrando efficiatur irregularis; nam hoc casu ipse ordinatus habet actionem contra dictum episcopum vel successorem, ut eumdem sumptibus suis alere cogatur, vel de beneficio providere, cap. *Accepimus*, de Ætat. et Qualitat., cap. *Cùm secundùm*, de Præb.

Alter casus est quando quis habet titulum, non tamen sufficientem ad suî congruam sustentationem; nam si episcopo ordinanti id narravit, et nihilominùs dictus episcopus illum ordinaverit, nec etiam ipse ordinatus incurrit aliquam suspensionem, quia poterit agere contra episcopum ad supplementum, Gloss. in cap. *Tuis*, de Præb., et sic taliter ordinatus in his duobus casibus nullam incurrit suspensionem.

Tertius verò casus, quando ordinatus fuit in culpâ, exponendo patrimonium, sive in totum, sive in partem, falsum, et sic fraudulenter decepit episcopum ordinantem, affirmando se habere patrimonium vel beneficium sufficiens; tunc enim incurritur ab ordinato suspensio à jure imposita in capite *Neminem*, et in cap. *Sanctorum*, dist. 70. Concilium namque Tridentinum, sess. 31, cap. 2, nullas alias pœnas innovat, nisi eas quæ continentur in dictis capitibus, ubi cavetur ordinatum sine titulo, esse suspensum; eoque magis cùm solùm ordinatus est in culpâ decipiendo ordinantem, mentiendo titulum, Paris., de Resign. benefic., lib. 2, quæst. C, n. 18, ubi expressè ait quòd sic ordinatus est suspensus, et sic per concil. tali casu est innovata pœna, d. c. *Neminem*, et c. *Sanctorum*; ac propterea si eâ suspensione durante, ordinatus in suscepto ordine ministraverit, incurrit irregularitatem, super quâ solus Papa dispensare potest; Quarant. in Summ. bull., verbo, *Ordo*, versic. *Quia hæc conclusio*, cum seqq.

Ex his, Navarr., consil. 1, quæst. 16, de Constitut., quærit an in concil. Trident., sess. 21, cap. 2, ipso jure sit suspensus qui absque patrimonio ordinatur, vel habens quidem beneficium, sed insufficiens, et quas pœnas innovet concil., quando in d. cap. dicit, *antiquorum canonum pœnas super his innovando*. Et respondet ibi quòd hæc quæstio satis difficilis est, et fuit aliquando controversa in sacro pœnitentiariæ prætorio; non tamen distinguit in quo casu ipsa pœnitentiaria teneat, ordinatum, hanc suspensionem incurrere, ac propterea quidquid tam ipse in d. quæst. quàm alii super hoc dixerint, solùm mihi videtur tutò adhæreri posse praxi ejusdem sacræ pœnitentiariæ; ego enim per multos annos observàvi ipsam semper, in posteriori casu, nempe quando ordinatus decipit episcopum ordinantem cum ficto titulo, vel minùs sufficienti, sive patrimonii, sive beneficii, tenere, oratorem esse suspensum; et celebrando, irregularitatem incurrere ex verbis finalibus, d. c. 2, videlicet in priori casu, pœnas esse statutas, scienter ordinantibus, sine vel cum insufficienti titulo; quo casu tenetur episcopus illi sic ordinato spondere, vel supplere necessaria ad victum, ut in d. cap. *Cùm secundùm*, de Præb., et declaravit sacra congregatio ejusdem concilii; nec aliquo modo pœnæ, d. cap. *Cùm secundùm*, comprehendunt taliter ordinatos, qui nullo modo sunt suspensi, ac propterea si celebrent, non sunt irregulares; quamvis perperàm nonnulli contrarium tenuerint, inter quos Abb. in cap. *Veniens*, 1, not. de Fil. presb.; Burgas., de Irregul., p. 1, q. 5, num. 24; Majol. eod. tract., lib. 4, cap. 15, num. 1. Cùm verò ordinatus est in culpâ, ut dictum est, eò quòd jam incurrit suspensionem, celebrando, efficitur irregularis, quia quoad eum, per d. conc. innovata est pœna, cap. *Neminem*, et cap. *Sanctorum*, et ita servat communis Romanæ Curiæ praxis, etiam pro absolutionibus et dispensationibus super hoc in utroque foro impetrandis.

Quòd si casus fuerit occultus, per sacram pœnitentiariam absolutio cum dispensatione, committitur confessario, quatenùs si est ita, oratorem, auditâ priùs ipsius sacramentali confessione, à quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, et excessibus hujusmodi, absolvat in formâ Ecclesiæ consuetâ · injunctâ inde ei

pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, et aliis quæ de jure fuerint injungenda, ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso. Demùm, dummodò præmissa occulta sint, cum eodem oratore, pœnitentiâ, vel illius parte peractâ, et suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus, et meritis, alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum, quia interim sic ligatus missas et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebravit; vel aliàs illis se immiscuit, quomodòlibet contractâ; quousque illâ, et aliis præmissis non obstantibus, quæcumque beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, invicem tamen compatibilia, si quæ sibi aliàs canonicè conferantur, recipere et retinere: necnon, postquàm legitimum titulum beneficii, vel cum conditionibus à sacro concilio Tridentino requisitis, sufficiens patrimonium habuerit, atque in hujusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio ejusdem confessoris statuendum, in suis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare licitè valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quòd absolutio et dispensatio hujusmodi oratori in foro judiciario nullatenùs suffragentur.

Idem servat etiam dataria apostolica, quæ dispensat in utroque foro super hujusmodi irregularitate, et quoties supplicatur pro dispensatione pro oratore promoto ad sacros ordines sub ficto titulo, committit ordinario ut impositâ eidem oratori aliquâ pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione suorum ordinum ad annum, vel biennium, aut aliud tempus, D. datario benè visum, suspenso; ita ut nec finito suspensionis hujusmodi tempore, restituatur ad executionem dictorum ordinum, antequàm ab ipso ordinario idoneus repertus et approbatus fuerit, ac in ecclesiasticis vel aliis redditibus annuis habuerit, unde commodè vivere possit, dispenset.

CAPUT XII.

Praxis dispensationis cum malè promotis per saltum.

Pari modo per saltum promotus, id est, ad ordinem superiorem, non recepto priùs ordine inferiori, irregularis est, capite *Un.*, ubi doctores de Cler. per salt. prom., ibi P. Presbyter diaconatûs ordine prætermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri. Sicut etiam de jure civili dicimus quòd est per saltum promotus, quando quis gradum licentiaturæ ante gradum baccalaureatûs suscepit, ex eo quòd saltavit de baccalaureatu ad doctoratum, cùm sit gradatim ascendendum, ut in l. *Ut gradatim*, ff. de Muner. et Honor. l. 1, c. *Ut dignitatis ordo servetur*, quia casum appetit qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, c. *Sicut*, dist. 48, ut per Rebuff. in tr. *Nominat.*, q. 21, n. 37, ubi dicitur quòd sic per saltum promotus, qui suscepit ordinem sacerdotii post quatuor minores, vel primum sacrum post subdiaconatum; concil. Tridentin., sess. 23, capite 14, in fin., de Reform.; Navar., capite 27, numer. 242; Majol. de Irregular. libro 4, capite 12; Zerola in Prax. part. 2, verbo *Irregularitas*, § 3, ac propterea dispensatione apostolicâ indiget, si in suscepto ordine ministravit, Henriquez in Summ. part. 2, libro 3, de Excommunic., Campanil. in divers. jur. canon. rubr., cap. un., numero 4, quia suspensus est ab executione ordinis superioris, ad quem per saltum promotus est, quousque ordinem inferiorem recipiat, quem prætermisit, ut docet text. in d. cap. un.; Navarr. in Manual., capite 25, numer. 71, et consil. d. 40, de Tempor. ordin.; Majol., d. cap. 12; Vivald. in Candel. aur. tit. Suspens., num. 48; Sayr., de Cens., lib. 4, cap. 14, num. 26, ubi ait quòd id intelligitur de ordinibus sive majoribus, sive minoribus, ut censuit congregatio cardinalium, anno 1588; circa quod ait id. Vivald. d. tit. n. 48, quòd potest episcopus dispensare, antequàm taliter promotus ministret, et dummodò omissum ordinem suscipiat, antequàm utatur tali dispensatione. Si verò ante dispensationem, ordine suscepto utatur, solus Papa dispensat, sive scienter, sive ignoranter ministraverit; ita ut ministrans in ordine suscepto ante dispensationem, semper indigeat dispensatione apostolicâ ad hoc ut ad majores ordines ascendat, idem Majol., d. lib. 4, num 2, ubi ait quòd suppletio sola non sufficit quoniam requiri etiam debet dispensatio, ut ascendere et ministrare possit. Est tamen advertendum quòd taliter promotus non est irregularis respectu ordinum inferiorum, quos legitimè suscepit, cùm ab illorum usu non sit suspensus, quod benè declarat Silvest. in verbo *Irregularitas*, § 11, et Abb. in d. cap. un. ult. notab., dicens quòd ordinatus præposterè non potest sine dispensatione ministrare in ordine sic suscepto; Garc., de Benefic., part. 7, cap. 7, n. 262. Si verò impedimentum exinde proveniens occultum erit, non requiritur dispensatio apostolica, sed tantùm episcopi, ex vi concilii Tridentini, sess. 24, capitulo 6; et ex eodem concil., sess. 23, capitulo 14, idem episcopus cum promotis per saltum si non ministraverint, poterit ex legitimâ causâ dispensare.

Dispensatio super irregularitate contractâ ex hujusmodi malâ promotione quando spectat ad Sedem Apostolicam, conceditur in dies in utroque foro per datariam, ac in foro conscientiæ per officium sacræ pœnitentiariæ, si factum erit occultum, prout sæpè contingit, et sic primo casu porrigitur supplicatio tenoris sequentis, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. diœcesis N. quòd ipse aliàs sacerdotalis dignitatis fervore accensus, quatuor minoribus ordinibus prætermissis, ad sacros, etiam presbyteratûs ordines promoveri se fecit, quapropter suus ordinarius N. contra ipsum desuper procedens, illum in quasdam etiam pecuniarias pœnas condemnavit, ac à sacrorum ordinum prædictorum executione, donec à Sede Apostolicâ absolutionis beneficium et dispensationis gratiam meruisset obtinere, suspendit. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator de præmissis plurimùm doluerit et doleat, cupiatque sibi desuper opportunè provideri, ac propterea absolutionis beneficium hujusmodi ac dispensationis gratiam sibi misericorditer impendi, supplicat igitur humi

liter E. S. V. dictus orator, quatenus ejus statui in præmissis opportunè providendo, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequendo, dictum oratorem à malâ promotione hujusmodi, necnon à quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, in utroque foro absolvere, dictasque pœnas sibi gratiosè remittere et condonare; secumque super irregularitate, per eum ex præmissis quòmodolibet contractâ, quòdque sic omissos quatuor minores ordines supradictos à suo ordinario suscipere liberè et licitè valeat, dispensare, dictasque pœnas sibi gratiosè remittere et condonare; ac postquàm ad dictos quatuor minores ordines promotus fuerit, in illis, ac etiam sacris, et presbyteratûs ordinibus ministrare, necnon quæcumque, et qualiacumque, cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etc., ut in aliis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur : *Et committatur ordinario, ipsoque oratore ab executione suorum ordinum, quousque dictos quatuor minores ordines secretò ac ritè susceperit, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso, et aliàs parito integrè judicato.*

Qui quidem stylus procedit, quando in hujusmodi malâ promotione ordinarius non fuit in culpâ. Secùs verò, si fuerit culpabilis; nam tunc dataria, seu cancellaria Apostolica id committit metropolitano, vel ordinario viciniori, qui oratorem absolvat, et cum eo dispenset, aliaque faciat, ut supra; eumdemque secretò promoveat; impositâ ei gravi pœnitentiâ salutari, quæ cæteros deterreat à similibus committendis; ipsoque ab executione suorum ordinum, saltem per triennium, aut ampliùs, suo arbitrio, suspenso; et contra ordinarium N. seu alium antistitem, qui oratorem per saltum ordinaverit, juris et facti remediis procedat.

Cùm tamen casus fuerit occultus concessit Gregorius XIII majori pœnitentiario, ut cum sic promotis possit dispensare, ac subinde Paulus V concessit etiam Scipioni cardinali Burghesio itidem majori pœnitentiario, ut cum hujusmodi promotis per saltum, et in occultis in foro conscientiæ tantùm dispensare posset; habilitando alienum episcopum, ut unicâ die, edum quatuor minoribus ordinibus, sed etiam primâ tonsurâ, cum ipsis ordinibus eos initiare possit: unde si casus occurrerit, si quis quatuor minoribus ordinibus prætermissis ad sacros ordines se promoveri fecerit, recurrat ad officium sacræ pœnitentiariæ, quæ id non committit ordinario oratoris, aut alteri peculiari, sed generaliter venerabili in Christo Patri cuicumque catholico antistiti, gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habenti, in propriâ diœcesi residenti, vel in alienâ de licentiâ diœcesani, ordines conferre valenti, per oratorem eligendo, quatenùs si est ita, dictum oratorem, auditâ priùs ipsius sacramentali confessione, à quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, et excessibus hujusmodi absolvat hâc vice in formâ Ecclesiæ consuetâ, injunctâ inde ei pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, et aliis quæ de jure fuerint injungenda. Ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso. Demùm, cummodò præmissa occulta sint, cum eodem oratore, pœnitentiâ, vel illius parte peractâ, et suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus et meritis, super irregularitate per eum ex præmissis quomodòlibet contractâ; quòdque illâ et aliis præmissis non obstantibus, postquàm in hujusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio ejusdem episcopi statuendum, ab eodem, dictos quatuor minores ordines, secretò, etiam sine litteris dimissoriis, sive commendatitiis sui ordinarii, ne suum delictum prodere cogatur, ac etiam extra tempora à jure statuta, quatuor festivis, etiam continuis, vel interpolatis diebus, suscipere, ac postmodùm, in dictis sacris et presbyteratûs ordinibus jam susceptis, etiam in altaris ministerio ministrare licitè valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quòd absolutio et dispensatio hujusmodi oratori in foro judiciario nullatenùs suffragentùr. Insuper eidem antistiti, ut dictos quatuor minores ordines dicto oratori conferre valeat, eâdem auctoritate indulgendo.

Quòd si orator obtinet, seu obtinere intendit beneficia ecclesiastica, debet adhuc in dicto officio sacræ pœnitentiariæ in eâdem gratiâ petere dispensationem ad illa, cùm sit inhabilis ad dicta beneficia; quia non habet executionem ordinis, et qui eam non habet est beneficii ecclesiastici incapax, c. fin. de Cler. excommun. ministr.

Est autem benè advertendum circa hujusmodi inhabilitatem ad beneficia, non procedere id in provisione beneficii, quod non requirit alium ordinem, præter illos inferiores, quos jam legitimè susceperat; quia ut docet Suar., 5 tomo de Cens. in 3 part., disp. 40, sect. 4, n. 38, quando irregularitas non est totalis, sed respectu alicujus actûs aut temporis, tunc non reddit clericum incapacem cujuscumque beneficii, sed tantùm illius, quod habet annexam obligationem tali irregularitati repugnantem; quia cùm hæc prohibitio nascatur ex prohibitione circa exercitium ordinis, non potest ampliùs extendi, quàm illa ex quâ nascitur. Unde si orator jam obtinuerat alia beneficia, suis ordinibus jam ritè susceptis, convenientia, parùm refert petere in supplicatione dispensationem pro retentione dictorum beneficiorum; sed illorum tantùm quæ obtinuit post ordines sic malè susceptos prout servatur in praxi.

Contra hujusmodi promotiones per saltum, super quibus petuntur frequenter dispensationes apostolicæ, exclamabat bon. mem. Benedictus Paulinus, datarius Clementis VIII, quia sæpè visum est, taliter promotos pro beneficiis obtentis egere novis provisionibus ac dispensationibus, et propterea dicebat, quòd non ita passim admitti deberet illa communis doctorum conclusio, nempe quòd ad probationem clericatûs, et minorum ordinum satis sit probare, et ostendere majores, ut per Put., decis. 144, lib. 2, num. 5, ubi fuit conclusum in unâ Conchen. Parochialis, quòd clericatus sufficienter probaretur per ostensionem quatuor minorum, quia tunc probatis majoribus, probantur minores maximè, ub;

illa narrativa fit à personâ fide dignâ; circa quod ait Navarr., consil. 4, de Jurejur., quòd probato acolytatu, non probatur prima tonsura, nec alii minores ordines, sed probato sacerdotio, censentur probati etiam omnes minores, quando agitur de ordinatione antiquâ, et probatur quòd ordinator erat insigni virtute præditus; quòdque non idem dicendum erit probari alios minores ordines, probato acolytatu; ac propterea requirenda est facti veritas ob periculum, ne objiciatur in foro exteriori, promotio per saltum, constito de acolytatu, et non appareat de promotione ad alios minores ac psalmistarum. Hæc id. Navarr. d. consil. 4, num. 2. et in unâ Burgen. beneficii 13, novembris 1595, coram Pamphilio, fuit resolutum, ex litteris subdiaconatûs, probari clericatum; cùm regulariter non præsumatur quis per saltum promotus, ut per Garc., parte 7, cap. 1, num. 168, ubi ait id sine difficultate procedere, quando ordinarius est discretus et prudens, taliter, quòd nisi sibi de præcedentibus ordinibus constitisset, verisimiliter sequentes non contulisset, ut fuit resolutum in unâ Bononien. canonicatûs 24 maii 1599, coram Pamphilio; aliàs enim procederet opinio Domin., consil. 91, col., 2, ubi ait non sufficere si quis se probet sacerdotem, quia oportet probare omnes alios ordines, cum potuisset per saltum promoveri, et ut per Rebuff. titulo de Pacif., possess., numero 192.

Nec longè abest casus quo quidam laicus, licèt professus in religione, se, omissis primâ clericali tonsurâ, ac cæteris ordinibus fecit se ad presbyteratûs ordinem promoveri. Deinde verò obtinuit à Papâ absolutionem eo modo quo cernitur in sequentibus litteris, videlicet:

Urbanus, etc., *venerabilis frater, seu dilecte fili, salutem*, etc. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius frater Bonaventura de Girigliano laicus expressè professus, ordinis S. Francisci de Paulâ minimorum nuncupatorum, in domo regulari Neapolitan. dicti ordinis ad præsens commorans, quòd ipse alias, licèt in ordine hujusmodi professionem laicalem emisisset, nihilominùs quâdam animi levitate ductus, ad sacrum presbyteratûs ordinem, clericali charactere, ac quatuor minoribus et aliis sacris ordinibus prætermissis, cum falsis dimissoriis, aliàs tamen ritè se promoveri fecit, in eo tamen nunquàm ministravit, nec missas celebravit. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus exponens de præmissis plurimùm doluerit, et doleat ab intimis, cupiatque ab eis absolvi, ut infrà; ideò nobis humiliter supplicari fecit, exponens prædictus, quatenùs ejus statui, ac aliàs in præmissis, etc., dignarenur. Nos igitur, attendentes Sedem Apostolicam, piam matrem, filiis ad eam, post excessum, cum humilitate recurrentibus, gremium suæ pietatis claudere non consuevisse, ipsumque exponentem specialis gratiæ favore prosequi volentes, necnon à quibusvis*, etc., *quâvis, præterquàm præmissorum occasione*, etc. *Censentes, certam tamen de præmissis notitiam non habentes*, etc., *inclinati, fraternitati tuæ*, etc., *mandamus, quatenùs, constito tibi de præmissis, eumdem exponentem, si id à te humiliter petierit, à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis quæ propter præmissa quomodolibet incurrit, aut incurrisse dici, vel censeri potest, in utroque foro impositâ ei aliquâ gravi salutari tamen pœnitentiâ; ipsoque ab executione suscepti ordinis hujusmodi, perpetuò suspenso, et ascensu ad reliquos ordines, ac primam tonsuram eidem etiam perpetuò interdicto; ita ut semper, ut frater laicus remaneat ut antea, et parito judicato, si quod sit, salvâque regulari disciplinâ, auctoritate nostrâ, in formâ Ecclesiæ consuetâ, absolvas et totaliter liberes, dictasque sententias, censuras et pœnas ei gratiosè remittas et condones. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis apostolicis, necnon in synodalibus, provincialibus et universalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, ac ordinis prædicti, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque*, etc. *Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 15 novembris 1635, pontificatûs nostri anno tertiodecimo.*

II. Rainerius.

Ex hâc praxi habetur, quòd eò difficiliùs hìc datur dispensatio, quò major est saltus, nedùm in casu præinsertarum litterarum cum regularibus, verùm etiam cum secularibus, sic per saltum promotis. Quare orator in eisdem litteris nominatus, saltando de statu laicali ad sacerdotalem incidit in foveam quam fecit, cùm aliàs benè potuisset suffragantibus tamen sibi meritis, et idoneitate sic ascendere, et per ostium intrare, prout non rarò ex summi Pontificis dispensatione evenire non ignoramus, porrigendo supplicationem, modo sequenti conceptam, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris fratris A. ordinis fratrum minorum S. Francisci de observantiâ nuncupati, quòd ipse orator, qui laicus existit, ac in dicto ordine professionem per fratres laicos ejusdem ordinis emitti solitam à quatuordecem annis vel circa emisit, nunc in vigesimo nono circiter suæ ætatis anno constitutus, ex singulari devotionis fervore, desiderat ad statum clericalem et ad sacerdotium ascendere, cùm ad id sufficientem et idoneum se reputet, ac propterea commissarius generalis ejusdem ordinis ipsum oratorem bis examinari fecit, eumque sufficientiâ et vitâ exemplari idoneum judicavit. Supplicat propterea humiliter E. S. V. tam dictus A. quàm commissarius prædictus, qui etiam ob penuriam sacerdotum et copiam laicorum in provinciâ N. existentem, summoperè id desiderat, quatenùs in præmissis opportunè providendo, ipsumque oratorem specialibus favoribus et gratiis prosequendo, eidem oratori, ut ex statu laicali hujusmodi, ad prædictum statum clericalem ascendere, ac habitum per fratres clericos, seu choristas dicti ordinis gestari solitum, suscipere, et professionem per eos emitti solitam, emittere regularem, necnon se clericali charactere insignirt, et ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri façere, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, ac omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, præeminentiis, prærogativis, indultis et aliis gratiis tam spiritualibus quàm temporalibus, quibus alii dicti ordinis fratres seu clerici,

choristæ de jure, statuto, usu, consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri, gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, ipse pariter, et pariformiter uti, potiri et gaudere, vocemque activam et passivam habere, ac quæcumque dicti ordinis beneficia, dignitates, prælaturas, officia et munia, etiam quomodolibet qualificata, si ad illa assumatur, vel eligatur, recipere, et exercere liberè et licitè valeat, dispensare, sibique desuper concedere, et indulgere dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis, etiam juramento, etc., *roboratis statutis,* etc., *privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ordini, illiusque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis,* etc. *Quibus omnibus,* etc., *derogare placeat, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Et cum absolutione à censuris, etc. *Et de dispensatione, concessione, adulto aliisque præmissis ut supra pro dicto oratore in formâ gratiosâ latissimè extendendis, et quòd præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, ordinis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris per breve S. V. seu officium minoris gratiæ expediendis.*

Hujusmodi supplicationes usque ad tempus Pauli V, fel. rec. consueverunt remitti ad sacram congregationem regularium, quæ ad relationem procuratoris ordinis attestantis de qualitate, meritis et sufficientiâ oratoris ac causis, etiam per eamdem sacram congregationem examinatis, si supplicatio videbatur per Papam signanda, illam ad eumdem transmittebant; hodiè autem id non video, nisi rarò servari.

Litteræ autem in formâ brevis super hujusmodi indulto dantur semper ferè ut in formulâ sequenti, videlicet:

A tergo : *Dilecto filio A. ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de observantiâ.* Intùs verò :

Urbanus, etc. *Dilecte fili, salutem,* etc. *Religionis zelus, vitæ, ac morum honestas,* etc. *Cùm itaque nobis exponi fecisti quòd tu, qui, ut asseris, habitum per fratres oblatos, seu laicos ordinis Fratrum S. Francisci de observantiâ nuncupatorum gestari solitum, suscepisti, ac novitiatum et professionem regularem adinstar fratrum dicti ordinis fecisti, et respectivè emisisti, fervore devotionis accensus, ad statum clericalem transire, ac ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis Altissimo famulari desideras; quare nobis humiliter,* etc. *Nos igitur in tuo laudabili proposito hujusmodi te confovere, specialibus favoribus,* etc., *prosequi volentes, et à quibusvis,* etc. *Censentes,* etc. *Tibi, quòd de superiorum tuorum licentiâ, si nullum aliud canonicum obstet impedimentum, et dummodò tu ad id idoneus reperiaris, servatisque alias de jure servandis, clericali charactere insigniri, ac ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus,* etc., *ministrare liberè et licitè valeas, apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus et indulgemus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis, quibuscumque. Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, die 13 januarii 1630, pontificatûs nostri anno septimo.*

M. A. Maraldus.

Ubi igitur pro istis laicis intercedunt merita et idoneitas, nihil est quin possint ipsi ex dispensatione, sive indulto apostolico, ad statum clericalem transire, juxta tex. in c. *Metropolitano*, in fin., 6 dist., et in leg. fin., cod. de Stat. et Imag., ubi, quòd virtutum merita tribui convenit merentibus, cum aliis adductis per Mandos., reg. 33, q. 14, n. 20.

Quò verò ad laicos, seu conversos ordinis Eremitarum S. Augustini, videlicet ex statu laicali valeant ad clericalem pertransire, adest decretum sacræ congregationis regularium, tenoris sequentis, videlicet :

Cum sac. congregationi S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium propositæ, innotuisset nonnullos fratres laicos seu conversos ord. Eremitarum S. Augustini, propriæ conditionis et statûs oblitos, vel graduum altiorum appetentes dignitatem, ad statum clericalem absque legitimâ Sedis Apostolicæ licentiâ pertransisse; alios quidem, postquàm habitum per laicos, seu conversos quosdam alicubi gestari solitum, quem vulgò zimarretam appellant, ante, vel post eorum acceptationem, seu receptionem inter clericos assumpserant dereliquisse, et inter clericos postmodùm se cooptari, vel recipi fecisse; altos, postquàm in statu laicali, seu conversorum fuerant jam recepti, aut etiam professi, et in actibus laicorum, seu conversorum se exercuerant; propriâ item auctoritate, vel, etiam de superiorum suorum, nempe generalium, vel provincialium licentiâ, habitum clericorum assumpsisse, et vel in propriis provinciis remanentes, vel ad alienas transeuntes, aut alias remotiores partes peragrantes, ad ordines etiam sacros cum debitis dimissoriis se promoveri fecisse : alios denique, postquàm, ut supra, inter laicos, seu conversos fuerant recepti, vel professi, et in actibus eorum se exercuerant, ementitis litteris testimonialibus suorum superiorum, et suæ receptionis, clericalem habitum, et ordines minores, et sacros suscipere, et in altaris etiam ministerio ministrare, sacraque pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta, ac curam animarum exercere veritos non esse; eminentiss. ejusdem sac. congreg. Patres, ne res tam mali exempli ulteriùs progrediatur, et ipsi tantæ temeritatis impunes non pertranseant, pro eo quantùm fieri potest prospicere volentes, auditis priùs Patre generali et procuratore generali ejusdem ordinis, ac negotio hujusmodi primùm in congregatione particulari desuper deputatâ tùm in plenâ congregatione, semel atque iterùm diligenter examinato, ac maturè discusso, communicato, etiam consilio cum S. D. N. Urbano Papâ VIII, atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, in has quæ sequuntur, resolutiones decernendum esse censuerunt :

Primò, omnes et singulos quos eorum provincialibus seu vicariis generalibus respectivè, unà cum duobus saltem patribus definitorii constiterit, fuisse pro clericis in ipsâ religione acceptatos, licèt ante vel post eorum

acceptationem, seu receptionem inter clericos, habitum, ut supra à laicis gestari solitum, zimarrettam nuncupatum, detulerint, dummodò in actibus laicorum seu conversorum illo tempore se non exercuerunt, mandant, et hâc de causâ, non molestari, eisque ut in prædicto habitu et statu clericali liberè et licitè remanere possint, indulgent; et quatenùs ex hâc eâdem causâ reperiantur ab exercitio suorum ordinum suspensi, eos in omnibus et per omnia in integrum restituunt, ac ad exercitium suorum ordinum plenariè reintegrant; utque in posterum clerici à laicis, tam ante quàm post eorum acceptationem, seu receptionem, et professionem, etiam per habitum distingui possint, districtè mandant et præcipiunt ne ullus jam receptus, aut acceptatus, vel de proximo acceptandus, seu recipiendus inter clericos, habitum prædictum, zimarrettam nuncupatum, per seipsum assumere, aut à generali, provinciali, vel alio superiore, quocumque nomine censeatur, etiam in generali, vel provinciali capitulo assumendi, vel deferendi licentiam, seu facultatem obtinere, vel concedere præsumat; qui secùs fecerit, à statu clericali dejectus, ad habitum et statum laicorum, seu conversorum reducatur; et superiores qui prædictam zimarrettam quomodolibet dederint, aut deferri permiserint, vel deferendi licentiam concesserint, perpetuam officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ et passivæ privationem, ipso facto, et absque aliâ declaratione, incurrant.

Secundò, quos inter laicos, seu conversos, jam receptos, aut professos, ut ad habitum et statum clericalem transire et ad ordines promoveri possent, falsis litteris testimonialibus eorum receptionis, vel professionis, seu licentiis suorum superiorum ad hujusmodi transitum faciendum, vel promotionem obtinendam usos fuisse, eisdem provincialibus, seu vicariis generalibus, respectivè, unà cum duobus saltem patribus definitorii constiterit, eos à statu clericali dejici, et ad statum et exercitia laicorum, seu conversorum reduci, atque ab exercitio ordinum quos temerè assumpserunt, absque spe ulterioris promotionis, vel rehabilitationis, perpetuò suspendi debere mandant et præcipiunt.

Tertiò de his qui cum verâ et legitimâ suorum superiorum licentiâ transitum hujusmodi fecisse, vel cum eorumdem superiorum legitimis litteris testimonialibus ad ordines se fuisse promotos deduxerint, sacra congregatio, in casibus particularibus, pensatis cujusque rationibus, et circumstantiis providebit.

Ac postremò, generali, provincialibus, vicariis generalibus, et aliis quibuscumque superioribus præsentibus, et qui pro tempore fuerint ordinis hujusmodi, quocumque nomine censeantur, districtè prohibet atque interdicit ne cuiquam laico, seu converso inter laicos jam acceptato, seu recepto, vel acceptando, seu recipiendo, etiamsi professionem in statu laicali nondùm emiserit, ad habitum clericalem posthàc transire, tonsuram clericalem suscipere, aut ad ordines se promoveri facere permittant; si secùs factum fuerit, superiores qui de præmissis aliquid concesserint, vel permiserint, officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ et passivæ privationem, ipso facto, absque aliâ declaratione, arbitrio ejusdem sacræ congreg. duraturam, incurrant; sicque transeuntes, tonsuram suscipientes, vel se promoveri facientes, ab exercitio suorum ordinum perpetuò suspensi remaneant, à statu et habitu clericali dejiciantur, et ad habitum et statum laicorum seu conversorum reducantur, Constitutionibus ejusdem ordinis, etiam auctoritate apostolicâ confirmatis, privilegiorum communicationibus, aut aliis apostolicis concessionibus et indultis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Romæ, die 23 januarii 1643.

M. Cardinalis Ginettus. Loco † Sigilli.

L. Archiep. Theb. Secret.

LIBER QUINTUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS SUPER IRREGULARITATE EX QUOCUMQUE HOMICIDIO PROVENIENTE.

CAPUT PRIMUM.

Praxis dispensationis super homicidio ex delicto.

Irregularitas ex homicidio proveniens, est etiam ex antiquioribus, ut constat Exod. cap. 21, ibi : *Si quis per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab altari meo evellas eum.* Et ex novo jure concilii Tridentini, sess. 14, cap. 7, de Reform, ubi homicida voluntarius excluditur à quocumque beneficio, etiam simplici, ab ordine et officio ecclesiastico ; Majol., de Irregul., lib. 5, cap. 48, num. 5.

Quoad praxim verò impetrandi dispensationem super irregularitate ex hujusmodi homicidio proveniente, sciendum est quòd licèt summus Pontifex in omni irregularitate ex homicidio voluntario, etiam notorio, proveniente, dispensare possit, ut est communis opinio DD., et testantur Inno., Host. et Panor., in cap. *Sicut dignum*, num. 52; et id. Panorm. in cap. *Continebatur*, n. 3, et in cap. *Ad audientiam*, n. 4, de Homicid., ex eo quòd hæc sicut omnis alia irregularitas, sit introducta jure positivo, Anchar. in Clemen. 1, de Homic., Silvest., verbo *Irregularitas*, vers. fin.; Suar., disp. 40, sect. 4, num. 11 ; Filliuc., tract. 19, cap. 2, num. 32; Sayr., de Cens., lib. 7, cap. 7, num. 3, ubi ait falsum esse fundamentum eorum qui asserunt hanc irregularitatem esse de jure divino propter illud Paralip. 22 : *Non ædificabis mihi domum, quia vir sanguinis es :* quia non omnia quæ in Scripturis dicuntur, de jure divino sunt, et propterea indispensabilia, sed ea solùm quæ Deus præcipit, vel qui Scripturas scripserunt, à Deo immediatè tanquam præceptum divinum Ecclesiæ tradendum susceperunt; nihilominùs idem summus Pontifex in dispensationibus hujusmodi concedendis non parùm diffici-

lem se reddit, nimisque ab eis abhorret; cùm abominabile sit quòd effundens sanguinem humanum offerat sanguinem Christi, et hostiam immaculatam, vel officium Deo ad altaris ministerium præstet, dicente Prophetâ : *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Deus*, ut per Borgas., de Irregul., p. 1, q. 4, num. 1 ; ac propterea in illarum petitione, ipsius homicidii qualitas est exprimenda ; nam magna est differentia, an ipsum homicidium sit voluntarium, per industriam, seu datâ operâ ; an verò casuale, vel non ex proposito, seu vim vi repellendo et ad defensam, teste Mandos., in praxi Signat, titul. absol. et rehabil. ab homicidio, versicul. *Circa absolutionem;* et ut omnes sciunt versati curiales.

Et quoad homicidium voluntarium super eo pluriès vidimus dispensari, justis ac arduis suadentibus causis ; Felin., in c. fin., de Major. et Obed., in fine; ubi ait quòd Papa dispensat ex causâ sicut et Paulus, qui priùs fuit vir sanguinis, ac Christianorum sævissimus macellator, et meruit dispensativè inter Apostolos prænonorari. Sicut etiam magnoperè attendi consuevit tempus perpetrati delicti, an videlicet homicidium ipsum sit recens, vel antiquum ; nam si est de recenti patratum magis punitur, ac difficiliùs datur dispensatio, ac remittitur, quàm antiquum ; juxta tex. in l. c. de Rapt. virgin. ; id. Mandosius, dict. tit., vers. *Absolutio ab homicidio*. Et tantò minùs conceditur dispensatio hæc ab eodem summo Pontifice, si homicidium prædictum sub illius pontificatu patratum fuerit ; testatur id. Mandos., vers. *Nec consuevit*. Nec refert quòd orator narret in supplicatione quòd in perpetrando homicidio necessitas aut causa quævis urgentior intervenerit, ut faciliùs obtineat dispensationem ; nam si ipse dabat operam rei illicitæ, ipsi imputabitur homicidium, juxta doctr. Angel., in l. *Si cum servo*, ff. de Jur.

Hæc autem dispensatio longè faciliùs conceditur jam promoto, et super retentione beneficiorum jam obtentorum, quàm cum promovendo, et ut ille possit beneficia ecclesiastica obtinere; Glos. per illum tex., in capit. *Quicumque pœnitentes*, 50. dist. arg., capit. *Quemadmodùm*, de Jurejur. Ac præmissa omnia procedere certum est, etiamsi fuerit secuta mors, aut mutilatio hominis cujuscumque, sive Saraceni ; Paud., 4, dist. 25, q. 3, art 2, conclus. 2. Et idem erit si occiderit fœtum animatum in utero matris, qui, si est masculus, solet animari intra quadragesimum diem ; si verò femina, intra diem octuagesimum, Sayr. de Conf. lib. 6, cap. 15, n. 9, ubi prosequitur quòd si sit dubius an occiderit fœtum, quando fuit animatus, debet se habere tanquàm irregularem, cùm in dubiis tutior pars sit eligenda, puta fœtum fuisse animatum ; id. Palud. d. dist. 25, q. 3, conclus. 3, ut aliàs diximus.

Hæc etiam praxis se extendit, ut quamvis homicidium appareat casuale, adhuc tamen petenda sit dispensatio ; nam licèt orator videatur propterea carere culpâ, nihilominùs obtinebit litteras, committendas episcopo, vel alteri delegato, saltem per viam declaratoriæ, quia ipse orator non debet putare se, ipso jure, evasisse irregularitatem, ita ut absque licentiâ summi Pontificis possit ad ordines promoveri vel susceptos exercere ; licèt enim illi debeatur dispensatio, tam ad ordines, quàm ad beneficia quæcumque ac dignitates, ut ex concilio Tridentino, sessione 14, capitulo septimo de Reformatione ; nihilominùs ad id accedere debet causæ cognitio, quæ coram ordinario vel viciniore episcopo, vel metropolitano fieri debet per commissionem Papæ ; aliàs enim, si quis post tale homicidium, ordines susciperet, vel in susceptis ministraret, non habitâ supradictâ declaratoriâ, esset severè puniendus, ita Majolus de Irregularitate, lib. 5, capite 48.

Modus autem et praxis impetrandi hujusmodi dispensationes et concipiendi supplicationem, ex sequenti formulâ patebit, quæ talis esse potest sicut nuper casus evenit, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Ludovici Maresca clerici Neapolitan. in quatuor minoribus ordinibus constituti, quòd cùm aliàs ipse orator, et duo ejus fratres, ac quidam eorum consanguineus ad verba cum quibusdam adversariis suis devenissent, et prædicti oratoris pater ibi, dùm altercarentur, existens, eos placare, et altercationes hujusmodi componere conatus esset, id impetrare nequiverit, et interim unus ex dictis adversariis prædicti oratoris consanguineum in facie cum effusione sanguinis percussisset, et alius etiam ex eisdem adversariis cultrum, animo alterum ex fratribus ipsius oratoris, offendendi, evaginâsset; atque ob id dictus orator videns etiam alium ex ipsis adversariis, saxum arripuisse, ut periculum sibi et dicto fratri suo imminens, evitaret, adversarium qui saxum hujusmodi arripuerat, cultro quem secum deferebat in pectore vulnerâsset, et dictus adversarius ex ipso vulnere quinque, aut sex post diebus, sicut Domino placuit, è vitâ decessisset, ac prædicti oratoris consanguineus sic, ut præfertur, percussus, pugionem cuidam illic astanti, qui eum deferebat, eripuisset, subindeque in adversarios irruens, ab eis confossus fuisset; postmodùm ordinarius loci ad instantiam procuratoris fiscalis, desuper procedens, licèt de homicidio per oratorem, ut præfertur, commisso, apertè non constaret, tamen ex nonnullis indiciis, eumdem oratorem, per nonnullos menses antea carceratum, in exilium à civitate et diœcesi Neapolitanâ ad decennium condemnavit, illinc tamen ad triennium, vel circa, quo tempore dictus orator exilium hujusmodi servavit, secutâ inter utramque partem pace residuum ipsius exilii eidem oratori condonavit et remisit; prout in processu et sententiâ desuper formato, et latâ plenius continetur. Cùm autem, Pater Sancte, dictus orator, qui ab inde semper sine scandalo vixit, de præmissis ex intimis doluerit et doleat, ac à similibus in posterum committendis firmiter abstinere intendat; proindeque plurimùm cupiat absolutionis beneficium et dispensationis gratiam per S. V. et Sedem Apostolicam benignè sibi impendi; supplicat igitur humiliter E. S. V. orator præfatus, quatenùs sibi in præmissis opportunè providendo, eumque specialis gratiæ favore prosequendo, dictum ora-

torem ab excessibus præmissis, ac quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, in utroque foro, auctoritate apostolicâ absolvere, et totaliter liberare, illasque sibi gratiosè remittere et condonare; ac secum super quâcumque irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contractâ; quòdque illâ et eisdem præmissis non obstantibus, suo clericali characterе, quo aliàs ritè insignitus fuit, illiusque privilegiis ac quatuor minoribus ordinibus per eum aliàs ritè quoque susceptis, uti necnon quæcumque et qualiacumque simplicia, et nullum sacrum ordinem annexum habentia beneficia ecclesiastica, etiamsi in cathedralibus et metropolitanis, ac collegiatis Ecclesiis fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipse eligatur, vræsentetur, vel aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eisdem, recipere, et dummodò simul plura non sint, quàm, quæ à concilio Tridentino permittuntur, quoad vixerit, retinere liberè et licitè valeat, dispensare; omnemque inhabilitatis et infamiæ maculam sive notam circa eum ex præmissis quomodolibet insurgentem, ab eo penitùs tollere et abolere ac illum in pristinum, et eum, in quo ante præmissa quomodolibet erat statum restituere, reponere et plenariè reintegrare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac quibuscumque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; nec non Ecclesiarum, in quibus beneficia hujusmodi fuerint, statutis, etiam juramento, etc., *roboratis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis earumque præsulibus*, etc., *quibus omnibus*, etc., *latissimè derogare placeat, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et quòd processus et sententiæ præfatarum, necnon inde secutorum quorumcumque tenores, etiam veriores habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in litteris. Et de absolutione, liberatione, remissione, condonatione, dispensatione, abolitione, restitutione, repositione, reintegratione, aliisque præmissis, ut supra in formâ gratiosâ, in litteris latissimè extendendis. Et quod præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum, major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per breve S. V. seu officium minoris gratiæ (non tamen quoad dispensationes ad beneficia hujusmodi) expediendis.* Et additur : *Et committatur ordinario, qui veris existentibus prænarratis, oratorem, impositâ ei aliquâ pœnitentiâ salutari et attentâ pace, ut præfertur, habitâ, absolvat, secumque, dummodò ad id reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas, ac alia virtutum merita, sibi aliàs suffragentur, nec aliud canonicum ei obsistat, ad beneficia simplicia, nullumque sacrum ordinem annexum habentia, ac quatuor minores tantùm dispenset pro suo arbitrio, et parito priùs judicato.*

Nec ita passim hujusmodi supplicationes signantur à Papâ, nisi postquàm correctæ fuerint domino datario, ab eodem priùs remittantur ad congregationem cardinalium concilii Tridentini, ubi ipsæ supplicationes proponuntur, discutiuntur et plenè examinantur, ut inde discernatur an gratia sit concedenda, vel deneganda; quòd si videatur concedenda, remittitur supplicanti ad datariam cum his verbis in illius calce appositis, scilicet : *Videtur signanda, si sanctissimo placuerit*, et hoc modo postmodùm signabitur et expedietur per registrum secretum, additis priùs post secundam illius partem, verbis, seu clausulis restrictivis, quæ incipiunt ab illis verbis : *Et committatur ordinario*, etc., ut supra.

Et idem erit de homicidio casuali, super quo non potest epicopus dispensare, nisi ex commissione Papæ, ut dictum est, et causâ cognitâ, Tolet. l. 1, cap. 88, in fin., quamvis aliquibus nuntiis, præcipuè Hispaniarum, consuevit per summum Pontificem tribui facultas dispensandi super irregularitate contractâ ex homicidio casuali, etiam publico, ut per Garc. p. 1, cap. 11, n. 35.

Sic etiam praxis ista servatur in dispensatione super homicidio per clericum primæ tantùm tonsuræ, patratum; quo casu committitur ordinario, ut secum dispenset quoad usum clericalis characteris, illiusque privilegiorum, et ad quatuor minores ordines, ac ad simplicia, seu aliàs sine curâ, et sacrum ordinem non requirentia beneficia ecclesiastica tantùm, vel, citra dispensationem et ascensum ad sacros ordines et beneficia curata, aut aliàs S. ordinem annexum habentia, et quandoque citra ascensum ad S. ordines per integrum biennium; vel aliud tempus, prout qualitas facti suadet, quæ quidem decreta restrictiva extracta sunt ex c. *Si quis post acceptum*, ibi : *Si ad clerum admissus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem*, 51 dist.

Est quidem hìc et in similibus casibus petenda etiam abolitio infamiæ, ut in supra dictâ formulâ; quia in infamiâ juris et in irregularitate, quæ ex ipsâ procedit, solus Papa dispensat, Barbos, de Pot. episc., alleg. 43, n. 30, ut etiam in quibusdam aliis casibus, præsertim de damnato ad triremes; quia liberatus finito tempore adhuc remanet infamis per text. in l. *Ad tempus*, quibus ex causis infamia irrog. Et quoad hoc hodiè exstat decretum sequenti tenore emanatum, videlicet :

Feriâ V, die 4 januarii 1635, in generali congregatione S. R. et universalis inquisitionis habitâ in Palatio Apost. apud S. Petrum coram S. D. N. D. Urbano divinâ Providentiâ Papâ, et Eminent. DD. S. R. E. cardinalibus in universali republ. christianâ adversùs hæreticam pravitatem gen. Inquis. à Sede Apost. specialiter deputatis S. D. N. D. Urbanus prædictus justis de causis animum S. S. moventibus decrevit ut in posterum tam presbyteri seculares, quàm cujuscumque ordinis regulares damnati ad triremes perpetuò, vel ad tempus, et cum effectu fuerint in eisdem triremibus remiges, finito tempore dictæ pœnæ nunquàm habilitentur ad executionem suorum ordinum. Quod decretum refert Squill. de Priv. episc. p. 3, c. 22, n. 34.

Pro presbytero autem, qui homicidium commisit in rixâ, semper consuevit committi ordinario, qui constito sibi, homicidium hujusmodi in subitaneâ et im-

provisâ rixâ per oratorem fuisse commissum, et aliàs narrata vera esse, ipsum oratorem absolvat, et injunctâ ei aliquâ pœnitentiâ salutari arbitrio suo, cum eo dispenset. Ipsoque oratore ab executione suorum ordinum arbitrio ejusdem ordinarii suspenso.

Quòd si ipse presbyter fuerit aliquo modo culpabilis, dabitur decretum, ut ab ordinario absolvatur, injunctâ ei gravi pœnitentiâ salutari, quæ cæteros deterreat à similibus committendis, ipsoque oratore ab executione suorum ordinum ad decennium, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso, et dummodò orator non celebret in loco commissi delicti, et quandoque (quod idem est) in Ecclesiâ loci, ubi commissum fuit delictum, nunquàm celebret. Quòd si fuerint duæ Ecclesiæ æquè viciniores loco delicti, intelligitur de utràque, ut declaravit Clemens VIII, et vidi adnotatum in quibusdam notabilibus manuscriptis Bernardini Paulini, qui fuerat illius datarius, quod quidem adinventum fuisse per signaturam, ait Mandos., d. tit. vers. *Aliquando*, quia sicut quis puniri debet in eo in quo deliquit, vulg. jur., ita puniri seu privari debet, ne in loco à se offenso celebret, vel aliquid commodi seu honoris habere possit, ex juribus ibi per eum allegatis.

Ad hæc, pro presbytero, parochialem Ecclesiam obtinente, qui pariter homicidium patravit, additur clausula : *Ipsoque ab executione suorum sacrorum ordinum per biennium, et deinde arbitrio ordinarii suspenso, cum decreto, quòd durante suspensione hujusmodi, eidem Ecclesiæ de vicario idoneo ab ipso ordinario approbato, cum assignatione congruæ portionis illius fructuum, provideatur.* Pro aliis verò datur aliquando clausula : *Ipsoque oratore ab executione suorum ordinum perpetuò suspenso. Et citra dispensationem ad beneficia curata; sacrumque ordinem annexum habentia, vel requirentia cum deputatione vicarii*, etc., vel aliàs, prout D. datario videbitur.

Presbyter, qui monachum interfecerat, obtinuit secum dispensari, et litteræ fuerunt suo ordinario directæ, qui verificatis narratis, eique injunctâ aliquâ pœnitentiâ salutari, ac inter alia, ut jejunaret in pane et aquâ singulis sextis feriis, donec viveret, ac pro animâ occisi recitaret officium singulis diebus, ac ultrà suspensione, celebraret unam missam defunctorum pro animâ interfecti quâlibet hebdomadâ, ipsoque ab executione suorum sacrorum ordinum per integrum triennium, et deinde arbitrio ejusdem ordinarii suspenso, dispensaret.

Et tam in præmissis quàm in quibuscumque similibus casibus addi consuevit clausula, *Parito judicato*, et si homicidium patratum fuerit in statu ecclesiastico, additur : *Et citra bona fisco incorporata*, quæ tunc ita dicuntur, quando in numero et corpore aliarum rerum fiscalium sunt redacta, Felin. in cap. *Translato*, de constit. ad Mandos. tit. *Absolvat*, et rehabilit. vers. *Incorporata*.

Et quia in casu prædicto peti consuevit absolutio et dispensatio à summo Pontifice, propterea, etiamsi orator fuerit in aliquo ex sacris ordinibus constitutus, datur absolutio tantùm in utroque foro, cum clausulâ : *Citra aliquam dispensationem, nec ad ordines, neque ad beneficia*, vel alia : *Et citra ascensum ad reliquum presbyteratûs ordinem, et dispensationem ad altaris ministerium.* Pluries tamen cum supradictis visum est per ipsum Pontificem ad utrumque dispensari, etiam cum oratoribus ejusdem statûs ecclesiastici.

Vidimus aliàs dari absolutionem et dispensationem ei qui promotus ad subdiaconatûs ordinem, postmodùm homicidium commisit, ac bellis interfuit, nec erat aptus ad reliquos sacros ordines suscipiendos, fuitque sibi concessum, ut ingrederetur aliquem ordinem militarem, cum indulto super recitatione horarum canonicarum ; fuitque appositum in calce supplicationis tale decretum, videlicet : *Et committatur ordinario, qui oratorem, impositâ ei pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione dicti subdiaconatûs ordinis suspenso, et citra ascensum ad alios sacros ordines, ab excessibus hujusmodi absolvat, ac secum super irregularitate, per eum ex præmissis quomodolibet contractâ ut habitum per fratres milites alicujus militiæ approbatæ, gestari solitum, suscipere ac professionem per eos emitti consuetam, expressè emittere; dictumque habitum gestare et deferre loco habitûs et tonsuræ clericalium; ita ut in illis incedere minimè teneatur; necnon loco horarum canonicarum, rosarium B. Mariæ Virgis recitare, ac juxta militiæ instituta in cœlibatu perpetuo permanendo, bellum contra fidei catholicæ hostes gerere, et deferre liberè et licitè valeat, dispenset*

Necnon, ubi ratio ita postulat, additur clausula : *Habitâ priùs pace ab hæredibus defuncti*, si in supplicatione non erat expressum, quod jam pax et remissio à dictis hæredibus secutæ fuerint ; quo casu faciliùs Papa movetur ad gratiam hujusmodi concedendam, quia faciliùs parcitur delinquenti concordatâ parte adversâ, juxta notoriam consuetudinem ubique vigentem, id. Mandos., eod. tit. vers. *Et quod faciliùs parcatur.*

Nec propterea qualitas hæc est necessariò exprimenda in supplicatione, propter defectum potestatis Papæ, qui forsan sine pace supra dictâ obtentâ, non posset concedere absolutionem et dispensationem ; sed tantùm erit id exprimendum, ob quamdam ipsius Papæ beneficientiam, et pietatem, nam si simpliciter absolveret, et dispensaret, filiis defuncti, nepotibus, et aliis consanguineis pecuniam, et panem quotidianum subtraheret ; quod etiam exemplificat id. Mandos. vers. *Sed quæro*, in eo qui interfecit advocatum, procuratorem, medicum, vel alium qui ex propriâ doctrinâ vel artificio domui suæ victum, et alia acquirebat ; quo casu illis non sunt alimenta subtrahenda, ad text. in l. *Necare*, ff. de l. *Agn.*

Negari tamen non potest, quin aliquando detur clausula : *Et præstitâ cautione idoneâ per dictum oratorem de satisfaciendo hæredibus et proximioribus defuncti, si qui sint, arbitrio ordinarii* ; vel : *Ita tamen quòd exul à dicto loco tam diù remaneat, donec pacem à consanguineis defuncti obtinuerit;* quod præsertim addi consuevit in dispensationibus cum ultramontanis.

Quid autem operetur, et in quibus casibus sit id necessarium, et quibus competat hujusmodi pacem et remissionem facere, videatur Julius Clarus, lib. 5, § fin., quæst. 58.

Et quamvis idem dicendum videretur de irregularitate contractâ ex homicidio proveniente ex veneficio, attamen sciendum est quòd in his dispensationibus concedendis se summus Pontifex difficiliorem reddit, quia plus est hominem veneno inficere quàm gladio occidere; text. in l. 1, c. de Venef. Circa quod ait Hostien., in Summâ de Homicid., § Quis dicatur homicida, vers. *Item qui homines*, quòd venenum emens, præparans, conficiens, habens, dans, vendens, vel quantùm in se est ministrans, vel alteri propinans, homicida est, et uti talis punitur, ut per Burgos., de Irregul., par. 6, tit. de Veneficiis, num. 1 et 4, dicentem, n. 6, quòd venenatio est crimen qualificatum, et longè deterius homicidio, cùm sit crimen occultum, ut dixit etiam Bald. in l. *Cùm fratrem*, c. de His quib. ut indigni. Et propterea licèt eadem sit irregularitas, sicut in homicidis voluntariis, attamen in his casibus Papa difficiliùs dispensat, propter atrocitatem et proditionem, ut sciunt curiales.

Quoniam verò ut plurimùm hujus modi delicta sunt occulta, propterea sicut in aliis casibus, et delictis occultis, pro illorum dispensatione recurritur ad officium sacræ pœnitentiariæ, ubi dispensatio super hoc non impetratur nisi maximâ cum difficultate, et propter gravissimas causas; nec ibi prævalent favores, aut personarum contemplationes, et idem servatur quoad dispensationem super irregularitate ex abortu fœtûs animati, pro jam promoto ad sacros ordines; quæ etiam faciliùs, ut dictum est suprà, dispensat cum jam promoto, dummodò adsit gravis causa; nam si presbyter qui tale delictum abortûs patravit, non poterit abstinere ab executione ordinum sine scandalo, tunc committitur discreto viro confessori, etc., quia si ita est, ipsum oratorem, auditâ priùs ipsius sacramentali confessione, absolvat, injunctâ ei gravi et perpetuâ pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso. Et quandoque dispensatur, ut possit suos ordines exercere, et in altaris ministerio ministrare, si ob scandalum non valet à præmissis abstinere; ac propterea additur clausula: *Et dummodò ipse orator ab executione ordinum abstinere non valeat sine scandalo, cum eo dispenset*, etc.

Hæc tamen causa scandali vitandi non semper consuevit admitti in his et similibus casibus; nam, si explicabitur quòd aliàs orirentur scandala, respondebitur: *Si timet scandala, discedat.*

Solet etiam in supra dictis casibus dispensari super retentione beneficiorum quæ forsan orator obtinet, etiamsi fuerint beneficia curata, licet rarò, ut ipsa praxis docet.

Pro presbytero autem qui alium presbyterum interfecit, ex gravissimis etiam causis dari consueverunt absolutio et dispensatio super irregul. inde contractâ, injunctâ ei pro modo culpæ gravissimâ et perpetuâ pœnitentiâ salutari, per quam corpus acriter affligatur, ac sentiat atrocitatem admissi sceleris, ut inde animæ suæ pleniùs consulatur, et quam discretio confessoris ita moderetur, ut quod occultum est non veniat in apertum, injunctis etiam eleemosynis pro modo facultatum ipsius oratoris, pro orationibus, et celebratione missarum pro animâ defuncti; quodque iis quibus presbyter occisus, dùm viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciat et subveniat in eo in quo tenetur. Insuper additur quòd neque illâ ratione prosit, quominùs feudo hæreditario, seu jurepatronatûs, si quod ab ecclesiâ in quâ dictus presbyter occisus forsan intitulatus erat, obtinet, ipse ejusque hæredes illo perpetuò sint privati.

Et nec per datariam in utroque foro, neque per sacram pœnitentiariam in foro conscientiæ, dantur hujusmodi dispensationes, nisi in specie exprimatur unde sit irregularitas contracta, ut aliàs dixi; quare hodiè non admitteretur illa clausula in supplicatione, quam dicit Mandos., loco cit., vers. *Tempore Pauli III*, dùm ait quòd ipse tempore ejusdem Pontificis pro familiari cujusdam cardinalis excogitavit clausulam hanc, videlicet: *Ipsumque specialibus favoribus et gratiis prosequendo, eumdem oratorem ab hujusmodi homicidii reatu, ac omnibus et singulis excessibus, delictis, et criminibus qualitercumque et quomodocumque usque in præsentem diem, etiam forsan dicto homicidio majoribus et gravioribus, cujuscumque qualitatis sint, etiam iteratis et reiteratis vicibus, etiam occasione militiæ, vel aliâ quâcumque, etiam inexcogitabili causâ per eum patratis*, etc.; licèt enim mihi sufficiat credere eidem Mandos., unum tamen scio, quòd neque ante, neque post tempus supra dicti Pauli III, reperitur gratia hæc particulari personæ concessa, cùm totum oppositum fateantur etiam antiqui curiales fuisse servatum; nisi forsan dicemus fuisse alicui sive Sedis Apostolicæ legato, sive nuntio hanc facultatem ita dispensandi concessam; cùm apud omnes etiam Romanæ Curiæ novitios satis notum sit irregularitatis provenientiam esse omninò in specie exprimendam; quod servari videmus, tam in datariâ pro utroque foro, quàm in sacrâ pœnitentiariâ in foro tantùm conscientiæ, sicut aliàs diximus.

Quoniam verò dispensationes super irregularitate ex occulto impedimento proveniente peti etiam consueverunt per dictum officium sacræ pœnitentiariæ, sicut jam diximus, propterea hìc pro novis curialibus opportunè additur quòd text., in cap. *Is qui de sent. excom.*, in 6, præcipuam hanc capit interpretationem; nam licèt in c. ad *Audientiam*, 1 de Homic. habeatur, censendum esse irregularem eum qui de irregularitate dubius est, sic etiam in c. *Significâsti*, eod. tit., et alibi, habetur quòd in dubiis sit tutior pars eligenda; quapropter videtur quòd irregularitas ipsa non modò contrahitur ubi est expressa, verùm etiam ubi de eâ dubitatur. Hanc tamen contrarietatem ita concordant DD., nempe, ubi dicitur illam non contrahi nisi in casibus à jure expressis, id intelligi debere in foro judiciali et exteriori, nimirùm quòd judex, seu alius non debet in foro judiciali aliquem in dubio irregula-

rem judicare, prohibendo ei ordinum susceptionem aut administrationem; suprad. verò jura in c. ad *Audientiam*, et in c. *Significâsti*, dicunt procedere in foro consc., quia tunc in dubio debet talis se irregularem reputare, et à susceptione ordinum vel administratione abstinere; etenim bonarum mentium est timere culpam ubi culpa minimè reperitur; c. fin., dist. 5, et c. 2, de Observ. jejun.; unde hæc inde emanat conclusio, quòd in foro contentioso, quoad pœnas juris, in dubio non judicatur irregularitas; secùs verò in foro conscientiæ; Abb., in d. c. ad *Audientiam;* nam in foro conscientiæ præsumitur delictum, ut per Dec., in c. *Præsentia*, notab. 12, in fin., de Probat.; Majol., de Irreg., lib. 1, cap. 2, reg. 7, n. 3, in fin.; et super hoc videndus est Sayr., de Censur., lib. 6, c. 2, n. 15 et 16. Sicque ex præmissis praxis inolevit ut etiam, ubi orator dubius est de irregularitate super casu occulto, habeat recursum ad dictum officium sacræ pœnitentiariæ; quia nunquàm aut rarò id concedit dataria pro utroque foro, ibi enim si petatur talis dispensatio in casu dubio, et ad cautelam, semper ferè rejicitur supplicatio, ut practicis curialibus notum est.

Pro iis verò homicidis, seu facinorosis, qui cupiunt ingredi religionem, cùm eis obstet constitutio Sixti V, quæ incipit: *Cùm de omnibus*, etc., *ut in* § *Omnes autem, ibi omnes autem, et quoscumque criminosos vel suspectos*, etc., *ad religionem perpetuò inhabiles declaramus*, cum clausulâ irritanti, dictâ constitutione non obstante, datur per d. officium sacræ pœnitentiariæ dispensatio, cùm orator ad peccatorum suorum pœnitentiam peragendam petit licentiam ingrediendi ipsam religionem, necnon dispensari ad ordines et ad illius officia et dignitates; unde diriguntur litteræ religioso viro cuicumque superiori cujusvis religionis à Sede Apostolicâ approbatæ, quatenùs oratorem, postquàm cum fisco concordaverit, et hæredibus occisi, si nondùm satisfecit, satisfecerit, à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa incurrit, homicidii reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro (ad effectum ingrediendi religionem duntaxat) absolvat, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, etc.; ac cum eodem ut, d. constitutione Sixti Papæ V contra facinorosos editâ non obstante, religionem à Sede Apostolicâ approbatam (non tamen ordinis sancti Spiritûs, seu S. Antonii, vel aliquam aliam militarem), ubi benevolos invenerit receptores, ingredi, et in eâ professionem emittere, ac, post emissam professionem, suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus et meritis, alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis quomodolibet contractâ; quòdque illâ et aliis præmissis non obstantibus, clericali charactere, si eo nondùm insignitus existit, insigniri, ac ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines, si ad id aliàs idoneus reperiatur, promoveri, et postquàm promotus fuerit, in illis etiam in altaris ministerio (non tamen in loco perpetrati delicti) ministrare; et quæcumque dictæ religionis officia et dignitates, si ad illa aliàs canonicè et juxta ejusdem ordinis regularia instituta eligatur, vel assumatur, gerere et exercere, vocemque activam et passivam habere licitè valeat, misericorditer dispenset.

Petitur aliquando dispensatio hæc pro homicidâ qui uti conversus, seu laicus, ob causam prædictam cupit ingredi religionem, et tunc dantur litteræ supra dicti tenoris; sed tamen simpliciter dispensatur ut valeat ipsam religionem, uti conversus, seu laicus, ingredi, et in eâ professionem ab eisdem conversis emitti solitam emittere; ibique, quoad vixerit, remanere et perseverare possit.

Ubi verò contingit ut monachus monachum ad rixam, vel provocatus, interficiat, per eamdem sacram pœnitentiariam, etiam in utroque foro, præsertim si à superioribus suis desuper punitus fuerit, pœnasque sibi injunctas adimpleverit dispensatur ad suos ordines exercendos, et religionis officia et dignitates consequenda, præsertim si de eo à dictis superioribus bonum feratur testimonium.

Quo verò ad eum qui ante ingressum religionis, sed dùm esset in seculo, aliquem interfecit, ac postea ipsam religionem ingressus, in eâ professionem emisit, modò verò cupiat ab ipso homicidio absolvi et secum dispensari, committi consuevit confessori magistro in theologiâ, etc., quatenùs, si est ita, bonumque testimonium de oratore ab illius superioribus, onerâtis super hoc eorum conscientiis, afferri repererit, eumdem, auditâ illius sacramentali confessione, absolvat in foro conscientiæ tantùm, secumque dispenset ad omnes ordines; ita tamen ut ille non celebret in locis ubi publicum sit homicidium ab eo commissum; necnon dispensatur ad officia et dignitates dictæ religionis.

Quòd si fortè religiosus, dimisso habitu regulari, apostatavit, et insuper homicidium patravit, tribuitur facultas confessario ut oratorem, postquàm habitum ipsum reassumpserit, et ad claustrum, ibi sub obedientiâ regulari permansurus, redierit, auditâ illius confessione, illum ab apostasiâ et homicidio absolvat: injunctâ ei gravi pœnitentiâ salutari, quæ duret quamdiù ipse vixerit; et, dummodò præmissa occulta sint, secum, ut in suis ordinibus, etiam in altaris ministerio, quamdiù in religione manserit, jussus duntaxat, et non aliàs, ministrare valeat, dispenset in foro conscientiæ tantùm.

CAPUT II.

Praxis dispensationis super defectu lenitatis perfectæ.

Quia verò plures sunt homicidii species, pluribusque modis illa committuntur, sicut summistæ aiunt, nimirùm, solâ voluntate instigante, casu eveniente, necessitate cogente, et justitiâ mediante; de hoc ultimo, illiusque dispensationis praxi hìc agendum occurrit, cùm exercitium crudelium actuum cum sanguinis effusione, adhuc impedimentum irregularitatis inducat, impediatque promovendos, jamque promotos rejiciat, ut docet text., in cap. *Sententium sanguinis*, ne cler. vel mon., et in c. 1, dist. 51; propterea sequitur modò videre praxim impetrandi dispensationes super irregularitate proveniente ex defectu lenitatis perfectæ, quæ contrahitur ab illis qui post baptismum

in causâ sanguinis fuerunt prætores, seu potestates, vel judices, assessores, advocati, procuratores, notarii, officiales, testes, aut scriptores, vel legentes, seu lectores sententiæ sanguinis, aut aliàs criminalibus se immiscuerunt; in illisque tulerunt sententias ex quibus secuta fuerunt ultima supplicia, vel mutilationes membrorum; isti enim efficiuntur inhabiles et irregulares, et egent dispensatione ad ordines et beneficia; c. *Clerici*, et d. c. *Sententiam*, ubi Abb., num. 1 et 11, et ibi Innoc., eod. tit., Leo in Thesau. for. eccl., par. 2, c. 8, num. 31; et quotidiè videmus infinitas dispensationes et rehabilitationes desuper in Romanâ Curiâ peti, etiam pro illis qui aliquo quovis modo se præmissis ingesserunt; licèt postmodùm mors secuta non fuerit, neque sanguinis effusio, quia nihilominùs remanent irregulares, cùm per ipsos non steterit quominùs omnem operam præstiterint ut mors, aut sanguinis effusio sequeretur, ut ait Mandos., in Praxi, art. Absol. et rehabil., vers. *An autem advocatus*, dicens ibi quòd propter præmissa, scilicet quòd non fuerit mors, aut effusio sanguinis secuta, poterit ordinarius dispensare; quod tamen satis deviat à praxi ejusdem Curiæ, cùm ex consuetudine pro hujusmodi dispensatione recurratur ad summum Pontificem (quamvis nonnulli teneant hoc modo nullam contrahi irregularitatem); et quocumque modo contracta fuerit ista irregularitas, pro petendâ super eâ dispensatione, concipi consuevit supplicatio modo sequenti, et aliàs juxta facti qualitatem, mutatis mutandis, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Francisci Boerii, laici diœcesis N.; quòd ipse, devotionis fervore accensus, plurimùm cupit clericali militiæ adscribi, ac ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis Altissimo, quoad vixerit, famulari. Sed quia aliàs in civitate et diœcesi N., ac alibi, diversis temporibus, judicis, assessoris et commissarii officio fungendo, sententias capitales ad ultimum supplicium condemnatorias ac alias corporis afflictivas contra reos et facinorosos homines protulit: illasque, justitiâ mediante, executioni demandari fecit; necnon aliàs diversimodè criminalibus sese immiscuit, irregularitatem contrahendo, desiderium suum hâc in parte adimplere non potest, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs de opportunæ dispensationis gratiâ, ac aliàs sibi in præmissis opportunè providendo, cum eodem oratore, quòd præmissis non obstantibus, clericali charitate insigniri, ac ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus in illis etiam in altaris ministerio ministrare, necnon quæcumque et qualiacumque, cum curâ et sine curâ beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et præbendæ, seu dignitates, etiam majores, et principales in cathedralibus, aut collegiatis Ecclesiis, seu parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ vicariæ fuerint, si sibi aliàs canonicè conferantur, aut ipse eligatur, præsentetur, vel aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eisdem, recipere, et dummodò simul plura non sint, quàm quæ à concilio Tridentino permittuntur, retinere liberè et licitè valeat, aispensare dignemmi de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur: *Et committatur ordinario, et dummodò orator reperiatur idoneus, vitæque ac morum probitas, aliaque merita sibi suffragentur; nec aliud canonicum obstet impedimentum. Et quòd de cætero à similibus abstineat.*

Hæc autem dispensatio satis frequentem cursum habet in Romanâ Curiâ, cùm detur super irregularitate proveniente ex homicidio justo, et ex morte alteri illatâ, vel mutilatione absque culpâ, et sine peccato, illa verò irregularitas, quæ provenit ex homicidio injusto, difficiliùs admittit dispensationem, juxta ea quæ not. Navarr. in Man., cap. 27, num. 218, et tota Curia testatur, ac nos supra diximus.

Quare ex hâc praxi habetur oratorem qui se exercuit in criminalibus, non modò secutâ morte, verùm etiam illa non secutâ, egere apostolicâ dispensatione, licèt contrarium probare contendat dominus meus Joannes Baptista Ciarlinius Carpensis in suis Controv. forens., tomo. 2, c. 103, per tot.; pati enim non potest me dixisse non solùm eos qui se ingesserant in criminalia, secutâ morte, quod nemo negat, sed eos etiam qui in iis versati sunt, non secutâ morte, esse irregulares, et quotidiè petere in Rom. Curiâ dispensationes; quia etiam non secutâ morte incurritur irregularitas, cùm per eos non steterit, quò minùs ad eam operam præstiterint; id quod mihi ita certum est, ut etiam formulam apposuerim supplicationis, quæ de more solet ab oratore usurpari pro petendâ hujusmodi dispensatione: quamvis nonnulli teneant non secutâ morte nullam incurri irregularitatem. Ipse verò D. Ciarlinius Carpensis, loc. cit., n. 4, sic prosequitur.

Non obstant allegata per Corradum in d. Praxi, l. 5, c. 2, n. 3, quia ipse in principio dixit effectum requiri ad incurrendam irregularitatem, et propterea non est audiendus, dùm postea sibi contradicit. Nec est ei credendum, dùm testatur de consuetudine petendi dispensationem apostolicam quia scio multos fuisse ordinatos sine dispensatione, quia effectus sententiæ sanguinis non fuerat secutus. Et licèt fortè aliqui petant talem dispensationem in Romanâ Curiâ, id non fit ex necessitate, sed ad cautelam, ad evitandas opiniones et tollendos scrupulos eorum qui nesciunt acquiescere, et non denegatur, ut mihi super hoc facto consulenti responsum fuit. Unde Corradus non potest dicere id esse de stylo; quia in formâ brevis hujusmodi dispensationis, cujus verba ipse refert, legitur narratum, quòd sententiam sanguinis orator ille executioni demandaverat. Unde colligitur, quòd etiam Romæ in concedendis hujusmodi dispensationibus consideratur an effectus sit secutus.

Cui ut satisfaciam, fateor me dixisse, ad contrahendam irregularitatem, effectum requiri: cùm verò ipse

infert me non esse audiendum, quia ipse mecum pugno, nemo, etiam lynceus deprehendet, me pugnantia loqui; quandoquidem tam ordinatè semper consentanea contexens, tam demonstrativè ad praxim descendo, ut nullus ambigendi locus sit, circa eos qui criminalia exercuerunt.

Subjicienti verò D. Ciarlinio Carpensi, non habendam mihi fidem, dicenti hujusmodi dispensationem etiam in hoc secundo casu esse petendam, eò quòd multos viderit ordinatos, morte non secutâ, sine nullâ dispensatione, et quòd in formulâ supplicationis expressè affirmetur, oratorem nominatum, sententiam sanguinis executioni demandâsse; ex quo colligitur, etiam Romæ in concedendis hujusmodi dispensationibus, consiliari an effectus sit secutus; respondeo, licèt verum in ipsâ formulâ legatur, me tamen nunquàm, neque ibi neque alibi dixisse illam restringendam ad illos tantùm oratores qui secutâ morte indigent dispensatione, cùm possit mutatis mutandis eadem formula etiam iis deservire, qui in criminalibùs se exercuerunt, morte non secutâ; ut in operis præfatione dixi, et loc. cit. sub num. 4, declaravi subdens, quocumque modo hæc irregularitas contrahatur, porrigi Papæ supplicationem sub eâdem formulâ, paucis mutatis; ergo mihi non contradico, ergo credendum mihi vera dicenti, ergo ipsi Carpensi carpere me non licet; quia me cùm carpit, carpere videtur stylum datariæ, et cancellariæ Apostolicæ, quibus innititur hæc mea praxis; quanquàm nisi sit nimiùm carpendi cupidus, erubescere deberet, tam audenter doctrinæ adversari, cui et totus orbis non dedignatur consentire, et ego nondùm alium passus sum adversarium, nisi D. Ciarlinium Carpensem, virum alioqui spectabilem, sacerdotem et vicarium generalem Ecclesiæ Regien.

Noverit D. Ciarlinius Carpensis doctrinam quam carpit me Romæ addidicisse (hoc est, in eâ urbe, ubi sacri canones conduntur, interpretantur atque usurpantur) à viris ibi summæ auctoritatis ipsâ quotidianâ praxi comprobatam; et quoties res tulit, in ipsâ datariâ et cancellariâ Apostolicâ à me ipso usurpatam, et à nullo unquàm, sive primario, et iis officiis præposito, seu privato doctore, rejectam. Hinc factum est, ut cùm videret mihi aliquid profecisse, typis mandare statuerim has lucubratiunculas ad Omnipotentis Dei gloriam, et proximi nostri utilitatem. Sed quid mirum si me carpit Ciarlinius Carpensis, si ipsos carpit Romanos curiales, peritissimos et consummatissimos in theoricâ et praxi, ut homines cupidiores, et nimis lucro inhiantes, non alio nomine, nisi quia ab eo de hâc re consulti, ex meo sensu responderunt? Verùm nunc de his hactenùs. Quòd si D. Ciarlinius Carpensis paucis his non acquieverit, suo tempore, cùm plus dabitur otii, fusiùs ac dilucidiùs respondebitur, ut aliquando carpere desinat immerentem.

Pro iis autem qui sive clerici, sive presbyteri fuerint, opera charitatis exercent in eos qui ad mortem, mediante justitiâ, condemnantur, ut faciunt nonnullæ sodalitates id institutum habentes, præsertim in Urbe, ubi similis erecta est in Ecclesiâ sancti Joannis Baptistæ nationis Florentinæ, et in nonnullis aliis civitatibus et locis, quoniam damnatum hortando ad benè moriendum, contingit, ut in fine exhortationis, hortator ipse eumdem moriturum ad nomen Jesu ter invocandum excitet, quo veluti signo dato, carnifex afflictum impellendo, laqueo præfocat; quod sine irregularitatis notâ fieri nequit; opportunè provisum est ut hujusmodi sodales, qui inter alia laudabilia opera, quæ sodalitas sive confraternitas ipsa exercet, ad mortem damnatos hortari, consolari, et ad benè et patienter mortem obeundam pro viribus auxiliari consueverunt, ad evitandum omnem conscientiæ scrupulum, qui in eis pro tempore oriri posset, si fortè in hâc piâ occupatione, et charitatis officio exercendo, aliquid contigerit, propter quod de alicujus irregularitatis incursu dubitandum esset, à summo Pontifice peterent, quatenùs ipsos et eorum quemlibet ab omni irregularitatis, propter præmissa usque tunc quomodolibet contractæ, incursu, necnon censuris et pœnis ecclesiasticis exinde provenientibus absolveret et dispensaret; necnon cum eis, ut in casibus prædictis tantùm, nullam propterea censuram ecclesiasticam, aut irregularitatis notam incurrant, neque incurrisse dici valeant, apostolicâ auctoritate dispensaret. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Et ubi interim accidit, ut ipsi confratres, ante hujusmodi dispensationem, præmissa egerint, additur decretum, quòd ipsi pœnitentiam à confessario ab ordinario approbato, per eos eligendo, illis propter præmissa injungendam adimplere omninò teneantur.

Cæterùm, ubi clericus, sive presbyter, aut in aliquo ex sacris ordinibus constitutus, consilium dedit ad accelerandam mortem ultimo supplicio afficiendi, pluries peti vidimus absolutionem et dispensationem ab officio sacræ pœnitentiariæ, per quam committuntur confessario per oratorem eligendo, ut auditâ illius sacramentali confessione, eum absolvat, injunctâ pœnitentiâ salutari. Ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso. Et dummodò occultum sit ipsum dedisse dictum consilium, cum eodem, pœnitentiâ, vel illius parte peractâ, et suffragantibus, etc., super irregularitate inde contractâ dispenset, ut valeat in suis ordinibus ministrare, et quæcumque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ recipere et retinere.

CAPUT III.

Praxis dispensationis cum exercentibus artem medicinæ.

Ex antedictis satis congruè sequitur videre quomodò se habeat Romanæ Curiæ praxis circa eos qui artem medicinæ, seu chirurgiæ exercuerunt; postmodùm verò supplicant secum dispensari ad ordines et beneficia. Contrahitur enim per eosdem irregularitas, quandoquidem sæpè inde mortis periculum inducitur.

Borgas., de Irreg., part. 6, tit. de Phys. et Chirurg.; ac ob id non sunt facilè promovendi, si medicandi usum exercuerint, ex quo forsan per imperitiam aut negligentiam, etiam morti prædictæ causam dederunt juxta text. in l. *Imperitia*, ff. de Reg. jur. et l. *Idem juris*, ff. ad l. *Aquil.* et ut plurimùm ad adustionem et cauteria, vel abscissionem membrorum devenerunt, ut in c. *Tua*, de Homicid., et sicut ipsis clericis non licet operari, seu artem medicinæ exercere, ita neque in scholis physicam audire, cap. *Non magnopere ne cler. vel mon.*, quod profectò locum habebit, sive in majoribus, sive in minoribus ordinibus ii fuerint constituti, quia eisdem id non licet, nisi gratis pro miserabilibus personis, vel suis consanguineis, quatenùs non fuerint sufficienter beneficiati, id. Bur., Glos. à part. 6, num. 5, licèt contrarium teneat Majol., lib. 2, cap. 12, num. 7, ubi ait quòd clerici, etiam primæ tonsuræ, adeò artem medicinæ et chirurgiæ exercere prohibentur, quòd nec pro miserabilibus personis, nec pro consanguineis exercere permittuntur: quinimò, si ita exerceant, de rigore juris, susceptum ordinem sacrum administrare prohibentur, etiamsi mors, vel mutilatio vacet omni culpâ, ex d. cap. *Tua*. Ratio autem cur prædictis personis ecclesiasticis, præsertim sacerdotibus sit id jure prohibitum, ea est, quia isti debent esse medici animarum, non autem corporum, c. *Cùm sit*, art. de Ætat. et Qualit.

Idemque dicendum est de medico, qui publico vel privato stipendio conductus, officium suum non exequitur, si quem ejus negligentiâ vel ignorantiâ mori contingat; nunc enim fit irregularis, cùm clarum sit illum dici à medico occidi; quod quidem homicidium quodammodò voluntarium dicitur: Henriq., lib. 14, cap. 12, § 7, et alii, quos citat Sayr., de Cens. lib., 7, cap. 4, n. 5. Nec non medicus, qui requisitus etiam à divite qui pecuniam vel mercedem ei non assignat, negligat eum curare, postquàm curare cœpit, aut eum deserat, in culpâ est, si ægrotus moriatur; et ideò promoveri non debet, quia licèt merces ipsi non solveretur, poterat post convalescentiam vel ejus mortem, sumptus et stipendia petere et obtinere; id Majol., de Irreg., lib. 2, cap. 12, num. 4, et in simili casu vidi desuper peti dispensationem pro quodam Joanne Lavez, ex cujus negligentiâ, ut in supplicatione asserebatur, infirmus obierat, pro quo pluries fuit prædicta dispensatio denegata. Harum enim dispensationum praxis, ubi nullam oratoris culpam intervenisse asseratur, talis est, ut conficienda sit supplicatio, eo modo quo confici consuevit pro iis qui se criminalibus immiscuerunt, ut supra mutatâ ratione facti, cui additur; *Et committatur ordinario, et quoad dispensationem, dummodò orator moribus, scientiâ et ætate idoneus reperiatur, nullumque aliud ei canonicum obstet impedimentum, et ab exercitio artis prædictæ de cætero abstineat.* Et quandoque additur, *quòd per hujusmodi gratiam super homicidio, si quod per ipsum in exercitio hujusmodi artis commissum fuerit, dispensatus non intelligatur.*

Et sicut supradictis concedi consuevit dispensatio ad ordines et beneficia ob irregularitatem inde forsan contractam, ita quo que datur indultum, ut possint supradictas artes exercere; quod quidem concedi consuevit ut plurimùm pauperibus clericis, vel aliàs, prout summo Pontifici visum fuerit; ac proinde concipitur supplicatio eo modo quo sequitur, videlicet:

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Cynthius Misignanus clericus Neapolitanæ diœcesis art. et med. doct. qui nullum beneficium Ecclesiasticum obtinet, et clericali charactere duntaxat insignitus existit, ac per plures, annos medicinæ artibus, variis studiis ac vigiliis insudavit, in eisque multùm profecit, ac forsan plures experientias circa diversarum personarum infirmitatum curationes, easdem personas incolumes, et sanas, divino auxilio, reddendo, hactenùs fecit; et si artes hujusmodi desereret, nonnullis personis, quibus suâ scientiâ et experientiâ prodesse potest, maximo esset detrimento: propterea artem medicinæ hujusmodi circa pauperum et egentium, aliarumque personarum curationem, exercere summopere desiderat. Supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator, quatenùs in præmissis opportunè providendo, eumque specialibus favoribus, et gratiis prosequendo, sibi, ut donec aliquod beneficium ecclesiasticum assecutus, seu sacris ordinibus initiatus fuerit, et non ultra, artem medicinæ hujusmodi circa pauperum, et egentium, aliarumque personarum curationem, exercere et practicare ac præfatis, necnon quibusvis aliis personis infirmis ad ipsum recurrentibus, medicinas, remedia et antidota, prout earumdem personarum sanitati, ex artis medicinæ hujusmodi regulis ac præceptis expedire viderit, citra tamen incisionem et adustionem alicujus membri præbere, ac curam earumdem personarum assumere; necnon quoscumque actus, per medicos legitimè exerceri solitos, exercere liberè et licitè, ac absque alicujus irregularitatis incursu; ita quòd interim, clericali charactere, quo aliàs ritè insignitus fuit, illiusque privilegiis uti et gaudere possit et valeat, apostolicâ auctoritate concedere et indulgere; eumdemque oratorem à censuris et pœnis ecclesiasticis per ipsum ob præmissa incursis, etiam absolvere, sibique desuper, quatenùs opus sit, dispensare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur. M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de concessione, indulto, absolutione, dispensatione, aliisque præmissis, ut supra in formâ gratiosâ latissimè extendendis. Et quod præmissorum omnium et singulorum*, etc. Et additur: *Et citra incisionem et adustionem alicujus membri, et cum decreto, quòd dictus orator pœnitentiam salutarem, quam confessarius per eum eligendus, et propter præmissa injunget, adimplere omninò teneatur, alioquin præsens gratia in foro conscientiæ, sibi nullatenùs suffragetur.*

Fiat, M.

Datur aliquando cum his limitationibus, videlicet: *Quamdiù sacros ordines non susceperit.* Et quòd cùm

primum in ecclesiasticis, seu aliis redditibus habuerit, unde commodè vivere possit, ex tunc ab exercitio dictæ artis medicinæ omninò abstinere debeat. Quo verò ad dictam clausulam : *Citra incisionem*, etc., nunquàm hìc omittitur, illamque video extractam ex d. c. *Sententiam*, ne cler. vel monachi, ibi : *Nec ullam chirurgiæ artem subdiaconus, diaconus vel Sacerdos exercere, quæ adustionem vel incisionem inducit.*

Vidi aliquando hujusmodi indultum concedi ex eâ causâ, quia nimirùm in illis partibus, vel in eo loco non adessent medici christiani, seu tantummodò medici Judæi, quia, præter alia jura, ex constitutione Gregorii XIII, nec Judæi, nec alii infideles possunt vocari ad curandos christianos infirmos, pœnâ privationis sacramentorum necnon sepulturæ ecclesiasticæ ipsis christianis impositâ; quod quidem non modò intelligendum est de medicis et physicis, verùm etiam de chirurgis, et quibuscumque aliis, quodcumque remedium ægrotis parantibus; quo casu ad evitandum tale consortium, conceditur potiùs etiam presbytero indultum medendi cum decreto : *Dummodò tamen gratis, et ubi periculum mortis non imminet; et citra adustionem et incisionem; et quamdiù alius medicus orthodoxus commodè haberi non poterit.* Et quidem supradicta verba, *dummodò gratis*, quibus aliquando additur, *et amore Dei*, extracta sunt ex dicto capitulo *Tua nos*, § *Volumus*, ibi : *Si tamen pietatis et non cupiditatis id egerit.*

Idem indultum largiùs per præfecturam brevium pluries concedi vidimus, etiam pro simplici laico qui ipsam medicinæ artem exercuit, irregularitatem propterea contrahendo; ac modò cupit ex fervore devotionis clericali charactere insigniri, ac ad omnes sacros ordines promoveri; ac propterea cum oratore super irregularitate hujusmodi, ita ut illâ non obstante, si nullum aliud sibi obstet canonicum impedimentum, et dummodò ad id reperiatur idoneus, servatisque aliis servandis, clericali charactere hujusmodi insigniri, et ad omnes, etiam sacros et presbyteratûs ordines promoveri, et promotus ministrare possit, dispensando. Nec non eidem oratori, ut postquàm clericali charactere hujusmodi insignitus fuerit, ac ordines prædictos susceperit, donec in redditibus ecclesiasticis habuerit unde commodè vivere possit, artem medicinæ prædictam (citra tamen membrorum incisionem vel adustionem) exercere, et medicamenta, aliaque desuper necessaria præbere liberè et licitè valeat, etiam absque alicujus irregularitatis incursu; dummodò tamen nihil petat, sed à spontè dantibus tantùm, à pauperibus verò nihil recipiat, indulgendo. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus cæterisque contrariis quibuscumque. Et hoc modo fuit supradictum indultum concessum Joanni Jacobo Sclano Neapolitan. diœcesis, sub dat. apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 5 januarii 1654, pontificatûs Urbani VIII, anno undecimo.

At verò ubi nulla omninò imperitia vel negligentia eis possit imputari, ipsamque artis scientiam opportunè adhibuerint, et intrinsecùs nullâ mordeantur conscientiâ, poterunt legitimè promoveri, etiamsi sub eorum curâ multi mortui fuerint, cap. *Ad aures*, de Ætat. et Qual., his verbis : *Quòd cùm in arte physicâ eruditus sis, pluribus juxta ipsius artis traditionem exhibuisti cum diligentiâ medicinam, licèt pluries in contrarium successerit, et quibus putabas adhibere medelam, medicinis perceptis, mortis periculum incurrerunt; verùm quia ad sacros ordines desideras promoveri, super eo nos consulere voluisti; tibi breviter respondemus quòd, si super præmissis conscientia tua te remordeat, ad majores ordines de nostro consilio non ascendas.*

Unde, si quævis levis culpa imperitiæ vel negligentiæ illis imputari possit, ab ordinibus excludi debent, si mors vel mutilatio inde secuta fuerit, id. Majol. d. n. 2, circa med.

Præmissis igitur cessantibus, et sic, si nihil de contingentibus juxta medicinæ præcepta omiserint, habentque super hoc probabiliter conscientiam serenam, licitè possunt ad dictos ordines promoveri, absque aliquâ dispensatione. Et cùm super hoc fuisset habitus sermo coram D. datario Pauli V, dùm quidam clericus Niccin. fuisset à suo episcopo ad urbem missus pro obtinendâ desuper dispensatione, fuit conclusum ipsum illâ non egere, pro quo fuit allegatum, d. cap. *Ad aures*, per quod ei non imputatur eventus mortalitatis ut, in l. *Illicitas*, § *Sicuti*, ff. de Offic. præsid.

Nec propterea circa hanc praxim omittendum est quàmplurimos similes dispensationes ad cautelam impetrare, ne fortè tempore procedente, eos vexari, aut molestari contingat à suis ordinariis, ac præterea quia bonæ mentis est ibi culpam timere ubi culpa non est vulg. jur.

CAPUT IV.

Praxis dispensationis patrocinandi in causis civilibus.

Quemadmodùm clericis in arte medicinæ seu chirurgiæ peritis, datur indultum medendi, ita iis qui juris utriusque scientiâ pollent, indulgetur, ut possint eorum patrocinium in causis etiam civilibus præstare, cùm aliàs id personis ecclesiasticis sit jure prohibitum; unde dixit Innoc. in c. *Dilecta*, in fin., de Excess. prælat., quòd clerici non possunt officia civitatis exercere; nam debent attendere circa rempublicam spiritualem, arg. cap. *Duo sunt*, c. 12, q. 1, debentque versari circa vitam contemplativam, nec habere curam de rebus mundanis, nisi quatenùs necessaria sunt ad corporalem vitam, cap. *Si quis objecerit*, 1, q. 1, neque exercere officium procuratoris vel advocati : quod quidem intelligitur tam de constitutis in sacris ordinibus quàm habentibus beneficia ecclesiastica, cap. 2, *Ne cler. vel monachi*, cap. *Te quidem*, § *Ex his omnibus*, 11, q. 1.

At ubi clericus sit pauper, qui beneficio ecclesiastico aut patrimonio careat, unde se valeat commodè sustentare, licitum ei erit, etiam jure communi inspecto, absque aliquâ dispensatione, advocati munus, etiam in curiâ seculari, seclusâ accusatione in causis

criminalibus, exercere, Navarr. in tract. de Spol. cleric., § 7, n. 5, vers. *Eâdemque ratione.*

Ratio autem ea potissimùm videtur, scilicet quòd si hoc pro pauperibus facere potest, necnon miserabilibus personis, ad succurrendum eorum necessitatibus, cap. 1 de Postul., tantò magis sibi conveniens ac licitum erit ut propriis necessitatibus consulat, cùm ordinata charitas incipiat à se ipso, l. *Præses*, c. de Serv. et Aqu. Sicut etiam monachus posset de licentiâ sui prælati pro utilitate et sustentatione monasterii pauperis, advocati officium exercere, prout faciebat abbas Lapus, qui monachos suos alebat ex lucro suæ advocationis, ut per Ignat. de Salcedo relatum à Gonzalez, gloss. 2, n. 34, ubi plura in proposito congerit.

Neque his advocati munus interdicitur pro sanguine conjunctis, imminente supradictâ necessitate: Silv. in verbo *Advocatus*, n. 2, q. 2, n. 4, necnon pro personis ecclesiasticis ac aliis quæ enumerantur in l. 1, § Fin., ff. de Postul.

Et quotiescumque reperitur clericos non posse esse procuratores, vel similia exercitia exercere, semper intelligendum est generaliter; ad unum namque negotium, sive clericorum, sive laicorum, procurare vel administrare non prohibentur, ut tradit id. Innoc., in c. 1, in fin., de Obligat. ad ratioc.

In Romanâ autem Curiâ, non ignoramus, ex summi Pontificis patientiâ, omnes clericos, etiam in sacris ordinibus constitutos, et quantùmcumque beneficiatos, contra omnes juris regulas, advocationis publica munera indiscriminatim exercere, sicut etiam procurationis; ex quo Romanæ Curiæ procuratores, cùm sint scientiâ, experientiâ ac prudentiâ, optimisque moribus ornati, verèque et summâ ratione asserere possimus eos non solùm non esse comparandos procuratoribus exteris quinimò exteris advocatis in omnibus præponendos, ut ait Mandos., reg. 4, q. 8, n. 7, circa med., idcircò summus Pontifex, ne tantorum eximiorum virorum doctrina et experimentum ociari noscantur, ipsos ad munia hujusmodi obeunda tolerat; licèt enim supradictis specialis et expressa facultas ad id non tribuatur, nihilominùs hæc tolerantia inducit dispensationem, c. *Quia circa*, ubi Glossa fin., in fin, de Consang. et Affin.

Cùm autem frequens sit in ipsâ Curiâ usus concedendi extra eam personis prohibitis, indulta patrocinandi, videamus, quomodò illa inde emanent, cum suis limitationibus, ac proinde consuetam supplicationis formulam hìc subjiciamus, quæ talis esse potest, videlicet:

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator N. clericus Neapolitan. utriusque juris doctor redditus annuos pro congruâ suî sustentatione sufficientes juxta sui gradûs et conditionis exigentiam non habeat; proindeque, ut quidquid didicit, reipsà experiri valeat in infrascriptis causis patrocinari et advocare summoperè desiderat. Supplicat igitur humiliter E. S. V. orator præfatus, quatenùs in præmissis opportunè providendo, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequendo, sibi, ut quoad vixerit, etiam postquàm presbyter factus fuerit, quorumcumque, ad ipsum pro justitiæ complemento consequendo, aut jurium suorum defensione pro tempore recurrentium, causas quascumque, etiam civiles, profanas, ecclesiasticas, meras et mixtas, criminales quoque ad defensam tamen duntaxat suscipere, ac in judicio et extra, coram quibuscumque judicibus etiam laicis et secularibus, ubicumque locorum, agere, prosequi, tueri, defendere ac in illis patrocinari, postulare et advocare, ac salarium sive mercedem sui laboris petere et percipere; et si contingat ipsum in judicem seu alicujus judicis ecclesiastici vel secularis, in assessorem in similibus causis eligi, assumi vel deputari, etiam ea quæ ad judicis et assessoris hujusmodi officium quomodòlibet spectant et pertinent, et quæ alii causarum procuratores, judices, advocati et assessores legitimè facere et exequi consueverunt, in similibus causis itidem facere et exequi liberè et licitè possit et valeat, etiam absque excommunicationis, inhabilitatis, irregularitatis et infamiæ maculâ sive notâ, aut privationis beneficiorum et officiorum, vel alicujus alterius pœnæ incursu, absque aliquo conscientiæ scrupulo; perinde ac si patroni, seu procuratoris, judicis vel assessoris hujusmodi officium minimè exercuisset, seque super præmissis à quoquam molestari aut inquietari minimè posse; sicque per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quâvis auctoritate fungentes, judicari, et definiri debere, concedere, et indulgere dignemini de gratiâ speciali: non obstantibus, etc., *et ordinationibus apostolicis, illis præsertim, quibus inhibetur, ne clerici secularibus negotiis se immisceant, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Fiat, ut petitur. M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et de concessione, indulto, aliisque præmissis, ut supra in formâ gratiosâ latissimè extendendis. Et quòd præmissorum omnium, et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per breve S. V. seu officium minoris gratiæ expediendis.* (Et quandoque additur: *Et in causis civilibus ecclesiasticis tantùm.*) *Et donec orator in ecclesiasticis vel aliis redditibus annuis habuerit unde commodè vivere possit.*

Fiat M.

Quòd si orator aliquod tenue beneficium personalem residentiam requirens obtinet, additur: *Et dummodò à debito servitio ac officio dictæ ecclesiæ nullatenùs propterea avocetur, seu distrahatur.*

Si autem hujusmodi indultum petitur pro onusto parentibus, vel consanguineis pauperibus, ope et auxilio oratoris indigentibus, prout peti sæpè vidimus, tunc datur illud, durantibus necessitatibus earumdem, vel donec eis aliter subveniri possit. Quòd si asseratur oratorem tenues redditus beneficiales habere, additur: *Et quatenùs fructus ad oratoris congruam sustentationem non sufficiant.* Aliquando additur restrictiva: *Et in Curiis ecclesiasticis et in criminalibus defendendo tantùm, et pro pauperibus, gratis et amore Dei; et donec orator habuerit*, etc

Quibus adde in praxi quòd, cùm ex juribus præmissis constet supra dictas personas secularibus negotiis se immiscere non posse; neque etiam tutò posse suscipere onus tutelæ, licèt non modò presbyteri, verùm etiam episcopi possint illud suscipere, etiam sine alicujus licentiâ; quia illâ indigentes connumerantur inter miserabiles personas, c. *Pervenit*, 86 dist., et tot. dist. 87 et 88, nec propterea à supra dictis ob hujusmodi oneris susceptionem incurritur aliqua suspensio ipso jure, ut per Navar., cons. 1, per tot. ne cler. vel mon.

Tamen, quia quandoque presbyteri, ob talis oneris susceptionem, et exercitium, verentur ab ordinario seu ab alio molestari, propterea ab iis recurritur ad summum Pontificem, cui narratur per supplicationem, exempli gratiâ, quòd cùm N. defunctus in suo ultimo testamento instituisset hæredem N. suam filiam, eique oratorem in tutorem deputâsset, quia officium tutoris hujusmodi exercere posse dubitat absque sedis Apostolicæ indulto, propterea dictus orator dictæ N. suæ neptis seu aliàs consanguineæ pudicitiæ, et aliàs meliori quâ poterit ratione, consulere cupiens, supplicat ut eidem oratori, quoad vixerit, donec dicta N. ætatem legitimam matrimonii contrahendi, aut aliquam approbatam religionem ingrediendi, attigerit, tutorio et curatorio nominibus omnia et singula quæ ad hujusmodi officium pertinent, etc., facere, exequi et adimplere valeat, ipsamque desuper ab ordinario loci, seu quopiam alio, quâvis auctoritate fungente, directè vel indirectè, quovis quæsito colore, etc., molestari, etc., nullatenùs unquam possit; ac quicquid, etc., irritum, etc. Ac propterea mandatur ordinario ipsius oratoris quatenùs ei, ut præmissa omnia facere possit et valeat, citra tamen facultatem exercendi mercaturam, ac in litibus eidem N. jam forsan motis vel movendis per se ipsum coram judicibus laicis comparendi, sed id per procuratorem facere debeat, auctoritate apostolicâ concedat et indulgeat, omnimodamque licentiam et auctoritatem sibi desuper impartiatur, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, etc.

Accedit etiam eidem praxi ut nedùm summus Pontifex ad præmissa dispenset sive potiùs indulgeat, aut licentiam concedat, verùm etiam frequenter dispensare consuevit ut clericus, cùm hujusmodi tutelæ exercitio, præsertim pro personis sibi conjunctis, possit se criminalibus negotiis immiscere, ut per formulam infra scriptam patet; maximè quòd de jure clerici habentes jurisdictionem temporalem, possunt absque incursu irregularitatis judices et magistratus constituere, qui inquirant delicta ut ea secundùm leges puniantur, cap. fin., *Ne cler. vel. mon.*, in 6, ibi: *Nam licèt clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen, cùm jurisdictionem obtinent temporalem, debent et possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare;* Sayr., de Cens., lib. 6, cap. 18, num. 16; sicut pari modo ipsis clericis non est interdictum leges et statuta condere, vel compilare, aut principi consulere, ut certis delictis irroget pœnam ultimi supplicii, vel mutilationis, absque irregularitatis incursu. Glos. in cap. *Omnis*, dist. 3; ubi, Archid. Host., in c. *Ex litteris*, de excess. præl.; Abb., in cap. 1 de Frut.; quandoquidem etiam ipsi principes, leges condentes, per quas vindictam sanguinis comminantur, nunquàm fiunt irregulares, etiamsi per judices ipsorum executioni mandentur; id. Archid., in cap. *Officia*, 23, quæst. 5. Hinc videmus quòd etiam Papa, licèt propriis manibus aliquem occidens, legem exequendo, videatur indignè agere; attamen procul dubio potest legem condere sub pœnâ mortis, aut mutilationis, tanquàm princeps supremæ potestatis; sic etiam eamdem potestatem aliis delegare potest, eosque ab incursu irregularitatis servare immunes, prout in dies suos ministros ad id delegat; de quo vide Majol., de Irregul., lib. 2, cap. 10, sub num. 10, vers. *Nam licèt Papa:* proindeque frequenter videmus desuper, ut infra, dispensari cum ipsis clericis. Cùm igitur casus se offert petendæ dispensationis ad præmissa, eo quo sequitur modo, in formâ gratiosâ peti et concedi consuevit, videlicet:

A tergo: *Dilecto filio nobili viro Hieronymo de Cardenas, cler. Neap.* Intùs verò: *Urbanus Papa VIII: Dilecte fili, salutem,* etc. *Cùm sicut nobis nuper exponi fecisti, quondam Joannes de Cardenas, frater tuus germanus, relictâ dilectâ in Christo filiâ Fulviâ ejus natâ, in tertio suæ ætatis anno constitutâ, decesserit; et propterea, ut ejusdem Fulviæ indemnitati, quantùm fieri potest, consulatur, tu illius tutelam unà cum dilectis filiabus Fulviâ Coracciolâ et Marciâ Carrafâ, primò dictæ Fulviæ aviâ, et genitrice respectivè, gerere posse summopere desideras, si nostra ad id tibi suffragetur licentia et facultas; nos specialem tibi gratiam,* etc., *et à quibusvis,* etc., *consentes,* etc.; *supplicationibus nobis tuo nomine humiliter porrectis, inclinati; tibi, ut dictæ Fulviæ neptis tuæ hujusmodi tutelam, et, pro tempore, curam unà cum secundò dictâ Fulviâ et Martiâ prædictis suscipere et gerere, omniaque et singula quæ ad tutorem et, pro tempore, curatorem hujusmodi de jure, usu, consuetudine, vel aliàs pertinent, facere et exercere; ac tutelæ, et, pro tempore, curæ hujusmodi ratione, et illarum occasione duntaxat, negotiis et causis criminalibus quibuscumque, quoties opus fuerit, te immiscere, ac in eis consilium, mandata, et jussiones, tam verbo quàm in scriptis dare, et debitæ executioni demandare facere, etiamsi sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, seu etiam mors inde sequatur, liberè et licitè, ac absque ullo irregularitatis, vel censurarum, aut pœnarum ecclesiasticarum incursu, possis et valeas; dummodò tamen præmissorum occasione in mercaturâ aliisque clericis interdictis negotiis nullatenùs te immisceas et à sententiâ in causâ sanguinis per te ipsum ferenâ omninò abstineas, apostolicâ auctoritate tenore præsentium licentiam concedimus, et impartimur; non obstantibus apostolicis ac in universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ, apud S. Mariam*

Majorem, die 23 *maii* 1627, *pontificatûs nostri anno quinto.*

M. A. Maraldus.

Sicque quocumque modo hujusmodi indultum concedatur, sive per præfecturam brevium, sive per ipsam datariam apostolicam, semper restringitur ad duo : nimirùm, ne præmissorum occasione orator exerceat mercaturam, quòdque abstineat à ferendâ sententiâ per seipsum in causâ sanguinis; quæ quidem non aliàs emanare solent quàm ad præscriptum juris communis, unde desumpta est supra dicta praxis; nam quoad primum, certum est clericos omni jure prohibitos esse negotiari, cùm habeamus in jure integrum titulum : *Ne clerici vel mon. secul. se immisc. negot.*, et textum clarum in capit. fin., de Vit. et Hon. cler., ubi clericus qui, tertiò monitus, à negotiationibus secularibus non abstinet, interim perdit quoad bona privilegium clericale, ut in ejus summario dicitur, Clem. 1, § *Adversùs*, eod. tit.; et magis patet in cap. 1, 83 dist., ubi : *Decrevit sancta synodus nullum deinceps clericum aut possessiones conducere, aut negotiis secularibus se immiscere, nisi propter curam pupillorum, et orphanorum, ac viduarum; aut si fortè episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat*, et in cap. 2, ead. dist., ibi : *Id plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et lucris turpibus immiscere, nullo pudore cernentes Evangelicam lectionem, quâ ipse Dominus negotiatiores è templo verberatos flagellis asseritur expulisse, ac Apostoli verba recolentes, quibus ait :* Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus; *Psalmistam quoque David surdâ dissimulante aure cantantem :* Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini; *et in cap.* Quid est, eâd. dist.; *negotiatores ergo illi abominabiles existimantur, qui, justitiam Dei minimè considerantes, per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus perjuriis onerando quàm pretiis;* et tanquàm pestem fugiendum esse clericum negotiatorem docet text., in cap. *Negotiatorem*, 88, dist. Quo fit ut neque ipsis clericis liceat conducere agros, eosque per suos colonos excoli facere, ut fructus inde provenientes vendant, urgente adhuc prohibitione tex., in cap. *Pervenit*, 86, dist. ibi : *Quidam, propter turpis lucri gratiam, alienarum possessionum conductiones et causas seculares suscipiunt, et à sacris quidem officiis se per desidiam separant;* et inter cæteras causas, ea potissimùm esse creditur, cur clericis sit interdicta mercatura : quia nimirùm illa vix exerceri potest sine peccato et mendacio, ut in cap. Summa 1, 4, q. 4, c. *Quæcumque*, cod. cau., et 9; Abb., in c. fin. de Usur.

Attentâ tamen præfatorum jurium dispositione non veniunt profectò clerici qui proprios agros colunt, aut conducunt eos ab Ecclesiâ; hoc enim nullo sibi jure prohibetur, juxta illud Levit., cap. 25, ibi : *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est, et vos advenæ, et coloni mei estis.* Ac proinde fuit aliàs per S. congr. concil. declaratum non deberi propterea clericum super hoc molestari sub prætextu illicitæ negotiationis, sicut pari modo si vendat ille vinum frumentum, aut oleum, ex redditibus sui benencii, ut per Guttier., de Gabell., q. 93, n. 25, quinimò ad vendendum vinum quod ex possessione suâ, vel Ecclesiæ, colligit, etiam tenere potest tabernam in domibus Ecclesiæ, dummodò non per se ipsum, sed per alium vendat; Franc., in cap. un. de Vit. et Honest. cler., in 6, ubi ait ita Domin. defendisse unum clericum qui vendebat vinum per alium; Genuens., in Prax., cap. 67, numer. 7; ubi ex eâdem ratione censet hujusmodi vinum posse vendere, etiam, ut vulgò dicitur, ad munitum. Similiter, licèt prohibeantur clerici tenere animalia, seu jumenta et alia similia ad vecturam, cùm id sit species negotiationis, et hoc casu equorum locatores appellentur, nihilominùs ea tenere possunt ad usum proprium; Carol., de Grass. effect. 6, n. 10 et 11, qui supradictam generalem conclusionem pluribus etiam modis ampliat : Primò nimirùm, ubi dictus clericus etiam emeret dicta animalia ut illa pascat in propriis prædiis, et, cùm pinguia facta fuerint, vel cùm partus ediderint, illa et eorum partus vendat, quod ei non est interdictum; Redoan., de Spol., q. 2, num. 14; id. Carol., loc. cit., num. 18, limit. 1; sicut etiam potest locare ipsa animalia, ac oves et boves, si habet ex decimis, vel successione, aut aliàs sibi data; aut si, habens pascua multa, emit animalia ut illa depascerent ad sustentationem sui, et suorum parentum ac pauperum; secùs verò, si emeret, ut traderet ad incrementum, vel aliud ageret in fraudem, ac per viam negotiationis, ut post alios concludit id. Redoan., loc cit. Secundò, ubi clericus semel tantùm emeret, vel venderet : quia per unicum contractum de mercibus factum non dicitur mercatura, Gloss., in l. *Mercis*, ff. de Tribut; id. Carol., num. 19, limit. 2; unde dixit id. Franc., in d. cap. un., quòd ex unico actu quis non efficitur joculator, vel mercator; quia nomina verbalia, significantia officium, vel artem, aut alium actum licitum, non verificantur ex unico exercitio; unde non dicitur mercator ex unicâ mercaturâ, vel hospitator ex unicâ hospitatione, ut docet tex., in d. l. 1, ff. de Trib.; secùs autem, si verba ipsa significent delictum, veluti raptor, vel adulter; quia unico tantùm actu verificantur, ut habetur in l. *Maritus*, § *Qui quæstum*, ff. de Adult., licèt aliter dicendum sit quando aliqua est inflicta pœna contra aliquos turpia exercentes, nimirùm vitium sodomiæ, vel aliud; quo casu non inducitur exercitium per unicum actum, sed plures vices requiruntur; id. Genuen., in d. Prax., cap. 67, n. 1. Tertiò, quandò clericus non per se ipsum, sed per interpositam personam, ut dictum est, negotiatur; nam hoc modo sibi non prohibetur, cap. 1 de Vit. et Hon. cler.; Molin., de Contract., disp. 343, n. 10; id. Carol., n. 23, limit. 5. Quartò in clericis pauperibus, in necessitate constitutis, habito respectu ad eorum conditionem, d. cap. 1, ne cler. vel mon.; id. Redoan., d. q. 2, n. 16; id. Carol. n. 42, limit. 6. Quintò in clericis exercentibus agriculturam, cùm ea illis permittatur pro quærendo victu, unde possunt affictare terras et prædia, ac in eis laborare, quatenùs aliter honestè vivere non pos-

sent, d. c. 1; id Carol., n. 28, limit. 7. Sextò ubi clericus habet propria animalia, ut dictum est, vel vineas, aut oliveta, ex quibus nascuntur et colliguntur fructus; tunc enim illos ad suî libitum potest vendere; id. Anchar. et Imol., in cap. fin., de Vit. et Hon. cler.; id. Carol., num. 33, limit. 9; alias verò limitationes, quas id. Carol. inter n. 18 et 36 ibid. ponit, tanquàm minùs hìc necessarias consultò omisimus.

Præmissis etiam non parùm confert quædam declaratio S. congreg. concil. ad instantiam nonnullorum presbyterorum et clericorum terræ Altimontis Cassanen. diœcesis, tenoris sequentis, videlicet:

Illustrissimi et reverendissimi domini, presbyteri et clerici terræ Altimontis Cassanen. diœcesis, qui, ut plurimùm, ob loci, montium, personarum, ac temporum qualitatem, aliqua ex infra scriptis rationibus necessaria ad suam et familiæ sustentationem coguntur quærere, ad obviandum vexationibus commissariorum, petunt ut declaretur an liceat eis hæc facere absque reatu illicitæ negotiationis:

Primò, *an liceat eis terras patrimoniales ac beneficiales per laicos colere.*

Secundò, *an pro necessario culturæ usu possint emere boves et alia animalia, et fructus illorum vendere.*

Tertiò, *an ii qui in propriis terris habent quercus et castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosve alere, ac pro suâ et familiæ sustentatione vendere.*

Quartò, *an iidem clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti sericæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem committere, ut in illis partibus fieri consuevit.*

Sacra congregatio concilii interpretum, ad 1, *censuit licere clericis agros beneficiorum ac bonorum patrimonialium suorum operâ laicorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.*

Ad 2, posse similiter clericos pro hujusmodi culturæ usu, boves et animalia emere necessaria; illorumque fœtus justo pretio, atque honestâ ratione vendere; nec propterea eos prohibitæ negotiationis prætextu vexari posse aut debere.

Ad 3, Ibidem posse pro suâ et familiæ sustentatione, dummodò in emendis, alendisve seu distrahendis suibus, nihil sordidum, aut indecens ordini clericali exerceant.

Ad 4, licere clerico arborum in propriis bonis existentium folia, alicui laico concedere, eo pacto adjecto, ut lucrum, quod ex bombycibus provenerit, inter utrumque dividatur. Et pariter eidem licere earumdem arborum foliis per se ipsum absque officii sui duntaxat detrimento, ac pro suâ et familiæ sustentatione arti sericæ operam dare; dummodò in artificio hujusmodi personas non suspectas adhibeat; et quoad hoc episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat.

C. cardinalis Torres.

Et hæc quoad primam clausulam scilicet: *Dummodò præmissorum occasione in mercaturâ aliisque clericis interdictis*, etc.. quæ semper apponitur, eòque magis, quia pluries compertum est, quòd hujusmodi clerici sub clypeo tutelæ conjunctæ sibi personæ ex professo mercabantur; unde usque ad aures summi Pontificis pervenerunt prædictorum clericorum querelæ contra commissarios ad id destinatos; eorumdem illicitorum negociatorum conscientias exonerantes.

Quo verò ad secundam clausulam restrictivam in suprapositâ formulâ adjectâ, nimirùm: *Et à sententiâ in causâ sanguinis per te ipsum ferendâ omninò abstineas*, nil ea adhuc deviat à juris communis dispositione; quinimò, si illa non fuisset expressa, nihilominùs censeretur apposita, quia summus Pontifex in suis rescriptis, præter concessionem gratiæ principalis, si expedit in reliquis se conformat cum jure communi, quod semper considerat, et secundùm illud censetur rescribere Glossa fin., in fine, in cap. *Consultationi*, de Tempor. ordin. et Glos. in verbo *Consultationem*, in cap. *Ex tuâ*, de Fil. presb. Felin.; et alii in cap. 1, num 17, de Constit., ac propterea in similibus indultis et dispensationibus cum clericis, ad exercendum tutelam pro sanguine conjunctis, etiam in criminalibus, aliquando non apponuntur dictæ clausulæ, et nihilominùs censentur appositæ. Juris igitur communis dispositio in hâc præsenti materiâ, ea est quòd clericus habens jurisdictionem temporalem, potest, et debet delegare causam sanguinis, ut habetur in c. *Episcop.* ne cler. vel mon. ibi: *Nam licèt clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen cùm jurisdictionem obtinent temporalem, debent et possunt metu irregularitatis cessante, aliis delegare.* Hic tamen Papa tribuit oratori omnimodam facultatem exercendi ea quæ pertinent ad officium tutoris, et curatoris, cùm repræsentet personam pupilli, Bald. in l. *Etiam*, de Fideicom., etiam se criminalibus immiscendi, dummodò à ferendâ sententiâ in causâ sanguinis abstineat, juxta text. in c. *Sententiam*, ne cler. vel. mon. ibi: *Sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat*, et in hoc restringitur, etiam supradictum indultum; licèt ipse Papa potuisset oratori providere, ut sine pœnâ irregularitatis, posset per se ipsum sententiam sanguinis proferre, id. Franc. in cap. *Episcopus*, eod. tit., lib. 6.

CAPUT V.

Praxis dispensationis cum presbyteris ad studendum juri civili.

Licet clericis, non modò in majoribus, verùm etiam in minoribus constitutis, munus sive advocati, sive procuratoris à jure sit interdictum, ut supra demonstravimus; inter infra scriptas tamen personas ecclesiasticas, non nisi in sacro presbyteratûs ordine constitutis, juri civili operam navare, ut infra prohibetur. Unde quid Romanæ Curiæ stylus, circa opportunum desuper indultum concedendum servet, videamus. Frequentissimè etenim per sedem Apostolicam indulgetur seu dispensatur cum ipsis presbyteris, ut possint audire jura civilia; ac propterea circa hanc praxim videndum erit, primò, unde et quare emanaverit prohibitio circa hoc. Secundò, an alius præter summum Pontificem queat hanc facultatem impartiri. Tertiò,

quomodò, et cum quibus conditionibus et clausulis dispensetur.

Et quoad primum, satis omnibus innotuit illa prohibitio contenta in c. *Super specula*, de Privil., ubi statuitur, ne quisquam Parisiis docere vel audire jus civile præsumeret; cui alia accessit, ut in c. *Non magnopere*, ne cler. vel mon., ubi prohibetur cuilibet post votum religionis, ac emissam professionem, ad physicas, vel leges mundanas audiendas, exire. Si verò exierint, et ad claustrum suum, infra duorum mensium spatium, non redierint, sicut excommunicati ab omnibus evitentur, et in nullâ causâ, si patrocinium præstare voluerint, audiantur, reversi autem in choro, capitulo, mensâ, et cæteris, ultimi fratrum existant, et nisi fortè ex misericordiâ sedis Apost. totius spem promotionis amittant.

Supervenit postmodùm decretalis Honorii III, qui hanc prohibitionem extendit ad archidiaconos, decanos, plebanos, præpositos, cantores, et alios, personatus habentes, necnon presbyteros, ut in c. *Super specula*, ne cler. vel mon.

Ex quibus notat cancellaria apostolica quòd religiosi et habentes dignitates vel personatus, seu presbyteri non possunt audire leges, vel physicam; et si audirent, statim sunt excommunicati, et efficiuntur inhabiles de cætero ad ordines et beneficia sine apostolicâ dispensatione per Glos. et doctores in d. c. *Super specula*, et sic videtur quòd possint beneficia per istos obtenta post hanc pœnam impetrari in formâ juris, cùm sint inhabiles et irregulares. Clerici tamen et alii beneficiati non habentes dignitates et personatus, nec presbyteri, vel rectores Eccles. parochialium non includuntur in prædictis juribus; et quod dicitur de rectoribus, intelligitur ratione Ecclesiæ, si tamen essent presbyteri, ut in d. *Notabili*, fol. mihi 193.

Quarum quidem prohibitionum duæ sunt causæ finales, una videlicet, quæ habetur in d. c. *Non magnopere*, ibi: *Ne occasione scientiæ, spirituales viri, mundanis rursùs actionibus involvantur*, altera verò in d. c. *Super specula*, ibi, *quia theologiæ studium cupimus ampliari, ut dilatato sui tentorii loco, funiculos suos faciat longiores*, etc.

Nec ad id refert, summum Pontificem, Parisiorum civitatem, ut supra, tantummodò expressisse; quia nihilominùs prohibitiones hujusmodi per totum orbem extenduntur; et dùm statuit, ne quis Parisiis audire, vel docere leges seculares præsumeret, hoc fecit ratione frequentioris usûs in illâ civitate; quia frequentiùs sacerdotes legebant leges Parisiis, quàm alibi; et sic, expressum frequentiæ causâ non restringit, Glos. in cap. 1, de Confess., lib. 6, et gratia frequentioris usûs expressa, non excludit alia similia quæ rariùs contingere solent, Mandos. in Reg. Cancell. 33, q. 6, n. 5; Glos, in procem. decretal., in verbo *Bononiæ*, quæ ait: *Etsi text. dicat Bononiæ, propter frequentiam studii, tamen illa constitutio, ad omnes universitates extenditur*, et per Rebuff. in tract. nominat., num. 26, qui num. 27, ait, quòd propterea mirandum non erit, si stantibus præmissis, summus Pontifex, Romæ, ubi debet vigere studium theologiæ, dicat velle habere studium generale juris divini et humani, canonici videlicet et civilis, ut habetur in cap. 2 de Privileg. in 6, quia hoc concessit ex privilegio et ex causis in d cap. contentis, ibi, *cùm de diversis mundi partibus, multi confluant ad sedem Apostolicam, quasi matrem, nos ad communem tam ipsorum, quàm aliorum omnium commodum, et profectum paternâ sollicitudine intendentes, ut sit eis mora hujusmodi fructuosa, providemus, quòd ibidem de cætero regatur, et vigeat studium juris divini et humani*, etc.

Quoad secundum, quæri potest, numquid possit episcopus super hoc dispensare. Et videtur, quòd sic; regula enim generalis est in cap. *Nam concupiscentiam*, de Constit., ubi omnia videntur concessa, nisi sint prohibita, l. *Necnon*, § *Quod eis*, ff. *Ex quibus caus. major.*, et sic cùm hoc non reperiatur à jure prohibitum episcopis, erit eis permissum, facit cap. Milites, 11, q. 1. Nec ex supradictis apparet, conditorem supradictorum canonum sibi reservâsse hanc facultatem; ac propterea illam ipsis episcopis videtur concessisse. cap. *Nuper*, de Sent. excom., ubi Glos. dicit *episcopos posse dispensare, quando dispensatio eis prohibita non est*, cap. *Apud de spons.*, et hæc est communis opinio doctorum in c. *Dilectus*, de Temp. ordin., et in cap. *Excommunicamus*, § *Sanè*, de Hæret., ubi dicitur, quòd episcopus potest dispensare, ubicumque non prohibeatur, nisi immutaret universum statum Ecclesiæ, c. *A nobis*, in fine, eod tit.; Abb. in cap. *At si clerici*, § de Adulteriis, de Judic., et in c. *Quibusdam*, de Pœnit.; videmus etenim, quòd lex puniens aliquod delictum, et apponens postea verbum impersonale, videlicet, nisi fuerit dispensatum, vel possit dispensari; refertur etiam ad episcopum, Glos. in d. c. *In quibusdam*, et in c. *Quisquis*, de Elect., Archid. in c. *Nulli*, dist. 38; Glossa in c. ult. de Apost., et in c. *Virginum*, 27, q. 1.

His tamen non obstantibus, contraria opinio verior est, et in praxi recepta, et stylus Curiæ obtinuit ut nullus, præter Papam, possit desuper dispensare, tam cùm sacerdotibus secularibus, quàm regularibus teste Archid, in cap. *Non dicatis*, 12, q. 1. Unde sæpè etiam videmus, quòd novus Pontifex inter facultates, quas conclavistis concedit, cum eis dispensare consuevit, ut si qui eorum fuerint presbyteri, possunt audire jura civilia, et in eis doctoratûs gradum suscipere, teste Paris., de Resign. benef., lib. 7, q. 7, n. 11, et ex his satis constat facultatem hanc ad solum Papam pertinere. Navar., cons. 2, in fine, ne cler. vel mon.

Porro, quod dictum est de prædictis personis beneficiatis prohibitis in d. cap. *Super specula*, ne cler. vel mon., intelligendum est non modò de titularibus, verùm etiam de commendatariis, de quibus, licèt olim dubitabatur an comprehenderentur in dictâ constitutione, attamen, re delatâ ad Gregorium XIII, fel. record. dispensavit ipse cum quodam commendatario, qui audierat leges civiles sine apostolicâ dispensatione: ob eam rationem, quia isti cùm sint commendatarii perpetui, hodiè non differunt à veris titularibus ut

omnes doctores fatentur, et dicit Zerol. in suâ Praxi Episcop. in verbo *Studium*, vers. *Ad tertium*.

Ne tamen circa præmissa, quæ pro parte affirmativâ dicta sunt, nimirùm, quòd possit episcopus dispensare in casibus sibi non prohibitis, simplex curialis decipiatur quoad ea quæ in praxi contingere possunt, sciat, hujusmodi conclusionem, locum sibi minimè vendicare, quando agitur de dispensatione adversùs aliquam constitutionem conciliarem; quandoquidem, etiamsi dicatur per verbum impersonale, *dispensetur*, seu alio modo, sicut aliàs diximus, nihilominùs id procedere non ignoratur, quando agitur de dispensatione super canone pontificio; secùs autem, si super aliquâ constitutione conciliari; eo enim casu, licèt eo modo loquendi, videatur aliis hæc facultas concessa, nihilominùs neque episcopus, neque alius inferior poterit dispensare; quia cùm decreta ejusdem constitutionis conciliaris egeant expressâ derogatione, Henriq., lib. 13. c. 57, num. 1; Gratian., discept. forens. cap. 397; Caputaque, decis. 176, parte 1; Azor. Instit. moral. parte 2, lib. 5, cap. 14; Garc. de Benef. parte 4, cap. 5, num. 30. propterea episcopus, seu alius inferior ipsam constitutionem conciliarem tollere, aut in eâ dispensare minimè potest; id. Henriq. d. 57, § 1, litterà *C*. nec tuta prorsùs videtur contraria opinio asserentium, posse episcopum ex causâ magnæ necessitatis dispensare, præsertim in casu prædicto, quando subest legitima causa, sicut tenuit Staphil. in Tr. brev., num. 21; nam dicta opinio non est vera, cùm nec episcopi, nec legati possint dispensare contra concilia generalia, ut tenet Glossa, in cap. *Cum dilectis*, in verbo *In ætate*, de Elect.; Abb. in cap. *Dilecto*, num. 5, de Præb. cùm summo tantùm pontifici facultas hæc competat, Leo in thes. for. Eccl. part. 2, cap. 8, num. 44.

Quoad tertium, et circa illius praxim dicendum, quòd hæc dispensatio conceditur à summo Pontifice quandoque per supplicationem, suâ manu signatam, quæ transit per datariam, ac postmodùm super eâ expediuntur litteræ apostolicæ, sive per officium minoris gratiæ sub plumbo, sive per breve sub annulo piscatoris; aliquando autem per simplex rescriptum sacræ congregationis card. concilii Trid. in calce memorialis appositum; quandoque per privatas litteras d. cong.

Aliquando etiam ipse summus Pontifex consuevit non modò cum supradictis conclavistis, verùm et cum suis familiaribus et capellanis motu proprio, sub hâc formâ dispensare, nimirùm : *Ut etiamsi ipsi presbyteri fuerint, ac dignitates et officia obtinuerint leges et jura civilia, etiam publicè in scholis et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium duntaxat, dummodò iidem, trigesimum ætatis annum non excesserint, audire, et si habiles et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratûs gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque jura, etiam publicè docere, atque judicis, advocati et procuratoris officium in causis ecclesiasticis civilibus tantùm exercere, libère et licitè possint et valeant, de specialis dono gratiæ dispensamus*, ut inter cæteros concessit Gregorius XV, in suo motu proprio in formâ Brevis sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum die 22 martii 1621, pontificatûs sui anno primo. Ex illis tamen verbis, *etiam ad doctoratûs gradum*, te notare non pigeat, quòd etiamsi non esset apposita, censetur nihilominùs Papam dispensare cum ipsis, ut possint assumere dictum gradum; Caroll. de Grass. de Eff. cleric. eff. 29, num. 5.

Priori modo dantur litteræ sub formulâ sequenti, videlicet :

URBANUS *Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio N. N. presbytero Neapolitan. salutem et apostolicam benedictionem. Vitæ ac morum honestas*, etc. *Hinc est quòd nos te, qui in vigesimo sexto tuæ ætatis anno constitutus existis, ut fructuosior et utilior in Ecclesiâ Dei minister evadere possis, utrique juri operam navare desideras, præmissorum meritorum tuorum intuitu, gratioso favore prosequi volentes, et à quibusvis excommunicationis*, etc. *Censentes, tuis in hâc parte supplicationibus inclinati, tibi, ut ad proximum triennium tantùm in quâcumque; tibi benè visâ universitate, in quâ studium viget utriusque juris, pro majori sacrorum canonum intelligentiâ, utrique juri hujusmodi operam navare, ac omnes et singulos gradus, per alios scholares ecclesiasticos seu seculares eidem juri studentes, suscipi, aliaque per eosdem fieri et exerceri consueta, servatis servandis, suscipere ac facere et exercere liberè et licitè valeas; dummodò nullum beneficium ecclesiasticum, personalem residentiam requirens, obtineas, et de consensu tui ordinarii, auctoritate apostolicâ, licentiam et facultatem concedimus et impartimur; teque desuper à quoquam quovis prætextu, causâ vel occasione molestari, inquietari aut quoquo modo impediri nullatenùs possit; ac quicquid secùs super his*, etc., *irritum et inane decernimus. Non obstantibus*, etc. *Dat. Romæ*, etc.

Altero vero modo, per rescriptum, videlicet supradictæ S. congregationis, quod ita datur, videlicet : *Die primâ maii 1636, sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum auctoritate sibi attributâ, benignè concessit oratori, nullum officium aut beneficium ecclesiasticum, personalem residentiam requirens, obtinenti, ut ad majorem sacrorum canonum intelligentiam, studiis legum civilium per biennium operam navare possit, dummodò trigesimam ætatis suæ annum non excedat.*

Robertus card. Ubaldinus.

Locus † sigilli.

F. Paulutius secretarius.

Sanè ex narratis et concessis in supradictis formulis tria tibi notanda sunt :

Primum, necessariam esse expressionem ætatis oratoris; cui, si fortè excesserit trigesimum annum, denegabitur dispensatio; nisi tamen in dictâ ætate, studium antea incœptum non perfecerit, quia ad illud perficiendum, ut plurimùm non denegatur, sicut videmus servari.

Cur autem excedenti hujusmodi ætatem denegetur hæc dispensatio, in promptu est responsio, nempe quia studium neque post vigesimum quintum annum incipiendum est, tunc enim minùs aptus quis reputatur

ad scientiam, l. 1, et ibi Bart. c. *Qui ætat. se excus.*, lib. 10, ubi probatur quòd studentes habent immunitatem à muneribus personalibus, usque ad vigesimum quintum annum; quòdque hoc privilegium non habet locum nisi in minoribus viginti quinque annis, quasi præsumat imperator quòd postquàm hanc ætatem quis excesserit, nunquàm benè addiscat; igitur multò minùs si excedat trigesimum annum; undè benè congruit illud proverbium vulgari sermone prolatum ab eod. Zerolà in Praxi Episc., in verbo *Studium*, part. 1, vers. *Ad secundam*, quòd, qui in trigesimo anno ignorat, et in quadragesimo non habet; neque addiscendi neque habendi spem ampliùs habet, ubi etiam ait quod *sacra congregatio* censuit; quòd si fuerit major triginta annorum, non datur ei licentia, nisi jam studium incepisset, adhuc illud non absolvisset.

Sic fuit etiam aliàs decisum per dictam sacram congregationem concilii, quòd licentia, quæ à jure communi conceditur non residendi studiorum causâ, ut in cap. *Fin.*, de Magistr., cap. *Relatum*, de Cler. non resid., cap. *Cùm ex eo*, de Elect., in 6, non est danda habenti ætatem triginta annorum, teste Gonz. glos. 4, sub num. 35, vers. *Hinc fuit decisum in sacrâ congregatione;* prout nos alibi diximus.

Ratio autem, quâ movetur summus Pontifex ad dispensandum cum oratore excedente vigesimum quintum annum, ea esse fertur, nempe quòd licèt prædictus imperator post id tempus non præsumat quem benè addiscere, ut dictum est; negari tamen non potest quin diligenti studio possit quis proficere quod in juventute omisit; unde Accursius glossator juris civilis, quando incœpit studere, erat viginti octo annorum, et tantoperè floruit, ut ait Bart. in d. l. 1, et ob majorem ætatem hujusmodi, non debet quis recedere à studio, quia imò senex potest in illo proficere, et Glos. in cap. *Si habes*, in verbo *Senex*, 14, q. 3, refert dictum Senecæ dicentis, quod nulla ætas sera est ad discendum; quod tamen tanquàm rarum, parùm attenditur in casu petendæ prædictæ dispensationis.

Est propterea notandum quòd quò minor est oratoris ætas, eò faciliùs conceditur supradicta dispensatio; nam quòd senex, sive alius supra trigesimum annum addiscat, est de rarò contingentibus, ac sic non est in consideratione, l. *Nam ad ea*, ff. de Leg., id. Gonz. d. n. 35, vers. *Hinc fuit decisum*, in fin. Ac propterea potiùs laudandus est Bartolus, qui, ut ipsemet refert in l. *Quidam cùm filium*, ff. de Verb. Oblig., in decimo quarto suæ ætatis anno in civitate Perusii sub Cino Pistoriense jura civilia audire incœpit; quòdque taliter continuò studendo, profecit, ut in vigesimo anno, Bononiæ repetendo et disputando, demùm in vigesimo primo anno doctoratus fuit.

Secundum, quòd dispensatio hæc nunquàm aut rarò conceditur ultra triennium; nam licèt ad sic modicum tempus non possit quis multa addiscere, Gloss. in capite *Tum ex litteris*, de in Integ. rest., verb. *Instructus*, ex eo quòd ad perficiendum studium legale, requiritur quinquennium, § *Quibus, in procem.*, et nemo repentè fit summus, cap. *Charitas*, de Pœnit., dist. 1, restringitur hìc tamen id tempus à Papâ, præsertim cum iis qui ad aliquam residentiam fortè tenentur; ne prætextu longioris temporis studendi, presbyteri et alii superiùs expressi, à suis ecclesiis absentes, vagentur, et ea ad quæ tenentur negligant Mandos. in Praxi signat. grat., tit. *Licentia audiendi leges*, vers. *Adde etiam;* ac occasione scientiæ, spirituales viri, diutiùs mundanis actionibus involvantur, ut in d. cap. *Non magnoperè*, et nimis à contemplatione distrahantur, cùm per jus civile non dirigatur principaliter homo in Deum, sicut per jus canonicum, cap. *Ut animarum*, de Constit., in 6.

Elapso tamen tempore ita concesso, consuevit aliud de novo concedi, vel saltem primum prorogari, si studium ipsum non fuerit completum; quæ quidem nova concessio, seu prorogatio interpretari debet juxta terminos prioris gratiæ. Si enim orator post eam obtinuisset aliquod beneficium, personalem residentiam requirens, nullâ de hoc habitâ mentione, subreptitia censebitur hæc secunda concessio, Ludovis., decis. 522, num. 17, quia cum tali expressione summus Pontifex, vel gratiam non concessisset, vel saltem difficiliùs.

Circa tamen hujusmodi tempus dari non potest certa regula; vidimus enim nonnullos summos pontifices longius, alios verò brevius concessisse; et quandoque nobilibus minus, plebeis verò majus, quod servatum legimus tempore Pii IV, ut in quibusdam notulis, quas in Romanâ Curiâ vidimus circumferri. Hujus tamen rei discrimen adhuc omnes latet, nisi fortè ridiculam afferamus rationem, nimirùm quia regulariter, nobiles meliore pollent ingenio, ideò brevi addiscere possunt et citiùs quàm alii; illi enim ex delicatioribus cibis quibus vescuntur, puriores spiritus generant, qui intelligentiæ serviunt, quàm rustici, qui grossioribus escis aluntur, ut observavit Gloss., in l. *Servis urbanis*, ff. de Leg., l. 3; nobilium item educatio (si tamen cà quâ decet diligentià curetur), et quæ illam sequitur indoles, aptior est ad officia rationis quàm cæterorum, ac propterea breviori, si velint studere, poterunt nobiles, esse perfecti et docti in scientiis, quàm alii, ut per Rebuff. in tract., *Nomin.* q., 12, num. 3.

Tertium, prædictam dispensationem concedi oratori, ad faciliorem sacrorum canonum intelligentiam; licèt enim opprobrium sit clerico ostendere se peritum causarum forensium, l. *Consulta divalia*, in fin., c. de Testam., nihilominùs id illi permittitur, cùm jus canonicum, et civile sint adeò inter se connexa, ut unum sine altero vix intelligi possit; unde Bald., in procem. Decretal., dicit quòd juris canonici sanctitas juris civilis sublimitate decoratur, et juris civilis majestas canonum auctoritate firmatur, et qui non sapit in utroque, non habet tantam dulcedinem, et unum alio coruscat; Barbos. in Rubr., de Testam., col. 1, et sicut ex medicinâ et philosophiâ fit perfectus medicus, ita sciens jus canonicum et civile, fit perfectus jurisconsultus, et nisi quis sciat canones cum legibus,

non potest practicam judiciorum cognoscere; id. Bald. in cap. *Cùm causam*, col. 2, de Probat. Roman., singul. 654, et habetur in cap. 1 et 2, 39 dist., quòd quidem Petrus diaconus, episcopus electus, fuit à B. Gregorio repulsus, propter ignorantiam rerum civilium et secularium; Menoch., de Arbitr., casu 425, num. 24 cum seqq.

Hinc est ut etiam leges non dedignentur sacros canones imitari, cap. *Clerici*, de Jud., sicuti neque canones dedignantur jura civilia adducere; cap. 1 de Caus. poss. et propr., et statuta sacrorum canonum, principum consultationibus adjuvantur, cap. 1 de nov. Oper. nunt.; quinimò, civilis sapientia etiam sanctissima est, l. 1, § *Proinde*, ff. de Var. et extraord. cogn., et ibi Glossa, in verbo *Sanctissima*, dicit quòd ejus præcepta concordant cum divinis, quia habent eumdem finem; nam sicut de jure canonico, ut habetur in procem. Decretal., fit ut appetitus noxius sub juris regulâ limitetur, per quam genus humanum, ut honestè vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informatur, ita de jure civili habetur in § *Juris præcepta*, instit. de Just. et Jur., ibi : *Juris præcepta sunt hæc, honestè vivere, alterum non lædere, jus suum cuique tribuere.*

Nec ad alium finem leges civiles ab ecclesiasticis addiscuntur, nisi quia in negotiis ecclesiasticis decidendis sunt adjumento, cap. *Si in adjutorium*, 10 dist., et ait Glossa in cap. 1 de nov. Oper. nunt., § *Quia verò*, in verbo *Adjuvantur*, quòd ita in causis ecclesiasticis possumus leges allegare, ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundùm leges, et nonnullæ materiæ, de quibus tractat jus canonicum, non possunt sine legibus haberi, veluti materia testamentorum, possessionum et dominiorum, emptionum, etc., in quibus intelligendis simplex canonista facilè potest errare, ut ait Gambar., de Auth. leg., lib. 2, num. 182, et Salyc. in l. *Precibus*, col. 3, c. de Impub. et Al. subst., ubi vocans *miseros* canonistas, ait, quòd *merus canonista est merus asinista.* Et in proposito concedendæ hujus modi dispensationis concludendum est quòd jus pontificium ideò non potest perfectè intelligi sine legibus, quia illud est medulla legum, et jus canonicum est practica juris civilis; Barbat., in cap. *Conquestus*, col. 3, de For. compet.

Et dùm dicta prohibitio loquitur de presbyteris, non includit subdiaconos aut diaconos, nisi fortè habeant personatus vel dignitates, aut alias in dictâ constitutione expressas personas; unde clerici seculares obtinentes beneficia, etiamsi sint subdiaconi et diaconi, non ligantur hoc canone, Sayr., de Cens., lib. 3, cap. 32, num. 9. Secùs verò etiam simplices clerici in minoribus comprehenduntur, si habent dignitatem, etc., id. Zerol., loc. cit., vers. *Primum dubium.*

Postremò videndum erit cuinam competat facultas absolvendi ab excommunicatione supradictorum canonum, eos qui illam incurrerunt. Et breviter resp. quòd cùm illa non sit Papæ reservata, potest liberè, cùm episcopus, tùm quilibet sacerdos facultatem habens absolvendi à peccatis, absolvere; ex quo ipse Papa illam sibi non reservavit; ac propterea aliis relicta censetur, ut per Glossam in d. c. *Super specula*, ne cler. vel mon., cap. *Nuper*, et c. *Tuæ*, de Sent. excomm., cap. *Dura*, de Crim. fal., cap. *De multa* in fin., de Præb.; Navarr. in Manual., cap. 27, n 39 Guttier., can. qq. lib. 1, c. 5; Suar., tom. 5, disp. 6, sect. 4; Sayr., de Cens., lib. 2, cap. 19, à num. 2, et communiter doctores, in d. cap. *Non magnoperè*, et ita fuit semper servatum et practicatum, præsertim in casibus præsentis materiæ.

CAPUT VI.

Praxis dispensationis super residentiâ, et de percipiendis fructibus pro canonicis.

Egimus superiori capite de dispensatione cum presbyteris ad studendum juri civili, illiusque praxi; eadem nunc sequitur super residentiâ beneficiorum, etiam causâ studii, ac fructuum perceptione in absentiâ ad tempus. Jure etenim communi inspecto, non modò cautum est contra obligatos ad residentiam, ut tot. tit. de Cler. non resid. pluribusque sac. Concilii Tridentini decretis, ut in sess. 6, de Reform., cap. 1 et 2, ubi : *Episcopi inferiores*, etc., *opportunis juris remediis, residere cogantur; nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus, in absentiâ percipiendis, suffragentur; indulgentiis verò et dispensationibus temporalibus ex veris et rationabilibus causis tantùm concessis, et coram ordinario legitimè probandis in suo robore permansuris;* nec non sess. 23, cap. 1 et 2, et sess. 24, c. 2 ac constitutione Pii V, super residentiâ faciendâ in parochialibus per eas obtinentes, canonicatus, aut dignitates, seu aliud beneficium, verùm etiam contra obtinentes beneficia simplicia, quæ adhuc de jure communi residentiam requirunt, ut in cap. fin. de Rescript. in 6; Paris. de Resig. benef. lib. 1, q. 10, num. 3, licèthodiè ex generali consuetudine aliter servetur; circa quod, plures declarationes in proposito affert Garc., de Benef., parte 3, cap. 2, num. 3, cum pluribus seqq., ubi tamen num. 11, limitat hanc conclusionem non procedere, ubi aliud fuerit jure speciali inductum, cùm videlicet, ipsa simplicia beneficia possunt ex statuto particulari, vel consuetudine alicujus Ecclesiæ personalem residentiam requirere, ut ipse dicam in meâ Praxi benef.

Ut autem, circa nostram praxim, capiat unusquisque an, quando et quomodò super residentiâ dispensetur, præmittendum est, quòd residentia ipsa triplex est, nimirùm, continua, discontinua et causativa; quandoque enim requiritur continua residentia præcisa, sub privatione tituli, quandoque non continua, sed tantùm in certis temporibus : quandoque verò continua, non tamen simpliciter, seu causativè, et solùm respectu privationis fructuum : ita ut, licèt quis non residendo, privetur fructibus, titulo tamen privari non potest, ut per Gonz. ad reg. 8 Cancell. Gloss. 15, n. 21, Vivian. in Praxi jurispatr., lib. 1, cap. 1, num. 155.

In quolibet ex prædictis residendi modis, dupliciter dispensatur; quandoque scilicet à jure, quandoque verò

ab homine. Dicitur enim dispensatio juris, quando propter necessitatem, seu utilitatem Ecclesiæ, quis à residentiâ excusatur; quo casu potest constituere vicarium, etiamsi residerè juraverit, cap. *Ex parte*, illat. 2, de Cler. non resid. Cum aliis casibus notatis per Rebuff. in Praxi benef., tit. Dispen. de non resid. à num. 21, cum plur. seqq. Dispensatio autem hominis, est illa quæ conceditur à summo Pontifice, vel ab episcopo, justâ existente causâ, ut in cap. *Relatum hoc*, tit. cap. *Proposuit*, de Fil. Presbyter.; id. Rebuff., num. 53.

Aliàs enim nemo poterit desuper dispensare, præsertim, si de canonicis, sive cathedralis sive collegiatæ Ecclesiæ loquamur; quandoquidem neminem latet, capitulo aliquo modo non licere habilitare canonicos ad non residendum, et ut possint percipere distributiones quotidianas, illasque eis donare, qui ab Ecclesiâ abfuerint; etiamsi id faciant per viam donationis, vel dimissionis; quia neque per hoc talis habilitatio sustinetur, licèt Rot., decis. 61, num. 3, p. 1, in recent. admiserit, quòd postquàm distributiones sint quæsitæ, possunt illi, quibus accreverunt, eas remittere, id est, consentire, ne absens portionem suam perdat, Beltram. ad Ludovis., decis. 154, num. 6, in fin.; quapropter, qui eas ita recipiunt, id est, antequàm distributiones ipsæ quæsitæ sint, tenentur ad restitutionem *cùm illas suas facere non possint*, Quarant. in Summâ bull. verbo *Residentia*, vers. *Item propositionem illam*, etc., tales enim distributiones nunquàm debentur non intervenientibus nisi in casu infirmitatis, seu justæ et rationabilis corporis necessitatis, aut etiam necessitatis Ecclesiæ, ut supra dictum est, et ait id. Ludovis., d. decis. 154, num. 2, et licèt non desint qui teneant, id fieri posse, saltem per viam gratiæ, attamen, certum est capitulum (seclusâ tamen consuetudine) non posse hujusmodi licentiam impartiri, cùm non possit dispensare in lege superioris, Garc., d. parte 3, cap. 2, num. 402, quandoquidem, distributiones quotidianæ dantur ratione ministerii, ac operæ personalis et laboris, ut per doctores in cap. un. de Cler. non resid. in 6. Unde, nec episcopus, præterquàm in casibus à jure expressis, potest hanc licentiam concedere; quinimò aliàs à sacrâ congregatione, hæc emanavit declaratio, scilicet: *Nec episcopus potest aliquem excusare à residentiâ in choro, nisi juxta dispositionem capitis* 1, *de Cler. non resid. in* 6, et quia forsan episcopi aliter interpretabantur d. conc. sess. 6, capit 2. de Reform., propterea, ne ex illis verbis, *expediens videbitur*, prætenderent aliquam fuisse eis facultatem attributam desuper dispensandi in residentiâ, ex quâvis causâ sibi benè visâ, alia emanavit ejusdem sacræ congregationis declaratio super d. cap. 1, quæ sic ait: *Per hoc non datur facultas ordinariis dispensandi in residentiâ ex quâvis ratione;* quam quidem declarationem refert id. Garc., num. 409, nec honestum videtur ut non laborans emolumentum laborantis accipiat; quoniam qui non laborat non manducat, ait Apostolus 2 Thessalonic. 3, ac propterea, juxta quantitatem laborum, debetur remuneratio, cap. *Ecclesiasticis*, q. 2, et ut justa mensura adhibeatur, juxta text. in § *Sinimus*, in auth. de non alien., coll. 2, adinventus fuit modus punctandi canonicos, etiam in choro absentes; unde in unâquâque Ecclesiâ, ubi de jure, vel consuetudine celebratur divinum officium, constituitur punctator, qui notet absentes vel præsentes, Zerol. in Praxi episc., in verbo *Horæ canonicæ*, vers. *Ad octavum*, ut pro quâlibet horâ, debeat fieri portio, Gloss. in Clem. 2, verbo *Certis horis*, de Ætat. et Qual., prout etiam dicitur de missâ; quæ venit appellatione divinorum officiorum, cap. *Alma Mater*, de Sent. excomm. in 6. Et licèt hic punctandi ordo desumi possit ex dictis per conc. Trid. sess. 24, cap. 12, de Reform.; scio tamen omnes ferè totius orbis cathedrales et collegiatas Ecclesias regi circa hoc ad instar basilicæ principis apostolorum de Urbe; quæ, cùm sit veluti cunctarum Ecclesiarum speculum et exemplar, et in eâ quiescat sanctitatis Ecclesiæ principatus, id inviolabiliter servat; tam circa modum prædictum punctandi canonicos absentes, quàm eos ex causis infra adnotatis, excusandi. In condendis etenim statutis et consuetudinibus ejusdem basilicæ pro illisque servandis, sancivit Nicolaus IV, in suâ constitutione, quæ incipit, *Civitatem sanctam*, sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, tertio non. febr. 1278, de consensu ac voto unanimi ac concordi capituli Basilicæ prædictæ, ut non reputetur præsens canonicus, nisi chorum intraverit in matutinis ante finitum, *Gloria* primi Psalmi, qui dicitur post *Venite;* et in missâ, ante finitum ultimum *Kyrie Eleyson*. In omnibus autem aliis horis ante finitum *Gloria* primi Psalmi; qui in ipsâ horâ cantatur, et præsens fuerit, quando circa finem missæ et horæ fuerit denariorum distributio facienda; ubi etiam prosequendo voluit, ut caveat sibi, ne quis absque causâ necessariâ, vel utili evidenti, chorum exeat, aut divinum officium intermittat. Illi autem qui de mandato archipresbyteri, vel ejus vicarii et capituli, vel solius capituli, absentibus ab Ecclesiâ archipresbytero, et ipsius vicar. absentes ab Ecclesiâ fuerint, vel ab horis propter servitia seu negotia Ecclesiæ procuranda, quamdiù sic absentes fuerint, percipiant distributiones horarum, et portionem suam integrè, sicut cæteri residentes; et in iis pro residentibus habeantur; propter perceptionem tamen hujusmodi, majus temperamentum, et moderamen poterit ad hiberi circa expensas eorum de præsentibus Ecclesiæ seu cameræ faciendas. Si qui autem de residentibus canonicis sic infirmati vel debilitati fuerunt, eo scilicet tempore quo in ipsâ Ecclesiâ resident, vel pro residentibus sunt habendi, tantaque seu talis esset eorum infirmitas, seu debilitas, quod absque periculo proprii corporis, vel multùm notabili, et magnâ indecentiâ, quæ posset horrorem vel scandalum generare, scilicet ex ligaturis, emplastris in locis indecentibus, ut hujusmodi horis interesse non possint, non excludantur à distributionibus supradictis; sed eas percipiant durantibus ipsis infirmitatibus, et debilitatibus ac indecentiis; quas etiam percipient medicinati semel in anno, diebus quatuor, et minuti, sex vicibus

in anno duobus diebus in unâquâque minutione ; dum modò prædicti in ipsâ Ecclesiâ fuerint residentes, vel in urbe, de licentiâ tamen archipresbyteri, vel ejus vicarii et capituli, et solius capituli, absentibus ab Ecclesiâ archipresbytero, et ejus vicario, commorentur. Si quis autem ab archipresbytero vel ejus vicario et capitulo, seu solo archipresbytero, vel solo capitulo, in illius absentiâ, vel solis etiam camerariis, haberetur suspectus, quòd infirmitatem vel debilitatem, seu indecentiam non haberet, quæ ipsum, propter periculum vel indecentiam, juxta quod dictum est à chori vel horarum servitio meritò redderent excusatum, hujusmodi suspicione durante, sibi distributionum medietas subtrahatur, quousque rationabiliter ostenderit, se nihil agere simulatè, et sibi non esse, juxta hanc ordinationem, distributiones hujusmodi subtrahendas ; vel evidenter appareret ipsum eas percipere non debere ; in quo casu, sicut privandum est omnibus, sic etiam in alio sibi debent distributiones integrè ministrari suspicionis tamen exceptæ, medietatem tantùm recipiat, ut dictum est.

Nunc autem constitutio supra dicta Nicolai IV est servanda, prout servatur in omnibus suis partibus, cùm S. Rotæ Rom. auditores pluries resolverint illam esse factam pro bono regimine et gubernio basilicæ S. Petri; nec est abrogata per non usum, vel per contrarium usum aut aliam præscriptionem. Et propterea est omninò, et in omnibus servanda, nisi contraria constitutio ostenderetur, per quam abrogata vel reformata esset, ut fuit dictum in unâ Romanâ Concordiæ S. Petri coram Caval., quæ est decis. 246, per tot. p. 1, divers. recent., etc.

Estque adeò ista observantia punctandi attendenda, ut præter casus in jure expressos, non possit canonicus, sive beneficiatus residentiæ obnoxius, aliâ se ratione tueri, ut servitium in aliquâ parte omittat, ac distributiones percipiat ; satis enim liquet, quòd etiamsi ipsi in eâdem Ecclesiâ celebrent privatè missam tempore divinorum officiorum seu horarum, neque pro præsentibus in choro habentur : prætermissis enim nonnullis juribus, ad id facientibus, sufficit ita statutum fuisse per sequentes declarationes. Prima est, *An canonici vel alii officiales chori habentes in cathedralibus vel collegiatis capellanias in titulum, vel uti mercenarii, eo tempore quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licèt absint à choro : et quid, si devotionis causâ, vel, si à superiore Ecclesiæ injungatur eis, ut eo tempore celebrent? Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententiâ congregationis, declaravit non posse, nisi quando sic jussi essent à suo superiore; quem tamen admoneri voluit, ut ab hujus modi jussu abstineant.* Secunda, *canonici, qui sunt in Ecclesiâ, sed extra Chorum, licèt etiam celebrent causâ devotionis in eâdem Ecclesiâ, non censentur præsentes ; secùs si jussu superioris, superior tamen eis hoc mandare non debet ; quod procedit etiam in illis canonicis, qui sunt in eâdem Ecclesiâ, capellani, et missas celebrare tenentur.* Tertia, *quo tempore cantatur una hora in choro, qui missam celebrat in eâdem Ecclesiâ ex devotione vel obligatione, non dicitur interfuisse illi horæ, nec illius distributiones accipere potest ; si verò jussus fuerit à superiore ut celebret, tunc recipiat, superior tamen cavere debet à tali jussione.*

Hinc neque Capitula haberi posse ex infra dicendis patet, tempore, quo divina officia, et præsertim missa major celebrantur ; et consequenter non teneri quem nec licitè posse interesse Capitulo Nav. de Orat., c. 12, n. 5, ubi ait non esse utile, imò potiùs damnosum, Capitula tenere ante horas interim, dùm advenit hora recitandi eas, ut iis incœptis, egrediantur à capitulo, et ingrediantur chorum ; datur enim per id occasio ut canonici, priusquàm mentes affectibus carnalibus et secularibus in capitulo conceptis, exuantur, properanter intrent chorum cum aliis, jam cœpta prosecuturi. Et quia ille abusus jam in nonnullis Ecclesiis cathedralibus et collegiatis irrepserat cum notabili divinorum officiorum detrimento, proinde cùm Clemens VIII, id intellexisset, inolevisse in multis Ecclesiis, per suas litteras in formâ brevis sub datum Romæ apud Sanctum Petrum, 18 januarii 1601, declaravit capitula, congregationes, tractatus et actus capitulares per canonicos metropolitanarum, cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum, peractis divinis officiis, et præsertim missâ majori, ne divinus cultus, propter ministrorum subtractionem minuatur, habendos esse; quòd si dùm missæ et alia divina officia celebrantur, aut horæ canonicæ recitantur, capitula habere voluerint, nisi fortè urgens aliqua et evidens necessitas id postulaverit, ejus horæ in quâ id commiserunt, quotidianas distributiones minimè levare debere ; atque ita, et non aliter, etc., cum generali derogatione statutorum in contrarium facientium.

Quibus annectendum duxi excusari canonicum, qui tenetur assistere capitulo et congregationibus capitularibus, in quibus ejus assistentia est necessaria pro administratione rerum Ecclesiæ, et capituli, si tamen, ut ait Garc., part. 3, cap. 2, num. 537, fuerit legitimo impedimento detentus, aut ex aliâ justâ causâ ad non assistendum ; tanta enim causa potest concurrere ut ab illis justissimè quis excusetur, etiam ordinariè ; ut si in capitulis tanta esset perversio, et ita malè procederetur, et ex abrupto ; sine lege, ordine, modo, et ac cum tyrannide, violentiâ et insolentiâ præsidentium et potentiorum, non habentium aliam legem aut rationem quàm suam voluntatem et gustum ; ut qui vellet satisfacere suæ conscientiæ et illam exonerare, non posset id facere sine magnis molestiis inquietudinibus et occasionibus ordinariis ; ac etiam periculo aliquando cadendi, aut sine magnâ notâ singularitatis, proterviæ ignorantiæve, maximè ubi vota feruntur publicè, quod in capitulis est perniciosissimum et perversio magna, et regulariter votum illius prodesse non speratur ; quia per fas et nefas omnia fiunt, prout volunt præsidentes et potentiores, quos plerique ob humanos respectus, aut ignorantiam sequuntur, nec audent contradicere ; quibus damna et mala gesta imputabuntur, ac prælatis etiam, qui non curant id evitare et cavere ut tenentur officio,

dando debitum modum et ordinem votandi et procedendi, et etiam congregandi capitula; congregantur enim passim, et non legitimè, ac faciendo servari jura, et statuta, refrænandoque insolentiam potentiorum; illorumque excessus castigando, interessendoque aliquando capitulis; de quo rationem Deo sunt reddituri, sicut etiam de aliis etiam omissionibus et negligentiis, id. Garc., loc. cit.

Canonicus autem pœnitentiarius, audiendo in eâdem ecclesiâ confessiones, præsens censetur in choro, prout declaravit eadem sacra congregatio per hæc verba : *Cùm pœnitentiarius audit confessiones, vel casuum reservatorum, vel venialium peccatorum, præsens in choro censetur;* per quam quidem declarationem, satis constat eum censeri præsentem in choro, dum actu confessiones in ecclesiâ audit, non enim sufficit manere in confessionario, etiamsi sibi privatim officium recitet; quia antea confessiones audivit, vel, ut postea opportuniùs illis incumbat; ut fuit etiam resolutum, per ipsam sacram congregationem, eo quo sequitur modo : *Pœnitentiarius habendus est pro præsenti in choro, dum audit confessiones in ecclesiâ sive in confessionario, sive extra; non autem pro tempore quo residet in confessionario, nec audit confessiones, aliis in choro divina celebrantibus, nec recitans officium privatè; quia antequàm recitarentur horæ canonicæ in choro, audivit confessiones : nec si dixerit missam, est censendus præsens in choro.* Et non modò censetur esse præsens in choro, dum dictas confessiones audit, verùm etiam in processionibus et exequiis defunctorum, et lucratur omnes distributiones, et emolumenta, ut ex sequentibus declarationibus patet, videlicet : *Pœnitentiarius censetur præsens in choro, et lucratur tam distributiones quotidianas quàm eleemosynas quæ distribuuntur pro associandis vel sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus et processionibus habitis.* Et alia sic se habet : *Pœnitentiarius non solùm censetur præsens in choro, et non potest privari, quando confessiones audit, sed etiam censetur præsens processionibus et exequiis defunctorum quæ eo tempore fiunt, quo ipse audit confessiones; sed non sufficit quòd sit in confessionario, nisi realiter ipse confessiones audiat.*

Nec tamen ad effectum lucrandi supradictas distributiones, et ut præsens esse censeatur in choro, requiritur quòd supradictus pœnitentiarius audiat confessiones tantùm casuum reservatorum, quia ad effectum prædictum, non modò debet, verùm etiam tenetur, etiam integras confessiones audire, etiam casuum non reservatorum; cùm sit confessor ordinarius; et omnibus confiteri volentibus, tenetur suî copiam facere horis opportunis; non enim potest recusare audire confessiones, volentium ei confiteri prout sacra congregatio, his verbis declaravit : *Congreg. concilii censuit pœnitentiarium non posse recusare audire confessiones illorum parochianorum ubi sunt pœnitentiarii, volentium eis confiteri sua peccata;* quapropter, si ipse pœnitentiarius nolit audire confessiones, potest puniri et privari ab episcopo, ut eadem sacra congregatio censuit sequentibus verbis : *Si pœnitentiarius vigore hujus decreti deputatus, renuerit confessiones audire, puniri potest ab episcopo, et privari;* quas declarationes refert idem Garc., part. 5, cap. 4, num. 117, m seq.

Quò verò ad canonicum, sive cathedralis, sive collegiatæ Ecclesiæ, habentem præbendam lecturæ, sacræ Scripturæ, seu theologalem, si loquimur de jure communi, licèt possit percipere fructus sui canonicatûs pro illis horis quibus legit, distributiones tamen quotidianas minimè lucratur, per text. in cap. *Quia nonnulli de magistr.*, et ibi Glos., in verbo *Proventus*, quæ sic ait : *Non tamen percipient quotidianas distributiones, quæ tantùm residentibus dari consueverunt.* Unde ad ejusdem Glos. præscriptum, fuit aliàs declaratum per sacram congregationem concilii his verbis : *Theologus quamdiù legit, pro residente habeatur, et recipiat omnes fructus, præter distributiones quotidianas, præsupposito quòd absit massa grossa, seu præbenda;* alia : *Non debentur lectori distributiones quotidianæ pro illis horis, quibus legit, ex dispositione juris communis, quos dixit sanctitas sua non loqui respectu illius lectoris qui in ecclesiâ suâ legit, ut facit iste, de quo hic tamen S. D. N. Gregorius XIII, auditâ relatione congregationis, ex gratiâ illas deberi eis voluit, non modò pro illis horis, ut si mane legunt pro horis matutinis, et missâ solemni, sed etiam pro totâ die; et ita sæpiùs consultus respondit;* alia : *Idem censendum est de docentibus in ecclesiis, qui quamvis à servitio chori absentes essent, possunt percipere fructus sui canonicatûs, exceptis quotidianis distributionibus, sed ex gratiâ diebus quibus legunt, habendi sunt sicut præsentes in choro, et inservientes, ut declaravit S. D. N. Gregorius XIII, ut supra, sed non gaudent isti lectores sacræ Scripturæ in ecclesiâ aliis privilegiis, quibus gaudent docentes in scholis publicè;* alia : *An theologus, ut qui divinis pro præsente habeatur diebus quibus legit, censendus etiam sit præsens matutinis, quæ ex antiquâ ecclesiæ consuetudine, dicuntur sero præcedenti pro die sequenti : sacra congregatio respondit : Non censeri*, refert id. Garc., part. 3, c. 2, n. 118, qui n. 120 ait, quodlicet supradictus Gregorius XIII declaraverit, prædicto lectori deberi prædictas distributiones pro totâ die quo legit, intelligendum est quoad horas quibus non legerit, procedere solùm in illis qui gratiam ipsam specialiter petierint, ut sibi dixit auditor cardinalis Matthæi, præfecti sacræ congregationis concilii.

His igitur sic præmissis, videamus quid servet praxis circa has dispensationes, et cujus sit facultas dispensandi super non residentiâ. Et ait Rebuff. in d. prax., loc. cit., n. 75, eum hanc habere facultatem, qui residendi necessitatem imponit; cùm ejus sit solvere, cujus est ligare l. *Si puellæ*, ff. De spons. ipsique datum sit, non residendi facultatem, omnibus beneficiatis indulgere; prout etiam episcopis idem à jure permissum est, ut in capit. *Licet canon.*, de Elect. in 6, et id. Rebuff., d. num. 75.

Petitur autem dispensatio consueto more, per supplicationem, ipsi summo Pontifici porrigendam, quæ eo quo sequitur modo concipi potest, videlicet :

Beatissime Pater, cùm devotus S. V. orator Mattnæus Marra canonicus Ecclesiæ N. in vigesimo quarto suæ ætatis anno constitutus, ut ejusdem Ecclesiæ, ac in vineâ Domini fructuosior minister evadere possit, plurimùm cupiat sua studia ad infrascriptum tempus prosequi, supplicat igitur E. S. V. quatenùs eumdem oratorem in hoc suo laudabili proposito, confovendo, sibique specialem gratiam faciendo, eidem oratori, ut ad triennium, à datâ præsentium computandum, litterarum studiis sacræ theologiæ in aliquâ approbatâ universitate operam dare omniaque et singula canonicatûs, et præbendæ, quos in dictâ ecclesiâ pacificè obtinet, fructus, redditus et proventus, jura, obventiones, distributiones quotidianas et alia emolumenta universa, ordinaria et extraordinaria, etiam illa quæ ratione absentiæ vel non residentiæ, fabricæ ejusdem Ecclesiæ applicari consueverunt, in quibusvis rebus consistentia, et undecùmque provenientia, etiam solis præsentibus, singulisque canonicis interessentibus dari solita et consueta, cum illâ prorsùs integritate quâ illa perciperet, et levaret, ac percipere, et levare posset, si apud dictam Ecclesiam personaliter resideret, percipere, exigere et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere liberè, et licitè valeat, apostolicâ auctoritate, de consensu decani et capituli prædictæ Ecclesiæ concedere et indulgere; dictumque oratorem, durante triennio prædicto, ad residentiam apud eamdem Ecclesiam minimè teneri, nec ad id quâvis auctoritate, invitum cogi, seu compelli, et ob non residentiam hujusmodi dictos canonicatum, et præbendam minimè vacare, nec oratorem, illis aut illius fructibus in toto vel parte privari, neque aliàs molestari, seu perturbari, aut inquietari posse, imò eidem interim de omnibus, et singulis fructibus prædictis per Capitulum et canonicos dictæ Ecclesiæ, et alios, ad quos spectat, toto triennii hujusmodi tempore, responderi. Sicque per quoscumque judices, etc., *judicari,* etc., *irritum,* etc., *decernere dignemini, de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac Pii Papæ IV, Pii V, ac Sixti V, Romanorum Pontificum S. V. prædecessorum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ Ecclesiæ,* etc., *statutis,* etc., *roboratis,* etc., *privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis, eidem Ecclesiæ, illiusque præsuli, capitulo, canonicis, aliisque superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis,* etc. *Quibus omnibus,* etc., *latissimè hâc vice specialiter et expressè derogare placeat, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Fiat, ut petitur. M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur : *Et ad triennium tantùm, quo durante, orator in aliquâ approbatâ universitate studii generalis, seu gymnasio publico, studio theologiæ, aut decretorum, actu operam navare teneatur; alioquin fructus suos non faciat et de consensu archiepiscopi, ac omnium canonicorum dictæ Ecclesiæ.*

Fiat. M.

Hic verò pro novis ac simplicibus curialibus, non inutile prorsùs visum est dictæ supplicationis partes examinare; cùm illius clausulæ, quippe omnes ferè è corpore juris communis extractæ, sint necessariò in ipsâ supplicatione inserendæ; quas non ita facilè opportunas arbitrabitur, qui hanc praxim non benè callet; cùm tamen ob illarum alicujus omissionem, pluries compertum sit, in hujusmodi dispensationibus, nonnulla in dubium revocata fuisse, per quæ, gratiæ minùs utiles redditæ sunt; igitur.

Prima illius pars est, quòd orator studia, per eum jam cœpta, prosequi desirat; ob id enim faciliùs dispensatur, quàm cum eo qui adhuc studia non incœperit, si trigesimum suæ ætatis annum excesserit, ut aliàs diximus : quamvis etiam illi qui nondùm incœperit, detur ista dispensatiò, quæ aliàs denegari consuevit; et oratori indulgetur, ut studio theologiæ aut decretorum vacare possit; cùm intentio Papæ sit ut hujusmodi studium dilatetur : et ne personæ ecclesiasticæ se ingerant anfractibus judicialibus, et vagentur per scholas juris civilis, ubi interdùm pravi mores addiscuntur, Zerol. in d. verbo *Studium*, primo dubio. Benè tamen quandoque datur eidem oratori facultas audiendi, etiam jura civilia pro majori sacrorum canonum intelligentiâ, cum dispensatione super absentiâ, ut aliàs diximus.

Secunda, ut fructuosior in Ecclesiâ Dei minister evadat; illitterati enim ministri quidem, non tamen fructuosi esse possunt, sed potiùs perniciosi, ut etiam habetur in conc. Tolet. 4, cap. 25. Ignorantia mater punctorum errorum maximè in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt, et refertur in cap. *Ignorantia*, dist. 38. et si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venià, cap. *Si in laicis*, eâd. dist., cæterùm legenda est tota hæc dist. 38, et præcedens 36. Novissimè verò Trid., sess. 23, cap. 14, de Ref. inter ea quæ requirit in iis qui ad presbyteratûs ordinem assumuntur, illud est, ut ii sint qui ad populum (inquit) docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad ministranda sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur. Ex quo Tridentini loco occasionem nactus est Pater Franciscus Pavonius Cathacensis Societatis Jesu theologus, non solùm ad populum, sed ad clerum præsertim declamator et instructor insignis, nonnulla axiomata statuit circa scientiam ad sacerdotium requisitam, quæ, quoniam aurea sunt ut reliqua certè omnia, quæ in eâ præcipuè septimâ distinctione congessit, 2 part. Introd. in Sac. doct., ibi quemcumque in vineâ Domini proficere cupientem omninò remittimus.

Tertiò datur ista dispensatio ad triennium tantùm; ex eo quia hujusmodi tempus posset sufficere ad perficienda ipsa studia; cùm jam orator in supplicatione nominatus, petat sibi dispensationem concedi ad dictum tempus : cùm autem, ex supradictis decretis concilii Tridentini, non appareat quantum tempus possit hìc indulgeri ad studendum, profectò totum id remanet dispositioni juris communis; nam text. in cap. *Super eo* et ibi Gloss. dicit posse dari per septen-

nium licentiam studendi, et in cap. *Super specula*, ne cler. vel mon. dicit, per quinquennium ; sacræ Theologiæ verò non minore opus est tempore quàm septennio, const. tamen Pii IV, cujus tenorem inferiùs inseremus, dicit tantùm ad quinquennium, vel aliud tempus : unde videmus in praxi idem tempus in his dispensationibus diversimodè concedi, videlicet, secundùm necessitatem oratoris, et voluntatem dispensantis.

Quarta. Hæc gratia suffragatur à die datæ ; ideò ut, si tempus in eâ præfixum labatur, antequàm orator sua studia perfecerit, non faciet ampliùs fructus suos, sed tenebitur deinde ad pœnas non residentium; nisi desuper sibi nova gratia concedatur ad aliud tempus per viam prorogationis.

Quinta, oportet in supplicatione petere, etiam dispensationem pro fructibus percipiendis : alioquin illa non veniet, nisi hoc expressè concedatur, ut per Rebuff., loc. cit., num. 60. Quod si fortè sibi indulgetur, ut possit dictos fructus percipere, non tamen intelligitur de distributionibus quotidianis; ut declaratum fuit per *sacram congregationem*, sequenti declaratione, videlicet : congregatio censuit canonicum absentem studiorum causâ, percipere quidem posse fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas; quòd si in hujusmodi distributionibus, omnes capituli redditus constant, percipere etiam posse distributiones, demptâ tertiâ parte, quæ inservientibus accrescit; nullo autem casu, ipsum canonicum debere percipere distributiones quotidianas, missis, aut defunctorum anniversariis applicatas. Et alia sic ait : Absentia, causâ studiorum, etiam obtenta à sede Apostolicâ, non excusat ab amissione istius tertiæ partis detractæ, sicut nec excusat ab amissione cæterarum distributionum quotidianarum, quæ, ne præcedenti declarationi adversetur, in hunc sensum recipienda est, ut per Quar., verbo *Residentia.* in addit. vers. 1, circa med.

Hæ namque declarationes, aliæque similes super hâc re editæ, emanârunt profectò ad præscriptum sacrorum canonum, cùm apertissimi juris sit quòd litteris operam dantes, vel magistri, docentes in aliquâ academiâ ad majorem utilitatem Ecclesiarum, licèt in absentiâ possunt percipere beneficiorum fructus, non tamen habebunt distributiones quotidianas, text. est in cap. *Licèt*, et ibi Glossa, in verbo *Distributiones*, de Præb.; Gonz., § 7, procem. num. 178, qui num. seq. testatur id etiam procedere, quamvis de licentiâ Papæ, sit absens studiorum causa; ut censuit sacra congregatio concilii declarans cap. 3, sess. 21, de Reform.

Est autem notandum quòd licèt à supradictâ formâ supplicationis appareat fuisse oratori concessum ut integros fructus, etc., ac distributiones quotidianas percipere possit, id tamen ad instantiam cujusdam magnatis factum exstitit, cùm rarò hoc modo concedatur; sed semper ferè additur clausula : *Detractâ tertiâ parte distributionum quotidianarum dictorum canonicatûs et præbendæ pro præsentibus et divinis officiis interessentibus*, etc. Et hìc accesserat jam consensus archiepiscopi et omnium canonicorum illius Ecclesiæ.

Sexta, est præterea petenda in supplicatione derogatio statutorum et consuetudinum Ecclesiæ, sive cathedralis sive collegiatæ, in quâ orator obtinet canonicatum et præbendam; quandoquidem in illis talia esse possunt hujusmodi statuta, quæ procul dubio obstarent, nisi eis fuisset derogatum, de quibus videre est penes Garc., parte 3, c. 2, à num. 235, ad num. 254.

Septima, est notandum quòd ad hanc dispensationem obtinendam non sufficit fuisse per oratorem narratum, se velle studere in aliquâ approbatâ universitate; quia, nihilominùs in clausulis secundæ partis supplicationis additur, ut *dicto tempore durante, studeat in aliquâ approbatâ universitate studii generalis, seu gymnasio publico theologiæ, aut decretorum*, etc. Ac propterea, cùm hæc verba non addantur nisi ut servetur forma hujus facultatis, non possunt per oratorem in aliquo æquipollenti adimpleri. Clausulæ enim quæ in supplicationibus per dominum datarium illiusve officiales apponuntur, non sunt nugatoriæ, sed omnes ad præscriptum, præsertim sacrorum canonum, in rescriptis adduntur; cùm illæ sint extractæ ex corpore et visceribus utriusque juris. Unde clausulam supradictam reperio desumptam ex c. *Tuæ* de Cler. non resid., in quo hæc verba habentur : *Quæsivisti præterea, ut cùm interdùm canonici, quibus studiorum gratiâ, est indultum, ut in absentiâ suâ fructus percipiant præbendarum suarum, acceptâ licentiâ, se ad villas transferunt, vel castella, in quibus nullum est, vel minùs competens studiorum exercitium, utrùm præbendarum suarum fructus sint talibus conferendi. Ad quod breviter respondemus eis qui hujusmodi fraudem committunt, cùm fraus et dolus nemini debeat patrocinium impartiri, præfatam indulgentiam competere non debere*, ubi Glossa in verbo *Ad villas*, ait, quòd in regiis civitatibus et non in parvis villis, sive in castris, jura docenda sunt; ut in procem. ff. § *Hæc autem*, ibi, *et in aliis quosdam imperitos homines divagari, et doctrinam discipulis adulterinam tradere*, etc. Quapropter debent studere in famosis civitatibus, puta Neapoli, Romæ, aut Bononiæ, seu Salmanticæ, Parisiis, vel aliis in civitatibus, ubi vigent studia generalia, Zerol. in praxi Episc. verbo *Studium*, vers. *Ad quartum;* idipsum etiam innuit Pius IV, in suâ constitutione quæ incipit, *Sanctissimus*, ibi, *ut litterarum studio, in loco, ubi illud vigeat generale*, et sic debent studere in studio generali, seu celebri universitate, d. cap. *Tuæ*, et per sacram congregationem, sic fuit declaratum, videlicet : *Primò oneretur conscientia eorum quibus hujusmodi licentiæ conceduntur, ut debeant verè et actu in ipsâ famosâ universitate studio theologiæ, vel sacrorum canonum operam dare; alioquin fructus suos non faciant; ac pœnâ non residentium teneantur; perinde ac si nullam licentiam habuissent.* Hoc insuper requiritur, quòd dictum studium generale sit erectum et institutum per Papam, regem,

seu principem, ut per Garc. d. p. 3, cap. 2, num. 55 et seqq., quòdque facultatem habeat doctoratûs insignia, examine rigoroso præcedente, conferendi. Si igitur orator studuerit extra universitatem, non sufficit ad præmissa; quia privilegia data sunt tam legentibus in universitate quàm discentibus, non autem domi, ut in procem. Decretal. et in procem. Sexti, ibi, *Bononiæ commorantibus;* nisi tamen studuisset domi tempore pestis, quia tunc perinde esset, ac si in universitate, ut per doctores in l. *Recusare*, § fin. um l. seq. ff. de Trebell.; aliàs enim, si ex quoumque levi impedimento, non satisfieret huic decreto, gratia non suffragarétur; cùm non gratis addita sint supradicta verba, *in studio generali;* quia in hujusmodi rescriptis, quodcumque verbum, non est sine virtute operandi, ut dixit Bald. in leg. c. de Contrah. empt. quæst. 9. Sic etiam si studeret in civitate, sed extra studium generale; cùm privilegium concessum sit legentibus et studentibus in studiis generalibus et approbatis, Bart. et Alber. in § *Hæc tria*, in procem. ff. Clem. *Dudùm.*, verbo *In studiis autem generalibus*, de Sepult. In hoc enim prodest studere in famosis civitatibus, tum propter doctorum peritiam, quæ major est quàm in aliis non famosis, tum propter urbis auctoritatem Rebuff. in Concord., rubr. de Collat., in verbo *Universitate studii generalis.*

Et subditur in calce supradictæ supplicationis, *actu operam navare*, quod intelligendum est cum effectu; mens enim summi Pontificis ea est ut orator fiat antea discipulus, ut postea sit doctor, et possit alios docere, quod didicit; qui enim litteris operam non navavit, non potest esse litterarum præceptor, cap. fin. 59, dist. id. Rebuff. loco cit., et sequitur verbum, teneatur, quod præceptum et necessitatem ostendit, text. in Clem. *Exivi de Paradiso* § *Item ordo*, de Verb. signif., cap. *Per hoc*, injuncta Glossa in verbo *Teneatur*, et ibi ad hoc; Gemin. de Hæret.; lib. 6; quod enim præcipitur imperatur, et quod imperatur necesse est fieri, cap. fin. 14, quæst. 1, additis etiam illis verbis, *alioquin fructus suos non faciat;* per illam enim dictionem, *alioquin*, inducitur conditio contraria, l. *Et eleganter*, § *Si dolo*, cum Glossâ in verbo *Alioquin*, ff. de Dolo, l. *Si finita*, § *Ex hoc edicto*, cum Glossâ in d. verbo *Alioquin*, ff. de Damn. infect., et cùm ista dictio faciat conditionem, quæ hic, quoad fructus percipiendos, inducit formam, nisi servata fuerit, gratia erit nulla, Bald. in l. *Comparitiones*, in 3 opposit. c. de Fid. instrum. Ac propterea ex his non sufficit oratori, ut hujusmodi sibi traditâ facultate fruatur, si in studio moretur, et scholas ingrediatur, si cum effectu non proficeret, operamque daret, ut addisceret, sed superficialiter videretur hujusmodi studio vacare; cæterùm autem, si in dictâ universitate vagaretur, et non studuerit, non debet gaudere ipsâ facultate de non residendo, cùm oporteat per supradictum tempus multùm studere, diù noctùque insudare, ac passim facere mensam de libris, ut dixit Glossa in l. *Unicuique*, verbo *Parùm observâsse*, c. de Prox. sacror. scrin. dicitabat ob idque Fabius Corradus genitor meus, celeberrimus suo tempore jurisconsultus, quòd si ad acquirendam mediocrem scientiam, maximum studium requiritur, quid autem ad scientiam perfectam requiretur; ac propterea invehit Alber. de Rosat. in l. *Et qui data*, numer. 1, ff. *Ex quibus causis major*, contra eos qui vadunt ad studium, non causâ studendi, sed ut habeant fructus beneficiorum sine labore residentiæ, quem refert Prosp. de August. in Addit. ad Quarant., d. verbo *Residentia*, vers. *Limita ut non sufficiat.*

Octava et ultima. Hæc gratia nunquàm, aut rarò conceditur, nisi de licentiâ ordinarii; quidquid alii dixerint, inspecto jure communi, quod non obligat ad hujusmodi licentiam, sive consensum ordinarii impetrandum, propter text. in cap. fin. de Magistr. aliter enim nos docet hodierna praxis, per quam inconcussè servatur forma constitutionis Pii IV, desuper edita; cùm antea innumeræ fraudes committerentur, prætextu studiorum, ac propterea non sufficit hanc licentiam petere, sed oportet eam obtinere; tum ne proprius prælatus contemni videatur, tum etiam, quia ipse episcopus cognoscere et dijudicare debet an absentia sit pro causâ studii; quanto tempore duratura, et ad quam scientiam adipiscendam; qui etiam, tanquàm superior licentiandi, arbitrari debet an sit habilis, sive aptus ad discendum; ne illi ingenium et natura repugnent et resistant; ac attendere debet qualitatem statûs ipsius Ecclesiæ, ne ob talem discessum grave detrimentum patiatur in cultu divino ex ministrorum defectu, et alia diligenter inspicere, quæ recenset Quar. d. verbo *Residentia*, vers. *Prædictam conclusionem.* Hanc autem licentiam, si episcopus, sive prælatus sine causâ negaret, poterit recursus haberi ad superiorem, qui illum ad eam concedendum compellat, id. Quarant., loc. cit., vers. *Prædictam conclusionem*, in fin. Cùm autem, etiam hujusmodi fraudibus occurratur per supradictam constitutionem, quæ non modò loquitur de curatis, de cujus praxi seq. cap. dicemus, verùm etiam de aliis beneficiis residentiam requirentibus, et est in viridi observantiâ, supervacaneum minimè visum est, illius tenorem hìc inserere, qui talis est, videlicet:

Sanctissimus in Christo pater, et Dominus noster Dominus Pius divinâ Providentiâ Papa IV, ad cujus aures nuper pervenit, nonnullos curata vel aliàs sacros ordines, aut personalem residentiam requirentia, beneficia obtinentes, sub prætextu, quòd litteris operam dare cupiebant post confirmationem concilii Tridentini per Sanctitatem suam factam et publicatam, secum, ut litterarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, actu insistendo, ratione beneficiorum per eos obtentorum hujusmodi usque ad quinquennium, vel aliud tempus tunc expressum, dummodò infra primum illius annum subdiaconi fierent; ad reliquos ordines promoveri minimè tenerentur, et tam iidem quòd interim, quàm alii, etiam ad eosdem ordines, vel eorum aliquem, seu aliquos promoti, quod similiter studentes, beneficiis per eos obtentis, per vicarios idoneos, per locorum ordinarios, etiam con-

gruâ fructuum beneficiorum hujusmodi portione illis assignatâ, vel aliàs deputando in divinis deserviendo, animarum curam illis imminentem, exercendo, et alia incumbentia onera supportando, usque ad simile tempus personaliter in eisdem beneficiis residere non tenerentur, et nihilominùs interea omnes eorumdem beneficiorum fructus percipere possent, per ordinariam Sanctitatis suæ signaturam, seu pœnitentiariæ suæ officium dispensari, sibique pariter indulgeri obtinuerunt, nullum in his vel fraudi vel circumventioni locum, præsertim quoad absentes à Romanâ Curiâ, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non potest, quantùm humanâ ratione provideri potest, relinquere volens, concilii etiam Tridentini decretis inhærendo hujusmodi dispensationes et indulta hactenùs concessa, ac tam ipsius pœnitentiariæ, quàm apostolicas et alias desuper confectas, et conficiendas litteras, processusque habitos, et habendos, per easdem, dictis absentibus nullatenùs suffragari, nisi singulorum ordinariorum locorum, in quibus singula beneficia hujusmodi consistunt, consensus gratis præstandùs ad id accedat, apostolicâ auctoritate declaravit, decernens irritum, etc.

Hisce de causis hujusmodi licentiæ solent committi ordinario, ut eas exequatur; quare in calce supplicationis ita addi consuevit : *Et committatur ordinario.*

Hìc autem non importunè quæritur, quod pluries in praxi occurrit, nimirùm, numquid attento quòd hæc licentia concedi consuevit ad certum tempus limitata, præsertim ad quinquennium, eo transacto ac hujusmodi studio adhuc minimè consummato, poterit hâc de causâ idem ordinarius hanc facultatem oratori ad aliud sibi benevisum tempus prorogare. Et omni prorsùs hæsitatione remotâ, negativa datur responsio, quandoquidem sacra congregatio concilii desuper consulta, in hunc modum respondit, videlicet : *Licentia ut quis abesse possit causâ studii à servitio suæ Ecclesiæ vel sui canonicatûs, non suffragatur ultra quinquennium, impetrata à die quo cœpit studere;* quam quidem declarationem in hoc proposito refert Prosp. de August. in addit. ad Quarant., verbo *Residentia*, versic. *Et quoniam.* Additur insuper ut plurimùm in fine ejusdem supplicationis, ut infra, videlicet : *Et dummodò propter hujusmodi absentiam divinus cultus in dictâ Ecclesiâ detrimentum non patiatur; et quòd durante prædictâ absentiâ, dictus orator teneatur*, etc., *operam navare, et intra annum ad subdiaconatûs ordinem; et sic canonicatus et præbenda præfati alium, vel alios sacros ordines requirant, aâ diaconatûs et presbyteratûs ordines, quamprimùm per ætatem licuerit, promoveatur in tunc proximè successivè futuris temporibus; alioquin fructus suos non faciat; et pœnâ non residentium teneatur*, ac semper ferè subditur, *et distributionibus quotidianis exceptis; quòd si omnes fructus in eisdem distributionibus consistant, tunc detractâ earum tertiâ parte pro præsentibus et divinis officiis interessentibus, orator reliquas duas tertias partes tantùm, durante studio hujusmodi, percipere valeat. Et ad triennium tantùm.* Et quandoque additur decretum, *quòd oratoris conscientia oneretur ut debeat verè et actu ipso theologiæ in universitate studii generalis aut collegio approbato operam dare alioquin fructus*, etc., *et pœnâ*, etc. Quandoque etiam addi consuevit, quòd *nisi orator promoveatur, ut supra, canonicatus, et præbenda vacent eo ipso.*

Pro oratoribus autem in Urbe beneficiatis diversimodè licentiæ hujusmodi dari consueverunt; si enim ex. gr. concedatur alicui beneficiato S. Joannis Lateranens. additur in supplicatione : *Et de consensu capituli dictæ Ecclesiæ, et quòd orator singulis diebus Dominicis, et aliis de præcepto Ecclesiæ festivis diebus, impedimento cessante legitimo, in dictâ Ecclesiâ divinis officiis interesse teneatur; alioquin gratia hujusmodi nulla sit.*

Fuit similis facultas sic concessa alteri beneficiato ejusdem Ecclesiæ S. Joannis Lateranen., ut posset studere in seminario Urbis ad triennium tantùm. *Et dummodò eo durante, idem orator verè, et actu ipso (super quo ipsius conscientia oneratur) litteris operam navare teneatur, et singulis dominicis, et aliis festivis diebus de præcepto Ecclesiæ servari solitis, ac etiam die recreationis in quâlibet hebdomadâ ejusdem seminarii scholaribus concedi solito, dictæ Ecclesiæ deserviat aliàs fructus suos non faciat, et pœnâ non residentium teneatur. Et si dictum beneficium sacros etiam presbyteratûs ordines requirat, infra annum à datâ præsentium quatenùs in ætate legitimâ constitutus existat, aliàs à die quâ in eâ constitutus fuerit, ad subdiaconatûs, et successivè quamprimùm per ætatem licuerit, ad diacon. et presbyteratûs ordines se promoveri faciat; aliàs beneficium ipsum vacet eo ipso.*

Vidi nihilominùs indultum D. Francisco Antonio Sacchetti canonico Ecclesiæ Lucerin. per Urban. VIII, ut attento quòd servitiis eminent. card. Sachetti insistebat, tanquàm illius auditor, per annum eximeretur à residentiâ sui canonicatûs ita tamen ut interim reputaretur et haberetur tanquàm præsens, ac proinde gauderet omnibus fructibus, redditibus, obventionibus ac distributionibus quotidianis ordinariis et extraordinariis, eo modo ac si esset præsens divinis officiis ac horis diurnis pariterque nocturnis. Quare inhibitum fuit capitulo et canonicis d. Ecclesiæ, et aliis ad quos spectabat, quatenùs in virtute S. obedientiæ præd. canonicum tanquàm talem reputarent et haberent. Non obstantibus quibuscumque ordinationibus apostolicis aliisque in contrarium facientibus. Sub dat. Romæ die 10 januarii 1633.

Regulariter autem hujusmodi indulta non dantur, nisi exceptis distributionibus quotidianis, modo et formâ superiùs expressis et infra exprimendis. Imò sacra congregatio concilii declaravit, quòd absenti à residentiâ, dùm esset cubicularius ad Bussulam summi Pontificis, non deberentur distributiones quotidianæ, prout in unâ Reatinâ 13 novembr. 1627, teste Barbos. in collect. Bull. verbo *Abesse*, fol. 17, num. 3.

Hæc quidem quoad facultatem hujusmodi, quæ particularibus personis concedi consuevit : concedunt etiam summi Pontifices eorum Capellanis, aliisque familiaribus hanc exemptionem à residentiâ, ut plurimùm tenore sequenti, videlicet : *Necnon etiam, quam-*

diù nobis inservierint tantùm, et beneficiis ecclesiasticis, non tamen parochialibus, vel curam parochianorum habentibus per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio, personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis vel cathedralibus majores, et in collegiatis Ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur; nec ad id per locorum ordinarios, aut Ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios ad residendum interim in illis, inviti compelli possint; omnesque et singulos illorum beneficiorum fructus et redditus, durante servitio prædicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis duntaxat exceptis) illos perciperent, si in eisdem Ecclesiis, sive locis personaliter residerent, percipere, exigere et levare. Proviso tamen per eos, ut onera eisdem dignitatibus et beneficiis quovis modo incumbentia, congruè supportentur.

Supradicta enim præmissis satis apparet juri communi conformis, ut in cap. *Cùm dilectus*, de Cler. non resid.; ibi : *Mandamus, quatenùs non obstante constitutione, quæ contra absentes canonicos, inter nos dicitur emanâsse, fructus præbendæ suæ assignetis eidem, in nostro servitio commoranti; cùm familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universi, minori non debeant prærogativâ gaudere quàm vestrum singuli, quorum negotia per ipsos sæpiùs promoventur;* et in c. *Audientiam*, eod. tit.

Capellani etiam ac cantores regiæ capellæ actu inservientes ex constitutione Leonis X, ad instantiam claræ memoriæ Caroli V, omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum fructus, redditus et proventus, etiamsi fuerint canonicatus et præbendæ, dignitates, personatus, vel officia, aut curata beneficia, cum eorum integritate, quotidianis distributionibus duntaxat exceptis, percipere possunt; prout illos percipere possent, si in suis Ecclesiis personaliter residerent, et ad residendum interim in eisdem minimè teneantur. Non obstantibus apostolicis, ac fel. record. Bonifacii Papæ VIII aliisque constitutionibus, etc., sub Dat. Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 2 novembris 1519. Pontificatûs prædicti Leonis anno septimo.

Atverò aliud est hodie dicendum ex eo, quòd per concilium Tridentinum ista privilegia sunt revocata, quod proinde præcipit locorum ordinariis, ut pro bono Ecclesiarum regimine, compellat omnes opportunis juris remediis residere, nullique privilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentiâ percipiendis suffragentur, ut in sess. 6, c. 2, de Ref.; Garc., de Ben., p. 3, c. 2, n. 264, ubi quòd privilegia perpetua concessa certis personis, seu certo generi personarum, sunt revocata per d. concilium, et idem dicit numer. 423, ex declaratione sacri concilii, in quâ re privilegium concessum à Paulo III capellanis regis Hispaniæ, usque ad certum numerum, de non residendo et percipiendis fructibus in absentiâ, id. Garc., loco cit. d. num. 265, ait esse revocatum.

Quod quidem, quoad supradictam residentiam, intelligendum est etiam de arctatis ad celebrandum missas per seipsos, quarum ratione adhùc tenentur residere.

Quare cùm in novâ capellâ Thesauri S. Januarii, intus majorem ecclesiam Neapolitanam, fuerint apostolicâ auctoritate institutæ duodecim perpetuæ capellaniæ, pro duodecim perpetuis capellanis, in presbyteratûs ordine constitutis, vel tali ætate, ut ad illum proximis ex tunc provenientibus temporibus à jure statutis promoveri possint et debeant, qui per seipsos legitimo impedimento cessante, omnibus anni diebus, uno die cujuslibet hebdomadæ duntaxat excepto, missas ad altaria dictæ capellæ celebrare, cùm contingit aliquem ex dictis capellanis à civitate abesse, ac proinde missas per alium celebrare id sibi minimè permittitur, sede apost. inconsultâ.

Quare duobus ex prædictis capellanis, uni videlicet ex causâ in simplici libello narratâ, per sacram congregationem concilii ita sibi indultum exstitit, videlicet :

Die 28 *octobris* 1640, *sacra congregatio eminentissimorum cardinalium, concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi attributâ, benignè indulsit sacerdoti oratori, ut ad effectum accedendi ad urbem, occasione sanctissimi jubilæi, necnon ad almam domum Lauretanam, per tres menses à suâ residentiâ abesse possit, constituto interim idoneo substituto qui onus in prædictâ capellaniâ impleat.*

Petrus Aloysius cardinalis Carrafa.

Franciscus Paulutius S. C. C. secret.

Alteri verò, ex urgenti causâ, simile indultum petenti, ita pariter concessum est, et eo quo sequitur modo, videlicet :

Die 23 *februarii* 1647, *sac. congregatio eminentissimorum cardinalium, concilii Tridentini interpretum, indulsit, ex causis supra expressis, ut per tres menses orator abesse possit à suâ residentiâ; ita tamen, ut interim per substitutum celebrare faciat missas ab eo celebrandas.*

Petrus Aloysius cardinalis Carrafa.

Franciscus Paulutius, S. C. C. secret.

Idem quoque dicendum est de absentibus pro utilitate Ecclesiæ, necnon causâ reipublicæ, quia etiam tunc præsentes reputantur, et gaudent supradictis distributionibus quotidianis, cap. *Ex parte*, de Cler. non resident., et capite *Unde cler. non residen.*, in 6, quod jam non modò in beneficiis ecclesiasticis, sed in ipsis officiis locum habet; unde absens pro Romanâ Ecclesiâ, seu pro Sede Apostolicâ, præsens omninò existimari debet, Mandos., reg. 16, quæst. 33, numer. 4; quapropter, ut exempla aliqua proferamus, decanatus collegii auditorum Rotæ Romanæ, spectat ad Auditorem, tempore vacationis in Curiâ præsentem; aut ex causâ publicâ absentem, et extra Rom. Curiam à Rom. Pontifice destinatum, qui omnes alios auditores, etiam antiquiores semper in quibusvis sessionibus, disputationibus, votis, et aliis actibus publicis et privatis præcedet; nec per alios auditores, etiam antiquiores, tunc absentes, etiamsi postmodùm incontinenti, ad dictam Curiam se conferant, et in eâ

continuò residcant, super ipso decanatu impediri aut molestari valeat, ut voluit Pius IV, in suâ constitutione, quæ incipit, *Dudùm*, 1562, sexto kal. augusti; pontificatûs anno tertio, qui etiam voluit, ut collegii cardinalium decanatus de cætero, non nisi ad episcopum cardinalem antiquiorem in Curiâ præsentem, aut ex causâ publicâ absentem, et extra Curiam, per Romanum Pontificem destinatum, devenire posset.

Cùm autem ista dispensatio, de cujus praxi agimus, præcipuum ferè operetur effectum circa distributiones quotidianas in absentiâ percipiendas; ac propterea si non possent eas absentes percipere, redderetur ipsa inutilis et sine effectu; videndum idcircò est an, et quinam sint casus in quibus, sine aliquâ dispensatione, absentes lucrantur dictas distributiones; quod quidem à nostrâ praxi alienum non agnovimus, cùm sæpè ea nos doceat, peti desuper dispensationem apostolicam minùs necessariam. Ipsos igitur casus, quos congessit Vivian., in Prax. jurispatr., part. 3, lib. 15, cap. 3, hìc summatim, et pro eo quod eamdem praxim respicit, referam; quorum primus est, cùm quis ex causâ pestis non potest residere; si tamen adsit consuetudo, quòd ex justâ causâ absens percipiat ipsas distributiones; Monet., de Distr. quotid., part. 2, q. 5, num. 76. Secundus. In infirmitate constitutus, etiamsi quis ex propriâ culpâ infirmetur; Fusc., de Visitat., lib. 1, cap. 20, num. 26, quod tamen intelligas, si talis infirmus, quando erat sanus, solitus esset interesse divinis officiis et residere; aliàs enim supradicta infirmitas non præstat causam absentiæ, et sic non lucrabitur dictas distributiones quotidianas; Navar., de Orat. et Hor. canon., cap. 11, à num. 9, et si infirmus ad balnea vel ad alium locum pro recuperandâ sanitate pergat, distributiones lucratur. Monet., d. quæst. 6, num. 10. Tertius. In sene, quando ita senio confectus est, ut nequeat commodè personaliter ecclesiæ deservire; Monet., d. part. 2, quæst. 7, num. 5. Quartus. In eo qui est datus obses ad Ecclesiam, vel captus causâ repræsaliarum; Monet., d. part. 2, quæst. 5, num. 56. Quintus. In absente ob necessitatem vel causam evidentem, utilem Ecclesiæ, stante consuetudine; Covar., d. lib. 3, cap. 13, num. 9. Sextus. In inquisitore hæreticæ pravitatis, ex privilegio speciali favore fidei, concesso à Paulo III et Pio V, quod procedit etiam in consultoribus S. officii inquisitionis.

Et pluries sacra congregatio universalis inquisitionis censuit canonicos, tam cathedralis quàm collegiatæ Ecclesiæ inservientes, uti notarii, fiscales et consultores in tribunali S. officii, esse exemptos à servitio suarum Ecclesiarum, ac proinde posse percipere omnes fructus, necnon distributiones quotidianas, acsi actualiter prædictis Ecclesiis inservirent, etiam contradicentibus cæteris canonicis; quare ipsa sacra congregatio rescripsit illustrissimo et reverendissimo D. Felici Tamburello episcopo Sorano ministro generali ipsius supremæ universalis inquisitionis de Urbe in hoc regno, quatenùs secundò dictos canonicos suæ Ecclesiæ cogeret ad solvendos omnes fructus, ac supra dictas distributiones quotidianas canonico inservienti suo tribunali juxta decreta ipsius sac. congregationis de hâc re pluries emanata, prout ex litteris sub dat. Romæ 27 februarii 1649, quas refert dominus meus Paulus Squillante in suo utilissimo tract. de Privil. episc., cap. 18, sub num. 10.

Præterea consultores, sive assessores S. officii gaudent etiam privilegio exemptionis ab ordinarii jurisdictione, nedùm in causis criminalibus, sed etiam in causis civilibus, prout eadem sacra congregatio rescripsit bonæ mem. Antonio Ricciulo, tunc ministro generali præfatæ supremæ universalis inquisitionis, necnon sanctæ memor. cardinali Boncompagno, archiepiscopo Neapolitano; ac litterarum exemplum habes penes illustriss. D. Carolum Marantam in suis celeb. Resp., tomo 3, resp. 66, sub num. 68.

Idem quoque dicendum est de collectoribus generalibus cameræ Apostolicæ; nam isti, ac etiam subcollectores, advocati, procuratores, fiscales et notarii in causis spoliorum et jurium prædictæ cameræ, eorum officio durante; nam omnes lucrantur etiam distributiones quotidianas in absentiâ, ex Bullâ Sixti V, sub dat. Romæ in monte Quirinali sub annulo Piscatoris, die 8 maii 1590, sui pontificatûs anno sexto.

Præterea supra dicti subcollectores et commissarii ratione quorumvis prætensorum excessuum, criminum et delictorum subsunt jurisdictioni nuntiorum et collectorum, ad quos illorum cognitio spectat, etiamsi illa fuerint patrata post divinum officium; ex constitutione Urbani VIII, cujus tenor talis est, videlicet:

Urbanus *Papa VIII. Ad perpetuam rei memoriam, aliàs rec. mem. Gregorius Papa XIII, prædecessor noster, indemnitati ministrorum cameræ Apostolicæ, ne ullis molestiis, litibus vel incommodis fatigarentur, opportunè providere cupiens, quòd omnes et singulæ causæ tunc motæ, et pro tempore movendæ quorumvis prætensorum excessuum, criminum et delictorum per quoscumque subcollectores et commissarios, tam generales quàm particulares in quibuslibet provinciis, civitatibus et diœcesibus regni Neapolitani pro tunc, et pro tempore existentem nuntium apostolicum et collectorem generalem deputatos, commissorum, à tunc et pro tempore existente nuntio apostolico in eodem regno commorante, solùm, non autem à quibusvis aliis judicibus, etiam locorum ordinariis non modò durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec viverent, audiri, cognosci et decidi possent et deberent, statuit et ordinavit; prædictisque judicibus et locorum ordinariis, ne in illis sese quovis prætextu seu quæsito colore intromittere quoquo modo ullatenùs auderent vel præsumerent, districtiùs inhibuit, prout in suis litteris in simili formâ Brevis sub datum die 4 januar. MDLXXV, pontific. sui anno III, expeditis pleniùs continetur. Cùmque postea, ut accepimus, fuerit à nonnullis pluries dubitatum, an prædictæ litteræ Gregorii prædecessoris prædicti de prætensis excessibus, criminibus et delictis, durante officio duntaxat; an verò etiam de aliis post finitum eorum officium, ut prætenditur, donec viverent, commissis, intelligi deberent, et desuper diversas resolutiones, etiam ad invicem contrarias emanâsse asseratur, Nos volentes finem huic dubitationi*

imponere, e. attendentes quòd eidem subcollectores et commissarii in concernentibus servitium cameræ et Sedis Apostolicæ, timidiores ac negligentiores fierent, si sub prædictorum judicum et ordinariorum jurisdictione post finitum eorum officium, se relictum iri timerent, et propterea justo metu retraherentur à gerendo ut debent eorum officio, dubitantes ne, illo finito, prædicti judices, et locorum ordinarii in illos, etiam ex causis mendicatis sævirent; quod in non modicum præjudicium cameræ et Sedis Apostolicæ redundaret. Idcircò motu proprio et ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ constitutione perpetuò valiturâ, cognitionem et decisionem causarum, prætensorum excessuum, criminum, et delictorum per prædictos subcollectores et commissarios, à nuntiis et collectoribus apostolicis, tam in regno Neapolitano quàm in aliis provinciis, regnis et locis, etiam speciali notâ dignis, et ubique terrarum et locorum per nuntios sive collectores apostolicos hactenùs deputatos, et pro tempore deputandos, quomodocumque etiam post finitum officium, commissorum, ut prætenditur, et patratorum spectâsse, et spectare ad nuntios et collectores apostolicos pro tempore existentes privativè quoad quoscumque alios judices, etiam locorum ordinarios prædictos declaramus, et quatenùs opus foret, decernimus, statuimusque et ordinamus; ne autem inde major libertas delinquendi, et excessus committendi eisdem subcollectoribus et commissariis nascatur, et ne eorum delicta, si quæ patrata essent, vel patrarentur in posterum impunita remaneant; volu nus quòd collectores cameræ apostolicæ nunc et pro tempore existentes inter statuta per eosdem subcollectores et commissarios observanda tanquàm ab ipsis collectoribus jam edita, etiam impressa, addant comminationem de eosdem subcollectores et commissarios privando hujusmodi privilegio, et illos ordinariæ jurisdictioni submittendo, quatenùs post dimissum officium ab excessibus et delictis committendis non se abstineant, quòdque prædicta statuta in cancellariis episcovorum et aliorum ordinariorum retineantur et stent affixa. Decernentes præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque etiam ex eo, quòd quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes vocati, et auditi non fuerint, aut præmissis non consenserint, seu causæ propter quas præsentes emanârint, adductæ, verificatæ, seu aliàs justificatæ non fuerint, aut aliâ quâvis de causâ de subreptionis vel obreptionis, seu nullitatis vitio aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversùs illas restitutionem in integrum, appetitionem oris, aut quodcumque aliud juris vel facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quomodocumque uti, seu se juvare in judicio, vel extra nullatenùs posse, sed eas semper validas, firmas et efficaces existere et fore, sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et nuntios sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit, attentari. Non obstantibus, quatenùs opus sit nostra de jure quæsito non tollendi ac quibusvis aliis cancellariæ apostolicæ regulis, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, et consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, invocatis. Quibus omnibus etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenorem præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter, et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die secundâ julii MDCXXXVI, pontificatûs nostri anno decimo tertio.

M. A. Maraldus.

In cæteris autem omnibus, supradicti subcollectores et commissarii, dimisso officio, ut præfertur, remanent jurisdictioni ordinarii omninò subjecti, cui tenentur, ut decet, absque contradictione parere, nec quisquam aliud hujusmodi exemptionis prætendere possunt, et aliàs sacra congregatio rescripsit episcopo Isclano, ut sequitur, videlicet:

Illustre et molto reverendo signore come fratello, l'essere stato soccollectore apostolico, non nà da essentare D. Luca Castaldi di cotest a diocesi, mentre non esserciti più il medesimo carico; ne dalle processioni inditte da V. S. nella synodo, ne da altro giusto ordine, che ella habbia fatto, ò sia per fare in qualsivoglia materia. Servasi dunque della sua authorità, et sforzilo con i remedii, che gli danno i sacri canoni alla dovuta obedienza; ch'é quanto hò da dire in nome della sacra congregatione. Et Dio la prosperi. Di Roma 11 di agosto 1626, Di V. S. come fratello.

Ludovisio cardinale di S. Sisto.

Septimus casus. In clerico excommunicato pro causâ suæ Ecclesiæ et defensione suorum jurium, si injustè sit excommunicatus; sicut dicendum est de clerico injustè suspenso ab officio seu beneficio; et idem de clerico injustè carcerato. Octavus. In auditore Rotæ Romanæ ex indulto Clem. VII. Id. Viv., num. 140. Nonus. In collectore generali cameræ apostolicæ, et subcollectore, advocato, procuratore fiscali et notario in causis spoliorum, durante eorum officio, ex bullâ Sixti V sub die 8 maii 1596. Decimus. In canonico seu archidiacono Ecclesiam visitante, seu bona et redditus suæ præbendæ; Monet., d. part. 2, quæst. 11, num. 63. Undecimus. In beneficiato præsente concilio generali, id. Vivian. num., 143. Duodecimus. In canonistâ, seu theologo, qui nomine sui capituli intersit concilio; Monet., d. q. 11, num. 91. Decimus tertius. In examinatoribus in synodo diœ-

cessanâ deputatis, si causâ examinis à choro absint. Decimus quartus. In canonico misso à proprio episcopo ad visitanda limina Apostolorum, vel comitante ipsum episcopum ad eadem limina. Decimus quintus. In canonico pœnitentiario, dùm audit confessiones; concil. Trident., sess. 24, cap. 8, de Reform. Decimus sextus. In eo qui exercet curam animarum Ecclesiæ in quâ est canonicus, Garc., part. 3, cap. 2, num. 335. Decimus septimus. In canonico, facto vicario capitulari, sede vacante, Rot., part. 2, decis. 222, num. 6, *divers.* Decimus octavus. In canonicis existentibus in servitio sui episcopi, ut in visitatione, in componendâ synodo, et simili, si adsit consuetudo. Decimus nonus. In canonico theologo, qui in die quo legit, sive de mane sive de sero legat, totâ die à choro est exemptus, et distributiones quotidianas lucratur; Garc., d. capite 2, num. 118, et seq., diximus supra. Vigesimus. Ex gratiâ speciali et concessione summi Pontificis, idem Garc., d. cap. 2, num. 354, quæ tamen rarò conceditur quoad omnes distributiones quotidianas lucrandas, nisi personis valdè dilectis et benè meritis. Cùm verò diebus retro elapsis, sacr. congreg. eminentissimorum cardinalium negotiis episcoporum et regularium, pro parte D. Don Josephi Minadoi Gomez Neapol. V. I. D., ejusdemque civitatis patritii, et illius metropolitanæ Ecclesiæ canonici meritissimi, ætate juvenis, moribus tamen, doctrinâ negotiis pertractandis rerumque experientiâ senis, quem gratiarum Dominus, industriæ claritate, morum elegantiâ aliisque ingentibus virtutum titulis decoravit, fuisset expositum, ipsum oratorem, pro administrandâ tutelâ sui consanguinei, domini in temporibus plurium terrarum, ipsum ibi personaliter, interesse oportere, supplici per eum libello eidem sacræ congregationi porrecto, petiit sibi indulgeri, ut præmissorum occasione, ab eâdem Ecclesiâ per sex menses singulis annis abesse, et interim distributiones quotidianas percipere valeret; ipsa sacra congregatio, eo quo sequitur modo, respondit, videlicet:

Sacra congregatio cardinalium negotiis episcoporum et regularium præposita censuit, oratori permittendum esse, prout præsentis decreti virtute permittit, ut prædictam testamentariam tutelam exercere possit, intercedente consensu Eminentissimi ordinarii, cujus conscientiæ hoc onus imponitur. Et ab Ecclesiâ, in quâ canonicatum obtinet, quatuor mensium spatio pro unâ tantùm vice abesse possit, et interim distributionibus quotidianis cæterisque emolumentis cumuletur, quibus alii canonici fruuntur. Romæ, die 6 maii 1639.

Frater Antonius card. S. Honuphrii.

Locus † sigilli. C. Fachenettus.

Cùm autem postmodùm per eumdem oratorem in dubium revocaretur, an in dictis quatuor mensibus comprehenderentur tres menses, canonicis per conc. Trid., sess. 24, c. 12, concessi pro absentiâ, consulta desuper ipsa sacra congregatio, per litteras privatas significandum duxit eminentissimo archiepiscopo Neapolitano, præfatos tres menses, non esse sic aliter comprehensos, ac proinde posse ipsum oratorem septem mensibus à dictâ Ecclesiâ, ex causâ prænarratâ, abesse. Sub dat. 27 august. 1639

Hæc autem, quoad praxim dispensationis super residentiâ canonicorum; quo verò ad presbyteros qui nullum beneficium ecclesiasticum, personalem residentiam requirens, obtinent, jam aliàs diximus, eos ob non residentiam non debere ab eorum ordinariis molestari; licèt quandoque isti sine licentiâ ordinarii abesse non possint; ut aliàs casus evenit pro quodam presbytero, qui in susceptione presbyteratûs, ac forsan aliorum sacrorum ordinum, juramentum in manibus sui ordinarii præstiterat, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, se nunquàm à civitate et diœcesi discessurum; postmodùm verò ex quibusdam assertis causis domino datario oretenus notificatis, sibi fuit per Sedem Apostolicam indultum, ut hujusmodi juramento non obstante, ab ejusdem civitate et diœcesi, etiam absque ejusdem ordinarii litteris dimissorialibus, recedere, et extra eas ubicumque ad suum beneplacitum residere, et beneficia ecclesiastica, si sibi aliàs canonicè conferrentur, recipere, et illis inservire, necnon in minoribus, ac omnibus sacris et presbyteratûs ordinibus hujusmodi, etiam in altaris ministerio, absque alicujus perjurii, seu excommunicationis, vel irregularitatis, aut aliarum censurarum, et pœnarum ecclesiasticarum incursu; ipsius ordinarii et cujusvis alterius licentiâ desuper minimè requisitâ, ministrare liberè, et licitè valeret, ac stante indulto hujusmodi, ipsum oratorem desuper ab eodem ordinario, seu quovis alio, quâvis auctoritate et potestate molestari, inquietari, seu impediri nullatenùs posse, neque debere decernendo, cum derogatione præmissorum, et aliorum obstantium. Et in calce supplicationis fuit additum: *Et dummodò orator servitio alicujus Ecclesiæ civitatis, vel diœcesis adstrictus, aut propter aliquod delictum in ipsâ diœcesi inquisitus, vel processatus non sit, sub anno XI pontificatûs Pauli V, nono kal. januarii.* Istæ tamen exemptiones non ita passim conceduntur, ut omnibus notum est, sed ex gravissimis et urgentissimis causis; ex quo experientiâ compertum est, ut dicebat Ulpianus Ulpius bon. mem., tunc secretarius congregationis episcoporum et regularium, ob plures querelas episcoporum apud ipsam congregationem ex causâ exemptionum prædictarum, quòd istæ ut plurimùm perturbationem in episcoporum jurisdictione excitant, et exemptis, occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur; et licèt multi adsint exempti, qui eripiuntur à jurisdictione ordinarii, Glos. in cap. *Cùm olim*, de pri. Dec., concil. 113, num. 7, attamen per concil. Trident., sess. 24, cap. 11, de Reform., ad occurrendum tot malis, quæ ob hujusmodi exemptionem oriebantur, dùm ibi dicitur: *Quoniam privilegia, et exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodiè perturbationem in episcoporum jurisdictione et exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur*, etc.; propterea hâc de causâ idem concil. loc., etc., quibuscumque non obstantibus, tribuit episcopis, tanquàm Sedis Apostolicæ delegatis, uper exemptos facultatem; volens quòd nihil ex pri-

vilegiis, eisdem concessis, intelligatur esse ordinariis detractum; Paris., de Resign., Benef. lib. 3, quæst. 11, num. 3, cum pluribus sequentibus, ubi num. 8, plures congerit casus, in quibus exempti subjiciuntur jurisdictioni ordinariorum.

Quoniam verò inter cæteras personas in ipso concilio expressas, quas illud subjicit jurisdictioni ordinariorum, connumerantur protonotarii apostolici extra numerum participantium, qui inadvertenter (ut ita dicam) tenent, ob privilegium protonotariatûs, simpliciter ipsis ordinariis se obnoxios nequaquàm remanere; quod etiàm ab aliis in dubium revocatum audivimus, operæ pretium esse profectò diximus hìc subnectere, quid Romanæ Curiæ praxis servet in concessionibus hujusmodi privilegiorum, quæ in dies fiunt personis graduatis, aut aliàs nobilibus seu qualificatis.

Ne tamen ipsius Curiæ tyrones lateat quinam sint, undè, et quomodò protonotarii apostolici exordium in Ecclesiâ duxerint, breviter pariter præmittam, Clem. 1, anno 48, septem notarios deputâsse, inter quos Urbis regiones distribuit, non quidem ut ipsi vitas martyrum, aut omnia eorum gesta scriberent, ut nonnulli dixerunt, quos refert Sarnen., in procem. Reg., tit. de Orig. et off. prot., sed tantùm ut ipsorum martyrum agonem accuratè scriberent, nimirùm ut dùm ii ad supplicium ducerentur, eorum verba ac circumstantias alias, quibus eorum invicta fortitudo demonstrabatur, ut refert Baron. et Spond. in Annal., quos refert Lotter. de Re benef., lib. 2, q. 28, num. 33.; postmodùm verò cessante persecutione, Julius I mandavit, eos quascumque res ad Ecclesias pertinentes scripto mandare. Crevit postmodùm ipsorum notariorum honor, ut ad differentiam aliorum notariorum Urbis, protonotarii appellarentur; quasi primi inter alios notarios; πρῶτος enim græcè, latinè primus dicitur, sicut protomartyr, primus martyr, id Sarnen., loco cit., supradictus verò numerus illorum retentus fuit usque ad pontificatum Sixti V, qui anno 1586, illum ad duodecim ampliavit cum multis privilegiis et emolumentis, qui hodiè propterea dicuntur participantes; id Lotter., d. q. 28, num. 37, cùm habeant proprios et distinctos introitus et reditus à Sede Apostolicâ, necnon quædam emolumenta ex expeditione quarumdam litterarum apostolicarum, habentque proprium locum in cancellariâ apostolicâ, teste Mandos. in Praxi signat. tit. *Protonotarii et acolythi*. Sunt etiam familiares et domestici Papæ; habent quotidiè panem, pariterque vestes in morte et corona tione ipsius Pontificis, ac locum in equitatibus, seu cavalcatis; possunt legitimare spurios, et creare notarios, seu tabelliones; suntque exempti à jurisdictione ordinariorum; eorumque familiares arma gestare possunt, ex constitutione Sixti V, decimo sexto kal. decembr. 1585. Eisdem concessum est privatè quoad omnes alios prælatos, pileum nigrum, cum cordulis et ornamentis violaceis per sacr congr. Rit. in unâ Urbis protonotariorum, 17 febr. 1607. Ipsique præcedunt canonicos cujuscumque cathedralis, etiam quatuor patriarchalium Urbis, ead. congr. Rit. in unâ Urbis 4 maii 1613. Et in capellâ summi Pontificis debent præcedere sacristæ et abbatibus usum mitræ habentibus, ead. S. congreg. Rit. in unâ Romanâ 13 julii 1601; refert Barb. in collect. Bullar., verbo *Protonotarius*, fol. mihi 588, in princ. Reliquos verò protonotarios extra numerum, id est, non participantes, honorarios appellamus.

Quo verò ad antiqua eorum privilegia et prærogativas, sciendum est quòd tam participantes quàm non participantes, sunt in magnâ dignitate constituti. Hos enim Leo X, in concil. Lateranensi, sess. 10, sub dat. quarto non. maii anno III, inter cætera exemit à prædictâ jurisdictione ordinariorum, tam in civilibus, quàm in criminalibus, ut in suâ constitutione, quæ desuper emanavit, cujus quidem tenor, quoad præmissa, hìc inserere placuit, qui talis est, videlicet: *Notarii autem dictæ sedis, quorum officium in illis primitivæ Ecclesiæ initiis à fel. record. Clem. I, ad sanctorum gesta perquirenda, atque conscribenda noscitur institutum, ad protonotariatûs officium assumpti, habitum et rochettum deferentes, et alii nostri, et dictæ sedis officiales actu sua officia exercentes tam in civilibus quàm in criminalibus, ab omni ordinariorum jurisdictione sint exempti; alii verò notarii habitum non deferentes protonotariatûs, nisi illud infra trimestre post præsentium publicationem assumpserint, et ipsi ac alii in posterum assumendi habitum et rochettum hujusmodi continuè non gestantes, atque alii nostri et dictæ sedis officiales officia sua actu non exercentes, tam in criminalibus quàm in civilibus ratione causæ summam viginti quinque ducatorum auri de camerâ, non excedentis duntaxat, eorumdem diœcesanorum et ordinariorum jurisdictioni subjaceant: in civilibus verò causis summam hujusmodi excedentibus, plenâ gaudeant exemptione; et à dictorum diœcesanorum et ordinariorum jurisdictione penitùs sint exempti. Exemptiones autem de cætero absque rationabili causâ, et quorum interest, minimè citatis pro tempore concessæ, nullius roboris, vel momenti esse decernimus.*

Attamen, quia, ut dictum est, ex supradictis privilegiis et exemptionibus, multa in dies inconvenientia oriebantur; propterea concil. Trid., sess. 24, cap. 11, inter personas ibi expressas, ipsis protonotariis dictam exemptionem subtraxit, ac proinde circa hos honorarios inspiciendum est, tam quoad hoc, quàm ad alia, tenor privilegii sibi concessi, ut infra patebit ex formulâ litterarum hujusmodi protonotariatûs, ad text. in c. *Accepimus*, et seq. de Fid. instrum., cap *Cùm plantare*, ante fin., cap. *Porrò*, de Privileg.; ibi; *Quod totum ex inspectione privilegiorum suprum pleniùs advertere potes, et secundùm quod inveneris, ita observes, sic enim eos voluimus privilegiorum suorum servare tenorem, quod eorum metas transgredi minimè videatur*, et sic à formâ verborum dicti privil., non est recedendum c. *Ad audientiam*, de Decim., cùm in suâ formâ tantùm servari debeat, et non ultra extendi, Glos., in d. c. *Porrò*, verbo *Tenorem*.

Ipsa itaque formula, sub quâ hodie conceditur pri-

vilegium protonotariatûs, ea est quæ sequitur, videlicet :

A tergo : *Dilecto filio Joanni Baptistæ Marino presbytero Neapolitan. diœcesis, nostro, et Sedis Apostol. notario.*

Intus verò :

URBANUS Papa VIII. *Dilecte fili, salutem, et Apostolicam benedictionem. Pastoris æterni, qui prout vult, dispensat singulis, etiam plusquàm merita, et vota eorum poscunt, munera gratiarum, vices quanquàm immeriti gerentes in terris, minores interdùm honoribus efferimus, ut fiant eorum humeri in observantiâ mandatorum Domini fortiores. Nos itaque te, qui (ut asseris) de nobili genere procreatus existis, nostrisque et hujus sanctæ Sedis Apostolicæ obsequiis insistere intendis, grato affectu prosequi, ac personam tuam dignioris nominis titulo decorare volentes, teque à quibusvis excommunicationis*, etc. *Censentes te in nostrum et ejusdem sedis notarium, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium recipimus et admittimus, ac aliorum nostrorum, et dictæ sedis notariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus, tibique, ut etiamsi habitum et rochettum non deferas, nihilominùs omnibus et singulis favoribus, honoribus, indultis, privilegiis, præeminentiis, exemptionibus et prærogativis, quibus alii nostri, et dictæ sedis notarii, tam de jure quàm de consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, pari modo (absque tamen aliorum nostrorum, et dictæ sedis notariorum de numero participantium præjudicio, et citra exemptiones à sacro concilio Tridentino sublatas, ita ut, nedùm quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceas ordinariis. Et citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios creandi, aliaque similia privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis prætensa; quibus nullibi uti valeas; et si secùs à te factum fuerit, irritum et inane existat) uti, frui, potiri et gaudere liberè et licitè possis et valeas; auctoritate et tenore præmissis concedimus et indulgemus. Non obstantibus Lateranensis concilii de certo eorumdem notariorum numero, cui per hoc aliàs non intendimus derogare, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac collegii dictorum notariorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Tu igitur, dilecte fili, sic de bono in melius virtutum studiis intendas, ut in Nostro, et ejusdem Sedis conspectu ad majora te semper exhibeas meritorum cumulis digniorem; nosque proinde ad faciendam tibi uberiorem gratiam et honorem meritò arctiùs invitemur. Volumus autem, quòd antequàm præsentis nostræ gratiæ effectu perfrui valeas, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiasticâ constitutæ, professionem fidei, juxta articulos pridem à sede prædictâ propositos, emittere, et solitum fidelitatis juramentum omninò præstare tenearis. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 15 februarii MDCXXXVI; pontificatûs nostri anno decimo tertio.* M. A. Maraldus.

Et non aliàs quàm modo præmisso conceduntur hujusmodi privilegia, in quibus ut plurimùm, ad submovendam quamlibet hæsitationem, adjicitur etiam supra dicta clausula, nimirùm : *Ita ut nedum quoad criminalia*, etc., sub eâdem quidem fere formulâ dantur etiam à Legatis, Nuntiis, Episcopis assistentibus in capellâ Summi Pontificis, et aliis, quibus id est per ipsum Pontificem indultum : quibus quidem præscribitur modus creandi supradictos protonotarios per hæc verba, nimirùm :

Ac tibi tres viros, vitæ ac morum probitate aliisque virtutum donis commendatos, qui nostris et Sedis Apostolicæ obsequiis insistere proponant, in nostros et ejusdem Sedis notarios, auctoritate nostrâ Apostolicâ recipiendi et admittendi, ac aliorum nostrorum et Sedis Apostolicæ notariorum numero et consortio favorabiliter aggregandi; illique, ut etiamsi habitum, et rochettum non deferant, nihilominùs omnibus et singulis favoribus, honoribus, privilegiis, gratiis, indultis, præeminentiis, exemptionibus et prærogativis, quibus alii nostri et dictæ sedis notarii, tam de jure quàm de consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, similiter uti, frui et gaudere possint et valeant, sine tamen aliorum nostrorum, et ejusdem sedis notariorum de numero participantium præjudicio, et citra exemptiones à sacro concilio Tridentino sublatas; ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, ac notarios, seu tabelliones creandi, aliaque similia privilegia eisdem notariis de numero participantium concessa, seu ab eis prætensa, quibus notarii à te vigore præsentium creandi, nullibi uti valeant et si secùs ab eis fieri contigerit, irritum et inane existat, indulgendi.

Modus autem sive forma, sub quâ hujusmodi protonotarii consueverunt, sive ab ipsis illustrissimis episcopis assistentibus, sive ab aliis hanc facultatem habentibus creari, patet, ut infra, videlicet :

Æmilius Alterius patritius Romanus, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ episcopus Camerinen. sanctissimi D. N. Innocentii divinâ providentiâ Papæ X, et Sedis Apostolicæ in regno Neapolis nuntius, spoliorumque ac jurium cameræ apostolicæ debitorum collector generalis, ejus demque S. D. N. prælatus domesticus, ac unus ex episcopis in illius capellâ pontificiâ assistentibus, dilecto Nobis in Christo N. clerico, seu presbytero Neapolitano V. I. D. de nobili genere procreato, salutem in Domino sempiternam. Singularis devotionis affectus, quem erga præfatum sanctissimum D. N. sanctamque Sedem Apostolicam, ac nos gerere comprobaris; necnon litterarum scientia, vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus clarescere dignosceris, ac de quibus omnibus apud nos fidedignorum testimonio commendaris, nos inducunt, ut sedes prædicta cujus auctoritate cum aliis illustrissimis episcopis in eâdem capellâ assistentibus fungimur te specialis favoris prærogativâ prosequatur. Cùm itaque tu, qui V. I. D. ac de nobili genere procreatus existis, ejusdem S. Sedis Apost. servitiis insistere intendas, tuis in hâc parte, supplicationibus nobis desuper porrectis, inclinati, te in ejusdem S. D. N. Panæ et sedis præ-

dictæ notariam, protonotariam nuncupatum, auctoritate apostolicâ, ac vigore facultatis ad id nobis, tanquàm uni ex prædictis DD. Illustrissimis episcopis assistentibus à fel. record. Urbano Papâ VIII, concessa (cujus tenorem, cùm ad id non teneamur, hìc minimè inserendum duximus) recipimus, admittimus, et favorabiliter aggregamus; tibique etiam, si habitum et rochettum non deferas, nihilominùs omnibus, et singulis favoribus, honoribus, privilegiis, gratiis et indultis, præeminentiis, exemptionibus et prærogativis, quibus alii prædictæ sedis notarii tam de jure quàm de consuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, ac potiuntur et gaudent, similiter uti, frui, ac potiri et gaudere possis et valeas; sine tamen aliorum ejusdem S. D. N. sedisque prædictæ notariorum de numero participantium præjudicio, ac citra exemptiones à S. concilio Tridentino sublatas, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notariosque creandi, aliaque similia privilegia, eisdem notariis de eorumdem numero concessa, seu ab eis prætensa, quibus tu vigore præsentium nullibi uti valeas; et si secùs à te fieri contigerit, irritum et inane existat; ac alias ad ejusdem facultatis nobis prædictâ auctoritate attributæ præscriptum, concedimus et indulgemus; teque super præmissis omnibus à quoquam indebitè molestari, vexari, perturbari aut inquietari minimè permittentes, aut permissuri; contradictores per censuras ecclesiasticas; aliaque juris et facti remedia opportuna simili auctoritate compescendo. Non obstantibus omnibus illis quæ idem S. D. N. Urbanus in litteris hujusmodi facultatis voluit non obstare. Verùm cùm onus ad quod tu vigore præsentium dignosceris deputatus, fidei zelum, integritatem, singularemque probitatem præ se ferat, volumus quòd antequàm effectu præsentis gratiæ uti valeas, in manibus alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ fidei catholicæ professionem juxta articulos pridem ab eâdem sede propositos emittere, solitumque fidelitatis juramentum omninò præstare tenearis. Dat. Neapoli in palatio apostolico, nostræque solitæ residentiæ, die, etc., *anno*, etc.

Æmilius episcopus Camerinen. nuntius apostolicus.

N. secretarius.

Nec aliis quàm personis qualificatis vigore sibi attributæ facultatis eam dignitatem contulit Illustriss. et Reverendiss. D. Æmilius Alterius episcopus Camerin. qui suâ generis claritate, morum elegantiâ, eximiâ doctrinâ, integritate, singulari probitate, cæterisque virtutibus ac gratiarum muneribus, quibus hominum largitor eum decoravit Altissimus, apostolici nuntii munere in hoc regno Neapolitano feliciter et gloriosè perfunctus, omnium corda in discessu secum traxit, iis ingenti desiderio sui relictis.

Ex quibus patet etiam ipsos protonotarios sic creatos perinde haberi, acsi ab ipso Papâ crearentur, quamvis nonnulli in materiâ reservationis beneficiorum discrimen constituere videantur inter creatos à Papâ et creatos à legatis seu aliis personis supra dictis; cùm omnes dicantur habere protonotariatum à Papâ; ac propterea verè et realiter sint protonotarii apostolici, ut per Lotter., de Re benef., d. lib. 2, quæst. 29, num. 10, et ego latiùs dicam in meâ Prax benef. circa praxim reservationis, ex capite protonotariatûs; interim tamen nonnulla ad ipsam praxim conducentia per S. Congregationem declarata circa ipsos protonotarios honorarios, seu titulares, referenda duximus, etc.

1° Protonotarius titularis non participans potest apponere pileum super insigniis, et habere annulum, dùm celebrat, dummodò non cum gemmâ; S. congreg. Rit. in unâ Climacen. et Neocastren., 21 augusti 1601. 2° Protonotarii titulares, neque supra, neque inter canonicos locum habere debent; S. congreg. Rit. in unâ Spoletan. Terræ Casciæ, 23 martii 1619. 3° Protonotarius titularis, debet cedere locum digniorem officialibus episcopi et dignitatibus ac canonicis Ecclesiarum cathedralium; S. congreg. Rit., in unâ Castellæ et Legionis, 30 aprilis 1604. 4° Protonotarius titularis præcedit canonicis cathedralibus uti singulis, non autem collegialiter; S. congreg. Rit., in unâ Concordien., 16 maii 1601. 5° Protonotarius titularis, non debet ratione sui protonotariatûs munera, aliis de jure, seu consuetudine spectantia, sibi vindicare; S. congreg. Rit., in unâ Caputaquen., 16 maii 1601. 6° Protonotarii titulares, si in Ecclesiâ cathedrali habent dignitatem, vel canonicatum, debent uti habitu canonicali, vel suæ dignitati convenienti; et sedere, stare et incedere in loco sibi debito, aliàs non lucrantur distributiones quotidianas suæ præbendæ; S. congreg. Rit., in unâ Asculan. in Apuliâ, 6 martii 1610. 7° Protonotarii titulares, si voluerint in habitu protonotarii in Ecclesiâ, in quâ habent dignitatem vel canonicatum, incedere, reputantur tanquàm extranei; eisque assignatur locus, non inter canonicos, sed post abbates, et non lucrantur distributiones, in eâd. Asculan. 8° Protonotarius titularis canonicus non potest, dùm in choro assistit horis canonicis, uti rochetto sub cottâ; S. congreg. Rit., in unâ Trivican., 15 martii 1614. 9° Protonotarius archidiaconus non potest in functionibus, et aliis actibus publicis, sibi tanquàm archidiacono competentibus, uti habitu protonotarii, sed suo habitu canonicali; S. congreg. Rit., in unâ Asculan., 19 novembris 1611. 10° Protonotarius canonicus potest in Ecclesiâ uti subtanâ violaceâ, licèt reliqui canonici deferant nigram; dummodò in reliquis gerat habitum similem, et æqualem reliquis canonicis; S. congreg. Rit., in unâ Panormitan., 14 januarii 1612. 11° Protonotarius, si sit prima dignitas, potest in choro deferre rochettum cum mantelletto, si verò non sit prima dignitas, sedere debet in suo stallo, cum suo habitu canonicali; S. congreg. Rit., in unâ Climacen. ex Neocastren., 21 august. 1601. 12° Protonotarius utens habitu protonotarii et prælati, etiamsi non sit prima dignitas, debet præcedere archidiacono primæ dignitatis dummodò tunc non lucretur distributiones quotidianas; S. congreg. Rit., in unâ *Nullius Terræ Pisciæ*, 15 januarii 1611. Non autem potest uti dicto habitu in processionibus et aliis actibus publicis, in quibus cum capitulo intervenit; ead. S. congreg., die 9 novem-

bris 1611. 13° Protonotarii canonici non lucrantur distributiones quotidianas, nisi proprio habitu canonicali intersint choro, processionibus, etc.; S. congreg. Rit., in unâ Meliten., 7 augusti 1621. 14° Protonotarius, ut dignitas, non potest præparare Abacum, dùm celebrat more prælatorum; S. congreg. Rit., in unâ Climacen. et Neocastren., 21 augusti 1601. 15° Protonotarii in Ecclesiâ cathedrali, in quâ habent dignitatem vel canonicatum, si voluerint celebrare, debent sumere paramenta in sacristiâ, ut canonici alii, et non ex altari; sacr. congreg. Rit., in unâ Asculan. in Apuliâ, 6 martii 1610. 16° Protonotarius, quando est vicarius generalis, potest uti rochetto et mantelletto in choro, processionibus, et aliis functionibus in locis per diœcesim suæ jurisdictionis; si verò sit de capitulo, non lucratur distributiones quotidianas, nisi utatur habitu proprio canonicali; sacr. congreg. Rit., in unâ Climacen., 4 julii 1615; si verò non sit protonotarius non debet uti rochetto et mantelletto; S. congreg. Rit., in unâ Lauretan., 20 aprilis 1602. 17° Protonotarius extra numerum non potest prohiberi deferre habitum prælatitium, nempe rochettum cum mantelletto coloris violacei, et in ecclesiis, et functionibus ecclesiasticis cum eodem habitu incedere et sedere juxta dispositionem cæremonialis, lib. 1, cap. 13, circa fin.; sacr. congreg. Rit., in unâ Mazarien., 28 septembris 1630. 18° Protonotarius ex privilegio in civilibus est exemptus à jurisdictione ordinarii quoad causas excedentes summam 25 ducatorum ex Bullâ 8, Leonis X, quia concilium non derogavit privilegiis protonotariorum, nisi in causis criminalibus; sacr. congreg. conc., in unâ Papien., 14 decembris 1630. 19° Protonotarius titularis non participans, in habitu prælatitio in Ecclesiâ, et in processionibus stare, sedere et incedere debet juxta dispositionem libri cæremonialis, lib. 1, cap. 13; sacr. congreg. Rit., in unâ Cathanen., 5 julii 1637. 20° Protonotarius in habitu clericali incedens, tam in civilibus quàm in criminalibus causis fori privilegio gaudet; quamvis non sit adscriptus servitio alicujus ecclesiæ; sacr. congreg. conc., in unâ Toletan., 27 martii 1632. 21° Protonotarii honorarii gaudent privilegio fori et clericali, etiamsi ecclesiæ non inserviant; sacr. congreg. conc., die 9 julii 1626. Quæ quidem omnia reperies, etiam collecta per celeberrimum jureconsultum, August. Barbos., suis collect. bullar., verbo *Protonotarius*. Cæterùm verò hujusmodi protonotariatus tam à Papâ quàm ab aliis ab eo facultatem habentibus regulariter concedi non consueverunt, nisi personis nobilibus seu graduatis, ac in ætate legitimâ constitutis ex præscriptâ constitutione Pauli II, quâ statutum est neminem ante 20 annum protonotarium creari debere, nisi nepos, aut filius principis sit, quibus privilegio indulget, ut post 17 annum prædictum munus obire queant, prout refert Felin. Bened., in Repet., c. *Raynutius*, verbo *Adjectæ impuberi*, num. 11 et seqq., de Testam.; Petr. Rebuff., in tr. de Pacif. poss., n. 181, fol. 1196; quibus accedit Monet., de Conserv., c. 1, num. 161, ut per Didac. de Narbona de ætat., ad om. hum. act. tit., annus viges., q. 10, fol. 355. Et possunt portare rochettum, si 20 annos habuerint, aliàs non; nec antea possunt fieri protonotarii, ut statuit prædictus Paulus II, et etiam quòd post annum à die promotionis ad ordinem subdiaconatûs ordinarentur ex eod. Bened. Capr., l. cit., ut per Cassan., in catal. gl. mun. 4, p. consid. 29, vers. *Et extraordinarii*, ubi quod dignitas istorum hodiè vilescit propter eorum numerum excessivum, ut ait Abb. in c. 1, de Privil. Reliqua verò circa alias facultates ac habitus delationem eorumdem patent ex sequentibus litteris declaratoriis illustriss. collegii protonotariorum tenoris, ut sequitur, videlicet :

Collegium *illustrissimorum DD. Protonotariorum S. D. N. Papæ, et S. Sedis Apostolicæ de num. participantium. Noverint universi et singuli, qualiter perillustris et admodùm R. D. N. clericus Neapolitanus, uti protonotarius Apostol. honorarius à S. D. N. Innocentio Papa X, prout in litteris Apostol. in formâ brevis sub dat. Romæ, apud S. Petrum sub die*, etc. *Anni*, etc. (*ad quas relatio habeatur, et de quarum tenore priùs constare debet; aliàs præsentes litteræ nullæ sint eo ipso*) *habet, et in futurum habere debet; extra tamen Rom. curaim facultatem, et auctoritatem deferendi rochettum et mantellettum, ac subtanam tam nigri quàm violacei coloris, et aliàs incedendi in habitu protonotariorum more prælatorum Rom. curiæ; nec non utendi pileo seu capello in insigniis, seu stigmatibus, quibus d. protonotarii et prælati per seipsos, et in eorum insigniis vel stigmatibus utuntur; non tamen dicto capello seu pileo cordulis violaceis circumornato ac serico violaceo suffulto; cùm istud sit peculiare signum et prærogativa collegio nostro tantùm à Sede Apostolicâ concessa privativè quoad omnes alios prælatos et protonotarios. Et insuper declaramus in canonizationibus sanctorum ad eumdem Dominum N. uti protonotarium in loco conficiendi examinis seu processûs existentem, curam et munus spectare, ipsumque Dominum N. uti protonotarium esse dignitatem ecclesiasticam; eidemque causas seu lites beneficiales ecclesiasticas et mixtas per Apostolicas litteras, seu alio quovis modo committi, vel delegari posse et debere. In quorum fidem*, etc. *Datum Romæ in cancellariâ Apost. anno à Nativitate Domini*, etc. *Indictione*, etc., *die* verò, etc. *Pontificatûs* præfati *S. D. N. Innocentii divinâ providentiâ anno*, etc.

L. A. Protonotarius Manfronius.

Joan. Philippus Gherardellus protonotariorum Apostolicorum collegii secretarius.

Locus † sigilli pendentis, in quo adest impressa imago S. Clementis cum litteris circumcirca, videl. S. Clemens collegii protonotariorum de numero participantium patronus: quia iste, ut supra diximus, septem Urbis regiones divisit septem notariis, singulis attribuens, qui passiones martyrum diligentissimè conquisitas litteris mandarent, ut in ejus vitâ

CAPUT VII.

Praxis dispensationis super residentia, pro curatis.

Quo verò ad parochiales ecclesias, vix, aut rarò

datur dispensatio, sive indultum de non residendo iis illis : super quo etiam emanavit aliàs declaratio suprad. congregationis, die 22 februarii 1590, quæ sic ait : *Parocho, causâ studiorum, non dandam licentiam, cùm hodiè per concilium non admittantur, nisi qui per concursum magis idonei fuerint judicati ;* et sic patet, quòd, quidquid fuerit ante dictum concilium (tunc enim poterat parochus studiorum causâ, etiam per septennium de ordinarii licentiâ abesse, per text. in cap. *Cùm ex eo*, de Elect. in 6,) hodiè tamen ordinarii minimè dare possunt hanc licentiam, nec parochi ex præfatâ causâ absentiam facere, ut declaravit ipsa sac. congregatio., Gonz. ad reg. 8, glos. 6, n. 250, qui n. 2, affert supradictam rationem, nimirùm, quòd, cùm hodie per d. Conc., cap. 18, sess. 24, ecclesiæ parochiales provideantur per concursum, præsupponitur quòd ille qui tanquàm magis idoneus, parochialem ecclesiam per eumdem concursum, alios superando, assecutus fuerit, jam priùs ita studuerit, quòd studiorum causâ abesse non oporteat ; et ideò cessat occasio absentiæ ; ne sub hoc prætextu servitium defraudetur. Quare cum hujusmodi fraudibus occurrere studuisset Pius IV, ut in supra allegatâ constitutione, quia post ejusdem concilii Tridentini decreta, nonnulli recursum habuerunt ad Sedem Apostolicam pro obtinendâ licentiâ de percipiendo fructus in absentiâ, causâ studiorum, eamque obtinuerunt, et exinde grave parochialium ecclesiarum præjudicium resultabat, sancivit quòd tales licentiæ non suffragentur, nisi de consensu ordinarii, ut supra dictum est ; et proinde sacra congregatio concilii censuit : *Omnia hæc committantur episcopo, qui ea executioni demandet, etiam in illis parochialibus, quarum collatio ad inferiores spectat, etiamsi inferiores essent abbates regulares.*

Sicque priori declaratione non obstante, adhuc videmus aliquando, rectoribus parochialium ecclesiarum à summo Pontifice tribui hanc facultatem, quandoque ad biennium, quandoque verò ad annum seu sex menses, addito decreto : *Et deputato interim vicario idoneo, ab ordin. approbato, et cum assignatione congruâ portionis fructuum.* Et quia quandoque contingit oratorem habere suam parochialem ecclesiam vicinam universitati, in quâ intendit studere, eo casu additur etiam : *Et quando ipse orator tempore vacantiarum, itemque in festis solemnibus personaliter accedat ad ipsam parochialem ecclesiam :* quod quidem decretum fuit aliàs in simili casu additum ex voto supradictæ sacræ congregationis : ex eo quòd, cùm dicta universitas esset adeò vicina, in eâ residendo videbatur residere in parochiali. Quæ licentia à solo pontifice petenda est, cùm eam nequeat episcopus impartiri ; super quo sacra congregatio censuit : *Non licere parochis causâ studiorum à suis parochialibus ecclesiis post concilium abesse, et episcopum licentiam ad id concedere non posse, eaque si concessa fuerit, non suffragari.*

Verùm quia pluries contingit à Sede Apostolicâ ex legitimâ causâ, peti dispensationem super retentione parochialis ecclesiæ cum canonicatu, seu quâvis aliâ dignitate, ac taliter dispensari, prætextu hujusmodi dispensationis, parochianorum curâ ferè relictâ, in magnam animarum jacturam, alibi residebant, propterea Pius V, super hujusmodi residentiâ suam edidit constitutionem, quæ cum sit in viridi observantiâ, et ad illius præscriptum similes dispensationes ab ipsâ Romanâ curiâ, necnon declarationes sac. congreg. conc. emanare in dies consueverint, non incongruè illius tenorem hìc inserere placuit, qui talis est, ut sequitur, videlicet :

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, cupientes pro nostri pastoralis officii munere Christi fidelium animarum saluti, quantum cum Deo possumus, salubriter consulere, et parochialibus ecclesiis ab earum parochis, prout tenentur, in divinis debitè et laudabiliter deserviri, inhærendo etiam decretis sacri concilii Tridentini, motu proprio, et ex merâ deliberatione, certâque scientiâ nostrâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione, omnes et singulos rectores parochialium ecclesiarum cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis, conditionis et præeminentiæ fuerint, in quibuscumque regnis, provinciis, civitatibus, diœcesibus ac aliis christiani orbis partibus consistentes, qui parochialem ecclesiam, ac canonicatum, aut dignitatem, etiam post pontificalem majorem seu principalem in quibusvis patriarchalibus aut metropolitanis vel cathedralibus seu collegiatis ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu etiam à nobis hactenùs quomodòlibet impetratarum, ac litterarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hâc præsenti constitutione abolemus et revocamus, seu quocumque alio prætextu obtinent, cùm prima et præcipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in ecclesiâ parochiali, et ibi in divinis inserviendum, debitoque eorum officio fungendum omninò teneri et obligatos esse, ac ad id per episcopos et aliorum locorum ordinarios ; etiam tanquàm Apostolicæ Sedis delegatos, sub sententiis et censuris ecclesiasticis, ac pecuniariis arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium, et aliorum quorumcumque beneficiorum pœnis, quâcumque appellatione remotâ, cogi et compelli posse et debere auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium statuimus, præcipimus et ordinamus. Eos tamen sic residentes in ecclesiis parochialibus omnes et singulos fructus, redditus et proventus, etiam canonicatûs sui, vel dignitatis, seu alterius cujuscumque beneficii, exceptis duntaxat quotidianis distributionibus, et aliis quæ ex juxtâ causâ absentes percipere non solent, lucrari volumus. Sicque per quoscumque judices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate, interpretari, judicari et diffiniri debere ; necnon irritum et inane, quidquid secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenùs, vel in posterum contigerit attentari, decernimus et declaramus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis dispensationibus et exemptionibus, litterisque apostolicis desuper confectis, necnor*

apostolicis, in provincialibus et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, et etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis quibusvis personis in genere, vel in specie, et aliàs quomodòlibet concessis et approbatis, in posterumque concedendis et approbandis, quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret; eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat ad effectum præsentium specialiter et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ, munitis, eadem prorsùs fides tam in judicio quàm extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, revocationis, statuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, id. julii, pontificatûs nostri anno tertio.

Porrò non abs re nostrâ visum fuit in proposito, circa residentiam et modum residendi in parochialibus, nonnullas etiam ejusdem sacræ congregationis declarationes, quarum aliquas habeo authenticas, hìc recensere; sunt autem :

Prima : *Rector, seu parochus, qui habet parochiam, intra cujus limites adhuc habitant parochiani, tenetur in eâ residere, etiamsi tantùm essent in illâ parochiâ tres vel quatuor incolæ, et ubi fuerint duæ ecclesiæ unitæ, residendum est in digniori; quod si non constet quæ sit dignior, in frequentiori; quòd si una fuerit extra, et altera intra Urbem, residendum est in eâ, quæ est intra*, ut decisum etiam refert idem Garc., de Benef., p. 3, cap. 2, n. 79.

Secunda, *an si parochialis, tribus aut quatuor tantùm milliaribus distet à civitate, possit in hâc rector habitare, Dominicis tantùm diebus ad suam ecclesiam accedens, et habeatur pro præsente? Congregatio censuit non posse;* decisum etiam refert idem Garc., loc. cit. in 17 declarat.

Tertia, *an propter intemperiem aeris, relicto ibi vicario approbato, parochus non inde oriundus, possit alibi habitare, congregatio censuit non posse; si tamen rector infirmus esset, et in loco parochialis curari non potest defectu medicorum medicinarumve, tunc posse ab ordinario dari ei dilationem trium vel quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recuperandæ sanitatis causâ; posito interea ab ipso ordinario in parochiali vicario cum congruâ portione ex redditibus parochialis;* idem Garc. d. n. 79.

Quarta : *Habens parochialem, in quâ vicarium perpetuum legitimè institui obtinuit, eo vivente, residere non tenetur;* Gonz., glos. 6, n. 99; Barbos., alleg. 53, n. 78.

Quinta : *Rector qui habet vicarium perpetuum in suâ parochiâ seu rectoriâ, potest et debet compelli ad personaliter residendum, nisi tota cura animarum translata fuisset legitimè in solum vicarium perpetuum;* id. Garc., loc. cit., n. 175.

Sexta, *an episcopo liceat pro cathedralis ecclesiæ servitio, et etiam suo, aliquem ex curatis suæ diœcesis ex ipsorum ecclesiis, constituto in illis idoneo vicario, ad certa negotia adhibere, qui quando in hujusmodi sint servitio, minimè abesse censeantur, congreg. censuit, non licere;* id. Gonz. d. glos. 6, 258; id. Garc., d. cap. 2, in 42 : Quar. in Sum. bull., verbo *Residentia*, fol. 446.

Septima, *an si episcopus judicaverit expedire uti operâ alicujus curati pro secretario, vel vicario foraneo, possit abesse, vel excusetur à residentiâ, dummodò cura suæ ecclesiæ diligenter exerceatur.* Congregatio censuit non posse; ita decisum refert Armend. penes Barbos., d. alleg. 53, n. 86, in fin.

Octava : *Parochialem Ecclesiam habens cum canonicatu, in parochiali residere debet, quod est conforme bullæ Pii V, quæ incipit.:* Cupientes pro nostris, *publicata Romæ octavo id. julii anno* 1568 *super hoc edita, et percipit fructus præbendæ, et solùm ejus distributiones quotidianas perdit. Si autem canonicatus in eodem loco, ubi est ecclesia parochialis, potest utrique deservire, et percipere quotidianas distributiones; si autem alter ab altero distet per leucam, seu dimidium leucæ, etiamsi canonicatus esset in cathedrali, tenetur nihilominùs in parochiali residere. Quod procedit, non obstante quâcumque nobilitate canonicorum, aut Ecclesiæ cathedralis, etiam metropolitanæ;* id. Garc., loco cit., declar. 7.

Nona : *Residens in parochiali quæ non longè abest à collegiatâ in quâ canonicatum obtinet, diebus ferialibus ad Ecclesiam collegiatam accedere, et in eâ divinis inservire potest, modò in omnibus diebus et horis suis debitis et congruis, parochiali inserviat, et nihil prorsùs relinquat;* idem Armend. penes eumdem Barbos., loco cit., n. 85.

Decima : *Habens canonicatum et parochialem, et residens in parochiali ex præscripto bullæ Pii V, distributiones quotidianas lucratur, si canonicatus consistit solùm in distributionibus quotidianis, non habens præbendam. Hoc procedit, si utrique servire nequiverit, quia si ambobus commodè servire possit, lucraretur solùm juxta servitium quod præstaret.* Garc., d. p. 3, c. 2, n. 114.

Undecima : *Obtinens Ecclesiam baptismalem, cui incumbit sola cura baptizandi omnes infantes oppidi, et existentes sub curâ archipresbyteri, an teneatur ad residentiam; præsupposito, quòd in Ecclesiâ archipresbyter præter baptismum, cætera sacramenta administret.* Congregat. die 21 julii 1587, censuit teneri ad residentiam, ad minus tanquàm coadjutorem Ecclesiæ parochialis; id. Garc., loco cit., num. 167.

Duodecima : *Obtinens canonicatum, cui sit unita pa-*

rochialis ad vitam obtinentis, tenetur in parochiali residere, si unio sit ad vitam obtinentis tantùm; idem Garc., d. num. 179, declarat. 12.

Decima tertia : *Episcopus potest pro visitatione suæ diœcesis uti operâ parochi, qui tamen ob eam causam ultra quadrimestre singulis annis abesse non potest, et interea poni debet in eâ vicarius idoneus congruâ portione fructuum dictæ parochiæ, arbitrio episcopi assignatâ;* idem Garc., d. cap. 2, num. 43, qui tamen num. seq. ait, quòd *ista declaratio videtur jam sublata, et correcta per aliam declarationem per ipsum antea adductam num. 42, quæ sic ait :* « *Episcopus non potest* « *uti operâ parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ* « *diœcesis, nisi pro tempore hùc permisso, duorum men-* « *sium et tunc pro tempore idoneus vicarius deputatur.* »

Decima quarta : *Cùm de jure communi obtinens beneficium, curam animarum jurisdictionalem habens, teneatur residere et sacris initiari.* Extravag. *Execrabilis,* de Præb., et Glossa ibi : *Idem congregatio censuit intelligi de commendatariis : per omnia enim æquatæ sunt commendæ titulis,* id. Garc., d. cap. 2, num. 166.

Decima quinta : *Parochus Ecclesiæ in quâ fuit constitutus capellanus, cui ex institutione capellaniæ imposita fuit tota cura animarum seu vicaria perpetua, quoad capellanus vixerit, non tenetur in eâ residere;* id. Garc., loco cit., n. 167.

Decima sexta : *Congregatio censuit etiam vicarios perpetuò teneri ad residentium sicut tenentur veri curati, etiamsi in aliis beneficiis inservirent in cathedralibus;* id. Garc. d. cap. 2, num. 167.

Decima septima : *Infirmitas excusat à residentiâ quando in loco parochiæ non sunt medici, vel medicinæ, et quando infirmitas alibi curari potest; hoc casu per quatuor menses dispensat episcopus, ut dictum est supra in tertiâ declaratione.*

Decima octava : *Congregatio censuit solam distantiam loci, etiam cum necessitate ab eo discedendi, non excusare parochum, ut possit abesse à suâ Ecclesiâ sine licentiâ in scriptis obtentâ, nisi talis necessitas repentè se offerat, quæ non patiatur dilationem hujusmodi licentiam petendi; quo casu quamprimùm de discessu et necessitate ordinarium faciendum priorem esse ut de causâ cognoscere possit;* Garc., d. cap. 2, sub num. 34.

Decima nona : *Ob inimicitias excusatur quis à residentiâ : et dentur litteræ ordinario, ut cognoscat si sunt veræ et graves inimicitiæ quæ narrantur, et absque ipsius culpâ, et postquàm obtinuit illud beneficium exortæ, et det dilationem, ut in alio viciniori et tutiori loco manere possit, durantibus duntaxat tamen inimicitiis; dummodò non ultra annum durent. Interea autem idoneum vicarium in illâ Ecclesiâ constituat, assignatâ ei congruâ portione ex redditibus ipsius Ecclesiæ. Quod si esset canonicus, et fructus consisterent in distributionibus quotidianis, illas canonicus lucrabitur, deductâ tamen tertiâ parte pro deservientibus.* Barb., alleg. 53, n. 89.

Vigesima : *Inimicitiæ culpâ parochi non contractæ, excusant à residentiâ, et cum talibus episcopo conceditur dispensare per annum, dummodò in parochiali expensis parochi maneat idoneus vicarius; ac interim curare debet episcopus, ut inimicitiæ extinguantur; si id perficere non potest, rescribere debet ad cardinales congregationis concilii, cujus culpâ factum fuit, quo minùs reconciliatio processerit;* id. Garc., loc. cit., declar. 5.

Vigesima prima : Congregatio sic ait : *Arguuntur episcopi qui causâ infirmitatis constituunt in parochialibus Ecclesiis vicarios perpetuos, datâ etiam facultate rectori, de non residendo,* cui quidem declarationi alia adjicitur, quæ ait: *Parochus debet residere in loco, ubi sita est Ecclesia parochialis, etiamsi ei datus esset coadjutor ratione infirmitatis;* id. Garc. d. cap. 2, num. 178.

Vigesima secunda : *Congregatio concilii censuit, bimestre tempus abesse non posse parochos sine licentiâ episcopi, et valet consuetudo episcopi ne parochi possint abesse ultra duos dies sine licentiâ;* Barb., d. alleg. 23, num. 97.

Vigesima tertia : *Vicarius amovibilis in exercitio curæ animarum, arguit curam esse penes deputantem, et ideò ipsum teneri ad residentiam;* id. Garc., d. cap. 2, num. 179, declarat. undecimâ.

Vigesima quarta : *Habens duas parochiales unitas perpetuò invicem principaliter, et non unam alteri accessoriè, ambasque pares, ita ut una non sit dignior et principalior alterâ, potest, in quâ maluerit, residere;* id. Garc., d. num. 179, declarat. 16, ubi ait, ita episcopo Abulen. fuisse rescriptum die 15 martii 1575.

Vigesima quinta : *In monasteriis et abbatiis, quæ curâ et conventu carent, non est necessaria residentia;* id. Garc., d. cap. 2, sub d. num. 179, declarat. nonâ.

Vigesima sexta : *An deficiente magistro grammaticæ in civitate, possit in eâ curatus habitare, relicto idoneo vicario et approbato cum congruâ mercede in parochiali, dummodò solemnibus diebus intersit.* Congregatio censuit non posse; Gonz., ad reg. 8, glos. 6, n. 254, Quaran. in Sum., bul., verbo *Residentia,* vers. *Prætet summistas,* fol. mihi 576.

Vigesima septima : *Licèt Ecclesia parochialis sit in loco, ubi minor pars parochianorum habitat, et major pars habitat longè in oppidis, nihilominùs, parochus habitare tenetur propè Ecclesiam in civitate, sed succurrendum est eis qui longè habitant, secundùm antiquam loci consuetudinem,* per dispositionem capituli 4, sessione 21, de Reformat., Garc., d. part. 3, c. 2, n. 179.

Vigesima octava : *Congregatio concilii censuit rectores parochialium debere residere in domo ipsarum parochialium, quòd si parochiales domos non habent, tunc in aliâ domo, quæ sit intra limites parochiæ, aut saltem ita vicina parochiali Ecclesiæ, ut inde commodè possint per seipsos ei inservire;* id. Garc., loco cit., declarat. 21.

Vigesima nona : *Congregatio concilii censuit, parochum cogendum esse habitare in domo Ecclesiæ; vel si Ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites parochiæ; quòd si non habitaverit, teneri ad restitutionem fructuum, de quibus in hoc decreto;* id. Garc., loco cit., declarat. 22.

Trigesima : *Episcopus ad residentiam cogere potest rectorem, licèt ejus Ecclesia parochialis pertineat ad in-*

ferioris collationem, etiam abbatis regularis; id Garc., loco cit., declarat. 27.

Est tamen hìc advertendum quòd dicta sacra congregatio censuit quòd in his quæ pertinent ad residentiam, observanda sint quæ habentur in cap. 2, de Reform., sess. 23, et in reliquis, si non possint servari decreta concilii Tridentini prædicti, id agendum est quod commodius et melius potest, et qui non habet domum propriam in loco ubi residere tenetur, aliquam conducere debet. Ubi verò populus non potest victum suo curato subministrare, ordinarius ea observare debet, quæ habentur in c. 2, sess. 24, de Reform. Et in casu quo jura disponunt, non debet pro juris declaratione ad Papam recurrere; id. Garc., d. num. 179.

Præmissa equidem omnia adeò sanctè per supradictum concilium sancita sunt circa præfatorum curatorum residentiam, ut vix, et non sine urgenti causâ dari eis consueverit dispensatio de non residendo, ut dictum est; cùm circa curam animarum accidere possit in puncto quod non contingit in anno, nec semper id munus expleri potest per vicarium, ad hoc deputatum quod benè per ipsum curatum fieri potest, qui accuratiùs injunctum sibi onus obire consuevit; unde valdè maximam sibi compararent injuriam, si de illis dicere contingeret: *Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis;* cum præter sacramentorum administrationem, ex eod. concil. Trid., sess. 5, cap. 2, de Reform., ubi de his curatis loquitur, eis etiam præcipiatur ut pascant populum salutaribus verbis, annuntiando vitia quæ eos declinare, ac virtutes quas sectari oportet, et sess. 23, cap. 1, de Reform., mandatur eis ut oves agnoscant; ac pro his sacrificium offerant, verbique divini prædicatione, etc., ubi licèt loquatur de episcopis, non tamen in eodem loco intelligit, etiam de curatis; quod iterùm etiam idem concilium percipit sess. 24, c. 7, de Reform., ibi: *Exponant sacra eloquia et in lege Domini populum erudire studeant.*

De parochialibus autem Ecclesiis habitu tantùm, et non actu, dicendum est, illius rectorem non teneri ad residentiam, etiam absque aliquâ dispensatione, si videlicet populus sit destructus, et omnes parochiani ex aliquâ causâ mortui sunt, et esse desierunt. licèt Ecclesia parochialis semper firma maneat, Gonz. ad regul. 8, Cancell., glos. 6, n. 89 et seq.; Azor., Instit. moral., p. 2, lib. 6, c. 8, q. 9, ubi ait quod si quis ad hanc Ecclesiam promoveatur, non tenetur infra annum ad sacerdotium ascendere; si verò parochiani, quia fortè captivi erant, redierint, parochialis ipsa, quasi jure postliminii, ad sua jura et bona revertitur; unde illius rector debet intra annum, computandum ab eo tempore, quo Ecclesia cœpit parochianos habere, ad sacerdotium ascendere, ut per Barbos., de Potest. episc., alleg. 53, num. 68, et videnda erunt, quæ dicam in meâ Praxi benef.; ibi enim materia opportuniùs cadit.

Quo verò ad clericos seu presbyteros, simplicia beneficia, quæ personalem residentiam non requirunt, obtinentes, et de dispensatione cum illis, parùm hìc est immorandum; quia cùm nullo modo possint ii ad resi dendum compelli, ita nec cum eis super non residentiâ dispensari necesse est; sicut pluries jam diximus; super quo emanavit declaratio congregationis ejusdem concilii super cap. 2, sess. 6, de Reform., tenoris sequentis, videlicet: *Obtinens beneficium, licèt adsit titulus alicujus sancti, dummodò sit simplex, non tenetur in eo residere; nec eum ad residentiam cogere potest episcopus; quamvis ille in suorum ordinum susceptione, alicujus Ecclesiæ servitio adscriptus sit,* juxta decretum supra dicti concil., sess. 23, c. 6, ibi: *Nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus,* etc., quandoquidem neque huic denegandæ sunt litteræ commendatitiæ sui episcopi, quatenùs velit extra diœcesim morari, etc., unde alia emanavit declaratio dictæ congregationis, his verbis: *Non sunt denegandæ litteræ commendatitiæ ab episcopo, sacerdotibus et clericis qui non habent beneficia requirentia residentiam in titulum.*

Hæc autem duplicem capiunt limitationem: Prima est, si Ecclesia in quâ sic promotus, ob diminutionem in eâ ministrorum, magnum inde sentiat circa cultum divinum detrimentum; tunc enim benè poterit compelli ab episcopo ad illi inserviendum, ut probat Felin, in cap. *Quoniam frequenter*, n. 23, ut lit. non contest.

Secunda verò, si beneficium, licèt simplex, ex statuto aut consuetudine, vel ex fundatione requirat personalem residentiam, ut supra diximus.

CAPUT VIII.

Praxis dispensationis super residentiâ pro episcopis.

Quod dictum est de parochis, eò magis dicendum est de episcopis et aliis pastoribus, qui tenentur personaliter residere, non modò de jure canonico, verùm etiam de jure divino ac naturali, ac pascere gregem sibi commissum; quapropter ad residendum compelluntur, ex conc. Trid., sess. 6, cap. 1, de Reform., et omnes resolvunt, ut per Garc., de Benef., p. 3, cap. 2, num. 16. Ex non residentiâ etenim episcoporum quamplurima mala sequuntur, quandoquidem clerici efficiuntur irreligiosi, seculares, irreverentes, perit doctrinæ puritas, pauperes nimis patiuntur, et alia munera pastoralia obiri non possunt, ex cod. conc., loco cit. Ibi enim episcopis singulis annis non ultra tres menses abesse, et tantùm ex causâ rationabili, et sine gregis detrimento permittitur; non tamen in adventu, quadragesimâ, nativitate Domini, resurrectione et Pentecostes, et festis corporis Christi; ultra verò tres menses non liceat, nisi urgeat christiana charitas, urgens necessitas, evidens reipublicæ utilitas, vel evidens Ecclesiæ utilitas, et debita obedientia; et licentia concedenda est in scriptis, et approbanda à Papâ aut metropolitano, vel viciniori episcopo; nisi causa sit notoria et repentina, ut in d. cap. 2. Has autem causas explicat Barbos., de Potest. episc., alleg. 53, à num. 6

Circa autem praxim petendi dispensationem, ut ipsi episcopi possint ab eorum Ecclesiis abesse, parùm hìc licet immorari, sed dicendum est tantummodò quòd datur ista facultas per litteras privatas, nomine summi Pontificis. Nec tamen ita passim conceditur ultra tempus à prædicto concilio præstitutum, cùm maxima pietas ac providentia ipsius summi Pontificis, quoad fieri possit, non sinat episcopos ab eorum Ecclesiis abesse : debent enim jugiter omnibus sui populi necessitatibus superintendere, illis pro virili non subveniendo, obdormire dicitur, nec episcopi nomen eis convenit, ut in cap. *Fratrem*, 86 dist., et dicit text. in cap. *Nulli*, 25, quæst. 1, quia non ita passim pro quâcumque causâ debent suas oves relinquere, ne de eis dicatur : *Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, et lupus rapit, et dispergit oves*, ut notavit Mandos. in tract. de Ingratit., cap. 14, tit. de Ingratit., episc. erga populum; unde cum divo Bernardo, lib. 3, de Consid. ad Eugen., cap. 21, exclamandum esset : *O miserandam sponsam, talibus creditam paranymphis.* Hinc dixit Glossa in l. ult. c. ad l. *Flaviam*, de Plagiar., *paria sunt, maritum non habere, et illum inutilem habere;* Rol., cons. 9, num. 34, lib. 1, quia verò alia in proposito, ego ipse adducam in meâ Praxi benef.

Inter cæteras verò causas ex quibus multoties summum pontificem cum episcopis ad tempus dispensare consuevisse comperimus, duas potissimùm receptas, et ad praxim videmus deductas; quarum altera est, ob malitiam plebis, ut in cap. *Nisi cum pridem*, § *Propter*, de Renunt.; ibi enim non modò dispensatur ex hâc causâ super residentiâ, verùm etiam cogitur ille interdùm à suæ Ecclesiæ regimine declinare, quando videlicet plebs adeò duræ cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam; sed propter ejus duritiam, quò magis satàgit, eò magis justo judicio deficere permittatur. Ista verò causa licèt perpetuò eximat prælatum à residentiâ, veluti per renuntiationem suæ Ecclesiæ, nihilominùs dispensatur cum eo ex câdem causâ, etiam ad tempus; plures enim vidimus exinde à suis Ecclesiis abesse, etiam ex causâ inimicitiæ, quam ibi habent, juxta Glos. in cap. *Ad supplicationem*, in verbo *Morari*, de Renunt., et quòd hæc causa etiam excuset à residentiâ, docet Glos. in c. fin., verbo *Excusationem*, de Clerc. non resid., et testatur Paris., de Resign. benef., lib. 5, quæst. 3, num. 256, quòd propterea congregatio episcoporum indulget aliquos menses, citatis ob hanc causam, ut pluries ipse servari vidit, subdens num. 265, id ratione probari; nam inimicitiæ potentiorum, sive partialitates, et factiones justam causam timoris et absentiæ præbent, per jura ibi per eum allegata.

Altera verò causa, ex quâ etiam ad tempus dispensatur, est aeris intemperies, nimirùm, quia quædam anni tempora sunt suæ naturæ contraria, veluti cœli, locique gravitas; quapropter justam præbet causam non morandi in loco aliquo, intemperies, ut dixit Sfort. Odd. de Restit. in integr., p. 1, q. 7, num. 93, et signanter excusat à residentiâ, Glos. in Clem. *Ne in agro*, in fin. in verbo *Rationabili*, de Stat. monach.; id Paris., d. lib. 5, q. 3, num. 246 et seq.

Quinimò, nec episcopi titulares, sunt ab eorum residentiâ immunes; nisi quatenùs justa causa non residendi, suadeat. Videmus enim quòd eisdem qui præficiuntur in partibus infidelium, summus pontifex, inter cætera præcipit, quòd postquàm litteras super provisione et præfectione hujusmodi ipse electus habebit expeditas, ad suam Ecclesiam N. se conferat, et in eâ personaliter resideat; quòdque cùm ipse ad dictam Ecclesiam nequeat commodè se conferre, et apud eamdem personaliter residere, ipse Papa eidem electo concedit, ut quousque ab infidelibus dicta Ecclesia detinebitur, ad illam accedere, et apud eam personaliter residere minimè teneatur : quodque postquàm munus consecrationis susceperit, in civitate, et diœcesi N., si ad id per modernum, ac pro tempore existentem archiepiscopum, requisitus fuerit, de ejus speciali licentiâ, pontificalia officia exercere liberè et licitè valeat. Non obstantibus priore ipsius Papæ voluntate ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Necnon ad residentiam teneri episcopum, qui habet Ecclesiam in loco, ubi omnes incolæ totius diœcesis sunt schismatici, et adeò incorrigibiles, ut nulla adsit spes proficiendi apud illos, ut decisum refert Aldan. in Compend. canon. resolut., l. 1, tit. 4, n. 11. sub die 2 septembris anno 1617, et eumdem refert Barbos., in Coll. in var. loc. Concil. super sess. 6, de Reformat. cap. 2.

Quia verò ut plurimùm hujusmodi episcopi titulares (quod per transitum dictum sit) assumuntur in coadjutores aliorum episcoporum cum assignatione alicujus pensionis ex redditibus mensæ episcopalis, ad vitam ipsius coadjutoris, ista pensio eis non debetur, nisi quatenùs inserviant; et cùm aliàs evenisset casus, quo quidam coadjutor post assignatam sibi pensionem, nolebat inservire, prætendebat nihilominùs pensione gaudere. Unde re delatâ ad Urbem, censuit sacra congregatio concilii, quòd episcopus titularis suffraganeus alterius episcopi, cui annua pensio ducentorum aureorum super fructibus episcopatûs, cujus est suffraganeus, reservata fuit, illam accipere debet, quatenùs inserviat, aliàs assignanda est successoribus, de sacr. congr. sub die 11 junii 1592, prout refert Barbos. in suis collect. verbo *Episcopus suffraganeus*, cap. 3, ubi etiam subdit quòd episcopus titularis canonicatum obtinens in Ecclesiâ cathedrali, potest et debet in eâ uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in Romanâ curiâ, id est, rochetto supra subtanam et mantelletto violacei coloris; et debet præcedere omnibus aliis canonicis ejusdem Ecclesiæ, et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romæ, simili casu eveniente, in tribus Ecclesiis Patriarchalibus S. Joannis Lateranen., S. Petri et S. Mariæ Majoris, d. S. congreg., in unâ Compostellanâ, 11 julii 1617.

Cæterùm episcopus regulariter residens in suâ diœ-

cesi liber est à residentiâ suarum dignitatum, et beneficiorum simplicium, quæ obtinet in aliâ diœcesi, nec aliud amittit, nisi quotidianas distributiones, et alia, si quæ sint, quæ absentes justâ de causâ non percipiunt, ut declaratum refert per d. sacr. congreg. Armendar. teste eod. Barbos., verbo *Episcopo*, cap. 1.

Nec aliud circa residentiam prælatorum in suis Ecclesiis pro eo quod ad nostram praxim pertinet, indagare visum est, licèt nonnulla circa hoc adducam in meâ Praxi benefic.

CAPUT IX.

Praxis dispensationis cum simoniacis simoniâ reali.

Et sicut ob non residentiam, non modò beneficiati amittunt beneficiorum fructus, verùm etiam ipsis beneficiis ex sacrorum canonum decretis, privantur, id multò magis accidit in eorumdem beneficiorum malâ ac detestabili assecutione, cùm videlicet aliquod in eâ pretium, sive pactio intervenit; dicente Domino: *Quod gratis accepistis, gratis date*, Matth. 10. et refertur in cap. *Quidquid invisibilis*, 5, q. 1. Unde pro beneficiis obtinendis, omnis pactio, omnisque conventio debet omninò cessare, cap. *Tua nos*, de Simon., et c. *Quam pro*, in fin. 1, q. 2, quandoquidem per dationem et promissionem pro consequendis spiritualibus, vel illis annexis, simonia committitur; Host. in Sum., hoc tit. Abb. in cap. *Extirpandæ*, § *Qui verò*, col. penult. de Præb. Unde sic ea definitur, videlicet, quòd simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale vel spirituali annexum. Nav. in Man., c. 23, n. 10; Less., lib. 2, de Just., cap. 35, dubit. 1, n. 3, et sumitur ex cap. *Quæsitum*, de Rerum permut. Dicitur primò studiosa voluntas, quia omnia prædicta voluntatis deliberationem requirunt. Dicitur secundò, emendi aut vendendi, quod latè interpretandum est, ut comprehendat omnem contractum onerosum, seu reciprocum, quo res temporalis et spiritualis vicissim commutantur; id. Nav. cap. 23, num. 105, et ita colligitur ex cap. ult. de Pact. Dicitur tertiò, aliquid spirituale, id est, quodvis supernaturale donum ad animæ salutem directè institutum. Dicitur quartò, spirituali annexum: ut comprehendantur non solùm, quæ ex jure divino, spiritualia sunt, sed ex Ecclesiæ institutione per potestatem à Christo traditam, talia effecta, ut sacra vasa, vestes, ecclesiastica beneficia, patronatus, etc.; Nav., d. num 100, vers. *Secundo*; quare hæc definitio comprehendit simoniam, tum juris divini, tum juris ecclesiastici, ut ait Suar., tom. 1 de Relig., tract. d. lib. 4, de Simon., cap. 7. Dicitur autem simonia à Simone Mago, qui primus tempore legis Evangelicæ, tali peccato se obstrinxit, act. 7. Licèt autem in jure peccatum hoc, hæresis simoniaca passim appelletur, ut in c. *Quoties*, de Sim., et c. *Presbyter*, c. *Quisque*, c. *Quicumque*, c. *Fertur*, et c. *Petrus*, 1, quæst. 1, certum tamen est hoc vitium posse absque intellectûs errore consistere, ut notavit Suar. lib. 4 de Sim., cap. 1, num. 6, et sumitur ex Gloss. in cap. *Firmissimè*, verbo *Hæreticum*, de Hæret. Hinc fit ut gravissimis plectantur pœnis simoniaci, quandoquidem omnia crimina, ad comparationem simoniacæ pravitatis, quasi pro nihilo reputantur, ut in c. *Tanta*, hoc tit. cap. *Citò*, § *Qui ergo*, 1 quæst. 1, et ait Rebuff. in suâ Praxi, tit. de Simon. in Re sign., simoniacos, veluti primos et præcipuos hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos; et inter cætera adest hodie constitutio Pii V; ibi: *Quicumque igitur detestabile crimen simoniacæ pravitatis commisisse convictus fuerit, in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum exercitione per decennium, sine spe dispensationis, suspensus, et per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates ecclesiasticas simoniacè acquisierit, illis sit ipso jure privatus, et in futurum inhabilis ad eas, et quacumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus; et ad fructuum omnium quos perceperit restitutionem teneatur et perpetuò sit inhabilis ad ea, et quæcumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda.*

Antequàm tamen ad praxim petendi dispensationem cum simoniacis descendamus, operæ pretium esse duximus, unamquamque simoniæ speciem hic pro tyronibus, declarare; ad dignoscendum quando orator licitè petere possit dispensationem apostolicam ac rehabilitationem ad præmissa retinendum. Est ergo triplex simonia.

Est quidem, realis, conventionalis et mentalis. Realis est illa quæ propriè dicitur ab actu, scilicet à rei traditione, quia in dando rem et recipiendo consistit. Quare tunc fit, quando pactio ex utràque parte completa est, saltem inchoatè, ut si collatio beneficii facta sit, et pretii pars soluta; Less. lib. 2, cap. 35, dub. 6; Layman., lib. 4, tract. 10, c. ult., § 6. Conventionalis est quæ dicitur à conventione; quia aliquid promittitur; quæ sic etiam definiri potest; est externa conventio seu pactio de re spirituali pro temporali, absque tamen executione saltem utrinque factâ; Abb. in c. *Nemo*, hoc tit., et Cassad., decis. 5, de Constit. Et hæc conventionalis duplex est; quædam, videlicet neutrâ ex parte executa, quæ propriè dicitur conventionalis, cùm stetur in terminis nudæ promissionis et conventionis; nullâ secutâ traditione rei, et temporalis dationis, ut in cap. ult. de Pact. Quæ verò ex unâ tantùm parte executa est, secundùm aliquos, transit in realem; si complementum fiat ex parte illius qui promisit spirituale; nam tunc sufficit ad constituendum simoniam realem; secùs autem est in complemento promittentis temporale: non enim efficit ut simonia desinat esse conventionalis, et fiat realis, secundùm Cajet., 2-2, q. 100, art. 6, ad sextum, relatum à Paris., de Consid. benef., q. 1, num. 142, ubi subdit, quòd secundùm receptionem quam stylus obtinuit, contrarium est tenendum in judicando et consulendo, ut nunquàm videlicet efficiatur realis, nisi abutràque parte demandetur executioni et compleatur; sufficit tamen ad eamdem inducendam, quòd ex unâ parte sit in totum completa, et ex alterâ in parte tantùm; ut quia ex unâ parte fuerint dati ordines, aut data beneficia; ex aliâ autem parte, non tota pecunia conventa, sed illius pars tantùm, ut dictum est, Nav., cons. 40, num. 2, de Simon.

Differentia autem quæ versatur inter simoniam realem et simoniam conventionalem, ea potissimum est, quia realis habet annexam excommunicationem, et privationem ipso jure, id. Nav., cons. 42, eod. tit.; attamen utraque scilicet tam realis, quàm conventionalis, inducit inhabilitatem ad obtinendum de cætero beneficia, quamvis minor sit conventionalis, quæ frequentior est reali, quia promissiones faciliùs fiunt, quàm dationes; unde vulgò dicitur quòd promittere et servare promissa, diversa sunt; nam plura promittuntur, quæ postea non attenduntur, ad text. in l. Titia, ff. de Verb. oblig., l. *Sciendum*, ff. de Ædil. edict.

Est tamen notandum quòd simonia realis multùm distat à confidentiâ; quia illa committitur actualiter, et per dationem et receptionem rei, ut supra diximus: hæc verò per promissionem, et sic interpositionem fidei; cùm tota in fide sit posita; quare est species conventionalis, ut docent morales theologi, præsertim Less. et Laym. locis citatis. Unde hæc confidentia ita definita reperitur per Nav. in Man., cap. 23, num. 109. Confidentia est certa spes de re aliquâ, quod ita fuit, est, vel erit; sed in proposito, aptiùs et congruentiùs antea aliam dedit definitionem Mascard., de Probat. cons. 2306, num. 2, nimirùm, confidentia beneficialis est ea quâ quis confidit quòd alter acceptans beneficium, sibi postea vel alteri conferat; id. Paris., in d. tract. d. q. 1, num. 48, qui num. seq. ita illam definivit: Confidentia est spes quædam quòd collator conferat, patronus præsentet, eligens eligat, aut quis accipit, vel renuntiat beneficium, pacto modo vel conditione expressâ, vel tacitâ, sibi aut alteri.

Simonia verò mentalis ea est quæ consistit, non quidem in solo interno proposito simoniacè contrahendi (quamvis hæc etiam simonia dici possit), sed in proposito interno, quo quis, dùm confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale; vel contra, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum spirituale sine ullo pacto externo; ponit exemplum Less., loc. cit., si quis serviat episcopo hâc intentione ut in mercedem ei conferat beneficium; et tandem illud ei conferatur, nullâ tamen externis verbis aut nutibus factâ conventione, erit simoniacus mentalis. Hæc autem simonia propterea non inducit nullitatem, nec simoniacus mentalis tenetur ad resignationem, cap. fin. de Simon., et sic nullam censuram aut pœnam incurrit; Ecclesia enim, quæ de occultis non judicat, pro peccatis merè internis pœnas infligere non solet, nam pœna sequitur judicium, ut communiter doctores. Unde dixit Gloss. in cap. *Qui studet*, 1, q. 1, verbo *A communione*, simonia cum solâ voluntate, non esse excommunicandum, quia, nec ex naturâ rei, nec ex jure naturali aut divino, aliquam nullitatem inducit; cùm nulli fiat injustitia, ut patet ex d. cap. fin., quàm iste mentalis simoniacus teneatur ad cordis satisfactionem, ut in cap. ult., hoc tit., ibi: *In quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori.*

Unde propter hoc incurritur saltem peccatum: sed pro eo vitando, cùm casus contigerit, si nimirùm, pro aliquâ concordiâ inter partes ineundâ, vel aliàs in beneficialibus intervenit simonia mentalis, puta, cùm duo vellent inter se sua beneficia permutare, quorum unum, sive juris patronatûs, sive liberæ collationis, erigitur apostolicâ auctoritate ad effectum et animo permutandi, cùm hic interveniat simonia, non est necesse, ut in supplicatione id exprimatur, sed practicatur, ut D. datarius supplicationem porrigendo summo Pontifici super permutatione beneficiorum, quæ petitur, factum illi aperiat verbo tantùm, qui libenter super hoc annuit, et sic sola ipsius Pontificis scientia sufficit circa hoc ut in simili dicemus in nostrâ practicâ beneficiali, et ita sciunt omnes curiales practicari; quandoquidem supra dicta scientia Papæ facit cessare omne vitium; Cassad., decis. 2, de Simon., simoniam mentalem, et omnem scrupulum et suspicionem, Redoan., de Simon., part 2, cap. 13, num. 4.

His paucis sic præmissis, descendendo ad praxim petendæ et concedendæ dispensationis pro prædictis simoniacis, dicendum est quòd cum illis rarò dispensatur, et hæc dispensatio soli Papæ competit, ut patet in c. *Erga*, 1, q. 1, Glossa in c. *Minor*, 50, d. c. *Si quis ordinaverit*, junctâ Glossâ in verbo *Per sedem Apost.*, de Simon. Et quotiescumque petitur desuper absolutio, et dispensatio à summo Pontifici, debent exprimi fructus percepti ex beneficio simoniacè acquisito, cùm illi debeantur cameræ apostolicæ, ac propterea consignari D. datario, vel datariæ præfecto, licèt hodiè pro dictis fructibus fiat transactio, et ex illis remittatur oratori tertia vel major pars, prout ipsi D. datario videbitur; quamvis de rigore omnes sint, ut supra, restituendi, juxta illam conclusionem, nempe quòd omnia scelere acquisita applicantur fisco, lib. *Lucius*, ff. de Jur. fis. l. *Si quis cum falso* et ibi Glos. ff. de Fals.

Quod quidem mirandum non est, quia licèt de jure pecunia simoniacè acquisita veniat Ecclesiæ cui facta est injuria, applicanda et restituendâ, ut in cap. *Hoc*, et cap. *Audivimus*, de Simon., Camera tamen Apostolica, seu fiscus, pecuniam hujusmodi vindicare consuevit; Mandos. in Praxi signat., tit. *Dispens. cum simon.*, vers. *Et licèt de jure.*

Si igitur petatur dispensatio pro publico simoniaco, habendus erit recursus ad datariam apostolicam, ibique porrigenda supplicatio pro utroque foro, quæ modo sequenti concipi poterit, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Theodori N. presbyteri N. diœcesis, quod cùm ipse superioribus bellorum procellis, in Galliâ ab hæreticis captus et vinculis detentus esset, devoto vestro Nicolao N. si eum ab hujusmodi captivitate solveret, se parochialem ecclesiam S. N. loci N. quam tunc ipse obtinebat, in favorem cujuslibet personæ, dicto Nicolao benè visæ, resignaturum promisit; quâ promissione dicti Nicolai ope, qui quamdam pecuniæ quantitatem propterea impendit, liber factus est, dictus orator præ-

missa adimplere volens, prædictam parochialem ecclesiam in manibus Romani Pontificis ad favorem tamen dictæ personæ resignavit. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator, de præmissis plurimùm doluerit et doleat, ac à similibus in posterum committendis abstinere firmiter proponat; cupiatque absolutionis beneficium et dispensationis gratiam sibi super eisdem per S. V. misericorditer impendi; supplicat igitur humiliter E. S. V. orator præfatus, quatenùs sibi in præmissis opportunè providendo, eique specialem gratiam faciendo, eumdem oratorem à quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodòlicet incurrit, simoniæ labe et excessibus hujusmodi, in utroque foro absolvere et totaliter liberare; dictasque pœnas sibi gratiosè remittere et condonare, omnemque inhabilitatis et infamiæ maculam contra eum, ex præmissis quomodòlibet insurgentem, ab eo penitùs tollere et abolere; secumque super irregularitate per eum, ex præmissis quomodòlibet contractâ, quòdque illâ et aliis præmissis non obstantibus, suo clericali charactere quo aliàs ritè insignitus fuit, illiusque privilegiis, ac etiam omnibus sacris et presbyteratûs ordinibus, per eum aliàs ritè quoque susceptis, uti et in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, necnon quæcumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ, beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatûs et præbendæ, etc.; *et instituatur, non tamen ad dictam parochialem ecclesiam, ad quam consequendam perpetuò inhabilis remaneat*, etc., uti in aliis rehabilitationibus.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et additur : Et committatur ordinario, impositâ oratori aliquâ pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione suorum ordinum, arbitrio ejusdem ordinarii, suspenso. Et quoad dispensationem dummodò oratori aliàs merita suffragentur, nec aliud canonicum ei obstet impedimentum.*

Atverò, ubi ordinarius loci simoniacè beneficium contulerat, committi consueverunt litteræ ordinario viciniori, his adjectis verbis in calce signatæ supplicationis, videlicet : *Ei attento quòd ordinarius N. suspensionis et alias in simoniacos à jure inflictas pœnas* (secundùm in ipsâ supplicatione narratâ) *incurrit, quæ per hoc ei relaxatæ aut remissæ minimè censeantur, committatur ordinario viciniori, in cujus manibus, antequàm ad absolutionem aliaque præmissa procedat, dictus orator eamdem parochialem ecclesiam* (quatenùs illam nondum dimiserit, vel illâ privatus existat) *illiusque possessionem realiter : et cum effectu dimittere omninò teneatur. Ita tamen ut de illâ per Sedem Apostolicam duntaxat disponi possit; irritum*, etc., *ac imposita*, etc. Et quandoque additur : *Et durante tempore suspensionis hujusmodi, dictus orator beneficia, curam aut aliàs sacrum ordinem annexum requirentia, obtinere nequeat*, etc.

Quòd si unum beneficium canonicè, alterum verò simoniacè assecutus est, puta primùm, parochialem ecclesiam, deinde canonicatum et præbendam, licèt illâ non sit privatus, istis verò sic, pro dictâ parochiali erit nihilominùs petenda nova provisio. Ratio est quia licèt non sit illâ privatus, nihilominùs, quia propter præmissa incurrit excommunicationem, debet petere illam retentionem per viam dictæ novæ provisionis. Unde ordinario committitur ut *in ejus manibus, antequàm ad absolutionem et dispensationem super inhabilitate oratoris procedat, dictus orator canonicatum et præbendam, ac parochialem ecclesiam hujusmodi realiter dimittere teneatur; ac imposita*, etc.; *ipsoque*, etc., *arbitrio ejusdem ordinarii suspenso, et si absolutione hujusmodi factâ, per diligentem examinationem, dictum oratorem ad id idoneum esse repererit, et merita sibi aliàs suffragentur, parochialem ecclesiam, non autem canonicatum et præbendam præfatos, ad quos obtinendum perpetuò inhabilis existat, illi ex misericordiâ conferat.*

Et sic nunquàm datur retentio beneficii super quo fuit commissa simonia ex præscripto supradictæ Constitutionis Pii V, supra à nobis summatim circa id relatæ; cùm sit illo privatus ipso jure, ac inhabilis ad illud, cæteraque in futurum obtinenda; Franc. Leo in Thesauro for. eccles., p. 3, cap. 2, n. 12.

Idem etiam notoria praxis docet, ubi simonia, ignorante proviso, commissa reperitur, quandoquidem ipsi ordinario, in cujus manibus erit dimittendum prius beneficium sic assecutum, committitur eo modo quo superiùs dictum est, impositâ ipsi oratori etiam aliquâ gravi pœnitentiâ salutari; et si ipsi ordinario constiterit quòd simonia hujusmodi, ignorante prorsùs dicto oratore, à principio commissa fuerit, illud ei ex misericordiâ conferat. Sicut pariter in simili casu dari oratori consuevit nova provisio super beneficio, cum commissione ordinario factâ, et additur : *Et committatur ordinario, in cujus manibus, antequàm ad absolutionem et novam provisionem procedat, dictum beneficium dimittere teneatur, imposita*, etc.

Quo verò ad fructuum inde perceptorum expressionem, sufficit illos tantummodò exprimere, quos post habitam supradictæ simoniæ notitiam percepit, Nav., cons. 35, num. 2, de Simon., quia illos tantùm restituere tenetur, vel super illis componere, ubi enim deest delictum, non debet adesse pœna, l. *Sancimus*, c. *de Pœn.*, l. *Aliud*, ff. de verb. Sign.

Et nihilominùs cum omnibus limitationibus supradictis neminem latet quàm difficilem se reddat summus Pontifex ad sic dispensandum cum simoniacis et quantùm abhorret ab hâc pestiferâ pravitate, pestem enim eam appellat Hostiens. in cap. *Tanta*, num. 2, hoc. tit.

CAPUT X.

Praxis dispensationis cum confidentiariis.

Sequitur hìc videre, quomodò praxis ipsa se habeat etiam circa confidentiam beneficialem, quæ ipsius simoniæ species est, juxta definitiones à nobis superiùs allatas, et tradit Caputaque, decis. 202, num. 2, part. 1, et decis. 314, num. 3, pag. 2, cùm adhuc simplex modus prohibeatur in collatione, resignatione, electione et præsentatione beneficii, c. *Cùm quidem*, de Pact.; Gloss. et DD. in c. *Cùm universorum*, de rer. Permut.; Paris., de Confid., q. 1, num. 64.

Licèt enim ante Constitutiones Pii IV et Pii V confidentia non solùm non puniretur aliquâ pœnâ, sed pravâ consuetudine, imò potiùs corruptela à principi-

bus ecclesiasticis in omni genere personarum toleraretur, adeò ut quamplurimi essent, etiam in ipsâ Curiâ, qui beneficia in confidentiam tenerent, et etiam S. R. E. cardinales hoc vitio essent implicati, et ut plurimùm officiales et scriptores apostolici, ita ut hæc prava consuetudo fuerit adeò recepta ut incœperit paulatim jus in supremis tribunalibus pro fide præstandâ reddi, et sic compelli non reddentes beneficia in custodiam et confidentiam recepta, ut testatur Nav. in Manuali, cap. 23, num. 111, nihilominùs, cùm tot mala inde orirentur, illis remedio opportuno, supradictis summis Pontificibus occurrere visum fuit; multi enim ipsa beneficia jure retinere nequeuntes, alii, ne congerentur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscerentur, ut inimicos occiderent, alii, ut alieno nomine lites agerent aut defenderent, alii propter crimina incapaces, quidam, ut purgato delicto, vel absolutione consecutâ, illa repeterent, eadem beneficia in alios deponebant, aliaque mala oriebantur, ut in d. constitutione Pii V, quæ incipit *Intolerabilis*, in § *Multi*, sub dat. Romæ die 6 augusti 1569.

Ac propterea, eâdem constitutione, omnes et singulos qui usque tunc ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperunt, retinent, nisi statim ad se reversi et resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, et quidquid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis et beneficiis obtentis, necnon fructibus, et pensionibus, et aliis rebus ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, et aliis officiis temporalibus, privavit, et ad futura inhabiles decrevit; et in juris subsidium, excommunicationis sententiâ innodavit, ut in dict. constitut., § *Sed ne quisquam*.

Quâ quidem privationis et inhabilitationis pœnâ sic stante, operæ pretium esse duximus, etiam circa hanc simoniæ speciem, aliqua in praxi annotare quoad dispensationes et rehabilitationes cum ipsis confidentariis; cum quibus ipse Pontifex non minùs se gerit, quàm cum ipsis propriis simoniacis, ut ex infra dicendis patebit. Pro confidentiariis igitur qui in utroque foro petunt secum dispensari et rehabilitari, ipsius Curiæ praxis admisit ut pro eo supplex libellus porrigatur, qui in formâ consuetæ supplicationis conscribitur, puta, tenoris sequentis, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. Gandaver presbyteri N. diœcesis, quòd aliàs perpetuâ capellaniâ in parochiali Ecclesiâ S. N. loci N. diœcesis prædictæ, quæ de jure patronatûs laicorum ex fundatione vel dotatione existit, certo tunc expresso modo vacante, ad illam sic vacantem dictus orator à tunc existentibus dictæ capellaniæ patronis, etiam existentibus in pacificâ possessione, seu quasi juris præsentandi personam idoneam ad eamdem, dùm pro tempore vacabat, eâ tamen conditione per unum ex dictis patronis adjectâ, quòd præfatus orator, quotiescumque aliquis ex ipsius patroni natis, nepotibus, aut consanguineis, ad sacros ordines promoveri desideraret, capellaniam præfatam ad illius favorem resignare teneretur, infra legitima tempora præsentatus : ipseque orator, præsentationis hujusmodi vigore, in ipsâ capellaniâ, ordinariâ auctoritate, institutus, illiusque possessionem adeptus fuit, fructus, redditus, et proventus, triginta ducatorum auri de camerâ valorem non excedentes, percipiendo ex eâdem. Deinde ipse orator credens se ex præmissis nullam simoniam commisisse, ad sacros subdiaconatûs, diaconatûs et presbyteratûs ordines, ad præfatæ, necnon alterius perpetuæ sine curâ capellaniæ in dictâ Ecclesiâ quam tunc canonicè obtinebat, prout obtinet de præsenti, titulum, se promoveri fecit, et sic promotus, in illis, etiam in altaris ministerio, non tamen in contemptum clavium, ministravit. Cùm autem, Pater sancte, dictus orator, de præmissis, quorum notitiam deinde consecutus est, plurimùm doluerit, et doleat ad præsens; ac à similibus in posterum committendis omninò abstinere intendat; supplicat igitur humiliter E.S.V. idem orator, qui primò dictam capellaniam coram notario et testibus dimisit, secundò dictam verò, cujus fructus, etc., quinquaginta ducat. aur. de ca., etc., non excedunt, obtinet, quatenùs et in præmissis de absolutionis beneficio, et dispensationis gratiâ opportunè providendo, dictum oratorem à simoniæ labe, et excessibus hujusmodi in utroque foro, apostolicâ auctoritate absolvere, et totaliter liberare, ac pœnas quas propter præmissa quomodolibet incurrit, sibi gratiosè remittere, et condonare, secumque super irregularitate per eum ex præmissis, etiam ex eo quòd censuris hujusmodi sit ligatus, missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebravit, quomodolibet contracta, quodque illa et aliis præmissis non obstantibus, clericali charactere, quo aliàs ritè insignitus fuit, illiusque privilegiis, necnon omnibus, etiam sacris et presbyteratûs ordinibus per eum ritè quoque susceptis, uti, et in illis, etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quæcumque et qualiacumque, cum curâ, et sine curâ beneficia Ecclesiastica, etiamsi canonicatus et præbendæ, etc., recipere, ac illa, necnon secundò dictam capellaniam, ante præmissa sibi canonicè collatam, retinere, liberè et licitè valeat, dispensare, necnon fructus, etc., per dictum oratorem ex primò dictâ capellaniâ perceptos, præfatos, quos in suî necessariam sustentationem expendit, et ob ejus paupertatem restituere non potest; sibi gratiosè remittere, et condonare; omnemque inhabilitatis, et infamiæ maculam, sive notam ex præmissis quomodolibet insurgentem, ab eo penitùs tollere et abolere; ipsumque in pristinum, et eum quo ante præmissa quomodolibet erat, statum, restituere, reponere, et plenariè redintegrare dignemini, de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ecclesiarum in quibus, etc.

Fiat, ut petitur M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. Et additur : *Et committatur ordinario, et si, vel postquàm orator primò dictam capellaniam realiter dimiserit, verificatis priùs coram eo supra narratis, et impositâ eidem oratori aliquâ pœnitentiâ salutari. Ipsoque ab execution*

sacrorum ordinum, arbitrio ejusdem ordinarii suspenso.

Fiat, M.

Et quandoque additur in similibus : *Prædicto verò patrono, qui oratorem ad dictam capellaniam, seu beneficium, sic præsentavit, pro primâ vice à præsentatione ad dictam capellaniam*, etc., *suspenso ; ita quòd in primâ illius futurâ vacatione, liberè ipse ordinarius conferre possit*, etc. Et idem servatur, si omnes patroni ita in præsentatione deliquerunt, quia clari juris esse neminem latet, patronos committentes simoniam seu confidentiam in præsentatione, prædictas pœnas incurrere.

Ex supradictâ praxis parte, quòd confidentiarii sunt irregulares, etiam ex ipsâ Constitutione Pii V, ut in d. § *Sed ne quisquam*, ibi : *Et ad futura inhabiles decernimus, et in juris subsidium excommunicationis sententiâ innodamus ;* unde satis constat, quòd privantur obtentis, et inhabiles ad futura beneficia redduntur, super quo benè advertit id. Paris., q. 61, num. 11, quòd hìc satis videtur constare de irregularitate, quæ inter præcipuos effectus hunc inducit, ut irregulari non possint beneficia conferri, ut per Abb. in cap. *Cum nostris*, de Concess. præb. ; Nav. cons. 17, de Simon. Et hìc ex duplici capite ipsa irregularitas insurgit, nempe ex contextu supradictæ constitutionis, necnon ex eo quòd orator, dùm esset ex causâ præmissorum, censuris ligatus, suos ordines exercuit ; unde propterea in supra dictâ supplicatione fuerunt illa verba apposita, videlicet : *Super irregularitate per eum ex præmissis, etiam ex eo quòd censuris hujusmodi sit ligatus*, etc., *celebravit*.

Necnon privatur beneficiis, ut dictum est quia ista confidentia dicitur etiam simonia conventionalis ; Caputaq., decis. 201, p. 1, et decis. 238, ac propterea confidentiarii deberent magis puniri, quàm simoniaci reales ; cùm illi deducant conventionem ad actum, juxta text. in l. 1 et l. 15, qui c. *de Sicar.*, et licèt minùs peccent, quàm simoniaci dantes, et recipientes, frequentia tamen delicti minoris, sæpè majori delecto præponderat, cap. *Tres autem*, vers. *Quid autem*, de Pœn. dist. 1. et probatur in c. *Admonere*, 23, q. 2, ubi dicitur quòd delicta frequentata magis debent puniri ; ibi enim plus punitur interficiens uxorem, quàm matrem, licèt magis peccet qui matrem interficit : quod tamen factum est propter frequentiam, cùm homines procliviores et frequentiores reddantur ad occidendas uxores, quàm matres : unde hujusmodi frequentiæ gravioribus pœnis succurritur ; ita Sarnen., super reg. de Trien., q. 12, num. 4 et 5.

Sed hìc, quoad hujusmodi privationem, habemus hodie legem expressam in dictis constitutionibus Pii IV et Pii V per quas fertur pœna privationis. An autem confidentiarii sint ipso jure privati, an verò veniant privandi per sententiam, nullam desuper dubitationem insurgere videmus ex præscripto ejusdem constit. prædicti Pii IV, ibi : *Ipso jure à die receptionis eorumdem vacavisse et vacare ;* id. Paris., q. 58, num. 10, rationem ibi assignans, subdensque, num. 11 et seq., per illationem, nullam esse differentiam quoad hoc inter simoniam realem et confidentiam beneficialem prohibitam, quia sicut simoniacus realis privatur ipso jure, per Extravag. Paul. II, quæ incipit : *Cùm detestabile* de Simon., ita qui commisit confidentiam.

Quod quidem procedit in beneficiis in confidentiam receptis, ut clarè patet ex prædictis constitutionibus, præsertim Pii IV, decernentis non solùm vacavisse et vacare, sed etiam confidentiarios ipsorum beneficiorum fructus indebitè percipere, suosque facere non posse, neque debuisse ; sed illos omnes et singulos ad cameram devolutos fuisse et esse, illique deberi ; ac eos ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, eorumque hæredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri ; ac proinde statim, absque aliâ sententiâ vel declaratione, tenentur hujusmodi beneficia dimittere. Ratio autem est quia collatio, vel resignatio, in quo talis simonia committitur, irrita est. Cæterum aliorum beneficiorum, et pensionum antea legitimè obtentarum, quamvis inducatur etiam privatio ; eam tamen exequendam non esse in conscientiâ ante judicis sententiam notârunt Less., l. 2, c. 35, dub. 26, qui citat Glos. communiter receptam in c. *Fraternitas*, 12, q. 2 ; Suar., lib. 4, cap. 43, num. 13, quos etiam citat, et sequitur Laym., lib. 4, tr. 10, c. ult. § 8.

Et, sicut dictum est, videmus non posse, videlicet, confidentiarios prædictos impetrare beneficia, cùm ad illa sint inhabiles et incapaces, ut ex præmissis patet, imò nec poterunt ea beneficia quæ dimiserunt, de novo impetrare, et illa ex novo titulo retinere, prout Rota tenuit in unâ Toletan. Thesaurariæ sanctæ Leotaliæ, coram D. Vestano, nisi ad hoc essent dispensati.

Quam quidem dispensationem verum est rarò concedit, ut ex nostrâ supra positâ praxi demonstravimus ; ubi, per clausulas restrictivas in demonstrationibus, cum simoniacis, etiam confidentiariis, satis ostenditur summum Pontificem nolle dispensare ad ea beneficia, sic malè acquisita ; quamvis aliquando videamus etiam super ipso beneficio dari talem dispensationem ; quam tamen nimis difficilè impetrari omnes sciunt curiales ; prout etiam testatur id Paris., d. q. 58, num. 55, ubi ait quòd de stylo dataria non solet concedere dispensationes, ut committentes confidentiam possint ea beneficia retinere super quibus confidentiam commiserunt ; quapropter Pius IV, in suâ constitutione, quam edidit, quæ incipit : *In sublimi*, pro reformatione officii pœnitentiariæ voluit ne pœnitentiarius, scilicet major, in absolutionibus à simoniâ reali, vel conventionali, etiam occultâ, unquàm concedat ut ipsi simoniaci beneficia super quibus simoniam commiserunt, seu pecuniam, vel alia pro illis accepta, aut fructus inde post commissam simoniam perceptos, in toto, vel parte retinere possint. Quinimò, ut in absolutionibus hujusmodi apponatur clausula, quòd uterque ad beneficium super quo fuit commissa simonia, perpetuò inhabilis existat ; per quæ quidem verba, ait Tolet., in sum. lib. 5, c. 93, quòd summus Pontifex reservavit sibi dispensationem in retinendo beneficio, et fructibus per simoniam con-

ventionalem et occultam perceptis; ut per Quar., in sum. bull., verbo *Simonia*, fol. mihi 600, v. *Caveat autem;* quapropter ait id. Paris., d. q 68, num. 56, id optimâ ratione statutum esse; quia valdè scandalosum videtur, et mali exempli, ut quis possit retinere beneficium quod injustè habuit; adnotat. in c. 1, de Regul. jur., in 6.

Debentque omninò fructus inde percepti in supplicatione exprimi, qui nunquàm nec in toto nec in parte remitti consueverunt, nisi ob maximam oratoris egestatem, juxta Glos. et DD., in c. *Cùm tu de usur.*, in 6, Nav., in Manuali, c. 17, num. 75. In casu verò illorum restitutionis, quibus veniant restituendi, satis id cautum est dictâ constitutione Pii IV, ubi, in § *Et eosdem*, declaratur illos ad cameram Apostol. spectare prout etiam supra diximus; et hodie in his casibus practicatur quod dicit supra dictus Paris. de Confid., q. 60, num. 35, circa med., ubi ait quod pro petendâ desuper absolutione, cum dispensatione, fit supplicatio, in quâ narratur confidentia commissa, quæ porrigitur D. datario, et ab officialibus ad id præpositis mandatur exprimi, si non est expressum quot fructus ex illo, seu illius beneficiis perceperit: quo facto, signatâ ipsâ supplicatione, postmodùm taxatur et solvitur compositio pro prædictis fructibus malè perceptis, ac ipsa supplicatio relaxatur.

Hæc namque restitutionis pecuniariæ expressio optimum fuit ut in dictâ constitutione apponeretur, ut supra; quandoquidem in hoc casu nonnulli perperàm dicebant sufficere ut illi restituantur Ecclesiæ cui facta est injuria; nonnulli verò tenebant hujusmodi fructus spectare ad successores in beneficio, in quo commissa est simonia, alii pauperibus, alii verò ei qui hujusmodi pecuniam donavit pro consequendo ipso beneficio; id. Paris., q. 60, num. 45, unde per dictam constitutionem sublata est omnis difficultas.

Est autem hìc advertendum, circa hujusmòdi fructum expressionem, quòd ipsi confidentiarii tenentur etiam coram Deo exprimere verè fructus perceptos; alioquin, si quantumvis minus expresserunt, non sunt tuti in foro conscientiæ, et ita fuit in Rotâ resolutum, Put. decis. 12, de Præb.; unde multi decipiuntur in ipsâ Romanâ Curiâ expeditores, qui hanc fructuum ita perceptorum expressionem fieri curant per oratores, taliter qualiter, perinde ac si illa non esset de essentiâ, sed minùs necessaria; ignorantes forsan quòd in beneficialibus subreptio, etiam in minimo, vitiat gratiam; c. *Si motu proprio*, de Præb. in 6; cò magis, quia dataria, ut aliàs diximus, non solet omnes fructus malè perceptos exigere, sed receptâ tantùm illorum aliquâ quantitate cæteros remittit.

Porrò, quid circa hujusmodi sceleris mediatores nostra sentiat praxis, hìc sequitur adnotare. Pro quo facit illa communis DD. conclusio, quòd mediator criminis dicitur ipsum delictum committere; Franc., in c. 1, num. 2, de Testib., sicut agentes et consentientes pari pœnâ puniuntur, c. 1, de Off. deleg.; nec ad effectum, ut talis dicatur mediator simoniæ, seu confidentiæ, requiritur quòd ipse propter id aliquid recipiat, cùm satis sit ut simplex mediator fuerit; Nav., cons. 59, de Sim.

Benè tamen notandum est quòd, licèt talis mediator confidentiæ illam committat, exinde tamen non efficitur simpliciter confidentiarius quoad omnes pœnas contra veros et proprios simoniacos et confidentiarios incurrendas, sed tantummodò quoad quid; ex quo, ut ait id. Nav., de cons. 59, et probat id. Paris., q. 22, num. 10, ex eodem Nav., loc. cit., mediatorem simoniæ non incidere in aliam pœnam inflictam contra simoniacos, quàm excommunicationis; et ratio est quia licèt in bullis utriusque Pii nulla mentio extensionis pœnæ excommunicationis ad mediatores facta fuerit, tamen satis exprimitur à Paulo II, in Extr. 2, de Simon., contra mediatores simoniæ in beneficio; quare hæc excommunicatio non incurritur priusquàm simonia, etiam confidentialis utrinque, tam ex parte accipientis quàm dantis completa sit, ut notavit Suar. c. 43, in fine; cùm autem non sit sermo de aliâ pœnâ quàm excommunicationis, sequitur quòd non indigeant aliquâ dispensatione circa beneficia obtenta, et obtinenda; cùm hujusmodi pœnæ sint inflictæ adversùs verè confidentiarios dantes, aut recipientes beneficia in confidentiam, qualès non videntur propriè consulentes, et consentientes tantùm, cùm pœna habeat locum in suis casibus expressis; id. Paris., num. 10 et seq.: ubi tamen, sub. num. 14, vers. *Hanc autem conclusionem*, limitat id non procedere quoties mediator confidentiæ de fructibus beneficii aliquid perceperit; cùm hìc casus satis sit expressus in d. const. Pii V, § *Denique;* eo enim casu, non modò dicitur mediator, sed etiam principaliter facere et committere dilectum confidentiæ, et tenetur ad restitutionem: id. Navar. cons. 30, num. 4, cod. tit., et docet super hoc notoria praxis.

A supra dictâ tamen excommunicatione non possùnt supra dicti confidentiarii absolvi simpliciter à confessariis, sed absolutio est petenda à summo Pontifice per datariam in utroque foro; vel, si factum est occultum, à sacrâ pœnitentiariâ in foro conscientiæ duntaxat: et si ante dictam absolutionem celebrent, efficiuntur irregulares, debentque propterea super ea petere etiam dispensationem.

Quòd si recurratur ad ipsam pœnitentiariam pro absolutione, ac forsan etiam dispensatione cum mentione fructuum malè perceptorum, remittuntur hujusmodi confidentiarii ad datariam, ut ibi ipsi cameræ solvant dictos fructus, aut super illis componant; et hìc est notorius stylus.

CAPUT XI.

Praxis dispensationis cum simoniacis et confidentiariis occultis.

Cùm autem simonia, sive confidentia, erit penitùs occulta, et propterea orator egeat absolutione cum dispensatione, recurritur ad dictam sacram pœnitentiariam, cum majori pœnitentiario concessit idem Pius V, ut cum his qui etiam scienter simoniam commiserunt, possit dispensare; dummodò tamen priùs

dimiserint beneficium super quo simoniam commiserint, et fructus per eos inde perceptos restituerint Ecclesiæ ipsius beneficii, vel cum D. datario composuerint. Quòd si allegent se neutrum facere posse ob paupertatem, tunc hæc clausula sola adjiciatur, ut fructus restituant Ecclesiæ, cùm primùm potuerint; quod intelligatur cum aliquibus eorum incommodis et indigentiis. Hoc insuper adjecto, ut in omni casu addatur quòd simoniaci admoneant correos suos ut et ipsi consulant saluti animarum suarum. Neque hi simoniaci dispensentur ut possint retinere beneficium post simoniam contractam acquisitum; quod tantum conceditur, quando simonia est ignoranter contracta, puta, per tertium; tunc enim dabitur retentio prædictorum beneficiorum sic acquisitorum, dummodò orator postquàm resciverit simoniam, statim petierit dispensationem. Retentio autem beneficiorum super quibus contracta est simonia, nullo modo dari potest, etiamsi contracta sit ignoranter ab eo qui illud obtinet, et absque ejus culpâ, etiamsi allegaret se aliunde vivere non posse; et licèt etiam statim ubi resciverit simoniam, supplicaverit pro dispensatione.

Nihilominùs verò cùm ista scelera sint de his quæ ut plurimùm occultè committuntur, ut tradit Cravet., cons. 122, num. 8; Corn., cons. 340, circa fin., vol 1; Menoch., de Arbitr., casu 116, num 2, prout etiam ipsa constitutio Pii V innuit, dùm ibi dicitur *vitium quidem confidentiæ occultè irrepsisse;* ac proinde cùm secretè et occultè fiant, difficilis sint probationis, Boer., decis., 101, num. 3; Afflict., decis. 57, num. 3; Soccin. jun., cons. 32, num. 12, lib. 2. Ideò frequentior est recursus ad prætorium ejusdem sacræ pœnitentiariæ; quæ præmissis non obstantibus, desuper dispensare quandoque consuevit, licèt in his dispensationibus et rehabilitationibus concedendis non minùs se difficilem reddat in casibus occultis quàm dataria in publicis; ac proinde ad illam recurrentes, sæpissimè suâ spe frustrati remanent: sæpissimè enim hujusmodi supplicationes proponuntur in plenâ congregatione ipsius sacræ pœnitentiariæ, et nimis raræ sunt, quæ signantur. Attamen pro iis casibus in quibus oratoribus ibi succurritur, aliqua de more, ad nostram praxim pertinentia, hìc subnectere judicavimus, ut ex ipsius styli cognitione faciliùs homines ad hujusmodi excessibus retrahantur. Ipsa namque praxis per infra scripta exempla patebit.

Primum exemplum, ponamus casum, quòd quidam laicus, cùm haberet jus præsentandi ad beneficium, convenit cum quodam sacerdote ut si cum ad illud præsentaret, aliquam fructuum partem percipere posset, ac propterea petit absolvi et dispensari ad retinendum dictum jus præsentandi et fructus prædictos sibi condonari.

Tunc enim committitur confessario, ex approbatis ab ordinario, quatenùs oratorem, auditâ confessione, à quibusvis censuris, et pœnis ecclesiasticis, simoniæ labe et excessibus hujusmodi absolvat, injunctâ pœnitentiâ salutari. Quodque dictum presbyterum, et alios, si qui sint, in præmissis culpabiles, quantùm potest, moneat, et inducat ad impetrandam à Sede Apostolicâ dispensationem, etc.; sibique fructus indebitè perceptos, factâ aliquâ eleemosynâ arbitrio ejusdem confessarii, remittat et condonet; et quòd occurrente ejusdem beneficii vacatione, etiam eâ vice post dicti presbyteri dimissionem, liceat oratori, si jus patronatûs et præsentandi ad ipsum beneficium, dùm pro tempore vacat, ad ipsum alioqui legitimè pertinet; personam idoneam ad illud licitè præsentare misericorditer indùlgeat in foro conscientiæ tantùm, etc.; ita ut hujusmodi absolutio et dispensatio oratori in foro judiciario nullatenùs suffragentur; et absolutionis et dispensationis litteræ lanientur, ita ut nullum illarum exemplum exstet, etc.

Secundum exemplum est pro presbytero qui mediante aliquâ pecuniæ summâ, per aliquem laicum procuravit præsentari ad beneficium, illoque assecuto suos ordines exercuit, fructus tamen nondùm percepit. Petit modò uterque à præmissis absolvi, dictusque presbyter etiam secum dispensari, tam super irregularitate contractâ quàm super retentione dicti beneficii, cùm non possit illud dimittere absque gravi scandalo. Unde committitur confessario quatenùs dictos oratores absolvat, ut supra dictum est; quòdque in præmissis culpabiles, si qui sint, maneant, etc.; necnon dictus laicus pecuniam receptam in dicti beneficii utilitatem eroget, et aliis, etc., injungenda; ipsoque presbytero ab executione suorum ordinum suspenso; et dummodò præmissa occulta sint, idemque presbyter dictum beneficium dimittere non possit absque scandalo, cum eodem, pœnitentiâ vel illius parte peractâ, et suffragantibus sibi dignis pœnitentiæ fructibus et meritis, alioque ei canonico non obstante, super irregularitate per eum ex præmissis, quia interim sic ligatus suos ordines (non tamen in contemptum clavium) exercuit, quomodolibet contractâ, etc.; postquàm in hujusmodi suspensione steterit per tempus arbitrio ejusdem confessoris statuendum, in suis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, dictumque beneficium retinere licitè valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ tantùm, etc.

Tertium exemplum, pro quodam clerico qui procuravit sibi resignari quoddam beneficium, solutâ pecuniâ resignanti. Modò petit absolvi secumque dispensari ut valeat ad omnes ordines promoveri, et ob ejus paupertatem dictum beneficium retinere, fructusque perceptos sibi condonari. Unde similiter confessario committitur quatenùs, etc., absolvat oratorem, ut supra, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, ac erogatione alicujus partis dictorum fructuum in pauperum alimoniam, aliosve pios usus, et culpabiles moneat, etc. Et dummodò præmissa occulta sint, et orator ob illius paupertatem dictum beneficium dimittere non valeat, cum eodem, pœnitentiâ, etc., ut supra, et suffragantibus, etc., alioque ei canonico non obstante, omnem inhabilitatis maculam, ex præmissis contractam, aboleat; secumque ut, præmissis non obstantibus, clericali charactere, quo aliàs ritè insignitus fuit, uti et ad omnes, etiam sacros, et presbyteratûs ordi-

nes promoveri, et promotus ministrare; dictumque beneficium retinere licitè valeat, misericorditer dispenset, residuumque fructuum ex dicto beneficio indebitè perceptorum sibi gratiosè remittat et condonet in foro conscientiæ tantùm, etc.

Quartum exemplum, pro presbytero qui etiam pro consequendo beneficio ecclesiastico solvit resignanti quamdam pecuniæ summam, et deinde, censuris propterea incursis, sic ligatus suos ordines exercuit irregularitatem incurrendo. Unde confessario committitur quatenùs oratorem, postquàm dictum beneficium liberè dimiserit, et fructus ex illo hactenùs indebitè perceptos in totum restituerit, vel sibi ob ejus paupertatem in præsentiarum non potest, se restituturum promiserit, cùm primùm poterit, etiam cum aliquali sui incommodo et indigentiâ, illos in utilitatem Ecclesiæ dicti beneficii cum effectu convertendo, à quibusvis sententiis, etc., absolvat, etc., injunctâ, etc.; quòdque alios in præmissis culpabiles, etc.; ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso, etc., ut supra. Conceditur aliquando etiam dispensatio ut possit in futurum assequi beneficia ecclesiastica, et tunc addi consuevit post verbum, *ministrare :* et *quæcumque beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, invicem tamen compatibilia, si quæ illi in futurum, aliàs tamen canonicè conferantur, recipere et retinere licitè valeat, misericorditer dispenset.*

Quintum exemplum, pro presbytero cujus pater solvit quamdam pecuniæ summam ut eidem presbytero de quodam beneficio provideretur, prout provisum fuit, oratore ignorante solutionem hujusmodi. Modò petit idem orator ut possit dictum beneficium retinere, fructus que ex eo hactenùs perceptos condonari. Unde confessario committitur quatenùs, auditâ confessione, injuncto eidem oratori ut patrem et alios in præmissis culpabiles, etc., cum eodem, dummodò præmissa occulta sint, etc., ut, præmissis non obstantibus, beneficium prædictum retinere illiusque fructus percipere valeat misericorditer dispenset, sibique fructus ex dicto beneficio hactenùs perceptos gratiosè remittat et condonet in foro conscientiæ tantùm : ita quòd hujusmodi dispensatio in foro judiciario nullatenùs suffragetur.

Sextum exemplum, pro presbytero qui, mediante ejus fratre, quamdam ecclesiam parochialem per resignationem assecutus fuit; solutâ per dictum fratrem resignanti quâdam pecuniæ quantitate; modò verò de simoniâ certior factus, petit secum dispensari etiam super retentione dictæ Ecclesiæ, cùm eam propter ejus paupertatem et periculum scandalorum dimittere non possit. Unde committitur confessario quatenùs, etc., ut in supradicto quinto exemplo, etc.

Septimum exemplum, pro episcopo qui in collatione beneficiorum aliquam simoniam commisit, censuras ecclesiasticas propterea incurrendo; et deinde suos ordines, et pontificalia quæ ordinem respiciunt, exercendo, etiam irregularitatem contraxit. Modò petit absolvi secumque dispensari ut suos ordines et pontificalia exercere, et alias ecclesias etiam metropolitanas, si ad eas assumatur, assequi possit. Unde confessario committitur quatenùs, auditâ confessione, postquàm pecunias, si quas recepit, in utilitatem ecclesiarum offensarum converterit, dictum oratorem absolvat, etc., injunctâ, etc.; quòdque culpabiles, etc., ut supra; ipsoque ab executione suorum ordinum et pontificalibus suspenso; demùm, dummodò præmissa occulta sint, etc., super irregularitate, etc., postquàm in hujusmodi suspensione steterit, etc., in suis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, pontificaliaque exercere, et quascumque alias Ecclesias, etiam metropolitanas et patriarchales, ad quas eum in futurum transferri, seu quibus de ejus personâ provideri contigerit, recipere, eisque similiter præesse licitè valeat, misericorditer dispenset in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, etc.

Est tamen hic advertendum quòd, licet per exempla supra posita cognoscatur quomodò cum simoniacis occultis dispensetur, ista tamen dispensatio non ita passim datur, etiam à sacrâ pœnitentiariâ, ut dictum est, cujus prætorium tam maximè abhorret ab hujusmodi delictis; etiamsi allegentur gravissimæ causæ, prout benè nôrunt curiales; nam licèt inter cæteras causas quæ ad id allegari consueverunt, sit oratoris paupertas, quæ videtur in hoc sibi prodesse, ne clericus in opprobrium totius clerici mendicare cogatur, c. *Diaconi* l. 5, vers. *Mendival infelix*, 93, dist., concil. Trid., sess. 21, cap. 2; item scandalum, cujus ratione, licèt quandoque quis privetur beneficio, ut per Gamb., in Extravag. Julii II, de Simon., Pap. elect., à num. 256, attamen non ignoramus scandalum non inducere justam dispensandi causam in omni casu etiam prohibito, Anchar., cons. 339; Felin., in cap. 2 de Præscript. Nihilominùs ut, quoad fieri possit, quævis, quantumvis minima, simoniæ labes extra Ecclesiam à Romanâ Curiâ eliminetur et arceatur, licèt adsint urgentissimæ causæ, non ita passim illæ admittuntur, neque in hujusmodi dispensationibus pro utroque foro per datariam summi pontificis, neque per illius pœnitentiariam; ubi à me, tot annis illius prætorio inserviente, satis id compertum est; ibi enim nec favores prævalent, nec oratori continua instantia prodest; quia, ut ait Host. in c. *Quoniam*, n. 4, eod. tit., simonia accedit hæresi; Abb. in c. *Cùm venissent*, n. 7, de Jud.; estque crimen capitale, Redoan., par. 1, c. 5, n. 2, de Simon.; crimen detestabile, Præpos., in c. *Ex multis*, n. 1, q. 3, et gravius cæteris; ac propterea simoniaci dicuntur detestabiliores omni peccatore; id. Redoan., p. 4, cap. 12, n. 14; appellantur fures, latrones, suntque ab omnibus respuendi et æternaliter damnati, comparantur homicidiis, et difficilè salvantur, Paris., de Confid., q. 8, n. 20, cum plurib. seqq. De cæteris autem istorum malis nominibus videndus est Præpos., in cap. *Quos constituerit*, n. 3, 1, quæst. 1; unde non immeritò id crimen indispensabile esse ait id. Redoan., d. 4 p., c. 25, n. 2. Ac propterea emanârunt prædictæ constitutiones Pii IV et V ad excludendum et arcendum dolos et

fraudes, et in odium simoniæ et simoniacorum, et ad illam exterminandum ab Ecclesiâ, ut ex prædictarum constitutionum proœmiis colligitur, quæ causam finalem ostendunt, l. fin., ubi Bart., ff. de Hæred. in stit., et in l. 1, ff. de Orig. jur.

CAPUT XII.

Praxis formulæ absolutionis et dispensationis cum simoniacis.

Reliquum est tradere quid servet praxis circa modum et formam absolvendi supradictos simoniacos, ac cum eis aliisque irregularibus dispensandi, titulos revalidandi, ac fructus malè perceptos condonandi. Et sanè præmittendum necessariò duximus, per facultatem attributam absolvendi ab omnibus censuris et pœnis ecclesiasticis, non venire potestatem absolvendi ab irregularitatibus; Navar., in Manual., cap. 27, n. 194; Henriq., lib. 14, cap. 17, § 4; Zerol., in praxi episcop., p. 1, verbo *Irregularitas*, vers. *Decimotertiò est notandum;* et alii, quorum opinio est in praxi recepta; quandoquidem notorius Rom. Curiæ stylus non ita se habet, ut per hujusmodi facultates absolvendi concessas à peccatis, censuris, pœnis ac sententiis, comprehendatur facultas dispensandi super irregularitate; quapropter audiendi non sunt qui contrariam opinionem tenent, quia dispensatio est major et difficilior absolutione; id Henriq., d. § 4; et censura tollitur per absolutiônem, irregularitas verò per dispensationem. Non enim, inter cætera, ignoramus modernos summos pontifices idem sentire, et declarare etiam in eorum Jubilæis, in quibus, post facultatem confessoribus absolvendi attributam, additur clausula per quam declaratur eos non intendere per hoc dispensare super aliquâ irregularitate; teste eod. Navar., cons. 7, n. 2, de Tempor. ord.; Majol., de Irreg., l. 5, c. 51, n. 7; Garc., de Benef., p. 7, c. 12, n. 57; ubi ad id, et pro dicto stylo Curiæ, plures citat DD., subdens ibi contrariam sententiam esse falsam; quamvis nonnulli theologi illam amplexi sint, et multi confessarii minùs docti, eorum auctoritate nixi, illâ facultate utantur. Cùm enim Papa intendit supradictam dispensandi facultatem tribuere, illam apertis verbis explicat, sicut videmus in aliquibus Jubilæis à Pio V concessis, qui, post consuetam clausulam absolvendi à censuris, subdidit : *Et super quibusvis irregularitatibus, quomodolibet contractis, dispensandi.* Quæ quidem clausula jam recessit; quinimò, loco ipsius, alia contraria sequentibus et apertis verbis, hodie apponitur, videl. : *Non intendimus autem per præsentes super aliquâ irregularitate publicâ, vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate, seu inhabilitate, quoquo modo contractâ, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ.* Dicerem tamen hujusmodi clausulam potiùs ex abundanti et pro majori declaratione appositam, cùm absque eâ, neque ex contextu litterarum veniret facultas dispensandi. Horum etenim ratio est quia in generali concessione non veniunt ea quæ summus Pontifex sibi specialiter reservare solet, et testatur Vivald., in Candelab. aur., in tract. de Irregul., stylum esse Curiæ Romanæ, ut hæc irregularitas semper reservetur, non obstante clausulâ quantumvis generali in litteris appositâ.

His igitur paucis sic præmissis, satis liquet aliud esse absolvere, aliud verò dispensare, ut dicitur per Borg., de Irreg., p. 6, n. 19, fol. mihi 261, tit. de Schism.; quapropter sequitur in proposito videre numquid, præter formam absolutionis à præmissis, aliqua adsit peculiaris forma præscripta dispensandi, per quam tollatur irregularitas. Et quidem, si de dispensatione in utroque foro concessâ loquimur, pro eâ sufficit decretum judicis delegati, qui, vigore mandati de dispensando, dicat dispensare, nullâ tamen præcisâ ad id interveniente formâ, causæ tantùm cognitione præmissâ. In foro autem conscientiæ, ut hìc, neque alia præscripta forma in jure aut aliàs quomodocumque reperitur, adeò quòd, eâ non servatâ, dispensatio facta non valeat, id. Henriq., d. § 4; et ex communi DD. consensu, nullam certam et determinatam formam reperiri certum est; sed satis, si quibuscumque verbis utamur significantibus irregularitatem, seu quodcumque aliud impedimentum tolli. Unde, tam in ipsâ urbe quàm alibi, vidi et audivi confessarium ad id vigore litterarum absolutionis et dispensationis electum, hâc sequenti formâ uti, ut post auditam oratoris sacramentalem confessionem, illumque secundùm formam litterarum prædictarum monitum et instructum, dicat : *Misereatur*, etc., *Indulgentiam*, etc., *Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate Apostolicâ in hâc parte tibi concessâ, et mihi commissâ, absolvo te à quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis, quas ob simoniæ labem in assecutione talis beneficii ecclesiastici quomodolibet incurristi, et excessibus hujusmodi, in nomine Patris*, etc. Si tamen in eisdem litteris adjecta fuerit clausula suspensiva executionis ordinum oratoris, ipsa suspensione injunctâ, illiusque tempore finito arbitrio ejusdem confessoris, dictoque oratore ad eumdem reverso, illum absolvet à vinculo ejusdem suspensionis, sequenquentia proferendo, videlicet : *Et eâdem auctoritate absolvo te à vinculo suspensionis; deinde dispenso tecum super irregularitate quam, etiam censuris ligatus, celebrando contraxisti, teque habilem reddo, ac executioni ordinum et officiorum tuorum, tibique titulum dicti beneficii restituo, ac fructus ex eo malè perceptos condono, teque ad legitimos actus pariter restituo; in nomine Patris*, etc. Quæ quidem formula, licèt aliquantulùm prolixa videatur, prudens tamen confessarius illam ad verba magis necessaria pro suâ prudentiâ restringet; poteritque etiam eadem formula deservire pro quibuscumque irregularitatibus quoquo modo contractis, dicendo : *Dispenso tecum super irregularitate, vel irregularitatibus, quam, vel quas contraxisti ob hanc, vel illam causam, vel causas*, etc.; vel aliàs juxta casuum contingentiam, ubi certa causa irregularitatis contractæ appareat; quòd si fortè in dubium revocari contingat, an orator aliquam irregularitatem contraxerit, juxta formam quam nonnulli auctores tradunt, in hoc

casu dici poterit : *Dispenso tecum super irregularitate, si fortè contraxisti ob hanc, vel illam causam;* ut per Sayr., de Cens., l. 7, cap. 12, num. 18.

Stante adhuc supra dictâ formulâ dispensandi, fuit aliàs dubitatum an tollatur ipsa irregularitas, si confessarius dicat : *Absolvo te ab irregularitate, vel irregularitatibus.* Ratio enim dubitandi inde insurgit, quia verbum, *Absolvo*, intelligitur de peccatis, censuris et pœnis ; atverò irregularitas nihil istorum est, ac propterea negativa videtur responsio; nonnulli verò partem affirmativam tenent, asserentes solam dispensantis intentionem sufficere ad irregularitatem tollendam, licèt utatur verbo, *Absolvo*, ac propterea satis esse dicere : *Absolvo te ab irregularitate, vel ab irregularitatibus.* Verùm quidquid circa hoc sentiendum, aut dicendum sit, tale discrimen circa hoc versari comperimus, nempè : si irregularitas orta sit ex aliquo delicto, volunt aliqui posse eam tolli per dictum verbum, *Absolvo ;* si verò ex aliquo defectu contracta, et sine aliquâ culpâ, quia tunc nec pœna nec censura dici potest, nec sententia, nec vinculum, sed tantùm impedimentum et inhabilitas, non dicitur propriè illam tolli per verbum, *Absolvo*, cùm propriè per verbum, *Dispenso*, tollatur; attamen ego in omni casu irregularitatis tollendæ, dicerem confessarium, vel alium dispensantem, debere uti verbo, *Dispenso ;* sic enim scimus pœnitentiarios almæ Urbis servare. Vide ad hoc d. Sayr., d. cap. 12, num. 19.

Hinc etiam in dubium revocari postulat ipsa praxis, numquid, cùm contingat summum Pontificem, sive ejus sacram pœnitentiariam, mandare ut cum aliquo dispensetur super omnibus irregularitatibus, si per oblivionem aliquæ exprimi omittantur, an nihilominùs unica tantùm dispensatio sufficiat ; ita ut de sic oblitis non teneatur orator ulteriùs petere absolutionem. Et quidem affirmativa datur responsio, quia per consequentiam videtur dispensatus super omnibus; et hæc est communis sententia, de quâ testatur Navar., in Manual, cap. 26, num. 13, quem sequitur Majol., de Irregul., lib. 5, cap. 51, ubi tamen benè advertit quòd si irregularitas esset orta ex peccato mortali, esset facienda mentio de ipso peccato, non tamen de irregularitate ; unde idem Navar., loco cit., consuluit ut, cùm quis petit dispensari super irregularitate, detur clausula : *Et de omni aliâ irregularitate oblitâ, vel incognitâ.* Nec tamen omittere putavi quòd ista clausula hodiè non datur, quia omnia impedimenta ex quibus oritur irregularitas, sunt penitùs et distinctè exprimenda; nam ubi plura obstant impedimenta, si unum removeatur, alia remanent, capit. *Ex tuarum*, de Auctoritat. et Us. pall., cap. *Pastoralis de privil.*; Gemin., cons. 33, num. 8; Put., decis. 109, lib. 1 ; ac propterea habilitatio in uno non præsupponit habilitatem in aliis, cap. *Non potest*, § *Illud*, de Præb. in 6. Unde tot requiruntur dispensationes, quot sunt impedimenta et obstacula; Cassad., decis. 9, n. 4, de Præb.; Rot., decis. 233, num. 22, par. 1, divers.; Menoch., de Arbitr., lib. 2, centuria 3, casu 203, n. 13 ; Nav., cons. 17, de Rescrip. Regulariter enim, quando sunt plura obstacula, non sufficit clausula generalis, sed de omnibus defectibus facienda est mentio; Bald., in l. 1, num. 22, c. de Furt.; Gonz., ad reg. 8 cancell.; gloss. 13, à num. 81 ad fin. ; quæ quidem omnia impedimenta docet nos notorius stylus debere omninò exprimi, tam in casibus publicis in utroque foro, quàm in occultis pro foro conscientiæ tantùm, et plura huic praxi congrua congero in 2 tom. meæ Prax. benefic., lib. 8, cap. 13, à num. 21 ad 31.

CAPUT XIII.

Praxis dispensationis ad ordines cum apostatis.

Apostatam etiam, qui scilicet à fide universâ recedit, plus quàm hæreticum esse, imò penitùs infidelem, ac propterea ab ordinibus etiam minoribus, et à communione Ecclesiæ arceri, omnique irregularitate notari, nemînem latet, Sil., in verbo *Irregularitas*, quæst. 5; et cum eo, nemo præter Papam dispensare potest. Innocent., in capitul. 1, de Apost.

Est autem triplex apostasia, juxta gl. solemnem et receptam in c. 1 de Apostat., scilicet : à fide, ut dictum est, ab obedientiâ, et ab ordine. vel religione ; Nav., cons. 1, n. 3, eod. tit. Quia verò nostra praxis pro nunc versatur circa dispensationem cum apostatis à religione, dicendum est quòd inter hos apostatas adnumerantur etiam illi clerici qui in sacris sunt ordinibus constituti, si habitum, et tonsuram, ac clericalem disciplinam deponant : omnes enim isti fiunt propterea irregulares, Gl. in c. penult., 50 dist., quandoquidem sacer ordo est species religionis ; unde sicut religiosi apostatant non servantes monachatum, ita et clerici prædicti, ut per Abb., in c. *Tua de Apost.;* Majol., de Irreg., l. 5, c. 34, num. 4.

Et quia inter cæteras pœnas, quas à religione apostatantes incurrunt, ea est, ut ipsi interim ad ordinem vel dignitatem promoveri non possint, ut in c. fin., de Apost. ; Ugol., de Irreg., c. 36, § 4; Majol., lib. 5, c. 31, relati à Bonac., de Cens., disp. 7, q. 3, p. 7, n. 7; et si recipit sacrum ordinem, licèt postea reconcilietur suo superiori, et suscipiat pœnitentiam, sine tamen dispensatione non poterit in suscepto ordine ministrare; Burgas., de Irreg., p. 6, tit. de Apost., num. 7; ideò pro supradictis apostatis in dies emanant absolutiones et dispensationes duplici modo nimirùm : per datariam in utroque foro, ac per officium sacræ pœnitentiariæ in foro conscientiæ tantùm.

Primo modo, omissâ formulâ supplicationis, tanquàm minùs necessariâ, committitur ordinario, qui, ipso oratore ab executione suorum ordinum arbitrio ejusdem ordinarii suspenso, eumdem, postquàm redierit, et habitum regularem reassumpserit, absolvat et cum eo dispenset; impositâque ei pœnitentiâ salutari, et salvâ regulari disciplinâ. Datur quandoque absolutio cum dispensatione, etiam cum licentiâ se transferendi, quæ committitur superiori ordinis ad quem oratorem transferri contigerit, cum decreto ut, postquàm translatus fuerit, et vitam regularem in claustro ducere statuerit et promiserit, eum absolvat, et cum eo dispenset. Et dummodò translatio fiat intra

sex menses, et cùm orator est ex ordine Mendicantium, addi consuevit ut, si ille exactâ diligentiâ factâ non invenerit locum in Mendicantibus, ad quorum ordinem transire valeat, eo casu transire possit ad alios non Mendicantes; non tamen ad aliquam ex militiis regularibus, nec ad Hospitale S. Spiritûs in Saxiâ de Urbe, seu religionem S. Antonii Viennen., neque ad aliquam eorumdem hospitalis et ordinis domum, et sine spe beneficiorum. Itidem, aliquando datur cum clausulâ, dummodò intra annum proximum transeat ad aliquam domum cujusvis ordinis Mendicantium pariis, vel strictioris regularis observantiæ, ubi benevolos invenerit receptores; alioquin talis gratia nulla sit; et committitur superiori domûs in quam oratorem recipi contigerit, qui eumdem oratorem, postquàm receptus fuerit, et ibi vitam regularem ducere statuerit, et promiserit, absolvat, ac cum eo dispenset; impositâ sibi aliquâ pœnitentiâ salutari, ipsoque ab executione sacrorum ordinum ac voce activâ et passivâ ad integrum triennium, et deinde arbitrio ejusdem superioris, suspenso.

Secundo autem modo, in vim facultatis concessæ per Greg. XIII majori pœnitentiario, per officium sac. pœnitentiariæ dispensatur, seu dispensari mandatur, cùm expediens videbitur, etiam in pristinum statum restituendo, sed in foro conscientiæ tantùm, cum apostatis, super quâcumque irregularitate, inhabilitate, defectu, et infamiâ. Et antea Pius V pariter majori pœnitentiario concessit ut apostatis qui volunt redire ad suam religionem, et à suis superioribus non recipiuntur, postquàm eam quam debent diligentiam adhibuerint, dare possit facultatem transeundi ad Carthusianos, vel eremitas Camaldulenses, vel Capuccinos.

Et licèt aliquando, juxta facti contingentiam, dentur ab ipso officio S. pœnitentiariæ absolutio et dispensatio desuper in foro conscientiæ tantùm, dantur ibi illæ etiam in utroque foro; ac propterea committuntur litteræ superiori religionis: exempl. g., pro religioso qui, post emissam professionem, à suâ religione absque superioris licentiâ recessit, habitu regulari etiam dimisso; nunc verò petit ad aliam religionem se transferre; propter quod committitur supra dicto superiori quatenùs ipsum oratorem à quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis quas propter præmissa quomodolibet incurrit, apostasiæ notâ, et excessibus hujusmodi in utroque foro, ad effectum infra scriptum dumtaxat absolvat, injunctâ pœnitentiâ salutari, etc.; ac cum eodem oratore ut, præmissis non obstantibus, religionem à Sede Apost. approbatam, ubi benevolos invenerit receptores, ingredi, in eâ professionem de novo emittere, ibique quoad vixerit remanere et perseverare licitè valeat, misericorditer dispenset; ita quòd à superioribus primò dictæ religionis revocari ac desuper molestari nequeat, non obstantibus præmissis, etc. Et addi hìc etiam consuevit ut, si dictus orator intra quatuor proximos menses secundò dictam religionem ingressus non fuerit, nihil ipsi concessæ litteræ suffragentur.

Quia verò contingit quandoque religiosum, post emissam professionem in suâ religione ad aliam de facto, absque superioris sui licentiâ, se transferre, ac propterea petere ut in secundò dictâ religione remanere possit, datur hæc illi facultas, per quam suo superiori committitur ut oratorem absolvat in utroque foro, ipsoque ab executione suorum ordinum suspenso, et cum eodem ut, præmissis non obstantibus, in secundò dictâ religione remanere, ibique professionem, quatenùs opus sit, de novo emittere possit, ac post emissam professionem, suffragantibus sibi meritis, dispenset, ita ut à superioribus primò dictæ religionis revocari et desuper molestari nequeat, non obstantibus præmissis, necnon ordinum statutis, etc.

Per idem sacræ congregationis officium conceditur religioso qui certis ex causis de suâ religione, quam professus est, exire cupit, ut possit ad aliam se transferre, et in eâ professionem de novo emittere; ibique quoad vixerit, permanere et perseverare valeat; et cum eo dispensatur in utroque foro, cum derogatione statutorum aliorumque contrariorum, ut supra; hoc insuper in suis litteris adjecto, ut ille non priùs discedat à religione quàm certus sit se in aliâ religione receptum iri, et statim illam rectâ viâ ingrediatur, permansurus in eâ sub regulari observantiâ; neque aliter illi hujusmodi litteræ suffragentur.

Et ad instantiam superiorum religionis supplicantium per ipsum officium conceditur etiam alicui ex ipsis superioribus ut possit religioso concedere licentiam manendi extra monasterium in habitu presbyteri secularis, ob graves infirmitates; eique committitur quatenùs, si est ita, neque ejusdem religiosi saluti in illo ordine commodè, aut sine aliorum perturbatione, provideri possit, cum eodem, infirmitatibus prædictis durantibus, in seculo, sub habitu presbyteri secularis (servatis tamen substantialibus illius religionis), sub obedientiâ ordinarii loci degendo, donec à suis superioribus revocetur, remanere, et quæ sibi piâ fidelium largitione, vel aliàs honestè obvenient, in suos usus convertere licitè possit, misericorditer dispenset, eique, si aliud non obstet, licentiam impartiatur.

Consuevit etiam religionis superiori qui supplicavit pro oratore religioso, tribui facultas ut ipsi religioso concedat licentiam manendi extra monasterium ad effectum subveniendi parentibus in extremâ paupertate constitutis; et interim maneat sub obedientiâ ordinarii, ut dictum est supra; et cessantibus eorumdem necessitatibus ad monasterium revertatur.

Hæc licentia regulariter conceditur religiosis propter subventionem parentum, fratris, vel neptis, in extremâ paupertate existentium, qui aliunde sibi de necessariis sibi providere non possunt; cùm hoc sit præceptum secundæ tabulæ, de quo Exod. 20: *Honora patrem et matrem*, etc.; qui quidem honor principaliter consideratur in subveniendo eis in magnâ necessitate constitutis, ut ipsemet Dominus noster Jesus Christus, Matth. 15, declaravit, reprehendens in hoc pharisæos, qui contrarium suadebant, ex eo quòd hujusmodi opus subventionis fundatur in charitate et misericordiâ; ac proinde talis necessitas excludit omne

natum et obligationem; nam aliàs ea quæ sunt introducta in cultum Dei, militarent contra charitatem et nesciremus quid esset *misericordiam volo, non sacrificium*. Quare si religiosus ante ingressum religionis esset uni obligatus in centùm, ob hujusmodi ingressum illa obligatio non tolleretur; unde eodem modo illa obligatio de subveniendo parentibus, quæ, priusquàm monasterium ingrederetur, contracta est, eò magis, quia talis religiosus propter hoc non absolvitur ab observantiâ religionis, quæ etiam servari potest in domo parentum, ut ex multis adductis per Staphil., in tract. Brev., n. 35, cum plurib. seqq.

Et licèt hujusmodi licentiæ dentur regulariter per officium sacræ pœnitentiariæ apost. in vim illius facultatum à Papâ ei concessarum, dantur nihilominùs quandoque per eumdem, ac per litteras in formâ brevis, quæ tales esse consueverunt, videlicet:

Innocentius Papa X, ad futuram rei memoriam. Cùm, sicut dilectus Filius N. presbyter congregationis S. Joannis ad Carbonariam ordinis Eremitarum S. Augustini in civitate Neapolitanâ nobis nuper exponi fecit, quòd ipse habet duas sorores germanas puellas adversâ valetudine utentes, et ut plurimùm in lecto ea propter decumbentes; necnon duos infantes, qui sine ejus ope et auxilio mendicare cogerentur, ultra nonnullas lites à quibus eorum res et substantia familiaris dependent, et à quibus ipsi caderent, absque ejusdem N. patrocinio et assistentiâ; nobis propterea dictus exponens se filium esse conventûs S. Joannis d. congreg. in prædictâ civitate, humiliter, etc., *ut infra providere*, etc.; *de venerab. fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præsupositorum consilio, eumdem N. suis superioribus Apostolicâ auctoritate, tenore præsentium commendamus ut, constito sibi de expositis, eumdem N. sororum et nepotum necessitatibus pro eorum pietate et arbitrio, et prout magis in Domino expedire judicaverint, religiosè et honestè consulant; dummodò propterea eidem N. licentia degendi extra claustra nullo modo concedatur, nec aliquid eer i vel proprii hâc de causâ ei assignetur; nec quid aliud à suâ professione alienum permittatur; salvâ tamen semper auctoritate congreg. eorumdem cardinalium, non obstantibus*, et c. *Dat. Romæ, apud. S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die* 16 *martii* 1645, *pontificatûs nostri anno primo.* M. A. Maraldus.

Quam quidem causam, sit vera si, tanquàm rationi consonam videmus pro hujusmodi religiosis, sive per datariam, sive per officium sacræ pœnitentiariæ admitti; jure etenim naturæ tenemur parentibus opem ferre, per tex., in l. *Veluti*, ff. de Just. et Jur.; quinimò, etiam propter infirmitatem suorum, licet cuique festinanter, etiam Papâ insalutato, recedere, ut in c. *Communis*, et ibi not. Glos., 25 dist., ut etiam infra dicemus.

Circa tamen hujusmodi licentiam morandi extra, est sciendum eam non ita passim, sed maximis laboribus et sudoribus impetrari, tam per datariam, quàm per supra dictum officium sacræ pœnitentiariæ, licèt gravissimâ et justâ causâ interveniente, ut in capitulo ex rescripto, de Jurejurand.; sine quâ data, neque valet; tantoque minùs id poterit superior religionis, qui nullo modo potest dispensare contra jus, capitulo *Non est*, de Vot.; et ibi Glos., et DD. Rebuff., in praxi, titul. de Dispensatione cum regular. facultat.; ac propterea, optimâ ratione frequenter licentiæ hujusmodi denegantur, præsertim, cùm circa id vigeat constitutio Pauli IV circa omnes religiosos vagantes, et apostatas, seu fictè, vel malè aut nulliter dispensatos, cum quibus præcipitur esse cum maximo rigore procedendum: nam, si debitam ad id dispensationem non obtinuerint cum legitimis causis, et processionibus, sive cum habitu monachali, sive sine illo, incedant, sunt excommunicati, et pro apostatis habentur, ut in c. *Placuit*, 2, 16, quæst. 1, et in cap. 2, *Ne cleric. vel mon.*, in 6.

Cum apostatis verò à fide (ut pauca hìc circa hanc praxim referam) regula est secundùm stylum Curiæ, ut difficiliùs dispensetur cum jam promotis, quàm cum promovendis; quando quidem laici benè poterunt, post pœnitentiam condignam, dispensari ut ordinentur, susceptosque ordines exerceant; jam verò promoti susceptos ordines exercere non possunt, c. *Presbyteros*, 50 dist.

Et secundùm notoriam praxim, quando dispensatur cum oratore à Romanâ Curiâ absente, committitur absolutio ab hæresi inquisitoribus illarum partium, ut absolvant et dispensent super irregularitate in hæresi contractâ, cum hæreticis, vel suspectis, redeuntibus ad gremium Ecclesiæ, in vim facultatis sibi concessæ à Clemente VII, teste Mandos., in Praxi signat. grat., tit. *Absolutio ab hæresi*, vers. 1, qui, ultra absolutionem, ait quòd hæreticis datur etiam aliquando rehabilitatio, vel dispensatio à solo summo Pontifice; scimus tamen hanc dispensationem et rehabilitationem non dari ab ipso Papâ, nisi re plenè discussâ in congregatione sanctæ Inquisitionis.

CAPUT XIV.

Praxis dispensationis cum ejectis à religione.

Quo verò ad cæteros regulares apostatas et ejectos, vigent hodiè decreta sacræ congr. Concilii, quibus modus, sive forma, religionum superioribus præscribitur regulares ipsos ejiciendi à religione, ac eis præsertim inducitur pœna suspensionis ab executione suorum ordinum susceptorum; ac pro illius relaxatione recurritur ad Sedem Apostolicam; proinde, ut aliqua circa hoc ad praxim pertinentia afferamus, præmittendos duximus ipsorum decretorum tenores, qui tales sunt, ut sequitur, videlicet:

DECRETA S. CONGREGATIONIS CONCILII

De regularibus apostatis, et ejectis.

Sacra congregatio cardinalium concilii Trid., interpretum, regularium ejectorum et fugitivorum statui consulere, illorumque scandala summovere, et succrescentem numerum frangere, operæ pretium existimans, auditis religionum superioribus, reque diligentissimè perpensâ, communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII, atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, infra scripta decreta edidit.

Ac primò, ut infecta semina, è quibus pravi ejusmodi fructus potissimùm prodeunt, deinceps ne serantur, in

vineâ Domini, censuit esse innovandas, et Sanctissimi auctoritate innovat constitutiones et decreta generalia san. me. Clementis VIII ad regularium reformationem, ac novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districtèque præcipit generalibus, atque aliis omnibus ordinum superioribus, ut illa exactè observent, atque ut observentur, efficiant, sub pœnis statutis in iisdem constit. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur ne in conventibus, seu monasteriis ad novitios recipiendos hactenùs designatis, et approbatis, seu in posterum designandis et approbandis, novitii ad habitum ullatenùs recipi possint, nisi priùs à congregatione Reformationis Apostolicæ, vel à propriis locorum ordinariis expressè et nominatim approbati fuerint. A cujus quidem decreti observatione sacra congregatio justis de causis censuit regulares esse absolvendos, prout auctoritate sanctissimi Domini nostri absolvit atque exuit.

Deinde, ut apostatandi opportunitas regularibus præripiatur, statuit ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi priùs superiori legitimè constiterit eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque regularis rectâ viâ se transferat ad arctiorem. Quod ut reipsà adimpleatur, idem superior omni studio ac diligentiâ invigilet.

Rursùs statuit ut fugitivi et apostatæ, sive habitum regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab episcopo loci ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac superioribus regularibus consignari secundum regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur; salvâ tamen in omnibus facultate ordinariis locorum attributâ decreto consil., cap. 3, sess. 6. Quod si apostatæ hujusmodi citra montes infra quatuor, ultra montes verò infra octo menses, à præsentis decreti publicatione inchoandos, suâ sponte ad suam quisque religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum aut infligendarum remissionem atque impunitatem assequantur; ita tamen ut debeant à superiore absolutionem humiliter petere, et coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab hujusmodi pœnis absolvere, et paternâ charitate complecti.

Ad hæc, ut in posterum è religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis, verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hâc in parte statutis et constitutionibus cujusque religionis et ordinis, etiam à Sede Apostolicâ approbatis et confirmatis: verùm etiam unius anni spatio in jejunio et pœnitentiâ probetur in carceribus, proindeque unaquæque religio privatos habeat carceres in quâlibet saltem provinciâ. Elapso autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in suâ pervicaciâ perseveraverit, ne contagione pestiferâ plurimos perdat, tanquàm pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet generali tantùm, de consilio et assensu sex patrum ex gravioribus religionis eligendis in singulis capitulis, vel congregationibus generalibus; tumque non nisi instructo secundùm eorum stylum et constitutiones processu, et plenè probatis causis expulsionis ad sacrorum canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum generale capitulum, seu congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex justis et necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit à generali cum consilio et assensu sex patrum, ut supra, quos idemmet generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis decreti publicatione; servatâ tamen in reliquis formâ superiùs præscriptâ. Sic verò ejecti, quamdiù non redierint ad religionem, in habitu clericali incedant, atque ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subsint, proindeque generalis illicò expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur. Cæterùm sacra congregatio religionum superiores seriò admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut, memores paternæ charitatis et mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant ut lucrentur animas fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequàm gravissimum atque extremum exxxsionis remedium experiantur; idque eò magis quòa subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium et sui officii immemorum prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus in supremo Dei judicio de eorumdem prælatorum manibus sit requisiturus.

Prætereà statuit ut iidem superiores nemini ex religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, et jubentes aliam ingredi religionem.

Item, ut ejecti, extra religionem degentes, sint perpetuò suspensi ab exercitio ordinum, sublatâ ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac vostremò censuit esse innovandam, et suæ Beatitudinis auctoritate innovat constitutionem fel. rec. Gregorii noni relatam in cap. fin. extra. de Regul., ac præterea declarat eam constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum, servandamque esse, qui justè definitivèque ac juris ordine servato expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis sacra congregatio seriò oneravit.

Ne qua verò difficultas in supra scriptis decretis et ordinationibus exequendis suboriatur, sacra congregatio, sanctissimo Domino nostro annuente atque approbante, universis generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, præsidentibus, abbatibus, prioribus, præpositis, guardianis, vicariis, et quibuscumque aliis superioribus quorumcumque ordinum, vel congregationum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum, ac locorum regularium ubique locorum existentium, injungit seriòque mandat ut illa diligenter observent atque observari procurent in omnibus cœnobiis, ac monasteriis, collegiis, ac domibus quorumcumque monachorum ac regularium ubique locorum existentibus, efficiantque ut tam decreta supra dicta fel. rec. Clementis VIII, quàm præsentes ordinationes in singulis ejusmodi locis bis saltem in anno legantur in publicâ mensâ.

Si quis verò ipsorum adversùs ea quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum quæ tunc obtinebit, vocisque et activæ, et passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem superioribus, etiam generalibus, et protectoribus illam moderandi, seu relaxandi, potestate penitùs interdictâ; et nihilominùs sit irritum et inane quidquid secùs à quoquam actum extiterit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, in favorem quarumcumque personarum, atque ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, congregationum, monasteriorum, conventuum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore Juris clausis, aut ex causâ, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu bullâ aureâ, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibus vis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus, quo ad ea quæ supra dictis quomodolibet adversantur, illis aliâ in suo robore permansuris, specialiter et expressè, Sanctitatis suæ auctoritate, derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ, die 21 septembris 1624.

C. Card. de Torres.

Locus † sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secr.

Ad quorum quidem decretorum præscriptum, casu eveniente hujusmodi ejectionis, servatis servandis, fertur super hâc re superiorum sententia, per quam dicitur et pronuntiatur talem N. fore et esse ejiciendum à religione N., necnon exuendum vestibus et habitu dictæ religionis, cum declarando suspensum ab executione suorum ordinum, reservatâ tamen facultate dictam suspensionem relaxandi, ac cum eodem ejecto dispensandi, summo Pontifici, seu eminentissimis cardinalibus sac. congreg., episcop. et regularium; ita quòd ipse ejectus, à die suæ ejectionis, et in posterum remaneat subditus ordinariis locorum.

Verùm, licèt pro servandâ formâ decreti hujusmodi ejectionis, requiratur quòd ejiciendus unius anni spatio in jejunio et pœnitentiâ probetur in carceribus, consuevit nihilominùs summus Pontifex super hujusmodi jejunio et carceribus prævios, etiam litteris in formâ brevis, dispensare, quatenùs legitimæ causæ ad id afferantur, per quas ipse Papa inducatur ad sic dispensandum.

Cæterùm autem, ubi ad præmissa minimè dispensatum fuerit, ac proinde ejectionis sententia, servatâ ad unguem formâ prædictorum decretorum, feratur, formabitur ea tenoris sequentis, videlicet :

Christi nomine invocato, nos N. præpositus generalis talis religionis, cum consilio et assensu infra scriptorum sex patrum in ultimo nostro capitulo generali ad hoc electorum, videlicet A. B. C. D. E. F.; visis et consideratis omnibus et singulis quæ continentur in processu formato coram nobis super incorrigibilitate D. N. nostræ religionis professi, qui in seculo vocabatur B. talis diœcesis; consideratâque ejus pervicaciâ et verâ incorrigibilitate; et cùm etiam unius anni spatio in jejunio et pœnitentiâ eum probaverimus in carceribus ad præscriptum decreti sacræ congregationis de regularibus apostatis et ejectis; et cùm adhuc animo indurato in suâ pervicaciâ perseveret, ne contagione pestiferâ plurimos perdat, tanquàm pecus morbida, ac membrum putridum; Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium prodeat, et oculi nostri videant æquitatem, per hanc nostram definitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus.

Christi nomine repetito, sententiamus, declaramus, pronuntiamus, atque definimus, dictum D. N. esse verum incorrigibilem, et uti talem à nostrâ religione esse ejiciendum, ideòque illum per hanc nostram definitivam sententiam à nostrâ religione ejicimus, et ejectum esse declaramus; admonentes eumdem nullatenùs liberum à votis inter nos emissis remanere; et extra religionem degentem, esse perpetuò suspensum ab executione ordinum; esseque subditum ordinario loci; cui est interdicta facultas relaxandi aut moderandi dictam suspensionem per decretum sacræ congregationis super hoc habitum die 21 septembris 1624. Et quamdiù in religionem non redierit, in habitu clericali incedat; et habitu nostræ religionis nullo modo et tempore utatur, sub pœnâ falsi, et aliis latis contra eos qui mentitè habitum alicujus religionis assumunt; injungentes eidem ut quàm primùm diœcesano suo se præsentet, ejusque jurisdictioni et obedientiæ subjaceat, ut in dicto decreto sac. congr. mandatur.

Lecta, et lata, et publicata fuit hæc sententia sedentibus pro tribunali, in tali loco, die 18 mensis februarii 1638, præsentibus N. et N., testibus ad hoc vocatis.

D. N. Præpositus Generalis.

Et subscribatur à singulis sex patribus; dicatque unusquisque :

Ego D. B. ad hoc deputatus à capitulo generali, consilium et assensum præbui.

D. A. Actuarius.

Quam quidem formulam ad verbum transumpsi ex *praxi crim. cam., admod. R. P. D. Marcelli Me-*

galii Squillacensis clerici regularis, viri quidem doctrinâ insignis summâque laude digni, c. 21, n. 9; qui ibi pro hâc praxi subdit quòd, lectâ et publicatâ sententiâ, statim detur illius copia illi incorrigibili, qui exuatur habitu regulari, et indutus habitu clerici secularis, ejiciatur de facto, et expulsionis sententia notificetur ordinario. Cujus quidem sententiæ vigore, neque religio potest compellere ejectum ad redeundum, neque ejectus pœnitens, religionem ad illum recipiendum, cùm jam utriusque obligatio, scilicet religionis et ejecti, sit soluta : id. Mojal., loc. cit., num. 10, circa med.

Postmodùm verò, per eumdem ejectum cupientem in suis ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, qui tenùs ad presbyteratûs ordinem promotus existat, habetur recursus ad sacram congregationem regularium, sive ejusdem concilii, pro suspensionis hujusmodi relaxatione impetrandâ; et quandoque recurritur ad Papam, à quo ejectus, qui non satisfecit decreto *præd.* § *Ad hæc*, consuevit ex gratiâ obtinere dispensationem, etiam integri anni supra dicti circa jejunium et carceres, si aliquis favor, vel saltem legitima causa intercesserit; cujus congregationis eminentissimi patres ipsius oratoris ejecti ordinario eamdem mandant relaxationem, quatenùs idem orator sufficienti patrimonii titulo ad ordines munitus existat; totum tamen negotium ejusdem ordinarii arbitrio remittentes; cùm enim sic ejectus remaneat suspensus ab executione susceptorum ordinum ex supra dicto decreto congreg. concilii, ac subsequenter ex sententiâ ejectionis non poterit susceptos ordines sacros exercere, nisi constituto sibi sufficienti titulo patrimonii, quandoquidem non potest redire ad bona quibus jam ante suam professionem renuntiavit; nam cùm fuerit à religione ejectus tanquàm incorrigibilis, nequit ex suo delicto consequi utilitatem, ut possit venire contra dictam renuntiationem; necnon, quia adhuc remanet votum paupertatis. Cardin., in Clem. 1, § *Quia verò*, q. 1, de Stat. monach.; Navar., com. 2, de Reg., sub. n. 33, vers. *Sed est dubium.*; Less., de Justitiâ et Jure, lib. 2, c. 41; Azor., Instit. moral., lib. 12, cap. 16, q. 4; et fuit dictum in unâ Romanâ fideicommiss., quæ est dec. 109, n. 4 et 5, inter recent, p. 5; Addit. ad Burat. decis. 756, numer. fin.

Quoniam verò usu venire consuevit hujusmodi ejectionis sententiam diversimodè concipi, aliam consimilem hìc subnectere visum est, tenoris sequentis, videlicet :

Frater Nicolaus Rodulfius, sacræ theologiæ professor, et totius ordinis Prædicatorum generalis magister. Cùm frater N. professus congregat. S. Mariæ Sanitatis nostri ordinis, de diversis criminibus inquisitus ac processatus pluries fuerit, et in carcere, ubi assignatus ei fuerit annus ad probationem suæ incorrigibilitatis, juxta tenorem decretorum à sacrâ congr. concilii Trident. emanatorum de apostatis et ejectis, ubique per septem menses fuit commoratus; quo effracto, uti apostata, militari habitu indutus, suæ professionis oblitus, securi se militiæ addixit; volentes cum eo misericorditer agere, conati sumus ad sinum religionis eum reducere, atque è communi loco militum, arsenali nuncupato, extrahi fecimus, et ad carceres nostri conventûs ejusdem S. Mariæ Sanitatis iterùm detrudi, ubi de ejus emendatione periculum fieri posset; et missis ad eum gravioribus patribus qui benignè et misericorditer eum ad emendationem ac suorum agnitionem errorum inducerent; quinimò, etiam coram nobis sisti jussimus, ut paternis affectibus ad sui ipsius resipiscentiam flecteremus; nullisque visis emendationis indiciis, imò potiùs desperationis, cùm per aliquot dies voluntariam sibi inediam adjudicâsset, tandem iterùm, carcere effracto, ubi per quinque alios menses perstitit sine ullâ emendationis spe, fugam arripuit, volentes, inquam, ad causæ terminationem venire, habito super ejus causâ maturo discretorum ac graviorum patrum consilio in camerâ nostræ solitæ residentiæ, quam pro sede et loco judicii elegimus, Deum et justitiam præ oculis habentes, Christi nomine invocato, visis videndis, consideratisque considerandis, ac præhabitis de jure præhabendis, te præfatum fratrem N. absentem, tanquàm præsentem, expellimus, privamus habitu nostræ religionis, ac ejicimus ab ordine nostro, ubi nullum emendationis signum ostendisti; et sic privatum, expulsum et ejectum decernimus, et declaramus, uti incorrigibilem per hanc nostram sententiam definitivam, ne morbida facta pecus, totum nostrum corrumpat ovile, non solùm isto, sed omni alio meliore modo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti. Amen. In quorum fidem, etc. *Dat.*, etc., *in nostro conventu. N. Die*, etc. *Anno*, etc. *Frater Nicolaus magister ordinis; et subscribitur à singulis sex patribus, ut in priori formulâ.*

Frater Ignatius Ciantes, magister provincialis Angliæ, et socius.

Locus † sigilli.

Lecta fuit retroscripta sententia in publico refectorio conventûs S. Mariæ Sanitatis, die 20 *maii* 1639, *per me fratrem Dominicum Crescentium de Neapoli lectorem et socium Adm. R. P. vicarii generalis congregationis Sanitatis. In quorum fidem*, etc. *Præsentibus*, etc.

Quo verò ad observantiam formæ in decretis supra dictæ congregationis præscriptæ in § *Ad hæc*, veluti, quòd, inter cætera, ille dicatur incorrigibilis qui etiam unius anni spatio in jejunio et pœnitentiâ probetur in carceribus, etc., cum adjectione decreti irritantis quod inducit formam; Bald., in l. 1, verbo *Quæro ergo*, ff. de Lib. et Posth.; Bart., in l. de Iis, c. de Transact.; Jas., in l. 1, ff. de Lib. et *Posth.*; et propterea supra dicta forma ad unguem est servanda; Dec., cons. 90, n. 6, et cons. 262, n. 4, et non potest relaxari nisi per ipsum Papam; c. *Cùm inferior de major. et obed.*; Rot., decis. 72, sub n. 5, p. 1, recent. Lotter., de Re benef., l. 2, q. 15, n. 88, qui, proindè rigorem juris mansuedine temperans, exposito sibi quòd orator fuerit etiam per novem etiam circiter menses detentus in carceribus curiæ archiepiscopalis Neapolitanæ, ipsi oratori indulget, prout patet ex tenore sequentium litterarum, videlicet:

A tergo : *Dilecto filio nostro in almâ Urbe vicario in spirituali generali.* Intùs verò :

Urbanus Papa VIII. *Dilecte fili, salutem*, etc. *Nuper pro parte dilecti filii Thomæ à Sancto Dominico, clerici regularis presbyteri congregationis Pauperum Matris Dei, scholarum piarum nuncupatæ Neapolitan., nobis expositum fuit quòd cùm ipse aliàs pluries è dictâ congreg. absque suorum superiorum licentiâ exivisset, illorum jussu, in almâ Urbe nostrâ, primùm de anno 1638 et 1639, et novissimè de anno 1640, in civitate Neapolitan. carceribus dictæ congreg. mancipatus, et inde ad carceres curiæ archiepiscopalis Neapolitan. translatus, et in illis infeliciter spatio novem circiter mensium detentus fuit, infra quod tempus, formato contra ipsum Thomam, uti incorrigibilem, processu, postmodùm idem Thomas ad carceres sui conventûs reductus à dilectis filiis præposito generali dictæ congreg. illique assistentibus, carcere ad annum in pane doloris et aquâ tristitiæ, aliisque pœnitentiis damnatus fuit; cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Thomas ex variis, quas præmissorum occasione passus est, ærumnis graviter laboret, ad complendum annui carceris hujusmodi tempus sit inhabilis, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur eumdem Thomam à quibusvis*, etc., *censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; circumspectioni tuæ, per præsentes injungimus quatenùs, constito tibi de præmissis, eidem Thomæ, quòd tempus novem mensium, quibus in carceribus dictæ curiæ archiepiscopalis detentus fuit, ante prædictorum præpositi generalis et assistentium hujusmodi condemnationem, illi in præfato anno carceris hujusmodi computari et numerari possit et debeat, auctoritate nostrâ Apostolicâ arbitrio tuo concedas et indulgeas, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quatenùs opus sit, dictæ congregationis etiam juramento*, etc., *cæterisque*, etc. *Dat. Romæ apud S. M. M. sub annulo Piscatoris, die 30 julii 1641 pontificatûs nostri anno decimo octavo.*

Ipsis regularibus licitè ut plurimùm, et absque aliquâ apostasiæ notâ, jura permittunt à religione exire, habitumque regularem dimittere; quod profectò ad concilii Tridentini præscriptum sæpenumerò contingere consuevit, cùm nimirùm ibi caveatur quòd quicumque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quâcumque de causâ, aut etiam cum habitu discedere sine licentiâ superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, et tunc non aliter nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit, nullatenùs ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquàm apostata puniatur, etc., ut in sess. 25, cap. 19, de Regular.

Pari modo, cùm quis professus religionem, ob non servatam formam constitutionum summorum pontificum, nulliter professionem ipsam emisit; constitutione etenim fel. record. Sixti V, statutum est circa qualitatem recipiendorum ad religionem et statum regularium, præsertim contra illegitimos, legitimatos, criminosos, reddendisque rationibus obnoxios, ad religionem aliquam transire volentes, ut in § *Volentes*, ubi districtè prohibetur ne illegitimi procreati ex incestu, aut ex sacrilegio, quorum scilicet parentes consanguinitate, vel affinitate, intra tertium gradum invicem conjuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo voverit, etiam apostolicâ, imperiali, vel regiâ, aut quâvis aliâ auctoritate legitimati, aut natalibus restituti, ad aliquam quorumcumque ordinum etiam Mendicantium, et non Mendicantium, fratrum, monachorum, eremitarum, vel canonicorum, aut clericorum regularium, congregationum, aut hospitalium religionem, neque ad habitum, nec professionem, regulares recipi vel admitti quoquo modo possint. Quòd si eorum quispiam habitum, post publicationem ejusdem constitutionis, in futurum receperit, vel professionem emiserit, irritam, nullam, invalidam, nulliusque roboris, vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex hujusmodi voto penitùs annullato, obligationis vinculo oriri posse; quinimò illos habitu regulari ad quem reassumendum perpetuò inhabiles sint, quamprimùm exui, et ab ipsâ religione ejici, exterminarique debere, ut in dictâ constitutione, quæ incipit : *Cùm de omnibus*, sub dat. Romæ, sexto kal. decembris 1578.

Necnon decretum similis recordationis Clementis VIII, de novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis, nisi in conventibus designatis, quod incipit : *Regularis disciplinæ sub dat. Rom., die 12 martii* 1596, per aliud ejusdem Clementis decretum, quod incipit : *Sanctissimus in Christo pater*, renovatum sub dat. Romæ apud S. Marcum, die 22 mensis junii 1599, in quo præcipit omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, magistris cæterisque superioribus conventuum intra Italiæ et insularum adjacentium fines existentium quibuscumque et quorumcumque ordinum Mendicantium, ut de cætero neminem, sub quovis prætextu, aut colore, ad habitum regularem admittant, nisi in conventibus suâ auctoritate in unaquâque provinciâ designandis; volens propterea receptiones et professiones quaslibet eorum qui contra hujusmodi decretum admissi fuerint, nullas et irritas esse ad quemcumque effectum.

Ac etiam cùm quis per vim et metum fuerit ingressus religionem, ut ex eod. conc., d. cap. 19, illum, inquam, metum qui cadere poterat in constantem virum; et cùm ista sit una ex frequentioribus causis, ex quibus datur rescriptum, ut notum est omnibus curialibus, ac ut plurimùm ob defectum probationum hujusmodi causæ illud frustratorium redditur, videndum erit priùs quando vis et metus prædicti dicantur cadere in constantem virum, adeò ut sit causa sufficiens ad irritandam professionem, et quomodò probetur.

Probari autem talis metus dicitur, non modò stantibus protestationibus ingredientis religionem, sæpè iteratis, quæ in hoc maximè conferunt, juxta doctr.

Angel., in l. *Metum*, l. 5, ff. *Quod med. caus.*; Dec., in cap. fin., sub num. 21, vers. *Benè verum est*, de Appel.; Rip., in c. *Cùm M. Ferrarien*, sub n. 93, vers. *Protestatio enim*, de Constit.; Natt., cons. 50, n. 18, et, concurrentibus conjecturis et indiciis, eum plenè probant. Bald., in c. *Quæ causa*, n. 4, in fin. *de His quæ vi, met. caus. fi.*; sed etiam consideratâ qualitate personæ, tam incutientis, quàm patientis metum, Calderin., cons. 1, eod. tit., maximè si metum incutientes erant potentes, severi, irati et minantes, solitique minas exequi contra oppugnantes eorum voluntatem; et licèt dicant nonnulli quòd metus reverentialis non sufficit probari in genere, sed probandus sit in specie, satis nihilominùs probari dicitur, quando cum eo concurrunt alia metûs indicia et adminicula; Bald., in l. *Si cogente*, ff. de Rit. nup.; Rot., in unâ Valentin. *professionis*, 12 aprilis 1570, coram cardinale Lancellotto; nec ad id requiruntur minæ mortis, aut corporis cruciatus, cùm sufficiat metus cadens in constantem virum, c. *Consultationi*, de Spons.; et in dubio, ut dignoscatur qualis debeat esse metus cadens in constantem virum, relinquitur arbitrio judicis, et ista est communis omnium DD. sententia, et probatur ex l. 3, ff. *Ex quib. caus. major.*, per hæc verba: *Sed non sufficit quolibet terrore adductum timuisse, sed hujus rei disquisitio, judicis est;* hoc quidem optimâ ratione, quando quidem non omnes casus ex quibus similis metus infertur, possunt numerari; Glos., in cap. *Cùm dilectus*, verbo *Metum*, de *His quæ vi;* Archid., in c. *Un. eod. tit.*, lib. 6, num. 4, et ibi Franc., n. 9, ubi ait quòd in omni casu judicis arbitrio relinquitur quis dicatur justus metus; Bald., in l. *Interpositas*, num. 3, cod. de Transact.; Silvest., verbo *Metus*, quæst. 1; Covar., 4 decret., 2 par., cap. 3, num. 3 et 4; Nav., in Sum., cap. 22, num. 51, vers. *Secundum;* et dixit Bald., d. cons. 1, in princip. hoc. tit., metum justum judicari ex circumstantiis, non modò cruciatum corporis continentibus, verùm etiam, quæ continent verba comminatoria, maximè mortis; Ale., cons. 156, num. 20, lib. 5; attamen ait Felin., in capit. *Causam matrimonii*, sub num. 4, vers. *Quòd talis reverentia*, de Off. de leg., quòd reverentia cum terribilitate personæ sufficit pro justo metu, et optimè tradit Alber., in Rubr., ff. *Ex quib. caus. major.*, n. 1, quòd timor justus ex affectu metuentis dignoscitur, ac justa metûs suspicio sufficit pro metu; Bald., in l. fin., num. 7, c. de Jur. delib.

Hoc quidem quoad metum viro incussum. Sed cùm sæpè contingat etiam moniales nulliter professas adhuc per vim et metum petere commissiones hujusmodi nullitatis, propterea dicendum est minorem metum requiri in muliere, quàm in masculo juxta Glos. communiter receptam, et practicatam in c. *Cùm olim*, in verbo *Metus*, de Spons., quando quidem faciliùs in fragiliori sexu metus toleratur et præsumitur; Aret., cons. 24, num. 7, et in debiliori personâ minor metus sufficit; Imol., in cap. *Cùm dilectus*, num. 8, *de His quæ vi, met.;* unde dixit Butr., in d. cap. *Consultationi*, in 4, notab., et Abb., num. 4, de Spons., non esse verum quòd in muliere requiratur metus qui cadere potest in constantem virum, cùm ille sufficiat, qui cadit in constantem mulierem; Boer., decis. 100, num. 2, in fin., ubi ait quòd licèt metus debeat esse talis, qui cadit in constantem virum, Glos., in d. cap. *Cùm dilectus*, tamen magis excusat mulierem quàm virum, quia non tantus requiritur sicut in viro, ut not. Glos. in cap. *Cùm locum de spons.;* si enim aliter esset dicendum, nimirùm, quòd tam in feminâ quàm in viro requireretur metus cadens in constantem virum, parum operaretur regula illa, quòd metus probatur inspectâ qualitate personæ, prout dixit Bald. in cap. *Super eo*, de Testib., ut per Ludovis. decis. 384, per tot.; et cùm metus sit difficilis probationis, ut per Manoch., de Arbitr. jud., casu 116, n. 17, et dixit Rota in unâ Nicien. *Matrimonii*, 6 martii 1587, coram card. Seraphino; tam ex parte illum patientis, cùm in ejus animo sit reconditus, unde dicitur metus, tanquàm mentem terrens, Butr. in c. *ad Audientiam*, num. 14, de *His quæ met.*, quàm ex parte inferentis, cùm secretò et clam inferatur, præsertim quando filiæ à patre infertur, secum habitanti; Corn., cons. 124, num. 4, lib. 3, maximè quando pater est multùm terribilis, asper, et severus; quæ quidem qualitas in personâ cui debetur reverentia, est multùm considerabilis, prout eam magni fecit Rota, in unâ Neapolitana, *Professionis*, 15 junii 1598, coram Gypsio; propterea leviores in eo probationes sufficiunt, et plus creditur duobus testibus de hujusmodi metu et violentiâ deponentibus, quàm mille de spontaneâ voluntate, ut voluit Innoc., in cap. *Super hoc*, de Renunt.; Bald., in l. *Observare*, § *Proficisci*, quæst. 13, ff. de Off. procons.; Boer., d. decis. 100, num. 3; sufficiunt etiam testes domestici, et aliàs inhabiles; id. Ludovis., decis. 326, n. 5.

Ut autem hoc decretum in praxim deducamus, ex eo satis patet quòd, elapso supra dicto quinquennio, non potest, qui per vim et metum ingressus est religionem, reclamare, etiamsi toto quinquennio eadem causa metûs duraverit, ut censuit S. congreg. cardinalium supradicti conc. interpretum, die 21 aug. 1572, et die 10 decemb. ejusdem anni; quando quidem idem concilium, quasi præscriptione quâdam, voluit ut post quinquennium non audiatur; ac proinde utatur illâ dictione, *tantùm*, quæ de suî naturâ excludit aliud tempus; l. 2, c. *de Præter. qui fil. distrux.;* Paris., de Resign. benef., lib. 13, q. 5, n. 46 et 47.

Quinimò, licèt antea de stylo introductum videretur, ut etiam infra quinquennium pro hujusmodi irritandâ professione, ad Romanam Curiam ejusque signaturam recurreretur, per quam ejusdem nullitatis declaratio committi consueverat, eo item modo quo ab ipso concilio statutum est, nimirùm, ordinario loci et superiori domûs, cum clausulâ: *Dummodo quinquennium lapsum non sit*, ac indubitanter adhuc etiam potuisse eosdem superiores, absque speciali rescripto, intra dictum tempus super hujusmodi nullitate pronuntiare; ex quo contrarium colligi non potest, ex contextu prædicti concilii, attamen hodie omnis prer-

sùs difficultas sublata est, cum sacr. congreg. concilii, tam super hoc, quàm aliis capitibus, circa hujusmodi professionem, quid de cætero observandum sit, statuerit; dùm præcipit quòd etiam infra quinquennium requiratur specialis summi Pontificis commissio; cujus quidem decreti tenorem, cùm etiam quoad alios casus satis inconcussè servetur, hìc annectere visum est, eo quo sequitur modo, videlicet :

DECRETUM

Sacræ congregationis concilii, de novitiis receptis et professis contra formam decretorum.

Sanc.issimus dominus noster Urbanus, divinà Providentiâ, Papa octavus,

Ad occurrendum motibus qui possent in religionibus oriri, occasione receptionis novitiorum, et professionis per eos emissæ, in conventibus non designatis, contra formam decretorum sanct. mem. Clementis VIII, de novitiis ad habitum regularem et professionem non admittendis, nisi in conventibus designatis, auditâ super hoc sententiâ S. congregationis concilii, declaravit ac decrevit hujusmodi receptos et professos contra formam dictorum decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis et professionis, non posse super hujusmodi nullitate post lapsum quinquennii quoquo modo audiri.

Quòd si aliqui contra formam præfatorum decretorum recepti et professi è religione infra quinquennium exire, vel superiores extra eam respectivè illos ejicere voluerint, eadem Sanctitas sua decrevit ut tam ipsi professi quàm superiores respectivè teneantur jura, quæ sibi favere visa fuerint, priùs deducere coram eâdem sacrâ congregatione; quæ ex speciali etiam suæ Sanctitatis facultate super hoc concessâ providebit. Inhibendo propterea primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus et prælatis inferioribus, jurisdictionem exercentibus, ac quibuscumque judicibus ordinariis et delegatis, etiam causarum palatii apostolici auditoribus, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, etiam de latere legatis, Sedisque Apostolicæ nuntiis, ne in posterum in hoc quoquo modo se ingerant absque speciali ejusdem Sanctitatis commissione, sub pœnâ ipso facto incurrendâ, quoad episcopos, archiepiscopos, patriarchas, et primates, interdicti ab ingressu Ecclesiæ; quoad abbates, primates, interdicti ab ingressu Ecclesiæ; quoad abbates, prælatos inferiores, ac alios judices prædictos, excommunicationis latæ sententiæ; quo verò ad nuntios et ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, etiam de latere legatos, indignationis suæ Sanctitatis; et pœnarum arbitrio ejusdem imponendarum.

Si verò iidem, ut supra recepti et professi juribus suis minimè deductis coram sacrâ congregatione concilii, et sine illius expressâ licentiâ è religione exire, vel superiores religionis eos ejicere ausi fuerint, ipsi recepti et professi, tanquàm apostatæ puniantur, et pro talibus habeantur; necnon contra eosdem juxta formam decreti de regularibus apostatis et ejectis ejusdem Sanctitatis suæ jussu ab eâdem sacrâ congregatione sub die XXI septembris MDCXXXIV editi procedatur, et superiores qui ejecerint, pœnam suspensionis à divinis, necnon privationis omnium officiorum quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, vocisque activæ et passivæ ipso facto absque aliâ declaratione incurrant. Dat. Romæ, die V januarii MDCXXVI.

F. Care Verospius.

Franciscus Paulutius S. C. C. secret.

Locus † sigilli.

Quod quidem decretum comprehendit regulares etiam ordinum militarium propter illam distinctionem, *quicumque*, quæ est apta comprehendere omnes ordines etiam militares, et facit venire majora expressis; Felin., in c. *de Quartâ*, n. 15, de Præscript.; Cæs., de Grass., decis. 1, n. 5 et 6; Gonz., ad reg. 8 cancell., gl. 8, n. 61, ubi ait, n. 62, sic fuisse declaratum per sacr. congreg., et præsertim comprehendit milites S. Joan. Hierosolymitani, Barbos., in collect. concil. d. cap. 19.

Et habet locum etiam in monialibus, propter identitatem rationis, ut ex eodem concil., d. sess. 25, c. 5, colligitur, necnon quia masculinum concipit femininum, Glos. in cap. *Si quis suadente*, 17, q. 4; Abb., in cap. 2, n. 3, in fin., de Stat. monach.

Est tamen hìc in praxi advertendum non desse qui dicant non reclamantem intra quinquennium, veluti quia fuit impeditus, vel quia ignoravit justâ ignorantiâ suam professionem esse nullam ob defectum ætatis, non posse reclamare etiam post quinquennium; hoc tamen est contra notorium stylum Curiæ, ad quam pro opportuno remedio recurritur post dictum quinquennium, et datur restitutio adversùs illius lapsum, ac testatur Barbos., in collect, ad lo. concil., d. sess. 25, c. 29, n. 10 : quòd hodiè, ut quis possit audiri post quinquennium, adit sacram congregationem concil. Trid., seu alteram regularium negotiis præpositam, quæ, priùs cognitis saltem summariè nullitatibus deducendis, et justo impedimento non reclamandi intra quinquennium, restitutionem illius concedere solet. Et idem ait n. 11, quod in unâ Colimbrien., 27 aprilis 1630, sacra congregat. concil., eod. Barbos. informante, concessit restitutionem in integrum adversùs lapsum quinquennii puellæ Colimbrien., prætendenti per vim et metum parentum ingressam monasterium, et professionem emisisse, de quo reclamavit intra quinquennium apud consanguineos et alios examinatos, et mortuis parentibus post quinquennium apud collectorem Portugaliæ, et quòd professio fuerit facta in 14 ætatis anno.

Verum est tamen quòd sive petantur simplices commissiones hujusmodi nullitatis professionis, sive per viam restitutionis in integrum, concedantur frequentiùs per signaturam summi Pontificis, præsertim dictæ restitutionis, ad hoc, ut censeatur eidem concilio derogatum; quod licèt non requirat expressam derogationem, sicut cæteræ constitutiones conciliares, per ea quæ aliàs diximus, nihilominùs requiritur quòd supplicatio fuerit signata manu summi Pontificis; ac propterea, formulam supplicationis pro hujusmodi commissione et restitutione secundùm currentem stylum hìc apponere visum est, eo quo sequitur modo, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Joannis Pelliani, aliàs in seculo, Romualdi Pinontis, presbyteri Neapolitan., quòd ipse aliàs genitoris sui in eum sævientis metu perterritus, per vim et metum hujusmodi qui cadere poterant in constantem virum, habitu fratrum gloriosissimæ semper Virginis Mariæ de monte Carmelo suscepto, professionem, per eosdem fratres emitti consuetam, in manibus tunc existentis prioris domûs N. Neapolitan. diœcesis expressè emisit regularem. Cùm autem, Pater sancte, professio, ut præfertur emissa, nulla sit et invalida, nullam inducat obligationem, et decennium à die emissæ professionis hujusmodi lapsum non sit, ac propterea dictus orator cupiat illam talem viâ juris declarari facere, et, ad hunc effectum, adversùs lapsum quinquennii per decreta concilii Tridentini regularibus ad reclamandum præfixi, restitui; supplicat igitur humiliter E. S. V. dictus orator quatenùs ordinario loci, seu ejus vicario in spiritualibus generali, et superiori dictæ domûs, conjunctim, quatenùs vocatis qui fuerint evocandi, eumdem oratorem, indictâ domo cum habitu suo regulari, sub obedientiâ suorum superiorum existentem, adversùs lapsum quinquennii hujusmodi, prout de jure, auctoritate S. V. restituant, et in prætensis juribus suis audiant; et constito sibi legitimè de præmissis, professionem ipsam nullam et invalidam, minimèque obligatoriam existere, dictumque oratorem dictæ religionis adstrictum non esse, sed habitu regulari hujusmodi dimisso, ad seculum redire, ac in paternis et maternis, vel aliàs quomodocumque sibi et qualitercumque obvenientibus bonis succedere; necnon in susceptis ordinibus remanere, ac in eis etiam in altaris ministerio ministrare; necnon quæcumque et qualiacumque cum curâ et sine curâ, ac aliàs quomodolibet qualificata, et per clericos seculares obtineri solita, beneficia ecclesiastica sibi canonicè conferenda recipere; et dummodò simul plura non sint, quàm quæ à concilio Tridentino permittuntur, et aliud ei canonicum non obsistat, retinere liberè et licitè posse declarent, aliaque faciant, prout de jure fuerit declarandum ac faciendum cum potestate citandi, etc. *Contradictores*, etc., *invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, aliisque facultatibus*, etc., *committere et mandare dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.*

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de commissione, mandato, aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis, et quòd præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris per breve S. V. seu officium contradictarum expediendis;* et additur : *Et committatur ordinario et superiori dictæ domûs, qui conjunctim procedant. Et prout de jure, et quòd orator non audiatur, nisi in habitu et tonsurâ regularibus, et dummodò professionem hujusmodi tacitè vel expressè non ratificaverit, et decem anni à die emissæ professionis lapsi non sint. Et cum decreto, quòd si restitutionem et declarationem hujusmodi fieri contingat, dictus orator ab executione suorum ordinum suspensus remaneat, donec sufficientem patrimonii, vel beneficii ecclesiastici titulum habuerit.*

Fiat M.

Et sic ista declaratio ad præscriptum S. concilii committitur semper ordinario loci et superiori domûs in quâ emissa est professio, qui conjunctim procedant; idemque servatur ubi locus monasterii fuerit nullius diœcesis, quia tunc committitur superiori præd. et ordinario viciniori. Et cùm aliàs commissio esset facta præd. superiori tantùm, qui solus pronuntiavit super nullitate professionis, ipsumque oratorem dimisit, et cùm postmodùm ex hâc causâ dubitâsset de validitate prædictæ declarationis, denuò habuit recursum ad Papam, à quo obtinuit causam ejusdem nullitatis committi præd. superiori, necnon episcopo tanquàm viciniori suprad. loco, qui conjunctim procedentes declarârunt nullitatem supradictæ professionis; concilium etenim, sess. 25, c. 19, de Regul., expressè dicit quòd quicumque regularis prætendens dictam nullitatem professionis non audiatur, nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario; quare non poterit supradictus superior procedere contra formam hîc traditam per dictum concilium, et jam praxis satis docet quòd in his et similibus aliis casibus, quando asseritur locum esse nullius diœcesis, tunc petitur committi ordinario viciniori; nec videtur quòd possit dari casus quo ubi duo conjunctim procedere tenentur, procedat unus tantùm illorum, nisi fortè aliud fuit dictum in commissione; nec etiam videtur admittendum quod ait Barbos., de Pot. epis., alleg. 104, n. 11, nempe quòd si ordinarius simul sit superior, veluti si episcopatui sit unitum monasterium, solus ordinarius potest de hâc nullitate cognoscere; nam concilium, dum utrumque conjungit, præsupponit utrumque adesse.

Hoc enim non videtur posse subsistere; namque de intentione concilii satis apparet quòd in re tam gravi non fuit confisus de unâ personâ tantùm, sed de duabus, nempe ordinario et superiore regulari; et Papa, qui rescribit secundùm concilium in litteris commissionis, dicit : *Mandamus*, etc., *quatenùs vos conjunctim procedentibus*, etc.; et contemplatus est duas personas, non unam tantùm, ut est casus in unâ Nucerinâ paganorum, quæ est decis. 204, per tot., p. 5, recent.; ubi commissâ cognitione evidentis utilitatis Ecclesiæ archidiacono et vicario, cùm ipse archidiaconus esset etiam vicarius, et litteras nihilominùs executioni demandâsset, fuit dictum de nullitate prædictæ executionis; sic ego in hoc casu.

Ex supra dictâ verò formulâ, hæc quæ sequuntur adnotanda duximus, ut clariùs dignoscatur quid requiratur ad hujus rescripti executionem, postquàm litteræ fuerint super dictâ supplicatione confectæ. Et primò, ista commissio nunquàm fieri consuevit, nisi ordinario et superiori domûs ad præscriptum supra dicti concilii, ibi : *Nisi causas quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo et ordinario.* Quapropter,

quicumque regularis tenetur probare conjunctim coram proprio superiore regulari illius monasterii, in quo professionem emisit coram ordinario illius loci ubi existit monasterium, nullitatem suæ professionis; prout decisum testatur Armendar., sub die 1 decembris 1593, quem refert Barbos. in collect. concilii, sess. 25, de Regular. et Monial., numer. 23, et de Potest. episc., alleg. 104, num. 12, tit. *Episcopus quando habeat jurisdict. in regul.*, etc. Superior autem, cui commissiones super nullitate professionis ex præscripto concilii super hoc directæ sunt, unà cum ordinario, intelligitur de superiore monasterii, non autem religionis; prout fuit decisum in unà Meten. et Roman., 7 aprilis 1629; id. Barbos., in dd. coll., num. 23, ubi num. seq. subdit fuisse aliàs resolutum causas nullitatis professionis ita proponendas esse coram superiore et ordinario copulativè, ut si superior per se solum professionem nullam declaret, religiosumque è monasterio ejiciat, illum teneatur ad monasterium revocare; ex quo, cùm decretum superioris prædicti super nullitate factum fuerit contra formam prædicti concilii, erit nullum, ut declaravit sacra congregat., de mense januarii 1618; si verò ordinarius simul sit superior, nimirùm si episcopatui est unitum monasterium, solus ordinarius potest de hujusmodi nullitate cognoscere; ex quo dùm concilium utrumque conjungit, præsupponit utrumque adesse, ut ait id. Barbos., d. alleg. 104, n. 11.

Et quia, sicut supra dictum est, idem decretum habet locum etiam in religiosis hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, hujusmodi commissiones ac restitutiones pro eisdem diriguntur ordinario et magno magistro dicti hospitalis, seu ab eo deputando, prout aliàs vidi in datariâ Apostolicâ observatum pro quodam fratre dicti hospitalis, qui habitum dimiserat, ac propterea supra dictis committebatur, ut, vocatis qui forent vocandi, conjunctim procederent, eumdemque oratorem, postquàm habitum suum regularem reassumpsisset, et in aliquo tuto loco se constituisset, vel ille idoneè cavisset, ita ut judicati executio contra ipsum fieri potuisset, adversùs lapsum quinquennii eum restituerent, ac in juribus suis audirent. Hoc autem non modò servatur quando frater dicti hospitalis professionem suam nullam declarari petens, reperitur in ipsâ civitate Meliten., in quâ residet ipse magnus magister; verùm etiam ubi orator ipse alibi habitum religionis susceperit; tunc enim committi consuevit ordinario et priori provinciæ, inter cujus fratres milites ipse orator adscriptus est, ut conjunctim procedant, etc. Et quia frequenter accidit in primâ instantiâ oratorem in causâ nullitatis suæ professionis succumbere, ac propterea ad ipsam sedem Apostolicam appellare; hoc casu, causæ hujusmodi cognitio in secundâ et tertiâ instantiâ committitur ordinario et superiori ejusdem religionis vicinioribus conjunctim, sive in primâ instantiâ, nisi aliter summo Pontifici videatur: de quâ quidem praxi testatur etiam Leo in Thes. for. Eccles., p. 2, cap. 1, num. 42, qui ita decisum refert super d. cap. 19. Quandoque etiamsi expeditio plus æquo differatur, nunc si habeatur recursus ad Papam, prout consuevit in hujusmodi casibus, dantur litteræ super novâ commissione tenoris sequentis, videlicet:

A tergo: *Venerabili fratri episcopo Minoritan., sive*, etc., *ejus vicario generali, et dilecto filio superiori domûs regularis congregationis pauperum Matris Dei, scholarum piarum nuncupatæ, introscriptæ domui regulari viciniori.* Intùs verò:

Urban., etc., *venerab. frater et dilecte fili, salutem*, etc. *Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Joan. Andreas Politus Neapolitan., seu alterius civitatis vel diœcesis, quòd, licèt ipse exponens usque de anno Domini* 1633 *obtinuerit committi causam nullitatis professionis per eum in congregatione pauperum Matris Dei scholarum piarum nuncupatorum emissæ, venerabili fratri archiepis. Neapolitan., sive ejus vicario*, etc., *et dilecto filio superiori domûs regularis d. congregationis Neapolitan. et coram eis suas probationes fecerit, metumque cadentem in constantem virum probaverit; adhuc tamen in tot annis causæ expeditionem obtinere non potuit, etsi dicti judices ter ac pluries requisiti fuissent; unde d. exponens coactus fuit ad sedem Apostol. appellare. Ideò nobis*, etc., *paternâ sollicitudine curaremus. Nos igitur unicuique justitiam, ut decet, ministrare cupientes, ac statum et merita causæ, et causarum hujusmodi præsentibus habentes*, etc., *ipsumque exponentem à quibusvis*, etc., *censentes, Discret. vestræ*, etc., *mandamus quatenùs vos conjunctim procedentes, vocatis*, etc., *causam et causas*, etc., *cum omnibus suis incedent, totoque negotio principali, constito de denegatâ justitiâ, justificato priùs gravamine, auctoritate nostrâ audiatis*, etc., *exeundi*, etc., *et exequendi plenam et liberam concedimus; non obstantibus*, etc. *Dat.*, etc., 28 *junii* 1638.

Fuit meo tempore petita similis restitutio cum commissione nullitatis professionis pro quodam religioso conjugato, professo ante ætatem, necnon per vim et metum; fueruntque litteræ pariter directæ ordinario et superiori monasterii, ut orator, etiamsi attento quòd conjugatus existebat, habitum regularem prædictum non reassumeret, postquàm tamen à muliere separatus fuisset, et in aliquo loco tuto se constituisset, ut supra audiretur, etc.

Declaratoria pro simili apostatâ conjugato fuit commissa ordinario tantùm sub hâc formulâ, videlicet: *Et committatur ordinario qui, vocato abbate, vel alio superiore d. monasterii, et aliis qui fuerint evocandi, præd. oratorem, et si ipse attento quòd conjugatus existit, habitum regularem non resumpserit, nec ad aliquem regularem redierit, postquàm tamen à prætensâ uxore separatus fuerit, et in aliquo tuto loco se constituerit, vel idoneè caverit ita ut judicati executio contra ipsum fieri possit, adversùs lapsum quinquennii à concilio Trid. præfixi restituat; ac in prætensis juribus suis audiat, ac faciat prout juxta casus hujusmodi successum et qualitatem fuerit de jure faciendum.*

Aut etiamsi professio ipsa emissa fuerit, anno probationis nondùm expleto, ex conc. Trid. decreto,

sess. 25, cap. 15, ibi : *Nec qui minori tempore quàm per annum post susceptum habitum admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel religionis, vel ordinis observationem, aut alios quoscumque effectus.* Quod tamen intelligendum, nisi orator fuerit dispensatus à summo Pontifice ad ipsam professionem emittendam, antequàm compleatur integer annus probationis, licèt rarò consueverit dispensari, nisi ex rationabili causâ, ut mox dicam; quandoquidem ideò annus præscribitur, ut novitius infra illum asperitates regulæ experiri possit, ac etiam cognoscat si propriæ complexioni, viribus et voluntati congruant, ut ait id. Barbos., de Pot. episc., alleg. 101, num. 16, et ideò Papa nunquàm, aut rarò; et tunc ex aliquâ sibi benè visâ causâ dispensare solet super defectu ipsius anni ad emittendam professionem; nisi fortè quando jam puella monasterium educationis causâ ingressa, per aliquot annos ibi permansit; cùm jam satisfactum sit menti supra dicti concilii quoad experiendas ipsas asperitates, prout non semel practicatum fuit.

Nam pluries tam pro ipsis puellis monachandis quàm viris religiosis vidimus haberi recursum ad sacr. congr. regular.; et cùm quidam regularis post 20 annos cognovisset professionis nullitatem, quia emisit illam ante completum integrè annum probationis, et supplicavit S. C. regularium ut ei concederet dispensationem emittendi denuò professionem absque repetitione alterius novitiatûs, aut supplemento partis quæ anno ejus defuerat; et S. C. concessit per hæc verba, videlicet :

Sacra congregatio card. negotiis regularium præposita, attentis narratis, benignè annuit ut prænominatus F. Antonius in manibus cujusvis superioris ordinis hujusmodi ad solemnem professionem per fratres ejusdem ordinis emitti solitam denuò privatim admitti possit; utque professio hujusmodi sic per ipsum Antonium denuò emissa eosdem prorsùs effectus habere intelligatur, et reipsà habeat tam respectu temporis, quàm respectu quorumcumque officiorum, graduum ac dignitatum ejusdem ordinis, cæterorumque actuum in præterito vel in futurum personam prædicti Antonii quomodolibet tangentium, non secùs atque si ipse à principio validè atque omnibus solemnitatibus adhibitis ad præscriptum constitutionum seu statutorum sui ordinis, necnon apost. constitutionum et decretorum, vel aliàs cujuslibet laudabilis et approbatæ consuetudinis, ad habitum ejusdem ordinis fuisset receptus; et anno probationis integrè peracto ad solemnem professionem fuisset admissus supplendo omnibus et singulis defectibus, ut supra præmissis, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Romæ, etc.

Quinimò summus Pontifex quandoque ex gratiâ speciali concedit oratori ut nonnullis mensibus in ipso anno probationis existenti eo non expleto, valeat professionem emittere sub sequenti formâ, videlicet :

A tergo : *Dilecto Basilio Maronica ordinis fratrum sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis captivorum professori.* Intùs verò : *Urbanus Papa VIII. Dilecte fili, salutem*, etc. *Religionis zelus*, etc. *Cùm itaque sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, habitum per fratres ordinis sanctissimæ Trinitatis gestari solitum in domo regulari, seu conventu dicti ordinis Neapolitan., suscepisti, in trigesimo quinto circiter ætatis tuæ anno constitutus, ac de regulâ dicti ordinis optimè informatus existis; necnon spatio quinque annorum in eodem conventu versatus fuisti, professionem per eosdem fratres emitti consuetam quantò citiùs emittere posse, postquàm tibi per nos ut infra provideri summoperè desideras; nos*, etc., *tibi, ut professionem prædictam, peractis sex duntaxat mensibus, in eodem conventu expressè emittere de superiorum licentiâ liberè et licitè possis et valeas, apostolicâ auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus; tecumque quatenùs opus sit dispensamus; non obstantibus*, etc., *necnon dicti ordinis et conventûs*, etc., *statutis*, etc. *Dat. Romæ apud S. M. Maj.*, 15 *octob.* 1637, *pontificat. nostri anno* 1.

M. A. Maraldus.

Causa concessionis hujusmodi indulti, sive dispensationis, ea est, nimirùm : quia, sicut in supra dictâ formulâ, orator ante receptionem ad habitum spatio quinque annorum in eodem conventu versatus fuit, et est informatus de regulâ et austeritatibus prædicti ordinis, sicque cognovit si propriæ complexioni, viribus et voluntati congruant, ut dictum est; aliàs enim si professionem prædictam anno probationis currente de facto emitteret, nihil ageret, concil. Trid., sess. 25, c. 15; Azor., Inst. mor., p. 1, l. 12; Camp., in Divers. jur., can. rub. 12, c. 3, cum aliis allegatis per Barb., d. alleg. 101, n. 16.

Atverò, ubi expletus fuerit integer annus probationis, licèt nulliter ex aliquâ causâ, sic professus nulliter volens suam professionem ratificare, non tenetur novitiatûs annum iterare, si aliàs fuit validus, ut probat Sanch., de Matr., lib. 7, disp. 37, n. 45, dicens ibi quòd dictum concilium solùm decernit ad professionis validitatem esse præmittendum integrum novitiatûs annum; quod verificatur, quoties professioni præmissus fuit validus; præsertim, quòd sit continuus, non autem interpolatus; Navar., cons. 2, n. 2, cons. 31, num. 2, cons. 36, num. 1, de Regular.; tunc enim dicitur interpolatus, sive interruptus, quando novitius dimisso suo habitu regulari egreditur monasterium, animo deserendi religionem; adeò ut si postea pœniteret, ad religionem reversus et receptus, debeat ex integro à principio inchoare novitiatum : si verò novitius de licentiâ superioris cum habitu ex aliquâ justâ causâ intra annum probationis monasterium egrediatur, post aliquot verò dies reversus fuerit, post accessum potest licitè profiteri; nec propterea annus probationis dicitur discontinuus; id. Nav., cons. 10, n. 3, de Cler. non resid. Sic etiam si novitius cum simili licentiâ, suo habitu indutus, exeat monasterium causâ peregrinandi ad stationes, vel ad alia loca, au visendi parentes, aut cognatos ægrotantes, vel mendicandi, aut alia hujusmodi; aut ob malam valetudinem maneat extra monasterium : tunc enim habetur

pro præsente, ac si nunquàm fuisset egressus, et potest adimplere annum probationis, conjungendo primum tempus cum sequenti, ut resolutum per sacr. congr. concil. refert Grat., discept. for., c. 166; Barbos., in collect. ad loc. concil., sess. 25, cap. 15, num. 19; ubi prosequitur, dicens quòd si novitia, durante probationis anno, curandæ valetudinis causâ, de superiorum licentiâ à monasterio exierit, et post revertatur, eodem tempore professionem emittere potest, ac si nunquàm egressa fuisset. Idem dicendum est, si novitius, retento habitu, superiorum severitate, iracundiâ, aut odio, vel minis perterritus, abditè exeat, causâ se celandi, dummodò habeat animum redeundi, et exitus non sit talibus circumstantiis factus, quòd probabiliter præsumi possit novitium non habuisse animum redeundi. Id. Barbos., loc. cit, n. 39 et 40. Vel etiam ante legitimam ætatem ad profitendum præscriptam; cùm ex supra dicto concil. Trid., cap. 15, præcipitur ut in quâcumque religione, tam virorum quàm mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; super quo fuit aliàs per sacr. congreg. concil. declaratum in unâ Montis Regalis, 13 novembris 1627, monialem non posse emittere professionem ante decimum sextum annum in mortis articulo, ad effectum, ut monasterium succedat in bonis et dote, Barbos., in Collect. bull., verb. *Professio regularis;* quapropter invalida existimabitur professio ipsa facta etiam in ultimâ die decimi sexti anni, attentis verbis ipsius concilii, quod satis apertè dicit annum debere esse completum, nec refert, si dicamus quòd modicum non est considerabile, sed pro nihilo habetur; l. *Scio*, ff. *De in integr. restit.*, c. *Licèt causam*, in verb. *Modica*, vel *Nulla*, *de Probat.;* et præcipuè, quòd modicum tempus pro non tempore habetur, ut in l. *Titius*, § *Lucius*, ff. de Lib. et Posth.; facit Gloss. in c. *Tenore*, 31 dist.; ubi ait quòd duos dies nulli existimantur propter paucitatem; Mandos., ad reg. 17, q. 19, n. 3, dicens quòd tempus unius diei, tanquàm modicum, non est habendum in consideratione; id tamen in hoc casu locum sibi minimè vendicare dignoscitur, quia, cùm idem concilium generaliter loquatur, includit etiam minimum, cap. *Si proponente*, de Rescript.; còque magis, quia tempus à d. concil. præscriptum, est de formâ, quæ satis clarè ex ipsius verbis elicitur, dùm dicit quòd professio antea facta sit nulla; ipsa namque forma: tunc verè inducitur, quando constitutio non solùm disponit super aliquo actu faciendo, sed ultra procedit, nimirùm, annullando actum ob ejusdem formæ inobservantiam; Bald., l. 1, vers. *In contrarium;* et ibi Alex., n. 6 et 7, vers. *Nisi statutum ulterius procederet*, ff. de Lib. et Posth.; quòd autem decretum d. concilii ulteriùs procedat patet, dùm aliàs irritatur professio, ac propterea prædictum tempus debet integrè expleri; Gloss., in cap. fin, vers. *Per annum*, de Irregul.; Silv. in verb. *Religio*, 3, n. 16; Barbos., ad collect. in loca concil., sess. 25, cap. 15, de Regular. et Monial., num. 14, ex DD. per eum ibi allegatis; aliàs nulla erit professio, si deficiat unus dies ante decimum sextum annum expletum, et etiam non completo anni circulo adhuc per duas horas, ut decisum fuit 11 januarii 1617, subdens ibi quòd propterea religiosus qui suâ professione emissâ tribus horis ante completum annum probationis à religione discessit, et in habitu clericali laudabiliter vixit, si postea redeat ad religionem, debet ratificare professionem, et ei locus debetur à die ratificationis, ut fuit decisum die 1 februarii 1631.

Secundò, notandum quòd dùm orator petit restitutionem adversùs lapsum prædicti quinquennii, ista restitutio non datur, nisi prout de jure; quapropter requiritur causa quæ in hoc casu satis verificatur, allegando professionem nullam ex causâ metûs, durante etiam post quinquennium, cùm tunc posset etiam dici de nullitate, cùm metus duret, durante ejus causâ; Bar., in l. *Penult.*, ff. *Si ob turp. caus.*; Innoc., in c. 1, *Quod met. caus.*; Alex., cons. 156, vol. 4; vel quia orator intra dictum quinquennium non reclamavit quia fuit impeditus, vel quia justâ ignorantiâ ignoravit suam professionem esse nullam ob defectum ætatis; tunc enim potest reclamare etiam post quinquennium, et uti remedio extraordinario beneficii restitutionis in integrum; quod quidem etiam in notoriâ praxi sciunt omnes, nunquàm solere denegari ratione justæ ignorantiæ, aut impedimenti ad reclamandum, et non solùm competit minori ratione fragilis ætatis, verùm etiam majori, saltem ex illâ vulgatâ clausulâ in similibus restitutionibus, etiam de more Curiæ apponi consuetâ, scilicet: *Si qua mihi justa causa*, etc., quæ habetur in l. 1, ff. *Ex quib. caus. major.;* quandoquidem licèt contra præsumptionem juris et de jure non admittatur probatio in judicio ordinario, datur tamen restitutio in integrum in eo judicio extraordinario, ut docet Alex., in l. *Si inter stipulantem*, § 1, n. 3, ff. *de Verb. oblig.;* non enim novum est, etiam adversùs sententiam quæ transivit in rem judicatam, succurri ex causâ, ut habetur in l. *Si mater.*, ff. *de Excep. rei jud.*

Cessat propterea opinio asserentium post dictum quinquennium elapsum non posse reclamari nec competere dictam restitutionem; licèt enim concilium Tridentinum per supra dictum decretum induxerit præsumptionem juris et de jure, scil. ratificationis professionis per dictum quinquennii lapsum, non propterea excluditur concessio restitutionis ex causâ justæ ignorantiæ, aut impedimenti, vel fragilis ætatis; et sic intelligendum est tam de minoribus quàm de majoribus; Sanc., de Matr., lib. 7, disp. 37, n. 22, ubi dicit non obstare supra dictum concilii decretum ad denegandam audientiam post lapsum dicti quinquennii; quominùs restitutio hæc concedatur, subdens ibi quòd per illud verbum, audiatur, in dicto decreto apposito, non tollitur beneficium restitutionis; et ibi plura in proposito cumulat, ubi est omninò videndus; ita etiam censuit S. cong. concil. prædicti, cujus sententia fuit à Greg. XIII approbata. Leo., in Thes. for. eccles., p. 2, cap. 1, n. 42.

Quinimò etiam absque constitutione præd. potest

orator audiri; si tamen intra dictum tempus deduxit dictam nullitatem. *Unde S. congreg. eminentiss. cardinal., negotiis regularium præposita, censuit posse ordinarium loci ubi existit monasterium in quo orator professus est, et conjunctim cum superiore regulari ejusdem monasterii, cognoscere, prout juris, causam prætensæ nullitatis professionis ipsius oratoris non obstante lapsu quinquennii; dummodò eisdem legitimè constiterit quòd dictam nullitatem intra quinquennium à die emissæ professionis verè deduxerit, et non aliter, nec alio modo. Dat. Romæ, die* 18 *martii* 1639. *Fr. Antonius cardinalis S. Honuphrii.*

Tertiò, quòd orator non audiatur, nisi in habitu regulari; aliàs enim, si antequàm causa coram ipsis judicibus deducatur, propriâ auctoritate habitum dimiserit, non erit audiendus; quinimò tanquàm apostata puniendus esset; ex quo petens professionem annullari, non debet audiri, nisi habitu retento. Verum est tamen, quòd si quis in hoc casu, cessante scandalo et præjudicio alterius, habitum dimittit, et fugit de carceribus ante reclamationem, et antequàm deducat causas nullitatis suæ professionis coram ordinario et superiore, sciens aut justè credens suam professionem non valuisse coram Deo, in foro conscientiæ, non peccat mortaliter; nec etiam quoad forum exterius merentur subire pœnas in d. concilio ei impositas, qui aliquâ justâ causâ interveniente, habitum dimiserit, et illo non retento, reclamaverit; nimirùm, cùm ille non possit habere licentiam eundi ad reclamandum, neque ire, nisi demisso habitu, aut non sibi permittatur causas nullitatis suæ professionis coram superiore et ordinario proponere, ita Barbos., de Pot. episc., alleg. 104, n. 12, ex Navar., tom. 4, de Regular., num. 73 et 77, qui ibi ait se vidisse in Romanâ Curiâ multos qui priùs dimisso habitu, ac postea reassumpto, benignè exauditi sunt.

Quapropter supra dictum decretum concilii tunc locum sibi dignoscitur vendicare, quando, videlicet orator absque causâ et temerè suum habitum dimiserit, ac proinde, si habet justam causam illum dimittendi, potest audiri, ut supra dictum est; quandoquidem ipsum concilium, in supra dicto decreto, temerariam tantummodò habitûs dimissionem punire intendit, non autem temerè ille in his casibus videtur dimitti, Sanch. de Matr., lib. 7, disp. 37, n. 3. Quinimò ipse Pontifex quandoque ex legitimâ causâ concedit regulari sui habitûs dimissionem ad tempus, vel saltem illius delationem subtùs, prout concessam vidi cuidam regulari confessario cujusdam magnatis, ex quo cùm in quibusdam partibus habitus regularis, nonnullis de fide, ex catholicâ religione malè sentientibus, odibilis existat, et orator suum habitum, dicti magnatis obsequiis insistendo, facilè deferre non poterat, sibi concessum exstitit, ut quamdiù, et quousque in dictis obsequiis et servitiis permaneret, et ubicumque pericula, occasione religionis viguerint, habitu dimisso, tutâ conscientiâ, et absque aliquo scrupulo, in quibusvis, etiam publicis locis dùm iter faceret tantùm, deferre non teneretur: ita tamen ut in urbibus, curiis et aliis locis manens, vel commorans, habitum suum semper et ubique reassumeret.

Quartò, additur supra dicta clausula, *dummodò hujusmodi professionem tacitè vel expressè non ratificaverit*, quo casu si constaret aliquo modo illam oratorem ratificâsse, non admitteretur ad proponendas suas nullitates; et in dubio intentionis de ratificandâ professione intra quinquennium, eo transacto, præsumitur illam ratificâsse; cùm in dubio, in favorem religionis præsumendum sit, Barbos. ad collect. in loco Concil. sess. 25, cap. 15, num. 14, ex Navarr., consil. 13, n. 10, de Regular., et hujusmodi professio præsumitur per gestationem annalem habitûs indistincti; idem Navar., d. consil. 13, num. 3; necnon inducitur per ordines in religione susceptos, ut per sac. congreg. episc. et regul. in unâ Beneventan. 20 decemb. 1619, declaratum refert idem Barbos. in Collect. bullar., verbo *Professio regularis*, c. 2, ubi etiam ait quòd tacitæ professiones non tolluntur decreto supra dicti concilii d. sess. 25, cap. 15, de Regular., sed manent in suo pristino valore, ut declaravit cong. ejusdem concilii.

Quintò, adjicitur in hujusmodi restitutionum commissionibus clausula, *dummodò decennium à die emissæ professionis lapsum non sit;* quæ tamen antea non apponebatur, sed tantùm à nonnullis annis citra; ita mandante sanctissimo D. N. Urbano Papâ VIII, et sine dictâ clausulâ vix et rarò conceduntur, ut nos ista observantia docet; aliter enim, elapso dicto decennio, orator, nullo modo in prætensis juribus suis audiretur. Decem verò anni hujusmodi, sicut etiam ipsum quinquennium in professione expressè emissâ, incipiunt currere à die illius emissionis; in tacitâ autem, ab ipso die quo novitius fecit actus solummodò professo convenientes; Azor. Institut. moral. part. 1, l. 21 c. 4, q. 10; idem Barbos., in Collect. ad loc. conc., sess. 9, c. 19, n. 7, ubi habetur diem illum computandum esse de momento ad momentum, prædictumque quinquennii spatium computandum esse à die professionis etiam in illo qui tunc temporis laborabat ignorantiâ invaliditatis professionis, aut alio impedimento.

Sextò, quando hujusmodi commissio datur pro religioso, qui in religione, sive ante illius ingressum, fuit ad sacros ordines promotus, vigore hujusmodi rescripti remaneat à dictorum ordinum executione suspensus, donec habuerit sufficientem patrimonii aut beneficii ecclesiastici titulum; qui propterea ei constituendus est, sicut cæteris clericis secularibus; nec aliàs hujusmodi suspensio sibi neque per summum Pontificem relaxatur, sicut in praxi quotidiè videmus.

CAPUT XV.

Praxis dispensationis sive licentiæ pro mulieribus ad egrediendum et ingrediendum monasteria monialium.

Hactenùs de regularibus è religione ejectis, aliisque legitimè ab eâ dimissis, et quid circa hoc servat Romanæ Curiæ praxis, egimus; nunc autem sequitur

videre, quomodò ipsa se habeat circa moniales, legitimis suadentibus causis, ex earum monasteriis exeuntes, postquàm professionem regularem in eis ad sacrorum canonum præscriptum emiserumt; et quidem, cùm in re tam gravi versemur, ut unusquisque perpendat hujusmodi facultates non ita passim concedi, putavimus omninò præponendum, illas non minùs cautè impetrari quàm concedi; ne sub diversis prætextibus, plura, quæ non decent, sequantur; virginem enim inclusam domi consistere debere, docet text. in cap. *Mulieres*, in fin., de Judic., in 6, ubi quòd feminæ religiosæ sub clausurâ morari debent, ac in omnibus circa illas cautè procedendum est, ut ea vitentur quæ earum pudicitiæ possent insidiari; ut ait Mandos., in Praxi signat., tit. de Licentiis, versic. *Alia licentia*. Unde non immeritò Bonifacius Papa VIII sancivit universas moniales cujuscumque religionis, sive ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetuâ in suis monasteriis debere de cætero permanere clausurâ, ita quòd nulli earum, religionem tacitè vel expressè professæ sit vel esse valeat quâcumque ratione vel causâ (nisi fortè tanto et tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari) monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas, nullique aliquatenùs inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis et manifesta causa existat; ac de illius ad quem pertinet, speciali licentiâ ingressus, vel accessus pateat ad easdem, ut sic à publicis et mundanis conspectibus separatæ, omninò servire Deo valeant liberiùs, et lasciviendi opportunitate sublatâ, eidem, corda sua et corpora in omni sanctimoniâ diligentiùs custodire, ut in c. *Periculoso*, § 1, de Stat. regul., quod est nimis famosum, et quotidiè præsertim in Romanâ Curiâ, quoad hanc et omnes alias sui partes in medium profertur, et concil. Trid. sess. 5, c. 5, de Regular. et Monial., cavetur, quòd nemini sanctimonialium liceat post professionem exire à monasterio, etiam ad breve tempus quocumque prætextu, nisi ex aliquâ legitimâ causâ ab episcopo approbandâ, indultis quibuscumque, et privilegiis non obstantibus.

Denique Pius V, cùm nihilominùs moniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos vel cognatos, necnon monasteria et alia, filiationes nuncupata, etiam eis subjecta visitandi aut infirmitatis causâ, aliove prætextu à monasteriis exire, et per secularium personarum domos discurrere et vagari contingebat; quo veluti colore, eximium quoque honestatis et pudicitiæ decus in discrimen committebant, huic malo salubriter occurrere volens, inhærendo etiam decreto supra dicti concilii Trid. de clausurâ monialium disponenti, ac aliis suis litteris super hujusmodi clausurâ editis, adjiciendo, voluit, sancivit et ordinavit quòd nulli abbatissarum, priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusien. Cistercien. S. Benedicti, et Mendicantium, et quorumcumque aliorum ordinum, etiam militiarum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac præeminentiarum existentium, etiam à regiâ vel illustri prosapiâ ortarum, de cætero, etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subjectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliâve occasione et prætextu, nisi ex causâ magni incendii vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infirmitas, præter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi prædicta monasteria ab episcoporum et ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expressè in scriptis approbata sit à monasteriis præfatis exire; sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere. Aliter autem, quàm ut præfertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptantes personas, sive laicas aut seculares vel ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationis majoris latæ sententiæ vinculo, statim eo ipso, absque aliâ declaratione, subjacere, à quo (præterquàm in mortis articulo) absolvi nequeat, ut in suâ constitutione, quæ incipit, *Decori et honestati*, publicatâ Romæ die 27 februarii 1570.

Hinc est quòd dispensationes sive licentiæ exeundi è dictis monasteriis, ipsis monialibus non nisi causarum cognitione, in sacrâ cong. regularium, aut concilii plenè examinatâ, concedi consueverunt: licèt enim antea frequenter ex duabus potissimùm causis concederentur, nimirùm, quando pater monialis, sive mater graviter ægrotabat, præsertim si nullum consanguineum habebat qui ei assisteret; quod quidem ratione ferè consentaneum videtur; cùm filia jure naturæ teneatur parentibus opem ferre, ad text. in l. *Veluti*, ff. de Just. et Jur., et quòd propter infirmitatem suorum, liceat unicuique festinanter, et aliquo, etiam Papâ insalutato, recedere, probat text. in cap. *Communis*, et ibi Glos., in verb. *Suorum*, 23, dist. Mandos. in Praxi signat., tit. de Licentiis, vers. *Ex duabus*.

Item, quando ipsa monialis graviter ægrotabat, nec spes erat, eam in monasterio evasuram esse infirmitatem, aut propter aeris intemperiem seu defectum, ut plerùmque accidit Romæ in monasterio S. Silvestri, quo casu à tali loco recedere licet, probat id. Mandos., loco cit., versic. *Altera erat*.

Pro curandis igitur propriis infirmitatibus, concurrentibusque consuetis requisitis et attestationibus, datur quandoque moniali per summum Pontificem sive sacræ cong. regularium licentiâ, prout aliàs vidi concessam moniali valetudinariæ eundi ad balnea, pro suâ infirmitate curandâ: quæ fuit commissa ordinario, qui vocato superiore monasterii de hujusmodi infirmitate diligenter inquireret; et si per informationem hujusmodi, ac proborum et peritorum attestationem cum juramento eorum factam, reperirent talem esse infirmitatem, quæ intra septa monasterii curari non posset, licentiam oratori tribueret ad balnea, et quoddam hospitale ibi contiguum demigrandi, ibique permanendi, donec ipsa convaluisset. Ita ut statim recuperatâ sanitate ad suum monasterium reverteretur.

Similis etiam licentia alteri moniali concessa exstitit, ut ad aliud monasterium se conferre posset, ac durante infirmitate, ibi permanere; quæ pariter ordinario commissa fuit, cùm hoc tamen, quòd si ille adhibito superiore primi monasterii et judicio medicorum, oratricem à suis infirmitatibus in suo monasterio curari non posse, aliud monasterium, seu alium regularem locum, etiam diversi ordinis in eâdem civitate eligeret, ad quod dicta oratrix licitè transire, et in eo sub clausurâ, durantibus infirmitatibus tantùm, permanere posset; ita ut postea illa ad suum monasterium quamprimùm reverteretur.

Cuidam moniali monasterii, ubi ex proprio instituto vesci carnibus non dabatur, cùm proinde graviter ægrotâsset, indultum exstitit, ut transire posset ad aliud monasterium in quo aderat usus carnium; atque in præfato indulto continebatur, quòd illud intelligeretur citra translationem, quòdque infirmitate durante de utriusque medici consilio, carnibus, ovis, butyro, aliisque lacticiniis et cibis, juxta statuta ordinis et monasterii prædictorum in eodem monasterio ac in cellâ suâ, ut infirmariâ tantùm, non autem in refectorio vesci, et uti liberè et licitè valeret.

In similibus indultis quandoque adjicitur ut ordinarius si adhibito superiore primi monasterii repererit, opinione medicorum oratricem, aliter quàm per mutationem loci et aeris, sanitatem consequi non posse, licentiam illi tribueret transeundi ad aliud monasterium, vel alium regularem idoneum locum in quo oratrix maneret durantibus infirmitatibus tantùm.

Simile indultum concessum est abbatissæ seu priorissæ et conventui ut infirmam monialem ad aliud monasterium transmitteret, illamque illùc transire in societatem uniùs mulieris, seu monialis laicæ idoneæ provectæ ætatis, ibique per unum mensem, tunc proximè venturum, aut etiam ultra, si opus fuerit, ac tamdiù quamdiù ejus valetudo postularet, manere liberè et licitè valeret.

Datur etiam moniali, ex voto sacræ congreg. regularium, facultas se transferendi ad arctiorem religionem; quæ committitur ordinario, qui, animo oratricis et quibus moveatur causis diligenter exploratis atque observatis, et per diligentem inquisitionem invenerit eam, non temeritate vel levitate in jacturam vel injuriam sui monasterii et ordinis, sed spiritu Dei, et stimulo vitæ sanctioris agi, super quo ipsius ordinarii conscientia oneratur, eidem oratrici, etiamsi petita ab ipsâ cum humilitate à superiore licentiâ, illa contradixerit, liberam transeundi ad ordinem N. et illius monasterium, si ibi verè vigeat observantia regularis et stricta in eo clausura servetur, licentiam concedàt, quatenùs ibi benevolas invenerit receptrices.

Neminem quippè latet moniales posse ad aliam religonem perfectiorem transire, ex quo neque concil. Trid. neque constitutio Pii V id prohibet, sicut etiam illæ quæ dùm in proprio monasterio, ex aliquâ causâ corrigi non possunt, ad aliud monasterium, correctionis causâ transferuntur; Barbos. in Collect. ad loc. concil. sess. 25, c. 5, de Monial. et Reg., num. 35 et et 36, ubi ait quòd locorum ordinarii, vel superiores regulares de uno monasterio in aliud transferre possunt monialem sibi subjectam, ex causâ seditionis, vel incorrigibilitatis aut criminis perpetrati, ut fuit aliàs declaratum per sacram congreg. conc. 27 maii 1603, cujus declarationis forma ab ordinariis est attendenda.

Ex his propterea inolevit praxis ut quando petitur similis translatio, etiam per datariam apostolicam ex voto sac. congreg. commissio fiat ordinario, qui de licentiâ superioris primi monasterii, oratrici de primo ad secundum monasterium, de consensu tamen abbatissæ, et majoris partis conventûs ejusdem, transeundi licentiam tribuat, quæ postquàm sic translata fuerit, vitam regularem in secundo dicto monasterio sub illius regularibus institutis perpetuò ducere statuat, spondeat et promittat, et dummodò in secundo dicto monasterio strictior vigeat observantia regularis et translatio hujusmodi intra sex menses proximos nec ad evitandam aliquam commissorum criminum pœnam fiat; alioquin præsens gratia nulla fit eo ipso.

Prout etiam servatur in translatione monachi cui conceditur, ut petità et non obtentâ per ipsum oratorem ab ejus superiore licentiâ ac servatâ aliàs formâ constitutionis Sixti V desuper editæ, ubi opus fuerit, et dummodò in secundo ordine strictior vigeat observantia, etc., ut supra, nec ad evitandam aliquam commissorum criminum pœnam, etc., prout quandoque hujusmodi licentias videmus dari etiam per ipsam datariam; et juxta præmissa aliàs emanavit declaratio congreg. episc., sub die 13 septembris 1583.

Datur hæc licentia, per sac. congreg. episcorum et regularium, quam novissimè vidi concessam sub tenore sequenti, videlicet:

Quò arctiùs sibi quis in regulari disciplinâ præfinit institutum, eò ampliori laude dignus est. Quare, cùm D. Joseph è Neapoli, qui nunc mitiorem Cassinensium vitam profitetur, ad strictioris observantiæ monachos S. Basilii transire cupiat, sac. etc., *regularium congregatio, laudabili ejus voto planè assentitur, dummodò supplicem iidem, severioris disciplinæ monachi, in suum numerum libenter excipiant, et à patre generali Cassinensium facultatem petat; quâ non impetratâ, nisi aliqua justa causa subsit, illùc se transferre poterit, quò laudabiliter pergere destinavit; dummodò melioris vitæ fervore, ardore aut desiderio trahatur; non ut alicujus patrati criminis pœnas evadat, novis superioribus se sistat, licèt capituli provincialis cogendi consuetum tempus nondùm advenerit, et dùm intermedio tempore discessum maturat, primi ordinis superioribus subjiciatur; nec absque eorum facultate, extra claustra divagari possit. In cæteris servetur forma constitutionum fel. record. Sixti Papæ V, super transitum hujusmodi editarum, utaturque præsenti gratiâ infra terminum 3 mensium; aliàs irrita statim censeatur. Romæ, die 26 novemb. 1638.*

Fr. Ant. card. S. Honufrii.

C. Fachenettus.

Ad laxiorem verò religionem, datur per eamdem

sacram congreg. monacho se transferendi licentia ex causâ infirmitatis, ut infra :

Justitiæ zelus arctè atque adeò perfectè charitati copulatur, ut charitas sine justitiâ, et justitia sine charitate esse non possit. Quare, cùm Frater Basilius Gambatesa ordinis S. Francisci de observantiâ, gravi morbo laborans, aliisque de causis fratrum Observantium securam vivendi rationem, absque vitæ discrimine sequi nequeat, æquum omninò visum est eminentis. patribus, negotiis regularium præfectis, ac charitati consonum, ut è severâ eorumdem fratrum Observantium disciplinâ, ad mitiorem fratrum Conventualium ejusdem ordinis, se ipsum transferre valeat ; dummodò tamen eosdem fratres Conventuales benevolos ipse inveniat receptores, et illùc rectâ viâ transferat, quò pergere destinavit. Interimque, dùm discessum maturat, primi ordinis superioribus subjiciatur, nec absque eorum facultate, extra claustra divagari possit. In reliquis servetur forma constitutionis fel. record. Sixti V, necnon Pauli V, super transitu hujusmodi editarum. Utaturque præsenti gratiâ infra terminum duorum mensium ; aliàs irrita statim censeatur. Romæ, die 20 augusti 1638.

Datur quandoque hæc licentia se transferendi ad laxiorem religionem etiam per ipsum summum Pontificem, et per suas litteras in formâ brevis ; quandoque verò per officium sac. pœnitentiariæ Apostolicæ, etiam utroque foro, quare cùm religiosus, certis ex causis, de suâ Religione, quam professus erat, ad aliam se transferre desideraret, petiit secum desuper dispensari ; ac proinde litteræ fuerunt suo superiori regulari, qui cùm eodem fratre N. accedente consensu utriusque religionis superiorum, ad secundò dictam religionem, si ibi benevolos invenerit receptores, se transferre, et in eâ professionem de novo emittere, ibique quoad vixerit remanere, et perseverare licitè valeat, misericorditer dispenset in utroque foro ; non obstantibus, etc., necnon dictorum ordinum statutis et privilegiis, cæterisque contrariis quibuscumque. Cum hoc tamen, quòd prædictus frater N. non priùs discedat à religione, quàm certus sit, se in aliâ religione receptum iri, et statim illam rectâ viâ ingrediatur, permansurus in eâ sub regulari obedientiâ, neque aliter illi hujusmodi litteræ suffragentur.

Hanc se transferendi facultatem concessit aliàs ipsa sac. pœnitentiaria cuidam religioso, qui post emissam professionem, à suâ religione absque superiorum licentiâ recessit, habitu regulari etiam dimisso ; postmodùm verò petiit ut ad aliam Religionem se transferre posset, ex eo quòd illius superiores eum recipere recusaverant ; ac propterea fuerunt litteræ hujusmodi facultatis superiori directæ, qui ipsum fratrem illarum vigore ab apostasiâ et excessibus hujusmodi ad hunc effectum in utroque foro absolvit, ac cum eodem, ut religionem à Sede Apostolicâ approbatam, ubi benevolos invenisset receptores, ingredi ; et in eâ professionem de novo emittere, ubique quoad viveret, remanere valeret, dispensavit. Ita quòd à superioribus primò dictæ religionis revocari, ac desuper molestari non posset.

Cùm religiosus ordinis S. Francisci de Observantiâ gravi morbo laborans, aliisque de causis fratrum Observantium securam vivendi rationem absque vitæ discrimine sequi nequiverit, æquum omninò visum est eminentissimis patribus, negotiis regularium præfectis, et charitati consonum, ut è severâ eorumdem fratrum Observantium disciplinâ ad mitiorem fratrum Conventualium ejusdem ordinis seipsum transferre valeat, dummodò tamen eosdem fratres Conventuales benevolos ipse invenerit receptores, et illùc rectâ viâ se transferat quò pergere destinavit. Interimque antequàm discedat, primi ordinis superioribus subjiciatur, nec absque eorum facultate, extra claustra divagari possit, in reliquis servetur forma constitutionum fel. record. Sixti V, necnon Pauli V, super transitu hujusmodi editarum, utaturque præsenti gratiâ infra terminum duorum mensium ; aliàs irrita statim censeatur, sub dat. Romæ 20 august. 1638.

Sanè hujusmodi licentias ad laxiorem se transferendi religionem, neminem à Papâ, sive sac. concilii seu regularium concedere posse, nos docet etiam quotidiana praxis ; nec sine causâ concedi consueverunt. Causæ autem quæ ad id adduci et admitti solent, et in praxi versantur, illæ sunt, nimirùm, cùm religiosus, ob infirmitatem aut corporis debilitatem, nequeat religionis austeritates sustinere, ad quam primò se transtulit ; vel si religiosus in priori religione odio habetur à cæteris religiosis, aut indignè et malè tractetur ; aut si aliis sit exosus, seu si propter suam simplicitatem, non intellexit sufficienter regulam, vel constitutiones tempore professionis ; aut si habet parentes in gravi necessitate constitutos, quos non potest in priori religione juvare.

Aliàs enim Papa vix, et non sine maximâ difficultate, hanc translationem impertiri solet, sine aliquâ ex præmissis, seu aliis sibi benè visis causis et cum voto supra dictæ sac. congreg., quamvis, si velit, etiam absque aliquâ causâ posset dispensare, licèt sic sine causâ translatus, non remaneat tutus in foro conscientiæ ; ac propterea ipse summus Pontifex non solet hanc licentiam sine justâ et legitimâ causâ concedere ; Barbos. in Collect. ad loc. concil., sess. 25, cap. 19, num. 29, cum seqq.

Ex causâ novæ fundationis monasterii vel correctionis, aut reformationis, seu præfectionis, datur ipsis monialibus licentia se transferendi ; quamvis dicant nonnulli, in hoc casu monialem, quæ idcircò transfertur, non egere licentiâ Sedis Apost., cùm hujusmodi casus concernant totam communitatem religionis, non autem particularem utilitatem alicujus monialis ; cùm exeant ad plantandum vel ædificandum aliquod monasterium, prout pluries censuit sac. congreg. super negotiis episcoporum et regularium, in unâ Nanneten. 16 januarii 1616, et unâ Redonen. 31 januarii 1617 et in unâ Messanen. 9 octobris 1619, teste celeberrimo Barbos., de Potestat. episc., alleg. 102, num. 25, ubi tamen testatur etiam ipsam sac. congreg. cautiùs postea censuisse, in his recurrendum esse ad sedem Apost., quæ ex causâ quibusdam monialibus concessit.

ut possent transire ad aliud monasterium alterius obedientiæ; et ita hodiè, et non aliter servatur, sicut omnibus notum est; quapropter ordinariis locorum id minimè permittitur, neque superioribus regularibus, præsertim ad monasteria recenter erecta pro novitiarum in eo introducendarum institutione, nisi obtentâ à sede prædictâ, vel à sac.congreg. speciali facultate, prout ipsa congreg. episc. et regular., censuit in unâ Terdonen. 27 maii 1603, et in unâ Barchinonen., 10 aprilis 1615.

Et aliàs ex eâdem causâ quindecim ex monialibus monasteriis S. Joannis Baptistæ civitatis prædictæ tredecim videlicet choristæ, et duæ conversæ, ab eodem Urbano VIII licentiam, se ad novum monasterium divini Amoris nuncupati ejusdem civitatis transferendi obtinuerunt, ex eo quòd ipse ex relatione bon. mem. cardinalis Boncompagni, archiepiscopi, acceperat, in primò dicto monasterio remanere decentem ac sufficientem numerum monialium choristarum, ac etiam illis inservientium.

Postmodùm verò prædictæ moniales, jam ut præfertur translatæ, egerunt pro restitutione earum elecmosynarum dotalium in beneficium novi monasterii, sed tamen fuerunt legitimè exclusæ. At cùm nihilominùs instetissent, saltem sibi subministrari alimenta, adhuc etiam denegata exstiterunt. Unde re ad Urbem delatâ, idem Urbanus hujusmodi causam delegavit tribus Rom. Curiæ primariis prælatis, qui neque prædicta alimenta deberi decreverunt, ut infra, videlicet:

Cùm domini præsules à S. D. N. ad cognoscendam definiendamque causam vertentem inter moniales monasterii Neapolitani S. Joannis Baptistæ, et alias quindecim moniales ex dicto monasterio egressas, speciatim deputati, diù negotium alimentorum examinaverint, rationesque et jura ab utrâque parte allatâ accuratè perpenderint, post repetitas congregationes demùm die 16 *novembris anni præteriti decreverunt ex hactenùs deductis à monialibus monasterii S. Joannis Baptistæ non deberi alimenta dictis monialibus egressis. Romæ, die primâ mensis martii* 1639.

Marcus Aurelius Maraldus, dep.
Franciscus Paulutius, dep.
Cæsar Fachenettus, dep.

Quibus adde ipsas moniales non posse transferri ad monasterio noviter erecta, nisi ipsa constiterit priùs fuisse constructa auctoritate Sedis Apost. ac prævià visitatione, earumdem monialium capacia, eisque accommodata, atque ita absoluta reperta fuerint, ut cœmentariis, aliisve fabris, nullâ ædificationis causâ in ipsa postea ingrediendi necessitas relinquatur, ut sac. congreg. concil. censuit in unâ Ulixbonen. 17 julii 1615; idem Barbos. in Collect. bullar., verbo *Monialium translatio*, c. 8.

Et hujusmodi translationes non modò conceduntur, ut fiant de loco ad locum in eâdem civitate, verum etiam, ut plurimùm de unâ civitate ad aliam, prout fuit similis translatio concessa D. Joannæ de la Zerda ducissæ Montis Alti, cui sanctis. D. N. Urbanus Papa VIII, cùm pro eo quem erga ordinem B. M. de Monte Carmelo, ipsa gerere dixit, devotionis affectum, habitum per ejusdem ordinis moniales *discalceatas* nuncupatas, gestari solitum suscipere, professionemque ab eisdem emitti consuetam expressè emittere desiderans regulares, et nullum monialium hujusmodi monasterium in toto regno Siciliæ reperiretur, monasterium monialium S. Josephi Neapolitani ejusdem ordinis, in quo, ut asserebat, habitum per illius moniales gestari solitum suscepit, et professionem per easdem emitti consuetam, expressè emisit regulares, religionis zelo ducta, ingredi coacta fuerit. Deindè verò tam ipsa quàm Ant. dux, ejus vir, ad omnipotentis Dei, et gloriosæ Dei Genit. M. divinique cultûs et Religionis catholicæ augmentum in civitate Panorm. unum ejusdem ord. *discalceatarum* nuncupatarum, monasterium fundare, illique pro ejus dote et manutentione, ac monialium illud pro tempore introducendarum, sustentatione, onerumque illi incumbentium supportatione, summam 15000 scutorum ex bonis patrimonialibus ipsius Ant. ducis assignare intendebant. Ipsa verò Joan. ducis. ad idem monasterium, postquàm canonicè constructum, et debitâ convenientique clausurâ munitum, sacràque ac profanâ supellectile instructum fuisset, se transferre, sibique ut infra indulgeri cuperet, ipse summus Pontifex, archiepisc. Neapolitano, sive ejus vicario in spiritualibus generali commisit, quatenùs, constito sibi priùs legitimè, quòd monasterium noviter construendum hujusmodi perfectum, debitâque clausurâ munitum, sacràque ac profanâ supellectile prædictis instructum, in eoque duodecim moniales introductæ existerent, eidem Joannæ ducissæ, ut ex monasterio S. Josephi, ad noviter construendum monasterium hujusmodi se transferre liberè et licitè posset et valeret, dummodò translatio hujusmodi fieret ejusdem Joannæ ducissæ consanguineis, gravibusque matronis, eam comitantibus, et ab uno ad aliud monasterium absque diverticulo, et oris parte velatâ, tenderet, nullibi nisi causâ hospitii, eoque casu nonnisi apud honestas personas, et si fieri posset, consanguineas, pernoctaret, et dummodò ipsa ducissa, et dux ejus maritus, de licentiâ ipsius summi Pontificis, sacerdos ordinatus, simul iter non haberent; nec unquàm in eâdem domo pernoctarent, aut simul refectionem sumerent, apostolicâ auctoritate concederent, prout in litteris in formâ brevis desuper expeditis, continetur. Hæc quidem quoad egredientes.

Quo verò ad ingredientes monasteria ipsarum monialium, cùm inter cætera jura, decreto concilii Tridentini cautum sit, ut nemini cujuscumque generis, aut conditionis, sexûs, vel ætatis fuerit, sine episcopi vel superioris licentiâ in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœnâ ipso facto incurrendâ, intra septa monasterii ingredi liceat, ut in sess. 25, cap. 5, et hic agimus tantùm de casibus in quibus ad ingressum monasteriorum monialium requiritur licentia Sedis Apostolicæ, seu sacræ congregationis regularium; propter ea quæ ad hanc praxim spectant, hic annotanda

putarimus, et quia frequentissimus est usus ingrediendi in dictis monasteriis pro puellis ibi educandis, propterea, sicut jam omnibus notum est, debet tale monasterium esse capax hujusmodi puellarum educandarum, pro quibus in eo debent adesse loca particularia destinata, ut sacra congreg. concil. censuit in unâ S. Severini 16 januarii 1615. Necnon debet præcedere consensus omnium monialium singulariter præstitus; ac propterea, non est standum simplici relationi abbatissæ, ut censuit sac. congreg. episc., in unâ Amerin. 3 januarii 1608; Barbos. in Collect. ad loc. concil., sess. 25, cap. 5. Nec recipi possunt minores septennio, ac majores viginti quinque annis, et ut ex infra scriptâ formulâ patebit, in quâ præscribitur, ut ipsa puella sola ingrediatur, propterea cùm ex parte parentum cujusdam puellæ ingressuræ in monasterium S. Greg. Armeni, vulgò Sancti Ligorii Neapolitan. fuisset institum penes sacram congregationem, quatenùs ipsa secum ducere posset famulam, sacra congreg. censuit ancillam non dari pro educandis, ut in unâ Neapolitan. 12 martii 1619; idem Barbos., loco cit., n. 102, prout etiam respondit pro quâdam Chrysostomâ Caracciolâ ex eâdem causâ, in monasterio Dominæ Reginæ ejusdem civitatis.

Et hìc est notandum quòd puella monasterium ingressa educationis causâ, si ibi permanserit usque ad vigesimum quintum annum, nec velit effici monialis, neque ipsa neque ejusdem monasterii superiores incidunt in excommunicationem, seu alias censuras, licèt episcopus possit ei terminum præfigere, intra quem puella ipsa velit monialis effici, aut è monasterio egredi, absoluto tempore, ut fuit aliàs per eamdem sacram congregationem super d. cap. 5, declaratum teste Leone in Thes. for. Eccles. part. 2, cap. 2, num. 54.

Istæ verò puellæ, quæ educationis causâ manent in monasterio, possunt inde exire, et deinde ad habitum suscipiendum recipi, sine aliquâ licentiâ ejusdem cong.; secùs verò, si non ad effectum habitum suscipiendi, regredi ex eâdem causâ educationis voluerit; tunc enim nova licentia, ut infra, requiritur, ut per eamdem sacram cong. fuit decisum, teste eod. Leone loc. cit., num. 53.

Forma autem licentiæ ipsis puellis, educationis causâ in monasteriis, non aliàs datur, quàm cùm infra scriptis conditionibus, quarum

Prima est quòd monasterium consuevit ipsas puellas ad effectum educationis admittere et recipere; quocirca sciendum est, et cùm pro parte episc. Hieracen. fuisset quæsitum an puellæ in monasteriis educationis causâ permanere possint, ab eâdem sac. cong. fuit responsum quòd jamdudùm ab eâdem cong. statutum erat, nullo concilii decreto, prohiberi, quominùs puellæ in monasteriis monialium educentur; si tamen eadem monasteria ante concilium consueverunt hujusmodi puellas recipere, sicque à superioribus monasteriorum scriptam licentiam impetraverint, atque abbatissæ et reliquarum monialium consensus accesserit: tum verò hæ ipsæ puellæ eo vestitu in monasteria intromittantur, quæ virginali pudori ac modestiæ conveniat, nullamque secum famulam adducant, nec in eis manere possint, nisi usque ad ætatis suæ annum vigesimum quintum, atque in eis dùm erunt eamdem servent clausuræ legem, quam moniales ipsæ, et si semel exierint, nullam habeant ad ea revertendi facultatem; proinde ipsa cong. hanc facultatem eidem episc. concessit, ut quotiescumque in civitate et diœcesi Hierac. id expedire idem judicaverit, possit permittere puellas in monialium monasteria, in quibus piè et honestè instituantur, introduci; adhibitis tamen conditionibus supra scriptis sub dat. Rom., die ult. august. 1572, prout harum litterarum exemplum habes penes Quar. in Sum. bull. verbo *Monasteria monialium*, vers. de Puellis, fol. 449. Et hìc patet, quòd tunc temporis hujusmodi facultates concedebantur per litteras privatas et missivas ad episcopos ab eâdam sac. cong., prout ego vidi, et audivi penes secretarium ejusdem congreg., licèt, postmodùm negotiis hujusmodi in immensum auctis, visum fuerit, easdem facultates dari impressas cum sigillo cardinalis capitis ejusdem cong. ac subscriptione illius secretarii. Secunda est, quòd in monasterio sit locus separatus à loco, ubi manent moniales professæ et novitiæ pro dormitorio et laborerio. Tertia est, quòd non admittatur et recipiatur, nisi de consensu abbatissæ et monialium, et per secreta suffragia capitulariter, et licentiâ in scriptis earumdem superioris. Quarta, quòd excedat septimum, et sit infra vigesimum quintum annum. Quinta, quòd non sit super numerum præfixum. Sexta, quòd quolibet semestre, monialibus anticipata portio solvatur pro alimentis prævià idoneâ cautione. Hoc autem quoad ipsas puellas educationis causâ recipiendas, ut hìc; quo verò ad eas quæ petunt ad habitum monachalem admitti, non licet monialibus recipere pecunias, vel aliquod aliud anticipatè, ad computum eleemosynæ dotalis, quam quævis puella ipsum habitum monachalem susceptura persolvere debet; alioquin tam recipientes, quàm persolventes, subjaceant anathemati decreto conc. Trid., sess. 25, de Regul., capitulo 26, prout episc. Camerin. ead. congreg. rescripsit anno 1508; Barbos. de Jur. eccles., lib. 1, cap. 44, num. 47. Septima, quòd ingrediatur sola, sine ancillis, ut supra diximus. Octava, quòd eo utatur vestitu, quod virginali modestiæ et pudori conveniat. Nona, quòd servet leges clausuræ, et collocutorii sicut ipsæ moniales. Decima, quòd si semel è monasterio exierit, ampliùs non recipiatur in eodem, nec in alio monasterio, nisi ad effectum, ut fiat monialis. Undecima, ipsa licentia consignetur iis quibus pro illius executione dirigitur; et in actis illorum cancellariæ registretur, alioquin viribus careat.

Sanè, cùm ad præmissorum præscriptum, oporteat puellam recipiendam educationis causâ, non debere adesse supra numerum præfixum, contingit sæpissimè, ut super dictum numerum petat illa admitti; proinde ipsâ S. cong. annuente, aptantur in calce ejusdem licentiæ impressæ etiam manu ipsius sollicitatoris, antequàm tamen ea subscribatur per dictum secretarium consuetoque sigillo muniatur, ut id con-

cedatur, dummodò ibi sit locus capax pro ipsâ puellâ supranumerariâ, ut supra, absque incommodo monialium, aliarumque puellarum educandarum, et non aliàs.

Cùm verò inter cæteras conditiones prædictas, puella ipsa excedere debeat septimum ætatis suæ annum, si qua in longè minori ætate, puta quatuor vel quinque annorum constituta, ac forsan consanguineorum curâ destituta, aut ex aliâ causâ petat, non obstante defectu ætatis hujusmodi, ex eâdem educationis causâ recipi et admitti, non sine maximâ difficultate sibi id in tam modicâ ætate indulgetur: ex quo non decet in ipsis monasteriis teneri infantulas, quasi in cunis, quæ ut plurimùm totum ferè monasterium subvertunt, monialium ipsarum spiritum et devotionem impediendo, prout sæpenumerò id experiri videmus. Si tamen causa adsit, quæ rationabilis eminentissimis cardinalibus ad sic dispensandum, seu indulgendum videatur, id non conceditur nisi negotio plenè examinato, et in ipsâ sacrâ congreg. discusso; quòd si ita opportunum ab eisdem judicatum fuerit, eidem ista facultas tribuitur sacræ congr. ordinario directas, qui per litteras verificatis causis in eâ narratis, ejusdem sacræ congreg. nomine hanc impartiatur licentiam.

Hæc tamen formula circa puellas, ut supra educandas, ad evitanda nonnulla inconvenientia, ac fraudes innovata, postmodùm exstitit per cardinales sacræ congregationis, jussu felicis recordationis Urbani VIII, quæ hodiè est tenoris sequentis vulgari sermone conscripta, videlicet:

Martius S. R. E. cardinalis Ginettus, episcopus Albanensis.

Da questi eminentissimi e reverendissimi miei signori cardinali della sacra congregatione sopra i negotii, e consulte de' vescovi, e regolari si dà facoltà che in virtù della presente possa far ricevere nel monasterio di

l'honesta Zitella,

ad effetto di educarvisi, con l'infrascritte conditioni, e non altrimenti.

Primo, che il detto monasterio possa, e sia solito tener Zitelle per l'effetto sudetto, nè vi sia alcuna prohibitione particolare, nel qual caso, ne questa, nè qualsivoglia altra licenza sia di alcun valore, se non si presentar a lettera della sac. congregatione, che faccia espressa mentione, e deroghi alla prohibitione sudetta.

Secondo, che vi sia luogo particolare per l'educande, commodo, distinto, e separato da quello, dove le monache professe, ed anco le novitie sogliono habitare, massime per il dormire, e lavorerio, e capace in modo, che ciascuna possa, e debbia dormir sola.

Terzo, che vi sia numero prefisso dell'educande conforme alla capacità del luogo, e che detto numero non possi passar la metà delle monache, non computatevi le novitie, e converse.

Quarto, che habbia tutti i requisiti necessarii, e venga accettata dalle monache capito larmente e ver voti secreti.

Quinto, che sia maggiore di sette anni, e minore di venticinque, e pervenendo alli vinticinque, debba uscir subito, sotto pena di violata clausura da incorrersi ipso facto, senza altra dichia ratione, con obligari i parenti più prossimi a riceverla, così nell'età sudetta, come anco in ogni altro caso, che dall'ordinario, o dalle monache fusse giudicato espediente di mandarla fuori.

Sesto, che non sia sopra il numero prefisso.

Settimo, per essa si sia idonea sigurtà di pagare all'abbadessa pro tempore ogni semestre in denari contanti gl'alimenti anticipati, quali debbano essere avantaggiosi, e di utile considerabile al monastero, e morendo, o mancando per altro accidente la sigurtà, debbia rinovarsi nel termine di un mese, e quello passato, e non dandosi, si mando subito fuora.

Ottavo, che entri sola modestamente vesta, ed osservi te leggi della clausura et parlatorio, come le monache istesse.

Nono, che uscendo una volta, non possa senza nova licenza esser più ricevuta in quello, o altro monasterio, eccetto per farvisi monacha.

Decimo, e finalmente, che la presente sia consignata a quelli, a' quali è indrizzata per l'essecutione, e si registri negli atti della loro cancellaria; il che tutto si faccia gratis, e senza alcuna sorte di mercede, o recognizione, e si vagliano della presente dentro il termine di sei mesi prossimi, altrimente sia di niun valore. E che essendovi alcuna aggiunta sopra le righe, o cassatura, non debbia in verun modo esseguirsi. — In quorum fidem præsentes manu secretarii ejusdem sacræ congregationis roboratas, sigilli nostri impressione muniri jussimus. Datum Romæ, etc.

Præterea in quibusdam Italiæ locis, præsertim provinciæ Lombardiæ, in monasteriis monialium ex eorum instituto, seu aliàs, non recipiuntur puellæ supranumerariæ ad effectum suscipiendi habitum monachalem, sine speciali licentiâ ejusdem sacræ congregationis regularium, quas etiam, ut supra impressas concedit, et non alias quàm cum infra scriptis conditionibus, quarum prima est quòd tale monasterium sit capax, moniales eam per secreta suffragia et capitulariter acceptent, sicut pro educandis. Secundò quòd præter consuetam supellectilem mobilium, tribuat monasterio duplicatam elecmosynam dotalem, quæ major scutorum quadringentorum, non autem minor esse possit; et antequàm puella ipsa ad habitum monachalem admittatur, ipsius elcemosynæ fiat penes personam fide et facultatibus idoneam, reale depositum, pacto adjecto, quod amoveri non possit, nisi ad effectum illud investiendi in emptionem censuum, seu montium non vacabilium aut aliorum bonorum stabilium, boni redditûs, ad ipsius monasterii commune commodum, adhibito desuper consensu ordinarii, licèt monasterium ipsum curæ et gubernio regularium, sive alterius cujuscumque, licèt exempti, subjaceat. Quòd si fortè depositum hujusmodi in census annuos investiri contigerit, id in ipso instrumento

adjiciatur pactum, quod ipsius ordinarii notitia adhibeatur, in casu illius extinctionis, ad hoc ut iterùm pecunia ipsa in ejusdem monasterii utilitatem applicetur; et donec eleemosyna ipsa non investiatur, ut supra, idem depositum per pactum expressum adjiciendum in ejusdem depositi actu, semper in suo robore permaneat. Si autem contingat depositarium illud irrequisito ordinario prædicto solvere, remaneat, quibuscumque non obstantibus obligatus. Si verò aliter depositum ipsum fiet, nequeat puella ad suam regularem professionem, sacrâ congregatione inconsultâ, admitti. Tertiò, quòd in ipsâ puellâ omnia ad id concurrant necessaria requisita, in reliquis autem sacrorum canonum, conciliique Tridentini, summorumque pontificum constitutionum forma servetur. Quartò, quòd acceptationi supra hujusmodi numerum, specialis aliquis ordo, aut aliud in contrarium non repugnet. Quintò, quòd si monasterium hujusmodi mitteret ad quæsturas, moniales, seu conversas, sive clausuram, aliquo modo non servantes, præsentibus uti minimè valeat, sed hoc casu irritæ et revocatæ censeantur. Sextò quòd eædem præsentes, iis quibus pro illarum executione diriguntur, consignentur, et in actis eorum cancellariæ registrentur; aliàs nullius roboris vel momenti existant; sicut de licentiis pro educandis, in fine dictum est.

Sanè, præmissa circa eleemosynam dotalem ad præscriptum declarationum sacræ congregationis ejusdem conceduntur cùm debeant ordinarii in singulis monasteriis, etiam curæ regularium seu militarium subjectis, certum numerum juxta cujusque monasterii facultates præscribere: si quæ verò supra numerum statutum recipientur, tenentur duplicem eleemosynam afferre, ac supra numerum locum tenere; duplicis verò eleemosynæ nomine, intelligitur duplicata summa ejus, quæ in receptione cujuscumque monialis intra numerum, in quolibet monasterio constitutum erogari pro tempore consuevit, prout declaravit sacra congreg. episc. et regul., sub die 6 septembris 1604, refert celeberrimus Barbos. in Collect. bull. titulo *Moniales supranumerariæ*, c. 6.

Ipsæ autem eleemosynæ dotales pro monialibus, sive infra, sive supra numerum præfixum, solvi debent in ære; neque permittitur assignatio bonorum stabilium, aut censuum, ut fuit resolutum per sacram congregationem episcop. et regul., in unâ Camerinen. 28 martii 1588. Et debent durante anno probationis deponi juxta formam in decreto generali præscriptam, ad hoc, ut professione emissâ valeant in bonis stabilibus implicari. Et cùm etiam, sicut supra dictum est, illarum fieri debeat reale depositum penes personam fide et facultatibus idoneam, propterea non modò pro ipsis locis in quibus præscribitur modus recipiendi ad habitum monachalem mulieres supra numerum, sicut in secundâ formulâ supra positâ, verùm etiam pro quibuscumque locis generaliter fuit resolutum, quòd ipsæ dotales eleemosynæ, apud monialium consanguineos, vel affines, nullatenùs relinquantur, sed antequàm puellæ habitum suscipiant, deponantur actualiter apud mercatorem, vel penes aliam personam fide et facultatibus idoneam, ut statim professione emissâ, in emptionem tot bonorum stabilium aut annuorum redditum investiantur, ut censuit sac. congreg. episc. et regular. in unâ Lusitan. 6 junii 1615, in iis locis, ubi non adsunt mercatores seu banchi, ipsum depositum fieri debet in manibus probi viri et facultosi, qui ad omne mandatum monialium, et absque aliâ exceptione eam obliget se soluturum, ut censuit eadem sacra congreg. in unâ camerinen. 15 martii 1594.

Quo verò ad puellas, ad habitum monachalem in monasteriis monialium hujus civitatis Neapolitanæ recipiendas, in vim litterarum sacræ congreg. eorumdem, eminentissimo archiepiscopo directas sub die 16 novembris 1629, circa eleemosynarum dotalium reductionem cautum est, quòd de cætero eleemosyna dotalis pro puellis intra numerum recipiendis, summam ducatorum mille, et quingentorum ducatorum monetæ Neapolitanæ excedere nullo modo queat; ita tamen ut monasteria illa quæ hucusque minorem summam ex eâdem causâ accipere consueverunt, possint in ipsâ consuetudine permanere, quando nimirùm, eorum attentâ paupertate, eidem eminentissimo archiepiscopo citra hujusmodi dotium augmentum, citra tamen prædictæ summæ terminum, aliter non videretur.

Pro monialibus tamen supranumerariis, ipsa dotalis eleemosyna summam ducatorum duorum millium, et quingentorum similium pariter non excedat; ipsæque dotes in ingressu ipsarum puellarum nequaquàm monasterio consignentur, sed ante earumdem ingressum fiat reale depositum in pecuniâ numeratâ penes montem pietatis, sive publicum alium ac idoneum bancum; ad hoc, ut statim secutâ professione, per monasterium in tot bona stabilia, consensu et licentiâ ipsius eminentissimi archiepiscopi expressè accedentibus convertantur, cui etiam datur facultas ut monialibus ex causâ urgentis necessitatis, necnon monasteriorum fabricæ necessariæ dotes ipsas puellarum ex numero existentium impendendi licentiam impartiri queat.

Licet quandoque postmodùm, attentis temporum calamitatibus, ipsa sacra congregatio, ad instantiam partium id petentium, arbitrio ipsius eminentissimi archiepiscopi mandare consueverit, ut pro ipsâ dotali eleemosynâ, tot bona stabilia boni redditûs cum nonnullis conditionibus ipsius monasterii utilitatem recipientibus, valeant assignari.

Hoc autem, quoad prædictas eleemosynas dotales pro puellis ad monachalem habitum, ut supra recipiendis, quibus licèt permittatur pro earum religiosis necessitatibus aliquid honestum vitalitium tenere cum conditionibus, modificationibus et limitationibus infra scriptis, nihil tamen aliud quod proprietatem sapiat, habere possunt tot juribus refragantibus, ut in cap. *Non dicatis*, § *Cùm hujus*, 12, q. 1, ubi quod non licet habere proprium iis qui suis renuntiant, et communiter vivere spondent, et in d. § *Cùm hujus*, ibi: *Cùm hujus nostræ congregationis fratres non solùm facultatibus, sed voluntatibus propriis, in ipsâ ordinationis susceptione renuntiaverunt, et se per promissam obe-*

dientiam penitùs aliorum potestati et imperiis in Christo, et pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare vel accipere debere sine superioris licentiâ; quòd si propinquus vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem priori insinuetur, et sic suscipiatur, si ipse manduverit. De quo *tamen nihil aliud, nisi quod priori placuerit.* Et in cap. *Cùm ad monasterium*, § fin., ubi summus Pontifex abbati et conventui Sublacen. sic ait : *Nec æstimet abbas quòd super habendâ proprietate, possit cum aliquo monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Et ex novo jure concilii Tridentini, sess. 25, c. de Regular., cautum est ut nemini regularium tam virorum quàm mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquàm propria aut etiam nomine conventûs possidere vel tenere ; sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur.

Quibus sic stantibus, non videtur admittendum quod nonnulli dixerunt, nempe, moniales de licentiâ suorum superiorum, pro suis occurrentibus necessitatibus, posse habere aliquos census, sive redditus annuos, cùm non videatur ipse habere proprium ; quia ex debitâ obedientiâ eos retinent, semper paratæ illos dimittere ad libitum superiorum, ut ait Barbos. de Potest. episc., alleg. 102, n. 5, qui ad id citat Joan. Andr. Panorm. et Dec. relatos per Navar. in repet. c. *Nullam*, 18, q. 2, cap. 3, à num. 25. Subdit tantùm ibi idem Barb. quòd in hâc quæstione dicendum putat, prædictas moniales non licere habere census sive redditus annuos, eo modo quo in aliquibus partibus habentur ab eisdem, sed tamen cum debitis circumstantiis, ac moderationibus, non omninò videtur illicitum, easdem habere quosdam redditus vitalitios, ex quibus possint vivere, et providere suis particularibus necessitatibus pro victu et vestitu, et aliis quæ sibi à monasteriis non suppeditantur, et hoc casu eos habentes non peccare, ex Azor, Instit. moral. p. 1, lib. 12, cap. 9, q. 2, et aliis allegatis per Barbos., loc. cit., d. num. 5.

Verùm cùm posset quandoque in dubium revocari an videlicet præmissa per dictas moniales tutâ conscientiâ haberi et teneri possint, propterea vidimus circa id obtineri licentiam à Papâ, quo illam sub formulâ sequenti impartiri consuevit, videlicet :

A tergo : *Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan.*

Intùs verò :

Urbanus Papa VIII. *Venerabilis frater, salutem*, etc. *Exponi nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Olympia Mormilis, monialis professa monasterii de Jesu nuncupati Neapolitan. Ordinis S. Francisci Reformatorum nuncupatorum, quod ipsa summam triginta scutorum annuorum sibi à diversis consanguineis suis, ultra ejus subventionem dari solitorum, in usus sibi benè visos, ac etiam in eleemosynam erogare posse desiderat, Nobis propterea eadem Olympia humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur eamdem Olympiam specialis gratiæ favore prosequi volentes, et a quibusvis*, etc. *Censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ eidem Olympiæ, quatenùs illa summam triginta scutorum hujusmodi singulis annis in sibi benè visos licitos tamen usus, ac etiam in eleemosynam Christi pauperibus erogare liberè et licitè, posse valeat, de consensu tamen superiorissæ dicti monasterii. Et cum hoc, ut si ab eâ requisita fuerit, rationem administrationis pecuniarum hujusmodi reddere teneatur, arbitrio tuo concedendi, et indulgendi facultatem, apostol. auctoritate, tenore præsentium, concedimus et impartimur ; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon monasterii et ordinis prædictorum etiam juramento*, etc., *roboratis*, etc. *Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, 5 januarii 1630, Pontificatûs nostri anno septimo.*

M. A. Maraldus.

Quinimò ex declaratione sacræ congreg., monialis quidquid singulæ quoquo titulo acquisierint, totum rectè ad abbatissæ manus deferri oportet etiam quod suis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur, abbatissa tamen inprimis ex hujusmodi acquisitionibus suo arbitrio necessitatibus illius monialis, cujus operâ, vel contemplatione fuerint parta, subvenire poterit, et quod reliquum erit, in communem usum totius monasterii convertere debet, etc., ut refert Leo in suo Thesauro fori eccles. p. 2, c. 1, n. 41.

Illud autem quod dictum est de monialibus circa præmissa, dicendum profectò est de religiosis viris, quandoquidem sacra cong. censuit regulares utriusque sexûs non posse tenere propria, sed omnia dare debere suis superioribus, à quibus primò subveniendum est necessitatibus earum, vel eorum quibus munera destinata fuerunt ; reliquum verò conferendum in usum monasterii, ut ex Navar., in tractat. de Reddit. eccl., q. 1, num. 84; Barbos. in dict. allegat. 103, n. 3.

Unde hi similiter recurrunt ad summum Pontificem pro obtinendâ facultate aliquid retinendi, et in suos pariter religiosos usus et necessitates impendendi, aut etiam ex commissione parentum aliquid ab eis sibi relictum in charitatis opera post illorum obitum largiendi, ut ex formulâ litterarum, quæ hìc subnectitur, patet, videlicet :

Urbanus, Papa VIII. *Ad futuram rei memoriam. Aliàs pro parte dilecti filii Martini Arilza Toletan. seu alterius civitatis, vel diœcesis, nobis exposito quòd ipse centum ducatos annuos monetæ regni Neapolitan. dilecto etiam filio Ambrosio similiter de Arilza ordinis fratrum Prædicatorum professori, ejus nato, dare et assignare desiderabat, Nos eorumdem Martini et Ambrosii supplicationibus nobis desuper humiliter porrectis, inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis regularium præpositorum consilio, eidem Martino, quòd centum ducatos annuos prædictos dicto Ambrosio, pro suis religiosis necessitatibus dare et assignare, ipsi verò Ambrosio, ut illos pro eisdem necessitatibus accipere, percipere et levare liberè et licitè valerent ; dummodò tamen pecuniæ hujusmodi rectè deferrentur in commune depositum conventûs, ut ipsum Ambrosium commorari contingeret ; et exinde de mensu*

depositarii, et de licentiâ Superioris, ipse Ambrosius reciperet, atque in religiosas suas necessitates duntaxat, quantùm et quatenùs opus esset applicaret; applicatorumve eidem superiori, quotiescumque ab eo requisitus foret, rationem redderet, residuum verò in communes ipsius conventûs necessitatis erogaretur; licentiam concedimus, prout in nostris in simili formâ brevis, desuper expeditis litteris, quarum tenorem, præsentibus pro expresso haberi volumus, plenius continetur. Cùm autem, sicut idem Martinus nobis nuper exponi fecit, ipse quædam charitatis opera quæ palàm fieri non possunt adimplere teneatur, neminemque habeat cui operum hujusmodi adimplementum tutiùs committere possit, quàm eumdem Ambrosium natum suum, cui propterea alios centum annuos ducatos, his conditionibus, nempe ut dictus Ambrosius ex his et prædictis aliis centum ducatis nonnisi triginta in totum, quotannis pro suis religiosis necessitatibus applicare, reliquos verò centum et septuaginta ducatos annuos in prædicta charitatis opera juxta mentem et voluntatem ipsius Martini dùm vixerit, eidem Ambrosio, verbo, vel scripto, et in eventum quo ab humanis decedat, testamento declarandam, integrè impendere teneatur, necnon ut quoad centum et septuaginta ducatos hujusmodi ipsius Ambrosii superiores regulares sese ingererc, aut illis prætendere, vel dictum Ambrosium in illis, ut præfertur, expendendis, impedire non possint, assignare desideret; Nobis propterea idem Martinus humiliter supplicari fecit, ut sibi et Ambrosio prædicto in præmissis opportunè, etc., *dignaremur; Nos igitur eosdem Martinum et Ambrosium amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes et ambos à quibusvis*, etc.; *censentes*, etc.; *inclinati eidem Martino, ut ducentos ducatos hujusmodi Ambrosio prædicto, sub dictis conditionibus, et ad prædictum effectum dare et assignare; ipsi verò Ambrosio, quòd ducatos ducentos hujusmodi recipere, percipere, et levare liberè et licitè valeat; ita tamen, ut ex illis triginta tantùm ducatos pro suis religiosis necessitatibus, servatâ prædictarum litterarum nostrarum formâ, expendere possit, reliquis autem centum et septuaginta ducatos hujusmodi in opera charitatis, ad quæ dictus Martinus, ut præfertur, obligatus existit, juxta mentem et voluntatem ejusdem Martini ut supra declarandam, ad implementum et non alios usus, integrè impendere teneatur, et quòd centum et septuaginta ducatos hujusmodi, ejus superiores regulares se ingerere, aut illum quomodolibet impedire, seu eos prætendere non possint apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, licentiam concedimus et impartimur; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti ordinis, etiam juramento confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ, roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 19 septembris 1631, pontificatûs nostri anno decimo nono.*

M. A. Maraldus.

Ex his igitur patet, requiri licentiam ad id summi Pontificis, ex eo quòd nullus superior potest concedere monacho facultatem retinendi aliquid ad usum irrevocabilem, ut tenent Navar. concil. 47, n. 2, de Regular. in antiq. et cons. 15, num. 2, de Stat monach. cum aliis relatis per Barbos., dict. alleg. 103, num. 4.

Ad hæc non possunt ultra duas sorores in uno eodemque monasterio habitum regularem suscipere, professionemque ibi emittere, absque sacræ congreg. regularium licentiâ; per quam cautum est etiam, ut si tertia soror, ad eumdem habitum admittatur, tamdiù careat voce activâ et passivâ, donec altera ex prædictis duabus sororibus obierit; necnon tenetur solvere dotem duplicatam quatenùs fuerit intra numerum; si verò supra, triplicatam: quo casu adimpleri debent conditiones supra dictæ licentiæ pro monialibus supranumerariis; item, ubi laudabiles adesset consuetudo, vel apostolicâ constitutione cautum, quòd nec duæ sorores in eodem monasterio habitum suscipiant prout servatur Florentinæ, et alibi, ita servari debeat, prout eadem sacra congreg. scripsit archiepiscopo Bracharen., sub die 26 Augusti 1616, idem Barb., cap. 44, num. 14, ubi numero sequenti, ait quòd non debent ad professionem, nec ad chorum moniales admitti, nisi legere noverint, prout eadem sacr. congreg. rescripsit episcopo Argentin. 22 januarii 1604.

Prout etiam ipsa sacra cong. censuit, quòd moniales velatæ aut conversæ supra numerum non recipiantur, nisi obtentâ licentiâ sac. cong. et quoad velatas, supra numerarias, servari debeant conditiones in licentiis impressis, contentæ. Et moniales ipsæ non subrogentur in locum monialium decedentium intra numerum; nec impediantur, quin aliæ in locum earumdem demortuarum, intra numerum recipi possint; ac propterea, ne impediant hujusmodi loca, remanent semper supranumerariæ, licèt in cæteris ab aliis nihil differant, et in omnibus æquales juxta cujuslibet monasterii institutum esse debeant, ut sacra cong. conc. declaravit, 2 julii 1602; id. Barbos. loco citato.

Viduis itidem quandoque contingit, ut suæ pudicitiæ conservationi, non aliàs, quàm per alicujus monasterii monialium ingressum, consultum velint: quapropter pro hujusmodi viduis decisum fuisse, testatur id. Barbos. de Pot. episc., alleg. 102, num. 67, quòd illæ quæ viris mortuis, honestatis causâ, se contulerunt in monasterium, dummodò sint bonæ existimationis et famæ, legibusque monialium pareant, tolerari debent, et quòd de cætero nullæ hujusmodi viduæ recipi debent, nisi moniales fieri vellent; quæ nihilominùs postmodùm nequeunt abbatissæ vel priorissæ officia obire absque speciali sedis Apost. licentiâ prout declaravit sacra cong. episc. et regular. in unâ Cassanen. 29 jan. 1585, teste Barb., in Collect. bull., verbo *Abbatissa*, fol. 12, v. 2, id Barb., d. n. 7, ubi advertit, non posse episcopum dare licentiam viduæ ingredi volenti, atque in habitu laicali permanere, etiamsi toto tempore vitæ suæ illic degere, nec ampliùs inde exire vellet, quia in istis nulla adest causa necessaria.

Ac proinde in hujusmodi casibus fit recursus ad papam pro licentiâ ad id necessariâ, quæ eo modo quo sequitur concedi consuevit, videlicet ·

A tergo : *Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan.*

Intùs verò :

Urbanus Papa VIII. *Venerabilis frater, salutem*, etc. *Exponi nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Agnes de Aponte Marchionissæ viduæ terræ Padulæ, Neapolitan. seu alterius civitatis vel diœcesis, quòd ipsa Deo meliùs serviendi studio ducta in aliquod monasterium monialium civitatis Neapolitan., unà cum unâ ancillâ, quæ illi in suis necessitatibus assistat se recipere, inibique in habitu seculari quoad vixerit permanere posse summoperè desiderat. Nobis propterea supplicari fecit, ut sibi opportunam ad hoc licentiam concedere*, etc., *dignaremur. Nos igitur*, etc., *fraternitati tuæ*, etc., *mandamus, quatenùs eidem Agneti, quòd ipsa monasterium prædictum, dummodò illud mulieres seculares hujusmodi recipere soleat, et actu retineat, unà cum unâ ancillâ, ut præfertur, ingredi, et in eo quoad vixerit, in habitu seculari permanere liberè et licitè valeat, licentiam auctoritate nostrâ Apost. arbitrio tuo concedas, his videlicet legibus, videlicet, quòd inprimis et ante omnia, dilectarum in Christo filiarum abbatissæ seu priorissæ, et monialium dicti monasterii capitulariter et per secreta suffragia præstandus, et illarum superiorum ad id accedat assensus; ipsaque Agnes eleemosynam extraordinariam competentem eidem monasterio, ante illius ingressum, arbitrio similiter tuo, realiter et cum effectu impendat, ac de suis, et ejusdem ancillæ alimentis in singulos sex menses, anticipatè persolvendam, idoneè caveat, ipsaque ancilla in dicto monasterio, educationis causâ, durante illud puellas, ex eâdem causâ recipere soleat, et illas actu retineat, commoretur, ac habitu cultuque utantur modesto, sine jocalibus, auro, sive serico; locutorii, et clausuræ leges observent; ac ipsa ancilla eidem Agneti debitum interim præstet famulatum, sintque cellulæ pro eis vacuæ, et à nemine occupatæ; et si semel è dicto monasterio exierint, in illud ampliùs, absque novâ hujus sanctæ sedis licentiâ reverti non possint; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti monasterii, et illius ordinis, etiam juramento confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ, roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris. Die 14 augusti 1632, pontificatûs nostri anno vigesimo.* M. A. Maraldus.

Nec aliàs hujusmodi licentiæ concedi consueverunt, nisi cum supra dictâ clausulâ, inter cætera : *Dummodò monasterium mulieres seculares recipere soleat, et actu retineat*, etc.; sic etiam quoad ancillas, licèt aliquando viderim dari prædictam licentiam, etiam sublatâ ipsâ clausulâ, quando videlicet causæ urgentiores intercedunt, quæ Papam à petitione minimè retrahunt; prout vidi concessum D. Paulæ de Teixeira mulieri viduæ nobili Ulixbonen. in civitate Neapolitanâ commoranti quæ summo Pontifici exposuit, quòd ipsa, quò meliùs honori suo consultum sit, in Conceptionis B. M. Virginis, seu aliud monasterium monialium civitatis Neapolitanæ, in quo benevolas inveniret receptrices, unà cum duabus ancillis quæ illi in suis necessitatibus assisterent, se recipere, inibique, per aliquod temporis spatium, in habitu seculari, summoperè permanere desiderabat, ac proinde summus Pontifex commisit archiepiscopo Neapolitano, quatenùs ipsi oratrici, quòd ipsa, monasterium hujusmodi, licèt illud mulieres secularis hujusmodi recipere non soleat, unà cum dictis duabus ancillis ingredi, et in eo quoad vixerit in dicto habitu seculari permaneret, licentiam concederet cum his conditionibus : *Dummodò*, etc., *accedat assensus*, ut supra, etc., *necnon eleemosynam extraordinariam*, etc., *ipsæque ancillæ dicto monasterio educationis causâ, licèt illud puellas ex eâdem causâ recipere non soleat, nec illas actu retineat, commorentur*, etc., sub dat. Romæ, sub annulo Piscatoris, apud S. Petrum, 5 februarii 1642.

Quo verò ad mulieres quæ sunt in discordiâ cum maritis, timentque eorum sævitiam, si extra culpam sunt, quamdiù justam timendi causam habuerint, debent, si sunt in monasteriis, tolerari; in posterum verò non debent recipi. Si verò mulier venerit in suspicionem marito, quo timet ne ab eo aliqua vis inferatur, debet permitti ut possit ingredi monasterium monialium, si modò constitutiones monasterii non repugnent, et accedat consensus superiorum, abbatissæ et monialium, et causâ cessante ingressûs, debet indè exire, et si semel exierit, nunquàm postea idem monasterium ingredi poterit; et tenetur ad clausuram, sicut aliæ moniales, et stare sine ancillis : Zerol., in Praxi episc. part. 1, versic. *Ad decimum secundum*, et licèt Navar. concil. 1, de Divort., et ibi apostilla dicat sacra congreg. dedisse quamdam formulam circa hoc; et ideò occurrente casu, ad eam esse recurrendum; tamen ipse Zerol., loco cit., ait se vidisse formulam quæ est, ut primò conveniat constitutioni monasterii; secundò de consensu abbatissæ et monialium; tertiò, sine ancillis; quartò, ut servet clausuram, ac propterea censuit succedente casu repentino, posse episcopum hoc facere; quia in casibus repentinis et periculosis, non potest ita de facili habere recursum ad sedem Apostolicam, et ita ait se vidisse practicari in multis civitatibus.

Ad hæc nemo est qui ignoret quàm infelices exitus pariant matrimonia inter impares, præsertim ætate; ex Bald. in l. *Si major*, c. de Legit. hæred., et in auth. *Res quæ*, col. penult., vers. ult. notâ C. commun. de Legat. Et dicam infra lib. 7, cap. 5, num. 46, v. *Sic refert Baldus*. Quandoquidem semper ferè secum afferunt rixas et dissensiones inter conjuges, còque magis ubi sævitia viri intercedit, quæ ut plurimùm ex eâdem ætatis imparitate, tanquàm radice procedunt; potissimùm verò si ob viri sævitiam non possit mulier absque gravi damni et vitæ periculo cum viro habitare, quæ satis sufficiens causa est etiam ad separationem thori juxta text. in cap. *Litteras*, de Restitutione spoliat.; Buratt. decisione 656, num. 3.

Quare in istis casibus summus Pontifex totis viribus satagit scandalis obviare, ut dicam, d. lib. 7, c. 3, n. 3, et in praxi patet, ex tenore litterarum, quæ hic subnectuntur, videlicet :

A tergo : *Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan.*

Intùs verò :

URBANUS Papa VIII. *Venerabilis Frater, salutem*, etc. *Nuper pro parte dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Joannæ de Capoa principissæ terræ Caspoli Neapolitan. seu alterius civitatis, vel diœcesis, nobis expositum fuit, quòd ipsa à dilecto filio nobili viro Joanne, etiam de Capoa principe dictæ terræ, marito suo, cui aliàs invita nuptui data fuit, malè cum sævitiâ et minis, ac etiam vitæ periculo tractatur, ob suspiciones quæ inter eos oriuntur ob ætatis ipsorum disparitatem; cùm ipsa Joanna eximiæ pulchritudinis, ac vigesimo secundo duntaxat suæ ætatis anno constituta, dictus autem Joannes valdè zelotypus, et ferè septuagenarius respectivè existant; ac insuper idem Joannes cuncta bona sua dilapidaverit unde dicta Joanna timens, ne ex diuturniori suâ cum prædicto Joanne cohabitatione, sibi aut illi grave malum, etiam privationis vitæ forsan eveniat; et ne bona, in quibus eadem Joanna genitrici suæ successura est, in potestatem dicti Joannis deveniant, cum illorum dilapidationis periculo. Propterea, ut sibi rebusque suis consultum sit, ipsa Joanna sese in aliquod monialium civitatis Neapolitanæ monasterium, etiam ejus marito invito, cum duabus ancillis quæ illi inserviant, recipere, et inibi habitu seculari retento, per aliquod temporis spatium commorari posse desiderat : Nobis idcircò humiliter supplicari fecit, ut sibi desuper opportunè providere*, etc., *dignaremur. Nos igitur dictam Joannam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et à quibusvis*, etc., *censentes*, etc. ; *fraternitati tuæ, per præsentes committimus et mandamus, quatenùs veris existentibus narratis eidem Joannæ, quòd ipsa monasterium hujusmodi, dummodò illud mulieres seculares hujusmodi recipere soleat, et illas actu retineat, etiam ejus marito invito, ut præfertur, cum duabus ancillis ingredi, et inibi ad tempus, eidem Joannæ per te præfigendum, habitu seculari retento, permanere, liberè et licitè valeat, licentiam, auctoritate N. Apost. arbitrio tuo concedas ; his videlicet legibus, quòd inprimis et ante omnia, dilectarum in Christo filiarum abbatissæ seu priorissæ, et monialium dicti monasterii, capitulariter et per secreta suffragia præstandus, et illorum superiorum expressus ad id accedat assensus ; ipsaque Joanna eleemosynam extraordinariam monasterio hujusmodi, arbitrio similiter tuo ante illius ingressum realiter et cum effectu pendat, deque suis et earumdem ancillarum alimentis in singulos sex menses anticipatè persolvendis idoneè caveat ; ipsæque ancillæ sint virgines ac honestæ conditionis et famæ, tituloque educationis, in eodem monasterio degant ; dummodò tamen illud puellas ex eâdem causâ recipere soleat et illas actu retineat ; habitu cultuque utantur modesto sine jocalibus auro sive serico ; locutorii et clausuræ, leges observent sintque cellulæ pro eis vacuæ, et à nemine occupatæ, ac eidem Joannæ debitum interim præstent famulatum ; et si semel è dicto monasterio exierint, in illud ampliùs, absque novâ hujus sanctæ sedis licentiâ reverti non possint. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis ac monasterii, hujusmodi et illius ordinis etiam juramento*, etc., *statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris ; die decembris 1642, pontificatûs nostri anno vigesimo* M. A Maraldus.

Ipsis tamen monialibus jam professis, quæ ex aliquâ legitimâ causâ egent peculiari ope alicujus famulæ, videmus præsertim in monasteriis hujus civitatis, illam sibi, sive per sacram congregationem regularium per litteras privatas, ordinario loci directas ; sive in viâ litterarum apostolicarum in formâ brevis, concedi, si videlicet Papæ narretur, ipsam monialem egere unius famulæ operâ, quæ illi in suis necessitatibus inserviat, qui proinde ipsi ordinario mandare consuevit, quatenùs si preces veritate niti repererit, eidem moniali, unam ancillam duntaxat, pro ejus servitiis in dicto monasterio, dummodò aliquæ illius moniales, ancillas apostolicâ auctoritate retinere sint solitæ, et illas actu retineant, introducendi licentiam, arbitrio suo concedat. His tamen legibus, quòd inprimis, et ante omnia abbatissæ, seu priorissæ, et monialium illius monasterii, ad id capitulariter votisque secretis consentiant ; necnon dicta ancilla sic assumenda sit virgo, et honestæ conditionis et famæ, ac titulo educationis in eodem monasterio ; dummodò tamen ipsum puellas ex hâc causâ recipere soleat, et illas actu retineat, utque ancilla hujusmodi habitu, cultuque utatur modesto, absque jocalibus, auro sive serico ; col locutorii et clausuræ leges observet, ac debitum interim eidem moniali præstet famulatum, ejusdemque monialis consanguineorum, vel affinium sumptibus eidem monasterio singulis semestribus anticipatè persolvatur, alatur, nec monasterio onerosa sit, et in loco pro puellis ibidem educandis destinato sit cellula pro eâ vacua, et à nemine occupata, ac numerus puellarum in dicto monasterio educandarum non sit completus ; et si semel è dicto monasterio exierint, in illud ampliùs, absque novâ sedis Apostolicæ licentiâ reverti non possint.

Et sic sub câdem formulâ, datur etiam pro ancillis simul ingredientibus monasterium, cum mulieribus viduis, aut qui aliàs ex sedis Apostolicæ licentiâ, se recipiunt in monasteriis monialium, ut patet ex aliis licentiis supra positis.

Cæterùm quoad alias mulieres qualificatas, testatur Mandos. in Praxi. signat. tit. de Licentiis, versic. *Datur licentia*, fol. 74, quòd datur honestis, nobilibus et valdè dignis mulieribus quater in anno, ut cum tribus vel quatuor honestis mulieribus intrare possint quæcum que monasteria monialium, quorumcumque ordinum etiam S. Claræ de licentiâ illarum quæ monasteriis præfuerint, cum clausulâ : Dummodò ibi non pernoctent ; et aliàs, vidisse ipsum concedi nobili mulieri, quòd cum duabus mulieribus posset quæcumque monasteria regni Portugalliæ cujuscumque ordinis, etiam S. Claræ et militarium duodecies in anno ingredi et morari, et aliquando in quadragesimâ pernoctare, de licentiâ abbatissæ, alicujus alterius superioris licentiâ minimè requisitâ.

Quia verò summi pontifices pluribus diversisque mulieribus sic qualificatis, etiam in perpetuum, scilicet ad vitam impetrantium, id concesserant ; ex quo non-

nulla fortè inconvenientia oriebantur, propterea fel. record. Gregorius XIII revocavit omnes licentias et facultates ingrediendi monasteria, domos, et loca monialium, ac etiam virorum quorumvis ordinum, quibusvis, etiam comitissis, marchionissis, ducissis, et aliis cujuscumque statûs et conditionis mulieribus, et omnes licentias ingrediendi monasteria, domos et loca sanctimonialium concessas quibuscumque viris ejusdem statûs et dignitatis, à quibuscumque pontificibus, et Sedis Apostolicæ legatis, quomodolibet, et ad instantiam cujuscumque concessis, prout in suâ constitutione quæ incipit : *Ubi gratiæ*, id. junii 1565. Insuper fel. record. Sixtus V aliam constitutionem earumdem licentiarum revocatoriam edidit; per quam, easdem licentias revocavit quæcumque monasteria ingrediendi, et ibi permanendi mulieribus secularibus cujuscumque statûs et conditionis existentibus, etiam comitissis, marchionissis et ducissis concessas, ut in suâ constitutione quæ incipit : *Sanctimonialium*, die 5 januarii 1589.

Postremò, Paulus V, similis record., in aliâ constitutione, quæ incipit : *Monialium*, 10 julii 1612, id prohibuit mulieribus secularibus, etiam fundatricibus, aut donatricibus ad breve, vel ad longum tempus, etiamsi à Sede Apostolicâ hoc eis specialiter esset indultum.

Nec tamen hodiè hujusmodi licentiæ denegantur personis jurisdictionem tamen temporalem habentibus, cum conditionibus et clausulis in formulâ infra scriptâ contentis, quæ in formâ gratiosâ, et sub annulo Piscatoris in dies à Rom. Curiâ emanant, tenoris sequentis, videlicet :

A tergo : *Dilectæ in Christo filiæ Suevæ de Avalos de Este principessæ terræ Conchæ, Neapolitan. seu alterius diœcesis.*

Intùs verò :

Urbanus Papa VIII. *Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. Spirituali tuæ consolationi, quantùm cum Domino possumus, benignè consulere; teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et à quibusvis*, etc. ; *censentes, supplicationibus, tuo nomine nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, tibi, quæ, ut asseris dilecti filii nobilis viri Nicolai ex principibus ab Este, uxor existis, ut à quatuor honestis mulieribus, modesto ac decenti habitu indutis, quas semel electas, nec variare, nec mutare possis, nisi alicujus earum obitu eveniente, associata; et super veritate narratorum cognitione per ordinarium loci adhibitâ, monasteria monialium civitatis Neapolitanæ, quatuor vicibus in totum, non autem eorum singula, quolibet anno, de earumdem monialium capitulariter, et per secreta suffragia præstando, et illarum, superiorum consensu, non tamen Dominicis, seu aliis festivis aut vigiliarum diebus, neque Quadragesimæ, vel Adventûs temporibus, ingredi, ac cum eisdem monialibus conversari, et refectionem etiam sumere corporalem; dummodò tamen monialium partticularium cellas, præter eas quarum causâ monasteria hujusmodi ingredieris, non visites, neque tu, minùsque dictæ mulieres inibi pernoctetis, liberè et licitè valeas, licentiam et facultatem*, etc. *concedimus; non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et dictorum monasteriorum*, etc., *statutis*, etc. *Dat. Romæ apud Sanct. Petrum 19 decembris 1638, pontificatûs nostri anno decimo sexto.* M. A. Maraldus.

Aliis insuper mulieribus sic ingredi posse petentibus, non tribuitur ista licentia, nisi etiam jurisdictionem habeant temporalem, ac propterea non datur, seu saltem dari non consuevit, nisi cum clausulâ, *tibi, quæ ut asseris terræ N. jurisdictionem habens ducissa existis*, etc., quapropter, nisi ita sit, licentia minimè suffragatur; quia licèt expediatur tanquàm gratiosa, nihilominùs adjicitur alia clausula, nimirùm : *Et super veritate narratorum cognitione per ordinarium loci adhibitâ;* ac proinde cùm ista licentia fundetur in assertione ipsius oratricis, requirit omninò probationem, cùm referatur ad impetrantem, qui tenetur asserta verificare ; Cassad., decis. num. 1, de Rescript., et decis. 7, de jurepatr., licèt secùs dicendum esset si per verbum impersonale diceretur, *ut asseritur*, quod indiget persona nominis, vel pronominis, puta, à me, à te, ab illo, Mandos. reg. 34, quæst. 47, num. 1, et sic perinde est, ac si diceretur, si ordinarius preces veritate niti repererit : quæ quidem clausula, licèt non esset in rescripto apposita, nihilominùs subintelligeretur ; cùm quælibet gratia habeat in se hanc tacitam conditionem, cap. *Ex parte*, 1, de Rescript.; Marches. de Commis. parte 1, num. 225, fol. mihi 71, Gonzal. ad reg. 8, Cancel., glos. 9, tit. annot. cont. null. num. 229. Et aliàs in hâc Curiâ, similis licentia non fuit admissa, cùm oratrix non probaverit hanc jurisdictionem temporalem, quæ ut dictum est, venit omninò verificanda ; ex quo summus Pontifex, non aliter hujusmodi licentias quàm modo præmisso, concedit, et ex prædictâ causâ, quæ nisi verificetur, facit corruere gratiam, etiamsi ipsa causa videretur tantummodò impulsiva, ut per Menoch. de Arbit. jud., casu 201, num. 12.

Et sub hujusmodi formulâ vidimus prædictas licentias concedi, videlicet :

A tergo : *Dilectis in Christo filiabus nobilibus mulieribus Dianæ de Capuâ, et Portiæ Caraffæ ducissis terræ seu loci de Laurenzano Neapolitanæ seu alterius civitatis vel diœcesis.*

Intùs verò :

Urbanus, etc. *Dilectæ in Christo filiæ mulieres*, etc., *salutem*, etc., *spirituali*, etc. *Vobis, quæ, ut asseritis, terræ seu loci de Laurenzano jurisdictionem habentes, Neapolitanæ seu alterius diœcesis ducissæ existitis, ut à tribus matronis honesto ac decenti*, etc., *quas*, etc., *nisi*, etc., *associatæ*, etc., *tribus vicibus*, etc., ut in priori formulâ. *Dat. in arce Gandulphi, diœcesis Albanen., die 13 octobris 1636; pontificatûs nostri anno decimo quarto.*

Notandum præterea, quòd hujusmodi licentiæ neque suffragantur, nisi accedat expressè consensus monialium capitulariter et per secreta suffragia, prout voluit etiam idem Urbanus Papa VIII, in suâ consti-

tutione quæ incipit : *Sacrosanctum*, die 27 octobris 1624.

Insuper, quòd non concedantur, nisi pro quatuor vicibus ad summum; aliàs verò, pro tribus tantùm vicibus, vidi concessas; nisi qualitas personæ, et summi Pontificis benignitas aliud suadeat; quòd si fortè simpliciter concederetur, absque eo quòd exprimeretur per quot vices, intelligeretur de primâ vice tantùm, et non ultra, arg. l. *Boves*, § *Hoc sermone*, ff. de Verb. sign.; Alex. consil. 56, versic. *Unde si alicui*, vol. 4; Felin. in cap. 2, de Trug. et pace; Jas. in l. *Divortio*, § *quod in anno*, col. 3, ff. solut. matr. l. *Duobus*, § *Si ei qui*, ff. de Jurejur. licèt iste casus rarò posset evenire, cùm in prædictis licentiis, quando Papa vult, exprimit dicendo; pro unâ vice tantùm, prout aliàs vidi; et hoc modo cessant conjecturæ, ad text. in l. *Ille aut ille*, ff. de Leg. 3, l. *Continuus*, § *Cùm ita*, junctâ Glossâ, in verbo *Nullus*, ff. de Verb. oblig.

Denique supra dictæ licentiæ conceduntur ad præscriptum constitutionis supra dicti Pauli V, qui præscripsit modum utendi facultatibus concessis à Romanis pontificibus ingrediendi monasteria monialium per quam ordinavit, quòd nulla persona cujuscumque gradûs et conditionis existat, vigore licentiarum, plura monasteria, pluribus vicibus ingrediatur, sed quòd licentiæ hujusmodi, respectu universorum, non autem aliquorum, vel singulorum monasteriorum, suffragentur, ita ut, cui bis in anno, vel ampliùs plura monasteria ingredi conceditur, ei bis, vel ampliùs tantùm universa, non autem eorum aliqua vel singula ingredi liceat : etiamsi prædicta monasteria in diversis civitatibus, terris, diœcesibus et locis existant, teste Barbos. in Collect. ad loc. conc. sess. 25, c. 5, de Monial. et Regular., num. 9.

LIBER SEXTUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS AD BENEFICIA SECULARIA PRO REGULARIBUS, ET È CONTRA.

CAPUT PRIMUM.

Praxis dispensationis ad beneficia secularia pro regularibus.

Regulares, non modò ad diversa quæ hactenùs dicta sunt, verùm etiam ad beneficia secularia assequenda, sæpenumerò dispensantur; idcircò quid circa id ipsa Romana Curia servet, videamus. Et quidem satis in jure expressè cavetur, ut regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cùm per obitum aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis tantùm illius ordinis, vel iis, qui habitum omninò suscipere et professionem emittere teneantur, et non aliis; ne vestem lino lanâque contextam induant, conferantur, ut inter cætera jura novissimè cautum est per concil. Trid. sess. 14, cap. 10, de Reform., indecorumque admodùm sit rationique minimè congruum, si etiam secularibus conferantur; ne homines disparis professionis, vel habitûs, Ecclesiis præficere, aut in unâ eâdemque Ecclesiâ sociari; quapropter secularia beneficia, secularibus; regularia verò, regularibus conferri debent. c. *Cùm de beneficio*, de Præb., in 6, cum aliis, nisi tamen prout aliàs fieri audivi, beneficia ipsa regularia, ad secularitatem apostolicâ auctoritate reducta fuerint; quod quidem nunc rarò, et non sine maximis causis fieri contingit, ut omnes ferè possunt testari curiales, licèt Ecclesia secularis, possit facilè fieri regularis, ut probat Lap., alleg. 44, allegans ibi d. cap. *Cùm de beneficio*, ubi, quod beneficium quod consuevit regi in statu regulari efficitur seculare.

Hinc fit ut regularis, sine summi Pontificis dispensatione inhabilis reddatur ad beneficium seculare; sicut è contra, secularis ad beneficium regulare; unde benè nôrunt, non modò curiales ipsi, verùm etiam exteri, quòd si monachus quisquam sive alius regularis impetret beneficium seculare, nullâ secularitatis hujusmodi habitâ mentione, aut è converso, nulla prorsùs et invalida redditur collatio; Felin. in cap. *In nostra*, num. 41, de Rescript., Cassad., decis. 4, num. 1, de Præb. Quod profectò procedere neminem latet, etiamsi collatio ipsa fuerit motu proprio facta; quandoquidem ipse motus proprius nunquàm aufert inhabilitatem personæ, aut alios substantiales defectus; Barbos., claus. 79, num. 22; neque firmat gratiam contra mentem concedentis, Menoch., de Arbitr. jud. casu 201, num. 80.

Ne autem, te, qui simplex es curialis, per ignotos terminos procedere contingat, scias quòd regularia beneficia illa dicuntur, quæ ex suâ fundatione seu institutione vel consuetudine, religiosis sunt addicta; Rebuff., in Concord., rubr. de Collat., § *Volumus*, in verbo *Regularia;* vel illa quæ per quadraginta annos consueta sunt regi per eosdem; d. cap. *Cùm de beneficio*.

Ab hâc tamen nostrâ praxi devium non agnoscas, ut quoad parochiales Ecclesias seculares, hoc ordine procedatur; nimirùm, quòd licèt in dubium aliàs revocaretur, an scilicet stante dispositione text. in c. *Quoa Dei timorem*, de Stat. monach., liberè posset canonico regulari conferri beneficium curatum seculare; ac propterea docuerit inter cæteros Gonz. ad Reg. 8 cancell., gloss. 7, n. 53, in primâ impressione, quòd hodiè nulli regulares, etiamsi sint canonici, habere possunt beneficia curata sine dispensatione apost., neque in perpetuum, neque ad tempus, quodque ita observari vidit, ac desuper emanaverat quædam declaratio S. congr. concilii ubi, etiam, quod licèt olim dabatur monachis dispensatio ad unum beneficium curatum, contra cap. *Monachi*, de Stat. monach., hodiè non admittuntur,

nec dispensantur, prout disponitur in const. Pauli V, quæ incipit : *Postquàm divina bonitas*, tertio decimo kal. aug. anno 1518, per quam disponitur, etiam privari regularem quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, qui absque dispensatione illa obtinuerit ; et quamvis dicta constitutio fuerit redacta ad terminos juris communis per Pium IV, quæ incipit : *Sedis Apostolicæ solertia*, tertio non. aprilis 1560, tamen praxis admisit, quòd canonici regulares sine dispensatione Apostolicâ talia beneficia obtinere non possunt, præsertim stantibus decreto Greg. XIII, et prædictâ dispositione concil. Trident.

Attamen id. Gonz. loco cit. in addit., in secundâ impressione, versic. *Cæterùm*, ait quòd re maturiùs consideratâ, contrarium est tenendum ; tum quia de jure communi canonicus regularis potest obtinere parochialem Ecclesiam, d. c. *Quod Dei timorem*, tum etiam quia per d. conc. Trid. non modò est aliquid derogatum, imò potiùs approbatum in sess. 14, c. 11, dùm statuit, quòd hujusmodi canonici translati de uno ad alium ordinem, non possint obtinere beneficia curata ; unde quoad non translatos, videtur id. concil. approbare dispositionem juris communis.

Unde ex his videtur ipsos canonicos regulares, sine dispensatione Sedis Apost., adhibitâ tamen licentiâ suorum superiorum, posse dicta beneficia secularia curata obtinere ; præsertim, cùm videatur sublata difficultas per decis. Rot., in unâ Papien. Jurispatr., die 6 martii 1598, coram Seraphin., ubi, proposito dubio, an scilicet canonico regulari poterat hodiè de sui superioris licentiâ conferri beneficium seculare curatum, fuit dictum et resolutum, quòd licèt secularia beneficia non sint conferenda regularibus, possunt nihilominùs curata conferri canonicis regularibus, et novissimè sequitur, et tenet Vivian. in Praxi jurispat., in append. ad c. 2, l. 6, in fine d. Praxis, ubi testatur, S. Carolum Borromæum, prævio concursu, anno 1584, quarto idus januarii, contulisse parochialem Ecclesiam S. Remigii Vicemodroni Mediolan. diœcesis, D. Theophilo Varisio, canonico regulari congr. Lateran., habenti talem facultatem à suo generali ; et à Clemente VIII, fuit collata præpositura D. Pauli Tapparello Pedemontano, canonico regulari Lateranen., ante tamen collationem, visum fuit an præmissis non obstaret decretum concil. Trid. et sac. congr. respondit, non obstare, nisi esset translatus ; id. Vivian. loco citato.

Nec præmissis adversari aliquo modo videtur declaratio S. cong. quam refert id. Gonz., d. gl. 7, n. 35, necnon quoddam decretum Greg. XIII, per hæc verba : *S. D. N. noluit licere canonicis regularibus cong. Lateranen., etiam de licentiâ sui generalis, absque consensu summi Pontificis, assumere curam animarum, etiam ad tempus multòque minùs beneficium curatum ad tempus*, ut per Garc., de Benef., part. 7, c. 10, sub n. 32, in fine. Quia quoad dictam declarationem concil. quamdiù non constat de intentione Papæ, nihil facit, ut in auth. *Si quis in aliquo*, c. de Eden. ; quo verò ad sententiam supra dicti Greg. XIII, neque sufficit aliquando ipsum noluisse, poterat enim postea velle, l. 4, ff. de Admin. tut., quia voluntas non reducta ad actum legis, vel dispositionis, nihil operatur, l. *Quidam cùm filium*, post princip. ff. de Hæred. instit., l. *Cùm in plures*, § *Locator*. ff. *Locati*, c. *Quemadmodùm*, de Jurejur. Sicque hodiè ad præscriptum supra dictæ decisionis in partem affirmativam inclinari posse videtur.

Atverò ego in tutâ praxi ad negativam inclinandum esse existimo, nimirùm, ut non obstante d. Putei Decis., canonicos regulares non esse admittendos ad curam Parochialem Ecclesiarum absque sedis Apostolicæ dispensatione, ita enim resolutum fuisse per sacram. congr. episc. et reg. in unâ Cremon., 1 septemb. 1630, testatur ad coll. DD. num. 7, fol. mihi 149, et sic vidi pluries servatum in praxi, à quâ vera legum interpretatio desumitur ; Bald., in cap. 1, num. 7, de Feud. 51, c. *Amitt.* Illud enim est quod satis urget, nempe quia supra dictæ dispositioni text. in d. cap. *Quod Dei timorem*, fuit derogatum per concordata Leonis X, ut per Rebuff, in rubr. de Collat. § *Volumus*, 1, verbo *Et conformitatem*, quapropter absolutè dicendum est, ipsis canonicis regularibus non posse conferri beneficia secularia prout non modò testantur omnes peritissimi et antiquissimi curiales, verùm etiam multi pontifices significârunt, teste Sanch., in Præcepta Decalogi, tomo 2, lib. 7, cap. 26, num. 71, quem refert Barbos., de Jur. Eccles., lib. 3, cap. 4, num. 71, vers. *Diximus*, circa fin., ubi concludit, quòd hodiè Canonicus regularis absque dispensatione summi Pontificis, non potest ad parochialem Ecclesiam promoveri, et per extensum affert dictam declarationem in hæc verba videlicet : *Canonici regulares, non obstante cap.* Quod Dei timorem, *non admittuntur ad curam parochialem Ecclesiarum, absque sedis Apostolicæ dispensatione.*

Ratio autem cur ipsis canonicis regularibus erat indultum, ut per d. cap. *Quod Dei timorem*, beneficia curata secularia obtinere potuissent, jam expressa est in eod. cap. in § *Licèt*, per hæc verba, videlicet : *Licèt autem in Lateranen. concilio de monachis caveatur, ne singuli per villas et oppidà per quascumque parochiales ponantur Ecclesias*, etc., *quia tamen illud de canonicis regularibus specialiter non cavetur, qui etsi à sanctorum monachorum consortio non putentur sejuncti, regulæ tamen inserviunt laxiori et per antiquos canones, etiam monachi possunt ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium (quod privilegiatum est) exercere, sic annuendum duximus postulatis, ut exercens plebani officium, si commodè fieri poterit, unum canonicum regularem secum habeas, ad cautelam, cujus, in his quæ Dei sunt, et regularis observantiæ, tam consortio quàm solatio perfruaris.*

Et ob hanc eamdem rationem, puto Leonem X concessisse his canonicis regularibus in episcopos promotis, ut tam in capellâ pontificali, quàm extra eam, habitus et colores clericis secularibus in episcopos promotis concessos, gestare possint : prout in suis litteris in formâ brevis expeditis, sub dat. Romæ apud

Sanctum Petrum, anno 1519, pontificatûs sui anno septimo.

Hæc autem quoad canonicos regulares, ad ipsa beneficia curata, quo verò ad alios regulares, eos, etiam attentis juribus superiùs allegatis, omninò esse inhabiles ad eadem beneficia obtinenda, non ambigitur, nisi tamen sint episcopatus; quia ad dignitatem episcopalem, et monachus nedùm potest eligi, et de eâ provideri text. in cap. 1, 18, quæst. 1, Clem. 1, de Elect.; nam, et ipse episcopus appellatur religiosus c. *Ex multâ voto*, verùm etiam habet jus succedendi, et liberatur à tribus substantialibus regionis, cap. un. 18, quæst. 1, quia de filio jam factus est pater, facitque fructus suos in vitâ, et de eis disponere potest non minùs quàm secularis; Bald. in cap. *Clerici* 2, num. 7, de Vit. et Hon. cler. Navarr., consil. 15, numer. 4, et per tot. de Regular., ibi n. 8, ait praxim totius christiani orbis ita servare, et plura de hâc revideri possunt penes Ludovis., decis. 401, absolutus tamen à vinculo, non potest habere officia, et dignitates sui ordinis, redeundo ad illum, ex constitut. Pauli IV, quæ incipit: *In sacrâ*, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, 19 julii 1059.

Cæterùm nunquàm eis talia beneficia conferuntur, nisi in casibus in infra scriptis duabus declarationibus sacræ congregationis concilii contentis per quas conclusio prædicta hanc recipit restrictionem, nimirùm si accedat dispensatio Papæ ex aliquâ urgenti necessitate, quæ tunc, ut nostra praxis docet, dari consuevit, quando clerici seculares idonei minimè reperiuntur; ex quo in defectum clericorum secularium, possunt beneficia secularia regularibus conferri; et è contra beneficia regularia secularibus; tunc enim necessitas non habet legem, cap. *Abbate*, in fin., de Verb. signif. Quod præsertim est intelligendum de Ecclesiis curatis; unde emanârunt duæ sequentes declarationes sacræ congregationis concilii, quarum prima est: *Quæritur an Ecclesiæ parochiali, ex necessitate, nempe ob penuriam sacerdotum, regularis perpetuò possit præfici, sacra congregatio respondit permitti posse, ita tamen, ut deducto victu, quod reliquum fuerit redditurum, in utilitatem Ecclesiæ et pauperum convertatur, ob id autem necessariam esse hodiè dispensationem, contra opinionem communem antiquorum doctorum dicentium, quòd ita de stylo observari consuevit, quod si magis placeret S. D. N. Sixto posse quod petitur, ad tempus concedi, quoad scilicet episcopus provideret de clerico seculari: nihil tamen concedendum nisi, instante episcopo, pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ supra dictam priorem sententiam congregationis, probavit Sanctissimus.* Secunda verò. *Quidam clericus miles S. Stephani petiit admitti in concursu cujusdam Ecclesiæ parochialis; congregatio parva censuit, significandum datario, concilium non prohibuisse, quin regulares possint habere seculares parochiales; jus etiam vetus, non obstare videat ipse si institutum militiæ suæ obstat. Sanctissimus noluit, quia dixit prohibere concilium Lateranense in concordatis cum Leone;* Rebuff. in Concord., et ideò scribendum episcopo, *ne regularem admittat ad concursum, quod non debuit istum, scilicet, admittere,* refert Garc. part. 7, cap. 10, num. 32.

Ut autem supra dictas declarationes sacræ congregationis circa parochiales Ecclesias in praxim deducamus, sciendum est quòd servat stylus Curiæ ut in supplicationibus dispensationum pro dictis beneficiis curatis per regulares obtinendis semper exprimatur habilitas oratoris, nimirùm: *Supplicat igitur humiliter S. V. devotus illius orator N. expressè professus ordinis Minorum domûs N. frater ordinis Minorum de observantiâ nuncupati, ordinem ipsum, in domo eorumdem fratrum expressè professus, theologiæ professor ac verbi Dei concionator, quatenùs eid. m oratori, pro quo devota creatura vestra episcopus seu vicarius N. aut parochiani dicti loci ob penuriam presbyterorum secularium in illis partibus ob eximiam prædicandi verbi Dei oratoris scientiam, E. S. V. humiliter supplicant, conferre, et de illâ etiam providere, secumque, ut illam reciperè, et quoad vixerit retinere liberè et licitè valeat, dispensare dignemini de gratiâ speciali,* etc.

Alias similes dispensationes pluries vidi in ipsâ Romanâ Curiâ concessas pro Parochialibus Ecclesiis vacantibus, etiam per resignationem ad favorem diversorum regularium, quarum provisiones committebantur locorum ordinariis in formâ, *Dignum novissima* cum infra scriptis decretis, videlicet: *Et de licentiâ sui superioris; ad cujus nutum ipse orator regularis quandocumque ad claustrum revocari possit. Et cum decreto quòd, detracto ex fructibus parochialis Ecclesiæ quod necessarium fuerit pro oratoris congruâ sustentatione, quod ex eis reliquum erit, in pauperes illius loci, aut reparationem ædificiorum, et in emptionem ornamentorum ejusdem Ecclesiæ, arbitrio ordinarii convertatur. Et cum expressione, quòd hæc gratia fit ob eximiam scientiam et peritiam prædicandi verbi Dei ipsius oratoris, et difficultatem inveniendi probos et peritos Rectores seculares his calamitosis temporibus, in quo munere prædicandi ipse orator se exercere, et in dicto loco, habitu regulari retento, continuò personaliter residere, ac eidem parochiali Ecclesiæ per seipsum deservire, et parochialia officia gerere et exercere debeat; aliàs dicta Ecclesia vacet eo ipso.*

Et hæc propter canonicos regulares, procedunt de stylo Curiæ, nempe ut exprimatur, oratorem regularem esse aptum concionatorem, vel quid simile, circa quod non potest dari certa regula, qui quidem stylus non longè distat à jure communi, per quod habetur, sicut diximus, tunc secularia beneficia curata esse regularibus conferenda, quando videlicet urget ipsa necessitas; c. *Inter quatuor*, de Religios. domibus; Rebuff. in concord. tit. de Collat. § *Volumus*, 1, verbo *Et conformitatem.*

Similem gratiam vidi concessam pro dignitate principali curatâ apud Helvetios pro fratre ordinis Eremitarum S. Augustini, magistro in theologiâ pro quo committebatur ordinario, ut sequitur: *Et postquàm orator fidem catholicam juxta articulos pridem à sede Apostolicâ propositos, in ejus manibus professus fuerit, ei propter defectum personæ secularis, quæ curam ani-*

marum hujusmoai exercere posse, et eximiam dicti oratoris scientiam, ac prædicandi verbi Dei peritiam, ita expedire judicaverit, illumque per diligentem examinationem ad id idoneum esse repererit, omnes et singulos fructus, ac etiam distributiones ejusdem archipresbyteratûs eidem oratori pro stipendio ratione exercitii curæ animarum hujusmodi, donec de aliâ personâ seculari idoneâ, cui dictus archipresbyteratus conferri possit, per Sedem Apostolicam prospectum sit, illius titulo interim suppresso, ita ut à quoquam impetrari nequeat, concedat et assignet, citra provisionem, seu commendam dicti archipresbyteratûs, et de licentiâ superioris dicti oratoris qui in munere prædicandi verbi Dei se sedulò exercere, et habitum suum regularem, ut antea semper gerere et retinere ubique debeat, ac ad nutum dicti superioris ad claustrum quandocumque revocari possit; et quòd, detracto ex fructibus et distributionibus quotidianis, quod necessarium fuerit pro ejus congruâ sustentatione, quod reliquum erit domui, in quâ ipse orator professus est, cedat.

Iste item ordo servatur, cùm ex decreto concilii Trid., sess. 5, cap. 1, non reperitur clericus secularis pro theologali præbendâ in cathedrali Ecclesiâ; unde aliàs à sacrâ congregatione ipsius concilii emanavit sequens declaratio, videlicet : *Congreg. concilii censuit, quando clericus secularis idoneus pro theologali præbendâ non reperitur, collationem illius suspendendam esse, donec inveniatur idoneus theologus secularis cui fieri possit, et interim nullum esse deputandum custodem aut curatorem fructuum ipsius canonicatûs; sed eos omnes tradendos superiori alicujus ordinis, qui curet ut aliquis theologus ex suis regularibus publicè in cathedrali Ecclesiâ doceat sacram Scripturam, prout mandatur decreto conc. cap. 1, sess. 5, eique inprimis necessaria subministret ex dictis fructibus; quod reliquum fuerit in usum monasterii convertat.* Ac proinde quando casus evenit ut petatur per sedem Apostolicam desuper provideri, committitur ordinario, cum decreto : *Et citrà provisionem; sed de concessione et assignatione duntaxat omnium, et quorumcumque fructuum et distributionum quotidianarum canonicatûs et præbendæ præfatorum, eidem oratori pro stipendio præbenda theologalis, ad vitam ipsius oratoris, seu donec de alio magistro in theologiâ titulari idoneo, cui canonicatus et præbenda præfati conferri possint, per loci ordinarium prospectum sit; illorum titulo interim suppresso; ita ut à quoquam impetrari nequeant. Et de licentiâ superioris dicti oratoris, qui habitum suum regularem, ut antea, semper gerat, et retineat ubique; aliàs præsens gratia nulla sit eo ipso.* Quamvis non ignoremus quòd aliquando etiam, ob necessitatem personæ graduatæ, canonicatus et præbenda theologalis conferantur clerico seculari non graduato; præsertim, ubi illorum fructus sunt tenues; quapropter in dispositivâ litterarum apostolicarum hujusmodi collationis, prosequitur : *Nos volentes præfatum N. presbyterum asserentem, se, licèt in theologiâ graduatus non sit, ad explendum tamen munus eidem præbendæ, tanquàm theologali incumbens, habilem existere ac in civitate et diœcesi prædictis, nullum graduatum, aut qui intra annum in theologiâ graduari possit, adesse, apud nos,* etc.

Beneficia autem secularia simplicia, pari ratione nequeunt adhùc obtinere religiosi, licèt canonici regulares fuerint, etiam cum dispensatione episcopi, Navar., cons. 11, de Statu monach., et fuit resolutum in d. Papien. Jurispatronatûs, beneficium seculare non posse conferri canonico regulari, sine apostolicâ dispensatione, nisi sit parochialis, ut per Garc., de Benef., p. 7, cap. 10, num. 29; quidquid dicat Vivian., in append. ad fin. suæ Praxis jurispatr., dùm indistinctè tenet, canonicum regularem sine speciali dispensatione Sedis Apostolicæ cum solâ licentiâ sui superioris regularis, posse obtinere beneficia secularia in titulum, et ibi affert exemplum, dicens Paulum V contulisse canonicatum Ecclesiæ Capritan. D. Antonio Caracciolo, canonico regulari de cujus tamen collatione non constat, et quatenùs ita sit, credo dictum canonicatum fuisse sibi dispensativè collatum, aut non factâ mentione, quòd dictus Antonius esset canonicus regularis, et allegat ipse Vivian. D. Gabriel. Pennott. ex congreg. Lateranen., in suâ tripartitâ Historiâ, lib. 2, de Orig. ordin. canonic. regular., in quo ego vidi fieri mentionem de prædictâ collatione canonicatûs Capritan., nec tamen ibi distinguit modum collationis prædictæ; neque sufficit quòd tales canonici regulares quando professionem emittunt, inter cætera dicant, quòd nunquàm absque licentiâ capituli generalis, vel ejus auctoritate fungentis, aliquod cum curâ, vel sine curâ beneficium acceptabit intùs, vel extra ordinem eorum; renuntiando omnibus juribus et privilegiis et consuetudinibus in contrarium eis competentibus, vel quomodolibet competituris, etc., quia, etiam de licentiâ superiori, ad simplicia beneficia requiritur apostolica dispensatio; et illa verba, *vel extra ordinem nostrum*, non possunt intelligi de beneficiis secularibus, sed de regularibus alterius ordinis; attento quòd beneficia regularia solita per ejusdem monasterii monachos gubernari, nullatenùs possunt conferri aliis clericis regularibus diversi ordinis et religionis, cùm non conveniat ut homines disparis professionis, vel habitûs simul in eisdem monasteriis associentur, ut d. in Clem. 1, de Elect., Gonz., ad Regul. 8, gl. 8, n. 9 et seq., ubi plura ad hoc more suo congerit. Et cùm annis proximè elapsis occurrisset vacatio quorumdam simplicium beneficiorum secularium de jure patronatûs, in hâc civitate, seu diœcesi, fuissetque ab illorum patronis præsentatus ad illa idem D. Antonius, canonicus regularis, consultus ego ab eodem, respondi eum esse inhabilem ad eadem, et ob id debebat petere institutionem à sede Apostolicâ cum opportunâ dispensatione; atverò cùm ille petiisset institutionem hujusmodi in hâc curiâ archiepiscopali, fuit sibi denegata; et licèt pro parte suâ fuisset allegatus text. dicto cap. *Quod Dei timorem*, de stat. Monach., fuit responsum d. textum habere tantummodò locum in beneficiis curatis secularibus pro ipsis canonicis

regularibus, non autem in beneficiis simplicibus.

Quinimò, nec religiosi ordinis militaris, sunt horum beneficiorum secularium simplicium capaces sine apostolicâ dispensatione, quod procedit, etiam in Religiosis Ordinum Militarium S. Joannis Hierosolymitani, et similium; quia eis non possunt conferri talia beneficia ecclesiastica secularia; id. Gonz. glos. 8, n. 42; cùm enim emittant ipsi tria vota substantialia, obedientiæ videlicet, paupertatis et castitatis, sunt verè religiosi; licèt his frequentior detur dispensatio apostolica ad beneficia simplicia; et non aliàs quàm cum limitationibus et clausulis infra scriptis, secundùm recurrentem stylum datariæ apostolicæ; ac proinde pro milite religionis Hierosolymitanæ emanârunt litteræ provisionis apostolicæ cum opportunâ dispensatione, eo quo sequitur modo, videlicet:

Paulus, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Fabritio Girundo, presbytero Neapolitano, fratri capellano hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, salutem, etc. *Religionis zelus, vitæ ac morum honestas*, etc. *Cùm itaque postmodùm ecclesia seu capella, aut legatum pium, uni clerico seculari, in titulum perpetui simplicis beneficiis ecclesiastici, conferri et assignari solitum in certâ portione cujusdam terræ prædii* la Bufalara *nuncupati in territorio loci Villæ Juliani Aversan., diœcesis consistens, quam, seu quod bonæ mem. Octavius episcopus Nicoteren. dùm viveret, in titulum ex concessione seu dispensatione apostolicâ obtinebat; per obitum dicti Octavii episcopi, qui extra Romanam Curiam de mense martii proximè prætérito, debitum naturæ persolvit, vacaverit et vacet ad præsens, nullusque*, etc. *Nos tibi*, etc., *qui examinatus et idoneus repertus, testimonio ordinarii tui Neapolitani de vitâ et moribus prædictis ac idoneitate, etiam commendaris, et, ut asseris, habitum et crucem per fratres capellanos hospitalis S. Joannis Hierosolymitani gestari solitos, pridem suscepisti; ac professionem per eos emitti consuetam, expressè emisisti, regulares, præmissorum meritorum tuorum intuitu*, etc. *Nos enim tecum, ut ecclesiam, seu capellam, aut legatum hujusmodi, vigore præsentium recipere, et quoad vixeris, retinere, liberè et licitè valeas, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac præfati hospitalis, etiam juramento, confirmatione apostolicâ vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque nequaquàm obstantibus, dictâ apostolicâ auctoritate, earumdem tenore præsentium de specialis dono gratiæ dispensamus. Volumus autem quòd tu, per publicum instrumentum, in archivio Curiæ episcopalis Aversan. retinendum, seu per inscriptionem duraturam in pariete lictæ ecclesiæ, seu capellæ faciendam, declarare teneatis, eamdem ecclesiam seu capellam, aut legatum hujusmodi, non regularem seu regulare, sed merè secularem, seu seculare esse; nec per regulares, seu per seculares clericos obtinere consuevisse; aliàs præsens gratia nulla sit eo ipso. Nulli ego*, etc. *Dat. Romæ*, etc.

Et sic habes ex hâc formulâ litterarum, quod ultra derogationem obstantium, sequitur decretum: *Volumus autem*, etc., per quod cautum est, ne de cætero, ipsa ecclesia, seu capella, per hujusmodi collationem, prætendi possit acquisivisse statum regularitatis; qui facilè, tractu temporis posset mutari; ad quod tamen requiritur possessio quadraginta annorum cum bonâ fide; textus in d. c. *Cùm de beneficio*, ibi, *Ut præscriptio legitima sit completa*, et ibi Glos., in verbo *Legitima*, de Præb., in 6, quando videlicet constat de verâ qualitate beneficii, ac illius anteriori statu sublatis provisionibus apostolicis, et earum temporibus apostolicis, et earum temporibus, quæ non mutant statum; Achill. de Gras., dec. ult., de Jurepatr., nisi appareat esse factas animo mutandi statum; id Garc., p. 7, cap. 10, num. 35, circa fin.; si etenim de contrariâ qualitate et anteriori statu non constaret, attendendus esset ultimus status, maximè, si est secularitatis; id Garc., dicto cap. 10, num. 34, ex quo ob assistentiam juris, beneficia præsumuntur secularia, nisi regularia probentur, quandoquidem, ut ait Gonz., gloss. 7, n. 2, cùm S. Petrus apostolorum princeps, fuerit secularis, præsumuntur sic fundata beneficia, sequendo hunc primum patronum. Quare ex hâc ratione dicimus quòd papatus sit beneficium seculare, c. 1, de maled. Gonz. ad reg. 8, glos. 7, num. 39. Ex hâc igitur ratione, licèt ad præscribendum statum regularitatis, requiratur præscriptio quadragenaria, ut dictum est, ad præscribendum tamen statum secularitatis sufficiunt decem anni; cùm ob assistentiam juris communis, fiat reductio ad primævum statum; id. Gonz. num. 8 et 9, ut dictum est.

Et quia ad effectum dignoscendi, an et quando in similibus impetrationibus sit petenda dispensatio vel ne, non erit prorsùs à simplicibus curialibus respuendum, scire quasnam conditiones requiri ut beneficium fiat ex seculari regulare, et è contra. Et quidem sex sunt, quarum prima est, ut tempore ad legitimam præscriptionem administratum sit beneficium per seculares, ut fiat seculare, ut infra dicetur, vel per regulares, ut fiat regulare. Secunda, ut tale beneficium possidentes, sint in eo instituti. Tertia, ut in ipso beneficio sint instituti tanquàm rectores, non autem tanquàm vicarii vel conductitii clerici administrantes. Quarta, ut administretur beneficium à regularibus, tanquàm regulare, ut transeat in regulare; secùs autem, si gubernetur tanquàm seculare, ad instar clericorum secularium, veluti, si præficiatur regularis Ecclesiæ curatæ, vel si beneficium regulare, seculari; vel seculare regulari ex dispensatione conferatur; et si possideatur per tempus quadraginta annorum. Quinta, ut conferens, animo et intentione beneficium conferat, ut velit imprimere illum statum beneficio. Sexta, ut beneficium regulare possideatur bonâ fide à seculari, et seculare à regulari; quas quidem conditiones congerit Rebuff., in Concord. dict. § *Volumus*, verbo *Regularia*, et ex pluribus doctoribus, Barbos. de Jur. eccles., l. 3, c. 4, sub n. 68.

Et cùm in dubio, ad hoc, ut beneficium dicatur

seculare, vel regulare, attendatur ultimus status, an scilicet vacaverit illud per obitum personæ secularis, vel regularis, ut per Put., decis. 189 et 192, lib. 1, ob id datarius, ejusque officiales nimis hodiè invigilant super hujusmodi provisionibus et dispensationibus, qui nunquàm sinunt similes supplicationes et abbreviatores majoris præsidentiæ, litteras apostolicas transire sine prædictis limitationibus et decretis; licèt antea ista praxis minimè introducta erat; ac proindè facillimè allegari poterat præscriptio alterutrius statûs; quod profectò contingere non potest adhibitis cautelis in supra dictâ formulâ litterarum appositis, nunquàm allegari quadragenaria præscriptio, quando adest privilegium, vel dispositio Papæ cum decreto irritante, quod benè advertunt Franc. et alii, in d. cap. *Cùm de beneficio*, de Præb., in 6, Crescent., decis. 4, n. 6, de Privileg.; id Garc., d. c. 10, n. 35.

Cum istis fratribus hospitalis S. Joannis Hierosolymitani vidi pluries dispensari, ut possint etiam retinere officia secularia, et præcisè in ipsâ cancellariâ apostolicâ; in quâ vidi unum ex ipsis provideri per summum Pontificem de uno ex officiis sollicitatorum, seu jannizzerorum, et fuit sibi data dispensatio cum indulto illud recipiendi et exercendi, cum derogatione privilegiorum dicti hospitalis.

Dispensatur quandoque regularis ad pensionem, etiam super fructibus beneficii secularis; et tunc datur hoc decretum: *Et de reservatione pensionis prædictæ in administrationem pro dicto oratore ad usus religiosos tantùm, ita ut ejus superiori, quandocumque et quotiescumque, ab eo requisitus fuerit, rationem administrationis hujusmodi reddere omninò teneatur.*

Fuit aliàs dispensatum cum milite S. Jacobi, ut pensionem ad quamdam certam summam ascendentem sibi reservandam, percipere posset; postmodùm verò in casu illius reservationis, pro executione dictæ dispensationis, fuit dictum quòd, quoad pensionis hujusmodi reservationem, ita intelligeretur, dummodò ad hoc cum ipso oratore fuerit sufficienter dispensatum, ac præfata pensio, et aliæ ipsi jam forsan reservatæ pensiones annuæ, insimul summam sub dictâ dispensatione comprehensam non excederent.

Regulari Mendicanti vidi aliàs pensionem reservari; et fuit in supplicatione expressum, quòd ipsa pensio sibi reservabatur in administrationem, ad hoc ut suis necessitatibus provideretur usque ad summi Pontificis eam reservantis, et Sedis Apostolicæ beneplacitum duntaxat, tenendam, percipiendam et exigendam ac levandam, ita tamen ut ejus superiori quandocumque, etc., ut supra.

Necnon religioso ordinis Prædicatorum in theologiâ ac sacri palatii apostolici magistro, ob insignia ejus merita, ut tam illius quàm personarum ei, etiam extra claustra ministrantium, et deservientium necessitates in aliquo sublevare valeret; fuit similiter reservata pensio in administrationem ad beneplacitum, ut supra, et fuit in supplicatione additum ut ipsam pensionem posset in suos honestos, et aliorum pios usus convertere.

Et quomodocumque pensio ipsa regulari reservetur semper dicitur ut illam possit retinere in administrationem, etiamsi sibi reservetur ex causâ resignationis, et cum modificationibus et conditionibus supra dictis; et quandoque additur, ut illâ utatur ad usus tantummodò religiosos, sicut supra dictum est.

Si verò ipse regularis dispensatus ad unum beneficium seculare, illud resignet, et super illius fructibus sibi pensio aliqua reservetur, illius erit capax absque novâ dispensatione, cùm dicta pensio succedat loco beneficii, ad quod secum dispensatum fuerit; est tamen hìc non oscitanter advertendum, quòd domini officiales cancellariæ Apostolicæ in his et similibus casibus tenent, oratorem egere desuper novâ dispensatione, ut possit ipsam pensionem percipere dicentes dispensationem prædictam fuisse consumptam in primo actu, nec extendendam ad secundum; hìc tamen quandoque prævalent partes et industria optimi sollicitatoris, quia ipsi domini officiales dicunt requiri novam dispensationem ob illius naturam, quæ, cùm sit contra jus, venit strictè interpretanda, et non extenditur ad casum non expressum.

Cùm autem beneficia regularia conferri non possint, nisi expressè professis, juxta text. in cap. *Nullus*, de Elect., in 6, ibi, *nisi antea fuerit ordinem regularem expressè professus*; Franc. in cap. *Beneficium*, num. 1, circa finem, de Regular. in 6, Clement. *Quia regulares*, de Suppl. negl. prælat., propterea dispensari consuevit cum clerico seculari ad regimen monasterii, cum decreto videlicet, *Ut habitu regulari per fratres monasterii gestari solito non suscepto, ac professione per eos emitti solità non emissâ; præfatum monasterium recipere, et ad biennium ab hodiè computandum, retinendum, et deinde habitu suscepto ac professione hujusmodi emissâ, illi præesse, illudque in spiritualibus et temporalibus regere, et gubernare liberè et licitè valeat, dispensare.* Et addi consuevit in calce supplicationis: *Cum eo tamen, quòd orator habitum hujusmodi suscipere, ac professionem prædictam emittere, ante finem dicti biennii omninò teneatur, et sine spe commendæ de dicto monasterio faciendæ alioquin dicto biennio elapso, monasterium hujusmodi vacare censeatur eo ipso, et ad restitutionem fructuum interea perceptorum penitùs sit adstrictus.*

Datur etiam provisio monasterii oratori, qui nondùm ad ætatem legitimam pervenit, neque habitum suscepit, prout eam vidi concessam pro quodam canonico Meten., et pro eo fuit porrecta supplicatio; in quâ aderant hæc verba, *de personâ dicti oratoris, ea nunc, prout ex tunc, postquàm ad ætatem legitimam pervenerit, ac habitum susceperit, et professionem emiserit, ante dictos providere, illumque ei in abbatem præficere; curam ipsius monasterii in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo. Ne verò idem monasterium, donec ipse orator ætatem legitimam attigerit, aliqua in eisdem spiritualibus et temporalibus detrimenta patiatur, priorem claustralem ejusdem monasterii, nunc, et pro tempore existentem, illius administratorem in*

eisdem spiritualibus et temporalibus, donec, et quousque dictus orator, ad ipsam legitimam ætatem pervenerit; cum facultate omnia et singula quæ ad officium administratoris hujusmodi pertinent, faciendi, etc., *constituere, et deputare dignemini*, etc.

Eà in calce ipsius supplicationis dabatur decretum tenoris sequentis, videl. : *Et cum decreto, quòd dictus orator, ante habitum per eum possessionem regiminis et administrationis dicti monasterii canonicatum, et præbendam dictæ Ecclesiæ Meten. quos obtinet, dimittere omninò teneatur; alioquin tam illi quàm monasterium hujusmodi vacent eo ipso. Et committatur ordinario, privatio, seu illius declaratio in formâ juris et prout de jure. Et de provisione in eventum*, etc. *Et cum alio decreto, quòd idem orator intra sex menses à die factâ privationis, seu declarationis hujusmodi computandos, habitum suscipere, et deinde anno probationis elapso, professionem hujusmodi expressè emittere omninò teneatur; nec in regimine et administratione dicti monasterii illiusque bonorum, antequàm habitum susceperit, et professionem hujusmodi emiserit, legitimamque ætatem attigerit, se intromittere possit; alioquin præsens gratia, cùm indè secutis nulla sit, dictumque monasterium vacare etiam censeatur eo ipso.*

Est tamen hìc advertendum supra dictum modum ita dispensandi cum prædictâ clausulâ. *Ex nunc, prout ex tunc, postquàm habitum susceperit et professionem*, etc., locum sibi tantummodò vendicare in his provisionibus et dispensationibus apostolicis : quod dupliciter potest contingere, nimirùm quando Papa dispensativè providet de beneficiis regularibus vacantibus in mense ordinarii, qui eâ vice providet non professo, seu religionem nondùm ingresso : item quando ipse Papa providet ratione mensium apostolicorum; cùm jam ipse per regulam octavam reservaverit sibi omnia beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ secularia, ac quorumvis ordinum regularia, qualitercumque qualificata, ubicumque existentia; non tamen in provisionibus, quæ fiunt ab ordinariis inferioribus, et hoc in vim declarationis *sac. congr. concilii*, quæ sic declaravit : *In provisionibus beneficiorum, quas ordinarii inferiores faciunt non professis, non esse apponendum hoc decretum, ex nunc, prout ex tunc, et postquàm in solis provisionibus apostolicis apponi consuetum*, sed provisiones faciendas esse purè et simpliciter ad formam concilii, d. cap. 10, ut qui habitum omninò suscipere, et professionem emittere teneantur; id. Garc. d. cap. 10, num. 13.

Idemmetque stylus in ipsâ datariâ apostolicâ servatur in provisionibus monasteriorum monialium, quando videlicet moniales ipsæ in provisionibus egent aliquâ dispensatione apostolicâ, secundùm casuum contingentiam, præsertim adversùs decreta concil. Trid., sess. 25, c. 7, ubi modus præscribitur eligendi abbatissam, priorissam, et quocumque alio nomine præfectam vel præpositam; quandoquidem mulier potest habere beneficium, habens in se dignitatem et administrationem; et communiter doctores posse concludunt summum Pontificem concedere fœminæ dignitatem in titulum vel administrationem; faciendo illam abbatissam, seu priorissam, aut præpositam vel præfectam perpetuam; Paris. de Resig. benef., l. 3, q. 12, ferè per tot., quas quidem prælaturas possit illa resignare, etiam ad favorem, ac cum reservatione pensionis, in Paris. d. q. 12, n. 19, sicut multoties in Romanâ Curiâ vidimus practicari, et ubi frequenter expediuntur pro eisdem dispensationes, quando nimirùm, illarum aliqua patitur aliquem defectum, propter quem non potest eligi, seu jam electa, electio non subsistit, præsertim, si fuerit vidua seu corrupta, quæ nullo modo potest obire officium absque speciali Sedis Apostolicæ, aut sacræ congregationis episcoporum et regularium licentiâ, ut ipsa censuit in unâ Cassanen. 29 januarii 1585, et aliàs eadem sacra congregatio censuit quòd si vidua monasticum habitum assumat, ad abbatissæ, seu priorissæ munus obeundum, absque Sedis apostolicæ dispensatione, eligi non potest; prout in unâ Sarzanen. 15 julii 1616, nec electio aliàs de eis facta aliquo modo tenet. Et pluries vidimus ordinarium nomine prædictæ S. congregationis cum hujusmodi monialibus dispensare.

Hæc autem dispensatio non datur, nisi ex gravibus et urgentissimis causis; ex quo, sic electa debet esse virgo, prout omnia jura testantur, et pro hâc nostrâ praxi tenet etiam Joan. And. in c. *Indemnitatibus*, de Elect., in 6, ac ideò nullo modo hic est audiendus Archid., in cod. cap., quia loquitur contra notorium stylum et praxim Romanæ Curiæ, cùm dicit posse adhuc episcopum dispensare et, nihilominùs non video quomodò hæc sua opinio validis fundamentis fulciatur, cùm episcopus non possit contra jus commune dispensare; nisi ei sit expressè concessum, text. in c. *Dilectus*, de Tempor. ordin. Vel etiam contingere potest concedi dispensationem super defectu ætatis, cùm abbatissæ officium obire non possit monialis minor quadraginta annorum; nec super hujusmodi ætate potest episcopus dispensare; et aliàs fuit per sac. congr. conc. declaratum, quòd abbatissæ electio, quæ ætatem quadraginta annorum requisitam non habebat, si in monasterio non desint aliæ moniales quadragenariæ atque habiles, licèt non adeò idoneæ sicut electa, est nulla, in unâ Viterbien. 16 martii 1623. Quando autem datur dispensatio super defectu hujusmodi ætatis, præsertim per litteras apostolicas, sive in formâ brevis, sive sub plumbo semper additur : *Cum decreto quòd oratrix, donec ad ætatem saltem triginta annorum pervenerit, in regimine et administratione monasterii, quoad spiritualia, nisi de consilio et cum interventu pro tempore existentis antiquioris monialis ejusdem monasterii, nullatenùs se intromittere debeat; alioquin gratia ei concessa cum dispensatione ad præmissa nulla sit eo ipso;* aut etiam dispensatur cum eisdem super defectu natalium, ut aliàs diximus, cùm non possit abbatissa eligi monialis, quæ est illegitima absque Sedis Apostolicæ dispensatione, aliàs enim electio de eâ facta est de jure communi, irrita, circumscriptis tamen privilegiis religionum, ut censuit sac. congreg. concil. die 27 aprilis 1630; Barbos. in Collect. bull., verbo *Abba*

tissa, fol. 22, vers. 3, quamvis alibi contrarium tenuerim ex quâdam aliâ declaratione ejusdem concilii in quâ dicebatur, quòd moniales ex illegitimo thoro procreatæ attentâ Constitut. Pii V contra regulares illegitimos editâ, non comprehenduntur, quominùs ad officium aut dignitatem abbatissæ, vel priorissæ, aliave monasterii munia eligi possit, ut fuit declaratum in unâ conchen. de anno 1582, cùm reverà, aliud nos doceat notoria praxis, quinimò ab hujusmodi dispensationibus, excipitur officium quandoque abbatissatûs, sicut pluries in similibus dispensationibus vidimus.

Hæc autem intelligenda sunt quoad præfectas perpetuas in monasteriis monialium, extra Italiam existentium, præsertim in partibus Franciæ; quo verò ad ea quæ sunt in Italiâ, præmissa rarò accidunt; quia cùm fel. record. Gregor. XIII, videret varia et multiplicia damna quibus plerùmque afficiebantur monasteria monialium, quæ per abbatissas præfectas perpetuas reguntur, è contra verò abbatissas, aut alias præfectas triennales, scientes lapso triennio suæ administrationis rationem esse reddituras; ac sperantes de bonis gestis laudem promereri, pœnam verò, si malè gesserint, metuentes, majori studio ac diligentiâ regimen, et administrationem monasteriorum sibi commissorum gerere; propterea voluit ut abbatissa et aliæ præfectæ monasteriorum monialium in Italiâ ad triennium tantùm eligantur, ut in suâ constitutione, quæ incipit : *Exposcit debitum*, sub dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die primo januarii 1583, pontificatûs sui anno undecimo; quæ quidem constitutio habet locum in omnibus monasteriis monialium, etiam quarumvis militiarum, et S. Joannis Hierosolymitani, ut censuit sac. congreg. episcoporum et regularium sub die 22 maii 1604, neque possunt hujusmodi abbatissæ, aut priorissæ sive præfectæ, expleto suorum officiorum triennio prædicto, iterùm ad eadem officia denuò eligi Sede Apostolicâ inconsultâ, aut de sac. congregationis licentiâ, ut declaravit sacra Rituum congreg., teste Barbos. in Collect. bullar., verbo *Abbatissa*, versic. *Abbatissa seu priorissa*, cùm non possit ordinarius dictum triennium prorogare, ut censuit congreg. episc. 20 februarii 1615, et aliàs sacra congreg. concil. censuit jus confirmandi abbatissas minimè fuisse episcopis attributum, declarando constitutionem fel. record. Greg. XV, de exemptorum Privilegiis; quam declarationem impressam vidisse ait id Barbos. in Collect.; DD. in loca conc. Trid., super sess. 15, de Regular., cap. 7, n. 18. Ac proinde denuò electâ post triennium abbatissâ seu priorissâ, recurritur ad sacram congreg. episcop. et regular., quæ ordinario rescribit pro illius confirmatione, servatâ formâ sacrorum canonum.

Tenor autem prædictæ constitutionis Gregorii XIII talis est ut sequitur, videlicet :

Gregorius Papa XIII. *Ad perpetuam rei memoriam. Exposcit debitum pastoralis officii quod disponente Domino gerimus, ut ad ea sollicitè intendamus, per quæ monasteria et alia religiosa loca, præsertim Deo dicatarum sanctimonialium, secundùm regularis disciplinæ normam regantur et gubernentur. Perpendentes igitur varia et multiplicia damna, quibus plerùmque afficiuntur monasteria monialium, quæ per abbatissas vel alias præfectas perpetuas reguntur, è contra verò abbatissas et alias præfectas triennales scientes lapso triennio suæ administrationis rationem esse reddituras ac sperantes de benè gestis laudem promereri, pœnam verò, si malè gesserint, metuentes, majori studio ac diligentiâ regimen et administrationem monasteriorum sibi commissorum gerere. Iis et aliis rationabilibus causis adducti, hâc nostrâ perpetuò valiturâ constitutione statuimus et ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus et singulis monasteriis monialium Sancti Benedicti, Cistercien. Carthusien. et aliorum quorumcumque ordinum in universâ Italiâ, et præsertim in utriusque Siciliæ regnis consistentibus, quæ nunc per abbatissas vel alias præfectas perpetuas reguntur et gubernantur, cùm primùm abbatissæ, aut aliæ præfectæ hujusmodi regimini et administrationi ipsorum monasteriorum cesserint, etiam apud Sedem Apostolicam vel decesserint, eorum abbatissatus seu præfecturas vacare contigerit, abbatissæ, aut aliæ præfectæ non amplius perpetuæ, seu ad vitam (quarum nomen ac titulum, ex nunc prout ex tunc apostolicâ auctoritate ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicæ potestatis plenitudine tenore præsentium perpetuò extinguimus et abolemus) sed triennalis tantùm à conventu uniuscujusque monasterii, et aliàs juxta decreta sacri concilii Trident. et regularia suorum ordinum instituta eligantur et præficiantur, quæ postmodùm elapso triennio, suis officiis perfunctæ præesse desinant, omnique prorsùs careant auctoritate, ac à regimine et administratione monasterii per triennium à die finitæ administrationis inchoandum abstineant, quo elapso, servatâ eâdem formâ concil. Trid., iterùm et pluries eligi possint. Districtiùs inhibentes omnibus et singulis dictorum monasteriorum conventibus, superioribus et personis, ne aliquam abbatissam, aut aliam præfectam perpetuam, seu ad vitam, sed triennalem tantùm eligere, et præficere ullo modo audeant et præsumant. Quòd si secùs à quoquam quâvis auctoritate fuerit attentatum, electionem et præfectionem hujusmodi, ac omnia singula quæ indè sequentur, irrita, nulla et inania, nulliusque roboris vel momenti fore; sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos quâvis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ romanæ Ecclesiæ cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quâvis causâ et instantiâ judicari et definiri debere decernimus; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictorum monasteriorum et ordinum juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ, roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis, eisdem monasteriis eorumque superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis eorum tenores, ac si ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis*

aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterùm, quia difficile foret præsentes nostras ad singula quæque loca, ubi necessarium fuerit, deferre, volumus quòd illarum transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio et extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die primâ januarii 1585, pontificatûs nostri anno undecimo.

Cæs. Glorierius.

Anno à nativitate Domini millesimo quingentesimo octuagesimo tertio, indictione undecimâ, die verò quartâ mensis januarii, pontificatûs sanctissimi domini nostri Gregorii divinâ providentiâ Papæ decimi tertii anno undecimo, retroscriptæ litteræ affixæ et publicatæ fuerunt in acie campi Floræ, dimissâ earum copiâ, auscultatâ et collationatâ cum dictis litteris in valvis ejusdem aciei affixâ per me Joannem Freile, curs. sanctissimi domini nostri Papæ.

Petrus Delbequez, magister curs.

CAPUT II.

Praxis dispensationis, sive retentionis beneficiorum et pensionum pro clericis societatis Jesu.

Quid autem de clericis societatis Jesu dicemus? numquid possint ipsi beneficia secularia, et saltem jam ante illorum religionis ingressum sibi collata, nec non pensiones annuas, super beneficiorum ecclesiasticorum secularium fructibus, itidem ante eumdem ingressum sibi reservatas retinere, etiam nullâ desuper obtentâ dispensatione.

Est hìc necessariò præmittendum quòd in societate Jesu est vera traditio religionis per vota simplicia, ut in constitutione fel. record. Gregorii XIII, super instituto ejusdem societatis de anno 1584, quæ est in libro litterarum dictæ societatis; eamque affert Azor, l. 13, cap. 7, in fin.; quæ postmodùm fuit confirmata per eumdem Gregorium per aliam suam constitutionem, in quâ habetur quòd emittentes in dictâ societate, elapso biennio probationis, tria vota, licèt simplicia, constituuntur nihilominùs in statu veræ religionis, ex quo per ea se societati dedicant atque tradunt, divinoque servitio se in eâ emancipant; in eâque est vera traditio, et acceptatio Ecclesiæ, ut in d. constit. in § *Statuimus*, per hæc verba, videl.: *Statuimus atque decernimus tria vota hujusmodi, etsi simplicia, ex hujus sedis constitutione ac nostrâ etiam declaratione esse vera substantialia religionis vota; ac in d. societate, tanquàm in religione approbatâ, per sedem eamdem admissa fuisse, et esse, ac per nos admitti*, etc.

In quâ quidem constitutione statuitur etiam discedentes post dicta tria vota, obnoxios remanere pœnis apostasiæ, necnon excommunicationis. Hinc igitur patet voti solemnitatem ex solâ Ecclesiæ constit. inventam esse, ut in c. un., § *Nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex solâ constitutione Ecclesiæ est inventa;* et ibi Franc., num. 1, de Vot., in 6. Ubi ait quòd dicta solemnitas à constitutione Ecclesiæ, et sic à jure divino, sicque hujusmodi solemnitas voti formaliter consistit non in traditione, quam ipsum votum includit, sed in hoc tantummodò, quòd Ecclesiæ auctoritate statutum est hujusmodi votum esse solemne; seu in hoc, quòd fiat ut Ecclesia decernit, et sub formâ et conditionibus ab ipsâ Ecclesiâ præscriptis, substans tali Ecclesiæ statuto, nempe in religione approbatâ et in manibus superioris, vel in susceptione sacri ordinis, ut ait Garc., de Benef., p. 7, c. 10, n. 58; ac propterea ait Sanch., de Matrim., lib. 7, disp. 25, num. 2, quòd non constituitur differentia specifica et essentialis inter votum simplex et solemne in traditione; sed illo statuto Ecclesiæ. Cùm igitur voti solemnitas sit de jure positivo canonico, ut dictum est, satis liquet summum Pontificem posse dispensare in voto solemni religionis, sicut in voto simplici et præsertim circa hoc de quo agitur: nimirùm, in voto solemni paupertatis; et licèt nonnulli teneant quòd ad dispensandum in voto solemni castitatis justa causa possit occurrere; in voto verò paupertatis ex defectu causæ, quæ his non potest occurrere, non potest dispensare, ut ait Emman. Rodr., qq. regul., tomo 3, q. 29, art. 6, relatum per d. Garc., d. cap. 10, num. 61; ibi tamen ipse, n. 67, satis congruam dat responsionem, videl., quòd voto paupertatis non tam repugnat dominium quàm usus, et signanter loquitur de ipsis patribus soc. Jesu, qui ad gradus professorum et coadjutorum formatorum nondùm pervenerunt, qui sunt verè religiosi, et tamen bonorum suorum jus et dominium retinent, ut in d. const. habetur; aliaque permulta ad id conducentia videri poterunt apud eumdem Sanch., d. disp. 25, in ult., in fin.

His igitur paucis præmissis, nullus remanet ambigendi locus, an videlicet patres dictæ societ. possint etiam supra dicta beneficia ecclesiastica, etiam ad præscriptum earumdem const. Greg. XIII, in dictâ eorum religione possidere.

Cùm nihilominùs aliàs evenisset casus quo quoad eorumdem beneficiorum retentionem ac etiam annuarum pensionum aliter prætenderetur, fuit causa introducta in sacro Rotæ auditorio coram Martino Andreâ, et conclusum pro validitate dictæ retentionis, ut in unâ *Nullius*, seu *Caputaquen. pensionis*, quæ in decisionibus ejusdem Martini est 78; et in ipsâ Romanâ curiâ multoties, tanquàm in proposito celebrem, audivi allegatam; ac propterea illius tenorem hìc, summatim tamen, et quoad ea quæ ad nostram praxim conducunt, subnectere visum est, eo quo sequitur modo, videl.:

Ibi enim ex facto inciderat quòd, aliàs auctoritate apostolicâ, fuerat reservata annua pensio ducatorum centum monetæ Neapolitanæ super fructibus abbatiæ S. Angeli ad Fossanellam, nullius diœcesis, provinciæ Salernitan., ad favorem Francisci Nerei presbyteri; qui cùm, post plurium annorum exactionem, religionem societatis Jesu ingressus fuisset, ac elapso biennio probationis in eâ tria vota simplicia emisisset, abbas prætendebat dictam pensionem fuisse extin-

ctam; quod quidem ipse Franciscus negabat; propter quod causâ commissâ in Rotâ, dubitatum fuit an per emissionem dictorum trium votorum simplicium post biennium probationis esset exstincta pensio; circa quod domini negativè responderunt. Ratio autem fuit, quia quamvis adscripti huic societati, post trium votorum simplicium emissionem, sint verè et propriè religiosi, ut definitum est constitutione XIII, quæ incipit: *Quantò fructuosius*, sub dat. Romæ, kal. februarii 1582; et in aliâ incipiente: *Ascendente domino*, sub dat. octavo kal. junii 1584; Sanch., de Matr., l. 7, disp. 25, n. 15; Garc., de Benef., p. 7, c. 10, n. 53. Nihilominùs, secundùm statuta dictæ religionis, auctoritate apostolicâ confirmata, ante solemnem professionem possunt retinere beneficia quæ ante ingressum habebant; et in hâc materiâ tanquàm favorabili, appellatione beneficii venit pensio; d. Garc., p. 1, cap. 5, num. 114; unde, si à pari procedunt vacare beneficium et exstingui pensionem, ubi sumus in casu vacationis beneficii: quando è contra non vacat beneficium, ut in casu nostro, per emissionem trium votorum simplicium; nec dici poterit exstingui pensionem, quia quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito; l. *Et si contra*, ff. de Vulg. Accedit quod in utrâque constitutione Greg. expressè conceditur ut qui emiserunt dicta tria vota simplicia possint retinere jus et dominium bonorum suorum, ad effectum ea distribuendi in pios usus; appellatio autem bonorum latissimè patet, ut comprehendat etiam pensionem, saltem ubi viget eadem ratio, ut fuit decisum in unâ Conchen. pensionis, 6 martii 1598, coram peregrino. Insuper hæc emissio trium votorum (quid sit quoad ipsos emittentes, qui quantùm in eis est remanent perpetuò obligati) non fit irrevocabiliter quoad ipsam societatem; cujus superior generalis potest eos semper dimittere cum causâ, etiam absque illorum culpâ, juxta statuta dictæ religionis: quapropter, ut majorem societas habeat libertatem illos, si opus esset, cum minori offensione dimittendi, sapienter fuit provisum ut eis liceret retinere bona sua et beneficia, ne postea eis privati remanerent, ut in constit. d. societatis, part. 4, c. 4, litterâ E, in fine, et part. 6, cap. 2, litterâ H. Et est eadem ratio, quâ motus Bonifacius VIII, in cap. *Beneficium* de Regul., in 6, decrevit beneficium ingressi religionem intra annum probationis non vacare; et interim beneficiatum facere fructus suos, quia potest ad seculum redire. Et licèt text., in d. c. *Beneficium*, loquatur de ingresso, qui nondùm emisit professionem; attamen ejus ratio attendenda est: quia, scilicet, ille potest ad seculum redire; quæ ratio æquè militat in eo qui emisit dicta tria vota simplicia; atque ita idem jus constitui debet, text. in l. *Illud*, ff. ad l. *Aquil.* Addendum præterea quòd illi qui emiserunt dicta simplicia vota in dictâ societate, donec in eâ expressè professi fuerint, semper dicuntur esse in probatione. Postremò facit pro hâc parte observantia subsecuta, et inconcussus dictæ societatis usus, in quâ tam novitii quàm illi qui emiserunt dicta tria simplicia vota, retinent jus et dominium bonorum suorum, non solùm temporalium, sed etiam in specie retinent beneficia et pensiones. Et licèt per emissionem dictorum trium votorum simplicium dicti patres societatis Jesu constituantur veri regulares, non tamen hoc impedit quin ipsi possint interim retinere jus et dominium suorum bonorum, donec superior aliter mandaverit, ut per dictas constitutiones, per quas isti regulares non sortiuntur naturam aliorum regularium, sed penitùs diversam; ita quòd non liceat ab aliis regularibus ad istos arguere, cùm ex diversis non fiat illatio. Rot. decis. 772, num. 2 et seq., part. 1, et decis. 216, num. 12 et 13, p. 2, divers. Et in hoc in specie differunt isti regulares societatis ab aliis regularibus, quòd istî qui emiserunt tria vota, possunt ad tempus arbitrio superioris retinere dominium bonorum, sed sine usu et administratione; cæteri autem possunt retinere administrationem et usum, non tamen dominium. Neque refert quòd dictæ constitutiones societatis non loquantur de pensionibus, sed de bonis temporalibus et de beneficiis; unde non sunt extendendæ ad pensiones eâ ratione, quia in dispensationibus non valet argumentum ab identitate vel majoritate rationis; quia hoc procedit in dispensationibus particularibus et odiosis; secùs verò in generalibus et favorabilibus, ut in casu nostro, in quo agitur de favore religionis, et per viam legis proceditur, Sanch., de Matrim., lib. 8, disp. 1, num. 8, 33 et 36. Cæterùm omnium præmissorum ratio expressa in const. Greg, est, ut majorem societas habeat libertatem eos qui emiserunt tria vota hujusmodi, minori cum offensione dimittendi, ut dictum est; quæ ratio militat tam in pensionibus quàm in beneficiis et bonis temporalibus. Et ita conclusum pensionem non esse exstinctam.

Cæterùm quoad alios religiosos quod obiter dictum sit, aliter se res habet, cùm ille qui ingressus religionem professionem in eâ emisit, postmodùm verò ex aliquâ causâ obtinuit à summo Pontifice dispensationem seu licentiam exeundi claustra, ac degendi in habitu clerici secularis, sicut quandoque conceditur; ac idcircò, si dispensatur ut possit etiam beneficia ecclesiastica obtinere, aperti juris est ad illud idem beneficium redire non posse, quod ante religionis ingressum obtinebat, ac ante professionem eam ob causam dimisit. Et ita in facti contingentiâ memini meo tempore in ipsâ Romanâ Curiâ evenisse; et post multas altercationes, fuit dictum obstare textum in cap. *Ex transmissâ*, § *Verum*, in fine, ibi: *Ut illum, non tanquàm unum de Ecclesiâ, sed tanquàm de novo recipiant in socium et in fratrem*, Innoc., Hostien., et Abb., in c. *Post translationem*, eod. tit., vers. *Quid si aliquis*. Et antequàm ab hâc praxi discedamus, visum est subnectere quòd ob hanc rationem tenent nonnulli dispositionem sac. concil. Trid., sess. 25, cap. 16, habere locum etiam in resignatione beneficii, ne quis renuntiet eo tempore quo manet in novitiatu, ac postea contingat eum carere beneficio et monachatu, si forsan non admittitur, aut ipse nolit professionem emittere; ut non possit quis intra annum probationis beneficio renuntiare; et hoc propter verba ejusdem

concilii, dùm dicit : *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque cultvæ piæ valeat, nisi cum licentiâ episcopi, vel ejus vicarii, fiat infra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secutâ professione; aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressâ renuntiatione, etiam juratâ, sit irrita, et nullius effectûs;* ac proinde dicunt quòd stylus Romanæ Curiæ servat ut cùm quis ingressus religionem intra probationis annum et ante dictos duos menses velit beneficio renuntiare, debeat de hoc fieri expressa mentio in supplicatione; ut signanter ait Paris., de Resign. benef., lib. 3, q. 13, n. 1. Hoc etenim omninò negatur tam in theoricâ, quia licèt id. Paris., d. q. 13, num. 4, id teneat ob præmissas rationes, necnon Campanil., in Divers. jur., can. rubr. 12, c. 3, n. 10, et alii quos refert Barbos. in Collect., DD. in loc. concil., super d. sess. 25, c. 16, num. 14, omnibus supra dictis absque aliquâ hæsitatione responderi potest dictam concilii dispositionem locum sibi nequaquàm vendicare in prædictâ renuntiatione beneficii; cùm ea loquatur tantummodò de renuntiatione et obligatione bonorum; Garc., de Benef., p. 11, c. 10, n. 12 et seq.; et renuntiatio beneficii, illiusque collatio non debet esse in pendenti, ut non secutâ professione non intelligatur suum effectum sortiri; quia debet esse perpetua et stabilis, non autem temporalis, et licèt id. Paris., d. q. 13, num. 5, dicat sæpiùs censuisse sac. congreg. concilii supra dictum decretum habere locum in resignatione beneficiorum, attamen id. Garc., d. c. 10, n. 14, dicit quòd non credit dictam sac. congr. ita censuisse; nec vidit, neque invenit talem declarationem; et hoc idem ego intellexi à peritissimis et antiquissimis curialibus. Quinimò, cùm aliàs evenisset casus quo quidam in partibus instabat annullari resignationem sic factam à novitio, cujusdam beneficii simplicis, ac proinde produxerat quamdam declarationem ejusdem concilii, quæ continebat dictum decretum habere etiam locum in resignationibus beneficiorum; tamen dicta declaratio non fuit habita pro verâ, præsertim quia carebat subscriptionibus officialium; quandoquidem declarationes concilii Trident. non probant in foro contentioso, nisi afferantur authenticæ cum sigillo et subscriptionibus officialium congregationis ejusdem concilii, ut in decreto impresso die 2 augusti 1631. Et tunc qui noluerit illis obtemperare, animadversione dignus judicatur, et ab auditore cameræ cogendus est obedire, prout declaravit sac. congreg. in unâ *Brundusinâ;* Barbos., in Coll. bull., verb. *Decretum.*; gloss. 259, vers. 3; quod intel. de decretis omnium S. congr. Urbis, pro quibus non solùm ipse auditor dat monitoria, sed Papa expedit brevia pro illorum observatione.

In praxi autem multoties viri dari apud datariam apostolicam quamplurimas supplicationes similium resignationum, nec in eis aliquo modo fiebat mentio quòd novitius resignaret beneficium ante dictos duos menses, quamvis id in mandatis ad resignandum asscreretur : quapropter praxim et observantiam hujusmodi puto sufficere, ne circa hoc remaneat dubitandi locus, cùm illa sit vera legum interpres; l. *Si de interpretatione*, ff. de Legib.; l. *Sed, etsi Julianus*. § *Perinde*, ff. *ad Maced.*, l. *Quædam*, in fin., ff. de Reb. dub.; et arguit mentem Papæ esse ut ita dictum decretum concil. intelligatur absque aliâ declaratione; cap. *Porrecta*, de Confirm. util. vel inutil.; Cassador., decis. 3, de Rescript.

Vertitur modò hìc in dubium, an videlicet religiosus per simplicia biennio novitiatûs anno transacto vota in societate Jesu emissa, si ab eâ retrocedat, et à prædictis votis absolvatur, reincidat in pristinam irregularitatem ex defectu natalium contractam, quæ jam purgata erat per illa vota? Movet hoc dubium celeberrimus Barbos., de Jur. Eccles., lib. 1, cap. 42, n. 192. Et per jura ibi per eum allegata concludit talem retrocedentem, atque à prædictis votis absolutum, si jam promotus sit, posse uti ordinibus per eum susceptis, et quatenùs non fuerit promotus, promoveri, ponderando verba text., in cap. 1, de Fil. presb., et similia; cùm hæc jura decernant hujusmodi irregularitatem deleri per religionis ingressum; nec decidunt reincidi desertâ religione; neque obstat quòd cessante causâ finali, ob quam concessa est dispensatio, cessare debet ipsa dispensatio, si ea nondùm fuerat suum effectum sortita : nam respondit ipse eam dispensationem concessam esse ipsi religioso in favorem statûs quem assumpsit, et in præmium actûs Deo gratissimi quo ille seculo renuntiavit; quæ non cessant, quamvis ille religiosus postea vel retrocedat à religione, vel ab eâ dimittatur; quia jam actus suum effectum sortitus est. Hæc id. Barbos., loco citato.

CAPUT III.

Praxis dispensationis beneficialis per viam commendæ.

Inhabiles ad ipsa beneficia in titulum, habilitantur quandoque etiam per commendam; quæ cùm dispensatio licèt palliata appelletur, non incongruè sequitur hìc videre quomodò se habeat praxis circa commendas beneficiales; de quibus operæ pretium duxi aliquid summatim hìc adnotare pro introductione simplicis curialis; quem scire oportet frequentem haberi sermonem tam in datariâ quàm in cancellariâ apostolicâ, de titulis et commendis beneficialibus; ac propterea, ne per ignotos terminos eum procedere contingat, memoriæ inprimis mandari debet quidnam discrimen versetur inter titulum et commendam beneficialem. Dicamus igitur eos satis inter se differre; quandoquidem titulus beneficialis est quilibet modus obtinendi beneficia ecclesiastica, à jure approbatus, et ideò procedit etiam in præsentato et instituto, ut docet Hostien., in Summâ de Instit., § 1; et dicitur verus et justus titulus, quando nihil vitii habet; aliàs enim, si ille habet colorem, figuram et apparentiam tantùm tituli, dicitur titulus coloratus; exempli gratiâ, quando ille processit ab alio collatore qui, licèt habeat facultatem de beneficio disponendi, est nihilominùs ipse invalidus ob aliquem defectum recipientis, ut per Mandos., reg. 16, q. 27, num. 6 et 7.

Commenda verò est quoddam depositum, donec Papa aliter de beneficio commendato disponat. Hinc est quòd commendatarius interim tenetur procurare ne bona beneficii commendati dissipentur, cùm illud sibi detur in custodiam et administrationem; Gonz., ad regul. 8, gloss. 5, § 8, num. 38. Ac propterea commenda duplex est : alia temporalis, alia perpetua; sive altera in utilitatem Ecclesiæ, altera verò in utilitatem ipsius commendatarii ut per Garc. dicitur, de Benef., p. 4, cap. 4, num. 7; quæ quidem commenda in favorem Ecclesiæ nil aliud est, nisi quoddam depositum temporaneum, ad nutum revocabile pro utilitate et commodo Ecclesiæ factum, donec de rectore, seu ministro perpetuo, debitâ præcedente cognitione, provisum sit, ad text., in c. fin., de Elect., in 6; ac propterea hujusmodi commenda ad tempus non dat jus, sed quandocumque revocari potest; Mandos., ad reg. 32, quæst. 7, num. 4; unde dixit Rebuff., in suâ Praxi, tit. de Commendâ, num. 5, fol. mihi 205, quòd sicut quis non potest habere duas uxores, ita nec obtinere titulum duorum beneficiorum; ob idque Papa unum dat in sponsam, et alterius curam concedit, id est, commenda à Romanis pontificibus ad hoc introducta fuit ut qui non est habilis ad obtinendum beneficium in titulum ob aliquod impedimentum, sive ob aliquam incapacitatem, sit habilis ad illud obtinendum saltem in commendam, præsertim cum alio incompatibili : id. Garc., dict. cap. 4, num. 24, ubi ait quòd ad hunc effectum, et non aliàs, Papa dat beneficium in commendam; sicque ipse providet regulari de seculari, et è converso. De commendâ temporali parùm refert hìc sermonem habere, cùm illa ferè nihil ad nostram praxim pertineat, sed tantùm de commendâ perpetuâ illiusque praxi; cujus quidem perpetuæ commendæ concessionem nemo est qui nesciat ad summum Pontificem spectare; cùm nullus inferior possit perpetuò commendare; quinimò, neque hodiè potest beneficium curatum ad sex menses, sicut olim passim fiebat; puta si rector Ecclesiæ curatæ incideret in furorem, vel abesset ab ipsâ ecclesiâ, non relicto vicario, tunc poterat ordinarius commendare quousque furor, seu absentia durabat : quod tamen hodiè cessat; et omnia jura de hoc loquentia post concilium Trid. abierunt; et magis patet per sequentem declarationem ejusdem concilii, his verbis : *Commendæ quæ ad sex menses in Ecclesiis curatis fieri poterant ab ordinariis, cap.* Nemo potest, de Elect., in 6, *amplius post concilium locum non habent*, cùm debeat in eis deputari vicarius ad formam, cap. 18, sess. 24. Et licèt quoad alia beneficia videatur quòd ordinarius possit etiam ultra sex menses, ac etiam ad vitam commendare, juxta text. in cap. *Dudùm*, de Elect., id tantummodò locum sibi vendicat in iis commendis quæ fiunt in Ecclesiæ utilitatem; per quas non datur licentia disponendi liberè de fructibus, illosque convertendi in proprios usus, et stante causâ, quæ tamen rarò aderit, dandi perpetuò in commendam, ut ait id. Garc., d. cap. 4, num. 17 et 18.

Acturi autem tantummodò de praxi circa commendas perpetuas, quarum cursum frequentissimum videmus in ipsâ datariâ apostolicâ, eas tunc esse notamus, quando videlicet datur beneficium regulare in commendam perpetuam clericò seculari; deinde verò eidem conceditur aliud beneficium in commendam absque apostolicâ dispensatione; clarum est enim quòd ista beneficia sic commendata erunt inter se incompatibilia; vel alio modo, uni commendatur ad vitam beneficium regulare, postea eidem datur in titulum beneficium etiam regulare, de illo beneficio commendato non factâ mentione; ista duo beneficia, videlicet, unum in commendam perpetuam, alterum in titulum, erunt adhuc incompatibilia, prout exemplificat id. Mandos., d. q. 7, num. 5, circa med.

Hoc enim modo hujusmodi commendæ, quæ passim conceduntur, hodiè æquiparantur aliis provisionibus beneficiorum, quæ habent verè titulum canonicum, text. in cap. *Dudùm* 2, de Elect.; Rebuff., de Pacif. possess., n. 53; nec refert quòd in litteris hujusmodi commendarum nulla detur expressa dispensatio; quia et ipsa commenda dicitur palliata dispensatio, habetque vim dispensationis; et propterea non requiritur alia dispensatio; quam quidem commendam perpetuam, seu temporalem, non in favorem Ecclesiæ, collationem Papæ dispensatoriam appellârunt omnes curiales.

Nec ex eo quòd beneficium, seu prioratus regularis detur in perpetuum, requiritur quòd talis commendatarius teneatur emittere professionem; quia licèt hujusmodi beneficia alicui conferri non possint nisi provisus sit monachalem ordinem expressè professus, Clem., *In agro*, § *Cæterùm*, de Stat. monach., cap. *Cùm de benefic.*, et ibi Glos., in verb. *Seculari*, de Præb., in 6; attamen id non procedit, quando tale beneficium datur in commendam; Mandos., in Prax. signat., tit. *Provisiones*, vers. *Prioratus;* id. Garc., d. c. 4, n. 67; quod quidem facilè evenire posset, nisi tam in supplicatione quàm in litteris fiat mentio hujusmodi commendæ, prout fieri mandatur per regul. cancell. 43, his verbis : *Item voluit quòd nulli seculari de regulari, nec religioso de seculari, beneficiis commenda detur, nisi in signaturâ, per clausulam ad partem super petitione commendæ hujusmodi, de commendâ ipsâ mentio fiat.*

Praxis autem impetrandi ac concedendi hujusmodi commendas, secundùm hodiernum Romanæ Curiæ stylum, ea est quæ sequitur, videlicet :

Beatissime Pater, cùm monasterium, seu prioratus S. N. civitatis, vel diœcesis N. Sancti Benedicti, vel alterius ordinis, quòd, seu quem bon. mem. Vincentius S. R. E., presbyter cardinalis N. nuncupatus, in commendam ac ejus vitam ex concessione et dispensatione apostolicâ, dùm viveret, obtinebat, commendâ hujusmodi per obitum dicti Vincentii cardinalis, qui apud Sedem Apostolicam nuperrimè debitum naturæ persolvit, cessaverit, adhuc, ex quo ante commendam ipsam vacabat, vel aliàs certo alio modo vacaverit, et vacet ad præsens. Supplicat igitur humiliter S. V. devota illius creatura N. tituli S. N. presbyter cardinalis N. nuncupatus, quatenùs sibi, ut statum suum juxta cardinalatûs splendorem decentius

tenere, et expensarum onera, quæ illum jugiter ex necessitate subire oportet faciliùs perferre valeat, de alicujus subventionis auxilio providendo, ac specialem gratiam faciendo, monasterium, seu prioratum prædictum, cujus et illi forsan annexorum fructus, etc., *400 ducat. aur. de ca. se. com. ext. val. an. non excedunt, quovis modo, aut ex cujuscumque personâ, seu per liberam cessionem, seu resignationem dicti Vincentii cardinalis, vel cujusvis alterius de illo, illiusve regimine, et administratione in Romanâ Curiâ, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus spontè factam unionis,* etc., *dissolutionem, vel constitutionem,* Execrabilis, *aut assecutionem;* etc., *vacet etiamsi devolutum, affectum, electivum, curatum curâ, etiam jurisdictionali, specialiter, vel aliàs ex quâvis causâ in litteris dispositivè exprimendâ, generaliter reservatum, etiam in petitorio, vel possessorio litigiosum, cujus litis statum,* etc., *existat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, illiusque dispositio ad Sedem Apostolicam, ex quâvis causâ hâc vice pertineat, eidem N. cardinali; per eum, quoad vixerit, unà cum Ecclesiâ S. N. quæ titulis sui cardinalatûs existit, et quibusvis aliis, etiam cathedralibus, et metropolitanis, aliisque Ecclesiis, necnon monasteriis, etiam consistorialibus, prioratibus, etiam conventualibus, præposituris, præceptoriis, dignitatibus, etiam majoribus, et principalibus, personatibus, administrationibus, et officiis, etiam curatis et electivis, cæterisque beneficiis ecclesiasticis cum curâ et sine curâ sæcularibus, et quorumvis ordinum, et militiarum, ac hospitalium, etiam S. Joannis Hierosolymitani regularibus, quomodolibet qualificatis, quæ ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam et administrationem, aut aliàs quomodolibet et in posterum oblinebit, quæcumque et qualiacumque fuerint; necnon quibusvis fructibus ecclesiasticis, loco pensionum annuarum, ac pensionibus ipsis, super similibus vel aliis fructibus,* etc., *sibi reservatis, et assignatis, ac reservandis, et assignandis, transferendi quascumque pensiones, ac testandi cæterisque facultatibus, et indultis ei concessis, tenendis : ita quòd liceat sibi de fructibus,* etc., *disponere, alienare,* etc., *interdicta commendare, curam, regimen et administrationem ipsius monasterii, seu prioratûs, sibi in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; necnon monasterii, seu prioratûs, et ordinis, cujus existit, statutis, etiam juramento,* etc., *roboratis privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis, illis eorumque superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,* etc., *effreacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio; et consistorialiter, ac aliàs in contrarium forsan quomodolibet concessis,* etc. *Quibus omnibus, etiamsi de illis,* etc., *latissimè hâc vice specialiter et expressè derogare placeat, cæterisque contrariis quibuscumque clausulis opportunis.* Fiat motu proprio M.

Et quòd verus et ultimus monasterii seu prioratûs hujusmodi vacationis modus, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa, resultet, necnon lites, et causæ, si quæ sint, status, et merita, nominaque, et cognomina judicum, et collitigantium, eorumque, ac dicti N. cardinales, aliorumque quorumcumque concessiones, provisiones, commendæ, possessiones; aliaque jura, et tituli, etiam nulli, et infectivi, etiam proprii tituli, ac lites, et possessiones habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in litteris; et cum clausulâ generalem reservationem importante, ex quâvis causâ litteris etiam dispositivè exprimendâ; et de commendâ monasterii seu prioratûs hujusmodi pro dicto N. cardinali, per eum quoad vixerit, ut supra, cum supra dictis, tenendâ, cum gratificatione opportunâ, quatenùs illis locus sit; ita quòd litteræ desuper in formâ simplicis commendæ gratiosæ subrogationis etiam quoad possessionem, gratiæ si neutri, si nulli, si alteri, perinde, et etiam valere, simul, vel ad partem expediri possint; et cum derogatione regularum de non subrogandis non collitigantibus, quia non in potentiorem, ac de annali possessore, quoad primam ejus partem, ac supra dictorum omnium, et aliorum quorumcumque quomodolibet contrariorum, necnon cujuscumque jurispatronatûs, quatenùs de illo existat, quod dispositivè in litteris, si videbitur, regulâ contrariâ non obstante, exprimi possit : videlicet, si laicorum tantùm, etiam nobilium et illustrium, eisque ex fundatione, vel dotatione competat, pro medietate; aliàs, seu si litigiosum, vel devolutum sit, in totum latissimè extendenda; et cum suspensione quarumcumque specialium, vel generalium, etiam mentalium reservationum, unionum, et suppressionum, mandatorum, etiam de providendo, exspectativarum, aliarumque gratiarum præventivarum, facultatum, indultorum quibusvis etiam cardinalibus, ac eis etiam in nullius favorem, quomodolibet concessorum; cum decreto desuper opportuno, quòd se ad præmissa non extendant; citra tamen accessum et regressum, ac de consensu coadjutoris; et quòd præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, annexorum, fructuum, etc., *etiam augendo, vel minuendo, aliorumque necessariorum, major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris.* Et additur : *Et quatenùs monasterium seu prioratus hujusmodi non, ut præfertur, regulare, seu regularis S. Benedicti, seu alterius ordinis, sed Ecclesia secularis, sine curâ, abbatia, seu prioratus forsan nuncupata, et dictus N. cardinalis, illam in titulum, seu commendam ex concessione et dispensatione apostolicâ ad ejus vitam obtinuerit, quòd exprimi possit in litteris, et tunc de illius commendâ,* etc., *pro eâdem creaturâ, ut supra et cum clausulis supra dictis, et aliis desuper necessariis, et opportunis latissimè extendendis. Et citra approbationem jurispatronatûs.*

Fiat.

Dantur ut plurimùm hujusmodi monasteria, etiam motu proprio, in commendam, non modò ipsis cardinalibus, verùm etiam aliis benè meritis, ac qualificatis personis ac summo Pontifici gratis; alio item modo, cùm sic illius supplicatio exorditur, videlicet : *Motu proprio,* etc. *Cùm accepimus. Monasterium S. N. per*

obitum quondam N., etc., commendamus; ex quibus quidem verbis arguetur hujusmodi concessionem fieri et ex merâ etiam principis voluntate, ut docet tex., in cap. *Si motu proprio*, ubi *Quæ de nostrâ meră libertate processit*, de Præb. in 6; et text. in lib. 3, post princip., c. de *Leg.*; ubi motus proprius appellatur spontaneus motus; aliàs enim gratia præsumitur, et creditur impetrata ad instantiam partis, et procurata; d. cap. *Si motu proprio*, in fin.; Bart., in lib. 3, ff. *Quòd quisque jur.*; Ias., in lib. *Ex hoc jure*, num. 56, ff. de Just. et Jur.; Mandos., reg. 16, q. 6; num. 2 et 3, ubi dicit quòd gratia facta propter benè merita, et facta motu proprio, æquiparantur.

Neminem tamen latet curialium quòd licèt gratia dicatur fieri motu proprio, tamen fieri ut plurimùm consuevit ad instantiam et petitionem partis; Glos., in lib. fin., c. de Fruct., et tit. *Expens.*, ubi text. ponit propriam voluntatem principis : et ibi Glos. supplet, postulatione præcedente, et dixit card., cons. 142, quòd licèt dicatur gratia facta motu proprio, sæpè tamen etiam ad instantiam impetrantium facit, ut apponantur hæc et similia; Dec., in cap. *Ex parte*, in 2 not. de Rescript.; id. Mandos., d. reg. 16, q. 4, n. 5, ubi ait quòd in dies videmus impetrantes ipsos subministrare hujusmodi gratias cum clausulâ *Motûs proprii*, signandas. Negari tamen non potest, dato quòd supponeremus, impetrantem supplicâsse et instetisse coram principe pro gratiâ obtinendâ quin possit dici et esse verus motus proprius, et operetur omnes effectus veri et naturalis motûs proprii, ex quo in mente principis duo simul motiva concurrere possunt : scilicet, concedendi motu proprio, et ad petitionem partis; stantque ista simul quòd princeps fuerit requisitus, et tamen dicatur potiùs motus ex seipso, quàm ad instantiam alterius, ut per Bald., in c. *Nisi specialis, de off. leg.*, quam refert id. Mandos., loc. cit., num. 9, quamvis magis præsumatur papa instructus super his quæ narrat motu proprio, quàm si faceret super substantiâ narratâ per alium; cùm primò videatur quasi narrare in facto super quo est certificatus; in secundo verò super facto ab alio narrato, non ita per se certificatus; licèt, sive scribat motu proprio, sive ad instantiam petentis, non sit super hoc magna vis facienda; quia sic potest in facto alieno, motu proprio narrando errare, sicut ad alterius instantiam; Lap., allegat. 7, n. 9. Hodiè tamen, ut etiam omnes Rom. curiæ tyrones sciunt, motus proprius ita passim obtinetur ab ipsis impetrantibus, seu supplicantibus, sicut cæteræ supplicationes, aliaque rescripta; sic enim docet quotidianus stylus, de quo etiam testatur Sarn., super reg. de Impetr. benef. viv., q. 1, n. 4; quod tantummodò dictum sit pro simplicibus junioribus ipsius Curiæ. Cæterùm, quoad alios effectus motûs proprii videndus est Rebuff. in Concord. in formâ mandat. apost., verbo *Motu proprio*, fol. mihi 606; ubi congerit quadraginta unum effectus motûs proprii, et ad illum studiosum lectorem remitto; ex quo nolui sua dicta de unâ in aliam papyrum transplantare, sicut duo scribentes, tam circa hæc quàm aliàs ad Romanæ Curiæ rerum praxim pertinentia fecerunt, tacito eodem Rebuffo, qui licèt nunquàm mœnia Urbis viderit, teste Rot., decis. 233, n. 17, part. 1, divers., nihilominùs de illius rebus ingeniosè et accuratè ad utramque sibi immortalitatem comparandam, insudando, conscripsit : quo fit, ut talia sic transcribentes, seu potiùs surripientes, per labia hominum pervolutari ambientes, mundanam inanemque gloriam quærentes, mortalem immortalitatem nacti sint; quandoquidem non auctores operis, sed tanquàm alienæ laudis occultatores, fures dicendi sunt et latrones, ut ait text., in l. *Hæreditatum*, § fin., ff. ad leg. Falcid.

CAPUT IV.

Praxis clausularum ejusdem commendæ.

Cùm verò supra dixerimus commendam perpetuam esse titulum canonicum, c. Rebuff. de pacif. Possess., num. 53, ideò circa hanc praxim hæc tibi potissimùm notanda sunt, à nostro instituto non prorsùs aliena.

Primò quòd licèt in dubium quandoque revocetur an videlicet hujusmodi commendatariis liceant omnia, quæ veris titularibus attamen dicendum est quòd hodiè omnis difficultas videtur circa hoc sublata; quandoquidem neminem latet hujusmodi commendas perpetuas nihil distare ab aliis provisionibus beneficiorum, idcircò omnia jura loquentia de beneficiis locum sibi vendicant in ipsis perpetuis commendis; ac propterea docemur quotidianâ praxi etiam in illis habere locum, capite *Licet canon.*, de Elect., in 6, quod loquitur contra non promotos infra annum, et Clement. *Ne in agro*, § *Cæterùm*, ibi : *Infra annum computandum à tempore collationis et commissionis* de Stat. monach., c. *Commissa*, de Elect., eod. lib. 6, Staphil., super signat., in 4 princip. Mod. vacationis, fol. 71; quem refert Mandos., reg. 32, quæst. 7, num. 12, ubi dicit quòd jura loquentia de titulariis habent locum in commendatariis; quinimò ex hâc ratione ex concil. Trid., sess. 24, de Reform., cap. 7, non possunt teneri duo beneficia incompatibilia, per viam commendæ, nec unum in titulum, et aliud in commendam perpetuam, quamvis nonnulli contrarium teneant; Garc., de Benef., p 4, cap. 4, num. 42 qui, num. seq., ait id meritò statutum esse, cùm dicta commenda, ex quo fit ad utilitatem personæ, et non Ecclesiæ, non sit propriè commenda; imò censetur titulus, seu habet vim et effectum tituli, seu habetur loco tituli, et æquiparatur titulo : Rebuff., in d. tract. de pacif. possessor. n. 36, cum pluribus seq., ubi plura ait de commendâ et commendatario, et latiùs in suâ Praxi benef., ubi agit de commendis, fol. mihi 205; et reverà circa earumdem commendarum impetrationem, secundùm currentem datariæ apostolicæ stylum, parùm, aut nihil istæ distant ab aliis provisionibus beneficiorum in titulum. Quod quidem in tantum procedere dignoscitur, ut ex præmissâ ratione intelligatur etiam de commendâ temporali, nimirùm ad utilitatem Ecclesiæ, teste eod. Garc., loc. cit., n. 44; et apertè docet id. Mandos., reg. 30, q. 3, num. 9, ubi exemplum ponit circa hoc, quòd talis commenda temporalis ad utilita-

tem Ecclesiæ sequitur naturam perpetuarum commendarum; et hoc scire optimum est tyronibus Romanæ Curiæ, qui ut plurimùm decipiuntur, et omittunt de his mentionem facere in supplicatione pro novâ impetratione alterius beneficii; ex quo postmodùm ortæ sunt lites circa non expressionem hujusmodi temporalis commendæ; cùm de eâ fieri debeat omninò mentio per impetrantem, ut optimè nôrunt periti et antiqui curiales; et testatur id. Garc., d. c. 4, n. 44 et 45; et ego ipse meis sumptibus in cancellariâ apostolicâ didici istam praxim in quâdam provisione præposituræ cujusdam loci Bononien. diœcesis de anno 1613.

Secundò, notandum ex clausulâ supra dictæ supplicationis, ibi, *commendâ hujusmodi cessante*, quòd quamvis commenda sit perpetua, ad vitam videl. commendatarii, ad effectum tamen reservationis non dicitur beneficium vacare, quia cessante commendâ per obitum commendatarii, non propterea censetur illud per obitum illius vacare, sed vacat semper ut priùs; quandoquidem attenditur ille prior modus per obitum ejus qui possidebat; ac propterea satis omnibus innotescit stylum cancellariæ apostolicæ esse, quòd per commendam, etiam perpetuam non dicatur provisum Ecclesiæ; undè superfluum erit quærere an prima reservatio duret; ex quo omninò beneficium erit reservatum ex vi commendæ: nam quotiescumque summus Pontifex apponit manum in beneficio, ligatæ sunt manus inferiorum, donec plenè providerit. Hinc igitur est quòd, cùm hujusmodi beneficium commendatum vacet ut priùs; profectò non attenditur mensis in quo illud vacavit, scilicet quando obierit commendatarius; et hæc est satis trita et cognita observantia cancellariæ præd., et pluries audivi à D. Lamberto Ursino, suo tempore celeberrimo abbreviatore majoris præsidentiæ in ipsâ cancellariâ; et ait Mohed., decis. 9, n. 5, de Præb., ubi per appositionem manûs Papæ beneficium commendatum dicitur affectum, ut in eo nihil possit inferior attentare, donec Papa per collationem plenè providerit: et ibi, quòd Papa apponens manum, demonstrat quod ipse vult providere; sed per commendam non dicitur providere, quia durante commendâ durat antiqua vacatio; et ita fuit decisum in unâ Messanen., *Prioratus* 1 Julii 1596, coram Litta, ut per Gonz., gloss. 5, § 8, n. 49, circa med.

Nota insuper etiam in praxi quòd totum illud quod dicitur de commendâ temporali, habet locum etiam in unione ad vitam, quæ etiam vim habet dispensationis; id. Gonz., gl. 5, § 7, n. 145, quando quidem ipsâ unione dissolutâ, beneficium unitum vacat, ut priùs; et sic durat reservatio, seu affectio antiqua; et commenda perpetua ac unio ad vitam à pari procedunt ad inducendum reservationem seu affectionem per impositionem manûs Papæ, ut ipsâ unione dissolutâ ordinarius non possit providere.

Porrò unio hæc ad vitam pariter adinventa fuit, ut qui duo beneficia incompatibilia habere non potest, mediante dictâ unione illa valeat retinere, cùm habea vim dispensationis super incompatibilitate, id. Gonz., d. n. 145. Verum tamen est quòd, quidquid antea observatum fuerit, videntur tamen dictæ uniones ferè ab ipsâ Curiâ exsulare; et qui praxim datariæ apostolicæ benè callet, fatebitur similes uniones rarò in eâ admitti, præsertim post concil. Trid., sess. 7, c. 2, quo cavetur ut quicumque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine et titulo, contra formam sacrorum canonum, et præsertim constitutionis Innocentii III, quæ incipit, *De multâ*, recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam præsentis canonis vigore, privatus existat.

Quod quidem ita sancitum est, ne sub prædictarum unionum prætextu quis plura beneficia incompatibilia simul valeat retinere; licèt quandoque similes gratiæ fuerint concessæ, cùm non sit Papæ potestas alligata: est enim supra d. concil.; id. Gonz., cit. num. 146.

Tertiò notandum ex clausulâ, nimirùm: *Unà cum Ecclesiâ S. N. quæ titulus sui cardinalatûs existit, et quibusvis aliis*, etc.; quod, ut ait Mandos., in Praxi signat. et tit. *Provisiones*, vers. *Si cardinali*, fol. 5, si cardinali provideatur de beneficio regulari, tunc etiam debet dari in commendam, tenendum unà cum aliis suis beneficiis, quæ obtinet; si verò daretur in titulum, tunc in fine dispens. petenda esset, ut illud obtinere posset, ac propterea tolletur omne obstaculum circa retentionem plurium beneficiorum; cùm non solùm non possint teneri duo beneficia incompatibilia per viam commendæ perpetuæ, sed nec unum in titulum, et alterum in commendam perpetuam, ut supra jam diximus.

Quartò notandum ex clausulâ. *Ita quòd liceat de fructibus disponere*, quòd licèt in commendis temporalibus utilitatem Ecclesiæ respicientibus, non sit huic commendatario libera potestas disponendi de fructibus, illosque in proprios usus convertendi, cùm illos non faciat suos, Gloss. et DD., in c. *Nemo*, et in c. *Dudùm*, de Elect., et vix, dùm deserviet Ecclesiæ commendæ, possit vivere ex illius fructibus, per text., in c. *Cùm secundum*, de Præb., cap. *Cùm non deceat*, de Elect.; attamen secùs dicendum est de commendis perpetuis, quia cùm sint ad utilitatem prælatorum, possunt percipere fructus, deductis expensis ministrorum, et servatâ debitâ hospitalitate; Abb. in c. de Monachiis, de Præb.; necnon cùm habeant liberam potestatem in spiritualibus et temporalibus, id. Abb., in c. *Cùm nobis*, ult. not. de Elect.; Rebuff., de pacif. Possess., n. 45, procul dubio possunt de ipsis fructibus disponere, eosque etiam locare eo modo quo possunt locari per ipsos titulares; id. Gonz. d. § 8, num. 13 et 14; Mandos. regul. 30, quæst. 3, num. 4, ubi ait quòd commendatarii faciunt fructus suos, præsertim propter clausulas in similibus commendis apponi solitas.

Quintò notandum ex clausulâ: *Eidem N. cardinali*

quoaa vixerit commendare, etc., satis demonstrari ipsam commendam esse perpetuam. Aliàs enim si non appareat an sit talis, vel temporalis, in dubio interpretatur perpetua, ut fuit resolutum in unâ Salamantin., coram Crescentio, 18 junii 1558, eâ ratione, quia actus qui certo spatio temporis non concluditur, perpetuus reputatur, text. in l. *Jurisperitus*, in princip.; et ibi Bart., ff. de Excusat. tutor.; sicut enim dispositio generalis prolata de rebus et personis generaliter est intelligenda, l. 1, § *Et generaliter*, ff. de Leg. præst., ita procedit respectu temporis ut dispositio generaliter, id est, in perpetuum intelligatur, cùm valeat argumentum de personis et rebus ad tempus, ut per Paris., de Resign. benef., lib. 11, quæst. 5, num. 41, cum seqq., qui, num. 45, ait ipsum aliàs consuluisse indulgentiam concessam tali die, absque aliquâ restrictivâ, esse perpetuam.

Et sic commendatarius perpetuus potest de dictis fructibus disponere, ita etiam suæ commendæ cedere, sive cum pensione, sive cum reservatione omnium fructuum, sicut passim practicari videmus sub sequenti formulâ, videlicet: *Dictio vero N., ne ex præsenti cessione suâ hujusmodi nimium dispendium patiatur, de alicujus subventionis auxilio providendo, sibi omnia et singula dictæ præceptoriæ fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta universa in quibuscumque rebus consistentia, et undecumque provenientia, per eum quoad vixerit, percipienda, exigenda, levanda, recuperanda, locanda, dislocanda, ac in suos usus et utilitatem convertenda; ita quòd desuper ab ipso oratore et successoribus suis prædictis, dictam præceptoriam pro tempore quomodolibet obtinentibus molestari*, etc., *nequeat; de ejusdem oratoris consensu auctoritate apostolicâ reservare, constituere, et assignare; sibique, quo dicto oratore, seu aliquo ex successoribus suis prædictis præfatum oratorem super liberâ perceptione fructuum*, etc., *prædictorum molestante, vel inquietante, seu præsentem illorum reservationem, nullam et invalidam esse dicente, vel allegante, liceat eidem N. ad præfatam præceptoriam liberos habere regressum et accessum; illiusque corporalem possessionem*, etc., *apprehendere, absque aliâ sibi desuper de novo faciendâ commendâ*, etc., *ac si cessionem hujusmodi minimè fecisset*, etc.

Et hujusmodi cessiones passim admittuntur, etiam eo modo quo resignationes sive liberæ, sive cum reservatione pensionis, prout etiam simplicibus curialibus patet (loquor semper de commendis perpetuis ad utilitatem provisi) et docet Put., decis. 94, et decis. 343, lib. 2, Paris. de Resign. benef. lib. 2, q. 17, n. 9; Gonz., d. §8, n. 25; sicut etiam potest permutare commendam ipsam cum alio beneficio in titulum dato; id. Gonz., loco. cit., num. 24; et hoc ob rationes ante dictas, nimirùm, quia per commendam perpetuam commendatarius consequitur jus in beneficio commendato ac titulum, id. Rebuff., de pacif. Possess., n. 35.

In commendam adhuc episcopo dari consuevit beneficium simplex vacans, etiam per resignationem, quæ passim admittitur præsertim attentâ fructuum mensæ episcopalis tenuitate, et sub sequenti formulâ videlicet: *Supplicat*, etc., *devota creatura vestra N. episcopus N. quatenùs, resignationem hujusmodi admittendo*, etc., *beneficium prædictum*, etc.; *eidem N. episcopo, per eum quoad vixerit, etiam unà cum Ecclesiâ N. cui ex concessione apostolicâ præesse dignoscitur, ac sex, seu septem perpetuis simplicibus beneficiis ecclesiasticis, quæ in titulum vel commendam ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, ac quorum fructus*, etc., *non excedunt*, etc., *tenendum. Ita quòd liceat*, etc., *interdicta de consensu modernorum primò dicti beneficii patronorum, seu illorum medietatis commendare dignemini*, etc. In secundâ verò parte supplicationis dicitur: *Ita quòd litteræ desuper in formâ simplicis commendæ, gratiosæ subrogationis*, etc. Reliqua autem prout in aliis supplicationibus resignationum.

Cùm verò beneficium quod commendatur, fuerit de jurepatronatûs, opus est quòd de eo fiat mentio, sicut in omnibus aliis provisionibus beneficialibus, et in suis casibus petere hujusmodi jurispatronatûs (quatenùs laicale existat) derogationem; cùm jura loquentia de titularibus locum habeant in istis commendatariis perpetuis, ut dictum est supra; et plenâ manu scribit Sarnen., in reg. de Trien., quæstione 5, num. 11, cum pluribus seqq.

Non tamen est omittendum quòd regulariter, quando abbatia seu monasterium commendatur præsertim privatis personis, ipsa commenda sub sequenti formulâ hodiè datur, videlicet: *Nos, tam eidem monasterio de gubernatore utili et idoneo, per quem circumspectè regi et salubriter dirigi valeat; quàm tibi asserenti te abbatiam nuncupatam S. Antonii de N. diœcesis N. quæ sine curâ est, et personalem residentiam non requirit, ac cujus fructus*, etc.; 100 *duc. aur. cam.*, etc., *non excedunt, obtinere, ut commodiùs sustentari valeas, de alicujus subventionis auxilio providere volentes, teque à quibusvis*, etc., *censentes, necnon verum et ultimum dicti monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quæ vis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultet, præsentibus pro expresso habentes, monasterium prædictum, quod sine curâ est, et conventu caret, ac cujus et illi forsan annexorum fructus*, etc.; *ad* 33 *florenos auri cum uno tertio alterius similis floreni in libris cameræ taxati reperiuntur, secundùm verò communem æstimationem* 365 *ducat. aur. de cam. val. an. non excedunt, ut etiam asseris, quovis modo, aut ex cujuscumque personâ, seu per liberam*, etc., *vacet etiamsi tanto tempore*, etc., *juxta lateranen. statuta concilii, vel alias canonicas sanctiones ad Sedem Apostolicam legitimè devoluta existat, et illa ex quâvis causâ ad sedem eamdem specialiter vel generaliter pertineat, et ad illud consueverit quis per electionem assumi, eique cura jurisdictionalis duntaxat immineat; ac super eisdem regimine et administratione inter aliquos lis seu illorum possessorio, vel quasi molestia, cujus litis status*, etc., *existit, etiam præsentibus*, etc., *indecisa, dummodo tempore dat. præsentium eidem monasterio de abbate provisum, aut alteri commendatum canonicè non existat,*

cum annexis hujusmodi ac omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi per te quoad vixeris, etiam unà cum beneficio prædicto tenendum, regendum et gubernandum. Ita quòd tibi liceat debitis et consuetis dicti monasterii supportatis oneribus, ac tertiâ parte omnium et singulorum fructuum, reddituum, et proventuum monasterii hujusmodi in restaurationem illius fabricæ, seu ornamentorum emptionem, aut pauperum alimoniam, prout major exegerit et suaserit necessitas, ac omnibus deductis oneribus de residuis illius fructibus, redd. et prov. disponere et ordinare sicuti illius abbates, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt; alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium tibi penitùs interdictâ apostolicâ auctoritate commendamus curam ipsius monasterii, ac hujusmodi regimen et administrationem tibi in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo; non obstantibus fel. record. Bonif. papæ VIII, prædecessoris nostri, et aliis apostolicis constitutionibus, necnon monasterii et ordinis prædictorum juramento, etc. *Volumus autem quòd propter commendam nostram hujusmodi, dictum monasterium in spiritualibus non lædatur, et in temporalibus detrimenta non sustineat; sed ejus congruè supportentur onera consueta; quòdque tu, antequàm regimini et administrationi dicti monasterii in aliquo te immisceas, in manibus dilectorum filiorum vicariorum NN. et N. in spiritualibus generalium, vel alicujus eorum; quibus hodiè per alias nostras litteras desuper scribimus, nostro et Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitæ, solitum præstes juramentum juxta formam quam sub bullâ nostrâ mittimus introclusam; ac formam juramenti hujusmodi quod præstabis, nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium nuntium quantò citiùs destinare procures. Et insuper ex nunc irritum*, etc., *attentari.*

Et iste modus commendandi servatur cum personis minùs qualificatis, et à Romanâ Curiâ absentibus; et adjicitur clausula : *Volumus autem quòd propter commendam hujusmodi*, etc.; hoc autem, ne divinus cultus minuatur, quæ quidem verba extracta reperio ex extrav. *Ex supernæ*, Clem. V, quæ est 2 inter comm. et de commendis loquitur, ibi : *Quòd Ecclesiarum et monasteriorum eorumdem cura negligitur, bona et jura dissipantur, ipsorum*, etc.; et quàmplurima mala ex hujusmodi commendis ut plurimùm evenire solent, quæ commemorat Rebuff. in suâ Praxi, tit. de Commendâ, num. 12, cum plurib. seqq.

Est autem pro junioribus Romanæ Curiæ apprimè notandum quòd cùm plurimùm contingat etiam beneficia consistorialia commendari, ea scilicet de quibus Papa disponit in consistorio coram cardinalibus, ut sunt, præter episcopatus, abbatiæ et quædam aliæ dignitates, tam seculares quàm regulares, tunc summus Pontifex quemadmodùm providet consistorialiter de episcopatibus, ita de abbatiis et monasteriis; Rot., decis. 584, n. 2 et 3, l. 3, p. 3, divers.

Nec tamen omnia monasteria providentur consistorialiter, sed ea duntaxat quæ cùm sint ampli reditûs magnique momenti, faciliùs in eis fraudes commisti possint, cùm à pluribus appetantur et desiderentur, ut ait Sarnen., reg. 14, de infir. Resign., sub num. 2; ac propterea in illorum regimine eminet majus periculum juxta text. in cap. *Ubi periculum maius intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum*, de Elect., in 6; illorum, videlicet, monasteriorum quorum valor ascendit ad ducatos ducentos auri de camerâ, quæ ob hanc rationem ego puto fuisse per Sedem Apostolicam reservata per 2 reg. cancell., ibi : *Necnon omnia monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et in posterum vacatura; et voluit quòd excessus hujusmodi in litteris exprimatur*, sicut in concilio Lateranensi ob supra dictam causam fuit statutum ut prædicta monasteria supra dicti valoris providerentur, nonnisi consistorialiter, ut in sess. 9, Rot. decis. 540, n. 5, p. 3, l. 3, divers.; ubi dicitur hoc esse adeò notum curialibus, ut aliâ non indigeat probatione.

Hinc propterea insurgit praxis, non oscitanter ab ipsis curialibus notanda, ut quoties agitur de provisione monasterii supra dicti valoris ducentorum ducatorum auri de camerâ, seu (quod idem est) ducentorum florenorum, si extra consistorium fiat à Papâ provisio, sit facienda de hoc mentio in litteris provisionis supra dictæ, ut in priori formulâ appositâ ibi : *Etiamsi consistorialiter disponi consueverit, seu debeat*, etc.; cùm in hoc non sit coangustata Papæ potestas cum hujusmodi monasteriis aliisque beneficiis consist.; sic, ut præfertur, reservatis, summ. Pontifex pro libito voluntatis provideat, etiam extra consistorium; adjectâ in litteris provisionis clausulâ supra dictâ, nimirùm : *Etiamsi consistorialiter*, etc., prout in notoriâ praxi servari videmus, et de quâ testatur Paris., de Resig. beneficiorum, lib. 8, q. 6, n. 8, dicens etiam de consistorialibus solere ut plurimùm providere, quoties admittit renuntiationem illorum et de eis providet, ut de aliis beneficiis extra consistorium; ut multoties ipse vidit practicari, et communiter serviri à practicis expeditoribus. Aliàs enim, nisi prædicta clausula adjiceretur, possent aliqua circa hoc in dubium revocari, ut in casu supra dictæ decis., à n. 5, ad fin.

Ad hæc non contemnendum in hâc praxi, quod docet Lotter. de re Benef., l. 1, q. 26, num. 52, quòd licèt ista qualitas consistorialitatis, ex causâ taxæ in libris cameræ adnotatæ, non probet reservationem, nisi illa ter ducta constituat eam quantitatem ducatorum ducentorum, juxta dictam regulam, nihilominùs ipsa qualitas probatur, sive sit supra, sive infra dictam quantitatem; dicens ibi sic declarâsse congregationem super rebus consistorii; quam secuta est Rot. in unâ Palatin. abbatiæ, de *Benè vivere*, 14 aprilis 1617; ex quibus ipsemet Lotter. infert parùm referre, si provisio hujusmodi fieri debeat tanquàm de reservato, vel non reservato, et multò minùs, si postquàm facta est talis descriptio, provideatur exinde consistorialiter, vel non consistorialiter; cùm qualitas supra dicta

statim imprimatur ex supra dictâ descriptione in ipsis libris cameræ; nec ad eum finem ipsi libri instituti sint, nisi ut sciatur valor beneficiorum consistorialium; quapropter duo libri, quos ego vidi, asservantur in cancellariâ apostolicâ, quibus ipsa unitur, quorum unus continet taxas mercedis officialium litteras apostol. expedientium; aliter verò, valorem beneficiorum consistorialium, ex quibus annatæ solvi debent, quorum quidem libros credunt omnes antiqui officiales et curiales fuisse compositos à Joanne XXII, præsertim, cùm primùm curia resideret Avenione.

Nec tamen per provisionem apostolicam, sic extra consistorium factam, videtur Papa qualitatem beneficii consistorialis mutâsse; cùm licèt beneficium sit consistoriale, possit tamen ipse Papa, prout sibi placet, extra consistorium de illo providere, ut supra dictum est; etsi hoc modo talis provisio dicatur facta cum minori causæ cognitione; sicut è converso, ubi provisio ipsa facta fuerit consistorialiter, inducitur præsumptio plenitudinis causæ cognitionis; quod quidem inter alios effectus principales hunc parit, nimirùm, ut stante provisione consistoriali, cessent in his beneficiis, quando vacant per resignationem ad favorem constitutiones de publicandis, quandoquidem ista beneficia non consueverunt priùs in consistoriis proponi et concedi, nisi antea, persona resignatarii per ipsum summum Pontif. et cardinal. in ipso consistorio approbata fuerit.

Ne tamen simplex qui hæc ignorat, decipiatur, eum monitum hìc volui quòd licèt constitutio Pii V de *publicandis resignationibus* dicat quòd omnia et singula in eâ contenta locum habeant in quibusvis beneficiis consistorialibus, id profectò intelligendum est de quibusdam beneficiis minoribus, ut sunt abbatiæ, et similia, quæ licèt sint consistorialia, solent nihilominùs provideri extra consistorium, ut supra dictum est, et clariùs colligitur ex aliâ simili constitutione Gregorii XIII, quæ incipit : *Humano vix judicio*, in § *Cæterùm*, ibi : *Et de quibus in consistorio nostro disponi consuevit, seu debet;* quæ posthàc ex quàcumque causâ fieri, et per nos, et dictos successores, extra tamen dictum consistorium admittentur. Et sic hujusmodi beneficia subacent prædictis constitutionibus.

Hìc etiam docet nos communis praxis quòd si contingit Ecclesiam pensione aut fructuum reservatione gravari, nec propterea ad præscriptum sacri concil. Trid., sess. 24, cap. 13, remaneant mille ducati liberi pro episcopo, nihilominùs, si verè non remaneant, non idcircò posset per titularem dici de subreptione vel obreptione; et sic prætendi nullitas, aut moderatio pensionis, seu fructuum; quia, cùm jam Ecclesiæ provisio fuerit facta in consistorio, cum plenâ causæ cognitione, profectò censetur et ipsi concilio fuisse derogatum, etiam absque illius expressâ derogatione, tanquàm non necessariâ, sicut aliàs diximus, et fuit tentum in unâ S. Angeli Pensionis, 16 decembris 1594, coram bon. memor. cardinali Pansilio, teste eod. Lotter., dict. quæst. 26, n. 58, qui num. seq., ait quòd universaliter gratiæ expeditæ per consistorium non egent justificatione, per Rot., decis. 612, num. 1, p. 2, recent., nisi tamen, ut ipse dicit n. 60, appareat aliquid fuisse sub conditione concessum.

Sed cùm verba fecerimus, licèt breviter, de gratiis consistorialibus, scilicet, quæ in ipso consistorio proponuntur, curiosè possent inquirere qui hùcusque mœnia Urbis minimè viderunt, quidnam sibi velit istud nomen consistorium. Et quidem petitioni tam levi non omninò inutile satisfacere existimavimus. Consistorium igitur summi Pontificis est proprius consultationis locus et congregationum, constans ex triplici hierarchico ordine cardinalium; nimirùm episcoporum sex, presbyterorum quinquaginta, diaconorum quatuordecim; quorum quidem ad hunc septuagesimum numerum Sixtus V suâ constitutione redegit, ut veteris Synagogæ figuram imitaretur de congregandis septuaginta senioribus Israel qui unà cum Moyse onus populi sustentarent, et non ipse solus gravaretur; quâ quidem constitutione, ubi de numero agit, ostendit non solùm numerum septuagenarium non esse transiliendum, nec etiam semper æquandum, ubi pauciores possunt ad omnia munera sufficere, teste Paleot., de sacr. Consist., p. 4, q. 1, litterâ A; quique non immeritò cœlestium cherubim locum tenere dignoscuntur, cùm omnia scire debeant quæ ad optimam Ecclesiæ militantis gubernationem, cujus ipsi sunt cardines, pertinent; unde numinis divini præsidio roborati, adeò se ad tam magna munia obeunda præparant, ut ipsius sacri consistorii constitutâ die, quod semel singulis hebdomadis de mane indici consuevit, quilibet cardinalis, si sacerdos ille sit, rem sacram facere, alii verò Eucharistiæ sacramento se præmunire, aut saltem missâ auditâ, se sanctè colligere, atque Spiritûs sancti paracleti orationem adhibere curabit. Hinc enim est ut, id. Paleot. ait memb. 5, tit. *de Aliis pertinen.*, litterâ C, fol. mihi 373, mirum nemini esse debebit, si nullam peculiarem orationem ad impetrandam Spiritûs sancti gratiam, quemadmodùm in aliis cardinalium et prælatorum congregationibus religiosè servari solet, in consistorio palam præmitti audiet; nam cùm consistorium manè haberi soleat, ipseque summus Pontifex et iidem cardinales, aut paulò ante fecerint sacrum aut ei interfuerint, verisimile est eos tùm gerenda negotia, tùm seipsos ferventi corde Deo commendâsse; indeque unanimi collectos spiritu, Deo duce, ab oratione ad consistorium se transtulisse; accedit quòd propter augustissimam Christi Domini vicarii præsentiam, cui Spiritûs sancti gratia assistere censetur, veteri ritu observatum videmus ut non eadem cæremoniarum ratio semper in loco ubi ille adest, ac in reliquis, servari soleat; non ut debitæ devotionis officio aliquid subtrahi intelligitur, sed ad sanctioris et secretioris mysterii significationem. Hæc ille. Idemque cardinalis ad palatium apostolicum ipsâ statutâ die deductus, depositio illo quo per Urbem utitur, vestimento, pariter privatos omnes affectus et vete-

rem sibi hominem expoliandum esse sciat; amictum deindè induens insigniorem, qui cappa lata, seu pontificalis appellatur, cùm tota ipsius humeris coram Pontifice incumbat, ac publicam utilitatem præ se ferat; tùm memor erit plurimùm sibi oneris ex futurâ eâ actione accedere, ac publicam utilitatem, publicam scientiam, publicamque omninò personam induere profitebitur; id Paleot., d. memb. 5, c. 4, litterâ D.

Hujusmodi autem consistorium duplex est : alterum publicum, alterum verò privatum, seu secretum. Porrò, publicum in duas species potest dividi, nimirùm : ut alterum dicamus consistorium publicum, illud quod fieri solet in receptione novi cardinalis, vel in adventu novi oratoris principum ad summum Pontificem destinati; aut in réditu legati à latere à suâ legatione; alterum verò dicamus publicum consistorium, ex eo quòd Papa solet (licèt rarò) in consistorio publico signare supplicationes commissionum; ut cuncti videant quòd ipse justitiam facit; licèt ista ratio non satisfaciat; cùm Papa, sive in consistorio, sive extra illud, sciunt omnes, quòd justitiam facit. Alia tamen ratio, quæ convenientior apparet, est quod dictas supplicationes aliquando signare consueverit, scilicet, commissiones causarum; eo præsertim tempore, quando nimirùm, ipsum habetur consistorium, duo cardinales diaconi vadunt ad recipiendum, et introducendum novum cardinalem, vel legatum; quod quidem summâ est ratione statutum, ne videlicet videatur summus Pontifex cum reliquis cardinalibus in ipso consistorio permanentibus, illo medio tempore, nimirùm, donec ipsi cardinales ad idem consistorium revertantur, expectare; præsertim, ne videatur Papa tantùm ibi adesse propter negotium introductionis et receptionis supra dictorum cardinalium, et nihil aliud agere; ideò reliquum illius temporis vacuum in istis actibus occupatur, ac in propositionibus dictarum commissionum teritur; quas ex arte, et ingenio advocati consistoriales sæpè confingunt, casus atroces et crudeles proponentes, et verbis duris et fictis exaggerantes, ut tempus illud vacuum impleatur; prout eâdem ferè ratione servatum est, ut si quando accideret eo ipso tempore quo indictum fuerit consistorium, nullas esse Ecclesias quæ proponantur, nec legationes quæ expediantur, nec bullas graviores promulgandas, neque arduas actiones, aut alia se offerre consistorialia negotia quæ communem cardinalium omnium exigant congressum, solitos fuisse Pontifices, ne consistorium quasi inane et frustra coactum videretur, dare tunc negotium secretario ut litteras aliquas à legatis seu nuntiis acceptas, aut à regibus vel principibus missas, palam recitare; ex quibus occasionem cum cardinalibus tractandi accipiebant. Solebant item aliquando negotiis publicis, de reformatione, de Turcarum incursionibus, de annonâ, de muniendis præsidiis, de statu ecclesiastico exonerando, aut de aliis rebus hujusmodi verba facere, ne dies sine consistoriali aliquâ tractatione præteriisse videretur; id. Paleot. memb. 5, c. 5, litterâ B. Nec desunt qui dicant quòd propterea Papa mandat ibi fieri commissionum propositiones ut ostendat principaliter, propter administrationem justitiæ, illum consistorium indixisse, non autem propter novum cardinalem, vel oratorem recipiendum, quasi illo die Papa pro tribunali sedere videatur, volens jus publicè dicere; quâ de causâ omnia tribunalia Urbis cessant, illo tunc jus dicente, ut ait Sarnen. in Compend., *utr. signat.*, num. 19; qui, n. seq., ait quòd ista ratio non quadrat cùm semper Papa jus dicat, sive publicè sive privatè actum faciat; et quòd cessent eo die tribunalia Urbis, non ex eo causatur quòd Papa pro tribunali sedet, cùm semper id faciat; sed quia per cessationem dictorum tribunalium major hominum concursus ad Papæ consistorium accedit, quod non fieret, si judices et alii curiales negotiis suis intenderent et occuparentur, ut sic per illum concursum exteræ gentes quæ illo die publici consistorii ad Papam accedunt, decus et majestatem summi Pontificis, quæ per concursum plurium prælatorum et personarum magis repræsentetur, videant et admirentur. Hæc idem Sarnen., loc. cit., num. 20. Alterum verò publicum dici potest ipsa summi Pontificis publica audientia, quæ in fine cujuslibet mensis cùm illius, ac nonnullorum cardinalium, necnon omnium Romanorum magistratuum, pro communi omnium Romæ degentium ac exterorum utilitate et salute fieri consuevit. Consistorium autem secretum illud appellamus, in quo non interveniunt nisi ipse summus Pontifex omnesque cardinales; in eoque tractantur res magnæ et arduæ totius Christiani orbis : cuncta nimirùm quæ ad cultum, ad fidem, ad ipsam religionem, ad pacem Christiani gregis, ac ad conservationem temporalis patrimonii S. R. E. pertinent; in eo creantur etiam cardinales et episcopi, fitque provisio de Ecclesiis cathedralibus, de abbatiis, et prioratibus consistorialibus.

Cùm verò de ipsorum cardinalium indumentis, tam extra quàm intra dictum consistorium, aliquid supra dixerimus, videtur etiam hìc, licèt incidenter, referre cum Barbos., de Jur. Eccles., lib. 1, cap. 4, num. 86, ubi ait quòd cardinales facultatem habent utendi vestibus ex duobus coloribus, nempè rubro et violaceo, exceptis Dominicâ tertiâ Adventûs, et Dominicâ quartâ Quadragesimæ, quibus diebus in subtanis, mantelletto et mozzetto utuntur colore rosæ siccæ. Qualitas verò vestium eorumdem regulariter erit, vel ex panno graviori, vel ex lanâ leviori, quam sagettam vocant, vel ex cameloto undato, vel etiam in subtani ex serico undato, vel sine undis, arbitrio illorum, dummodò sit simplex, videlicet ex eo quod ormesinum, seu tabi vocant, non autem ex eo quod rasum vocant, aut villutum appellant; quod quidem intelligitur de cardinalibus non regularibus; nam regulares non solent uti vestibus sericeis, et nunquam in habitu mutant colorem; sed semper retinent colorem habitûs suæ religionis. Ac subindè, prosequitur id. Barbos, ipsis cardinalibus novissimè concessum extitisse ut in titulo *Eminentissimi* et *vestræ eminentiæ*, unà cum an-

tiquo titulo *Reverendissimi*, in posterum esse debeat proprius et peculiaris cardinalitiæ dignitatis, prout in infra scripto decreto continetur, tenoris sequentis, videlicet:

Die 10 junii 1630, in consistorio secreto,

Fuit facta per D. cardinalem Pium relatio decreti sacræ congregationis cæremoniarum S. R. E. cardinalium, ut infra:

Beatissime Pater, sacra congregatio cæremoniarum S. R. E. cardinalium censuit, si Sanctitati vestræ placuerit, loco titulorum illustrissimi *et* dominationis *vestræ* illustrissimæ, *quibus hactenùs usi sunt cardinales, titulos* eminentissimi *et vestræ* eminentiæ, *unà cum antiquo titulo* reverendissimi *in posterum debere esse proprios, et peculiares cardinalitiæ dignitatis; ita ut præfati tituli* eminentissimi *et* eminentiæ *à nemine, præterquàm ab ecclesiasticis Romani imperii electoribus, ac magistro Hospitalis Hierosolymitani usurpari possint; aut aliis attribui: eosdemque titulos ab omnibus et singulis cardinalibus præsentibus et futuris omninò assumi; illisque inter se, tam voce quàm scripto, perpetuò uti debere. Quòd si contigerit aliquem cujuscumque dignitatis, gradûs et conditionis (imperatore et regibus exceptis), hujusmodi titulos alicui cardinalium non tribuere, cardinalis ille nullatenùs cum eo coram agat, nec ejus litteras quoquomodo recipiat.*

Item censuit supplicandum esse Sanctitati vestræ ut per suum consistoriale decretum præcipere dignetur cæteris omnibus et singulis ecclesiasticis cujuscumque conditionis, gradûs, et dignitatis, etiam episcopali, archiepiscopali, primatiali, seu patriarchali dignitate præfulgentibus, ne præfatos eminentissimi *et* eminentiæ *titulos quoquo modo sibi usurpent, sub pœnis indignationis Sanctitatis vestræ, et Romanorum Pontificum, inhabilitatisque ad alias dignitates et incapacitatis quarumcumque gratiarum seu indultorum sedis Apostolicæ, ac amissionis fructuum suarum Ecclesiarum, et beneficiorum quocumque ipso facto incurrendis.*

Item censuit hæc omnia in præsenti consistorio esse referenda, ut Sanctitate vestrâ annuente, ab omnibus et singulis cardinalibus recipiantur, et super eorum perpetuâ et inviolabili observatione juretur, debitæque executioni demandentur; à præsentibus quidem in consistorio, statim, ab existentibus verò in Curiâ, post tres dies; et ab absentibus, post duos menses in Italiâ, et post quatuor extra Italiam. Inter alia super his etiam omnes et singuli cardinales qui in futurum creabuntur, jurare teneantur; præsentes quidem in receptione pilei; absentes verò in receptione birett.

Quâ relatione habitâ, S. D. N. per hæc verba, Quid vobis videtur? *omnium DD. cardinalium exquisivit suffragia, et singulorum auditis sententiis, non solùm unanimiter consentientibus, verùm etiam instantissimè deprecantibus, atque S. Sanctitati supplicantibus, ut hujusmodi decretum et omnia in eo contenta approbaret; sicque probata per suum consistoriale decretum, cum auctoritate imprimendi*, etc., *et litteras, etiam, in formâ brevis expediendi, cum solutis clausulis*, etc., *confirmaret, Sanctitas sua, ut sequitur, decrevit.*

Petitionibus vestris annuentes, proposita nobis per vos omnia admittimus, et approbamus, et desuper litteras, etiam in formâ brevis cum clausulis opportunis et necessariis concedimus, et experiri mandamus, cum auctoritate imprimendi. In nomine, etc.

Absoluto consistorio, post discessum summi Pontificis, in congregatione generali omnes et singuli cardinales qui consistorio interfuerunt, tactis sacrosanctis Evangeliis jurârunt, et subscripserunt, ut infra:

Nos, miseratione divinâ episcopi, presbyteri, et diaconi S. R. E. cardinales, supra dictum decretum sacræ congregationis cæremoniarum S. R. E. cardinalium à sanctissimo domino nostro approbatum, et à nobis receptum, perpetuò ac inviolabiliter observare promittimus et juramus.

Et hodie adest aliud decretum eminentissimorum DD. cardinalium dictæ congr. cæremoniarum S. R. E. cardinal., quæ censuit Innocentio X, fel. record., esse supplicandum ut districtè præciperet S. R. E. cardinalibus etiam quâcumque natalium seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativâ insignitis, quòd solo nomine *cardinalis* absque ullo secularis dignitatis additamento contenti non aliis titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quàm *eminentissimi*, ac *reverendissimi*, nec non *eminentiæ reverendissimæ*, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus; insuper ut idem Innocentius mandaret ut omnes S. R. E. cardinales ad unitatem et æqualitatem ordinis conservandam jubeant è propriis sigillis et insigniis quibuscumque, vulgò armis nuncupatis, amoveri coronas, signa, ac omnes notas seculares, præter eas quibus intra scutum armorum eorum familiæ, tanquàm de essentiâ et integritate eorumdem armorum, utuntur; et ut in posterum ab illorum usu abstineant, solo pileo de pretioso sanguine Christi rubente insigniti ac decorati; ac ulteriùs idem Innocentius inhiberet, sub excommunicationis latæ sententiæ ac aliis arbitrii pœnis, sculptoribus, pictoribus, ac aliis quibuscumque, ne præd. notas seculares in sigillis et armis, aliisque insigniis S. R. E. cardinalium sculpere ac pingere, aut sculpi et pingi mandare audeant; et quod postea cardinales in posterum promovendi, si præsentes in ipsâ Curiâ fuerint, in ipsâ pilei receptione; si verò absentes, in ipsâ bireti impositione, juramento ad id se adstringent. Quæ quidem omnia idem Innocentius per suam bullam confirmavit sub dat. Romæ apud S. Petrum, 1644, 16 kalend. januarii, pontificatûs sui anno primo.

Cardinales autem qui eidem consistorio interfuerunt, et subscripserunt, fuerunt numero 24.

De vestibus autem ipsius summi Pontificis, ut etiam idem Barbos., de Jur. Eccles., lib. 1, c. 1, n. 121, toto anni tempore Papa nullo alio colore utitur, nisi rubro, et albo; videl. veste talari albâ, quam subtanam vocant, supra quam induitur rochetto et caputio, seu mozzettâ, et bireto rubro, ac calceamentis rubris, cum cruce auratâ desuper; octo tantùm diebus exceptis, videl., à sabbato sancto post missam, usque ad sabbatum in albis, etiam post missam; quia

tunc utitur etiam bireto rubro, mozzettâ, et cal. eamentis, et stolâ ejusdem coloris. Qualitas autem vestium quibus ipse Papa utitur, est in duplici differentiâ : nempe ex serico, vel ex lanâ : ex serico diversæ qualitatis ; nam hyeme utitur caputio, seu mozzettâ, et bireto levioribus ex serico, quod rasum vocant sine pellibus; infra octavam verò Paschæ Resurrect., octo supra d. diebus, utitur mozzettâ et bireto ex serico Damasceno albo, pellibus albis Armellinis circumfultis. Vestes, etiam laneæ, quibus Papa utitur in diebus jejunii et in diebus in infra scriptâ regulâ expressis, sunt diversæ qualitatis; hyeme namque utitur caputio et bireto ex panno laneo rubro et graviori, pellibus Armellinis circumfultis; æstate verò utitur eodem habitu ex lanâ leviori, quam sajettam vocant, sine pellibus. Vestis autem talaris, quam subtanam vocant, supra quam Papa utitur rochetto, semper erit alba, sed juxta temporis qualitatem et conditionem, vel ex serico leviori, seu graviori, vel ex panno graviori, seu lanâ leviori, vel aliâ simili materiâ albi coloris.

Verùm toto tempore Adventûs, inchoando à primâ Dominicâ, et post Adventum à Dominicâ Septuagesimæ per totam quadragesimam, ac singulis sextis feriis, vigiliis, quæ jejunantur, et quatuor anni temporibus, et in die Commemorationis defunctorum, et quandocumque celebratur, vel fit officium pro defunctis, Papa utitur vestibus laneis cum pellibus, vel sine pellibus juxta temporum qualitatem, non autem sericis. Excipiuntur tamen quatuor tempora, quæ incidunt immediatè post Pentecosten, et omnia festa duplicia etiam in sextis feriis extra tempus Adventûs, Septuagesimæ, et Quadragesimæ, et festum Annuntiationis B. M. Virginis, etiamsi venerit in Quadragesimâ. Similiter excipiuntur aliquot alii dies, videl. à vigiliâ Nativitatis D. N. Jesu Christi per totam octavam Epiphaniæ, à sabbato sancto post officium et missam, usque ad Dominicam sanctissimæ Trinitatis inclusivè : per totam octavam festivitatis sanctissimi corporis Christi; per totam octavam Assumptionis gloriosæ Virginis Mariæ; per totam octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, et per totam octavam festivitatis omnium Sanctorum. In aliis autem octavis, videl. Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, S. Joannis Baptistæ et S. Laurentii, excipiuntur dies octavæ tantùm. Excipiuntur etiam festum Cathedræ Romanæ, si venerit intra Septuagesimam, nec non alii dies alicujus festi solemnis, ob aliquam publicam lætitiam, vel victoriam, aut similem causam ; in quibus quidem temporibus exceptis, Papa vestibus sericis utitur, teste Barbos., de Jur. Eccles., l. 1, cap. 1, num. 121 et 122. Nimis à propositâ materiâ me divagatum esse videor; nec propterea aliud circa eam hìc subnectere visum est.

LIBER SEPTIMUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS SUPER MATRIMONIIS CONTRAHENDIS IN GRADIBUS PROHIBITIS.

CAPUT PRIMUM.

Praxis impedimentorum ad matrimonium contrahendum.

Quæ in humanis actibus, si perperam fiant, mala atque incommoda reperiuntur, ea omnia in solam ferè dispensationum matrimonialium executionem, nisi ritè rectèque perficiatur, acervatim (ut ita dicam) confluunt et cumulantur; nemo quandoquidem est qui nesciat quænam ex hoc primo malo incommoda, ceu venenato fonte, procedunt. Enim verò hìc natalium defectus in prole, hinc iniquæ successiones, atque promotiones, cæteraque ad optimum finem minimè conducentia. Sanè haud procul à tanti mali calamitate distamus ; quippè, cùm frequentissimus sit nostro hoc tempore harum dispensationum usus, nescio quæ prava consuetudo, aut corruptela veriùs, inolevit; quâ judices commissarii tantæ rei pondus non æquâ lance æstimantes, expositâ, quâ par est diligentiâ, veritate niti negligant edoceri, Pontificem dispensâsse contenti, cùm reverà non dispensaverit, sed ipsis dispensandi auctoritatem certis sub conditionibus demandaverit; quæ, nisi ut jubetur, impletæ fuerint, quidquid superstruxerint corruet. Olim quippè hujusmodi dispensationes in ipsâ Romanâ Curiâ, causæ cognitione, narratorumque verificatione præcedente, in formâ gratiosâ ut plurimùm concedebantur; et quidem, ut rarior, ita et tutior illarum erat usus; at quoniam difficile valdèque incommodum id comperiebatur, optimâ profectò ratione ita sacri canones sancivêre, ut omnes dispensationes extra ipsam Curiam locorum ordinariis in formâ communi, sive commissariâ, dirigerentur; qui non nisi causis in precibus verificatis; tùm demùm apostolicâ auctoritate dispensaret. At sæpè videmus summorum Pontificum providentiam, ex delegatorum judicum imperitiâ, aut incuriâ, ita suo fine frustrari, ut quod ad boni communis ædificationem salubriter conspicimus institutum, id ad certam perniciem, atque destructionem detorqueatur. Porrò ad hoc malum avertendum, nonnullorum desudavit industria : præsertim verò Sanch., tom. 2, lib. 8, de Matrim., tanto viro digna scripta reliquit; at praxim ipsam non ita ex professo, ut rei gravitas postulare videbatur, demonstrârunt. Utinam, quemadmodùm nos tantum negotium alacriter suscipimus, ad illudque tot annorum experientia, quotidiana exercitatio, lucubrationesque non pigræ ; præsertim verò consuetudo atque usus nunquàm satis laudatæ memoriæ Ferdinandi Beger, nobilis Romani, supplicum libellorum matrimonialium, itidemque contradictarum revisoris laudatissimi ac sapientissimi, necnon domini mei Joannis Vincentii Beger ejus filii,

qui non minori vigilantiâ, prudentiâ ac fidelitate potens, fel. record. Urbani Papæ jussu, parenti optimo morti propinquo ut in meritis ita in officio successit, viam aperire possunt; ita divinâ favente ope perficiamus ut parùm versati erudiantur, incuriosi verò ad rem tanti momenti excitentur ad Dei gloriam, animarum salutem et Ecclesiæ ædificationem pro dignitate tractandam!

Cæterùm autem pro Romanæ Curiæ tyronibus sic breviter adhuc præfari libuit, quòd etsi inibi harum dispensationum matrimonialium frequentissimus usus materiaque quotidiana existat, parùm tamen, ut experientiâ compertum est, à quamplurimis eâ quâ par est sedelitate dignoscitur. Id ex eo potissimùm ortum habuit, quòd illius observationes diversis temporibus diversæ fuerunt, ut præsertim ex antiquis formulariis liquet, et videre est apud Oldrad, consil. 250, ubi dispensationis formulam super matrimonio ignoranter contracto proponit. Ut igitur ejus rei inexperti, tam in ipsâ Curiâ quàm extra eam degentes, plenam assequantur cognitionem, omnes ferè earumdem formulas frequentiores, non quidem ex more vetusto, ac ut plurimùm ab indoctis et in Romanæ Curiæ praxi parùm versatis, fabricatas et compositas, sed juxta moderna tempora, usu receptas, et ab omni prorsùs superfluitate purgatas in medium afferemus. Cùm autem plura circa eas, per diversas constitutiones apostolicas, ac novissimè per concilium Tridentinum immutata fuerint, ideò decreta ipsa ac constitutiones, opportunis locis etiam per extensum afferre, alibi verò citare non parcemus; propterea etiam earumdem supplicationum formulas nonnullas extendere placuit, ut Rom. Curiæ tyrones illas ob oculos habeant; nonnullas autem compendiosè inseremus, quæ ad libitum ac ad extensarum formularum præscriptum poterunt suppleri; clausulas insuper et verba non minùs clariora et lucidiora quàm gratiora reddere curabimus. Quæ omnia, licèt provectis prorsùs non satisfaciant, negari tamen vix poterit quin ipsis tyronibus sint non profutura modò, sed futura gratissima; quippè qui in hujusmodi supplicationibus componendis videri non debent illas ex earum formulariis, paucis tantùm mutatis, de papyro in papyrum, ad verbum transcribere; quod profectò nimis alienum esset, et à Rom. Curiâ exulare debet omninò; cùm sit ea omnigenarum scientiarum oceanus, ac sapientum parens, juxta illud Virgil., *4 Georg.: Oceanumque patrem rerum.* Curabimus ergo ut ipsi non tantùm ex aliorum imitatione, more simiarum, sed per rationis discretionem, ac scienter et prudenter agant, praxim, rationes et causas non ignorando; illud enim verè scire est, cùm rem per causam cognoscimus; Bart., in l. *Admonendi*, ff. de Jurejur. ex Arist., 3, Post., c. 4.

Sed antequàm ad ulteriora progrediamur, præmittamus quòd ad matrimonium contrahendum dispensatio requiritur, ubi oratores aliquo impedimento, quominùs contrahant impediuntur, ac propterea numeranda erunt priùs ipsa impedimenta, postmodùm verò de dispensatione super illis in quibus frequenter, et regulariter summus Pontifex solet dispensare, dicendum. Impedimenta igitur, his versibus à doctoribus comprehenduntur, videlicet:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si fortè coire nequibis,
Si parochi et duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc socianda vetant; connubia facta retractant.

Quorum duodecim priora ab omnibus DD. referuntur; postmodùm verò, cùm duo posteriora impedimenta fuerint inducta per sacrum concilium tridentinum, nempe, quando clandestinè celebratur matrimonium, absque parochi et duorum testium præsentiâ; ac quando vir mulierem rapuit, et nondùm in loco tuto et libero, ad præscriptum ejusdem concilii, restituta est; addidit duos posteriores versus Sanch. de Matrim., lib. 7, disp. 6, sub. num. 3. Ex duodecim tamen impedimentis in tribus prioribus versibus contentis, tria hodie per dictum concilium correcta remanent, cæteris in suo robore permanentibus. Nam, quòd impedimentum ex cognatione spirituali proveniens, ultra disposita in titulo de Cognatione spirituali in 6, extat decretum dict. concil., sess. 24, de Refor. matrim., capit. 2; *Constitutio Pii V;* idem concilium declarans, quibus decernitur et declaratur cognationis spiritualis impedimentum, suscipientes, et susceptum, susceptique parentes, ac baptizantes, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem non egredi (quod idem statuit de cognatione quæ ex confirmatione contrahitur), ut ex ipsius constitutionis tenore inspiciendum est, quam infra suo loco inseremus. Quoad impedimentum publicæ honestatis, præter ea quæ disposita sunt per c. *Sponsam*, de Spons., et capit. un. eod. tit., libr. 6, attenditur decretum prædicti concil. sess. 24, c. 3, de Reform., et fuit itidem declaratum per eumdem Pium V, suâ constit, suo loco pariter inserendâ. Quo verò ad impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, quod ante prædictum concilium extendebatur usque ad quartum gradum inclusivè, hodie non excedit secundum gradum; quod pariter statutum est per dict. concilium, sess. 24, c. 4, de Reformat. matrim., his verbis: *Præterea sancta synodus, eisdem et aliis gravissimis causis adducta, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, et eos tantùm qui primo et secundo gradu conjunguntur restringit. In ulterioribus verò gradibus statuit hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere;* super quibus omnibus vide etiam Quarant., in Sum. Bullar., verbo *Matrimonii impedimenta.*

Illa verò impedimenta super quibus Papa regulariter dispensat, hæc sunt videlicet: Cognatio, sive carnalis, sive spiritualis; affinitas, crimen, votum, publica honestas. Quæ quidem, ut perfectè sciatur an, quomodò, et quando super illis, seu ipsorum aliquo petenda erit dispensatio, visum fuit quàm brevissimè poterimus declarare; et primò dicendum est quòd

cognatio carnalis, quæ etiam consanguinitas dicitur, est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium, carnali propagatione contractum; vel est vinculum personarum quæ propterea quòd ab eâdem stirpe oriuntur, sanguinis et naturæ societate junctæ sunt; unde et consanguinei dicti quasi de uno, seu communi sanguine nati et propagati; et quòd quasi initium commune nascendi habuerunt, l. 2, ff. *Unde cogn.* Et propterea dicitur ab eodem stipite, propter affines inter quos, licèt sit vinculum personarum, non tamen adest consanguinitas; sic etiam carnali dicitur propagatione contractum ad differentiam vinculi adoptionis, et cujuscumque similis puta spiritualis; addit Joannes Andreas, in Arbore consanguinitatis, quòd consanguinitas dicitur à *cum* et *sanguine*, quia à communi sanguine descendunt, et per lineas et gradus distinguitur.

Hinc ex ipsâ consanguinitatis definitione patet etiam illegitimos venire appellatione consanguineorum; quandoquidem, jure naturæ inspecto, etiam illegitimi et spurii dicuntur procedere ex eodem sanguine, ut not. Bart., in l. *Pronuntiatio*, § *Familia*, ibi: *Cùm ex eodem sanguine proficiscantur;* ff. de verb. *Signifi.*, et in l. *Tutelas*, sub n. 3, ff. d. cap. *Dimin.;* Felin., in cap. *Præsenti*, sub num. 22; vers. *Est verum*, de Prob., cum pluribus cumulatis in duabus decisionibus, die scilicet 6 novembr. 1617, et 16 februarii 1618, coram D. Pirovano, prout etiam dictum fuit in unâ Pampilonen. capellaniâ, 4 martii 1622, coram D. Remboldo, quam refert Vivian. in calce suæ prax. Juripatr., quæ est 45. Nam licèt in jure multis modis accipi possint, Pereg. de Fideicom., a. 2, n. 35, tamen secundùm jus canonicum consanguineus intelligitur pro eo qui quoquo modo sanguine junctus est, vel ex patre, vel ex matre, quocumque gradu et sexu se attingat; nam vocabulum sanguinis, unde consanguinei dicti sunt, generale est, et ad omnes refertur, qui sanguine se contingere possunt; Sanch., de Matrim., l. 7, d. 50, n. 1, et fuit dictum in unâ Pamphilonen. *Illegitimitatis*, penès Farinac., in Posthum., decis. bio., n. 5, tomo 2. Ac proinde, quoad matrimonii impedimentum ac dispensationem super eo impetrandam, nullum discrimen esse constituendum etiam in praxi pro certo scimus; cùm indubitati juris sit quòd ad matrimonium impediendum et dirimendum, par est consanguinitas et affinitas cum illegitimis sicut cum legitimis, Gonz. super Reg. 8, cancell. gl. 5, n. 26, ubi allegat. text. in cap. *Per tuas*, de Prob., et c. *Discretionem*, de eo qui cognovit. consang. uxor.

Linea autem est collectio personarum, ab eodem stipite descendentium, gradus continens, et cognationes distinguens. Dicitur verò stipes, illa persona, à quâ cæteræ personæ, de quarum conjunctione quæritur, descendentium et originem ducunt. Et hæc linea triplex est, una videlicet ascendens, in quâ continentur personæ, à quibus nos originem duximus, nempe pater, avus, proavus, et cæteræ personæ ascendentes, in infinitum. Altera descendens, in quâ continentur personæ, quæ à nobis originem duxerunt, utpotè, filii, nepotes, pronepotes, et cæteri descendentes, pariter in infinitum. Tertia verè linea ex transverso, quæ etiam collateralis dicitur, complectitur illos, qui nobis, ex latere juncti sunt, à quibus non duximus originem, neque ipsi à nobis; et tamen ab uno stirpe, unoque sanguine propagati sumus, ut fratres et eorum filii; patruus, amita, ac reliqui transversales. Quæ quidem linea collateralis dividitur in lineam æqualem et inæqualem; æqualis est, quando gradus illorum de quorum cognatione quæritur, æqualiter, et pariter distant à communi stipite; nempe, duo fratres sunt in lineâ æquali; nam uterque pariter distat, scilicet patre, uno gradu; inæqualis verò quando una persona aliam in gradu præcedit, et personæ de quarum consanguinitate quæritur, non æqualiter distant à communi stipite, ut est in fratre et fratris filio, quia frater distat à stipite, patre scilicet, uno gradu, filius verò fratris est stipiti in secundo gradu conjunctus, et propterea sunt in lineâ inæquali: quod præcipuè in dispensationibus matrimonialibus impetrandis est notandum; nam licèt primus et secundus gradus, ut hic est, constituant æqualiter impedimentum; in reliquis tamen gradibus remotioribus, puta, secundo, et tertio et quarto, etiam ex multiplicatis stipitibus, attenditur remotior; et petuntur litteræ declaratoriæ super propinquiori, ex constitutione Pii V, super expressione propinquioris gradûs in dispensationibus matrimonialibus, prout fusiùs suo loco dicemus.

Gradus verò est quoddam intervallum, quo cognoscitur, quæ persona sit stipiti propinquior, vel est quædam distantia unius personæ ab aliâ in lineâ consanguinitatis, vel proximè personæ ad personam conjunctio; sicut autem linea contingit gradus; ita lineæ et gradus efficiunt arborem. Quæ quidem arbor inventa fuit propter causas matrimoniales: et differt ab arbore juris civilis, in quâ computatio attenditur, quando agitur de successionibus et tutelis deferendis proximo consanguineo; de jure verò canonico in causis matrimonialibus, quando quæritur de consanguineis, in quo gradu eis liceat matrimonium contrahere, doctores in leg. *Si autem*, c. *de Succæs. edicto.*

Cognatio spiritualis, quæ alio modo compaternitas appellatur, est propinquitas personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens, propter collationem baptismi, vel confirmationis, vel susceptionem recipientis hæc sacramenta; Sanch., de Matrim., lib. 7, disput. 54, num. 1, quæ quidem cognatio est de jure ecclesiastico tantùm, non autem de jure divino naturali aut positivo; quia, ut ait id. Sanch., num. 2, nullus in sacrâ Scripturâ locus invenitur, in quo de illâ fiat mentio.

Affinitas, in propositâ materiâ dispensationis, plures recipit divisiones, ac distinctè venit declaranda; et primò quid illa sit; secundò, quotuplex sit; tertiò quomodò contrahitur; quartò, quot sint genera affinitatis; quintò, an secundum genus affinitatis sit prorsùs sublatum; sextò, usque ad quem gradum impediat, et dispensationem expostulet; septimò, quid

sentiendum de affinitate superveniente. Et quamvis per omnes summistas materia hæc satis abundè tacta fuerit, nihilominùs, circa illam, prout concernit praxim dispensationis, aliqua breviter declaranda sunt; et propterea dicendum est: Primò, quòd affinitas, secundùm canones, est propinquitas personarum, ex carnali copulâ proveniens, omni carens parentelâ, ex Joan. Andr., in Declaratione arboris Affinitatis, et Navar., capitulo 22, num. 24. Vel est finium propinquitas, et dicuntur affines, sive confines, quia finis unius est proximus fini alterius, et ipsum attingens: sicut enim per copulam carnalem fiunt vir et uxor, una eademque caro, ita sanguis unius attingit sanguinem alterius. Vel alio modo, dicitur affinitas, quasi duorum ad unum finem unitas; eò quòd duæ cognationes diversæ, per nuptias, secundùm leges, vel per coitum, secundùm canones, copulantur.

Secundò, duplex est affinitas, altera legitima, altera illegitima. Legitima illa est quæ mediante matrimonio contrahitur; illegitima verò, quæ per coitum illegitimum, et fornicarium ad denotandum, quòd ex nudâ dispensatione non contrahitur affinitas, sed tantùm publica honestas, quæ, ut infra dicemus, matrimonium etiam impedit, § *Si uxor*, Instit. de nupt., ex eo, quòd non solùm quod licet, sed quod honestum est considerari debet, l. *Semper*, ff. de Reg. jur. Et quoad praxim Romanæ Curiæ, illud est notandum, quòd quando simpliciter loquitur de affinitate, intelligitur tantùm de illâ quæ est orta ex copulâ conjugali; nisi aliud exprimatur, non autem ex actu fornicario; eò quòd in dubio, delictum non præsumitur, l. *Merito*, ff. *Pro socio*, quia in odiosis, verba sunt intelligenda in potiori significato; ac propterea inolevit stylus Romanæ Curiæ, ut affinitas ex illicito coitu proveniens, exprimenda sit, ut mox dicetur.

Tertiò, affinitas non solùm contrahitur ex legitimo matrimonio, sed etiam per actum fornicarium et incestuosum, ut supra dictum est, c. *Discretionem*, de eo qui cogn. consanguin. uxoris suæ, ad hoc ut matrimonia impediantur: Glossa, in d. cap. *Discretionem*, verbo *Nec affinitas;* et constituit ipsa affinitas impedimentum perpetuum, quod durat, etiam mortuâ personâ, quâ mediante contrahitur, probat text. c. *Fraternitatis*, ibi: *Porrò, uno defuncto, in superstite affinitas non deletur, nec alia copula conjugalis affinitatem prioris copulæ solvere potest.*

Non autem oritur ex pollutione extraordinariâ citra vel circa naturalia, et non intrat; ita quòd non tangat claustra pudoris; sed in circuitu palpitando; Glossa in cap. *Extraordinariæ*, 35, quæst. 3; nam talis pollutio non inducit affinitatem; quia requiritur ea copula quæ sit sufficiens ad generandum, vel cùm ea efficiatur sanguinis commixtio, c. *Fraternitatis*, 35, quæst. 1; Sanch., lib. 7, disput. 74, num. 11; Guttier., de Matrim., c. 87, n. 15, etiamsi ipsa copula secuta fuerit cum muliere invitâ et coactâ, vel ignorante, dormiente, ebriâ, insanâ, quia quomodocumque perveniat, apta est ad generandum, Barbos., de Potest. episc., alleg. 51, n. 169; aliàs enim, nisi fecerit sanguinis commixtionem et carnis unitatem, nulla inde oriretur affinitas. Idemque esset si aliquis reseraret illas seras, nondùm tamen procederet ad consummationem operis; quia nec ibi est sanguinis commixtio, nec unitas sanguinis; sicut etiam dicendum est, si semen alicujus viri, ex operâ dæmonis, deferatur in uterum alicujus mulieris (ex eo, quia dæmones benè possunt in assumptis corporibus hoc modo generare; nam in coitu carnali, sicut in aliis peccatis, summoperè delectantur); tunc enim si aliqua generatio ex illorum coitu succederet, illa non proveniret ex semine illius assumpti corporis; licèt ipse diabolus generet in coitu ipso ex spermate alicujus viri in somniis polluti, aut etiam in vigiliâ, quotiescumque dæmon in formâ succubi se transformat, id est, in formâ mulieris, et habet coitum cum viro, et postmodùm accipiens formam viri, quàm citissimè accedit ad mulierem in formâ incubi, scilicet viri, et assumens coitum cum eâ, immittit dictum sperma in naturam et matricem mulieris, et inde sequitur illius prægnantia, ac si ipsa mulier cum naturali viro coitum habuisset; nihilominùs infans inde ortus non propterea diceretur filius dæmonis, sed illius cujus sperma erit; ita Paul. Grilland., de Sortileg., l. 2, q. 7, n. 9, 12 et 13, allegans ibi ad divum Aug. et divum Thomam. Unde in proposito, vir ille cujus erat sperma et mulier in cujus utero à dæmone sperma introductum est, non dicuntur propterea una et eadem caro; idemque esset si uterus mulieris casu ad se traheret semen viri cum eâ ludentis; id. Barbos., num. 171.

Placet tamen quod nonnulli dicunt tanquàm nimis consonum timoratorum conscientiis, indeque praxi Romanæ Curiæ, nempe, quòd licèt ad causandam affinitatem requiratur concursus utriusque seminis, attamen causâ vitandi peccati jus canonicum et sancta Mater Ecclesia, in dubio præsumunt ex copulâ, quæ apparet non habere suas circumstantias, concursum nihilominùs utriusque seminis, et maris et feminæ intervenisse; quia in dubiis semper certius est tenendum, cap. 2, § *Item*, de Pœnit. dist. 7, ubi dicitur: *Tene certum, et dimitte incertum*, c. *Ad audientiam*, de Homicid., et c. *Invenis*, de Spons., et in facti contingentiâ, pluries ego vidi Romæ peti dispensationem super impedimento affinitatis; quamvis reverà, illa (ut ab ipsis oratoribus accepi) non esset contracta, sed tantùm intervenerant tactus impudici, ac aliqua pollutio extraordinaria, nempe propè vas, quod fuit semper à peritissimis viris approbatum.

Quartò, quia experientiâ compertum est, nonnullos in generibus affinitatis investigandis, ut plurimùm errare; ac propterea, sæpissimè contingere scimus, dispensationes impetrari super impedimento affinitatis secundi generis; narrantibus simpliciter oratoribus, sese impedimento affinitatis invicem attinere; postmodùm in verificatione narratorum per ordinarium, non primum, sed secundum genus affinitatis inter eos adesse reperitur. Ad submovendum propterea omne dubium, quod in dies evenire potest, non ab re visum fuit quàm brevissimè potui, hìc aliqua circa id subne-

ctere. Ac propterea dicendum est quòd tria sunt genera affinitatis, quæ declarantur per exempla posita in Glossa, in c. *Non debet*, de Consang. et Affin., et ego aliqua insuper addam pro majori illorum dilucidatione. Primum igitur genus affinitatis est quod mediante unâ tantùm personâ contrahitur ; nam persona addita personæ per matrimonialem conjunctionem primum genus affinitatis constituit, veluti frater meus duxit uxorem Mariam, hæc mihi et omnibus consanguineis fratris mei est in primo genere affinitatis, sicut etiam supra dictum est. Secundum genus est quod mediantibus duabus personis contrahitur ; unde persona addita personæ per matrimonialem conjunctionem in primo genere affinitatis, secundum genus constituit. Exemplum, Maria, uxor fratris mei, est mihi in primo genere affinitatis ; si nunc mortuo fratre meo, nubat Francisco, ipse Franciscus erit mihi et omnibus consanguineis fratris mei in secundo genere affinitatis. Tertium genus est quod mediantibus tribus personis contrahitur ; persona namque addita personæ, per matrimonium in secundo genere, tertium genus affinitatis constituit. Unde si hæc Maria decedat, et Franciscus ducat Constantiam, tunc ista Constantia erit mihi et omnibus consanguineis fratris mei, in tertio genere affinitatis. Sed clariùs explicando hæc genera affinitatis, constituenda est hæc conclusio, seu regula, nimirùm : Persona addita personæ per carnis copulam mutat genus, sed non gradum attinentiæ : exempli gratiâ, ego et frater meus sumus consanguinei in primo gradu consanguinitatis ; hic meus frater ducit uxorem Mariam, quæ est persona addita personæ, scilicet fratris mei per matrimonialem conjunctionem : hæc additio mutat genus attinentiæ, id est, efficit ut alio genere mihi conjuncta sit quàm frater meus ; nam ipsa Maria est mihi affinis, dictus verò frater est mihi consanguineus ; nec propterea mutat gradum ; nam sicut frater meus est mihi in primo gradu consanguinitatis, ita Maria uxor illius est mihi in primo gradu affinitatis, quæ est aliud genus attinentiæ ; et sic habes primum genus affinitatis. Similiter exemplificatur in reliquis generibus affinitatis ; nam adde personam per matrimonialem conjunctionem primo generi, nempè, mortuo fratre meo, si illius uxor Maria, quæ est mihi in primo genere affinitatis, nubat Francisco, ipse Franciscus erit mihi, et reliquis consanguineis fratris mei in primo gradu secundi generis affinitatis. Et sic quoad tertium genus, etc.

Sed ne in hâc diversitate generis affinitatis, aliquo modo decipiaris, conclude quòd primum genus affinitatis, solùm contrahitur inter viros et consanguineos uxorum ; ac inter uxores, et consanguineos virorum, ut supra dictum est ; nam genus affinitatis, quod oritur inter viros et mulieres cognitas ab affinibus eorum, et è contra inter mulieres et viros cognitos ab earum affinibus, est quidem genus affinitatis, secundum, vel tertium, non autem primum, quod solum hodiè inducit impedimentum post cap. *Non debet*, de Consang. et Affinit. ; Navar., consil. 3, eod. tit.

Quintò non solùm tertium, sed secundum genus affinitatis est hodiè prorsùs sublatum ; ita quòd nullo modo impediant matrimonium ; quòd tantùm impedit primum genus usque ad quartum gradum inclusivè, sicut ipsa consanguinitas, ex d. c. *Non debet*, et c. *Quædam*, 35, q. 3, quamvis antiquitùs in omnibus tribus generibus, matrimonium erat prohibitum intra certos gradus ; nam in primo genere erat prohibitum usque ad septimum gradum ; ut patet in c. *Nulli*, 35, q. 5. In secundo genere usque ad quartum gradum ; et in tertio genere, usque ad secundum, Hostien., in summ. tit., de Affinit., num. 5.

Sextò affinitas impedit matrimonium, quemadmodùm ipsa consanguinitas, nempe usque ad quartum gradum inclusivè, ex d. cap. *Non debet*. Verùm ubi prius præstabat impedimentum, tam si illa insurgeret ex copulâ licitâ quàm illicitâ, nempe ex illicito et nefario coitu, et illicitis nuptiis usque ad quartum gradum hujusmodi, hodiè hæc affinitas restricta est usque ad secundum tantùm gradum, ex concil. Trident., sess. 24, c. 4, ibi : *Præterea sancta synodus eisdem, et aliis gravissimis causis adducta, impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm qui primo et secundo gradu conjunguntur, restringit : in ulterioribus verò gradibus, statuit hujusmodi affinitatem, matrimonium postea contractum non dirimere.*

Sed cùm nihilominùs hæsitaretur an hæc affinitas ex actu fornicario hujusmodi in ulterioribus gradibus impediret matrimonium contrahendum, supervenit postmodùm bulla declaratoria Pii V, quæ omnem circa id abstulit ambiguitatem ; quam quidem tanquàm huic praxi necessariam, hìc annectere visum est, ut sequitur, videlicet :

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Romanum Pontificem spectat canonicas sanctiones, quæ expressionem sensuum postulare videntur, re diligenter perspectâ ita declarare, et aliàs providere, ut omnis dubietas de piis Christi fidelium mentibus evellatur. Sanè postquàm ex eo quòd Tridentina synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, per quod non solùm matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantùm restrinxit, qui primo et secundo gradu conjunguntur, in ulterioribus verò gradibus statuit matrimonium postea factum non dirimi, à pluribus Christi fidelibus, ut accepimus, est dubitatum an liceat in ulterioribus gradibus hujusmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen juxta antiquos canones contrahi prohibeatur. Et propterea nos omnem ambiguitatem tollere, et animarum tranquillitati ac matrimonii libertati, quantùm cum Deo possumus, consulere volentes declaramus et apostolicâ auctoritate decernimus, nullum hodiè impedimentum remanere, quominùs in ulterioribus gradibus hujusmodi liberè et licitè matrimonium contrahi possit ; et ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus, decernentes irritum et inane, si quid secùs à quoquam, quâcumque dignitate, auctoritate, et potestate prædito contigerit judicari, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis*

quibuscumque. Volumus autem quòd præsentes litteræ in cancellariâ nostrâ Apostolicâ, et in acie campi Floræ de more publicentur, et inter constitutiones perpetuò valituras describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quòd earum transumptis, etiam impressis manu alicujus notarii subscriptis, ac sigillo alicujus prælati munitis eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto kalen. decembris; pontificatûs nostri anno primo.

Cæs. Glorierius.

Est sic cùm dicta affinitas restricta sit usque ad secundum gradum, licitè potest matrimonium contrahi in tertio gradu absque dispensatione Apostolicâ, Barbos. de Potest. episcop., alleg. 51, num. 165.

Sed quid, si oratores se attinent primo et tertio gradibus hujusmodi affinitatis, an poterunt similiter contrahere sine dispensatione apostolicâ? Et videtur negativè respondendum; et ratio colligitur ex dictâ constitutione Pii V, ubi voluit quòd in dispensationibus matrimonialibus impetrandis remotior gradus trahat ad se propinquiorem; ac ob id sufficiat remotiorem ipsum exprimere; dummodò impedimentum, quoquomodo primum gradum non attingat; cùm in eo Sanctitas sua nunquàm dispensare intendat; et sic habemus etiam in praxi, ut cùm petitur dispensatio super primo et secundo consanguinitatis seu affinitatis gradibus, quia uterque gradus constituit impedimentum; propterea, dùm supplicatur pro hujusmodi dispensatione, non narratur secundus, tanquàm remotior, et primus tanquàm distantia, super quâ tanquàm gradûs propinquioris debeat peti declaratoria, quod non obstet, veluti quando dicimus, *quod impedimento secundi*, etc. *Distantia verò tertii*, etc., ut infra in suis formulis patebit, sed dicitur absolutè, *quod impedimentis primi, et secundi*, etc.

Iis tamen non obstantibus, contrarium est verius, etiam in praxi receptum; nam, cùm ex decreto dicti concilii Tridentini, affinitas ex actu fornicario proveniens restricta sit usque ad secundum gradum, ut supra diximus, propterea concludendum est necessariò, primo et tertio gradibus affinitatis hujusmodi se attinentes, posse licitè inter se contrahere sine dispensatione, ex ipsâ regulâ text. in c. fin. de Consang. et Affin., ubi remotiorem gradum attendendum esse statutum fuit, sicut conjuncti in primo et quinto gradibus consanguinitatis vel affinitatis ex matrimonio consurgentibus licitè, et absque aliquâ dispensatione contrahere possunt, ex d. cap. fin. Nec aliquo modo obstat dicta constitutio Pii V, quâ cavetur faciendam esse mentionem propinquioris, si is sit primus, nec sufficere expressionem gradûs remotionis, quia hæc constitutio loquitur in casibus in quibus necessaria est dispensatio, et ubi Papa declaravit se non habere voluntatem dispensandi, nisi exprimatur primus gradus; sed sic est quòd attentis præmissis super tertio affinitatis gradu ex actu fornicario proveniente, non est pe'enda dispensatio; ergo non sumus in casibus comprehensis in dictâ constitutione; qui conjuncti essent in primo et quinto gradibus, ut dictum est, non egent dispensatione super dicto quinto gradu, ita etiam affinitas modo præmisso proveniens, nullum præstat impedimentum in primo et tertio gradibus; et ita docet, etiam notoria praxis.

Ad cujus confirmationem plures emanârunt declarationes sacræ congregationis concilii Tridentini, quibus cavetur quòd impedimentum istud quod propter affinitatem ex actu fornicario contractum dirimit, ad eos tantùm spectat, qui primo et secundo affinitatis se attinent, in ulterioribus verò gradibus, concilium statuit non diremisse.

Et aliàs ipsa congregatio censuit, ad dignoscendum, an subsit impedimentum affinitatis provenientis ex fornicatione, attendendum esse gradum remotiorem; ideòque quemadmodùm inter eos qui tertio gradu affinitatis ex actu fornicario procedentis, conjunguntur matrimonio post concilium Tridentinum, quod hujusmodi impedimentum ad primum et secundum gradum restringit, licitè contrahitur; ita etiam contrahi potest inter eos qui simul secundo et tertio gradibus hujusmodi affinitatis ex fornicatione inductæ conjunguntur; et hoc est adeò etiam in praxi receptum, ut nulla remaneat hæsitatio; sed hoc modo, istâ affinitate ad primum et secundum gradus restrictâ, illa tantùm remanet, quæ secundum jus antiquum extenditur usque ad quartum gradum inclusivè; Guttier. de Matrim., cap. 99, n. 14; Henriq., lib. 2, cap. 10, num. 1, litterâ H, Sanch., lib. 7, disput. 65, num. 5, et sublatis jam impedimentis tertii et quarti hujus fornicariæ affinitatis, potest matrimonium contrahi absque dispensatione; sicut eadem ratio habenda est de affinitate superveniente, ut statuit Gregorius XIII qui ex sent ntiâ sacræ congregationis voluit sublatum censeri impedimentum quoque supervenientis affinitatis post contractum matrimonium: quia si impedimentum dirimens sublatum est, quod majus est; ergo et istud, quod solùm impedit, ne is per quem contracta est affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est; propterea concilium sustulit tertium et quartum.

Crimen. Illud dicitur impedimentum criminis, cùm quis aliquam per adulterium polluerit, fide datâ de matrimonio inter se contrahendo post obitum sui viri, ut habetur in c. fin. de eo qui dux. quam poll. per adult. Vel, cùm quis machinatus est in mortem uxoris, ut aliam quam vivente illâ carnaliter cognoverat, in conjugem haberet, vel è contra c. *Laudabilem*, de Convers., in fid. Thesaur. fori Eccles. part. 2, cap. 9, num. 76, et alibi dicam, cùm de dispensatione agam, super hoc impedimento.

Votum duplex est, scilicet solemne, quod impedit

matrimonium contrahendum, et dirimit contractum; et simplex, quod tantùm impedit contrahendum, cap. *Censuit*, qui cler. vel voven.

Honestas, cujus impedimentum dicitur, publicæ honestatis justitia, est propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ constitutione, Sanch. de Matr., lib. 7, disput. 68, num. 1, de quo quidem impedimento habemus text. in cap. *Litteras*, de Despons. impub. c. *Juvenis*, c. *Veniens*, c. *Ad audientiam*, et c. *Sponsam*, de Spons., et cap. un. eod. tit., lib. 6. Ratio autem cur ita vocetur hoc impedimentum, assignatur in d. c. *Juvenis*, ubi dicitur, quòd beneficium honestati Ecclesiæ est, ut propter inchoationem matrimonii, quæ in sponsalibus reperitur, consanguineis alterutrius sponsi, idem matrimonium interdicatur, quod desumitur, etiam ex l. *Si quæ*, § 1, et l. *Semper*, ff. de Ritu nupt.; Gl. in c. *Non debet*, de Consang. et Affin. ubi dicit quòd ideò frater impeditur sumere sponsam fratris propter publicam honestatem; quia scriptum est: *Sponsam fratris frater habere non potest*, c. *Ad audientiam*, de Spons. arg. l. *Qui in adoptionem*, ff. de Adopt.; idem Sanch. d. n. 1, ubi subdit aliam rationem consimilem, nempe quia per sponsalia conjunguntur sponsi, non tamen perfectè, sicut per matrimonium, sed imperfectè, tanquàm per quoddam matrimonii initium; quodque convenientissimum fuit, ut sicut per matrimonium contrahitur affinitas, subsequentes nuptias dirimens, ita ex sponsalibus aliud vinculum conjunctionis oriretur, minùs tamen perfectum affinitate, prout, etiam nos in suo loco dicemus.

CAPUT II.

Praxis causarum dispensationum matrimonialium sine copulâ.

Quibus sic præmissis causis, cùm in unoquoque ex supradictis impedimentis contingat in dies dispensari, nec dispensationes concedantur, nisi cum causæ cognitione, summo Pontifici priùs narrandæ, ut patet ex ipsius dispensationis definitione, quæ, ut aliàs diximus, est juris communis relaxatio, cum causæ cognitione, ab eo qui habet potestatem dispensandi. Barbos., de Potestat. episc., allegat. 33, num. 3, idcircò operæ pretium esse duximus omnes causas necessarias ad hujusmodi dispensationes matrimoniales obtinendas, et de stylo, ac in praxi receptas, hìc subnectere; cùm ex sacri concilii Tridentini, decreto, sess. 24, cap. 5, de Reform. matrim., cautum sit, quòd in contrahendis matrimoniis, vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò, idque ex causâ et gratis concedatur, in secundo gradu nunquàm dispensetur, nisi inter magnos principes, et ex publicâ causâ; et licèt probetur per text. in c. *Quia circa*, de Consang. et Affin., causas cum quibus concedendæ sunt hæ dispensationes, duas esse, nempe, prolem subsecutam, et evitationem scandalorum, ubi ipse textus loquitur de matrimonio de facto contracto; nihilominùs aliæ permultæ à S. congr. concilii Tridentini fuerunt declaratæ et approbatæ, cum quibus super hujusmodi impedimentis diù per summum Pontificem dispensari consuevit, ac in dies dispensatur; sunt autem quæ sequuntur, cum suis narrativis, ex quibus aliquæ tantùm narrantur per Quarant. in Summ. bull., verb. *Dispensationes matrimoniales;* reliquas verò, longo temporis cursu in Romanâ Curiâ observari, cùm per fel. record. Paulum V fuissem, suâ benignitate, in collegium dominorum officialium, tam matrimonialium quàm aliarum dispensationum in cancellariâ Apostolicâ cooptatus.

Prima igitur causa, propter angustiam loci:

Quòd cùm dicta oratrix in dicto loco, propter illius ad angustiam, virum sibi non consanguineum, vel alium affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat.

Secunda causa, propter angustiam locorum:

Quòd cùm dicta oratrix in dictis locis, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum, etc., ut suprà.

Quòd si contingat aliquando à sollicitatoribus in urbe, ignorari locum, unde oratores orti sunt, ne propterea expeditio differatur; absque eo quòd apponatur locus, sufficit narrare quòd cùm dicta oratrix in locis ex quibus ipsa, et orator prædictus orti existunt, in dictâ diœcesi existentibus, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam virum sibi non consanguineum, etc., sicut etiam dicitur quando narratur oratricem domicilium contraxisse in alio loco, etiam alterius diœcesis; tunc enim petenda etiam est dispensatio ob angustiam utriusque loci, scilicet originis et domicilii, cum consuetâ clausulâ: *Factis pro clamationibus etiam in parochiali ecclesiâ originis oratricis*, etc.

Cæterùm quid sentiendum circa verificationem hujusmodi causæ, dicam infra in declaratione litterarum dispensationis cum eâdem causâ.

Tertia causa, propter angustiam, cum clausulâ: *Et si extra*, etc.

Quòd cùm dicta mulier in dicto loco propter illius angustiam, virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum eâ virum, cui juxta statùs sui conditionem, nubere posset, invenire valeret, etc.

Hæc tamen clausula: *Et si extra*, etc., non requiritur in omnibus gradibus, sed tantùm in quibusdam proximioribus, veluti in secundo et tertio à communi stipite, etiamsi fuerint duplicati ex pluribus stipitibus; sic etiam, si ultra prædictos secundum et tertium concurrent alia impedimenta remotiorum graduum, utpotè in secundo et tertio ex uno et tertio, et quarto ex altero stipitibus, et sic regulariter, quotiescumque ex uno eodemque stipite conjunguntur oratores secundo et tertio consanguinitatis vel affinitatis gradibus quamvis ex aliis diversisque stipitibus plures concurrerent remotiores gradus. Cur autem addita sit hæc clausula: *Et si extra*, respondetur quòd regulariter, quò propinquior est gradus, eò urgentior requiritur causa ad dispensandum, ut satis notum est.

Docet item notoria praxis, quòd in supradictis secundo et tertio gradibus, etiam, ut supra duplicatis vel concurrentibus, etiam aliis gradibus remotioribus, sicut dictum est, semper est necessariò exprimenda qualitas personarum oratorum, nempe si sint nobiles aut principales cives, vel saltem ex honestis familiis. Datur tamen dispensatio sine expressione qualitatum personarum, cum causâ pro indotatâ oratrice, vel propter inimicitias, aut pro confirmatione pacis.

Advertens tamen quòd quando petitur hæc dispensatio in gradibus supra dictis, et cum dictâ causâ *ob angustiam loci*, cessat supra dicta clausula : *Et si extra*, si exprimatur supra dicta qualitas personarum, saltem quòd sint ex honestis familiis, ut supra dictum est, et non aliàs; quia hæc dictio, *saltem*, secundùm stylum Curiæ, admittitur tanquàm subsidiaria, quia diminutionem significat; unde deficiente aliâ majore expressione hujusmodi qualitatum, recurritur ad illam cui jungitur hæc dictio, veluti, *ex honestis familiis*, Franc. in c. *Statutum*, n. 14, de Rescript., in 6.

Licèt regulariter sufficiat simpliciter asserere nomen oratoris, quicumque ille sit, quia circa hanc expressionem, non est habenda acceptio personarum, neque interest inter nobilem et ignobilem, pauperem et divitem, præsertim quia non attenditur hìc dispositio, l. 1, c. de Natural. lib. *Nec* , l. *Imperialis*, c. de Nuptiis, quæ inter dictas personas distinguebant; et constitutos in dignitate cum humilibus vel libertinis prohibebant contrahere matrimonium : nec taciturnitas divitiarum vel nobilitatis vitiat dispensationem, teste Host. in cap. *Fin.* de Fil. presb., nisi quando nobilitas præstet causam ad dispensandum in casibus à jure expressis, quia sicut Deus non habet, ita nec ejus ministri debent in dispensando habere acceptionem. Unde servat praxis, quòd non irritatur dispensatio, si non fuerit in precibus dictum quòd orator sit comes, vel baro, etc. Et sic nobilitatis taciturnitas, status, comitatus, vel ducatus non vitiant dispensationem, quidquid dicat Alexand., consil. 195, num. 9, lib. 2.

Cur autem hæc clausula : *Et si extra*, faciliorem reddat Pontificem ad ita dispensandum, est quia durissimum est cogi feminam extra proprium oppidum nubere; ut si patris, et matris ac consanguineorum consortio destituta, acerbam ac solitariam vitam transigat; Sanchez, lib. 8, disputatione 19, num. 13.

Quarta causa, propter incompetentiam dotis oratricis :

Quòd cùm dicta oratrix dotem habeat minùs competentem, juxta statûs sui conditionem, cum quâ virum sibi non consanguineum vel affinem, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator illam cum dictâ minùs competenti; dote, uxorem ducere intendat.

Et hìc observandum est quòd nonnulli, impropriè hanc causam appellant *propter paupertatem*, nempe mulieris (quæ communiter appellatur, *propter incompetentiam dotis*) cum quâ credunt oratores evadere solitam solutionem expensarum in dispensatione requisitarum; quas, seu illarum partem tunc evadunt, quando dispensatio petitur cum culpâ in formâ pauperum, sub quâ formâ datur etiam dispensatio, licèt inter oratores non fuerit carnalis copula subsecuta, sed tantummodò illius suspicio, unde insurgat oratricis infamia, quæ propter hujusmodi suspicionem, innupta remaneret, ut infra dicemus.

Incompetentia igitur dotis mulieris, causa sufficiens est ad dispensandum, quia ad bonum publicum confert, ne femina, defectu dotis, innupta remaneat quod magis procedit in muliere quæ nullam penitùs habet dotem, cùm inter cæteras miserias, quæ inde sibi proveniunt, solet à suo viro contemni, ut dixit Jason. Auth. *Res quæ*, colum. 5, c. comm. de Leg., versic. *Quartò quæritur;* Paul. de Cast., consil. 456, lib. 2, ubi subjicit quòd propterea interest mulierem esse dotatam.

Sed hìc ante omnia præponendum videtur quòd quando datur dispensatio ob incompetentiam dotis oratricis, sufficit quòd hæc incompetentia sit respectu procurarum, quæ degunt in loco ipsius oratricis; et si in vicinis locis sint, qui mulierem acciperent cum illâ paucâ dote, quia nihilominùs dispensatio valet, et non vitiatur : card. Bellarm. in Declar. S. congr. concil., fol. 357, tit. *Declarationis cardinalium.*

Sanè, pro executione hujusmodi dispensationis cum dictâ causâ, videndum erit an oratrix censeatur pauper, et sic dote carens, cùm nihil possidet, licèt habeat parentes divites; et profectò negativa responsio vera est, quia hoc casu non admittenda est dispensatio, cum hâc causâ, scilicet, propter dotem minùs competentem, vel pro penitùs indotatâ : nam stante quòd illa habet jus succedendi in bonis parentum, ad eos compellendi ad illam dotandum statim, juxta ipsius oratricis qualitatem, ac ipsorum parentum facultates; parùm refert, quòd juxta præsentem statum nihil habeat; quod procedit, etiamsi pater ob aliquam causam recusaret illam dotare, quia ex eo quòd habeat jus succedendi et compellendi, dicitur habere dotem competentem, et jam per supra dictas rationes destinatam. Unde pro hâc parte facit quòd destinata habetur pro factâ, juxta ea quæ dicit Bald. in l. *Penult.*, de Milit. testam., nempe quòd potentia propinqua actui habetur pro actu , l. *Qui in utero*, ff. de Stat. homin. Sicut etiam valet dicere quòd filia dotata dicitur, cui pater reliquit dotem destinatam ad futurum matrimonium. Gloss. in l. *Cùm plures*, § *Cùm inter*, in verbo, *Alio patre*, ff. de Admin. tut.

E contrario valebit dispensatio, si in eâ narratum fuerit oratricem habere dotem minùs competentem, licèt frater aut quicumque alius illam dotare intendat; dummodò nullum pactum dotandi præcesserit, per quod dictæ oratricis jus irrevocabile quæratur; vel etiam, si pactum fuerit dotandi, dummodò illa nubat suo consanguineo; nam, cùm ex prædictis, non existente pacto, aut non impletâ dictâ conditione, nullum jus habeat ad dotem, dicitur verè pauper non obstante certitudine quòd à fratre dotanda erit; San-

chez dictâ disputatione 19, num. 24, et sic servatur in praxi.

Sed quid si oratricem non habentem dotem tempore quo obtinuit dispensationem, cum eâdem causâ incompetentiæ dotis, seu si penitùs illa indotata existeret, antequàm tamen ordinarius, vigore litterarum dispenset, contingeret esse institutam hæredem aut legatariam alicujus quantitatis sufficientis; an possit hujusmodi hæreditatem seu legatum repudiare, ne frustretur effectu dispensationis seu mandati de dispensando; attento quòd stante hæreditate seu legato hujusmodi, cessat causa propter quam ipsa dispensatio fuit impetrata? Et respondendo cum eodem Sanchez, dictâ disputatione 19, num. 27, dico quòd si ipsa oratrix cederet, aut renuntiaret hæreditati seu legato in favorem alterius, certum est illam jam acquisivisse hæreditatem seu legatum, et sic effectam fuisse divitem, quia talis cessio est vera donatio et alienatio, l. *Si avia*, c. de Jur. deliber., ex eo quòd qui vult aliquid, censetur velle omne id quod ad ejus efficaciam necessarium est, arg. libro *Secundò*, ff. de Jurisd. omn. jud. l. *Singularia*, ff. *Si cert. pet.*; ubi, quando duo actus concurrunt in unum, alter tacitus et alter expressus, idem operatur tacitus ac si operaretur expressus, l. *Quartò*, ff. de Don. int. vir. et uxor., ubi non valet tanquàm donatio inter virum et uxorem, si vir donanti sibi jubeat ut donet uxori, quia jubendo donare, est tacita et occulta acceptatio. Unde oratrix, cedendo, ut dictum est, satis se gereret pro hærede, sive cessio fiat tacitè, sive expressè. Idem Sanchez, lib. 7, disputatione 4, num. 17, et sic ex præmissis corrueret dispensatio, cum dictâ causâ incompetentiæ dotis obtenta, quia agitur tantummodò de mandato ad dispensandum, cum causâ verificandâ tempore executionis, ut infra dicetur.

Sed pone quòd oratrix in longinquis partibus degens fuerit ab aliquo instituta hæres vel legataria; quod tamen non potuit ob longinquitatem ad ejus notitiam pervenire, et miserit ad Urbem pro dispensatione, cum dictâ causâ incompetentis dotis, cujus quidem dispensationis vigore, matrimonium contraxit, postmodùm verò, ad ejus notitiam pervenit se fuisse institutam hæredem seu legatariam; numquid acceptando hæreditatem, seu legatum, carebit effectu dictæ dispensationis?

Et omni prorsùs hæsitatione remotâ, est respondendum negativè, quia causa, scilicet incompetentiæ dotis, fuit summo Pontifici narrata, tempore quo ipsa oratrix ignorabat talem institutionem, Sanchez, lib. 8, disp. 19, num. 28. Subdens etiam ibi quòd erit piè credendum, talem fuisse mentem Pontificis, ne dispensationes et matrimonia periculis exponantur.

Circa tamen hanc et alias causas in hujusmodi dispens. verificandas, nulli dubium est, prout tenent omnes doctores sufficere tempore impetrationis illas fuisse veras; licèt postea deficiant; Bald. in l. 1, n. 11, c. de Cond. indeb.; Ludovis., decis. 406, num. 12. Sicut etiam habemus quòd si detur dos mulieri sub prætextu paupertatis, sufficit quòd à principio fuerit pauper, ut dotem consequatur; quòd si postea fiat ditissima, habebit nihilominùs ipsam dotem, faciunt etiam, quæ in simili scribit Dec., consil. 24, et Joan. Andr., in capitulo *Decet* de Reg. jur., in 6, ubi quòd si concessa fuerit alicui immunitas propter numerum duodecim filiorum, non debet illa cessare, si contingat aliquos ex dictis filiis mori; sufficit enim quòd unâ horâ fuerint semel vivi; Ann. Singul. 241; Tab. de Constitut., princip. in l. fin., num. 34, fol. 220; nam cùm pervenitur ad hunc numerum duodecim filiorum, non est opus illos semper vivere, quia sufficit numerum hunc esse completum, licèt temporis intervallo efficiatur imperfectus in quo quidem numero computantur mares et feminæ, etiamsi illæ fuerint nuptæ, vel religionem ingressæ, sive legitimæ et naturales, sive naturales tantùm, Thesaur. decis. 267, num. 5, quæ quidem immunitas, non solùm prodest patri, verùm etiam matri; Franc. decis. 259, num. 1. Et ita annis elapsis per regiam cameram summariæ, fuit concessum privilegium hujus immunitatis D. Victoriæ Stantionæ nobilissimæ matronæ Neap., quæ ex 17 suis filiis, octo feminas in diversis ex principalibus monasteriis monialium hujus civitatis collocavit, in eisque professionem illæ emiserunt, omnesque piè sanctèque vivunt famulatum exemplariter Altissimo exhibentes. Ratio autem præmissorum est, quia etiam mater in procreatione filiorum concurrit tanquàm instrumentum necessarium; Surd., d. consil. 218, num. 10. Quod quidem privilegium ampliatur, ut competat etiam filiis, mortuo patre; Menoch., consil. 486. Requiritur tamen quòd tempore impetrationis hujusmodi privilegii dicti filii in communi vivant omnes insimul; Capic., decis. 54, n. 3, quia si eorum bona dividantur, cessat hoc privilegium; quod tamen intelligas de divisione voluntariâ, non autem necessariâ; Rip. Singul., observ. 315, et quod diximus, ut in prædicto numero duodecim filiorum comprehendantur etiam naturales, intelligas pariter, si per rescriptum principis, vel aliàs fuerint legitimati, puta per ingressum Religionis, Navar. consil. 6, num. 6, de Fil. presb., quod obiter dictum sit.

Quòd autem in proposito sufficiat causam ipsam veram esse tempore impetrationis, ita intelligas, videlicet, si dispensatio ipsa concessa fuerit in formâ gratiosâ; ita ut narratorum non egeat justificatione; tunc enim non mandatum de dispensando, sed propriè dispensatio est; quæ tamen forma gratiosa hodiè regulariter non datur, præsertim in dispensationibus matrimonialibus; sed ad præscriptum concilii Tridentini, omnes dispensationes expediuntur in formâ commissariâ; ac propterea committuntur ordinario; ut cognitâ precum veritate, dispenset, ut aliàs diximus: hoc igitur modo, narrata erunt verificanda tempore executionis, licèt tempore datæ non essent Garc., de Benef., parte 6, cap. 2, num. 283.

In dispensationibus autem in quibus pro causâ narratur, inter oratores secutam fuisse carnalem copulam, illius suspicionem; ac propterea, nisi matrimo-

nium contraheretur, oratrix remaneret diffamata scandalaque inde exoritura essent, absque dubio requiritur omnia hæc fuisse vera tempore impetrationis: sic etenim post eam impetratam, consultò copulam habuissent ut sic fraudulenter possent ea scandala verificari tempore executionis: dispensatio hæc non suffragabitur oratoribus, propter dolum qui non debet eis patrocinari; id. Garc., d. cap. 2, num. 287, cum seqq.

Et redeundo unde paulisper digressus sum, in verificatione prædictæ causæ incompetentiæ dotis, quærit Genuen. in praxi curiæ archiepiscopalis Neapolitanæ, capite 20, num. 6, quid si pater habens plures filias, posset commodè dotare unam, sed habitâ ratione dotis aliarum filiarum, non posset unam dotare; an dispensatio reddatur subreptitia, si exprimat dotis incompetentiam et respondet quòd non: nam illud dicitur fieri non posse, quòd commodè fieri non potest, l. *Nepos Proculo*, ff. de Verb. signif. Verùm si quantitas dotis quæ constituitur secundæ filiæ, si juxta consuetudinem loci, quæ plurimùm ad id attenditur; Corn. consil. 316, num. 6, vers. *Et hoc semper*; Cæs. de Gras., decis. 2, num. 15, de Constit.; Ludovis., decis. 63, num. 20: tunc, quamvis secundæ filiæ assignetur minor dos quàm primæ, non potest allegari causa incompetentiæ dotis; sicque minimè curandum erit, quid alteri sorori oratricis constitutum fuerit, sed quantùm illi assignandum fuisset; Bald., consil. 386, in fin., lib. 4, quia æquè dotantur filiæ si benè collocentur in matrimonio, licèt plus uni quàm alteri tradatur; Alciat. tractat. reg. 1, præsumpt. 7, num. 3; Ludovis., d. decis. 53, num. 22 et 23.

Quinta causa, propter dotem cum augmento:

Quòd cùm dicta oratrix dotem habeat minùs competentem, juxta statùs sui conditionem, cum quâ virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et dictus orator illam cum dictâ minùs competenti dote in uxorem ducere; illiusque dotem, usque ad quantitatem, secundùm dictæ oratricis qualitatem, competenter augere intendat.

Hîc scias quòd augmentum dotis non requiritur in omnibus gradibus, cùm dispensatio petitur ob illius incompetentiam; sed tantùm in quibusdam proximioribus, puta in secundo et tertio, seu tertio tantùm, sive consanguinitatis, sive affinitatis, etiamsi gradus hujusmodi duplicentur, seu multiplicentur, ex pluribus stipitibus; videlicet in duplici, triplici seu quadruplici, tertio, ac in secundo et tertio, etiam, ut præfertur duplicatis vel multiplicatis, veluti in duplicibus, secundo et tertio, etc., et quoad tertium gradum intelligitur, si ille fuerit absolutus, ex uno videlicet stipite tantùm; si enim sint oratores in tertio et quarto à communi stipite, sive ex pluribus stipitibus, puta in duplicibus, triplicibus vel quadruplicibus tertio et quarto, etc., non requiritur hoc augmentum dotis. Requiritur tamen illud in dispensatione in secundo et quarto gradibus à communi stipite similiter provenientibus. Necnon in primo publicæ honestatis justitia, ac etiam in compaternitate; sicut docet ista praxis

Nec poterit executor dispensare supra dictis gradibus vigore apostolicæ dispensationis, cùm in supra dictâ causâ, ac etiam si petita fuerit dispensatio pro penitùs indotatâ, nisi priùs dos ipsa augeatur; vel (si ita petitum fuerit in dispensatione) oratrix ex integro dotetur, ut infra dicetur, ex eo quòd in fine clausularum supplicationis dispensationis per officialem præpositum his supplicationibus matrimonialibus, additur clausula: Et postquàm dictæ oratricis dos competenter aucta fuerit, ut præfertur; prout etiam dicitur in litteris ipsius dispensationis. Ex quo tamen nota, quòd stante dictâ clausulâ, et præcisè, per verbum illud, competenter, non deducitur quòd orator debeat supplere integram quantitatem, sed tantùm augmentum, *competenter*, licèt consideratione dignum, attentâ qualitate oratricis; unde satis esset, si ex aliquâ parte, ipsa dos augeatur; dummodò illa pars sit alicujus momenti, et digna qualitate oratricis; Sanch., lib. 8, disput. 35, sub num. 6, et quotidiè practicatur.

Quoniam verò inter verificationes causarum dispensationum matrimonialium periculosior et difficilior est hæc nempe, cùm dispensatio petitur propter incompetentiam dotis, cum augmento; sicut longâ experientiâ comprobatum est; propterea, ad evitandas fraudes quæ desuper evenire possunt, cùm oratorum, necnon ipsius executoris animarum jacturâ, tenetur ipse executor diligenter examinare hujus causæ veritatem; discutiendo, an orator promittens hujusmodi augmentum, possit reverà illud solvere vel assignare oratrici; et propterea curabit ut illud scripturâ publicâ promittat, muliere acceptante, ut verificetur dotem esse auctam. Advertat insuper an maritus habeat filios ex aliâ uxore jam defunctâ susceptos: cùm enim, augmentum hoc sit causa dispensationis, extrahitur de toto bonorum acervo, etiam in præjudicium dictorum filiorum, ut rectè docet Sanchez, d. disput. 35, num. 7. Nam cùm orator auxerit dotem oratricis ad hoc, ut Pontifex dispenset super impedimento, quo ipsi impediuntur, id augmentum datur ob causam onerosam, et sic non est donatio gratiosa, sed contractus cum ipso Pontifice intùs, ut concedat dispensationem; idem Sanchez., lib. 6, disput. 8, num. 3.

Unde benè servatur in hâc curiâ archiepiscopali, ut non admittatur vir ad constituendum oratrici dotem, sive illius augmentum simpliciter super omnibus bonis suis; sed in specie debet ostendere, si habeat bona particularia, super quibus constituatur, ut cum ipsâ dote principali efficiatur unica dos; cùm regulare sit quòd augmentum debeat sequi naturam rei auctæ, l. *Inter socerum*, § *Cùm inter*, ff. de Pact. dotal., l. *Etiam*, ubi Bart., Bald. et alii, c. de Jure dot., l. *Quod in rerum*, § *si quid*, ff. de Leg. 1, quod principaliter fit, ut sit consultum uxori in casu mortis viri, ne de novo indigeat tali dispensatione, prout testatur idem Genuen., d. c. 20, num. 14, in fin. Quod quidem intelligi et servari debet tam in ipsius augmenti quàm integræ totiusque dotis constitutione.

Consuevit aliquando non ita simpliciter dici in dispensatione quòd orator intendit augere dotem, sed ipsius quantitas specificari, nempe, quòd dictus orator, oratricis dotem in summâ tot ducatorum monetæ illarum partium, cum quibus usque ad quantitatem secundùm dictæ oratricis qualitatem, competenter aucta erit, augere intendit; et tunc curabit delegatus, ut ipsa summa solvatur in pecuniâ numeratâ, nisi aliud sibi visum fuerit pro securitate dicti augmenti, et ita practicatur.

Sexta causa, pro indotatâ :

Quòd cùm dicta oratrix indotata existat, et dictus orator, illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem, secundùm dictæ oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat, etc. Et additur clausula, *et si, et postquàm dicta oratrix ex integro dotata fuerit*, ut præfertur.

Hodiè per S. D. N. Alexandrum VII hæc causa admittitur pro nobilibus etiam in secundo, necnon in primo et secundo gradibus, maximè si concurrat alia causa, etiam ex illis quæ admittuntur in remotioribus gradibus.

Septima causa, quando alius auget dotem :

Quòd cùm dicta oratrix dotem habeat minùs competentem, juxta statûs sui conditionem, cum quâ virum paris conditionis, cui nubere possit invenire nequeat, et quidam oratorum consanguineus, ad id aliàs non obligatus, oratricis dotem, ita tamen ut oratori nubat, et non aliàs, usque ad quantitatem, secundùm ejusdem oratricis qualitatem competenter augere, dictusque orator, illam cum dictâ minùs competenti dote, et illius augmento, in uxorem ducere intendat, etc.

Pro verificatione tamen causæ prædictæ, notandum est quòd ad substantiam dispensationis hujusmodi, ut ex præmissis constat, parùm refert an orator vel alius augeat dotem, ad effectum exequendi dispensationem, et contrahendi matrimonium; quia si post impetratam à Papâ hujusmodi dispensationem cum causâ, quòd orator intendit augere dotem, postmodùm compertum fuerit ipsum oratorem non posse seu nolle augere ipsam dotem, et adsit alius qui vellet illam augere, non poterit differre executor dispensationem, quia perinde auget alius, ac si ipse orator augeret, nam pro causâ dispensationis, consideratur paupertas oratricis, non habentis dotem competentem, et ut ei cum istâ liberalitate succurratur; et ita pluries in facti contingentiâ consultus, respondi cum eod. Sanch., d. disp. 35, n. 7, ubi præcisè subdit, quòd si orator narraverit in supplicatione se velle augere dotem, cùm reverà, illam non possit ob ejus paupertatem augere; sed alius esset qui augeret si ipsa oratrix oratori nuberet, se existimare verificari substantiam causæ, ac si valere dispensationem : nam cùm mendacium sit circa rem, nil conferentem ad dispensationem, eam non vitiat. Illud autem, quod dicitur hìc de augmento, intelligitur etiam, et practicatur in ipsius dotis integrâ constitutione, prout etiam supra dictum est.

Unum tamen, quod in praxi observatur, non omittam nempe quòd si petita fuerit dispensatio ad contrahendum cum causâ incompetentis dotis oratricis, postea verò in illius verificatione, compertum fuerit ipsam oratricem esse omninò indotatam; vel è contra, si fuerit ipsa dispensatio impetrata cum causâ pro oratrice indotatâ, et postmodùm constet eam habere dotem, licèt incompetentem, quamvis orator vellet augere dotem, et sic utroque modo consideretur paupertas ipsius oratricis, propter quod est concedenda dispensatio, ut dictum est supra; nihilominùs illa redditur nulla, adeò ut nec possit corrigi; sed est omninò impetranda nova gratia, saltem in formâ, *Perinde valere*, et hic est notorius Curiæ stylus.

Notet verò hìc obiter novus curialis quòd licèt gratia, *Perinde valere*, non detur super causâ quâ movetur Papa ad concedendam gratiam, ut omnibus notum est, hìc tamen conceditur, quia in casu supra dicto, nempe paupertatis oratricis, utraque causa tendit ad unum finem, nempe ut oratrix ipsa habeat dotem competentem; et sic cùm causa Pontifici expressa, sit tantùm, ut ita dicam, infirma, benè potest sanari per gratiam, *Perinde valere*, cujus virtus est revalidare gratiam ab ipso Papâ concessam ex aliquâ parte invalidam, prout in meâ Practicâ beneficiali dicam.

Octava causa, propter lites super successione bonorum:

Quòd cùm dicta oratrix gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat; et ne ob defectum viri qui litem hujusmodi prosequatur et defendat, ipsam liti hujusmodi succumbere contingat; dictusque orator illam in uxorem ducere, litemque hujusmodi in se suscipere, defendere, ac propriis expensis prosequi intendat, etc.

Admittitur hæc causa per summum pontificem, ex eo quòd ad utilitatem publicam spectat ut lites finiantur, Alex. cons. 190, lib. 3; Bart. in l. *Hâc igitur*, c. de Nov., c. *Faciend.*, litiumque extinctiones spectant ad conservationem humanæ congregationis; Clement. *Dudùm*, de Sepult., sicut è contrario litium introductio, criminum occasionem et reipublicæ detrimentum præbet, ut habetur in l. *Si quis ingenuum*, § *In cuilib.*, ff. de Capt. Parùmque refert quòd extinctio litium pertineat ad commodum reipublicæ, et tamen hìc agatur de commodo privato, quia, cùm ex quâcumque lite possint oriri odia cæteraque mala, propterea Papa quærit omnibus malis obviare; cùm ipse sit pater spiritualis omnium Christianorum. Abb. in cap. *Ultim.*, col. penult. de Purgat. canon.; Dec. in cap. *At si clerici*, num. 37, de Judic.

Nec aliàs causa hæc per eumdem Pontificem admittitur, si exprimatur hujusmodi litem sustinere oratricem super successione simpliciter quorumdam bonorum; quo casu supplicatio omninò rejicitur, etiam pro dispensatione super gradibus quantùmcumque remotis, cùm non aliàs causa hæc fuerit introducta, nisi eo modo, quo supra narratur : quia pro modicis bonis non datur, ex quo modica et minima non sunt in consideratione, ad text., in l. *Scio illud*, ff. de in integr Restit., cap. *Licèt*, de Probat., l. 1, § *Proinde*, ff. de Ædil. edic. Cæterùm, cujus quantitatis sive qualitatis

bona hujusmodi esse debeant, totum pendet ex arbitrio executoris cui relinquuntur ea quæ certâ lege definita non sunt, certâque sub regulâ comprehendi non possunt, l. 1, ff. de Jur. delib.; Dec. in c. *Sedes*, num. 7, de Rescript., et communiter doctores Paris. de Resign. benef., libro 5, q. 6, n. 152, cum seqq.

Nona causa, propter dotem litibus involutam.

Quòd cùm dicta oratrix dotem habeat litibus involutam, et dictus orator, qui ad eam prosequendam habilis existit, illam in uxorem ducere, litesque hujusmodi in se suscipere, etc., ut supra.

Causa hæc, sicut et præcedens, quasi in unum et idem tendere videtur, quia mulieri consulendum est ut bona sua aliquâ opportunâ ratione valeat recuperare; cùm omninò destituta sit homine qui ad litem illam studiosè prosequendam se ingeret, ac illius negotium, tanquàm proprium gerat, eò quòd periculum adest succumbendi in causâ, et hoc modo, ut dicit Sanch. lib. 8, disputat. 29, num. 20, videtur posse dispensari.

Istæ tamen causæ non admittuntur absolutè in omnibus gradibus, sed tantùm in remotioribus, puta in quarto, seu tertio, et quarto, sive ex uno, sive ex pluribus stipitibus multiplicati; quamvis aliquando, etiam in his remotioribus gradibus, vidi cum his causis dispensationem denegari; satis verò erit ad inclinandam mentem Pontificis, si ei vel suis officialibus ad id deputatis, suadeatur quòd nisi dispensetur, mulier ita destituta bonorum jacturam pateretur, et nihilominùs exequuntur pro verificatione hujusmodi causæ, debet diligenter inspicere, et ex officio indagare an dictus orator valdè necessarius esset, ratione peritiæ circa illam litem, aut aliâ de causâ, ita ut difficilè illi subveniretur, non inito inter eos matrimonio; idem Sanch., dicto num. 20.

Decima causa, propter lites super rebus magni momenti.

Quòd cùm inter dictos oratores, sive eorum parentes, graves lites, super rebus magni momenti ortæ jam sint, et ad præsens vigeant; aliunde tamen quàm ex causâ matrimonii interdictos oratores contrahendi, provenientes, et ante illius tractatum exortæ; certumque sit quòd si oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, lites hujusmodi omninò componerentur; pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis, cupiunt, etc.

Causa hæc affinis est etiam prædictis duabus præcedentibus. Et in calce supplicationis, sicut etiam in ipsis litteris super eâ expediendis, semper adjici consuevit ista clausula, nimirùm: *Et factâ priùs litium hujusmodi hinc inde cessione, seu earum compositione;* ex hoc quidem satis liquet non posse executorem, ad earumdem litterarum executionem procedere, nisi priùs, etiam ipsâ conditione adimpletâ, quæ inducitur ex ablativo absoluto, dùm dicitur: *Facta priùs*, etc., l. *A testatore*, ff. de Condit. et Demonstrat.; Caputaque, decis. 111, numero 3, parte 1; aliàs enim huic dispensationi fieret fraus, sicut pluries accidit, ac propterea illi est omninò obviandum, l. *In funao*, vers. *Neque malitiis*, ff. de rei Vend.

Admissam vidimus per summum Pontificem hanc causam, et jam in secundo, imò in primo et secundo gradibus, non tamen sola, sed unà cum aliis, quæ in gradibus remotis admitti consueverunt; veluti cùm petitur dispensatio in secundo gradu propter lites pro oratrice viginti quatuor annorum, et ultra; aut propter inimicitias, et pro confirmatione pacis, ac etiam pro conservatione bonorum in familiâ, quatenùs oratrix ex nobili aliquâ familiâ ortum ducat. Mensibus retrò elapsis sanctissimus dominus noster Alexander Papa VII dispensavit cum oratoribus Cajetan., super impedimento secundi gradûs cum sequentium causarum narrativâ, nempe quòd oratrix ex nobilibus et antiquis familiis dictæ civitatis in vigesimo nono suæ ætatis anno constituta nunquàm invenire potuit virum paris conditionis, attentâ ipsius dotis incompetentiâ; et sic in his gradibus ita propinquis cum unâ tantùm ex supra dictis causis non sufficit, aliæ aggregantur, sicut aliàs diximus, juxta communem doctorum conclusionem, nempe quòd ubi una tantùm causa non sufficit, multæ aggregatæ prosunt. Glossa, in libro 2, in verb. *Legitimè*, ff. Decis. excusat. tutor.; Dec. cons. 146, num. 14; Ludovis., 215, num. 2. Quod quidem semper intelligitur, si non adsit carnalis copula, vel illius suspicio ob mutuam conversationem ut pluries dictum est.

Undecima causa, propter inimicitias.

Quòd cùm inter dictorum oratorum parentes, et consanguineos, vel affines, graves inimicitiæ ortæ jam sint, et de præsenti jam vigeant, aliunde tamen quàm ex causâ matrimonii inter eos contrahendi provenientes, et ante illius tractatum exortæ; certumque sit quòd si oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiæ hujusmodi omninò componerentur; pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis, cupiunt oratores prædicti invicem matrimonialiter copulari, etc.

Nec tamen causa hæc admittitur, neque suffragabitur ad sic dispensandum, nisi cum effectu, hujusmodi inimicitiæ pro ipsâ causâ allegatæ, fuerint graves, quando quidem ex levi inimicitiâ qui non præsumitur aliquem lædere; arg. eorum quæ tradita sunt ab Innoc. in c. *Cùm oporteat*, de Accusat., et ibi cæteri scribentes; benè tamen ex gravibus, præsertim, si illæ fuerint ortæ ex injuriâ atroci, juxta sententiam Bart. in l. 3, § *Fin.*, ff. de Adim. leg., vel ex controversiâ omnium bonorum, Bald. in l. *Parentes*, c. de Test., qui etiam dixit causam pecuniariam arduam capitali æquiparari; quæ sanè tunc ardua judicatur, cùm de universâ substantiâ controvertitur; cujus quidem sententiæ ratio potissimùm esse potest, quia pecuniæ, præsertim hodiè, sunt loco sanguinis, l. *Advocati*, c. de Advoc. divers. jud.; Jas. in l. *Nec quidquam*, § *Ibi decretum*, num. 2, in fin., ff. de Offic. procons.; Menoch. de Arbitr. jud., casu 110, num. 6. Debentque tales inimicitiæ, in vim litterarum hujus dispensationis, coram delegato plenè et concludenter omninò probari per testes super dictis inimicitiis deponentes, qui probent earum qualitatem in specie, nec sufficit in genere, nullâ adjectâ qualitate nec causâ inimicitiarum, ut docet Imol. in cap. *Raynutius*, de Testam.,

Bald. in l. *Si quis testibus*, num. 8, in fin., de Testib., ipsique testes debent sui dicti probabilem rationem reddere; alioquin nihil probabunt. Idem Bald. in l. *Solam*, post num. 1, vers. *Item si testis producitur*, eod. tit., quia testis sine ratione deponens, dicitur ut pecus, et non ut homo; Mascard. de Probat., conclus. 900, num. 7 cum seq., vol. 2, ac ideò probari debent, quia illæ non præsumuntur, cùm sit facti, § *Si quis verò*, Auth. de Test., l. *In ratione*, § *Cùm quidem*, ff. ad leg. Falcid. Unde scimus aliàs contigisse casum quo ipsa causa allegata in simili dispensatione, cùm non fuerit probata, noluit vicarius Lauden. ad litterarum dictæ dispensationis procedere; quinimò, re delatâ ad Urbem, fuit ipsius vicarii reprobatio approbata; et proinde fuerunt litteræ dispensationis cum novâ allegatâ causâ, expeditæ. Cæterùm, quænam censendæ sint hujusmodi inimicitiæ graves, judicis arbitrio remittitur; Menoch., de Arbitr. jud., centur. 2, casu 110, lib. 2, qui ex circumstantiis et qualitate personæ et inimicitiæ, æstimabit an illæ verè tales fuerint, quales asseruntur, ad tradita per Jul. Clar. in Pract. crim., lib. 5, § *Fin.*, vers. *Sed quid si secuta fuerit reconciliatio.*

Et ubi adsunt graves inimicitiæ cum periculo vitæ, dispensatur etiam in gradibus propinquioribus cum personis qualificatis, prout fuit annis retrolapsis dispensatum, ut ex infra scriptis litteris patet, videlicet.

A tergo : *Venerabili fratri archiepiscopo Neapolitan.*

Intùs verò :

Urbanus VIII. *Venerabilis Frater, salutem*, etc. *Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Francisci de Summâ Clerici, ad laicalia vota aspirantis, et Beatricis, etiam de Summâ mulieris Neapolitan. dilecti filii nobilis juri Nicolaumariæ similiter de Summâ domini in temporalibus principis nuncupati, Collis, et dicti Francisci fratris germani natæ, petitio continebat, quòd multis ab hinc annis inter ipsum Franciscum Nicolaumariam principem subortis, et successivè continuatis gravibus litibus, controversiis et dissentionibus civilibus, earum occasione etiam capitalis inimicitia inter eos cum periculo vitæ contracta fuit. Et licèt pluries medio diversarum personarum de litibus prædictis et pace, ac mutuâ reconciliatione inter eos componendis actum fuerit; adhuc tamen aliquis modus opportunus ad id peragendum inveniri nequivit. Novissimè verò dilectus etiam filius nobilis vir modernus prorex Neapolitan. negotium litium compositionis, reconciliationis et pacis hujusmodi inter eos suâ auctoritate promovens, nec illud aliter concludi posse animadvertens, arbitratus est inter Franciscum et Beatricem prædictos matrimonium contrahendum fore, et resolutionem hujusmodi ambæ partes suâ spe obtinendæ à nobis dispensationis super impedimentis primi et secundi consanguinitatis gradum à communi stipite et ex eo provenientibus; quia dictus Franciscus et ipsius Beatricis patruus, quibus invicem sunt conjuncti, amplexi sunt. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi contractus matrimonii hujusmodi inter dictos exponentes, qui de verè nobili et antiquiori familiâ regni Neapol. orti sunt, effectuetur, neaùm lites, controversiæ et differentiæ prædictæ reviviscerent, sed etiam major inter eos inimicitia cum vitæ periculo hujusmodi et populi scandalo suscitarentur, et bona dicti Nicolaumariæ principis filios masculos non habentis, in extraneos transirent. Cupiunt Franciscus et Beatrix prædicti invicem matrimonialiter copulari; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt jam dicti Franciscus et Beatrix quam pro eis dictus prorex, et dilecti filii electi civitatis Neapol. ut in præmissis opportunè providere*, etc., *dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes à quibusvis*, etc., *censentes*, etc., *fraternitati tuæ per præsentes*, etc., *mandamus, ut depositâ omni spe cujuscumque muneris*, etc., *etiam spontè oblati, à quo te omninò abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter informes; et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, cum eisdem Francisco et Beatrice, factâ priùs hinc inde litium hujusmodi cessione, seu earum compositione, quod impedimentis primi et secundi consanguinitatis graduum hujusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concil. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, auctoritate nostrâ apostolicâ dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam enuntiando. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 15 octobris 1652 pontificatûs nostri anno 20.* M. A. Maraldus.

Duodecima causa, pro confirmatione pacis:

Quòd cùm inter dictam oratricem ac oratorem ipsum, necnon eorum parentes, consanguineos, vel affines, graves inimicitiæ viguerint, aliunde tamen, etc., *exortæ; et licèt pax inter eos de recenti inita fuerit, nihilominùs pro illius confirmatione cupiunt*, etc.

Hæ duæ causæ similiter tendunt ad unum, nempe ad sedandas inimicitias et pacem confirmandam; et passim admittuntur in supra dictis remotioribus gradibus eo modo quo supradictum est; quia pro bono publico conducit pax civium; id. Sanch., d. disp. 19, num. 8, ex D. Thomâ, dicente has dispensationes matrimoniales concedi potissimùm ad pacem firmandam, Mandos. in Praxi signat. grat., hoc tit., vers. *Justa causa;* quare hic est unus ex casibus, in quibus multa conceduntur, scilicet pro conservandâ ipsâ pace et concordiâ; aliàs fieri non possent, c. *Nisi essent*, de Præb., cap. *His quæ ibi pro bono pacis*, de Major. et Obed., c. 1, de Mut. petit.; ibi *Concordiâ terminetis;* Paris., de Resign. benef., l. 5, quæstione 3, num. 165. Et super omnia, quia tempore pacis benè colitur auctor pacis, Clement. *Super cathedram*, sepult. fact., capite 2, de Despons. impub., ubi dicit quòd etiam toleratur contractus matrimonii inter impuberes, quando ex eo sequitur bonum pacis inducendæ; tunc enim juris præcepta relaxantur, ut hìc, c. *Sanè*, de Tempor. ordin.; c. *Latores*, de Cler. excom. min.; c. *Nihil*, de Præscript., cap. *Ex injuncto*, de nov. Oper., c. *Nunc dilectio*, de Consang. et Affin., cum aliis adductis à Roman. cons. 332, num. 16, Gloss. in d.

n. 2, de Despons. impub., in verb. *Pacis*, ubi versus :

Pax, ut servetur, moderamen juris habetur.

Nec discrimen aliquod circa hujus causæ praxim in spicimus constitutum, an videlicet inimicitiæ ipsæ vigeant de præsenti, an verò pax de recenti inter personas præfatas inita fuerit. Rationem profectò esse putamus, quia posteriori casu, non videtur prorsùs sublatus effectus præcedentium inimicitiarum, prout sentire videtur id. Innoc. in d. c. *Cùm oporteat*, num. 6, de Accusat., quem omnes sequuntur, ut ait Felin. ibi post n. 10, sed potiùs adhuc præsumitur eas odium et nocendi animum retinere; unde post pacem de recenti initam, remanent etiam suspectæ, adeò ut repellantur etiam à testimonio ferendo, Jul. Clar. in Spec. aur. p. 6, tit. *Et quandoque appellatur*, num. 64; text. Gloss. et doctores, in c. *Accusatores*, 2, 3, quæst. 5; Gloss. in cap. *Per tuas*, verbo *Inimicitias*, et ibi Felin., de Simon.; Tiraquell., tract. Cess. caus., p. 2, limit. 6, num. 7, et aliis quos congerit Mascard., de Prob., conclus. 857, num. 54, vol. 2, in materiâ etiam testis inimici, præsertim inimicitiâ, dolo, et fraude procreatâ, ubi idem Mascard. refert. in proposito casum quem ipse de facto habuit, dùm esset vicarius generalis bonæ memoriæ Pauli S. R. E. cardinalis de Arezo, tunc Archiepiscopi Neapolitani.

Decima tertia causa, pro oratrice filiis gravatâ :

Quòd cùm dicta oratrix vidua, et quinque filiis, ex alio viro procreatis, gravata existat, et dictus orator illam in uxorem ducere, dictosque ejus filios alere et gubernare intendat. Cupiunt, etc.

Et licèt non ita passim hæc sola causa admittatur, nihilominùs solet summus Pontifex moveri ad dispensandum ex eo quòd orator magnum pondus sibi suis humeris assumit; nam satis vulgare est quòd ultra id onus, si mulier virum præmisit, de novo nubendo, alterum præmittet; sicut è contra dicitur de viro, qui, ut refert Boer., decis. 186, num. 4, postquàm vigesimam sepelierat uxorem, accepit mulierem quæ viginti duos habuerat maritos; et extremo sibi (ut quisque putabat) matrimonio copulato, summâ omnium expectatione virorum pariter ac feminarum, post tot rudes disceptationes, quis, quem priùs sepulturæ efferret, vicit maritus, et totius urbis populo confluente, coronatus et palmam tenens, adoratus est à singulis sibi acclamantibus quòd mulieris multinubæ feretrum præcederet, ex divo Hieronymo in tertiâ parte epist., tractatu sexto, epistolâ 26, in litterâ F., sic dicentem: *Rem dicturus sum incredibilem; sed multorum testimoniis approbo, antè annos plurimos, cùm in chartis ecclesiasticis juvare Damasum Romanæ urbis episcopum, et Orientis atque Occidentis synodicis consultationibus responderem*, etc. Hæc id. Boer., loc. cit. Quandò verò conceditur hæc dispensatio, sive cum hâc unicâ causâ, sive cum aliâ insimul, semper consuevit apponi clausula, seu decretum : *Et postquàm dictus orator idoneè caverit, se dictis filiis alimenta præstaturum.* Hanc tamen causam his temporibus dataria apostolicæ non admittit.

Decima quarta causa, pro oratrice excedente 24 annum :

Quòd dicta oratrix vigesimum quartum annum, et ultra suæ ætatis agens hactenùs virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit, cupiunt, etc.

Hæc causa passim admittitur pro obtinendâ dispensatione in quibuscumque gradibus, nec tamen sola sufficit super aliquo ex proximioribus puta secundo, seu primo et secundo; et eò magis admittitur, cùm magis tempus effluxerit ab ætate oratricis ad contrahendum matrimonium, in quo ætas duodecim annorum requiritur, c. *Continebatur*, de Despons. impub. Unde hinc dicendum est quòd, licèt filia inconsulto patre, ex communi juris gentium constitutione, in matrimonium collocari non possit (quod quidem jus gentium confirmatur 3, q. 5, c. *Aliter*, ubi refertur dictum D. Ambrosii asserentis non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum expectandum) nihilominùs poterit se matrimonio collocare, si ejus pater distulerit usque ad vigesimum quintum annum; ac propterea senserunt leges, intra illud tempus esse nuptui tradendam, ut in § *Causas*, vers. *Si verò*, in Auth. *Ut cùm*, de Appell. cogn., ibi: *Si verò usque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia, et parentes distulerint eam matrimonio copulare, et forsitan contigerit eam ex hoc, in suum corpus peccare, aut sine consensu parentum, marito sed libero tamen conjungere*, etc., *quia non suâ culpâ, sed parentum id commisisse agnoscitur.* Unde summus Pontifex optimâ ratione facillimè, ut supra dixi, admittit causam hujusmodi ad dispensandum, propter periculum peccandi, quod causam præbet dispensandi, quæ etiam ad scandala vitanda reduci potest.

Hæc tamen causa, pro oratrice viginti quatuor annorum et ultra, non habet locum, neque admittitur in muliere viduâ, quæ velit ad secundas nuptias convolare; ponderando etiam illam dictionem, hactenùs, quæ, licèt de suî naturâ designet tempus præteritum, ut in l. 1, et ibi Glossa in verb. *Eatenùs*, ff. de nov. Oper. nunc; Card. Tusc. Pract. conclusionum, tom. 2, litterâ D., concl. 283, hic tamen, quia ponitur, negativè et exclusivè ex illis verb. *Non invenit*, excludit tempus prædictum, usque ad illum diem, dict. l. 1, in princip., ubi doctores § *Hactenùs*, Instit. de Grad. cognat., Decian., consil. 44, et sic dicta verba non verificantur in eâ quæ habuit alium virum; sicut etiam docet notoria praxis Curiæ Romanæ.

Mulieribus etenim nondùm nuptis, et ipsa jura ut plurimùm favent; unde legatum factum filiabus matrimonio collocandis, de iis profectò intelligitur, quæ nondùm virum habuerunt, non autem de transire volentibus ad dictas secundas nuptias, ut in rubr. c. de secund. Nupt., per tot.; quinimò contra istas plures emanârunt leges et constitutiones ut in l. *Feminæ*, l. *Generaliter*, l. *Si quis prioris*, § *In illo*, l. *Hâc edictali*, in princip. auth. *Ex testamento*, c. de secund. Nupt., l. *Mater*, c. ad Tertull., auth. *Quod mater*, c. de Revoc. donat., cum similibus, præsertim cùm ut plurimùm post mortem viri, tribus, aut quatuor elapsis mensibus, ad secundas convolare nuptias cum bonis sibi per virum relictis, quando liberi non adsunt non

abhorrent, ut ait Boer., decis. 186, num. 3, ubi circa medium refert Luc. de Pœnit. dicentem, quòd illius tempore orta quæstio perlataque ad Sedem Apostolicam exstitit de muliere, quæ mortuo viro intra dies quindecim, alios duos viros superduxit, quæ peperit filium intra novem, vel undecim menses ab obitu primi viri, ac propterea dubitabatur, talis partus cujusnam esse judicaretur, et per ipsum Luc., de Pœn., et alios doctores in l. *Gallus*, ff. *de Lib. posth.* quæstio hæc deciditur, sicut è converso, favore viduarum in suæ viduitatis statu permanentium quàm plura emanârunt privilegia; quæ omnia hìc recensere, superfluum existimavimus. Et quidem non immeritò innumeris dignandæ sunt laudibus, quandoquidem mulier illa quæ casto amore primum virum prosequitur, ejusque pectori atque præcordiis illius memoria medullitùs infixa est, post illius obitum de secundis nuptiis non cogitat; illi adhùc prior ille maritus vivit, ejusque, ac si ille viveret, memoria recreatur, ut ait Tiraquell. in l. *Boves*, § *Hoc sermone*, num. 152. Hæc cùm scriberem, mentem subit dilectissima genitrix mea Feliciana Crispa, matrona, suâ ætate omnium oculis conspicua: quæ, cùm nobilissimâ Crisporum prosapiâ inclytæ civitatis Rossanensis, ac plurimis animi, corporis, fortunæque dotibus, inter nobiles feminas gloriaretur; ob quæ ejus connubia à pluribus, iisque insignibus viris expeterentur maluit tamen, præcipui amoris lege, quem erga virum suum Fabium Corradum genitorem meum, jureconsultum suo tempore celeberrimum, æquè, ac dùm viveret, gerebat, post quem è vivis excessit, verè viduam, ut ait Apostolus, desolatamque vitam transigere, quàm ad secunda vota, eaque sanè digna, transire; ut quisnam ille fuerit amor, quem erga dilectissimum virum gereret, diuturna ipsa viduitas, morte feliciter consummata, comprobaret; quæ quidem ejus viduitatis laus, cùm ad sexagesimum fructum evangelicum, illam, ut sentire æquum est, traduxisset, vel invitum me compulit in eâ celebrandâ, ac in reliquarum exemplum præponendâ, modestiæ metas forsan excedere. Verùm amicus lector, eâ quâ decet in parentes pietate flagrans, id mihi, tantæ charitati deditissimo, facilè condonabit.

Cùm autem nondùm nuptæ mulieris favore, causa præmissa ab ipso summo Pontifice, ejusque sacrâ congregatione concil. appareat emanâsse, ea illorum profectò mens fuit ut mulieri eidem opportunâ hâc ratione consuleretur; quapropter causa eadem tanquàm pia et favorabilis præter assertum 24 annorum excessum, non ita rigidè, quoad reliqua narrata scrutanda esse videtur: æquè enim usque ad pontificatum felici record. Pauli V, causa hæc ac illa quam ob loci angustiam crebrò admissam videmus, procedebant, ut cùm utraque tunc militaret, non modò in amplissimis populatisque locis, verùm etiam in quibuscumque præcipuis civitatibus, sublatâ tamen per eumdem Paulum augustiæ civitatum causâ, hanc pro oratrice 24 annum excedente, tanquàm pietati honestatique consonam, motus præsertim rationibus dicto superiori num. 85 allatis, in suâ antiquâ observantiâ voluit remanere.

Astruit hìc insuper hujus praxis observantia, ut in petitione dispensationis super secundo et tertio gradibus, à communi stipite provenientibus, non sufficiat una sola causa allegata, nisi aliquid aliud illa adjiciatur; nimirùm, si allegetur dotis competentis defectus, tenetur profectò oratricis dotem prædictam competenter augere; et quatenùs penitùs existat indotata, illam ex integro dotare. Si loci angustiâ, additur omninò clausula : *Et si extra.* Atverò secùs, ubi sequentes tàm piæ ac urgentes allegentur causæ; scilicet propter inimicitias, aut pro confirmatione pacis, tum demum excessus 24 annorum ætatis oratricis, quandoquidem, cùm quælibet ex his causis, sola sufficiat, nil ultra requiritur; quinimò minor compositio exigitur, quàm in aliis primò dictis causis, ut notum est omnibus curialibus.

Patet insuper ex eo tantùm, quòd oratrix per tot annorum cursum, vitam sine viro transegerit, ut dici possit, virum hucusque non invenire; tametsi nullam in eo quærendo constet diligentiam præcessisse : nec credendum est quòd si invenisset virum sibi parem, ei nubere noluisset, quatenùs voluisset virum habere; ac propterea quod patet expressè non est probare necesse; neque manifestâ indiget probatione, ad tex. in l. *Emptorem*, et ibi Glossa, verbo *Quia manifestum*, de Act. empt. l. *Si verò*, § *Qui pro rei*, cum Glossâ, verbo *Evidentissimè*, ff. *Qui satisd. cog.*, l. *Ea quidem*, cum Glossâ, in fin. c. *de Accusat.*

Illud autem quod ait Sanch., lib. 8, disp. 19, num. 14, per modum dubitandi, scilicet, qualiter verificanda sit causa non inveniendi virum sibi parem, nùm scilicet, exactissimè, et ut ait ipse, *à punto crudo*, indagandum sit, ad eam verificandam, sitne aliquis vir paris in omnibus conditionis, cui femina nubere possit, ibi respondendo resolvit, id non esse strictè accipiendum, sed morali modo; subdens satis esse ad verificandam eam causam, communiter non reperiri in eo loco viros pares, qui non sint consanguinei, vel affines ex pluribus doctoribus, per eum ibi allegatis, et nihilominùs ibi id. Sanch. loquitur de causâ angustiæ loci, de quâ duobus præcedentibus numeris locutus est, non autem de causâ excessûs 24 annorum oratricis; quæ ultra hujusmodi excessum aliud non tenetur probare, prout tenent, etiam antiqui et practici curiales; eâ præsertim ratione moti, quia videlicet pro similibus dispensationibus diversimodè concipitur narrativa excessûs 24 annorum; in illis enim narratur quòd cùm oratrix ob angustiam loci, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit invenire nequeat, etc., prout, etiam dicitur de causâ incompetentiæ dotis et similibus; hujus verò causæ narrativæ non adduntur illa verba, videlicet, *invenire nequeat;* sed satis est, ut stantibus præmissis dicatur quòd excedens illa 24 annum, hactenùs virum paris conditionis non invenit; absque eo quòd dicatur, *invenire possit*; quæ quidem verba præsupponunt in perquirendo virum, necessariò diligentias præcessisse, quod tamen apponitur in hâc causâ; semperque in ipsâ Curiâ tentum exstitit,

ultra hujusmodi excessum, aliud non debere per oratricem probari, prout aliàs sub die 21 junii 1612, fuit per D. datarium episc. Hostunen. rescriptum; ac novissimè de câdem re consultus illustrissimus D. datarius sanct. dom. nost. Urbani Papæ VIII, respondit, prout fuit ab Urbe rescriptum sub die 24 decembris 1639, quòd satis sufficere videtur, cùm ipse datarius dicatur organum mentis, et vocis Papæ Gonz ad reg. 8, Gloss. 63, num. 60, nisi tamen ex oratricis confessione, seu aliundè constet, illam hucusque nubere noluisse.

Et ut patet supra, sufficit, oratricem attingere vigesimum quintum annum, dicendo quòd vigesimum quartum annum suæ ætatis excedat; cùm favore matrimonii, annus sic incœptus habeatur pro completo, ut per Bart. et alios in l. 3, ff. *de Minor.*; Bald. in l. *Quâ ætate*, in fin. ff. *de Testam.*, et licèt oratrix sit triginta seu quadraginta annorum, sufficit nihilominùs, si adhùc alium virum non habuerit, exprimere, eam excedere vigesimum quartum annum, ad evitandum illius pudorem cui procul dubio displiceret, tot annos propalare.

Decima quinta causa, quando locus est ad littus maris :

Quòd cùm dictus locus ad littus maris situs existat; ac propterea continuis invasionibus pyratarum ac infidelium obnoxius, et sic externi homines cum difficultate, seu non ita libenter ad contrahendum cum ejusdem loci habitatoribus, ad illum accedere velint, cupiunt, etc.

Decima sexta causa, pro Belgis :

Quòd cùm dicti oratores orthodoxæ fidei cultores existant, ac Deo dante, sub obedientiâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivere et mori intendant, et in illis partibus, in quibus multi adsunt hæretici, non possint animos singulorum explorare, et qui catholicam religionem verè profitentur internoscere; ac propterea, ne contingat eos hæreticis matrimonium contrahere, cupiunt, etc.

Decima septima causa, pro Germaniâ :

Quòd cùm oratores prædicti noverint, se fidei orthodoxæ cultores, ac Deo dante sub obedientiâ sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivere et mori intendant; et in illis partibus non satis tutum sit, cum quibusvis personis matrimonium contrahere; ipsique oratores pares Religione existant, cupiunt, etc.

Hæc causa cum proximè dictâ pariter in unum tendunt; nam movetur Papa ad dispensandum, ut matrimonium inter pares religione, contrahatur; cùm matrimonium fidelis, cum infideli prohibitum sit de jure divino naturali; ac proindè non liceret, nisi aliquo speciali eventu ita urgens causa occurreret, ut recta ratio hujusmodi matrimonium tunc ineundum dictaret. Sanch., lib. 7, disput. 71, num. 5, subdens ibi, quia hujusmodi matrimonii finis non sola prolis generatio est, sed etiam legitima ejus educatio; cùmque proles apud utrumque parentem educari debeat, si parentes religione dispares sunt, nequibit ipsa proles benè educari; utervis enim parens ad suam religionem pertrahere conabitur.

Hanc causam audio non admitti hodiè in datariâ pro Germaniâ, sed tamen pro nobilibus orthodoxis, tanquàm plurimùm urgentem vidimus novissimè admissam per Innocentium X, etiam in primo gradu affinitatis, attentis narratis in supplicatione ipsius manu signatâ, cujus tenor hìc subjicitur, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Kunati Iaroslao laici, et Esteræ Eusebiæ Vuratis Lavin mulieris Pragen. diœcesis, quòd aliàs ipse orator, qui imperatoris consiliarius existit, relictis jam hæreticæ pravitatis erroribus, hæresim ipsam publicè abjuravit, propter quod omnibus ejus bonis, irâ combustis, expoliatus remansit, ac pro fide catholicâ sexdecim annorum spatio, contra ipsos strenuissimè pugnavit, ejusque familiam, infinitosque alios hæreticâ similiter pravitate infectos ad S. R. E. gremium, mirâ industriâ indefessoque labore reduxit, ut ejus nati qui penes oratricem, quæ in domo ejusdem oratoris multis ab hinc annis permanet, usque adhùc exstiterunt, meliùs educentur, et ne ob tractatus de matrimonio inter se contrahendo habitos, scandala, gravesque inimicitiæ oriantur, cupiunt oratores prædicti, qui de nobili genere procreati existunt, orthodoxæque fidei cultores verè existunt, ac sub obedientiâ S. R. E. vivunt vivereque et mori intendunt invicem matrimonialiter copulari, sed quia primo affinitatis gradu, ex eo proveniens, quia aliàs dictus orator duxit in uxorem oratricis sororem germanam, jam defunctam, invicem se attinent, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter E. S. V, oratores præfati, quatenùs cum eisdem oratoribus, quòd impedimento primi affinitatis gradu hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè servatâ formâ concilii Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, etc., *prolem*, etc., *nuntiando, dignemini*, etc.; *non obstantibus*, etc., *cum clausulis opportunis.*

Fiat ut petitur. I.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *per breve S. V. expediendis; et committatur ordinario sive ejus officiali qui deposita*, etc., *dispenset, ut supra; et dummodò oratores orthodoxæ fidei cultores verè existant, et sub obedientiâ S. R. E. vivant, vivereque et mori intendant.*

Fiat. I.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, id. martii, anno nono.

Vidimus etiam aliàs dispensari per summum Pontificem cum catholico, ad effectum contrahendi cum hæreticâ, cum infra scriptâ narrativâ, et fuit porrecta supplicatio tenoris sequentis, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. Constantin. Provinciæ Magunten., quòd ipse qui fidei orthodoxæ cultor existit, aliàs cupiens Ursulam Vain mulierem dictæ diœcesis, ejusque liberos, hæreticâ pravitate infectos ad fidem catholicam revocare, de matrimonio cum illo contrahendo tractavit, sed quia in proclamationibus, juxta formam concilii

Trid. fieri solitis, detectum fuit N. et Ursulam prædictos tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, ulteriùs in contractum matrimonii processum non fuit. Cùm autem, Pater Sancte, si dictus orator matrimonium cum præfatâ Ursulâ contrahat, non solùm ipsa, relictis hæreticæ pravitatis erroribus, hæresim ipsam publicè abjurabit, sed sperandum etiam sit ut et dictæ Ursulæ liberi præfati ac etiam alii simili pravitate infecti, fidem catholicam amplexuri sint, cupit propterea dictus orator præfatæ Ursulæ matrimonialiter copulari; sed quia dicto tertio consanguinitatis gradu illi conjuncta existit, desiderium suum in hâc parte adimplere nequit absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter E. S. V. orator prædictus, quatenùs sibi specialem gratiam faciendo, secum, ut impedimento tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, postquàm tamen dicta Ursula hæresim prædictam publicè abjuraverit, et sub obedientiâ S. R. E. vivere et mori velle professa fuerit, matrimonium cum eâ, publicè, servatâ formâ concilii prædicti contrahere illudque, etc., *remanere*, etc., *valeant, dispensare; prolem*, etc.

Similem dispensationem vidimus concessam per fel. record. Urbanum VIII, porrectâ sibi supplicatione tenoris sequentis, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotæ illius oratricis Indictæ Petrum mulieris Agrien. civit. vel diœcesis, quòd ipsa, quæ orthodoxæ fidei cultrix existit, ut Joannem Juricyho, hæreticâ pravitate infectum ad S. R. E. gremium reducat, cupit matrimonium, cujus intuitu, alii mille et quingenti fidem catholicam amplexuri sunt, cum eo contrahere, sed quia tertio consanguinitatis gradu illi conjuncta existit, desiderium suum hâc in parte adimplere nequit absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicat igitur humiliter E. S. V. oratrix præfata, quatenùs sibi specialem gratiam faciendo, secum, ut postquàm dictus Joannes hæresim prædictam publicè abjuraverit, et sub obedientiâ S. R. E. constanter vivere et mori professus fuerit, quòd impedimento tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium cum eo publicè servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, dispensare. Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando, dignemini, de gratiâ speciali, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur. M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de dispensatione, nuntiatione aliisque præmissis, ut supra latissimè, extendendis, et quòd affinitatis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, et committatur ordinario, vel ejus officiali, qui deposita*, etc., *dispenset, ut supra; et dummodò oratrix orthodoxæ fidei cultrix verè existat, et sub obedientiâ S. R. E. vivat, vivereque et mori intendat.*

Fiat. M.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem octavo id. augusti, anno quarto decimo.

Notandum hìc videtur quòd supra dictæ dispensationes cum supra dictis oratoribus non sunt super alio impedimento dirimente concessæ, præterquàm tertii consanguinitatis gradus; cæterum autem matrimonium prædictum potest inter eos consistere licèt fidelem et hæreticum; nec contractum, si non obstet aliud canonicum impedimentum, irritatur quidquid nonnulli tenuerint ex canone sextæ synodi generalis ibi, *non licere orthodoxum cum hæreticâ conjungi, nec orthodoxam cum hæretico; sed et si quid ejusmodi factum apparuerit, irritans nuptias existimari et nefarium conjugium dissolvi*, ut refert Sanchez, de Matrim., lib. 7, disput. 72, n. 1, qui n. 2, ex longâ serie doctorum comprobat, nihilominùs hujusmodi matrimonium, quamvis illicitum, valere; quod etiam satis liquet ex text. c. *Decrevit*, de Hæret., in 6, ubi Innocentius IV, propter hæresim maritorum uxorum catholicarum, dotes non debent confiscari; et tamen non jubentur separari; nam etsi non liceat christian catholico contrahere matrimonium cum hæreticâ; si tamen contrahit, validum est, Navar., cons. 5, num. 1, de Spons. Sed hic pro causâ ad dispensandum, adducitur; quòd si orator matrimonium cum dictâ Ursulâ contraheret, non solùm illa hæresim abjurabit, sed sperandum sit, ut et illius liberi ac etiam alii fidem catholicam amplexuri sint; ut secunda formula supplicationis, quòd oratrix cupit matrimonium contrahere cum Joanne, ut eum reducat ad gremium S. R. E., cujus intuitu, alii mille et quingenti fidem catholicam, etiam amplexuri sint, juxta text. in c. *Non oportet*, 28, q. 2; nam licèt ibi dicatur, quòd non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, et vel filios vel filias dare, sequitur tamen ibidem, oportere potiùs accipere, si tamen se profiteantur christianos esse futuros et catholicos, et ibi Glossa, in verbo *Hæreticis*, ait quòd hæreticus non potest contrahere cum christianâ; quòd si contrahat, tenet matrimonium, sicut si contraheret, cum excommunicato.

Verùm est tamen quòd sponsalia inter personam catholicam et hæreticam sunt irrita, ex eo quòd talis promissio est de re turpi, et omninò illicitâ; ac proinde nullam sponsalium obligationem inducere potest, Navar., de Cons. 5, num. 6, de Sponsal., ubi quod secundùm omnes est peccatum contrahere matrimonium cum hæreticâ (licèt contractum teneat), et consequenter prædicta sponsalia sunt nulla; id. Sanchez, loco citato, numer. 3.

Decima octava causa, ut bona conserventur in familiâ :

Quòd cùm dicta oratrix unica N. primogeniti, et indubitati successoris domini in temporalibus statûs N. Panormitanæ diœcesis, nata existat; et tam ipsa quàm orator, qui supra dicti M. frater germanus existit, statum hujusmodi post ejusdem M. obitum, ad se de jure spectare prætendant, propterea, oratrix alii quàm oratori, nuberet, graves lites inter eosdem oratores, cum

maximo utriusque partis dispendio, orirentur; ad obviandum litibus hujusmodi ac pro bono pacis, et ne status hujusmodi, ac eorum bona ad alienam familiam transeant, cupiunt oratores prædicti, qui de verè nobili genere procreati existunt, invicem matrimonialiter copulari, etc.

Solet hæc causa admitti, licèt non sine maximis favoribus, in gradibus propinquioribus, puta in secundo, vel primo et secundo gradibus. Ratio autem quâ sic movetur Papa ad dispensandum, ea est, quia expedit conservari statum et bona hujusmodi in eâdem cognatione; ne causâ dotis distrahantur in alienam familiam; maximè, cùm illa sunt amplissima, nam, ut ait text. in l. 1, § *Denuntiare*, vers. *Publicè*, de Ventr. inspic., bono publico convenit familias locupletes et integras conservari; quia ex tali conservatione, abundat respublica viris nobilibus et locupletibus, qui commodiùs ipsi inservire valeant; ac propterea, ob hanc causam justæ redduntur majoratuum institutiones; nam absque aliquâ hæsitatione, tantò faciliùs bona conservantur in ipsâ familiâ, quantò majores sunt facultates; Tiraquell., de Nobilit., c. 25, cum seq.; Rota, decis. 141, n. 2, part. 1, divers.; satis quippe expedit conservatio hujusmodi bonorum; nam familia sine divitiis sordescit, et familiarum decus et honor per divitias conservantur, Card. Paris., cons. 11, n. 19, vol. 3, nec facilè familia dives potest sentire infortunium, cùm pecunia dicatur fidejussor futuræ necessitatis; Gloss. in l. 2, c. de Constit. pecun., et secundus sanguis hominum; Jas., in l. *Ut vim*, num. 22, ff. de Just. et Jur. Quare fuit aliàs per fel. record. Gregorium XV concessa hujusmodi dispensatio, additâ etiam causâ quòd oratores insimul conversati erant, et litteræ dispensationis prædictæ emanàrunt tenoris seq., videlicet. A tergo. *Venerab. fratri archiepiscopo Neapolitano, sive ejus vicario.* Intùs vero : *Gregorius Papa XV, venerab. frater, seu dilecte fili, salutem*, etc. *Oblata*, etc., *pro parte dilecti filii Andreæ marchese, et dilectæ in Christo filiæ Annæ etiam marchesiæ mulieris Neapolitanæ petitio continebat quòd ipsi aliàs scientes se primo et secundo consanguinitatis gradibus, à communi stipite et ex eo provenientibus, quia dictus Andreas est ipsius Annæ patruus, invicem esse conjunctos, ne eorum bona quæ magni momenti existunt ad extraneas familias transeant, de matrimonio inter se contrahendo tractârunt, et insimul cohabitantes conversati sunt, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ. Cùm autem*, etc., *præmissa publica existant; et propterea nisi matrimonium contraheretur, honor et fama dictæ Annæ verisimiliter detrimentum pateretur, graviaque deinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt Andreas et Anna prædicti, qui, ut asserunt, de nobili genere procreati existunt, invicem matrimonialiter copulari, sed stantibus impedimentis hujusmodi*, etc. *Quare*, etc. *Nobis*, etc. *His igitur*, etc. *Fraternitati tuæ*, etc., *seu discretioni tuæ*, etc., *mandamus, quatenùs cum eisdem*, etc., *super impedimentis primi et secundi graduum hujusmodi*, etc., *dispenses. Prolem*, etc., *nuntiando. Non obstantibus*, etc. *Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, die 7 julii 1622; Pontificatûs nostri anno secundo.*

V. Theatin.

Porrò summus Pontifex in hujusmodi dispensationibus, præsertim in gradibus propinquioribus inter cætera movetur potissimùm ad obviandum scandalis, quæ boni communis interest vitari, ac propterea faciunt recedere à juris communis dispositione cap. 2, de Nov. oper. nuntiat.; Mandos. in Praxi Sign. Grat., tit. *Dispensationes matrimoniales*, verbo *Ad evitanda scandala*, cum aliis allegatis per Sanchez, de Matrim., lib. 8, disput. 19, num. 9.

Hæc eadem causa hodiè admittitur etiam per sanctissimum dominum nostrum Alexand. VII, cum oratoribus magnâ nobilitate pollentibus, tam in secundo, quàm in primo et secundo gradibus.

Decima nona causa, pro illustris familiæ conservatione :

Quòd cùm ipsi oratores de illustri familiâ, videlicet, N. existant, valdèque expediat, pro illius conservatione, ut oratrix oratori, et non alteri nubat, cupiunt, etc.

Vel alio modo poterit concipi hæc narrativa juxta facti contingentiam; et tam ista causa, quàm proximè dicta, cum sequenti admitti consuevit in dispensationibus, quæ petuntur in gradibus propinquioribus, puta in secundo, aut primo et secundo, sive simplicibus, sive ex pluribus stipitibus duplicatis; et nihilominùs non ita passim, sed quatenùs causæ ipsæ, rationabiles summo Pontifici, illiusque D. datario videantur, et non nisi maximis præcedentibus favoribus, seu aliàs, prout facti qualitas suadebit, quod omnibus curialibus satis notum est.

Ratio autem, cur causa hæc introducta fuerit et admitti consueverit, ea potissimùm fuit, quia illustri familiæ expedit ut conservetur in eodem sanguine, et ad pietatem, ac ad bonum publicum pertinet. Unde refert Sanch.; lib. 8, disp. 19, num. 31, quòd Gregorius XIII, de anno 1575, dispensavit cum D. Luisâ comitissâ sanctæ Gadeæ, ut nuberet Patruo, cui priùs soror ejus nupserat; et insuper illa voto continentiæ adstricta erat, ex Henric., lib. 12, de Matr., c. 3, n. 9. Quod profectò videtur nimis rationi consonum, cùm homines præsertim nobiles, admodùm anxii sint et solliciti, ne principalis eorum domus extra suam familiam alienetur; facit illud Hierem. c. 5 : *Hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos*, et habetur in l. *Patet*, ff. de Leg. 3; Tiraquell., de Nobilit., cap. 37, num. 23, et favet conservationi familiarum, quòd in illis versetur interesse publicum, l. 1, *Sed si servus*, ff. de Ventr. inspic.; Alex., cons. 89, num. 3, lib. 6. Et insuper evitatur occasio suscitandi multas lites, à quibus recessus favorabilis est, c. *Finem litibus*, de Dol. et Contum., maximè inter personas conjunctas; Ludovis., decis. 286, num. 11.

Vigesima causa, ob excellentiam meritorum :

Quòd ipse orator, olim præfectus arci Portûs Herculis existens, spatio triginta ferè annorum, Philippo Hispaniarum regi catholico, in pluribus bellis, contra fidei ca-

tholicæ hostes dimicando, inservivit, in quibus plura vulnera recepit; ac Turcarum et hæreticorum in partibus illis, servus effectus, ut se ab hujusmodi Turcarum et hæreticorum respectivè, captivitate liberaret, magnam pecuniarum summam, quatuor mille ducatos excedentem, exposuit, cupit, etc.

Novissimè vidimus inter cæteros dispensatum per Innocentium Papam X cum DD. Joanne Sanseverino, et Deliâ etiam Sanseverinâ super secundo consanguinitatis gradu, ut ex sequent. litteris patet, videlicet :

A tergo : *Dilecto filio vicario venerabilis fratris archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali.*

Intus verò

URBANUS PP. VIII. *Dilecte fili, salutem,* etc. *Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Joannis Sanseverini nati primogeniti moderni comitis de Chiaramonte laici Anglonen. diœcesis et Deliæ, etiam Sanseverinæ, natæ primogenitæ quondam comitis de Saponariâ, neptis dùm vixit bon. mem. Lucii S. R. E. presbyteri cardinalis Sanseverini nuncupati, et neptis dilecti, etiam filii nobilis viri moderni principis Bisignani, mulieris Neapolitanæ petitio continebat quòd ipsi, qui de nobilissimâ et antiquissimâ familiâ Sanseverinorum, ex quâ plures S. R. E. cardinales, aliique præstantissimi et eximii, ac de Sede Apostolicâ benè meriti viri prodierunt, qui inter cætera per eos in dictæ sedis servitium præclarè gesta, fel. record. Urbanum Papam IV, prædecessorem nostrum, ab obsidione Caroli Primi, regis Neapolis liberârunt, et similis memoriæ Innocentii Papæ II, etiam prædecessoris nostri, contra Anacletum antipapam partes susceperunt, orti sunt, ut eorum bona jurisdictionalia in familiâ conserventur, et ne ipsa Delia extraneo nubat, hâcque de causâ à successione comitatûs Saponariæ, aliorumque statuum paternorum, ad quos ex dispositione antiquorum fideicommissorum sunt vocati masculi de familiâ exclusâ remaneat; et exindè ob exiguitatem dotis matrimonium contrahere sit adstricta cum viro disparis conditionis, qui non solùm hujus familiæ antiquitatem et nobilitatem in aliquo offendat, sed ulterius ex personâ ipsius Deliæ sic in uxorem susceptæ, prætendens illam licèt feminam à successione hujusmodi per dicta fidei commissa minimè exclusam, lites et controversias super ipsis bonis, et præsertim super principatu Bisignani de facto intentet, prout fecerunt aliæ feminæ nuptæ cum extraneis, quæ dictum principem Bisignani in magno discrimine posuerunt; cupiunt invicem matrimonialiter copulari, sed quia secundo consanguinitatis gradu in lineâ æquali invicem conjuncti, desiderium eorum in hâc parte adimplere non possunt,* etc., *dispensatione, Nobis propterea,* etc., *ut sibi in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur,* etc., *censentes,* etc., *inclinati,* etc., *mandamus quatenùs deposita,* etc., *si,* etc., *preces veritati niti repereris, super quo,* etc., *oneramus, cum eisdem,* etc. ; *dummodò,* etc., *rapta non fuerit, quod impedimento secundi consanguinitatis,* etc., *constitutionibus,* etc., *matrimonium inter se,* etc., *auctoritate nostrâ dispenses. Prolem,* etc., *nuntiando. Volumus autem, quòd si sveta,* etc. *Dat. Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die* 15 *aprilis* 1643; *pontificatûs nostri anno vigesimo.*

Et sic supra dicta dispensatio, seu potiùs mandatum de dispensando, continet nedùm causam excellentiæ meritorum, quæ præcipuè movit Papam ad sic dispensandum, verùm etiam ut bona conserventur in familiâ.

Aliam quoque similem dispensationem per eumdem summum Pontificem vidi concessam, ut etiam patet ex infra scriptâ supplicatione ipsius manu signatâ, ut infra, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Francisci de Monchacâ laici Compostellan. diœcesis, et Eleonoræ Rodriguez de Villafuentes mulieris Salamantin. diœcesis, quòd dictus orator, qui de nobili comitum de Graxal, unâ ex principaliοribus familiis regnorum Hispaniarum, ortum habet, ac cujus frater comes de Graxal intimus cubicularius, ac præfectus equorum serenissimi principis Philippi, Hispaniarum regis catholici, existit, cujusque majores, qui apud reges prædictos principaliora munera, videlicet præsidum regii consilii Castellæ ac consiliorum statûs, et belli, ac vicarii Italiæ, et oratorum apud Romanos pontifices, et alios christianos principes, obiêre et servitiis eorumdem regum adscripti, diversa et maxima servitia eisdem regibus, et etiam Sedi Apostolicæ, ut postremò Joannes de Vegas, ejus bisavus, servitiis Caroli V, Romanorum imperatoris, insistens, ac in Germaniâ contra hæreticos, et in campali conflictu contra Turcas strenuissimè pugnans, præstitêre, aliàs matrimonium cum tunc in humanis agente Mariâ Rodriguez de Villafuentes prædictæ Eleonoræ germanâ sorore, ac unicâ dominâ majoratûs ejus patris, dùm viveret Joannes Rodriguez de Villafuente contraxit, carnalique copulâ consummavit, de matrimonio cum eâdem Eleonorâ contrahendo sub S. V. beneplacito, publicè et palàm tractavit, ac tractatu hujusmodi publico, ut præfertur existente, oratores præfati scientes etiam impedimentum cognationis spiritualis inter eos existere, et ex eo proveniens, quia aliàs dicta oratrix unum filium oratoris ex dictâ Mariâ susceptum de sacro fonte levavit, non quidem peccandi datâ operâ, etc., *insimul in dictæ oratricis domo habitantes diù noctùque conversati sunt, sed non cognoverunt se; et tamen orta est suspicio licèt falsa, quòd se carnaliter cognoverint. Cùm autem, Pater sancte, nisi matrimonium inter dictos oratores contraheretur dicta oratrix diffamata et innupta remaneret, et exinde scandala orirentur; cupiunt oratores præfati invicem matrimonialiter copulari, sed stantibus impedimentis hujusmodi desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, ac pro eis Philippus Hispaniarum rex, quatenùs eosdem oratores ab excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, ac cum eisdem oratoribus, quòd impedimentis primi affinitatis ac cognationis spiritualis gradûs, ex præmissis provenientibus hujusmodi, non obstantibus, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concil. Trid., contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè valeant, dispensare. Prolem suscipiendam exindè,*

legitimam nuntianao, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat ut petitur I.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et de absolutione, et de dispensatione, aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis, et quòd necessariorum mo'or, et verior specificatio, et expressio fieri possit in litteris per breve S. V. expediendis. Et committatur ordinario, sive ejus officiali, qui depositâ*, etc., *ac impositâ oratoribus propter præmissa arbitrio suo pœnitentiâ salutari; et recepto ab eis quod sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi præmissa non commiserint, eos absolvat et dispensa*, *ut supra.*

Fiat. I.

Dat. Romæ apud S. Petrum, id. januarii, anno secundo.

Idemque esset si alii ministerio ad commune bonum opus suum contulerit; nam hæc et similia expedit à summo Pontifice remunerari, ut homines animosiores reddantur ad ea exercenda, ut probat text. in c. *Tali conjunctio*, ibi, *nisi fortè eos, aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet*, 1, q. 7, et in specie, pro hâc eâdem causâ, dicit Sanch., d. d. 19, n. 32, quòd conceditur dispensatio ob meritorum prerogativam, si orator gessit strenuè se in militiâ contra infideles, vel alii minister., ut supra.

Sed numquid executor litterarum poterit ad dispensationem procedere, absque eo quòd supradicta merita verificentur.

Et videtur affirmativè respondendum; nam merita, non debet probare impetrans, attento quòd, quandò donatio fit ab eo qui potest liberè donare, absque præcedentibus meritis, tunc verba mentionem facientia de meritis, inducunt probationes, ad text. in l. *Aquilius*, ff. de Donat., et propterea videmus quòd in quibuscumque gratiis, præcipuè dispensationum, in quarum exordio dicitur : *Vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita*, etc., non veniunt verificanda coram dicto executore; quia non scribitur in supradictis gratiis conditionaliter; Innoc. in c. in fin. de Præsumpt. in princip.; hæc enim verba solent apponi de stylo cancellariæ Apostolicæ; undè verba, quæ in exordiis dictarum gratiarum apponuntur, dicuntur causa impulsiva, non autem finalis; Gloss. in l. 2, in fin., ff. de Donat., quâ cessante, non tamen cessabit gratia vel mandatum, cap. *Cùm cessante*, de Appell., Rebuff. in formâ mandati Apostolici, in verbo *Morum honestas;* subdens ibi quòd etiamsi pars probaret contrarium, non minùs esset ei providendum, quia hæc verba solent de consuetudine apponi, tùm quia verba narrativa non probant, tùm etiam quia ex stylo scribuntur et ad ornatum potiùs quàm ad veritatem, et aliàs prout etiam infra dicemus.

Iis tamen non obstantibus contrarium est verius : nam quamvis merita eo modo quo supra dictum est non debeant procari, tamen cùm præsens gratia sit absolutè fundata in meritis oratoris, debent illa necessariò probari; quod satis patet ex pluribus clausulis quæ apponi consueverunt in his dispensationibus; nempe : *Discretioni tuæ, de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinebimus*, etc., et subindè, *si preces veritate niti repereris; super quo tuam conscientiam oneramus :* quarum vigore, merita hìc allegata sonant in conditionem et per consequens debent probari, Clement. 1, de Offic. delegati; Felin., in cap. fin. de Præsumpt., et nos alibi dicemus.

Vigesima prima causa, ex certis rationabilibus causis :

Quòd ipsi qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupiunt., etc.

Hujusmodi dispensationes de stylo curiæ vocantur, *sine causâ*, sæpiùsque dantur super gradibus, non ita propinquis, sed aliquantulùm remotis, teste Sanchez, d. disput. 19, num. 35. Quod quidem, etiam ad justam causam reducitur : nam, cùm in his exigatur copiosior compositio, ea ad sumptus publicos convertitur, quod valdè bono communi confert; id Sanchez, loco cit. Eodemque modo explicanda erit alia ipsorum oratorum qualitas veluti, si sint simpliciter nobiles, ut de nobili vel de verè nobili genere procreati, sive illustres, vel principaliores cives.

Et hìc est notandum quòd sicut aliàs observavimus, quandoque Papa licèt in litteris dispensationis dicat, *ex certis causis animum permoventibus*, tamen adest aliqua causa sibi nota, quam ob honorem mulieris vel aliàs narrari non expedit, quia Papa præsumitur ex causâ dispensare; licèt hoc rarò fiat; ex tunc pro magnatibus aliisque personis qualificatis, et aliquando ad instantiam regis, et tunc datur absolutio ab incestu ad partem.

Nec propterea justificandæ sunt causæ sic expressæ tanquàm rationabiles : sed sufficit tantummodò testes examinare pro verificatione aliorum narratorum in litteris dispensationis; neque debet judex inquirere circa causas prædictas, quia sunt verba generalia apposita, non ut verificentur, sed potiùs ad quodam honestatis specimine, gratiam inducendam; id. Sanch., lib. 8, disp. 35, num. 24, cùm sint verba generalia et nudo sermone effusa et ad colorem, leg. *Quod venditor*, ff. de Dolo malo. Nam licèt potestas Papæ in dispensando libera sit et absoluta, præcipuè in his quæ procedunt à jure positivo, adeò ut tunc non requiratur aliqua causa, sed stet pro ratione voluntas; Felin. in c. *Quæ in Ecclesiarum*, num. 25, de Constit.; verum est tamen, ut fuit etiam ab antiquissimis curialibus observatum, quòd supra dictâ potestate utuntur summi pontifices pro eorum modestiâ et pietate, non aliter, quàm ex aliquâ causâ et perpensis omnibus circumstantiis, de quibus per text. in c. *Magnæ devotionis*, § *Et quidem tria*, et ibi Glossa in verbo *Licèt*, de Vot.; Host., in Sum., de Fil. presb., num. 9. Quod quidem est in praxi maximè notandum, quia aliquando executores gratiarum apostolicarum non minùs indiscretè quàm imprudenter coarctant oratores, ad verificandas causas, quæ in ipsorum oratorum animo con-

sistunt; quique ad illas verificandas minimè tenentur. In multis enim rescriptis et gratiis apostolicis, ob rationem supra allatam, apponuntur ista verba, *ex certis rationabilibus causis, animum suum moventibus.*

Memini in proposito cujusdam vicarii Nicoteren. in spiritualibus generalis ad id à Sede Apostolicâ delegati : qui recusando executionem litterarum supra dicta verba continentium, petebat ab oratoribus declarari et verificari hujusmodi causas. Unde, re delatâ ad Urbem; respondit cardinalis Arrigonius, tunc prodatarius Pauli V, quòd oratores non tenebantur supra dictas sic expressas causas verificare, quia ea quæ in mente et animo consistunt, soli Deo sunt cognita, qui est secretorum omnium cognitor et judex; cujus oculis sunt omnia nuda et aperta, ut dicit text. in cap. *Deus Omnipotens*, 2, q. 1, et sic animus hominis dicitur invisibilis, ac ille directè probari non potest; Corn., cons. 8, num. 16, vol. 1. Nec obstat quòd in dictis litteris sit apposita clausula : *Te diligenter informes;* quia illa refertur ad impedimentum quod allegatur, in quo est dispensandum, non autem ad præmissa omnia, id. Sanch., loco cit.; nam licèt in dispensationibus debeat exprimi causa ad dispensandum, nihilominùs, cùm causæ fuerint eo modo quo supra dictum est narratæ, nempe, *ex certis rationabilibus causis*, Papa concessit gratiam prout petita fuit; et satis expressum dicitur quòd sub istâ generalitate verborum continetur, Bart. et doctores in l. 1, ff. de Vulg. et Pupill.; id. Bart. et Jas. Prætor. ff. de Nov. oper. nunt.; Cravet., cons. 162, num. 2, Soccin. Sen., cons. 122, vers. *Sed hìc insurgit*, lib. 3, ubi ex hoc dicit in casu auth. *Ex testamento*, c. de Collat. esse id ex verbis generalibus, et mente donantis colligi, licèt non sit aliàs specialis aut singularis expressio, et facit text., in l. *Ex parte*, § *Intestato*, et quod ibi dicit Glossa, ff. *Famil. ercisc.*

Et regulariter habemus, quòd quotiescumque in rescriptis apostolicis adsunt verba, *ex certis rationabilibus causis*, licèt videantur esse pars gratiæ, et propterea verificandæ, nihilominùs deserviunt tantùm ad explicandum causas in animo et opinione oratorum existentes, quasi dicerent, appensantes, consideran tes et cogitantes certas causas, 5, causâ 1, § *Causa autem*, ff. de Minor., l. 1, c. *Ubi pupil. educ. deb.*, et in prob. Clem.; ubi Glossa Reb. de Verb. sign., fol. 932 et nos alibi diximus.

Idem dicendum, si oratores fuerint nobiles, vel de nobili genere procreati, aut principales oppidi, vel illustres, qui petunt secum dispensari sine causâ, cum dictâ narrativâ, *ex certis rationabilibus causis*, adjectâ supra dictâ illorum qualitate.

Advertendum tamen est cum Sanch., d. disp. 35, num. 25, quod supra dicta qualitas oratorum aut exprimitur, merè narrando in principio, *quòd ipsi qui ex honestis familiis aut nobiles*, etc., et tunc non venit verificanda; quia qualitas ipsa non venit tanquàm causa, ex eo quòd subjungitur, *ex certis rationabilibus causis*, et sic illa dispensatio absque causâ conceditur.

Aut exprimitur in corpore narrativæ supplicationis dispensationis in secundo et tertio gradibus cum causâ, propter angustiam (nam si oratores velint effugere clausulam : *Et si extra*, etc., necessaria erit expressio qualitatis oratorum) per hæc verba : *Cupiunt oratores prædicti, qui ex honestis familiis seu nobiles*, etc., quæ sic postmodùm in litteris extendi consuevit videlicet : *Quare iidem N. et N. asserentes se ex honestis familiis, seu de nobili genere procreati, sive nobiles existere, nobis humiliter supplicari fecerunt*, etc., prout id. Sanch., loco cit., docet, dùm loquitur juxta veram intelligentiam istius clausulæ utroque modo appositæ, et tunc quia qualitas ipsa apponitur per modum conditionis, venit verificanda; ex eo quòd satis constat, quòd secundo modo explicatur inter alias causas, cum quibus petitur dispensatio : et sic intelligitur et practicatur quoties dataria in aliquibus supplicationibus matrimonialibus, in quibus jam causa fuerit expressa, petit præterea exprimi oratorum qualitatem.

Alia insuper qualitas, de more Curiæ, causæ principali allegatæ adjici solet, nimirùm, cùm petitur similis dispensatio pro oratoribus de genere Maurorum, tunc etiam, ita qualitas ipsa in supplicatione exprimitur, videlicet : *Cupiunt oratores præfati, qui de genere Maurorum, noviter ad fidem catholicam conversorum existunt*, etc. Et cùm ista praxis non sit plenè ab omnibus cognita, optimi executoris partes erunt mandare qualitatem istam, tanquàm causam appositam, unà cum aliis causis in litteris expressis, verificari.

Unde malè servatur in praxi, sicut quotidiè videmus pro verificatione narratorum, parùm curatur de verificandâ ipsâ qualitate, secundo modo in litteris expressâ : posset enim dubitari de validitate talis dispensationis prout etiam audivi à peritissimis Romanæ Curiæ practicis ac primariis advocatis.

Satis enim hìc patet executorem non modò agere contra formam rescripti, verùm etiam contra mentem Papæ, sic dispensantis, qui omninò petit hujus qualitatis expressionem, illiusque verificationem in casibus suis. Pro cujus praxis corroboratione vidi aliàs inter quædam notabilia Bernardini Paulini qui fuerat datarius Clementis VIII adnotatum, *Ubi in dispensationibus matrimonialibus, ultra causam principalem expressam additur qualitas oratorum, voluit S. D. N. illam æquè cum ipsâ causâ principali coram delegato verificari;* quamvis me non lateat, etiam ante ejusdem Clementis pontificatum, fuisse ita observatum. Hujus autem rei rationem non unicam tantum afferre possem, sed tamen potiùs dicere libet : Quod principi placuit, legis habet vigorem, § *Sed et quod principi placuit*, instit. de Jur. nat. gent. et civ., et exinde hìc insurrexit iste stylus qui inconcussè servatur et pro lege habendus, *Quàm gravi*, de Crim. fals. c. *Porrecta*, de Confir. ut vel inut. Unde, meo tempore per D. Baptistam de Segnis, majoris præsidentiæ in cancellariâ Apostolicâ abbreviatorem, fuit rejecta in parco quædam bulla similis dispensationis, ob dictæ qualitatis non expressionem.

Quo fit, cùm ad ipsum executorem spectet ut integram sibi præsentati rescripti formam servare, per-

peram ad vicarii episcopi munus quempiam assumi contingat, qui si tam istorum quàm cæterorum Romanæ Curiæ rescriptorum, eorumdemque decretorum et clausularum, vim, effectum et efficaciam, illorumque praxim, prout decet, minimè callet, mediocrem saltem eorumdem cognitionem habeat. Quæ quidem omnia inter cætera, hâc nostrâ tempestate, in hâc curiâ archiepiscopali non vulgariter præ se fert perillustris et reverendissimus D. Alexander Lucianus Romanus V. I. D. eminentissimi D. Francisci cardinalis Boncampagni archiepiscopi Neapolitani vicarius generalis, qui præter generis nobilitatem, ingenii perspicacitate, eximiâ doctrinâ, justitiæ zelo, integritate, singularique probitate nimiùm pollet; et à teneris annis, longo usu, et exercitatione ipsius Romanæ Curiæ ex gravioribus etiam sibi credita negotia, ita strenuè fideliterque gessit, ut tanti hujus vicariatûs pondus, ipsum omnium oculis satis conspicuum reddat.

Et quoad priorem expressionem hujusmodi qualitatis, sciendum est, quòd nunquàm conceditur dispensatio sine causâ (ubi ita concedi consuevit) absque dictâ expressione qualitatis; nec tamen illam coram executore verificari oportet; isto enim casu quo qualitas ista profectò non venit tanquàm causa ad dispensandum, ut etiam testatur id. Sanch., loco infra citando, sed tantùm per modum præfationis. Exemplum in provisionibus beneficiorum, in quarum litteris in formâ gratiosâ, sic Papa exorditur, videlicet: *Vita ac morum honestas*, etc., *nos inducunt ad gratiam liberales;* et tamen neque ipsa morum honestas, neque alia in ipso exordio apposita, tenetur provisus verificare; ex quo non asseruntur ab ipso proviso, sed tantùm à Papâ, qui hujusmodi honestatem in omnibus præsupponit; nec ad id refertur clausula illa: *Te de præmissis diligenter informes*, sed tantùm ad allegata impedimenta, teste eod. Sanch., dict. disput. 35, num. 24.

Quo verò ad qualitatem, secundo modo expressam, illa omninò probanda venit, quoad eos præsertim, qui honestis familiis se asserunt existere: debent enim hoc plenè probare, juxta text. in l. *Omnes de his* qui ven. ætat. impetr., ibi, *sed etiam testibus idoneis advocatis morum suorum instituta, probitatemque animi, et testimonium vitæ honestioris edoceant;* sicut etiam de aliis qualitatibus dicendum est, Isidor., l. 2 ethymol. ait quòd honestus dicitur ille qui nihil habet turpitudinis, et sic sufficit probari oratores honestè vivere, eorumque familiam, nullo turpitudinis vitio laborare, et sic in praxi servari posse videtur.

Quo verò ad illos oratores, qui se simpliciter nobiles asserunt, pro illorum nobilitate probandâ, sufficit illos nobiliter vivere; ac propterea ab his abstinere, quæ populares facere consueverunt; eaque exercere quæ ad statum nobilium spectant, Rebuff. super Concord. in rubr. de Collat., fol. 38, ubi subdit, quòd propterea Ægyptii, Græci, Scytæ, Persæ et Lydi omnes qui artificio incumbunt, pro ignobilibus habebantur; unde non requiritur in hoc casu quòd nobilitas sit ex antiquâ progenie, sed tantùm sufficit quòd nobiliter vivant; quamvis de jure, laudabilior sit antiqua nobilitas, ad text. in l. *Tam dementis*, c. de Episcop. aud.

Conceditur etiam aliquando dispensatio pro oratoribus de nobili genere procreatis, et tunc non sufficit, eos probare se tantùm nobiles esse, quia nobiliter vivunt, sed debent testes deponere super nobilitate patris et matris; quæ quidem probatio, nisi fieri possit per testes, saltem fiat per instrumentum seu privilegium; quia parem vim habent probationes instrumentorum et testium, text. in leg. *In exercendis*, c. de Fid. instr. quod si per testes, meliùs et congruentiùs potest fieri per concives quàm per alios fiat, l. *Cum Laneonis*, §. *Asinam*, ff. de Fid. instr., cùm vicinus meliùs præsumatur scire facta vicini, c. *Quosdam*, de Præsump., cap. *Per tuas* de Probat., et quoad hoc ait Sanch., d. lib. 8, disp. 19, num. 6, quòd plus est dicere oratores esse de nobili genere procreatos, quàm esse nobiles.

Verùm quia nobilium duo sunt genera, unum nobilium genere, alterum nobilium honoribus vel divitiis, ut optimè distinguit text. in l. *Nobiliores*, c. de Commer. et Mercat., propterea unum pro alio accipi non potest, quando ipsa dispensatio fundatur etiam super expressione nobilitatis; sicut etiam docet praxis, similiter dicendum quòd quando ipsa dispensatio petitur pro illustribus personis, ut frequenter accidit; de illis tantùm intelligitur quorum genus splendet jurisdictione, et imperio ut sunt duces, comites, etc., ut per Barbat., cons. 57, num. 6.

Aliquando conceduntur hujusmodi dispensationes, cum assertione, quòd oratores sunt principales, vel ex principalibus populi; et tunc sufficit probare eos esse viros potentes et valdè divites, sicut in praxi servatur, prout id. Sanch. testatur, d. n. 6, ubi subdit ita vidisse litteras, in formâ *Perinde valere* concessas à Sixto V, anno 1587, in quibus dicebatur, quosdam esse nobiles, cùm tamen tâles non essent; et ad impetrandas dictas litteras *Perinde valere*, narratum fuit Pontifici eos esse ex principalioribus populi, et jussit admitti, si ex principalioribus populi essent, quamvis non nobiles.

Præterea consuevit summus Pontifex etiam super gradibus proximioribus dispensare cum oratoribus de verè nobili genere procreatis, prout novissimè Innocentius Papa X dispensavit in primo affinitatis gradu, cui fuit porrecta supplicatio tenoris sequentis, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Caroli Pignatelli laici, et Claræ de Giudice mulieris Neapol., quòd ipsi qui de verè nobili genere procreati existunt, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari; sed quia primo affinitatis gradu ex eo proveniente, quia aliàs d. orator duxit in uxorem d. oratricis sororem germanam jam defunctam, invicem se attinent, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possint absque Sedis Apost. dispensatione. Supplicant E. S. V. oratores prædicti quatenùs cum eisdem oratoribus, quòd impedimento primi affinitatis gradûs hujusmodi non

obstante, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, dispensare. Prolem, etc., *nuntiando*, etc., *de gratiâ speciali; non obstantibus*, etc.

Fiat ut petitur. I. *Et cum absolutione à censuris ad effectum*, etc. *Fiat. I. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, id. maii anno septimo :* et litteræ fuerunt expeditæ sub annulo Piscatoris die 15 maii 1651, Pontificatûs anno septimo.

Porrò hoc etiam modo non ignoramus summos pontifices pluries sic dispensare; nam ait Abbas in c. *Per venerabilem*, col. 4, qui filii sint legit., se meminisse Papam dispensare, quòd patruus neptem suam duceret in uxorem; et Card. sancti Xisti super 2-2, S. Thomæ, q. 154, refert Papam dispensâsse, quòd Emmanuel, rex Portugalliæ, duas sorores successivè acciperet, qui cum primâ matrimonium consummaverat, necnon dispensâsse, ut Ferdinandus, rex Siciliæ, amitam suam in uxorem acciperet, ut refert Ferret., cons. 32, num. 19.

Idemque Innocentius X dispensavit etiam cum aliis oratoribus super eodem primo affinitatis gradu, etiam sine causâ, ut infra.

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Didaci de Benavides, y de la Cueva comitis S. Stephani del Puerto, serenissimi principis Philippi Hispaniarum regis à consiliis bellicis, ac gubernotoris et capitanei generalis in regno Galitiæ, laïci; et Joanne Corella, y Avillæ marchionissæ de las Navas mulieris Toletan. seu alterius diœcesis, et in civitate vel diœcesi Compostellan. ab anno et ultra commorantium, quòd ipsi qui ex illustrioribus Hispaniarum familiis oriundi existunt, et in eâdem aomo, ubi præfata oratrix educationi liberorum ex sorore germanâ d. oratricis per d. oratorem procreatorum, incumbit, commorantes, ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari; sed quia primo affinitatis, ex eo proveniens, quia aliàs d. orator duxit in uxorem oratricis sororem jam defunctam, et tertio consanguinitatis se attinent, et sunt conjuncti, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur, etc., *quatenùs cum eisdem oratoribus, quod impedimentis primi affinitatis ac tertii consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus, matrimonium inter se publicè*, etc., *valeant, dispensare. Prolem*, etc., *nuntiando*, etc.; *non obstantibus*, etc., *cum clausulis opportunis.*

Fiat, ut petitur. I.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *per breve S. V. expediendis, et attento quòd oratores prædicti in civitate seu diœcesi Compostellanâ, ab anno et ultra commorantur ut præfertur, committatur ordinario Compostellanc sive ejus officiali, qui depositâ*, etc., *aispenset, ut supra.* Fiat. I.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem id. maii anno sexto

CAPUT III.

Praxis causarum dispensationum matrimonialium cum copulâ, vel sine illâ ob infamiam.

Hactenùs de causis dispensationum matrimonialium cum causâ, sine copulâ carnali egimus; nunc verò quia humanæ fragilitatis impulsu oratores ipsos, vires superare minimè posse sæpè conspicitur; proindeque, ubi ipsa copula intervenerit, tum ne salubri animarum remedio, ipsi remaneant destituti, tum ut oratricis infamiæ paternâ succurratur charitate; quæ ob id se innuptam, etiam remansuram verisimiliter timet: ubi tamen nulla fraus, ut nimirùm, ea carnalis cognitio pro faciliori dispensatione, consulto inter eos minimè noscatur intercessisse : ad evitanda scandala, quæ indè oriri possent, cùm illa justam præbeant dispensandi causam, ut infra dicemus, summus Pontifex oratoribus ipsis numquàm renuit remediis consulere opportunis; quapropter superiorem ordinem prosecuturi, similem causarum formulas subjiciemus, ut sequitur, videlicet :

Vigesima secunda causa, cum copulâ *Scienter*, de contrahendo:

Quòd ipsis aliàs scientibus, se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, orator prædictus, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimene admisso, hæc causa foret, S. V. et sedem Apostolicam, ad misericordiam, et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesanâ libidine victus, oratricem cognovit; cùm autem, Pater sancte, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata et innupta remaneret, graviaque exindè scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt, etc.

Quare, gratiâ vitandi scandala receditur à dispositione juris communis, cap. de Nov. oper. nunc., et multa prohibita conceduntur; Paris., cons. 68, numero 232, vol. 4. Quæ quidem scandala evenire possunt ex pluribus causis, nempe quoties timentur inimicitiæ, et jurgia, vel quoties timetur fornicationis periculum, ratione juventutis contrahentium; Felin., cons. 26, num. 19, vers. *Nunc considerandum est;* quòd profectò vendicat sibi locum tam in matrimonium contrahendo, ut hic, quàm in jam contracto, Sanch., l. *Octavò*, disp. 19, n. 10, et prout suo loco dicemus, in illo enim militat hæc eadem ratio, quæ inscienter de contrahendo; nam in utroque casu conceditur dispensatio ad evitanda scandala, videlicet de contrahendo, nisi matrimonium contrahatur; de contracto verò, si divortium fieret.

Vigesima tertia causa, de scienter contracto:

Quòd ipsi aliàs scientes se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ, etc., *matrimonium inter se per verba de præsenti, clandestinè et de facto contraxerunt, à carnali copulâ consummârunt. Cùm autem*, etc., *si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possunt verisimiliter exoriri*, etc.

Vigesima quarta causa, de ignoranter contracto,

quando oratores, detecto impedimento, abstinuerunt à copulâ.

Quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de præsenti publicè, factis proclamationibus in eorum parochiali Ecclesiâ, juxta formam concil. Trid. nulloque detecto, neque denuntiato impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, et carnali copulâ consummârunt; postmodùm verò; ad eorum pervenit notitiam eos tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos; propter quod à carnali copulâ hujusmodi abstinuerunt; cùm autem, Pater sancte, oratores prædicti in hujusmodi matrimonio remanere non possint, absque Sedis Apostolicæ dispensatione; et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri; supplicant, etc.

Vigesima quinta causa, de ignoranter contracto, quando oratores detecto impedimento, perseverârunt in copulâ.

Quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, etc., ut supra, *matrimonium inter se*, etc., *et carnali copulâ consummârunt, postmodùm verò*, etc., *esse conjunctos, et nihilominùs in eâdem carnali copulâ perstiterunt. Cùm autem*, etc., *et si divortium fieret*, etc.

Vigesima sexta causa, propter infamiam, sine copulâ.

Quòd ipsi scientes se quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ, etc., *reddendi, insimul conversati, seque* (si oscula intervenerint) *deosculati sunt; carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ; et nihilominùs orta est suspicio, licèt falsa, quòd ipsi oratores se carnaliter cognoverint; cùm autem, Pater sancte, præmissa publica existant, et nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta oratrix graviter defamata, et innupta*, etc.

Cum supra dictâ causâ videlicet per Innoc. Papam X dispensatum super secundo gradu consanguinitatis cum oratoribus de verè nobili genere procreatis, sublatâ tamen narrativâ suspicionis copulæ inter ipsos oratores, ut ex tenore sequentium litterarum, videlicet :

A tergo : *Dilecto filio vicario venerabilis fratris archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali.*

Intùs verò :

Dilecte fili, salutem, etc., *Oblata nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Josephi Caraffa laici, et Dianoræ etiam Caraffa mulieris Neapolitanæ petitio continebat, quòd ipsi aliàs scientes se secundo in lineâ æquali consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ opera, ut crimine admisso hæc causa foret, nos, et sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, insimul conversati sunt, ipseque Josephus dictam Dianoram deosculatus est, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsequenti. Cùm autem sicut dicta petitio subjungebat, nisi matrimonium inter dictos exponentes contrahatur, dicta Dianora graviter diffamata, et innupta remaneret, araviaque exinde scandala orirentur; cupiunt exponentes prædicti, qui, ut asserunt, de verè nobili genere procreati existunt, invicem matrimonialiter copulari; sed quia aliàs dicta Dianora matrimonium per verba de præsenti publicè, servatâ formâ concil. Trid. cum viro tertio et quarto à communi stipite provenientibus sibi, et dicto Josepho conjuncto contraxit; ex quo ab aliquibus dubitatur ortum fuisse impedimentum publicæ honestatis justitiæ; quamvis matrimonium predictum à te, fili vicarie, ipsâ Dianorâ à prædicto consanguineo omninò intactâ, et in nullo penitùs attentâ remanente, per sententiam diffinitivam, quæ transitum fecit in judicatum, nullum declaratum fuerit ex defectu dispensationis apostolicæ quæ præcedere debebat super dictis gradibus, ac stante impedimento dicti secundi gradûs hujusmodi desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Ideò nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes prædicti ut eis præmissis de absolutionis beneficio, et opportunæ dispensationis gratiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur*, etc., *certam de præmissis notitiam non habentes, ipsosque exponentes specialis gratiæ favore prosequi volentes; nec non eorum quemlibet à quibusvis*, etc., *censentes*, etc., *discretionis tuæ*, etc., *committimus*, etc., *quatenùs depositâ*, etc., *repereris, super quo*, etc., *oneramus, eosdem exponentes ab excessibus hujusmodi in utroque foro impositâ arbitrio tuo pœnitentiâ salutari, et recepto ab eis juramento, quod subspe faciliùs*, etc., *præmissa commiserint, auctoritate nostrâ hâc vice duntaxat absolvas in formâ Ecclesiæ*, etc., *ac cum eisdem exponentibus, dummodò dicta Dianora propè hoc capta non fuerit, quòd secundi in lineâ æquali consanguinatis, ac tertii ac quarti publicæ honestatis justitiæ ex præmissis provenientibus quatenùs existat, impedimentis hujusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Trid.*, etc., *Prolem*, etc., *nuntiando. Volumus autem quòd si spretâ*, etc., *obtinere. Et nihilominùs absolutio et dispensatio hujusmodi à te faciendæ prædictæ nullius sint roboris vel momenti. Datum*, etc., *apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die primâ martii 1644; pontificatûs nostri anno vigesimo primo.*

— B. Albergottus.

Hæc causa, quoad inducendam dispensationem, est affinis et similis supra dictæ causæ, cum copulâ *scienter*; et noviter est addita per datariam, clausula supra dicta : *Non quidem peccandi datâ operâ*, etc., quia fraus et malitia, quæ possunt intervenire ubi copula secuta est, ad effectum reddendi faciliorem Pontificem ad dispensandum, de facili etiam possent Pontificem intervenire, ubi oratores, ad eumdem finem fuissent insimul conversati.

Nec omittam quòd circa osculum supra dictum, nonnulli hujus praxis ignari, tenent ex eo solummodò oriri hanc infamiam, quæ pro causâ sufficiat ad dispensandum; id autem valdè est ab ipsâ praxi alienum : nam, aut mulier à suo consanguineo, deosculatur causâ amoris et conjunctionis sanguinis, et

tunc nullum indè ortum malum, cui obviandum erit per dispensationem ad contrahendum; imò hoc casu potiùs adhærendum est dicto Pisistrati Atheniensis tyranni, qui cùm adolescens quidam, amore captus, ejus filiam osculatus esset, uxori hortanti, ut ab eo capitale supplicium sumeretur, respondit: *Si eos qui nos amant interficiamus, quid his faciemus, quibus odio sumus?* ex Menoch., de Arbitr., casu 287, relato per Baiard. ad Jul. Clar., q. 83, n. 30. Unde, cùm nulla undè possit oriri infamia, cessat causa dispensationis ad contrahendum? Aut vir ipse deosculatur mulierem invitam et per vim; ob singularem tamen amoris affectum, quem tantummodò, ut plurimùm erga illius bona et opulentam dotem gerit, ut faciliùs eam ejusque parentes inducunt ad secum contrahendum; et tunc, cùm ipsa ægrè ferat nec aliquo modo consentiat, illæsa profectò remanet illius fama; et sic, neque ex eo insurgit causa ad dispensandum; unde, si licet poetas allegare, ut in capite *Forus*, § *Jurgium*, de Verb. sign. ubi allegatur Virgilius, ibi:

Limes erat positus, litem, ut discerneret agnos;

et Bert., consil. 1, crim. num. 3, allegat eumdem Virgilium, ibi:

Nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos;

nec etiam nos pudeat tragicomicum illud ad rem nostram allegare, dicentem quòd *os violento osculo delibatum turpitudinem non agnoscit.*

Quare, nisi supra dicta suspicio quamvis falsa carnalis cognitionis intervenerit per solum osculum, non datur dispensatio, et insuper omninò talis, per quam mulier inde graviter diffamata ac innupta remaneret. Unde neque perperam additur hodie illa dictio, *graviter;* ex quo antea etiam sicut hodiè, stante aliquali infamiâ, nihilominùs, si mulier dotem habeat opulentam, non ita facilè illius connubium à viro recusatur; quòd si ad hoc datâ operâ se carnaliter cognoverint, efficiuntur indigni dispensatione, et punientur, prout suo loco dicetur.

Hanc causam jamdiù per summos pontifices fuisse admissam, prout hodiè admittitur, nemo est qui ignoret, quandoquidem affinis est causæ ob carnalem copulam secutam, ambæque tendunt ad oratricis honori succurrendum, atque scandalis obviandum. Verum tamen est nonnunquam illam commentitiam adduci, cùm conversatio inter oratores talis non sit, prout præponitur. Satagunt enim ipsi cùm nequeant aliâ causâ juvari in propinquioribus gradibus, puta in secundo, vel primo et secundo, compositionem effugere; quæ si dispensatio petenda esset sine causâ, solvenda foret, sicque præter subreptionem cæteraque mala, quæ inde sequuntur, id in maximum datariæ apostolicæ vergeret detrimentum, quæ compositiones accipit pro sustentatione Papæ, illiusque ministrorum universali Ecclesiæ inservientium ac pauperum; illorum præsertim qui tanquàm ob religionem exules ad Urbem crebrò confugiunt atque confluunt. Quod quidem malum certum est evenire ob nimiam delegatorum indulgentiam, qui (salvâ aliorum pace) nimis escitanter se gerunt in verificatione supra dictæ causæ; prout jam non vulgari experientiâ edocti sumus.

Non obstantibus præmissis ac omnibus illis quæ in dictis litteris volumus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Petrum, etc., die 13 decemb. 1643; pontificatûs nostri anno vigesimo primo.

Alia insuper adest causa, nempe pro oratrice patre orbatâ; quam inter cæteras causas numerare non placuit; cùm nunquàm, aut rarò sola admittatur; sed tantùm aliis aggregata in casu proximioris gradûs, et tunc eâ ratione admittitur, quia cùm fuerit orbata parentibus, vel saltem patre, orphana dicitur; còque magis si ipsa plures habeat filios ex alio matrimonio, Sanch. lib. 8, disp. 19, num. 34; subdens ibi quòd valdè confert filiis ut vitricus vel noverca sint eorum consanguinei, ut sic, non instar vitrici vel novercæ se habeant erga filios, sed tanquàm illis sanguine juncti.

Porrò per expressionem prædictarum causarum non infertur alias causas adduci non posse; nam supra dictæ appositæ sunt tanquàm frequentiores. Summus enim Pontifex potest quamcumque aliam causam, sibi rationabilem et benè visam admittere; quæ tamen antequàm admittatur, discutitur per DD. cardinales sacræ congr. concilii de mandato ipsius Pontificis; in quâ quidem congregatione omnes supra dictæ causæ fuerunt discussæ et approbatæ, ut supra diximus; cùm ipsa congregatio habeat facultatem ab ipso Pontifice illas declarandi, quo sensu accipi possint; summoperèque perpendet, an unaquæque causa sit justa et honesta, habeatque sua requisita, quæ tria debent esse, videlicet ut secundùm æquitatem sit licita, ut conveniens sit honestati, et expediens sit secundùm utilitatem, ut per Menoch., cons. 75, n. 35, lib. 1, quamvis sufficiat per ipsum tantùm has causas examinari et admitti, cùm Papa sit omnia et super omnia; Gonz. ad reg. 8, cancell. § 1, Procem. num. 39.

Et hæc sufficiant quoad causas, in hujusmodi dispensationibus frequentiores. Est tamen advertendum pro iis qui ignorant praxim Romanæ Curiæ, quòd non quælibet ex dictis causis admittitur indifferenter per summum Pontificem, in quibuscumque gradibus; nam in remotioribus, puta, quarto, vel tertio et quarto, etiam ex pluribus stipitibus, quomodocumque duplicatis seu multiplicatis, ac etiam in secundo et tertio ex communi, seu pluribus stipitibus pariter multiplicatis (dummodò secundus gradus tantùm non proveniat ex uno stipite, puta in secundo ex uno et tertio ex altero), sufficiunt leviores causæ, nempe angustia loci, incompetentia vel carentia dotis, magna ætas oratricis, quæ excedat vigesimum quartum annum, inimicitiæ, dotes litibus involutæ, etc. In proximioribus verò gradibus, puta in secundo, seu primo et secundo, non nisi rarò dispensatur, et ubi gravia scandala, et oratoribus periculum mortis ex copulâ carnali forsan subsecutâ, vel illius suspicione, immineant; si tamen summo Pontifici placuerit ex aliis causis dispensare, illæ urgentiores requiruntur, nempe ut bona conserventur in familiâ, aut conservatio ipsius familiæ,

vel excellentia meritorum, etc. At ubi una levis causa in his proximioribus gradibus non sufficit, nec aliqua gravior ex primò dictis adest, cum quâ peti possit dispensatio, sicut aliàs vidi, plures ex levioribus allegantur, veluti, *quòd cùm dicta oratrix patre orbata, trigesimum annum agens, in dicto loco, propter illius angustiam, virum paris conditionis, cui nubere possit invenire nequeat, cupiunt oratores præfati, qui de verè nobili genere procreati existunt, invicem matrimonialiter copulari, sed, qui secundo consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti*, etc. Et sic quatuor insimul causæ allegantur, prima, quòd oratrix sit patre orbata; secunda, quòd agat trigesimum suæ ætatis annum; tertia, angustia loci; quarta, nobilitas oratorum, ex quo neque hæc nobilitas per se constituat hìc causam dispensandi, nisi cumuletur cum aliâ causâ, ut supra diximus, tametsi in aliis gratiis sola sufficit, præcipuè in conferendis beneficiis; quo casu consideratur nobilitas, per text. in c. *De multâ*, de Præb. *Cùm adeò*, ubi Glossa, de Rescript.; et Glossa, in capite *Conquærente*, verbo *Sufficientia*, de Cler. non residend.; Glossa in capitulo Constitutis, 2, in verbo *Potentiam*, de Appellat., nisi tamen matrimonialis dispensatio concedatur sine causâ; quia tunc exprimitur qualitas oratorum, nempe an sint nobiles, principales cives, illustres, etc., quæ quidem expressio apponitur ad cohonestandam dispensationem, illiusque concessionem faciliorem reddendam; et in proposito plurium causarum, insimul adductarum, dicit etiam Sanchez, d. lib. 8, disputat. 19, n. 34, quòd, quando causæ aliquæ non sufficiunt, multæ ad invicem aggregatæ prosunt; juxta illud: *Singula quæ non possunt, simul collecta juvant*, l. *Rationes*, et l. *Instrumento*, c. de Probat. Ludovis. decis. 245, num. 2.

Praxis autem sive modus impetrandi has dispensationes in secundo consanguinitatis sive affinitatis gradu, talis est ut sufficiat oratores exprimere, quòd sint in lineâ æquali, et non aliàs; ac propterea illius expressio talis esse debet, nempè, *quòd ipsis aliàs scientibus se secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu in lineâ æquali invicem esse conjunctos, vel se attinere orator præfatus non quidem peccandi datâ operâ*, etc.

Hujusmodi dispensationes super secundo, aut primo et secundo gradibus concedi non consueverunt, nisi ex causâ copulæ secutæ, aut illius superioris, et ob infamiam secundùm usum datariæ apostolicæ prout aliàs diximus, licèt modernis temporibus sub hoc pontificatu sanctissimi domini nostri Alexandri VII viderim dispensationem concessam, etiam ex aliis causis, ut infra, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Bernardi Hector de Macle laici, et Claudiæ etiam Hector de Macle mulieris Parisiensis, quòd ipsi aliàs scientes se secundo in lineâ æquali consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ, ne crimine admisso hæc causa foret Sanctitatem Vestram, et Sedem Apostolicam erga ipsos faciliores reddendi, de matrimonio inter se contrahendo tractârunt, et sub spe futuri matrimonii insimul familiariter conversati sunt, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ. Cùm autem (Pater sancte) præmissa publica existant et propterea nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dictæ oratricis honor et fama maximum detrimentum paterentur, cupiunt oratores præfati, qui de verè nobili genere procreati existunt, invicem, etc., *copulari. Sed stante impedimento hujusmodi*, etc., *supplicant*, etc., *quatenùs cum eisdem oratoribus quod impedimento secundi*, etc., *matrimonium inter se*, etc.; *non obstantibus*, etc., cum clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur. F.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.

Fiat, F.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, idib. julii, anno primo.

Cùm autem petitur dispensatio in primo, aut in primo et secundo ex actu fornicario, necesse est, quòd impedimenti seu impedimentorum provenientia exprimatur, nempè si oratores fuerint in primo affinitatis, concipietur narrativa hoc modo videlicet: *Quòd ipsis aliàs scientibus se primo affinitatis gradu invicem attinere, et ex eo proveniente, quòd aliàs dictus orator præfatam oratricis matrem adhuc superstitem* (si fortè illa vivat) *carnaliter cognovit, ipse orator non quidem peccandi datâ operâ*, etc.

Pari modo erit hæc provenientia exprimenda, si oratores fuerint conjuncti in primo et tertio, puta, si orator fuerit patruus magnus oratricis; et sic in primo et secundo, ut dictum est, veluti, quòd orator sit patruus, vel avunculus magnus ipsius oratricis, et si fuerit in duplicibus primo et secundo, pariter explicanda erit hujusmodi provenientia, prout est, nempe: *Quòd ipsi aliàs scientes duplicibus primo et secundo consanguinitatis gradibus à communibus stipitibus, et ex eo provenientibus, quia orator est patruus et avunculus dictæ oratricis, invicem esse conjunctos*, etc., si enim è converso ipsa oratrix esset amita vel matertera magna oratoris, tunc aut non conceditur dispensatio, aut rarò conceditur ob quamdam reverentiam erga majores.

Sed hìc est benè advertendum, quòd super affinitate ex actu fornicario, non sine maximâ difficultate datur dispensatio, si mulier primò cognita vivat; quod etiam intelligas, si quis cognoverit filiam, et deinde voluerit contrahere cum illius matre; quòd si fortè detur, additur clausula: *Et postquàm dictus orator omnem occasionem recidivam conversationis cum prædictæ oratricis genitrice* (vel è contra) *abstulerit*, injunctoque priùs ejusdem oratoribus sub gravissimis pœnis, ne in loco, seu oppido, in quo ipsius oratricis genitricem, vel filiam pro tempore morari contigerit, habitent; quòdque si præcepto hujusmodi non paruerint, desuper conficiendæ litteræ, illis quoad forum conscientiæ nullatenùs suffragentur.

Quo casu in hâc curiâ archiepiscopali vigore supra dicti decreti, injungi oratoribus consuevit, ne sub carceris per annum, aliisque gravissimis pœnis, at-

bitrio ejusque curiæ, sic habitent, ut supra dictum est.

Hæc autem, quoad dispensationes pro utroque foro. In foro autem conscientiæ, cùm impedimentum fuerit occultum, additur tantummodò clausula supra dicta, nempe, *sublatâ occasione recidivâ conversationis.*

Est præterea notandum quòd si petatur per officium sacræ pœnitentiariæ, dispensatio super impedimento, videlicet primi affinitatis ex actu fornicario, ex eo provenientis, quia fortè orator contraxit matrimonium cum muliere, cujus sororem aut matrem priùs carnaliter cognoverat, committitur confessario, per oratorem eligendo, quatenùs eum absolvat, injunctâ inde ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salutari ac confessione sacramentali peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut minimùm, semel vel quoties eidem confessori videbitur, et dummodò impedimentum occultum sit, et separatio inter oratorem et dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione de incontinentiâ probabiliter timendum esset, eidem confessori visum fuerit; dictâque muliere, de nullitate prioris consensûs certioratâ, sed ita cautè, ut oratoris delictum nusquàm detegatur, matrimonium cum eâdem, et uterque inter se de novo secretè, etc., licitè contrahere valeant, dispenset.

Cùm verò contingit virum et mulierem scivisse impedimentum, additur etiam ut debeant ambo de nullitate prioris consensûs certiorari, imponiturque eis gravis et diuturna pœnitentia salutaris; quia cùm insimul sciant impedimentum, possunt etiam insimul pœnitere, quòd fortè non ita commodè posset unus tantùm, absque periculo detegendi crimen alteri conjugi, ignoranti hujusmodi impedimentum. Et idem erit, si oratores scivissent impedimentum post contractum matrimonium.

CAPUT IV.

Praxis impetrationis et commissionis earumdem dispensationum.

Jam verò ex his quæ quoad causas cum quibus impetrantur hujus modi dispensationes dicta sunt, ad illarum praxim devenientes, videbimus quonam modo illæ petantur et concedantur. Verùm illud omnes præmonitos velim, quod licèt Romana Curia semper floruerit, sicut floret in præsentiâ, viris non tantùm bonitati, sed etiam sanctitati studentibus; nunquàm tamen defuerunt, qui Dei timore postposito, cùm vacent ejusdem Curiæ negotiis, non solùm importunè à principe non concedenda petunt, verùm etiam in ipsis negotiis sibi propositis cùm ob defectum causæ non possunt dispensationes obtinere; causas ipsas, sive veras sive falsas, partibus suggerere non expavescunt; ne fortè amittant emolumentum, quod ex eis essent consecuturi; quod præcipuè compertum est in dispensationibus matrimonialibus, ut enim dixit Pius II in opusculo de moribus Germanorum, fol. 1045, *in Romanâ Curiâ, quam regunt homines, non omnia esse nitida, et plurima fieri digna correctione;* unde, non abs re visum fuit hìc, tanquàm speculum ipsis curialibus, sive officialibus, sive sollicitatoribus præponere motum proprium Pii V super expressione veritatis in dispensationibus supra dictis, editum; quanti enim ponderis sit, unam causam pro aliâ, ac falsam pro verâ exprimere, satis vir timoratæ conscientiæ deprehendet; cùm ex hoc animarum jacturæ hominum, non per tramites rationis et veritatis ambulantium, in immensum oriantur. Cujus quidem motûs proprii tenor talis est.

Pius Papa V. *Motu proprio*, etc. *Cùm sicut accepimus nonnulli, suæ conscientiæ prodigi, ac propriæ salutis immemores, ut faciliùs à nobis et sede Apostolicâ dispensationes matrimoniales, et alias gratias et concessiones obtineant, gradus consanguinitatis, vel affinitatis aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter, quàm eis à principio ab ipsis partibus significatum vel narratum fuerit, exponunt, et si matrimonia hujusmodi adhùc contracta non fuerint, pro contractis narrant, et aliàs diversimodè veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quàm pro aliis quibuscumque gratiis, et concessionibus obtinendis immutent, ac propterea, cùm non solùm in impetrationibus hujusmodi falsitas narretur, verùm etiam in partibus plerùmque pro verificatione gratiarum hujusmodi, veritas immutetur, et falsitas committatur; Nos igitur hujusmodi abusibus et erroribus obviare cupientes, motu proprio*, etc., *omnes et singulos procuratores, tam officii sacræ pœnitentiariæ, seu contradictarum, quàm alios quoscumque sollicitatores et scriptores, quos copistas vocant, qui veritatem facti à narratione quam ab ipsis partibus habuerunt, quòd substantialia, et qualitates necessariò exprimendas, diversim faciunt seu quoquomodò invertunt aut immutant, depravantur, et per subreptionem et obreptionem gratias à nobis extorquent, pœnam falsi incurrere, et ea puniri omninò decernimus, et declaramus. Mandantes propterea almæ urbis gubernatori, cameræ Apost. auditori et vicario, quatenùs in præmissis reos et culpabiles repertos, pœnâ falsi, ut præmittitur puniant, cum potestate citandi, etiam per edictum, constito summariè de non tuto accessu, aliaque dicendi et faciendi in præmissis necessaria seu quomodolibet opportuna; non obstantibus præmissis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus, irritum quoque et inane*, etc., *judicari et diffiniri debere, sublatâ*, etc., *decernentibus. Et quòd præsentis motûs proprii et absque datâ et restrigaturâ, sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio et extra, regulâ contrariâ non obstante, ejusque transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ minutis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, quòdque cameræ et cancellariæ Apostolicæ, ac audientiæ causarum palatii apostolici valvis, et in acie Campifloræ dimissis inibi copiis affixis, omnes ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.*

Placet motu proprio. M.

Pro impetrandis igitur litteris dispensationis matrimonialis, ita se habet praxis, ut conficienda sit super

eâ supplicatio Pontificis, sive ejus officialibus porrigenda, sicut aliàs diximus de cæteris dispensationibus, aliisque gratiis, quibus licèt plures numero præsint, in matrimonialibus tamen unicus est officialis, qui supplicationes hujusmodi videt, et revidet quibus præeat pridem bonæ memoriæ Ferdinandus Beger nobilis Romanus, qui ob eximiam doctrinam, necnon fidei et iustitiæ zelum, integritatem, consilii maturitatem, singularemque probitatem, cæterasque virtutes, quibus clarere dignoscebatur, ab exordio pontificatûs felicis record. Clementis Papæ VIII, ipsis supplicationibus, non tantùm matrimonialium, verùm etiam contradictarum, ingenti hominum laude, jugiter præfuit; ob cujus quidem tanti viri merita, ejus filium Joannem Vincentium Beger, vix ætatis suæ anno decimo septimo expleto, S. D. N. Urbanus Papa VIII, in demortui patris locum subrogavit, qui licèt ætate juvenis, sui tamen genitoris imaginem præ se ferens, non minori admiratione quàm laude, demandatum id sibi munus noscitur exercere.

Quia verò major pars dispensationum matrimonialium, priùs transibat per officium pœnitentiariæ, et sub nomine majoris pœnitentiarii, sciendum est quòd postmodùm officium hujusmodi per felicis record. Pium Papam V, suâ constitutione, translatum fuit in cancellariam Apostolicam, illarumque officiales, non ampliùs pœnitentiariæ, sed minoris gratiæ appellari voluit. Cùmque constitutio hæc multas partes contineat, concernentes non modò statum eorumdem officialium, verùm etiam modum et normam litteras prædictarum dispensationum expediendi, nonabs re visum fuit illius tenorem pariter pro ipsorum curialium commoditate hìc inserere, et talis est, videlicet:

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In earum rerum commutatione, quam magis suadentibus causis facere compellimur, hoc quoque à nobis sedulò curandum est, ille ministrorum numerus qui novo ordine composito uno in loco usui esse desiit, in alium magis convenientem commodis rationabilibus elocetur. Cùm igitur in generali reformatione officii nostri pœnitentiariæ, et quam nuper edidimus, inter alia multa, duo officia correctorum, itemque functiones, et exercitia omnium et singulorum scriptorum, qui viginti septem, et procuratorum litterarum dictæ pœnitentiariæ, qui viginti quatuor sunt, in prædicto pœnitentiariæ officio de apostolicæ potestatis plenitudine extinxerimus et aboleverimus, ac eorumdem scriptorum et procuratorum, qui tunc litterarum pœnitentiariæ erant, rationem aliorsùm habituri, eos omnes ab ipso pœnitentiariæ officio subduxerimus, quemadmodùm litteris nostris desuper confectis plenius continetur: Nos dictis officiis scriptorum et procuratorum, eorumque collegiis novum statum inducere, et quantùm in nobis est, singulorum ea obtinentium indemnitati consulere volentes, de simili potestatis plenitudine omnia et singula officia et loca scriptorum et procuratorum prædictorum, ipsorumque personas et collegia (novo nomine et titulo utrisque indito, ac liberâ concessione, et omnimodâ aliâ dispositione octo officiorum hujusmodi procuratorum majori pœnitentiario eodem quo antea jure perpetuo remanente) ad cancellariam Apostolicam transferimus, et cum eâ perpetuò conjungimus, ita ut quondam scriptores litterarum pœnitentiariæ dehinc scriptores litterarum apostolicarum minoris gratiæ, alii verò procuratores litterarum earumdem appellentur, et inscribantur. Quibus concendimus et assignamus mensam, seu bancum utrisque commune, in eâdem cancellariâ post milites sanctorum Petri et Pauli, aut alio ibi loco à delecto filio nostro S. R. E. vicecancellario constituendo, ad quod litteræ omnes hoc dehinc officio litterarum minoris gratiæ expediendæ, inprimis deferantur. Statuentes ut materiæ, quæ in dicto pœnitentiariæ officio proximis, ante dictam reformationem temporibus, communiter habebantur, et ex ordinatione nostrâ in summam redactæ sunt, deinceps per nostram, ac Romani Pontificis pro tempore existentis, deputatorumve signaturam fiant. Harum omnium libellos supplices, et item litterarum super eis conficiendarum schedulas sive minutas, soli procuratores ad dictæ cancellariæ stylum conscribant. Conscriptas minutas abbreviatores litterarum apostolicarum de majori præsidentiâ inprimis examinent et corrigant. Correctas soli scriptores hujusmodi litterarum minoris gratiæ describant, ut inde litteræ ipsæ ad cancellariam prædictam, et defensores aliosque præsidentes in banco prædicto deferantur, ibique secundùm regulam ad rictum dicti officii pœnitentiariæ moderandam, taxentur. Mox ab abbreviatoribus prædictis, instar aliarum in eâdem cancellariâ recognitæ, et ad supplicationem collatæ, ad bullariam mittantur, subjectoque plumbo protinùs à sigillatore prædicti officii pœnitentiariæ capiantur, qui taxâ ad præscriptum nostrum receptâ, eas per descriptores ad id assumendos juxta nostras super hoc ordinationes registrari, et registratas ad exemplum, ut in aliis moris est, conferre; denique singulis litteris prædictis omnem impensam per verbum exposuit, ut in litteris officii pœnitentiariæ prædictæ moris erat, subscribere, idque etiam registro prædicto adnotare procuret. Percipiendorum autem à quoque fructuum et emolumentorum suorum ea ratio esse debeat, ut finito mense inprimis salaria eorum omnium qui ad mensam prædictam defensores, et alio officii munere ex scriptoribus et procuratoribus litterarum minoris gratiæ hujusmodi constituantur et solvantur. Demùm procuratores et scriptores suam quisque portionem viritim per sua collegia ut antea distribuendam capiant. Reges verò dictæ cancellariæ et abbreviatores prædicti pro laboribus illud idem de singulis expeditionibus, quòd olim prædicti duo correctores, et stipendium et emolumentum liberè et licitè percipiant. Cætera item salaria et emolumenta in plumbo et utroque registro, videlicet supplicationum et litterarum prædictarum, et alibi necessaria, juxta ordinationes nostras prædictas capiantur. De taxâ verò à dicto sigillatore capiendâ stipendia regentis, datarii, correctoris, theologi, doctoris, procuratorum, scriptorum, sigillatoris cæterorumque ministrorum officii pœnitentiariæ, item impensæ omnes etiam pro chartâ, atramento, cerâ, capsulâ, cordulis, et aliis quomodocumque ad expeditionem litterarum dictæ pœnitentiariæ necessariâ, quam gratis ubique fieri et concedi jam præcepimus, ante om*

nia desumantur, et singulis persolvantur, quod verò his omnibus omninò deductis et persolutis, reliquum erit, majoris pœnitentiarii prædicti esse debeat. Ad hæc quoque prædictus sigillator curam habeat prædictas supplicationes è manu datarii recipiendi, et per alios ad id ordinandos describendi, in registrum ab altero distinctum referendi, et utrumque fideliter custodiendi. Cæterùm nullæ omninò supplicationes super hujusmodi materiis signandæ inter abbreviatores prædictos distribuantur, neque cuipiam relinquantur, neque super iis sumpta, aliave exempla ex registris describantur, etiam post quàm litteræ apostolicæ super illis expeditæ, et partibus eas prosequentibus, redditæ fuerint, sed supplicationes ipsæ apud registrum prædictum sub curâ dicti sigillatoris, qui pariter ipsi registro præfectus sit, fideliter custodiantur. Præcipimus igitur atque interdicimus abbreviatoribus, scriptoribus, procuratoribus cæterisque prædictis, tam conjunctim quàm divisim, ne quid, vel minimùm, etiam spontè oblatum à partibus, sive pro expeditionis maturatione, sive alio extraordinario labore capiant; aut à famulis aliisve personis capere permittant, sed suis quisque taxis et stipendiis, uti constituta sunt, contenti esse debeant. Quicumque secùs fecerint, præter illas censuras et pœnas, quæ in talia perpetrantes impositæ sunt, suorum officiorum privationem incurrant, et ad futura inhabiles, ac etiam infames censeantur, uti nos illos privatos et infames declaramus eo ipso. Et nihilominùs mandamus præd. vicecancellario, et abbreviatoribus, necnon rescribendario et scriptoribus apostolicis, cæterisque, ad quos pertinet, tam conjunctim quàm divisim, ut scriptores et procuratores prædictos, eorumque singulos sic cum universo corpore prædicto conjunctos, fraternâ charitate prosequantur, et ad hujusmodi officia, et ipsorum liberum exercitium, necnon honores, onera et emolumenta omnia recipiant et admittant, ac faciant prædicta omnia et singula inviolabiliter observari, non permittentes quemquam contra præsentium tenorem quomodòlibet impediri. Rursùs eisdem scriptoribus et procuratoribus sic cooptatis et adscriptis, ut prædicto vicecancellario, tanquàm capiti aliorum dictæ cameræ collegiorum instar obediant et obsequantur. Non obstantibus de certo scriptorum litterarum apostolicarum numero, et aliis eorum, ac dictæ cancellariæ, statutis, stylo, institutione, consuetudinibus, stabilimentis et reformationibus quantocumque tempore observatis; ac etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ translationis, conjunctionis, concessionis, assignationis, statuti, præcepti, interdicti, declarationis, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto decimo kal. junii, pontificatûs nostri anno quarto.

Cæ. S. Glorierius.
H. Cumyn.

At verò, quia licèt hujusmodi dispensationes, juxta graduum qualitatem, diversimodè ac per diversos officiales expediuntur, quandoquidem, si in primo, aut primo et secundo, seu in primo et tertio, seu in primo et quarto gradibus, sive ex uno tantùm stipite, sive ex pluribus, etiam multiplicatis stipitibus, litteræ dantur in formâ brevis sub annulo Piscatoris; si in tertio, aut secundo et tertio gradibus, ut supra per cancellariam; in remotioribus autem gradibus, per officium minoris gratiæ; nihilominùs, quocumque modo concedantur, non expediuntur litteræ, nisi super supplicatione, quæ de more Curiæ, in formâ signandi nuncupatur, eo modo quo sequitur, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius oratorum Stephani N. laici et Catharinæ de Bajettæ mulieris Neapolitan. diœcesis ex loco de Resinâ ortorum, quòd cùm dicta oratrix in dicto loco, propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; cupiunt oratores præfati invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt absque sedis Apostolicæ dispensatione; supplicant igitur humiliter eidem Sanctitati Vestræ oratores præfati, quatenùs cum eisdem oratoribus, quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi, non obstante, matrimonium inter se, publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè, et licitè valeant, dispensare. Distantiam verò tertii gradûs prædicti eis non obstare, declarare. Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando, dignemini, de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Concessum ut petitur in præsentia D. N. Papæ.

M. A. Maraldus.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et de dispensatione, declaratione, nuntiatione, aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis; et quòd cognominum, affinitatis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium minoris gratiæ expediendis. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui deposita*, etc., *dispenset*, ut supra.

Concessum M. A. Maraldus.

Datum Romæ.

Quâ quidem supplicatione expeditâ, super eâ, ut moris est, conficiuntur litteræ apostolicæ juxta qualitatem dispensationis; ac proinde super præmissâ supplicatione erunt litteræ expediendæ per officium minoris gratiæ, eo quo sequitur modo, videlicet:

URBANUS *episcopus servus servorum Dei, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. Oblatæ nobis nuper pro parte dilecti filii*

Stephani N. laici, et dilectæ in Christo filiæ Catharinæ N. mulieris Neapolit. diœcesis ex loco de Resinâ ortorum petitionis series continebat; quòd cùm dicta Catharina in dicto loco propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt Stephanus et Catharina præfati invicem matrimonialiter copulari; sed quia tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem Stephanus et Catharina, asserentes se ex dicto loco ortos existere, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenùs eis in præmissis de opportunæ dispensationis gratiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur eosdem Stephanum et Catharinam, et eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodòlibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinebimus, per apostolica scripta mandamus, quatenùs depositâ per te omni spe cujuscumque muneris aut præmii, etiam spontè oblati, à quo te omninò abstinere debere monemus, de te præmissis diligenter informes, et si per informationem eamdem, preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus; tunc cum eisdem Stephano et Catharinâ (dummodò illa propter hoc rapta non fuerit) quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè, et licitè valeant auctoritate nostrâ, dispenses. Distantiam verò tertii gradûs præfati eis non obstare declares. Prolem suscipiendam exinde, legitimam nuntiando. Volumus autem quòd si spretâ monitione nostrâ hujusmodi, aliquid muneris aut præmii occasione dictæ dispensationis exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Dat. Romæ, etc.

Explicando nunc clausulas et verba præfatarum litterarum cum omnibus iis quæ etiam ad illarum executionem pertinent, dicamus :

URBANUS, etc. Hoc modo præponitur nomen Pontificis, quando litteræ dispensationum matrimonialium, sive, ut dictum est, per officium minoris gratiæ, sive in litteris, quod idem est, ac per cancellariam expediuntur. Quando verò hujusmodi dispensationes dantur super gradibus propinquioribus, puta secundo, vel primo et secundo, seu primo tantùm, aut primo et quarto sive simplicibus sive ex pluribus stipitibus mixtis; tunc litteræ expediuntur in formâ brevis, ut superiùs diximus; in quo breviùs ponitur et intitulatur nomen Pontificis, videlicet URBANUS Papa VIII, nam omnia in ipso brevi debent breviter et succinctè exprimi, cùm juxta illius diffinitionem, nihil aliud sit nisi commentariolus, summam rerum continens, l. 1, c. de Apoc. publ., Mandos. reg. 27, q. 11, num. 1, et alibi diximus.

VICARIO VENERABILIS FRATRIS NOSTRI ARCHIEPISCOPI NEAPOLITAN., etc. — Ita enim est statutum ex concilio Trident. sess. 22, cap. 3, de Reform., volente dispensationes esse nullius momenti, nisi illæ ordinario impetrantis committantur, ad denotandum quòd alteri non debeant committi; et etiam ante dictum concilium, idem statutum fuit in Constitut. Pii IV super reformatione officii sac.. pœnitentiariæ, ibi : *Nec dispensationes matrimoniales in formâ gratiosâ, sed semper committantur ordinariis prout aliàs fieri consuevit.*

Ad hanc praxim conducit videre an hujusmodi dispensationes, sive alia rescripta Sedis Apostolicæ possint dirigi etiam vicario, sede episcopali vacante deputato, pro illorum executione? Et videtur affirmativè respondendum, quandoquidem satis tritum est, capitulum succedere episcopo in spiritualibus et temporalibus, cap. *Fin.*, et ibi Gloss. de suppl. Neglig. prælat., et magis patet in Extravag. *Execrabilis*, § *Cæterum*, de Præb., ubi postquàm dixisset quòd recipientes secundum beneficium curatum, debent dimittere primum in manibus ordinariorum, subdit : cæterùm ordinario intelligamus, etc., vel Ecclesiis cathedralibus vacantibus capitulo earumdem, Paris. de Resign. benef., l. 7, q. 23, num. 24.

His tamen non obstantibus, contrarium est verius, ac in satis notoriâ praxi receptum, quæ non admittit ut ipsi vicario capitulari, prædicta rescripta dirigantur. Ratio enim est quia ipse non dicitur propriè vicarius episcopi, sed jurisdictionis episcopalis, et ordinariæ, quam habet à capitulo; et propterea, si sint vicario generali directæ, prout dirigi consueverunt, non poterit vicarius capitularis illas executioni demandare, quia ipse non succedit in jurisdictione delegatâ, quæ non est in capitulo, nec in ipso vicario capitulari, sed tantùm in vicario per episcopum deputari solito; Felin. in c. *Eam te*, num. 17, verbo *In mandato*, de Rescript. socc., in c. *Qualiter et quando*, num. 185, nec aliquis recordatur fuisse unquàm aliter observatum, imò meo tempore, cùm orator regis Hispaniarum apud fel. record. Paulum V ardenter institisset, similem dispensationem matrimonialem, ex quibusdam causis, dirigi cuidam vicario capitulari, non autem vicinori, sicut fieri solet, quando vacat sedes episcopalis, ac proinde adducebatur quoddam exemplum, quo officiali majoricen. illius sede episcopali vacante deputato, fuerunt aliàs quædam litteræ apostolicæ pro illarum executione directæ; in quibus dicebatur quòd ipsæ litteræ sibi dirigebantur, etiamsi de illis personis forsan non esset, quibus litteræ apostolicæ exequendæ dirigi solerent; ipse tamen Paulus semper negativè respondit, et sic litteræ illius dispensationis fuerunt commissæ vicario episcopi vicinioris.

Et fuit aliàs declaratum, vicarium capitularem non posse expedire dispensationes matrimoniales directas

episcopo et ejus vicario generali; S. congr. concil. sub die 24 maii 1621, quidquid dicat Sanchez., de Matrim., l. 9, disp. 27, num. 32 et 33.

Sicut neque potest ipse vicarius capitularis exsequi commissiones apostolicas in formâ *Dignum*, et alias directas episcopo, vel ejus vicario generali intuitu officii, vel sub nomine dignitatis; S. congreg. concil. 2, augusti 1631.

Benè tamen potest ipse vicarius capitularis executioni demandare litteras episcopo per sac. congr. directas, et ab illo non executas; ita censuit S. congr. episc. et regular. 10 aprilis 1615, necnon omne illud quod episcopo mortuo, per bullam seu breve in causis jurisdictionem importantibus, concessum, ex eâdem S. congr. in unâ Tiranen. 26 januarii 1640, et in unâ Neapolitan. 10 februarii ejusdem anni.

Sed hìc videndum est etiam si hujusmodi dispensationes essent commissæ vicario, plenâ sede episcopali, numquid, si ipsemet vicarius sede prædictâ interim vacante, fuerit electus vicarius capitularis, possit ipse dictas dispensationes exequi? Certè non, quia licèt aliqui teneant posse, ut Salas, d. 20 de Legib., sect. 17, num. 124, Sanch., lib. 8, disp. 27, num., 32, dicentes quòd forma committendi non est vicario episcopi, sed vicario generali diœcesis; et quia sede episcopali vacante, vicarius generalis diœcesis est vicarius capituli, propterea poterit ipse vicarius capituli exequi, non obstante quòd dicta commissio fuerit directa vicario episcopi. Tamen dicta istorum auctorum satis deviant à notoriâ praxi datariæ, quæ ut aliàs diximus, exprimit commissionem in supplicatione factâ episcopo, seu illius vicario generali tantùm; de quo testatur etiam Garc., de Benef., part. 6, c. 2, num. 44, dicens, quòd attento stylo Curiæ et Cancellariæ, sede episcopali vacante, non diriguntur hæ dispensationes vicario capituli, quia de illo Papa non confidit, sed episcopo viciniori, sive ejus vicario in spiritualibus generali; nec ut idem Garc. ait, n. 49, juvabit observantia seu consuetudo contraria aliquorum episcopatuum Hispaniæ, ad effectum, ut in illis possit officialis capituli, sede vacante, exequi et expedire dictas litteras et dispensationes, nec aliàs factæ sunt validæ; non enim potest dicta observantia seu consuetudo relevare, nec aliquod jus dare, stante dicto stylo Curiæ et Cancellariæ, quæ est organum Papæ; ex quo clarè apparet non esse suæ intentionis committere officiali capituli, dictam observantiam esse contra mentem committentis; in commissionibus namque et delegationibus, attendenda est mens delegantis, cùm de eâ constat, idem Garc., loc. cit.

Ita etiam observatum in dispensationibus ultra montes, ut aliàs diximus, ubi vicarii episcopi appellantur officiales, qui non inscribuntur officiales episcopi Illerden., vel archiepiscopi, sed simpliciter officiales Illerden., Toletan., et sic de singulis, teste eod. Garc., part. 5, c. 2, num. 46; nam quamvis simpliciter dicatur officialis Toletan., intelligitur tantùm de vicario generali, qui nihil differt ab officiali, ut habetur in Clem. 2, cum Glossâ, in verbo *Officialis*, de Rescript., ex eo quòd hæc nomina sunt synonyma, seu idem significantia, Joann. Andreas in addit. ad specul. rubr. de offic. Vic., quia in effectu, nulla inter eos adest differentia, nisi in nomine Covar., var Resol. lib. 3, cap. 20, num. 46; Mandos., in tract. de Commiss. in commiss. per breve 28, verbo *Vicario*, et in Regul. cancel. 14, quæst. 6, num. 16; Gonz. ad Regul. 8 cancel., glos. 5, § 3, num. 8; Barbos., de Offic. et Potestat. episc., alleg. 4, num. 58, ubi testatur ita servare Romanæ Curiæ stylum in expeditionibus, etc., et sic nullo modo poterit intelligi de officiali capituli, quod satis videtur in clausulis supra dictæ supplicationis, dùm ibi dicitur: *Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, vel committatur ordinario, sive ejus officiali*, idemque docet esse etiam de stylo antiquo, Hieronym. Paul. in suo lib. nuncupato, *Provinciale*, sub titulo *Notabilia super dispensationibus matrimonialibus*, versic. *Dispensationes matrimoniales, semper committi debent ordinario*, folio mihi 411.

Aliàs enim si litteræ dispensationis directæ vicario, seu officiali episcopi, exequerentur per vicarium capitularem sede episcopali vacante, deputatum, executio esset nulla, nullumque matrimonium vigore talis dispensationis contractum. Et cùm hoc fuisset aliàs in Rotâ propositum, domini dixerunt dispensationem matrimonii fuisse nullam, quia illa fuit concessa per officialem capituli Tudensis, sede episcopali vacante, in executionem mandati apostolici de dispensando, quod cùm esset directum officiali episcopi, non potuit in illius executione se immiscere Officialis capituli, qui nunquàm succedit in jurisdictione delegatâ episcopo, seu ejus officiali. Felin. in cap. *Eam te*, num. 17; Bellam., decis. 166, de Off. deleg., et fuit resolutum in causâ Abulen. Beneficii 13 julii 1597, coram Litta; fuitque dictum non obstare, quòd prædictum mandatum de dispensando reperiatur simpliciter dictum officiali Aurien. seu Tuden. et sic possit intelligi directum, etiam officiali capituli; quia contrarium apparebat ex supplicatione ipsius dispensationis, in quâ expressè fuit petitum eam committi ordinario seu ejus officiali; nec est dubium, litteras recipere declarationem à supplicatione, quæ tanquàm matrix semper est attendenda; quod comprobatur ex antiquissimo stylo datariæ cancellariæ, quæ semper solet dirigere dispensationes matrimoniales ordinariis, ac etiam ex dispensatione sac. Concilii Trid., sess. 22, c. 5, de Reform., mandando dispensationes esse dirigendas ordinariis impetrantium, cum quâ censetu. Papa se voluisse conformare.

Præterea fuit dictum, non obstare quòd in diœcesi Tuden. non adesset officialis episcopi, ex quo sedes vacabat, quia de tempore datæ dictæ dispensationis, episcopus vivebat, et sic non potuit censeri directa officiali capituli, de quo tunc probabiliter cogitari non potuit, cùm adhuc ille in rerum naturâ non esset, et mors futura episcopi, respectu temporis non erat certa officialibus Papæ; ultra quòd non poterat officialis capituli se intromittere in illius executione, cùm nun-

quàm succedat in jurisdictione delegatâ episcopo, seu ejus officiali, quod etiam probatur ex alio stylo cancellariæ et datariæ, quæ sede episcopali vacante, non solet committere dispensationes, nec alias similes gratias officiali capituli, sed episcopo viciniori, seu ejus officiali, ut fuit firmatum in d. Abulen. Beneficiis, ut etiam aliàs dixi.

Prout etiam fuit dictum, non obstare quòd Papa possit dirigere hujusmodi dispensationes alteri quàm ordinario, et sic stante alternativâ, de quâ in dicto mandato, ibi *Officiali Aurien. seu Tuden.*, potuerit officialis Tuden. procedere ad illius executionem, quia fuit responsum Papam voluisse committere hanc dispensationem alteri quàm ordinario, sed alternativam illam fuisse appositam propter narrativam supplicantis qui narravit oratores esse diœcesis Aurien. seu Tuden., et idcò intelligendum esse directam illi officiali qui esset ordinarius, quod suadetur ex supplicatione, in quâ fuit petitum committi ordinario seu ejus officiali ex stylo datariæ et cancellariæ, et ex dispositione sac. Concil. Trident., ex quibus probatur hanc dispositionem censeri debere dictam ordinario impetrantium; eòque magis quia aliàs aperiretur via fraudibus, quæ quotidiè committerentur ab illis qui narrando se esse tales vel talis diœcesis, evitarent proprium ordinarium, qui verisimiliter esset infamatus de qualitatibus impetrantium, et posset benè cognoscere de causis dispensationis, et accederent ad officialem extraneum, pro obtinendâ executione dispensationis, contra dictam dispositionem sac. Concil. Trident. ac stylum datariæ et cancellariæ.

Et quamvis fuerit etiam dictum, non obstare fidem, et alia, quæ deducuntur ad ostendendum, quod in partibus observatur, similes dispensationes posse executioni demandari per officialem capituli sede episcopali vacante, et sic communis error hujusmodi suffragetur, ad sustinendum matrimonium per text. in l. *Barbarius*, ff. de Offic. prætor., quia ultra quòd de tali communi errore non constabat, fuit responsum: Textus in d. l. *Barbarius*, non habet locum in spiritualibus et sacramentalibus, ut ibi declarat Jas., num. 69, et tenuit Rota in unâ Cremonen. Pensionis 23 decembris 1582 quæ est inter impress. divers. 731, sub. num. 17, part. 1, præsertim quando agitur prout hìc de sustinendo matrimonium inter consanguineos in gradu prohibito, prout habetur in unâ Aurien. Matrim. impressa penes Marchesan., parte 1, cap. 2, fol. 135.

Quoniam supra dicta decisio plurimùm confert ad hanc praxim, super quâ in dies et in facti contingentiâ fuerunt nonnulla dubia excitata, placuit proinde illam summatim hic subjicere, ut supra.

Nec omittendum in hâc praxi putavi, quòd licèt hujusmodi commissiones fiant regulariter ipsis vicariis generalibus, attentâ alternativâ in calce supplicationis, nempe quòd committatur ordinario, sive ejus vicario, etc., sæpè vidimus litteras hujusmodi dispensationum committi episcopo, non autem illius vicario, licèt habeat suum vicarium, quandoque verò quia illum non habet; nam episcopus de jure non tenetur, neque cogitur constituere sibi vicarium generalem; Put., decis. 45, num. 5; Rot. decis. 222, num. 5; Quar., in Sum. bull.; tit. *Archiepiscopi auctoritas*, fol. 77, litterâ N.; Hojed., de Incompatib. benef., p. 2, cap. 10, qui ita distinguit: nempe, aut episcopus est absens, et in hoc casu non est dubium, quòd cogitur habere vicarium; aut verò est præsens, in hoc casu subdistinguitur, quia, aut ipse episcopus est jurisperitus, et potest per se diffinire ea quæ pertinent ad jurisdictionem contentiosam et voluntariam, et episcopatus est tenuis, et in hoc casu non est compellendus ad habendum vicarium; aut verò non est jurisperitus, vel negotia sui episcopatûs sunt multa, quia episcopatus est magnus et pinguis, et in hoc casu debet per archiepiscopum ad constituendum sibi prædictum vicarium compelli.

Sicut pari modo dicendum est de capitulo sede episcopali vacante, quòd non tenetur sibi constituere vicarium, sed potest per se exercere jurisdictionem, quamvis sit utile illum constituere propter contradictionem et absentiam multorum; Felin. in c. *Statuimus*, num. 9, de Major. et Obed.

Ex eodem namque stylo receptum est quòd si tunc sedes episcopalis vacat petitur litteras dispensationis committi ordinario viciniori, ut supra dictum est, sive ejus vicario in spiritualibus generali. Unde Papa in commissionibus dispensationum hujusmodi, cùm sedes episcopalis diœcesis oratorum vacat, utitur his verbis: *Discretioni tuæ, cùm, ut dicti N. et N. asserunt, sedes episcopalis N. ad præsens vacet, et venerabilis frater noster episcopus N. vicinior ordinarius, qui nunc vivit, existat, per apostolica scripta mandamus, quatenùs*, etc., et ita fuit etiam in Rotâ firmatum in unâ Abulen. beneficii 13 junii 1597, coram D. Litta.

Ita etiam consueverunt hujusmodi litteræ committi à principio ordinario viciniori, si contingat in Urbe dubitari an episcopus, qui tunc graviter ægrotat, vivat an non; ne propterea diù retardetur ipsarum litterarum expeditio, licèt id rarò concedatur.

Pariter id servatur in hujusmodi commissionibus quando oratores sunt nullius diœcesis, quia tunc litteræ committuntur vicario ordinarii vicinioris. Quis autem in proposito dicatur ordinarius vicinior, dicendum est, quòd quando vacat sedes episcopalis, non est recedendum à dispositione c. *Statutum*, de Rescript., ubi ista vicinitas computatur à finibus diœcesis, cujus episcopus mortuus est; unde cùm tempore sedis vacantis Ecclesiæ Neapolitanæ annis elapsis, prætenderet episcopus Acerrarum quòd dispensationes pro oratoribus civitatis et diœcesis Neapolitanæ deberent ipsi, et non alteri committi, cùm esset ipse vicinior ordinarius, mordicùs tamen se defendebat episcopus Puteolan., asserens ipsum esse omni alio episcopo, diœcesi Neapolitanæ viciniorem, ex eo, quòd inter diœcesim Neapolitan. et diœcesim Puteolan. parva adest distantia, scilicet parùm plus medii milliaris, nempe per quod protenditur Crypta quæ Puteolorum num-

cupatur, cùm illa è civitate Neapolitanâ ingressum, et in diœcesi Puteolanâ egressum habeat ; attamen quia episcopus Acerrarum est etiam in quasi possessione exequendi dictas litteras, etiam ipsi diriguntur pro illarum executione ex eo, quòd quasi possessio multùm operatur circa executionem hujusmodi rescriptorum, ut patet ex declaratione sacræ congregationis in causâ prioratûs de Ucles, quam infra afferemus.

Est tamen hoc casu, in dubio notandum, quòd si de vicinitate hujusmodi disceptetur, attenditur de rigore juris, ista mensura secundùm viam, per quam consuetum est iri, per text. in l. *Eos*, cum Glos., in fin., ff. de Fals.; Bartol. in l. 3 de Verb. signif., quando videlicet agitur de distantiâ ratione itineris, sicut etiam dicimus quando agitur de causis delegatis; nam de stylo in commissionibus causarum extra Curiam semper petitur derogatio constitutionis Bonifacii VIII, de unâ ut in c. *Statutum*, § *Cùm verò*, illis verbis : *Nullus tamen eorum ultra unam dietam à fine suæ diœcesis valeat conveniri*, de Rescript. in 6, ac propterea derogatur concilio generali, de duabus dietis, ut in capitulo *Nonnulli*, illis verbis : *Statuimus ne quis ultra duas dietas extra suam diœcesim per litteras apostolicas trahi possit; nisi de consensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hâc constitutione fecerint mentionem*, extra eod. tit. Nam præmissis summus Pontifex derogando, prohibet ne ultra tres dictas, etc., et in hoc casu intelligitur de dictâ legali, videlicet viginti millium passuum pro quâlibet ex prædictis tribus dietis, ut declarat Gloss., in d. c. *Nonnulli*, in verbo *Ultra duas*, ac propterea dicit Gamb. de Auth. leg., l. 8, num 66, tit. de Potest. leg. in judic., quòd in computatione istorum viginti millium passuum pro quâlibet dietâ, attenditur supra dicta mensura, cùm agatur de distantiâ, ratione itineris, quodque, secus est, si ex aliâ causâ ; quoniam tunc mensura capitur per directum, seu è diametro, etiamsi non sit via ; subdens numero 68, quòd si disponatur quòd monasteria vel Ecclesiæ distent invicem certo spatio, capietur mensura per directum, non autem secundùm viam, ut per Bart. in l. 1, in fin., ff. *Quis. caut.*; Felin., in c. *Olim*, col. 2, de Except., ubi multa ponit exempla, et tractat materiam viarum.

Quid autem si tempore datæ litterarum hujusmodi dispensationum, vivebat episcopus, ante tamen illarum præsentationem obierit? numquid poterit illius vicarius, illas executioni demandare? Et omni dubitatione remotâ, negativè respondetur ; hoc enim casu debent oratores expectare, donec Ecclesiæ vacanti fuerit de pastore provisum, vel super dictis litteris petere novam commissionem, quæ de stylo curiæ, *mutatio judicis* nuncupatur, quâ committatur ordinario viciniori, ut dictas litteras exequatur, servatâ aliàs earum formâ perinde ac si ipsi à principio hujusmodi litteræ directæ fuissent ; et idem erit si vicarius episcopi defuncti cœpisset litteras exequi, nec potuit eas expedire ante obitum sui episcopi : formula igitur supplicationis pro ipsâ judicis mutatione hæc erit, videlicet :

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. laici, et N. mulieris, N. diœcesis ex loco N. oratorum exposito, dictam mulierem in dicto loco, ob illius angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequire, cupereque oratores præfatos invicem matrimonialiter copulari, sed quia tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem erant, prout sunt conjuncti, desiderium eorum in eâ parte adimplere non posse, absque sedis Apostolicæ dispensatione. Quare pro eorumdem oratorum parte eidem S. V. humiliter supplicato, quatenùs eis in præmissis opportunè providere de benignitate apostolicâ dignaretur, S. V. precibus dictorum oratorum tunc inclinata vicario episcopi N. in spiritualibus generali, per suas litteras dedit in mandatis quatenùs, si preces veritate niti reperiret, cum eisdem oratoribus quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere liberè et licitè valerent, apostolicâ auctoritate dispensaret; distantiam verò tertii gradûs præfati eis non obstare declararet; prolemque suscipiendam exinde legitimam nuntiaret; prout in dictis litteris pleniùs continetur. Cùm autem, Pater Sancte, episc. N. litteris præfatis minimè executioni demandatis, rebus fuerit humanis exemptus, et propterea sedis episcopalis N. adhuc pastore careat, supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati quatenùs, ne propter præmissa, dictarum litterarum executio retardetur, specialem sibi gratiam faciendo, ordinario viciniori, seu ejus Vicario in spiritualibus generali, committere et mandare, ut ipse, postquàm dictæ litteræ sibi pro dictorum oratorum parte præsentatæ fuerint, ad illarum executionem, servatâ aliàs earum formâ procedat in omnibus et per omnia, perinde ac si illæ sibi, et non præfato vicario episcopi N. à principio directæ fuissent, dignemini, de gratiâ speciali. Non obstantibus omnibus illis quæ eadem S. V. in dictis litteris voluit non obstare cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de commissione, mandato aliisque præmissis latissimè extendendis. Et quòd præmissorum omnium, et singulorum aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris per officium contradictarum expediendis, et committatur ordinario viciniori viventi, vel ejus vicario in spiritualibus generali.*

De quo stylo, qui inconcussè servatur, quidquid alii dixerint, videndus est omninò Garc., p. 6, cap. 2, à num. 40 ad 51, ubi duas in proposito affert Rotæ decisiones.

Similiter, ista nova commissio, sive judicis mutatio, dari consuevit super rescriptis quæ pro parte fuerunt executa, pro parte verò remanent exequenda, ex causâ impossibilitatis primi executoris, sive quocumque alio modo ; veluti si quis à sede Apostolicâ obtinuit secum dispensari ad ordines, et litteræ hujusmodi dispensationis directæ fuerunt proprio ordinario oratoris, qui vigore prædictarum litterarum, cum dicto oratore ad aliquos tantùm ordines dispensavit ; sed

cùm dictus orator in alienâ diœcesi suum domicilium transtulerit, conceditur mutatio judicis, quâ episcopo dicti domicilii committitur, ut si, et postquàm prædictæ litteræ dispensationis sibi præsentatæ fuerint, ad illarum executionem procedat; perinde ac si sibi à principio directæ fuissent.

Generaliter autem super quibuscumque rescriptis dari possunt ex causâ novæ commissiones sub formâ prædictâ, secundùm facti contingentiam; sicut frequentissimè illas dari videmus, præsertim cùm vacat sedes episcopalis, ut dictum est; aut si fuerit in rescripti commissione erratum, puta si uni loco alterius fuerit facta commissio; aut si super jurisdictione loci inter duos ordinarios lis pendeat indecisa; quo casu datur mutatio judicis in personam unius ex aliis vicinioribus, quod contingere potest, sive in principio expeditionis principalis rescripti, sive post illius expeditionem, aut, si vacante sede episcopali, oratores obtinuerunt litteras committi viciniori ordinario viventi; quibus tamen litteris eidem nondùm præsentatis, fuit priori Ecclesiæ de pastore provisum, et sic cùm adsit proprius ordinarius ipsorum oratorum, eidem fit nova commissio, quatenùs ad priorum litterarum executionem procedat perinde, ac si eidem, non autem prædicto ordinario viciniori, à principio præsentatæ fuissent.

Item dari consuevit ista mutatio judicis, quando proprius oratorum ordinarius, tempore jam impetrati rescripti longè distat, neque relicto vicario; tunc enim committitur ordinario viciniori, sub sequenti formulâ, videlicet: *Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, præfatus episcopus à suis civitate et diœcesi notoriè absens, longè existat, nec adsit vicarius in spiritualibus generalis ab ipso episcopo deputatus. Quare*, etc.

Item, quando ordinarius est suspectus, ob idque orator non speret litterarum executionem; quod præsertim in provisionibus beneficialibus sæpè contingere solet; et aliàs in quâdam supplicatione pro impetratione beneficii, certo modo vacantis, in illius calce sic additum fuit: *Et attento quòd dictus orator est nepos vicarii episcopi N. et propterea veretur ne dictus N. ipsum ordinarium alleget suspectum in grave præjudicium et retardationem præsentis gratiæ, committatur ordinario viciniori in formâ* Dignum *antiquâ.*

Item, quando ordinarius est suspensus, in ejusque Ecclesiâ est deputatus vicarius apostolicus, tunc pari modo sic additur: *Et attento quòd episcopus N. ab exercitio pontificalium est apostolicâ auctoritate suspensus, committatur ordinario viciniori, seu administratori apostolicâ auctoritate deputato*, etc.

Similiter, quando proprius oratorum ordinarius sine rationabili causâ recusat procedere ad executionem litterarum, tunc etiam dantur litteræ mutationis judicis episcopo viciniori directas; cum hoc inter cætera, ut postquàm dictæ litteræ sibi præsentatæ fuerint iterùm legitimè requisito priore ordinario, ejusque promotore fiscale audito, si idem ordinarius ad prætatarum litterarum executionem indebitè et sine rationabili causâ procedere recusaverit, causamque legitimam suæ recusationis non adduxerit, ad earumdem litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat, etc.

Sanè posterior hæc judicis mutatio super litteris gratiæ præsertim harum dispensationum matrimonialium, aliis frequentior est, quandoquidem earumdem executores, ubi preces in eis porrectas, veritate niti minimè repererint, ad illarum executionem optimo quidem jure procedere non audeant, imò recusant; quo fit ut cùm partes hujusmodi recusationi licèt à veræ rationis tramite dissentaneæ, acquiescere nequeant, novum sibi petant desuper judicem executorem deputari; quem nec aliàs quàm modo præmisso concedi omnes sciunt periti curiales; quapropter huic novo judici liberum minimè est, ad priorum litterarum executionem procedere, nisi per eum priore judice requisito; ut rationabili fortassè causâ per eum allegatâ, quâ procedere distulit, seu recusavit, etiam novus hic judex ab earumdem litterarum executione abstineat. Licèt secùs, si causa per illum allegata rationabilis rationique consona non videatur; quapropter, etiam pro servandâ formâ secundi rescripti, non aliàs requirendus venit prior ipse judex, nisi per litteras secundi judicis requisitorias cum inserto tenore litterarum sibi præsentatarum; non enim ad id sufficit partes ipsas coram priore judice denuò pro executione simpliciter institisse, privatasque scripturas, ac fides, causas hujusmodi recusationis concernentes, ad novum judicem deferre; quia perinde est ac si à denegatâ executione, partes ipsæ ad summum Pontificem appellàssent, quandoquidem à pari procedunt recusatio et appellatio, cap. *Super eo*, 2, de Appel.; Lancellot., de Attent. post recus. jud., numero 8, et § seq., ac propterea, omnia hæc sunt formiter in scriptis redigenda; non enim sufficit, si fiant in voce et sine legitimâ scripturâ, prout ubique scimus practicari et docuisse Salyc., Angel. et alios in l. *Cum speciali*, c. de Jud., relatos per Marches. in suâ Pract. commiss., part. 2, c. 5, num. 9.

Recusari etiam ut plurimùm ipsos judices ordinariós per ipsos impetrantes, in principio impetrationis primi rescripti, etiam ex causâ suspicionis, contingit, petendo sibi alium et viciniorem judicem deputari; quod quidem in ipsis litteris erit exprimendum, nimirùm quòd ipsi proprium ordinarium, cui litteræ dirigendæ essent, suspectum habent, ut supra dictum est, ab eoque ipsarum litterarum executionem non possunt neque sperant reportare, ac proinde ipsum suspectum jurare parati existunt, et quatenùs opus sit, jurant; quod quidem sæpenumerò contigisse scimus; præsertim cùm idem ordinarius sive illius vicarius habeat aliquod in negotio, interesse, proindeque conveniens minimè videtur, quòd fungatur munere judicis et partis, ad ea quæ tradit Barthol. in l. *Qui jurisdictioni*, ff. de Jurisdictione, ff. Omn. iud., allegato tamen episcopo suspecto; si idem episcopus interim moriatur, non erit suspecta persona successoris, nisi tamen fuerit recusata dignitas et dignitatis nomen;

tunc enim in ipso successore causa suspicionis perseverat, ut benè docet Tiraquell. in Tract. *Cessante causâ*, part. 1, numero 220, relatus per eumdem Marches. d., cap. 5, num. 14, qui numero 14 subdit quòd episcopus in causâ suæ Ecclesiæ, nisi allegetur suspectus, poterit judicare, ut per Felin., capite *Cùm venissent*, numero 1, ubi Abb. de Judic. Hæc tamen judicis recusatio, ut hìc, respicit potiùs praxim signaturæ gratiæ quàm justitiæ; quoad istam enim, scilicet, ad lites, alio modo datur novus judex in locum judicis suspecti : tunc enim, cùm ut plurimùm litteræ appellationis committi consueverint tribus judicibus, et cuilibet insolidùm, poterit adversarius omnes ipsos suspectos, imò suspectissimos allegare, deque illorum perhorrescentiâ, quatenùs opus sit, jurare se exhibere paratum; quo casu unus tantùm novus judex ut plurimùm ab ipsâ signaturâ justitiæ dari consuevit, ut, prævià avocatione, dummodò coram eis, sèu eorum aliquo, causa, seu causæ non sint instructæ, neque pro parte appellantis in eorum, sive alicujus illorum jurisdictionem consensum fuerit, cognoscat. Atverò, quia ex causâ suspicionis hujusmodi, sæpè pariter contingere solet quamplurimos successivè judices in unâ eâdemque causâ suspectos allegari ac frequentiorem idcircò reddi recursum ad ipsam signaturam justitiæ, propterea ad evitandam infinitatem, quæ de jure reprobatur, *L. qui bona*, § *fin.*, ff. de Damn. infect.; Abb. in cap. 1, num. 4, de Privileg.; Alexand. consil. 19, num. 9, volum. 4, consuevit ipsa signatura novo judici sive novis judicibus ita rescribere, ut si scilicet partes ipsæ in ipsum novum judicem consenserint, cognoscat, causamque prædictam sine debito terminet, sin minùs, alium judicem, de consensu partium eligendum, aliàs ex officio suo ad causam ipsam cognoscendam et decidendam, auctoritate apostolicâ deputet; cui quidem sic deputato, et ipsi deputanti datur ad id opportuna facultas. In judicibus autem Romanæ Curiæ aliter se habet ista praxis; ibi enim judex in commissione petitus rarò conceditur, cùm affectatus videatur, juxta text. in cap. *Ad hæc*, de Rescript., licèt extra Curiam detur ille judex, quem pars petit, nisi adversarius contradicat; ac etiam quia si ad partis petitionem deputaretur, esset alteri parti suspectus; ex quo vehémens oritur exinde suspicio, ne petenti sit propitius et favorabilis, ut per eumd. Marches., part. 1, cap. 13, num. 43, nisi tamen, ut ipse ibi subdit, aliter principi vel signaturæ rescribendo, visum fuerit, aut si earumdem partium accedat assensus. Regulariter tamen in isto casu, nimirùm quando in commissione causarum in ipsâ Romanâ Curiâ contingat dari judicem de consensu partium eligendum, de eo partes ipsæ, præcedente citatione ad concordandum de judice, coram D. Cancellariæ regente concordant; quatenùs verò ad ipsam concordiam, prout sæpè contingit, deveniri non potest, ab eisdem etiam partibus petitur ut unaquæque earum det listam judicum confidentium et diffidentium; quòd si ambæ partes unum ex datis nominant in judicem, ille deputatur; si verò plures insimul, unus ex illis datur arbitrio ejusdem D. regentis, teste eodem Marches., p. 1, cap. 5, num. 37; quia verò hæc ad nostrum institutum minimè pertinent, propterea per transitum dicta esse volumus.

Cùm verò supra dixerimus, sede episcopali vacante, dari litteras vicario episcopi vicinioris viventis directas, numquid idem sit, mortuo sive ab officio remoto ipso vicario, postquàm cœpit ipsas litteras exequi, adeò ut adhuc opus sit aliâ desuper novâ commissione pro executione earumdem litterarum, an verò ipsa commissio transeat in successorem in ipso vicariatûs officio, qui possit ipsas litteras expedire?

Et pro negativâ facit communis opinio omnium doctorum, asserentium jurisdictionem delegatam vicario episcopi, eo mortuo, vel ab officio remoto, omninò expirare, et ad successorem nequaquàm transire, quòdque dignitas vicariatûs, sive per illius obitum, sive remotionem, extinguitur, sive mortuo civiliter, sive naturaliter, ut per Barthol. in l. *Quod principi*, in fin., ff. de Leg. 2; Gemin. in cap. *Statutum*, versic. *Et per hoc*, de Rescrip. in 6; Dec. in cap. *Quoniam*; Abbas, num. 62, de Offic. deleg.; Paris., de Resign. benef., lib. 7, quæst. 24, n. 78, ubi testatur ita fuisse resolutum in unâ Neapolitanâ, teste Caputaque, decis. 389, part. 1.

His tamen non obstantibus, contraria sententia verior est, per text. in dict. c. *Quoniam*, Abbas, et ibi Dec. n. 34, et Abb. num. 44; Gare., de Benef., part. 6, cap. 2, num. 29, distinguendo tamen ibi, nisi ipsa delegatio fuerit facta sub nomine dignitatis, adjectâ tamen aliquâ qualitate, ut videlicet ex eâ videatur habitus respectus ad personam, non autem ad dignitatem, prout decisum fuisse ait in unâ Capuan. de anno 1552, coram Rossanen., in quâ fuit resolutum quòd commissio facta episcopo sub nomine dignitatis, cum qualitate tamen, ex quâ videtur respectus habitus ad personam, et non ad dignitatem, ut quia committitur episcopo Tridentino Neapoli commoranti, duret in personâ illius, etiamsi transferatur ad aliam Ecclesiam, et non transit ad successorem in Ecclesiâ Tridentinâ, per diversa jura ibi per eum allegata.

Quare, si delegatio in proposito fuerit simpliciter facta vicario generali episcopi N., sine aliquâ adjectâ qualitate, profectò, cùm Papa habuisset rationem tribunalis, ad ejusdem vicarii successorem ipsam delegationem transire, nemo est, qui ambigat; id Abb. in dict. cap. *Quoniam*, Abbas. numero 11, et fuit resolutum in unâ Senen. canonicatûs et præbendæ, coram Romano, 25 octobris 1546, teste Put. decis. 487, lib. 2; id Paris., lib. 1, quæst. 11, num. 16, ubi ita distinguit, quòd aut delegatio est facta sub nomine dignitatis, aut expresso nomine proprio. Primo casu transit ad successorem; secundo verò casu, extinguitur morte; idem Dec in dict. cap. *Quoniam*, Abbas, Genuen. in Praxi cur. archiep. Neapolit., cap. 69, numero 2, ubi licèt dicat hujusmodi delegationem non transire in vicarium successorem, ex quo vicarius propriè non dicitur habere successorem, et vicariatus non est dignitas permanens, id tamen limitat non pro-

cedere, quando stylus alicujus curiæ esset in contrarium, ut per Achill. de Grass. decis. 3. de Offic. vicar. et quod satis mihi placet, est, dùm dicit non procedere supradictam communem opinionem, quando delegans habuit respectum ad tribunal episcopi; quòdque in hâc eâdem curiâ archiepiscopali, observantia est contra communem opinionem, quòd vicarius successor cognoscit de causâ delegatâ vicario prædecessori; et in dubio, quando in delegatione non exprimitur nomen proprium, censetur delegantem contemplari tribunal; sed cùm jam per totum ferè orbem id servetur et practicetur, jam non videtur id posse aliàs in dubium revocari, maximè quando ex conjecturis patet delegantem habuisse rationem tribunalis, nullâ in ipso rescripto aliâ qualitate adjectâ, per quam videatur Papam habuisse respectum ad personam delegati, ut etiam concludit Sbrozz., de Offic. vicar., libro 2, quæst. 57, et satis per ipsam praxim patet, cùm nunquàm visum fuerit hujusmodi dispensationes, sive quæcumque alia rescripta, dirigi vicario illius nominatâ personâ, sed tantùm simpliciter sub nomine vicarii in spiritualibus generalis, prout ipsa cancellaria servat; ne sub nomine vicarii alius præterquàm generalis intelligatur, puta foraneus, sive alii episcopi officiales, qui non possunt esse sedis Apostolicæ delegati, neque summi Pontificis rescripta exequi, text. in c. *Quoniam*, de Rescript. in 6.

Redeundo nunc ad ipsum vicarium, vivente episcopo, dubitari potest num, stantibus verbis commissionis, in clausulis supplicationis adjectis, videlicet: *Et committatur ordinario, sive ejus vicario*, etc., poterunt litteræ utrique dirigi; et videtur posse, quia illa dictio, *sive*, ponitur ampliativè, ut in c. *Cùm nullus*, de Tempor. ordin. in 6; Card. Tusc. in suis Pract. Conclus., t. 2, litterâ D, conclus. 272, num. 16.

Sed contrarium est verius, et in praxi receptum, quia cancellaria nunquàm consuevit committere, nec committit has litteras episcopo et ejus vicario insimul; ac propterea, cùm jam hic sit stylus inveteratus, ipse est attendendus circa litterarum expeditionem, c. *Porrectâ*, ibi: *Cùm igitur à cancellariâ nostrâ hujusmodi litteras emanâsse non credamus*, de Confirmat. util. vel inutil.; Abb. et Felin., in cap. *Ex parte*, lib. 2 de Offic. deleg.; Mandos. regul. 27, quæst. 12, numero 2. Quinimò hujusmodi dispensationes nunquàm committuntur alternativè, scilicet episcopo, seu ejus vicario, sed uni tantùm eorum, sicut docet notorius stylus. Hoc proinde non omittam, quòd stante commissione in calce clausularum supplicationis adjectâ, scilicet: Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, contingit quandoque partibus sic petentibus, litteræ hujusmodi dispensationis non vicario, sed ipsi episcopo committi, prout vidimus pluries practicari; quod etiam evenire potest, ubi episcopus non constitueret sibi vicarium generalem, sed ipse solus exerceat utramque jurisdictionem, voluntariam, videlicet, et contentiosam, quandoquidem id nullo modo juri communi dignoscitur repugnare, cùm certum sit episcopum non teneri ex necessitate sibi assumere vicarium generalem, ad not. per Joan. Andr. in cap. *Cùm ab omni*, de Vit. et Honest. cler; Anchar., consil. 218; Put., decis. 45, num. 1, lib. 2; Rot., decis. 222, part. 2, divers.

Nam licèt Bald. in c. *Quoniam*, de Off. ord., dicat quòd in quâlibet civitate debeat adesse unus episcopus, et unus vicarius, hoc nihilominùs sic distinguendum videtur, nempe quòd aut episcopus est absens, et in hoc casu non est dubium, quòd cogitur habere vicarium, aut verò est præsens, et etiam subdistinguitur; nam aut ipse est jurisperitus, et potest per se diffinire ea quæ pertinent ad jurisdictionem prædictam, et episcopatus est tenuis, prout communiter sunt in Italiâ, et in hoc casu non est compellendus ad habendum vicarium; aut verò non est jurisperitus, vel negotia sui episcopatûs sunt multa, quia ille est pinguis, prout sunt communiter in Hispaniâ et in Siciliâ, et in hoc casu debet episcopus compelli ad assumendum sibi vicarium, prout distinguit Hojed., de Incompat. benefic., p. 2, n. 9.

Et hoc modo est intelligendus Quarant. in sum. bull., tit. *Archiep. auctoritas*, vers. *Præterea*, sub num. 21, fol. 77, ubi ait, quòd archiepiscopus potest assignare terminum episcopo ad constituendum sibi vicarium vel officialem; quo elapso archiepiscopus supplebit; quòdque si episcopus sit in diœcesi, et possit omnia episcopalia munera obire, non tenetur habere vicarium, ex juribus ibi allegatis.

Ubi enim episcopus non habeat peritiam utriusque juris, certum est etiam in conscientiâ debere assumere sibi vicarium, qui ita demùm in theoriâ et praxi sit versatus, ut suppleat ea quæ episcopo desunt; aliàs autem *si cæcus cæcum ducit* juxta dictum evangelicum, *ambo in foveam cadent*, et certum est illitteratum cæco comparari, cap. *Post translationem*, de Renunt., et in dies experientiâ comprobatur ignorantiam potissimùm circa hæc esse matrem cunctorum errorum, c. *Ignorantia*, 38 dist., c. *Nisi cùm pridem*, § *Pro defectu quoque scientiæ*, de Nuntiat., Gonz. ad reg. 8; gloss. 9, num. 37 et 38.

Et in proposito assumendi prædictum vicarium idem quoque dicendum est de capitulo, sede episcopali vacante, quòd non tenetur deputare vicarium, sed per se potest exercere jurisdictionem, quamvis utile sit illum constituere propter contradictionem et absentiam multorum; Felin. in c. *Cùm olim*, n. 9, de Major. et Obed., ex Abb. in cap. *Irrefragabili*, de Offic. ordin.

Unde hinc deducitur quòd commissio hujusmodi litterarum, facta vicario tantùm, non poterit expediri per episcopum, etiam ipso vicario ab officio remoto, nec è contra vicarius poterit expedire causam commissam ipsi episcopo cujus est vicarius generalis, nisi episcopus ei dictam causam subdelegâsset, et è contra (quod tamen semper intelligitur, postquàm causa fuerit delegata, non autem priùs, ex eo quòd causæ à Papâ delegandæ, et futuræ commissiones, non possunt committi, quia jurisdictio nondùm competens, nec habitu, nec actu committi non potest; Garc., dict.

cap. 2, num. 22 et 23, Navarr. consil. 5, de Offic. deleg.); satis enim tritum est in jure, quòd delegatio, seu commissio facta vicario, non censetur facta episcopo, qui de jurisdictione delegatâ vicario, non potest se intromittere, Pavin. de Offic. et Potest. vic.; Marc. Ant. Genuen., in suâ Praxi archiep., cap. 83, num. 11; Zerol. in Praxi episcop., part. 1 verbo *Vicarius*, dub. 5. Hinc, cùm aliàs fuissent cuidam vicario episcopi directæ litteræ cujusdam dispensationis in formâ pauperum, in quibus præcipiebatur oratorem debere operam suam conferre fabricæ, vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel loci pii, tribus saltem mensibus, cùm esset vicarius absens, episcopus pietate ductus, ne in longum protraheretur executio dictarum litterarum ob absentiam ejusdem vicarii, jussit ipsi oratori ut operam suam hujusmodi conferret fabricæ cujusdam Ecclesiæ, quam per totum integrum tempus contulit; eâque sic collatâ, adiit vicarium, jam ad diœcesim reversum, instante pro executione dictarum litterarum; et sic pro decreto dispensationis: quod quidem ipse vicarius facere recusavit, ex eo quòd pœnitentia collationis operæ dictæ fabricæ, fuit sibi à dicto episcopo nulliter imposita; ac propterea debebat orator denuò agere eamdem pœnitentiam. Re denique ad Urbem delatâ, fuit rescriptum nullam esse habendam rationem pœnitentiæ hujusmodi à dicto episcopo impositæ, et sic denuò orator per tres alios menses operam suam contulit; ex quo dictus episcopus carebat istâ auctoritate, cùm jurisdictio delegata sit extraordinaria, odiosa et restringenda; Gloss. in c. 1, verbo *Processus*, de Rescript. in 6; Anchar. consil. 215, num. 8, et propterea ad alias personas non expressas prorogari non potest, C. B. et G. in fin., et Abb. in princip. numeri 13, de Offic. deleg.; Bart. in l. 1, num. 6, et ibi Bald. num. item 6, ff. de Judic. delegat. Et speciale est in episcopo, qui, ut supra dictum est, non potest se intromittere in causâ delegatâ à Papâ suo vicario; Card. Imol. et Bonif. in Clem. 2, de Rescript., relati per dict. Genuens. in dict. Praxi, cap. 69, titul. de Caus. deleg.

Sed cùm hæc sint satis in praxi frequentia, addendum etiam est supra dicta omnia locum sibi vendicare, etiamsi contingat ipsum vicarium creari in episcopum ejusdem diœcesis, vel quocumque alio modo, desinat esse vicarius, quia adhuc cessat commissio, respectu suæ personæ, et sic transit in suum successorem in vicariatu; Sanch., l. 8, disput. 27, n. 31.

Quid autem dicemus de vicario episcopi confirmati, nondùm tamen consecrati? an ipsi poterunt hujusmodi litteræ dispensationis dirigi? Et sicut nos docet observantia et praxis, procul dubio ei possunt dirigi, quia clarum est episcopum ante illius consecrationem habere plenam jurisdictionem episcopalem, et vicarius dicitur verè vicarius episcopi habentis plenam jurisdictionem episcopalem; id. Sanch., n. 55.

Verùm, quia episcopus plures habere potest vicarios generales in suâ civitate et diœcesi, cap. *Quoniam*, de Offic. ordin, cap. *Ad hæc*, de Offic. Archid., cap. 1, de Celebrat. miss.; Ancharan. in Clem. 2, de Rescript., et potest taliter eos constituere, quòd alter non dependeat ab altero, et quòd sint æquales et in solidum, vel quòd sit unus principaliter, etiamsi constituatur alter in uno, alter in alio loco; quia non attenditur generalitas loci, sed commissionis causarum, et sic facerent unum consistorium cum episcopo; Zerol. in Prax. episcop., part. 1, verbo *Vicarius*, quid dicendum, si delegatio fiat simpliciter vicario, cuinam ex ipsis censetur facta commissio? Et dicendum est quòd censetur facta principaliori; idem Sanch. num. 36, qui allegat Clem. 2 de Rescript., ubi dicitur principalem episcopi officialem esse capacem hujus delegationis, quod itidem servatur quando sunt plures archidiaconi, et commissio fit eorum uni tantùm; nam semper intelligitur de principaliori, ut per Bald., in cap. *Quoniam*, Abbas, num. 4, de Offic. deleg.

Hìc insuper te admonere oportet, quòd sæpè vidimus in praxi observatum, nimirùm, quòd si contingat episcopum ex aliquâ causâ, censuris ecclesiasticis innodari, ac propterea etiam illius vicarii jurisdictionem suspendi, ipse vicarius retinet nihilominùs habitualem jurisdictionem, tanquàm verus vicarius, sicut ipse episcopus; ac propterea poterit causam sibi, apostolicâ auctoritate delegatam, exequi, quia causæ hujusmodi executio non suspenditur per excommunicationem episcopi, cùm sit verus vicarius, et jurisdictio sibi delegata non dimanet à dicto episcopo excommunicato, ut per Sbroz. de Offic. vicar., lib. 3, q. 17, num. 10.

Si verò ex paulò ante dictis duo vicarii erunt æquè principales, et nullus designetur in rescripto, tunc ille debet exequi rescriptum, quem pars elegerit; Gloss. in d. cap. *Quoniam*, Abbas, verbo *Substitutum*, de Offic. deleg., quatenùs rescriptum sit gratiosum, Sanch., d. lib. 8, disputat. 27, num. 37, et si partes discordent in illius electione, tunc ille erit judex, cui fuerunt primò litteræ præsentatæ; quòd maximè procedit in commissionibus et dispensationibus quæ non sunt contentiosæ, nec inter partes agitantur, Gloss. in d. cap. *Quoniam*, Abbas, id. Sanchez, d. disput. 27, num. 37, in fin.

Quid autem nunc dicendum est, si vicarius executor (prout sæpè contigisse scimus) invenerit litteras dispensationis esse subreptitias vel obreptitias juxta facultatem sibi traditam à concilio Tridentino, sess. 22, c. 5, ibi: *Ea verò, quæ gratiosè concèduntur, suum non sortiantur effectum, nisi priùs ab eisdem tanquàm delegatis apostolicis summariè tantùm, et extrajudicialiter cognoscantur, expressas preces, subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere;* cùm illas tales esse pronuntiaverit, numquid poterit postmodùm cum oratoribus dispensare, vigore earumdem litterarum? an verò poterit suam sententiam retractare?

Antequàm huic quæstioni satisfaciam, quia frequens in Romanâ Curiâ, et alibi est sermo de rescriptis subreptitiè et obreptitiè impetratis: sæpissimèque, con-

tingit concessiones summi Pontificis, sive cujuscumque alterius principis, nihil et nunquàm operari in casibus vitiosis, dolosis, obreptitiis, seu subreptitiis, ut docet textum in l. *Non solùm*, § *Si hæres*, ff. de Lib. leg.; unde in casibus in quibus requiritur mentio alicujus rescripti, si illud est nullum, veluti subreptitium vel obreptitium, non erit de eo facienda mentio, Felin. in c. 1, n. 13, de Rescrip., quod locum sibi potissimùm vindicare videmus in beneficialibus, in quibus subreptio et obreptio etiam non dolosa vitiat gratiam, et reddit litteras invalidas, c. *Super litteris*, ubi Abb. et alii de Rescript., quia in beneficialibus mens Papæ est præcisa; Imol. in c. *Super litteris*, eod. tit.; nam qualitas quæ de jure exprimenda est, si non exprimatur, vitiat gratiam, etiamsi aliàs Papa litteras concessisset, capite *Si motu proprio*, de Præb. in 6; Card. cons. 33, ubi ait subreptionem vitiare in beneficialibus, etiamsi insurgat ex simplicitate; quinimò, dixit Innoc. in c. *Accedens*, de Crim. fals., quòd in gratiosis falsitas semper præsumitur expressa cum dolo, quia impetrans ante impetrationem habebat se informare de veritate, Mandos., Reg. 32, quæst. 25, num. 7, non omninò propterea pigeat eos qui horum terminorum perfectâ cognitione carent, scire quodnam versetur discrimen inter subreptionem, quandoquidem, secundùm aliorum doctorum opinionem, hæc duo tanquàm synonyma habentur, et nihil inter se differunt; quod signanter tenuerunt Dec. in c. *Super litteris*, 1, not. 4, de Rescript., et Menoch. de Arbitr. jud., l. 2, cent. 1, casu 201, n. 10.

Sed reverà huic opinioni præter doctores contrarium sentientes, adversatur etiam sententia omnium antiquorum ac peritorum curialium; qui unum ab altero ita distinguunt, nempe tunc subreptitium censeri rescriptum, quando scilicet Papa jam intellexit quod ab eo petitur; verùm in ipsâ petitione fuit tacita veritas, quæ omninò narranda est; vel fuit in eâ falsum aliquod narratum. Rescriptum verò obreptitium illud propriè est, quando videlicet per verborum involutionem aut cautam loquelam, veluti ironicam aut callidam, effugitur plena concedentis intelligentia, ut per Innoc. in c. *Cùm dilectus*, num. 3, de Rescript., quod profectò satis deprehenditur ex diversis rescriptis, seu litteris apostolicis, in quibus dici consuevit, quòd litteræ non possint de subreptionis vel obreptionis vitio notari, et alibi, non minùs subreptitiè quàm obreptitiè, etc.; et sic tanquàm duo apponuntur: aliàs enim diceremus, quòd litteræ apostolicæ aliquod superfluum continerent, quod est omninò negandum; Cassad., decis. 5, in fin., de Præb., quia in illis quodlibet verbum debet operari; arg. l. *Si quando*, ff. de Leg. 1, cap. *Si Papa*, de Privileg. in 6, in quo habetur supra dicta verba subreptionis vel obreptionis, etc., esse omninò separata; Card. Zabarel. consil. 30, quod satis agnoscitur per eamdem dictionem, *vel*, quæ de suî naturâ cadit inter diversa, ut per Gonz. ad reg. 8 cancell., gloss. 48, num. 17, et gloss. 52, num. 3.

Ad quæstionem igitur redeundo, eam, inter alios movet Paul. Squil., de Privileg. cler., c. 2, privil. 2, dub. 11, n. 205 cum seqq., cui respondet quod tali casu non poterit executor dictas litteras exequi, sed recurrendum erit ad summum Pontificem delegantem, quia cùm ipse vicarius, tanquàm judex delegatus, functus sit officio suo, extincta est ejus jurisdictio, eò quòd pronuntiando ipsas litteras esse subreptitias, jam protulit suam definitivam sententiam; ex quo decidit totam causam sibi commissam; idem, n. 206, et sic in illâ non poterit se ampliùs intromittere, l. *Judex posteaquàm*, ff. de Re jud.; Rip. in l. *Quod jussit*, eod. tit., l. *Post sententiam*, c. de Fruct. et Litt. expens.; Alex. in l. *Jùbemus*, ff. de Jurisd. omn. jud.; Felin. in cap. *Qualiter et quando*, lib. 2, de Accurat.; Ludovis., decis. 486, n. 8, sicut etiam dicendum est quòd judex delegatus, si semel judicavit, licèt nulliter et invalidè, functus est officio suo; nec sibi convenit suam sententiam revocare, l. *Paulus*, ff. de Re jud., l. *Duo fratres*, ff. de Pen., quod quidem ordinario tantùm permittitur qui jure proprio judicat; idem Paul. Squill., n. 207, qui, n. 208, subdit quòd si idem judex pronuntiaverit legitimam esse dispensationem, et postea inveniet se deceptum, vel errâsse, sive inito matrimonio, sive non virtute dictæ dispensationis, non poterit, uti delegatus, causam hujusmodi reassumere, ex eo quòd jam, ut dictum est, fuerit functus officio delegati; sed quòd tanquàm ordinarius poterit cognoscere de ipso matrimonio contracto, vel contrahendo, an illud validum sit, velne, ex Sanchez, lib. 8, disp. 27, n. 39, licèt secùs dicendum sit ubi dispensatio vel quodvis aliud rescriptum remanaverit à sacrâ pœnitentiariâ pro foro tantùm conscientiæ, prout infra dicemus.

Sed antequàm ulteriùs progrediar, non incongruum visum fuit subnectere an dataria et cancellaria apostolicæ consueverint committere aliis personis executionem hujusmodi litterarum, puta habentibus jurisdictionem, quasi episcopalem, vel eorum vicariis.

Et existimat Sanch., lib. 8, disputat. 27, n. 34, quem sequitur Garc. de Benefic., part. 9, cap. 2, num. 147, in fin., posse, non modò hujusmodi jurisdictionem habentibus, verùm etiam eorum vicariis committi, cùm ipsi sint capaces hujusmodi delegationum, tanquàm vicarii habentium jurisdictionem episcopalem; quia hoc modo isti vicarii sunt ordinarii, sicut vicarii episcopi; cùm eamdem jurisdictionem habeant à canone quàm vicarii episcopi; Cucc., lib. 2 Instit. moral., tit. 8, n. 156, et quòd praxis ita se habet.

Hoc tamen omninò negatur; praxis enim talis est ut hujusmodi dispensationes, sicut quæcumque alia rescripta, non committantur dictis vicariis, habentium talem jurisdictionem; quia cùm isti vicarii inferiorum, non sint in dignitate ecclesiasticâ constituti, sunt hujusmodi commissionum incapaces: id enim docet etiam Gloss. in Clem. *Et si principalis*, in verbo *Episcopali*, de Rescript., ubi loquitur tantummodò de officiali episcopi; sicut etiam sentit sacra congregatio cardinalium, ut ex declarationibus infra positis, in quibus dicitur, tantummodò committenda esse prælatis, et de hac praxi testatur, etiam Hieronymus Pau-

lus in suo Provinciale, tit. de Jud., vers. *Item quando*, dicens, quòd nunquàm scribitur, nisi officiali majorum prælatorum, ac propterea illis dirigi consueverunt qui habent hanc jurisdictionem; nam constat ex notorio et vulgato stylo, quòd omnes litteræ, sive gratiæ, sive justitiæ, committuntur passim dictis prælatis, habentibus tantùm supra dictam jurisdictionem, pro personis et locis suæ jurisdictioni subjectis; dummodò sint exempti, et habeant Ecclesias pleno sibi jure subjectas, et per hoc, jus episcopale, et jurisdictionem quasi episcopalem, Innoc. in cap. 2, vers. *de Abbatibus*, de Transact., et probatur in cap. *Abbates*, de Privil., in 6, Gloss., in Clem. 2, vers. *Proprii*, de reb. Eccles. non alien.; text. in cap. *Singulis*, de Statu monach., cap. *Significàsti*, de For. compet., et dicit text. in cap. *Ne pro defectu*, § *Statuimus*, junctâ glossâ in verbo *Regularis*; quod propter præmissa, abbatia et episcopatus æquiparantur, cap. *Decernimus*, de Jud., ubi Abbates nominantur inter episcopos seu archiepiscopos, cap. 2, de Præb., in 6; nam sicut episcopatus est culmen dignitatum secularium, ita abbatia est caput omnium regularium beneficiorum; et sic hanc æquiparationem intelligit de abbatibus, habentibus jurisdictionem episcopalem; quia isti dicuntur magni abbates seu abbates generales, de quibus loquitur text. in cap. *Adrianus*, 63 dist., ac propterea, lùm summo Pontifici narratur, oratores esse alicujus loci jurisdictionis alicujus ex dictis abbatibus, seu cujusvis, similem jurisdictionem habentibus, non admittitur supplicatio, nisi in eâ dicatur: *Exponitur S. V. pro parte N. et N. ex loco N. jurisdictionis Abbates, seu præpositi N.*, et in corpore supplicationis: *Supplicant igitur humiliter Sanctitati vestræ oratores præfati quatenùs Abbati monasterii N. ordinis sancti N. Nullius diœcesis, provinciæ N. particulare, et separatum territorium habenti, ac jurisdictionem, quasi episcopalem in dicto loco exercenti; etiamsi de illis personis non sit, quibus similes causæ per Sedem Apostolicam committi consueverunt, committere et mandare; ut cum eisdem oratoribus*, etc., *dispenset*; postmodùm verò hæc eadem verba apponuntur in litteris dispensationis. Et hic stylus inconcussè servatur præsertim ex pluribus declarationibus sacræ congregationis concilii Tridentini; quæ in simili declaravit de anno 1593 in unâ prioratûs de Ucles., ord. sancti Jacobi, his verbis: *Congregatio concilii censuit, dispensationes matrimoniales et alias quascumque quæ subditis inferiorum episcopis à Sede Apostolicâ conceduntur, si eas extra Romanam Curiam committi contigerit, et illi inferiores nullius diœcesis existant, et jurisdictionem quasi episcopalem habeant, eisdem inferioribus vicinioribus episcopis esse committendas.* Hier. card. Matthæus; quamvis postea eadem sacra congregatio dederit sequentem declarationem ad instantiam cardinalis Toleti, nempe *congregatio concilii censuit priùs coram Domino datario esse docendum, priorem habere qualitates requisitas ut ipsi dispensationes matrimoniales committi possint, vel esse in quasi possessione, ut prædictæ dispensationes eidem committantur.* Hier. card. Matthæus.

Si. ut etiam, in unâ prioratûs de Magazela, ipsa congregatio sic censuit, *si prioratus, ut proponitur, nullius sit diœcesis, et quasi jurisdictionem episcopalem habeat, litteras dispensationum matrimonialium, et alias ejusdem generis priori committendas*, 5 maii 1593. Adest etiam decisio Rotæ, in unâ *Nullius, della Serenæ* 19 novembris 1593, coram cardinale Seraphino, quæ per extensum hìc ponitur, videlicet:

Fuit instatum apud sanctissimum dominum nostrum, pro parte R. D. Alphonsi Flori, prioris de Magazela provinciæ della Serena, ut occurrente casu, sibi dirigerentur litteræ dispensationum matrimonialium, et aliæ similes, tanquàm ordinario dictæ provinciæ; et causâ discussâ in sacrâ congregatione concilii, fuit resolutum, si prioratus est nullius diœcesis, et prior habet quasi episcopalem jurisdictionem, litteras hujusmodi esse committendas dicto priori; ideò sacra congregatio de ordine sanctissimi D. N. mandavit, ut in Rotâ videretur, si hujusmodi qualitates verificantur. Ideò causâ propositâ et visis probationibus, domini dixerunt, probari Priorem de Magazela habere propriam Ecclesiam, et uti ornamentis episcopalibus, baculo et mitrâ, necnon jus benedicendi et concedendi Indulgentias, et hoc probari ex bullâ felicis recordat. Clementis VIII; quòd verò habeat territorium distinctum, et separatum à territorio aliorum ordinariorum viciniorum mediantibus certis limitibus; et quòd conferat beneficia, visitet Ecclesias, et corrigat delinquentes optimè probant testes exhibiti, quibus tamen, quia fuerunt examinati sine alicujus partis contradictione, vel episcoporum vicinorum citatione, et ad hunc effectum, cùm agatur de levi præjudicio, an velint domini officiales sanctissimi fidem adhibere, Rota eorum arbitrio censuit relinquendum.

Adest insuper alia declaratio ejusdem S. congregationis, quæ voluit ut præposito Piscien., cui mandata est jurisdictio, visitatio, correctio et superioritas, etiam quoad institutionem, præsentationem et nominationem, prout illam habebat episcopus Lucan. sint committendæ litteræ in formâ, *Dignum*, et dispensationes matrimoniales; quas quidem decisiones teneo authenticas penes me, et postmodùm easdem reperiri relatas per Garc., de Benefic. parte 9, capite 2, numero 24 et seq.

Insuper eadem sacra congregatio declaravit, tunc dispensationes hujusmodi posse committi inferioribus ordinariis, quando sunt nullius diœcesis, et habent quasi episcopalem jurisdictionem. Coccin., decis. 346, num. 7.

Abbates verò, priores et præpositi; quibus hodiè frequentissimè hujusmodi dispensationes et alia rescripta apostolica, à datariâ et cancellariâ diriguntur, prout longo temporis cursu et exercitatione observavimus; omissis aliis de quibus in dubium revocatur, an sint eis hujusmodi commissiones dirigendæ, sunt ii qui sequuntur; eisque tales commissiones fiunt eo etiam quo sequitur modo, licèt latiùs in ipsâ supplicatione, et in litteris extendantur. His igitur fiunt

commissiones, videlicet :

Abbati monasterii SS. Vincentii et Anastasii, ad Aquas Salvias nuncupatas Cistercien. ordinis, propè et extra mœnia urbis. Abbati monasterii S. Sylvestri terræ Nonantulæ, ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis, provinciæ Ravennaten. Hoc tamen quoad expressionem provinciæ, servatur in aliis locis nullius diœcesis Urbi proximis, ut cùm non possit dici, provinciæ Romanæ, dicitur ex loco N. Urbi proximo, sicut etiam ex loco N. civitati Narnien. proximo, et sic de singulis, etc. Abbati monasterii S. Salvatoris Majoris nuncupati, ordinis S. Benedicti in districtu Urbis. Abbati monasterii Montis Cassinen. ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis, provinciæ Capuan. Abbati monasterii Montis Virginis, ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis, provinciæ Benevetan. Abbati monasterii Sanctissimæ Trinitatis Caven. ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis, provinciæ Capuan. Abbati monasterii S. Christophori, terræ Castri Durantis, ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis provinciæ Urbinaten. Abbati monasterii S. Mariæ oppidi Pinaroli, ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis provinciæ Taurinen. Abbati secularis et collegiatæ Ecclesiæ S. Petri oppidi de Lerma, nullius diœcesis, provinciæ Burgen. Abbati monasterii S. Mariæ Farsen, ordinis S. Benedicti, nullius diœcesis in districtu Urbis. Præposito Ecclesiæ B. Mariæ terræ Attini, nullius diœcesis, provinciæ Theatin. Præposito Ecclesiæ S. Mariæ terræ Pisciæ, nullius diœcesis, provinciæ Florentin. Priori monasterii S. Laurentii propè Padulam, Carthusien. ordinis, abbati S. Mariæ de Cadossa, nullius diœcesis, provinciæ Salernitan. Priori prioratûs S. Jacobi de Spatha, nullius diœcesis, provinciæ Compostellan. Priori prioratûs de Magazela, militiæ de Alcantara, nullius diœcesis, provinciæ Compostellan. Priori prioratûs de Ucles, nullius diœcesis, provinciæ Toletan. Abbati secularis et collegiatæ Ecclesiæ S. Martini, oppidi ejusdem S. Martini, nullius diœcesis in districtu Urbis, necnon committuntur illius vicario, ex indulto Innocentii X. Vicario monasterii abbatiæ nuncupatæ sancti Martini capitûli et canonicorum basilicæ principis Apostolorum de Urbe, nullius diœcesis dictæ Provinciæ Theatin. ex indulto Urbani VIII. Abbati monasterii per priorem gubernari soliti sanctorum Stephani, et Brunonis de Nemore, nuncupati Carthusien. ordinis, nullius diœcesis, provinciæ Rheginen. quoad Casalia Serræ, Spatulæ, Biunci, Montauri, et Gasparinæ tantùm ex indulto ejusdem Urbani VIII. Necnon Officiali archiepiscopi Tarraconen. in insulâ Evice, Tarraconen. diœcēs. canonicè deputato cum narrativâ, *attento quòd dicta insula à civitate Tarraconen. per* 200 *milliaria et ultra distat, officiali archiepiscopi Tarraconen. in prædictâ insulâ ritè deputato, etiamsi de illis personis non sit, quibus similes causæ per dictam sedem committi consueverunt committere, et mandare dignemini*, etc.

Prædictorum verò prælatorum vicariis, nunquàm tales fiunt commissiones, sicut supra dictum est, præterquàm vicario dictæ Ecclesiæ collegiatæ sancti Martini, ac vicario generali prædicti abbatis Montis Cassinen. ex indulto felic. record. Sixti V, prout jam in praxi videmus; et licèt ego indultum hujusmodi nondùm viderim, attamen optimâ ratione, inter cætera puto motum ipsum Sixtum, ad illud concedendum; ex eo quòd antequàm S. Benedictus accessisset ad Ecclesiam Cassinen. Illa habebat suum episcopum ac præsertim habuit Severum, qui interfuit concilio Lateranensi, anno 487, in quo quidem concilio ipse Severus subscripsit tanquàm episcopus Cassinen., et sic postquàm illùc accessit S. Benedictus, scilicet de anno 529, nemo alius præter monachos Cassinenses, episcopus fuit ibi deputatus et successivè abbates Cassinenses, post S. Benedictum, licèt non essent episcopalia, et omnimodam jurisdictionem semper exercuerunt, diœcesimque habebant, per Rot. in unâ Soran. beneficii 8 martii 1627, coram Merlino, et refert celeberrimus Barbos., de Jur. eccles., lib. 1, cap. 1, num. 36, cum duobus sequent., et teste P. D. Marco Antonio Scipione in Elogio abbatum sacri monasterii Cassinen.; magna itaque est ejusdem monasterii auctoritas, magnaque inter Italiæ cœnobia præstantia; cùm præter S. Germani civitatem, triginta duo oppida hodiè possideat, ejusque abbas omnimodam habet episcopalem jurisdictionem : quam liberè in suâ diœcesi exercet, nec habet finitimum episcopum, cui ea demandentur, quæ ex sacri concilii Tridentini decretis, viciniori episcopo sint committenda; proindeque supra dictus Sixtus V, statuit, ea omnia quæ ad juris æquitatem seu indulgentiam ac arbitrium judicis referuntur, ad prædictum abbatem Cassinatem in suâ diœcesi spectare, ita in hodiernum diem causæ quæ ad matrimonia et sacerdotia spectant ab eodem abbate cognoscuntur, quas alioqui ad solos episc. pertinere indubitatum est; cùm ipse abbas propriam synodum celebret, propriumque habeat seminarium, examinatores synodales in suâ diœcesi eligat idoneos excipiendis confessionibus approbat, sacris initiandos examini subjicit tonsuram et minores ordines, suis subditis, tum secularibus administrat litteras dimissorias ad majores in alienâ diœcesi suscipiendos; ecclesiasticorum concursus ad sacerdotia indicit; confirmationis sacramentum, et alia plura quæ inferioribus prælatis per concilium Tridentinum non licet, administrat et exercet; id. in dicto Elogio, ubi tabellam, sive plantam subjicit, quæ ejusdem monasterii, quod tunc exstat, et oppidorum quæ possidet, descriptionem et formam repræsentat, ac proinde cùm prædictus abbas Cassinen. habeat jurisdictionem et Ecclesiam episcopalem, cum diœcesi separatâ, reperitur descripta inter Ecclesias episcopales in libris cancellariæ et cameræ Apostolicæ; ac propterea est verè censenda cathedr. et episcopalis; cum aliis luculenter congestis per Addit. ad Burat., dec. 667, à num. 8, usque ad fin.

Quoniam verò quoad commissiones faciendas abbati monasterii B. Mariæ Farfen. ac S. Salvatoris Majoris, necnon priori Carthusiæ sanctorum Stephani et Brunonis de Nemore, exempla brevium desuper, expedito-

rum, ad meas pervenerunt manus, non prorsùs ab hâc praxi alienum agnovimus illa hìc subnectere, quorum primum est tenoris sequentis, videlicet :

URBANUS Papa VIII, *ad futuram rei memoriam. Pastoralis muneris divinâ dispositione nobis injuncti, ratio postulat ut quis universalis Ecclesiæ regimini, licèt immeriti præsidemus, ad ea considerationis nostræ intuitum dirigamus per quæ particularium Ecclesiarum, earumque prælatorum dignitas et auctoritas conservari et augeri possit. Cùm itaque, sicut accepimus, monasteriorum, abbatiarum nuncupatarum B. Mariæ Farfen. et Sancti Salvatoris Majoris nuncupati invicem, seu aliàs perpetuò unitarum, ordinis sancti Benedicti, in districtu almæ Urbis nostræ existentium, abbas seu commendatarius pro tempore existens, proprium, et ab omni alterius cujuscumque prælati vel antistitis, ordinariâ jurisdictione separatum territorium, multa oppida et loca insigni vassallorum et aliorum habitatorum ac incolarum numero referta, continens habeat. Nos singularibus atque eximiis dilecti filii nostri Francisci S. Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundùm carnem, ex fratre germano nepotis, qui monasteria prædicta in commendam ad sui vitam, ex concessione et dispensatione apostolicâ obtinet, meritis adjuti, vassallorum et incolarum habitatorumque præfatorum commoditatibus consulere, et dictorum monasteriorum abbatem, seu commendatarium, aliquâ honoris prærogativâ, quantùm cum Domino possumus, exornare volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eidem Francisco cardinali ejusque successoribus dictorum monasteriorum abbatibus, seu commendatariis in perpetuum, ut quæcumque litteræ apostolicæ, etiam in formâ brevis, tam gratiam quàm justitiam concernentes, ac præsertim super dispensationibus matrimonialibus, et in formâ significavit, quæ à nobis, et Apostolicâ Sede, pro personis sub jurisdictione dicti Francisci cardinalis, ac abbatum seu commendatariorum prædictorum, ratione monasteriorum hujusmodi, existentibus pro tempore, posthàc concedentur, et ad partes transmittentur, eidem Francisco cardinali moderno, et pro tempore existenti dictorum monasteriorum abbati seu commendatario, vel ejus officiali, tanquàm loci ordinario, non autem archiepiscopis vel episcopis vicinioribus dirigantur et committantur, qui officialis, litteras apostolicas præfatas dicto Francisco cardinali moderno, et pro tempore existenti dictorum monasteriorum abbati seu commendatario, vel ejus officiali, tanquàm loci ordinario, non autem archiepiscopis, vel episcopis vicinioribus dirigantur et committantur, qui officialis litteras apostolicas prædictas dicto Francisco cardinali moderno, et pro tempore existenti, monasteriorum prædictorum abbati seu commendatario directas, etiamsi de ipsis officialibus in eis mentio non fiat, aperire et exequi possit, tenore præsentium concedimus et indulgemus. Mandantes propterea dilectis filiis, datario itliusque substitutis officialibus et cujuscumque generis supplicationum revisoribus, ac S. R. E. vicecancellario et cancellario regenti, ac abbreviatoribus de Parco majori nuncupatis, secretariis, etiam apostolicis, aliisque ejusdem datariæ et cancellariæ Apostolicæ, ac Curiæ Romanæ officialibus pro tempore existentibus, ut præmissa perpetuò observare debeant. Decernentes aliter dirigendas, litteras apostolicas hujusmodi, nullas, irritas et inanes, nulliusque roboris vel momenti fore et esse ac censeri; neque executioni demandari posse. Quod d. Franciscus cardin. modernus, et pro tempore dictorum monasteriorum abbas seu commendatarius, ejusque officiales in causis et negotiis quæ hujusmodi litteræ concernent procedere in omnibus et per omnia liberè et licitè valeant et debeant, prout alii quicumque ordinariâ et episcopali dignitate fulgentes, in suis respectivè civit. et diœces. possent et debent; non obstantibus quibuscumque apost. in provincialibus ac synodalibus conciliis edictis, generalibus, vel specialibus constit. et ordinationibus, necnon statutis et consuetudinibus, etiam juramento confirmatione apost. vel quâvis firmitate aliâ roboratis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publicè subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ, munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die* 18 *novemb.* 1627, *pontificatûs nostri anno quarto.*

Sumptum ex originali minutâ brevium S. D. N. Urbani Papæ VIII, collationatum concordat.

M. A. Maraldus.

Attentâ tamen prædictorum monasteriorum unione, in dubium revocari potuisset quonam modo hujusmodi commissiones fieri deberent ; sed tamen ipsa praxis nos docet quòd pro executione rescriptorum apostolicorum pro oratoribus ex locis subjectis monasterii sancti Salvatoris Majoris, licèt utriusque monasterii unus sit abbas seu commendatarius, fiant abbati hujus monasterii, si verò S. Mariæ Farfen. abbati ejusdem B. Mariæ; nam attentâ unione prædictâ, quæ creditur æquè principaliter facta, unumquodque retinet sua jura, et remanet in suo statu et honore, et gaudet suis privilegiis, Gloss. in Clem. *Per litteras*, de Præb.; Mandos, reg. 12, q. 1, num. 4, cum aliis relatis per Garc. de Benefic., part. 12, cap. 2, num. 37.

Pro similibus autem commissionibus priori monasterii sanctorum Stephani et Brunonis de Nemore, faciendis, subjicitur exemplum litterarum, etiam in formâ brevis, tenoris sequentis, videlicet.

URBANUS Papa VIII.—*Ad futuram rei memoriam. Nuper pro parte dilecti filii prioris monasterii sanctorum Stephani et Brunonis de Nemore, ordinis Carthusien., nullius diœcesis, provinciæ Rheginen. Nobis expositum fuit quòd aliàs à venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus sacri concilii Trid. interpretibus emanavit decretum, tenoris sequentis, videlicet: Eminentissimi et reverendissimi domini, prior Carthusiæ sanctorum Stephani et Brunonis de Nemore, devotus orator habet omnimodam jurisdictionem ordinariam in spiritualibus et temporalibus, quasi episcopalem et vro-*

orum territorium separatum Castrorum, casalium seu locorum Serræ, Spatulæ, Biunci, Montauri, et Gaspatinæ nullius diœcesis, provinciæ Rheginens.; cùmque sit inferior prælatus, supplicatur declarari an ipsi inferiori sint committendæ dispensationes matrimoniales, litteræ in formâ Significavit, *aliæque hujusmodi. Et Deus*, etc. *Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum aliàs censuit, si inferior prælatus habeat jurisdictionem quasi episcopalem et proprium territorium, dispensationes matrimoniales, quoad ejus subditos, litterasque in formâ* Significavit, *aliasque hujusmodi ipsi inferiori esse committendas. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, aliàs per bonæ memoriæ Horatium cardinalem Lancellottum nuncupatum, de voto Rotæ aliàs coram Martino Andreâ, et aliis auditoribus dato, decisum et judicatum fuerit, priorem prædictum, jurisdictionem quasi episcopalem et proprium territorium habere; propterea dictus prior decretum præinsertum apostolicâ auctoritate, tenore præsentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ auctoritatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos, tam juris quàm facti defectus, si qui desuper quomodòlibet intervenerint, supplemus. Mandantes propterea dilectis filiis datario, illiusque substitutis officialibus, et cujusvis generis supplicationum revisoribus, ac S. R. E. vicecancellario et et cancellariæ regenti, abbreviatoribus de Parco majori nuncupatis, aliisque datariæ et cancellariæ Apostolicæ ac Curiæ Romanæ officialibus, ut præmissa observent, litterasque hujusmodi d. priori dirigant ac dirigi curent; decernentes præsentes litteras firmas et efficaces existere et fore; ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secùs super his, à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die* 23 *augusti* 1633, *pontificatûs N. anno undecimo.* M. A. Maraldus.

Reliquis verò inferioribus prælatis, quantùmvis exemptis, et habentibus episcopalem jurisdictionem, nisi fuerint nullius diœcesis, ac particulare territorium habeant, nunquàm committuntur hujusmodi dispensationes, seu quævis gratiæ exequendæ. Rationem hujus rei adducit Garc., part. 9, cap. 2, num. 146, dicens quòd dispensationes eorum subditis concedendæ, videntur committendæ episcopis intra quorum diœcesim sint, subdens nihilominùs, numero 147, quòd sufficit si habeant territorium distinctum, licèt non sit nullius diœcesis. Sed cùm id videatur repugnare praxi et stylo Curiæ super his commissionibus, nihil pro nunc firmo. Est etiam dicendum quòd, quamvis ad effectum exequendi dictas litteras, sufficiat hujusmodi jurisdictionem habere, licèt non habeant ipsi insignia episcopalia, non propterea sequitur quòd talia insignia habentes, si careant jurisdictione, nec habeant separatum territorium, possint dictas litteras exequi; plures enim sunt qui ex apostolico indulto possunt uti dictis insignibus, et alias prærogativas habere; nec tamen istæ litteræ eis dirigi consueverunt. Exemplum erit de correctore hospitalis Incurabilium hujus civitatis, cui fel. record. Gregorius XV, ut dictum, hospitale ac alia ab eo dependentia eorumque ecclesiæ speciali aliquâ prærogativâ cohonestentur, ac ad majorem decorem et ornatum ipsius correctoris, qui de nobili genere procreatus esse consuevit, eidem correctori pro tempore existenti, perpetuis futuris temporibus, ut durante ipsius correctoris officio duntaxat, tam in ecclesiâ hospitalis Incurabilium Neapolitan., quàm in quibusvis aliis dicti hospitalis subjectis ecclesiis et capellis, et in processionibus aliisque actibus et cæremoniis publicis, dummodò tamen in sacro presbyteratûs ordine et dignitate ecclesiasticâ constitutus existat, et non aliter, mitrâ et baculo pastoralibus, necnon chyrotecis, annulo, sandaliisque, mantello, seu mozzettâ, pileo, rochetto, habitu, coloribus, cæterisque insigniis pontificalibus uti, illaque induere, deferre et gestare, ac etiam missas et alia divina officia pontificaliter more episcoporum, celebrare; necnon post ipsorum divinorum officiorum solemnia populo ibi interessente, benedictionem solemnem, dummodò aliquis antistes seu Sedis Apostolicæ legatus ibidem præsens non sit, vel si adsit, ejus ad hoc expressus accedat assensus, impartiri, liberè et licitè valeat, apostolicâ auctoritate perpetuò concessit, sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem 1621, sextodecimo kal. julii, anno primo.

Hanc eamdem facultatem exequendi hujusmodi dispensationes et alias litteras apostolicas habent vicarii apostolici, qui mittuntur cum brevi de consilio cardinalium, super negotiis episcoporum inquisitorum; donec illorum causa decidatur, vel suspensio tollatur; nam ipsi vicarii, ex vi dicti brevis, maximas habere solent facultates; nec tamen ipsis committuntur litteræ apostolicæ; sed licèt expediantur directæ episcopo, sive ejus vicario in spiritualibus generali, exequuntur nihilominùs dictæ litteræ ab ipsis vicariis apostolicis, juxta verba apposita in eorum facultatibus; quamvis aliquando cancellaria Apostolica ac præfectura brevium etiam ipsismet hujusmodi rescripta dirigant.

Verùm, quia litteræ pro hujusmodi vicariis plures continere solent facultates non modò circa executionem litterarum, verùm etiam alia in praxi scitu digna, non incongruum visum fuit, sub quâ formâ illæ concedi consueverunt, hìc subnectere, quæ talis est, videlicet

A tergo : *Dilecto filio Josepho N. clerico Firman. seu alterius diœcesis.*

Intùs verò :

Urbanus Papa VIII. — *Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Pro nostri pastoralis officii munere,*

iis potissimùm invigilare debemus, quæ coram dominici gregis, ut in viam mandatorum Domini ad salutem dirigantur, omninò respiciunt. Volentes igitur, certis de causis, animum nostrum moventibus, Ecclesiæ N. de vicario apostolico providere; ac de tuis fide, prudentiâ, integritate ac doctrinâ plurimùm in Domino confisi; sperantesque, quòd ea quæ tibi duxerimus committenda, cumulatè sis expleturus: te in Ecclesiâ, et civitate, ac diœcesi N. hujusmodi vicarium et officialem generalem, ac in nostrum et Sedis Apostolicæ vicarium in spiritualibus et temporalibus, apostolicâ auctoritate, tenore præsentium, ad nostrum et Sedis prædictæ beneplacitum, constituimus, eligimus, facimus et deputamus, cum eisdem facultate, auctoritate et potestate, quoad exercendum ea quæ jurisdictionis etiam voluntariæ existunt, exceptâ tamen facultate beneficia ecclesiastica conferendi, ac litteras commendatitias, et dimissorias et sacros ordines concedendi, quàm episcopus pro tempore existens, habere et exercere solet in universâ diœcesi in foro conscientiæ et contentioso; ac aliàs quomodòcumque, et qualitercumque, necnon ecclesias et loca pia omnia, etiam monialium monasteri, etiam exempta, quoad clausuram ad sacri concilii Tridentini præscriptum, visitandi et reformandi, ac ad visitationem hujusmodi celerrimè et debitâ cum diligentiâ procedendi; synodum celebrandi, judices, consultores, vicarios foraneos, notarios, actuarios, magistros actorum, promotores fiscales, executores, omnesque alios et singulos officiales, tam majores quàm minores curiæ episcopalis, quibuscumque nominibus censeantur, in civitate et diœcesi prædictis, quotiescumque opportunum fore judicaveris; et aliàs juxta solitum removendi ac alios in eorum loca eligendi, deputandi et subrogandi; mulctasque et pœnas pecuniarias, apud aliquem probum et idoneum virum, per te, de clero eligendum, deponendi, piis usibus, arbitrio tuo, applicandas; quascumque litteras episcopo prædicto, sive ejus vicario directas et diligendus æquè ac si tibi specialiter dirigerentur, aperiendi et exequendi; litteras monitoriales in formâ, significavit, pro rebus deperditis, seu furto sublatis, juxta præscriptum dicti concilii Tridentini et bullæ fel. record. Pii Papæ V, prædecessoris nostri, concedendi, in beneficiis de jure patronatûs, ejusque erectione, constitutione, necnon in locationibus emphyteuticis, alienationibus et permutationibus beneficiorum ecclesiasticorum, juxta formam sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum, auctoritatem et consensum præstandi, causas criminales, civiles, etiam per appellationem devolutas, et quæ ad curiam episcopalem quovis modo pertinent de jure vel consuetudine in civitate et diœcesi prædictis cognoscendi, audiendi, committendi, sineque debito terminandi, contra delinquentes per inquisitionem, etiam ex officio, prout juris fuerit, procedendi, eosque corrigendi, mulctandi, puniendi, deponendi et excommunicandi, suspendendi et interdicendi, pœnarumque et sententiarum earumdem moderationem, vitigationem tibi reservandi; necnon censuras et pœnas ipsas, in casibus à jure permissis, aggravandi et reaggravandi, et ab illis, aliisque casibus episcopo prædicto reservatis, prout tibi videbitur, convenire, in utroque foro absolvendi et absolvi faciendi, et exercendi quæ prædicto episcopo, rationes jurisdictionis, de jure et consuetudine competunt in præmissis et circa ea; etiamsi talia forent, quæ magis specificam et expressam exigerent commissionem. Et cum facultate substituendi in casu necessitatis, cum simili vel limitatâ potestate. Volumus autem quòd pro tuâ et familiæ tuæ sustentatione, ex redditibus ecclesiæ prædictæ, provisio annua ducentorum scutorum monetæ Romanæ persolvantur, et ejus rata de quadrimestre in quadrimestre, anticipatâ solutione, ultra expensas pro accessu et recessu, aliaque emolumenta ordinaria et extraordinaria, licita, solita et consueta; ita ut si ii ad quos spectat, in solutionibus, vel eorum aliquâ defecerint, suo tempore lapsis decem diebus, ex fructibus mensæ episcopalis pro deficiente portione quæ tibi debebitur, propriâ auctoritate capere et exigere liberè et licitè possis et valeas; simulque viaticum pro expensis accessûs et recessûs cum habitatione congruâ in palatio episcopali, pro tempore officii, habere debeas. Contradictores quoslibet, et rebelles, ac præmissis non parentes, cujuscumque statûs, gradûs, ordinis vel conditionis existentes, pœnis pecuniariis, piis usibus, arbitrio tuo applicandis, ac etiam per censuras et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris remedia, appellatione postpositâ compescendo: invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii secularis; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, et privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodòlibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenoribus, præsentibus pro plenè et sufficienter expressis habentes; illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat specialiter et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 15 septembris 1652, pontificatûs nostri anno decimo.

M. A. Maraldus.

Hæc autem quoad commissiones dispensationum, aliarumque gratiarum, quæ pro utroque foro expediuntur. Pro foro autem conscientiæ tantùm, cùm sint occultæ, committuntur et diriguntur confessario magistro in theologiâ, vel decretorum doctori, ex approbatis ab ordinario, per oratorem eligendo. Quocirca notandum putavi quòd licèt stante hujusmodi commissione, dixerint nonnulli, sufficere talem confessorem esse licentiatum, vel, si regularis fuerit, approbatum à suâ religione, vel à rectore collegii; prout tenet Zerol. in suâ Praxi Episc., part. 2, verbo *Pœnitentiarius*, versic. *Secundò respondetur*, qui, versic. seq. ait sic vidisse practicari, subdens quòd alioquin in religionibus vel congregationibus, ubi non fiunt neque magistri neque doctores, non possent eligi ex illis confessarii pro tali effectu; quod non est dicendum, sed mens sacræ pœnitentiariæ est ut eligatur vir doctus, et non solùm doctor; sed quia regulariter doctores solent esse docti, idcò stylus ponit se in tuto, ut ipse Zerol. loc. cit.; qui perperàm interpretatur di-

ctum stylum, et mentem sacræ pœnitentiariæ; pro quo optimè docet Sanchez de Matrim., lib. 8, disputat. 34, num. 7, quòd non sufficit, si talis confessarius sit vir doctus, qui publicè in academiâ theologiam aut jus canonicum docet; quia oportet ut ad eum doctoris vel magistri gradum provectus sit; nec voluit pœnitentiarius committere has dispensationes nisi solis insignitis hoc gradu, quia tales decet esse delegatos Papæ; et ita vult sacra pœnitentiaria, ut ejus delegati sint in hâc dignitate et ad hos gradus promoti; et propterea, quæ ratione dignitatis doctoribus conceduntur, non porriguntur ad alios, veluti licentiatos in his facultatibus; id Sanchez, num. 8.

Imò verò neque possunt hæ dispensationes expediri per regulares, qui juxta suorum ordinum instituta, magistri licèt tales non sint, appellantur, nisi illi verè ad magisterii gradum in aliquâ academiâ promoti sint; id Sanch., n. 9, qui n. seq. docet, frustrari has dispensationes suo effectu, si ab aliquo expedientur, qui non sit tali gradu insignitus; quamvis communi errore doctor existimetur; licèt è contra, si sit doctor, sed indoctissimus, per rationes ibi per eum allatas.

Nec propterea harum dispensationum gratiæ evanescent, si contingat illas præsentari non habentibus hujusmodi qualitates, et ab illis litteras aperiri, quia nihilominùs aliis ipsius qualitates habentibus, pro illarum executione præsentari possunt, ut sæpè accidit in praxi.

Et in tantum præmissa servantur, quòd pro quâcumque causâ, sacra pœnitentiaria rarò consuevit has litteras aliis non graduatis, ut supra, dirigere; nisi pro licentiis eligendi confessorem, qui oratorem à quibuscumque casibus, tam Sedi Apostolicæ quàm ordinario loci reservatis, non tamen in bullâ Cœnæ Domini contentis, absolvat, prout in formâ solitâ; ne sacra pœnitentiaria videatur arctare pœnitentem ad eligendum necessariò talem confessarium graduatum; quinimò, cùm aliquando accidat in loco oratorum non adesse confessarium magistrum in theologiâ, vel decretorum, doctorem, ex peculiari gratiâ solet (rarò tamen) ipsa sacra pœnitentiaria, litteras pro quocumque casu, dirigere confessario simpliciter ex approbatis; absque eo quòd sit magister in theologiâ, vel decretorum doctor, hoc modo, videlicet: *Discreto viro confessori, ex approbatis ab ordinario, per latorem præsentium ad introscripta specialiter eligendo.*

Consuevit tamen summus Pontifex nonnullis ministris generalibus religionum, per litteras in formâ brevis sub annulo Piscatoris, hanc impertiri facultatem; ut ipsi, per se vel alios ab eis deputandos, licèt non graduatos, possit dictas litteras aperire, et illas juxta earum formam, exequi.

Sub quâ tamen formâ detur supradictis ministris generalibus sive aliis superioribus ista facultas, patet ex litteris infrascriptis, videlicet:

A tergo: *Dilecto filio Claudio Aquavivæ præposito generali societatis Jesu.*

Intùs verò:

Gregorius Papa XIII. — *Dilecte fili, salutem, et apostolicam benedictionem. Expost nobis nuper fecisti, quòd aliàs quondam Alexander Frumentus, tunc officii sacræ pœnitentiariæ regens, dilectis filiis presbyteris societatis Jesu, cui præesse dignosceris, etiamsi nullo magisterii in sacrâ theologiâ, et doctoratûs in jure canonico gradibus, insigniti essent, aliàs tamen idoneis et approbatis ipsius societatis confessariis, ut quascumque obsignatas, etiam magistri in theologiâ, vel jure canonico doctoribus directas in foro conscientiæ, ejusdem sacræ pœnitentiariæ litteras, aperire, et absolutionis beneficium, juxta illarum dispositionem, impendere possent et valerent, verbo tenùs concessit; eâque facultate ipsi presbyteri hactenùs usi sunt. Cùm itaque ipsius societatis religiosi ad hujusmodi gradus, nisi pro necessitate scholarum suarum, promoveri non soleant, pœnitentes etiam ad ipsos presbyteros cum suis litteris absolutionum in dies recurrant, et importunè obsecrent, opportunè etiam eos juvari convenit. Nos idcircò tuis in hâc parte supplicationibus inclinati, presbyteris societatis hujusmodi, per te, vel tibi subordinatos, illius superiores, de tuâ licentiâ designandis, et ab ordinariis locorum approbatis vel approbandis, etiamsi magisterii vel doctoratûs, aut aliis gradibus insigniti non sint, litteras hujusmodi aperiendi, confessionibusque fidelium ad ipsos recurrentium, auditis, et impositâ salutari, in illis expressâ, vel de jure infligendâ pœnitentiâ, absolvendi, ac in foro conscientiæ, quascumque sibi verbo vel scriptis commissas absolutiones; disvensationes, et pœnitentiarum injunctiones excipiendi et exequendi, licentiam et facultatem, tenore præsentium concedimus et impartimur; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præsentium transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo tuo, seu personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ, munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die tertiâ aprilis 1583, pontificatûs nostri anno decimo.* Cæs. Glorierius.

Porrò circa id videndum restat numquid postquàm dictæ litteræ fuerint uni confessario præsentatæ, possit alius pro earumdem executione adiri? Hanc quæstionem movet, Navar., cons. 8, de Offic. jud. deleg., dicens: An postquàm pœnitens, cui officium sacræ pœnitentiariæ dedit litteras sigillatas, directas discreto viro confessori, per latorem præsentium, ad introscripta specialiter eligendo, eligit unum confessarium, possit, saltem de voluntate dicti confessarii, eo dimisso, alium eligere? et resolvit negativè, per rationes ibi per eum allegatas, nempe quòd jurisdictio delegata non potest prorogari de personâ in personam, cap. 1 de Offic. alleg., et cùm sit ipsa jurisdictio delegantis, ita ad dictum delegantem cujus illa est, pertinet eam extendere, et non ad partes, nec ad judicem, quorum illa non est, arg. l. *Id quod nostrum est, sine facto nostro in alium transferri non potest*, ff. de Reg. jur., quem multi doctores sequuntur, præsertim Zerola in suâ Praxi, verbo *Pœnitentiarius*, in principio, ubi etiam negativè respondet, licèt confessarius primò electus consentiat, quia per primam litterarum præsentatio-

nem, uterque functus est officio suo; alter scilicet præsentando, alter verò eas aperiendo; et fundatur in stylo Pœnitentiariæ, quæ apponit illam clausulam, quòd datâ absolutione, litteræ lacerent; idem dixit Genuens in Praxi Curiæ episcopalis Neapolitan., c. 25.

Ego tamen miror de ipso Navarro, qui cùm suo tempore fuisset unus ex consultoribus sacræ pœnitentiariæ Apostolicæ, cujus prætorio, tot annis, etiam ego minimus ac prorsùs indignus inservivi, ita asserit: cùm semper ipsius pœnitentiariæ mens et stylus fuerit, ut hujusmodi litteræ, quomodòcumque fieri poterit, suum sortiantur effectum, quidquid etiam nonnulli perperàm dicant, ut benè docet Sanch., l. 8, disput. 27, n. 4, ubi ait id procedere non tantùm ubi pœnitens semel litteras præsentavit cuidam confessario, sed etiam postquàm ab eo pronuntiatum fuit dispensationem esse subreptitiam, posse impetrantem adire alium confessarium, qui fortè in eâ sit opinione, ut rescriptum valeat, et posse eumdemmet confessarium, re meliùs perspectâ, dispensationem illam, mutatâ sententiâ, exequi: quamvis, si semel dispensavit, non possit canere palinodiam. Ratio autem, quam idem Sanch. loc. cit. affert, ea est, quòd cùm ea commissio facta sit in foro conscientiæ, sequitur ejus fori naturam, quæ est ut non adstringatur pœnitens acquiescere sententiæ unius confessarii, sed possit alium adire; atque idemmet confessarius sententiam mutare, et ita per totum orbem servatur in praxi, et didici in ipso sacræ pœnitentiariæ officio.

Ad contraria autem cum eod. Sanch. loc. cit. respondetur: nam non prorogatur jurisdictio de personâ ad personam, ex solâ partis voluntate, aut confessarii, sed ex voluntate ipsius majoris pœnitentiarii, qui litteras nomine summi Pontificis concessit; cujus voluntas ea censetur esse, ut liceat diversos confessores adire; qui omnes censentur electi ab eodemmet pœnitentiario, ut litteras expediat; ac si ea potestas semel eligendi intelligitur de actu consummato; et ita semper tenuit, et tenet eadem sacra pœnitentiaria, quæ in his casibus consulta, ita respondit, prout in praxi, omni prorsùs hæsitatione remotâ, servatur.

CAPUT V.

Praxis narrativæ litterarum dispensationis matrimonialis, cum causâ et sine copulâ.

Præmissis igitur, sic pro harum litterarum executoribus, etiam quoad forum conscientiæ declaratis, earumdem ordinem prosecuturi; ulteriùs procedendo, ita dicamus, videlicet:

Oblatæ. — Sic exoriuntur litteræ dispensationum matrimonialium; in quibus de stylo cancellariæ apostolicæ nullum aliud exordium præponitur, sicut in aliis litteris, gratiam concernentibus, ut advertit Hieron. Paul. in suo Provinciale Ecclesiarum, vers. *Nota*, quòd quando aliquid committitur de jure non datur exordium, fol. mihi 389.

Pro parte, etc., Stephani, etc.— In quibuscumque litteris semper exprimenda sunt nomina et cognomina oratorum, ad evitandum dubia et æquivocationes, per text. in l. *Ad cognoscendum*, c. de Ingen. et Manumis. l. *Hâc consultissimâ*, c. *Qui testam. fac. poss.*, necnon ad evitandam rescripti invaliditatem; quia dùm petitur gratia pro uno, non poterit alteri prodesse, cùm non extendatur ad illum, cujus nomen, aut cognomen non est expressum in supplicatione porrectâ.

Nec verificatur saltem in praxi opinio Sanch., lib. 8, disput. 21, num. 37, dicentis absque dubio hunc errorem non vitiare dispensationem, sed prodesse oratori pro quo est impetrata; quamvis in ejus nomine erratum sit, ex quo error proprii nominis non vitiat rescriptum quando constat de corpore. Id enim satis à notorio Curiæ stylo deviare sciunt omnes curiales; nec refert, quoad hoc, ut de jure id procedat, nempe tali casu, non vitiari rescriptum, ut probatur in l. *Si quis in fundi*, ff. de Leg. 1, ibi; *Si quis in fundi vocabulo erraverit, et Cornelianum pro Semproniano nominaverit, debebitur Semproniano*, et in Instit., tit. de Leg., § *Si quis in nomine*, per hæc verba: *Si quidem in nomine, cognomine, prænomine, agnomine legatarii testator erraverit, si de personâ constat, nihilominùs valet legatum. Nomina enim significandorum hominum gratiâ reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest;* id. Sanch. loc. cit. Nam quidquid sit de jure, aliter est de stylo, et in hâc praxi receptum: quia non solùm, si erratum fuerit in nomine aut cognomine, verùm etiam in syllabâ aut litterâ, dispensatio non meretur executionem, nisi priùs ab officialibus deputatis corrigatur; quinimò, non modò corrigendæ erunt litteræ, verùm etiam illarum registrum; quæ quidem correctio transit per multas manus officialium, præcipuè D. regentis cancellariæ, quidquid etiam dicat text. in l. *Qui habebat*, ff. de Manu. testa., quem dicit singularem Angel. in l. *Si in nomine*, num. 1, c. de Testam. Alex. in l. 4, num. 5, de Leg. 1, quibus juribus cavetur, quòd error in syllabâ consistens, nihil debeat obesse. Imò addo, quòd quidquid aliàs fuerit observatum, hodiè non datur correctio super nomine proprio oratoris vel oratricis; sed opus est novam gratiam impetrare, et novas litteras expedire; vel saltem prævià novâ signaturâ supplicationis, cum verâ nominis expressione, ipsas jam expeditas litteras eorumdem officialium auctoritate corrigere; quod videtur esse introductum ad evitandas multas fraudes, quæ ob mutationem nominis sub colore erroris, possunt intervenire; cùm omnia jura fraudibus occurrant, illasque prohibeant, l. *Si cui*, ff. de servit., ibi; *per medias vias*, l. in *fundo*, ff. de Rei vendic., nisi forsan deprehendatur aliquo modo verisimilis error, puta, si diceretur, *Antonius* pro *Antonino*, *Bernardus* pro *Bernardino*, et similia; si verò expeditæ fuerint litteræ cum expressione nominis oratoris, verbi gratiâ, *Francisci Antonii*, in corpore autem litterarum, dicatur *Franciscus*, vel quovis alio modo, sicut sæpè contingere videmus; tunc litteræ alicui vitio subjacere minimè videntur, pro quo adest optimum; Bart., cons. 170, text. in l. 1, c. de Leg. Certum est enim

quòd habens duo nomina et vocetur *Joannes Antonius*, potest vocari *Joannes* distinctè et *Antonius;* Joan. de Anan., consil. 17, num. 10, quod etiam procedit in cognomine; cùm quilibet ex solâ cognatione denominari; Bart., cons. 179, in princip., ubi quòd *Martinus de Baroncis*, potest etiam appellari *Baroncius*. Verum tamen est, quòd quoad denominationem cognominis, id non admittitur in litteris gratiæ, sicut etiam dicimus de notario, qui primâ vice, aliquem appellavit nomine proprio, et postea alio; nam per hoc non vitiatur instrumentum, id. Bart., d. cons. 179, quia cùm præmissa sæpenumerò eveniant per errorem cancellariæ, non debent partibus obesse, ut aliàs de quibuscumque aliis erroribus ipsius cancellariæ, quæ gratis dictos errores corrigit, quando litteræ exigunt omninò hujusmodi correctionem.

Illud autem quod dicit Dian. in suis Resolut. moral., tract. 10, de Leg. resol. 36, nempe esse validam dispensationem, quando erratur in nomine personæ, ut videlicet, quando nomen Petri exprimatur pro nomine Pauli, omninò negatur; quandoquidem quantùm à verâ praxi Romanæ curiæ longè distet, nullus curialium est, qui ignoret; cùm jam ita obtinuerit illius antiquissimus stylus, qui est pro lege servandus, cap. *Quàm gravi*, de Crim. fal., et licèt communiter dici consueverit, quòd hujusmodi stylus ex variatione rerum prædictæ Curiæ, fiat fragilis et incertus, ac proinde modò albus, modò niger, ut dixit Lap. alleg. 51, Felin. in cap. *Rodulphus*, post num. 22, de Rescript., Cassad., decis. 7, eod. tit., num. 4, attamen intelligitur de illo stylo, quem verè, secundùm mutationem pontificum, eorumdemque officialium mutari ac variari contingit, non autem de stylo cancellariæ, qui inconcussè, circa litterarum expeditionem, servari debet; id. Felin., in capite *ex parte* 1, de Rescript., ex quo illa mentem Papæ declarat, Mandos., tomo 1, quæst. 2, num. 3, in proœm. regul.; eumdem namque stylum, qui benè considerat, fundatum reperit in jure communi; si quis verò dixerit, jure communi non vitiari rescriptum per errorem in nomine potentis, ut per jura supra allegata; respondetur quòd licèt id appareat ipso jure communi cautum, eodem etiam jure cavetur, ut cùm per proprii nominis oratoris mutationem, quamplurimæ possent fieri fraudes circa impetrationes rescriptorum, propterea illis omninò occurrendum sit, cap. *Sedes*, et cap. *Ex tenore*, de Rescript., quod quidem tantùm etiam ab ipsâ praxi abest, ut, sicut jam supra diximus, nunquàm super errore proprii nominis, detur correctio, nisi in iis casibus quibus, semotâ omni fraudis suspicione, error hujusmodi correctionem mereatur; in quorum quidem corroborationem, cùm quilibet summus Pontifex in crastinum suæ assumptionis, condat regulas cancellariæ Apostolicæ, inter facultates quas in illarum calce concedit vicecancellario et cancellariæ regenti, licèt eis facultatem tribuat corrigendi nomina et cognomina personarum, non tamen possunt corrigere propria nomina oratorum, ut patet per hæc formalia verba, videlicet: *Item, quòd possit corrigere nomina et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratia et concessiones fiunt ac beneficiorum, dùm tamen de corpore constat.* Hinc igitur est, ut cùm ipse D. regens non possit nisi tantùm cognomina oratorum corrigere, si contingat errorem reperiri post registratam supplicationem, circa proprii nominis expressionem, ante tamen litterarum expeditionem, omninò opus est illud suppleri per signaturam novæ supplicationis in formâ reformationis, sub præinsertâ priori supplicatione, quæ ita datur, videlicet: *Pater Sancte, dignetur S. V. litteras super præinserta conficiendas cum expressione, quòd orator non* Cynthius, *sed* Joannes Capycius, *et non aliter nominatur et cognominatur; in reliquis verò, juxta ejusdem præinsertæ vim, formam, continentiam et tenorem expediri mandare de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus quæ eadem E. S. V. in dictâ præinsertâ concessit non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.* Quinimò in secundâ parte supplicationis, in quâ dici solet quòd narratorum omnium major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, id est, suppleri in ipsâ bullâ, quatenùs opus fuerit, sicut supra dictum est, nunquàm id dicitur de nomine proprio oratoris, sed tantùm de cognomine, et hic est notorius stylus.

Quod si aliquando contingat ignorari in Urbe cognomen oratoris, seu oratricis, ne propterea retardetur expeditio, si ibi fuerit transmissa arbor consanguinitatis, tunc cautus sollicitator, ex ipsâ arbore poterit desumere saltem nomen utriusque genitoris oratorum; quo deserviat oro illorum cognomine; exempli gratiâ, ex dictâ arbore desumitur patrem oratoris, vocari Franciscum, patrem verò oratricis, Antonium, sufficiet dicere: *Exponitur pro parte Stephani nati Francisci, et Cather. natæ Antonii*, et idem erit si in ipsâ arbore adhærunt nomina matrum oratorum; quia hæc etiam nomina sufficient, utpote, si dicatur, *pro parte Stephani nati Isabellæ et Catharinæ natæ Beatricis:* et sic pro cognominibus sufficiunt nomina genitorum. Unde dixit Rota penes Buratt., decis. 709, num. 8, non esse novum, cognomen aliquando à nomine patris desumi. Imò admittit etiam Romanæ Curiæ praxis, ut omittatur, ut plurimùm illud verbum, *nati*, et sic dicatur, *pro parte Stephani Francisci*, et subauditur verbum, *nati*, absque eo quòd dicatur, *pro parte Stephani nati Francisci;* sic etiam Catharinæ Antonii, id est, *natæ Antonii*. Et quia, si diceretur *pro parte Stephani Francisci*, posset dubitari an Stephanus et Franciscus esset unicum tantùm nomen, sicut dicimus, *Franciscus Antonius, Petrus Paulus, Joannes Franciscus*, etc., propterea ad id dignoscendum eadem praxis docet, ut si Stephanus fuerit filius Francisci, tunc uterque scribatur cum primâ litterâ majusculâ, ut supra videtur. Si verò erit nomen compositum, prima littera primi nominis, erit tantùm majuscula, prima autem secundi nominis parva; nulla distantiâ adjectâ; sed tantùm unicum nomen scribitur, nempe, *Stephanifrancisci*, et idem dicendum est de oratrice; nam si Joanna erit filia Mariæ, tunc dicitur, *ex parte Joannæ Mariæ*, quod idem erit,

ac si diceretur, *Joannæ natæ Mariæ*, prout Joan. Andr., in add. ad specul. in rubr. de fil. presb. ubi ponit se fuisse filium cujusdam Andreæ; et sic, ut omnes legunt, vocatur Joannes Andreæ, id est filius Andreæ non autem, quòd utrumque nomen esset suum, veluti, *Joannes Andreas*, sicut communiter eum appellamus; quòd si contingat etiam hoc nomen oratricis esse compositum, tunc dicitur *Joannæmariæ*, tanquàm unicum nomen, eo modo quo supra dictum est de nomine oratoris. Si verò neque ex ipsâ arbore neque aliunde poterit haberi notitia horum cognominum, ne tempus propterea amittatur, poterit porrigi supplicatio, confingendo ad libitum ipsa cognomina, quia habitâ postmodùm prædictâ notitiâ de prædictis cognominibus, poterunt illa in litteris dispensationis suppleri; quod quidem conceditur vigore clausularum ipsius supplicationis, ubi petitur, quòd major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris; et præcipuè ex illis verbis dictarum clausularum, videlicet, *et quòd cognominum*, etc.

Advertas tamen quòd hic defectus cognominis non poterit suppleri in litteris dispensationis in formâ pauperum, quia in supplicatione delentur illa verba, *et quod cognominum*, etc., et hoc ad evitandas fraudes quæ possunt contingere ne orator sive oratrix supponat aliud cognomen, et postquàm evaserit solutionem compositionis, expediat litteras supra dictas, cum proprio cognomine; nam hoc modo obviatur fraudibus, juxta text. in l. *In fund.* ff. de rei vend.

Quo verò ad ipsorum oratorum nomina, quomodò conscribenda sint, dicimus quod tam in supplicatione, quàm in litteris debent scribi clarè et extensè; ac eo modo quo in ipso libro baptismatis descripta sunt; quòdque si plura fuerint sibi apposita nomina, secundùm communem usum distincta, illud sufficit exprimi, quo magis communiter vocari consuevit.

Insuper sciendum est quòd stylus datariæ et cancellariæ non admittit in supplicatione in formâ signandi, nomen diminutivum, puta si dicatur, *Antonellus*, *Francischellus*, *Bellucia*, *Giomma*, etc., sed debet dici, *Antonius*, *Franciscus*, *Isabella*, *Hieronyma*, etc., ac præcipuè debent advertere mittentes ad Romanam Curiam, et inibi expeditores, ut nunquàm nomina ipsa sive cognomina scribantur abbreviatè seu truncatè, sed per consequentiam litterarum et characteres claros, et ita se habet circa id dictæ Curiæ stylus, de quo etiam testatur Imol. in cap. *Cùm accessissent*, et ibidem Felin., post princip. vers. *Hodiè tamen*, de Constit.

Neapolitanæ diœcesis. — In omnibus rescriptis apostolicis, est oratorum diœcesis exprimenda; quòd si ipsi oratores erunt duarum diœcesium erit utraque explicanda, quidquid voluerit Sanch., libro 8, disput. 35, num. 5, ubi dicit, quod si alter sit Corduben., alter verò Granaten., non est opus in precibus dispensationis explicare utriusque diœcesim, sed sat est alterutrius, dicendo, *N. et N. diœcesis Corduben.* aut diœcesis Granaten., subdens, quod ex ipsâ praxi constat, et quod nunquàm utriusque diœcesis explicatur.

Hoc enim est contra notorium stylum, qui necessariò requirit utriusque diœcesis expressionem; quinimò hujusmodi stylus non admitteret hìc supplicationem, nìsi in capite illius dicatur, v. g., *Neapolitan. et Aversan.*, postmodùm verò litteræ dispensationis diriguntur ordinario oratricis, ut illas exequatur, id namque apponitur in Clausulis supplicationis, nempe: *Et committatur ordinario oratricis, qui depositâ*, etc., *dispenset.*

Nec ad rem facit, quoad hoc, ratio quam ipse Sanch. affert loco cit., nempe, quòd sola expressio unius diœcesis, sufficiat, propterea quod poterit alterius contrahentium ordinarius dispensare cum utroque super denuntiationibus matrimonio præmittendis, necnon alterutrius contrahentium parochus copulare matrimonio utrumque, ratione connexionis; nam licèt ea vera sint, non tamen sufficiunt ad effugiendum inconcussum stylum datariæ et cancellariæ, hujusmodi expressionem requirentis, qui pro lege servatur; Lap., alleg. 6; Calder., cons. 8, n. 4, de Rescript.; Paris., cons. 44, n. 17, et seq. vol. 1; Bursat., cons. 393, n. 15, vol. 4.

Aliàs enim, si sic esset, prout ait id. Sanch., loco cit., inverterentur profectò stylus, usus et ordo committendi harum dispensationum litteras, cùm mens ipsius Papæ, ejusque cancellariæ sit semper earumdem executionem committere ordinario oratricis; et nisi utriusque diœcesis fieret expressio, ubi oratores ex duabus diœcesibus orti essent, posset contingere, litteras ipsas dirigi non oratricis, sed oratoris ordinario, contra mentem ipsius Papæ; ac propterea illarum executor, si hujusmodi stylum ignoret, perperàm litteras ipsas exequeretur.

Contingit aliquando, oratores esse alicujus diœcesis, cum aliâ invicem et æquè principaliter unitæ: exempli gratiâ, Lunen. et Sarzanen. aut Maceraten. et Tolentin. et tunc, licèt utraque uni episcopo tantùm subsit, qui unius illarum dominationem retineat, exprimendum nihilominùs erit, ex quâ ex his diœcesibus, verè ipsi orti sint; habet enim quandoque episcopus in unaquâque illarum, suum vicarium generalem, cui committuntur litteræ exequendæ; sicut etiam ipse episcopus pro negotiorum qualitate, utriusque diœcesis et Ecclesiæ denominatione utitur, ut constat ex formâ litterarum similium unionum, in quibus dici solet: *Ipsam Ecclesiam Tolentin. cum Maceraten. unimus, ita ut pro tempore existens episcopus Maceraten. sit ambarum Ecclesiarum unitarum hujusmodi episcopus; et licèt vocetur episcopus Maceraten., tamen in litteris pertinentibus ad civitatem et diœcesim Tolentin., ordinariè se subscribere debeat, episcopus Maceraten. et Tolentin., teneaturque retinere unum vicarium in dictâ civitate Tolentin. qui non recognoscat superiorem; nec ab eo habeatur recursus ad vicarium dictæ civitatis Maceraten., sed tantùm ad ipsum episcopum.* Nam licèt episcopatus duo uniantur, tamen quælibet Ecclesia cathedralis retinebit sua jura, suasque

præeminentias; quamvis sic unitæ, regantur per unum tantùm episcopum, per text. in cap. *Præcipimus*, 16, quæst. 1. Unde videmus quòd licèt episcopatus Viterbien. et Tuscanen. fuerint æquè principaliter uniti, quando tamen episcopus rescribit super concernentibus jurisdictionem, seu administrationem episcopatûs Viterbien. se nominat episcopum Viterbien. et Tuscanen. pro concernentibus autem Tuscanen. episcopatum, se inscribit episcopum Tuscanen. et Viterbien.; Mand. regul. 12, quæst. 1, num. 4, quia rei denominatio semper fieri debet à causâ proximâ, juxta text. in l. *Quisquis*, § *Hæc verba*, ff. de Vulg. et pupill. Sicut episcopus in civitate Castellan. vel ejus diœcesi existens, civitatis Castellan. et Hortan. est appellandus; ita è converso dùm in civitate vel diœcesi Hortan. commoratur, Hortan. ac civitatis Castellan. Episcopus nuncupari, ac inscribi debet : et si extra diœcesim resideat, in negotiis ad civitatem, et diœcesim Hortan. pertinentibus, Hortan. et civitatis Castellan., in spectantibus verò ad civitatem Castellan. et illius diœcesim, civitatis Castellan. et Hortan. episcopus est denominandus, ut censuit sacra congreg. Concil. in unâ Castellan. et Hortan. 8, junii 1624, teste Barbos., in coll. bull. verbo *Episcopus duarum Eccles.* cap. 4.

Sicut autem supra vidimus quid agendum cùm contingat error super nomine seu cognomine oratorum; videamus etiam quid juris, circa errorem in diœcesi eorumdem in litteris dispensationis expressorum. Hanc eamdem quæstionem movet Sanch., d. l. 8, disput. 21, num. 39, dùm quærit quid dicendum sit quando erratur in diœcesi cujus erat is pro quo impetratur dispensatio, nempe si dictum esset oratores esse diœcesis Salamantin., cùm sint Corduben., ac proinde commissio facta sit officiali Salamantin. Et concludit non posse officialem Salamantin. hanc dispensationem exequi; quia hìc deficit intentio Papæ committentis, quæ est eam committere legitimo ordinario impetrantis ad præscriptum concilii Trid., sess. 22, cap. 5, de Reform. Hanc insuper ibi subdit rationem, quia error, quantùmvis culpâ carens, non efficit ut rescriptum extendatur ad casum, qui sub verbis ejus non comprehenditur; quamvis, si is petitus esset, litteræ similiter concederentur, et allegat Innoc. in c. *Super litteris*, n. 3, vers. *et nota*, de Rescrip., sicut hâc eâdem ratione non poterunt litteræ hujusmodi exequi, quantùmvis minimus error, circa tamen substantialia occurrerit : prout vera praxis docet, ac probitas timorati Judicis executoris expostulat.

Proindeque nihil relevat, quod dicit Dian., dicto tract. de Leg. resol. 36, dùm ait validam esse dispensationem, quando erratur in diœcesi, ut si Petrus, cum quo dispensatur, dicatur esse diœcesis Panormitan. cùm sit Messanen. ob hanc rationem, quia nimirùm constat intentionem Papæ esse ut solus petentis ordinarius, cum illo dispenset; et si ordinarius potest dispensare, quando erratur in nomine petentis, sic etiam poterit, quando erratur in nomine ipsius Episcopi; et ibi plures doctores allegat pro hâc suâ opinione, quam dicit bis, ipso consulente, fuisse positam in praxi; quia nihilominùs loquitur contra dictum stylum, qui nunquàm contrarium admisit; ac proinde talis expressio, etiam non dolosa vitiat gratiam dispensationis, donec illa corrigatur, per jura supra allegata.

Ex loco de Resina. — Specialis loci expressio, seu oppidi aut terræ originis oratorum semper est necessaria, quando dispensatio conceditur cum causâ propter angustiam; quod tamen intelligas, dummodò verè illi sint naturales loci expressi; quia licèt admitteretur hæc causa si exprimeretur, oratores esse ibi incolas ex domicilio legitimè contracto; cùm tamen apponatur illud verbum, *ortorum;* id intelligitur ex verâ origine; quamvis oratores habuerint ibi prædictum domicilium ultra decem annos; quia adhuc non possunt dici verè orti, cùm talis habitatio faciat tantùm incolam, seu domiciliarium, Garc. de Benef., p. 7, c. 9, n. 38, ex l. 1, cum seq. c. de Municip. et origin., et verba sunt naturaliter et propriè, non autem civiliter, et fictè intelligenda, l. 3, § *Hæc verba*, cum glossâ, in verbo *Hæreditatem*, ff. de Negot. gest., Paris. cons. 159, n. 17 et 18, vol. 4, Mandos. regul. 3, Cancell. q. 20, n. 9, id. Garc. d. c. 9, n. 32, ubi infert quòd ad dispensationes matrimoniales, in quibus impetrantes narrant se ortos ex tali loco, non sufficit verificare habitâsse ibi, et habuisse dictum domicilium subdens, n. 34, quòd nec refert, si dicatur quòd si Papa scivisset, nihilominùs concessisset; quia, ut inquit Bal., in c. *Significante*, de Rescript., casus omissus, non habetur pro expresso, sicut supra de diœcesi diximus; et concessio facta in uno casu, non porrigitur ad alium, Dec., in c. *Super litteris*, de rescript., num. 18, in fin.

Hinc est quòd licèt oratores, tempore petitæ dispensationis, alibi quàm in loco propriæ originis inhabitent, ubi jam domicilium contraxerint, si commissio fiat simpliciter ordinario, absque eo quòd exprimatur locus originis vel domicilii, censetur in dubio facta ordinario propriæ originis, non autem domicilii; quod quidem sæpè contigisse scimus in iis dispensationibus quæ non requirunt necessariò expressionem loci, eo modo quo petuntur ob loci angustiam, sed tantùm ubi aliæ adducuntur causæ, puta dotis incompetentia, excessus legitimæ ætatis mulieris ad contrahendum, vel cum causâ infamiæ, aut, etiam sine aliquâ causâ; sufficit enim tunc ita asserere. *Exponitur pro parte N. et N. Neapolitan. diœcesis. Quod, etc.*, nisi forsan ratione prædicti domicilii, exprimendum esset eos in tali loco, vel in ipsâ civitate domicilium contraxisse, prout requiritur; ac proinde non aliàs, quàm sequenti modo concipietur narrativa, videlicet : *Exponitur pro parte N. et N. ex loco N. diœcesis Aversan. ortorum, et in civitate Neapolitan. à biennio, et ultra commorantium*, etc., quandoquidem, licèt si Papa narraretur oratores ipsos in tali loco domicilium contraxisse, cuperetque propterea litteras

committi ipsi ordinario domicilii, sine difficultate id obtinuissent, ut dictum est; attamen, nisi id exprimatur, nunquàm subintelligeretur, ac propterea vetus inolevit ipsius Curiæ stylus, ut cùm oratores cupiant litteras committi ordinario domicilii, expressis verbis id in supplicatione petatur; in cujus calce per officiales postmodùm ad id præpositos, additur : *Et attento quòd oratores (sive oratrix) in loco N. diœcesis Neapolitanæ à biennio, et ultra commorantur, in quo domicilium contraxerunt* (sive oratrix domicilium contraxit) *committatur ordinario Neapolitan. sive ejus vicario*, etc., nec aliàs dabitur ista commissio, nisi saltem per hujusmodi tempus ibi inhabitaverint; quamvis in instanti statim ac quis incipit habitare, animo perpetuò ibi manendi contrahatur domicilium, ut probatur ex l. *Domicilium*, ff. *Ad municip.* Cùm igitur hujusmodi stylus, non aliàs esse concedendas tales dispensationes doceat, quàm cum expressà mentione supra dicti domicilii; prout tota Curia de hâc observantiâ testatur, si aliter litteræ prædictæ fuissent expeditæ, executionem eas non mereri certum est : ex quo nunquàm ipsas litteras intendit summus Pontifex ordinario domicilii dirigere, nisi à partibus id expressè petatur, ut dictum est, et ab ipso Papâ concedatur; et ita servat dataria Apostolica, ejus datarius est organum mentis et vocis Papæ; Gonz. ad regul. 8, gloss. 63, num. 60, adeòque viget ista tam antiqua observantia, ut meritò, omni prorsùs hæsitatione remotâ, inducat super hoc declarationem intentionis Papæ, Rot., decis. 503, n. 2, et decis. 571, n. 3, p. 1, divers.

Negari tamen non potest, quin, si aliud videatur aut suggeratur illustrissimo datario, possit si velit ipse committere executionem litterarum dispensationis ordinario in cujus diœcesi per quodcumque minimum tempus oratrix fuerit commorata. Et aliàs vidi quasdem litteras dispensationis impetratas, ad instantiam Antonii Mariæ Verdutii laici Caputaquens et Faustinæ Altomare muliere Neapolitanâ, et in civitate Surrentinâ à novem tantùm mensibus commorante, quarum executio fuit commissa vicario Surrentino per hæc verba : *Discretioni tuæ attento quòd dicta Faustina à novem mensibus circiter civitate Surrentinâ commoratur*, etc., *et factis proclamationibus canonicis etiam in parochialibus Ecclesiis originis Antonii Mariæ et Faustinæ prædictorum*, etc., *dispenses, sub dat. Romæ apud S. Petrum an. 1646, id. martii, pontificatûs Innocentii Papæ X anno secundo.* Similis commissio litterarum dispensationis matrimonialis fuit facta vicario Neapolitano pro Aloysio Mariâ Macedonio, et Juliâ Brancaccià muliere Ugentin. diœcesis, et in civitate Neapolitanâ, in quâ domicilium contrahere intendebat; et originaria existebat, à pluribus diebus commorantæ, cum hujusmodi commissione, videlicet : *Discretioni tuæ cùm, ut præfati asserunt, ipsa Julia in civitate Neapolitanâ, in quâ domicilium contrahere intendit ac originaria existit, et à pluribus diebus commoratur, ut præfertur*, etc., *mandamus, sub Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem non. decembris, pontificatûs ejusdem Innocentii anno septimo.*

Audio etiam quod ad instantiam contrahentium, si illi sint nobiles, datur dispensatio in supra dictis casibus cum narrativâ quòd ipsi à sex mensibus commorantur in loco ubi domicilium contrahere intendunt. Verùm puto quòd cùm hoc plurimùm deviet ab antiquo stylo, forsitan ista commissio vix aut rarò fiet.

Nihilominùs verò non semel vidimus hujusmodi commissiones factas etiam sine mentione temporis quo oratrix in alienâ diœcesi commoratur aut domicilii ibi per eam contracti vel intentionis contrahendi, sed simpliciter, dicendo et Antoniæ N. mulieris Boianen. diœcesis, et in civitate Boianen. Beneventan. commorantis, etc., et in dispositivâ litterarum : *Discretioni tuæ*, etc., *attento quòd dicta Antonia in civitate Beneventan. commoratur, ut præfertur*, etc., *mandamus*, etc. ut habetur in litteris hujusmodi dispensationis adjectis lib. 4, c. 3, sub n. 5, vers. *Innocentius.*

Præmissis addo quòd quando petitur dispensatio ob angustiam loci, exprimendus est locus originis, ut dictum est, sive domicilii oratorum; si verò petitur ex aliâ causâ, vel sine illâ, licèt quandoque exprimatur locus prædictus, non est tamen necessaria talis expressio, sed sufficit dicere N. Neapolitan. diœcesis. Verùm quid si fuerit expressum oratores esse ex diœcesi Neapolitanâ, cùm tamen orti sint ex ipsâ civitate, numquid litteræ dispensationis erunt subreptitiæ? De hoc vide quæ dicam infra, lib. 9, c. 11, num. 8, cum pluribus seqq., ubi declaratur, quando ipsa civitas comprehendatur in diœcesi.

Neque hìc duximus respuendum, quòd licèt oratores alibi domicilium, ut dicimus, contraxerint, si tamen petant litteras prædictæ dispensationis, ordinario propriæ originis committi, tenebitur profectò ille ipsas litteras exequi, non obstante quocumque domicilio ubivis per eos, etiam per viginti annorum continuam inhabitationem, contracto; quandoquidem commissionem hanc, non ex juris aut alicujus observantiæ necessitate fieri omnes fatentur curiales ordinario domicilii oratorum, sive oratricis tantùm, sed ad ipsorum instantiam, ac pro majori eorum id petentium commoditate. Nec tamen stylus hic et observantia carent solidis fundamentis, præsertim quia domicilium originis nunquàm deperditur, cùm sit immutabile; id namque discrimen versatur inter domicilium originis et habitationis; illud enim est immutabile, ut docet notorius textus in l. *Assumptio*, ff. *Ad municip.*, ibi : *Neque recusando quis patriam, ex quâ oriundus est, mutare potest;* hoc autem, sicut propriâ voluntate et proprio facto constituitur, ita propriâ voluntate et facto mutatur, ut per Sanch., lib. 3, disp. 23, n. 4, qui n. 6, vers. *Secundò, quia domicilium*, ait quòd domicilium originis unà cum domicilio habitationis retinetur.

His ergo sic stantibus, perperàm quidam archiepiscopus denegabat quarumdam dispensationis matrimonialis litterarum executionem, sibi vel ejus vicario directarum, in cujus diœcesi oratores orti erant, sive oratrix tantummodò orta erat, prout in eisdem.

litteris dicebatur; id enim recusabat sub prætextu quòd oratores in alienâ diœcesi domicilium per longum tempus contraxerant; ac propterea dicebat hujusmodi litteras non sibi, aut ejus vicario, sed ordinario, seu vicario prædicti domicilii esse dirigendas; certioratus nihilominùs idem archiepiscopus de stylo Romanæ Curiæ, quæ nunquàm committit has litteras ordinario domicilii, nisi instantibus ipsis oratoribus, cùm etiam non obstante tali domicilio liberum sit partibus obtinere litteras alterutri dirigendas, nihilominùs pro suâ tuendâ opinione, litteras ipsas adhuc exequi recusavit. Re tandem ad Urbem delatâ, cùm ibi fuisset pluries instatum penes dominum datarium pro commissione earumdem litterarum ordinario domicilii, stante recusatione prædicti archiepiscopi, fuit per eum hæc commissio denegata, eò quòd diceret litteras fuisse jam benè commissas dicto archiepiscopo, tanquàm ordinario originis oratorum; sed tantùm alias litteras in formâ mutationis judicis, expediri mandavit episcopo viciniori directas, qui requisito priùs dicto archiepiscopo pro executione priorum litterarum, si adhuc illas exequi recusaret, et aliam causam rationabilem suæ recusationis non allegaret, ipse vicinior ordinarius dictas priores litteras dispensationis exequeretur, prout præcedente dictâ novâ requisitione, executus est, cùm commisit examen pro verificatione narratorum, prædictis litteris dispensationis, in civitate Neapolitanâ, in quâ oratores domicilium contraxerant; omnibusque verificatis devenit ad decretum dispensationis; ac pro servandâ formâ concilii Tridentini; fuit matrimonium contractum in dictâ civitate Neapolitanâ coram proprio parocho, quia contra nonnullos contrarium sentientes (quod obiter dictum sit) parochus solius originis, non censetur proprius ad aliquos in matrimonium conjungendos, qui alibi tempore hujusmodi contractûs domicilium contraxerunt; cùm illa propria parochia dicatur, in quâ quis habet domicilium propriæ habitationis, juxta decretum concil. Trid., session. 24, cap. 1, Sanch. libro 3, dispens. 23, numero 7.

Ad hanc autem conclusionem facit notorius textus in cap. *Cùm nullus*, de Temp. ordin., in 6, ubi eadem ratio viget, cùm alia contraria deprehendi non possit, ac proinde erit ejusdem juris dispositio, l. *Si postulaverit*, § *Ratio*, ff. de Adult. l. *Illud*, vers. *Sed magis*, ff. *Ad l. Aquil.*, Oldrad. cons. 185, in fin., Gloss. in l. *Sed et si lege*, § *Puto posse*, vers. *Habeant*, ante fin., ubi invehit contra notantes, seu considerantes diversitatem casuum, ratione contemptâ, ff. de Petit. hæred.; et ad quamcumque hæsitationem submovendam, facit permaximè doctr. Bart. in l. *Assumptio*, ff. *Ad municip.*, ubi satis apertè docet quòd origo, quoad omnes suos effectus, per quamcumque domicilii translationem, nunquàm amissa censetur; idem dixit Alex. in l. *Cùm quædam*, n. 4 et 5, de Jurisd. omn. jud., etiam per absentiam mille annorum; quinimò nec illi renuntiari potest, ut per Boer. decis. 13, num. 3, cùm naturalia mutari non possint, ut dictum est, § *Sed naturalia*, instit. de Jur. nat. gent. et civ.; Jas., in l. *Si arrogator*, vers. *Et istud confirmatur*, ff. de Adopt.; id. Boer. num. 12.

PROPTER ILLIUS ANGUSTIAM.—Hæc est una ex frequentioribus causis, cum quibus conceduntur dispensationes matrimoniales, præsertim in gradibus consanguinitatis, seu affinitatis remotioribus. Sed hìc in praxi videamus an ipsæ litteræ dispensationis debeant executioni demandari, si præfata oratrix in alio loco insigni, vicino suæ patriæ, virum sibi æqualem invenerit, et certè videtur quòd sic, cùm prædicta dispensatio sit libera, et absque conditione concessa; nam licèt ipsa sit stricti juris, et strictè interpretanda, c. *Quòd dilectio*, de Consang., et Affin., c. 1, in fin., de Fil. presb., in 6 Nihilominùs est latè interpretanda, quatenùs verba sonant, et ipsorum verborum natura requirit; et ita servatur in hâc Curiâ archiepiscopali Neapolitan. teste Marco Antonio Genuen. in suâ Praxi, cap. 20, n. 4 et 5, ubi, ex hoc ita concludit, quia in dispensatione non apponitur aliqua conditio, ac propterea illius verba non sunt aliter interpretanda quàm sonant, quia si Papa aliàs voluisset, profectò id expressisset; ac propterea dixisset: *Dummodò in alio loco circumvicino suæ patriæ, et insigni, virum paris conditionis invenire nequeat*, vel per alia verba æquipollentia; sed hìc contentatur, ut sufficiat oratricem non invenire virum paris conditionis in loco unde ipsa orta est, prout narratur in supplicatione; et sic non est recedendum à vi verborum; id. Genuen. loc. cit.; necnon Sanch., lib. 8, disp. 19, n., 13, dicit absolutè esse sufficientem causam non inveniri matrimonium æquale intra proprium feminæ oppidum, quia, ut aliàs diximus, durissimum est cogi feminam extra proprium oppidum nubere, ne sic parentum consortio destituta remaneat; sicut etiam dicendum est de oratrice habente dotem minùs competentem; nam hæc causa est sufficiens, et satis verificabitur, licèt in locis circumvicinis reperiatur matrimonium æquale, et cum illâ dote oratricis, non autem in proprio; circa quod subdit id. Sanch. loc. citato, quòd congregatio dèclaravit ad instantiam archiepiscopi Mediolanens., die 28 novembris 1570, his verbis: *Clausula illa, quæ in dispensationibus occasione dotis incompetentiæ apponi solet, videlicet, quia virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur et justificatur per diligentiam duntaxat præstitam in ipso loco mulieris, et non in locis circumvicinis.*

Benè tamen advertit idem Genuen., d. cap. 20, n. 14, quòd magnam diligentiam adhibere debet delegatus cui commissa est dispensatio propter angustiam loci aut incompetentiam dotis, quia ut plurimùm dictæ dispensationes sæpè solent esse subreptitiæ; et propterea solet aliquando Curia se informare ex officio et non examinare testes à parte productos, maximè quando personæ quæ contrahere intendunt, sunt infimæ qualitatis, et locus non est valdè angustus, nempe Casalo Afragolæ, aut oppidum Turris Octavæ hujus diœcesis Neapolitanæ.

Hæc eadem causa scilicet, ob angustiam, usque a d annum nonum pontificatûs fel. record. Pauli V passi m

admittebatur, non modò in locis angustis, verùm etiam amplis et populatis; quinimò etiam in magnis civitatibus, nempe Neapolitanâ, nec non in ipsâ Urbe: ex eo quòd oratrices talis qualitatis esse poterant, quòd respectu illarum non inveniebant in illis viros paris conditionis, cui nubere potuissent. Verùm re maturè perpensâ, cùm inverisimile videretur, non solùm in tam insignibus, verùm etiam in parvis civitatibus posse hanc causam ita passim et facilè verificari, ipse Paulus, meo tempore, eam substulit, quoad angustiam civitatis, ut aliàs diximus; suisque officialibus ad id præpositis præcepit ne deinceps illam admitterent, prout ea regulariter denegatur, ut hìc.

Neque hâc ratione, appellatione loci, per cujus angustiam datur ista dispensatio, veniunt suburbia civitatis, licèt aliquantùm ab eâ distent, prout rescriptum fuit episcopo Lauden. à Bernardino Paulino datario Clementis VIII, quamvis si per milliare, sive paulò minùs distent, licitè videtur posse hujusmodi causam admitti, prout admissam diù videmus in loco Pausilyppi hujus diœcesis Neapolitanæ.

Attamen, quia aliquando contingit in quibusdam parvis civitatibus, ut putà Vican. Massalubren., Capritan., Isclan., reverà oratrices ob illarum angustiam non invenire in illis pares sibi viros; sicque causam hujusmodi angustiæ verisimiliter in hujusmodi civitatibus verificari posse existimatur, illam admitti videmus; si tamen de hâc angustiâ exhibeatur fides ordinarii attestantis civitatem non excedere numerum trecentorum focolariorum; et non aliter hodiè conceduntur similes dispensationes, licèt quandoque sine ipsâ attestatione; additâ semper in illarum supplicationibus qualitate personarum, ut saltem sint ex honestis familiis, quæ tanquàm causa venit etiam verificanda, ut aliàs diximus; ac præter expressionem ab ipsis oratoribus numeri focolariorum civitatis, additur etiam hæc clausula per officiales, nempe: *Et dummodò præfata civitas trecentorum focolariorum numerum non excedat.*

Idemque servatur si oratrix sit ex loco, orator verò ex civitate orti; nam ex quo narrativa gratiæ dispensationis secundùm usitatum stylum concipi debet, quòd oratrix in loco et civitate præfatis, etiam de illo ad illam se transferendo, ob illorum angustiam virum, etc., profectò, causa hæc non admittitur, respectu civitatis, nisi illa adeò parva fuerit, ut supra, et cum supra dictis limitationibus et expressionibus.

Hujusmodi autem praxis, sive stylus, à tempore pontificatûs prædicti Pauli V, citra ubique ita tenaciter servatur, ut nemini ambigendi locum relinquat; urgente etiam Papæ datario, qui tanquàm illius mentis oraculum, non semel de hâc re consultus, sic servari debere respondit, prout ab omnibus, etiam magni nominis, episcoporum vicariis, ad sic dispensandum delegatis, certum est inconcussè servari; inter quos non postremas retinet partes illustrissimus et reverendissimus dominus Franciscus Gaeta, nobilis Salernitanus, V. I. D. qui tum in vicarii apostolici Ecclesiæ Anglonen., tum generalis, archiepiscopi Zarentin. aliarumque; præcipuarum hujus regni Ecclesiarum munere obeundo, ob ipsius eximiam doctrinam, vitæque integritatem cæterasque virtutes, quibus clarescere dignoscitur, rescriptorum apostolicorum usum plurimùm callens, ad ipsius summi Pontificis mentem, litteras hujusmodi dispensationum debitæ executioni, eâ quâ par est sedulitate in ipsâ facti contingentiâ, juxta dicta in eodem c. 4, n. 45, nunquàm destitit demandare; quorum omnium intuitu, à S. D. N. Alexandro Papâ VII, ad Ecclesiam Bitectensem fuit nuper non immeritò evectus.

Vidi sub pontificatu Innocentii Papæ X, concedi similes dispensationes pro nobilibus oratoribus, cum hâc narrativâ, videlicet: *Quòd cùm dicta mulier in civitate Melphiten, in quâ decem tantùm nobilium familiæ existunt, propter illius angustiam virum*, etc., *et dummodò dicta civitas decem familias nobilium non excedat*, etc.

Hujusmodi tamen restrictio non capit ea loca seu oppida quæ ex communi usu loquendi civitates nuncupantur, et secundùm consuetum stylum datariæ dici consuevit, oratorem, sive oratricem ortum sive ortam ex tali loco seu oppido, civitate nuncupato, quia hoc tantùm intelligitur de verâ civitate quæ talis tunc verè est, quando videlicet habet proprium episcopum; Rebuff., super concord. rubr. de Coll., § *Statuimus*, 2, verbo *civitatibus*; Bart. in Extrav. *Qui sint rebelles*, verbo *Lombardiæ*.

NON CONSANGUINEUM, etc., PARIS CONDITIONIS. — Hæc verba dependent à proximè dictâ clausulâ, et in unum et idem tendunt, et augent causam ipsam, moventque Pontificem ad dispensandum; ex eo quòd expedit matrimonium contrahi inter pares; Socc. cons. 53, col. 2, ubi citat carmen poetæ Sulmonensis in epist. Dejaniræ ad Herculem, ibi:

Si qua voles aptè nubere, nube pari

Sic refert Bald. in l. *Si major*, c. de legit. hær.; Hostiens. in Sum., tit. de Test., vers. *His autem deficientibus*: Joan. Lup. in Rep. c. *Per vestras*, de Donat. int. vir. et uxor., quod etiam citavit id. Bald. in Auth. Res. quæ, col. penult., vers. *Ultimò nota*, c. *Comm.* de Leg. Joan. Fabr. in rubr. instit. de Nupt., ubi monet, hoc præcipuè observandum esse ab his qui matrimonium contrahunt, scilicet, ut parem ducant non solùm conditione sed etiam ætate; cujus disparitas, licèt non sit causa ad dispensandum, nihilominùs à contrahere volentibus, id est, maximè attendendum, ob insignem et nunquàm satis laudatam doctrinam Barth. Cepol. in suis Comment. in tit. ff. de Edilit. edict., l. *Præcipiunt*. fol. mihi 137, dùm suadet volenti ducere uxorem, ut potiùs ducat juvenem quàm vetulam, quò possit illa ad suos mores reformare; si enim aliis fuerit moribus imbuta, nunquàm vel rarò de eâ bonum fructum capiet, præsertim si alium habuit virum, cum quo est inveterata; si autem vir esset senex, faciat totum contrarium, quia non debet accipere uxorem juvenem vel puellam, sed coætaneam; alioquin incidet in calamitatem, de quâ idem Cepol, d fol. 137, à tergo num. 7. Præterea dixit Tiraquell.,

de Leg. connub., gloss. 1, p. 6, num. 19, quòd si maritus et uxor sint correspondentis ætatis, quæ placebunt naturaliter uni, placebunt pariter et alteri; si è contra, secùs erit; nam juvenis cupiet ire cubitum, senex verò ad ignem sedere; quoniam in lecto dormire non posset, licèt non adeò indecorum aut novum videatur matrimonia inter viros disparis statûs, et in quâcumque quantùmvis provectâ ætate contrahi; cùm sæpè videamus mulieres vetulas juvenes etiam teneræ ætatis in viros, senes juvenculas in uxores ducere, quandoquidem nec sexagenarius dicitur destitutus spe liberos procreandi, Menoch. de arbitr. judic., casu 89, num. 60, et dixit Rota in unâ Romanâ donationis de Incasasis, 26 Junii 1626, coram Merlino et in unâ Romanâ matrimonii, 11 decembris 1630, coram Coccino, in quâ probatur sexagenarios non excludi à connubiis contrahendis, nec carere facultate generandi, quòd lex Papia Popea, quâ contrarium statutum erat, uti injusta fuit abrogata primò per Claudium Cæsarem et deinde per Severum et Justinianum, ut in l. *Sancimus*, 2, c. de Nupt.; imò nec etiam septuagenarius, si nullo alio impedimento præter senectutem laboret, sit destitutus spe prolis suscipiendæ, ut in d. Romanâ donationis, 26 maii 1628, coram Merlino, Add. ad Buratt. decision. 705, n. 7 et 8.

Unde etiam jura facilè inter pares matrimonium præsumunt, non autem inter dissimiles et inæquales, textus est in l. *Imperialis*, § *Imò*, c. de Nupt., et ex cap. *Qualiter*, 30, quæst. 5, desumitur quòd inter impares personas non præsumitur matrimonium, nisi interveniant instrumenta dotalia; quod quidem non solùm videtur sibi locum vindicare in matrimonio, verùm etiam in omni societate et amicitiâ; nam ditiores et nobiliores non debemus sequi, sed potiùs æquales, quia neque satis firma, neque tuta est pauperi cum opulentis amicitia. Unde in proposito, etiam Cleobolus philosophus docebat uxorem ex paribus ducere, quia si rusticus nobilem ducat, semper illa eum rusticum vocitabit et contemnet: nobilis enim odio semper habet rusticos, et è contra, Bald. in l. *Per adoptionem*, ff. de Adopt. Ad quod multùm confert fabula illa Æsopi, in quâ leo, asinus et vulpes societatem inter se inierunt; ut quod venatu cepissent, id in commune partirentur; ubi quampiam prædam nacti sunt, leo jubet, ut asinus partiatur; ille, ùt erat stolidus, in tres partes æquales distribuit; quamobrem leo indignatus quòd cæteris æquaretur, asinum dilaniat; restabat vulpes; cum de integro partiri jubet, illa totam fermè prædam leoni attribuit, sibi vix paucula quædam servans. Leo, comprobatâ distributione, rogat quisnam illam partiendi artem docuisset, cui vulpes: Calamitas, inquit, asini; ex hoc dicta est *leonina societas*, in l. *Si non fuerint*, § *Aristo.*, ff. *Pro societate*; idem Tiraquell. in 5, leg. connub. gloss. 1, parte quintâ.

Præcipua igitur sententia hinc elicitur, quisquis ille sit, parem sibi ducat; unde Solon, unus ex illis sapientibus, ait: Par pari jugato; conjux, quod impar est, dissidet; proinde consulerem nubere volentibus, ut omnem ad hoc adhibeant diligentiam; nam damnum quod postea suâ culpâ contingit, sibi, et non alteri imputatur, ad text. in l. *Inter cohæredes*, § *Quod ex facto*, ff. famil. ercis., l. *Si fratres*, § *Fin.*, ff. pro soc., l. *Quòd quis ex suâ culpâ*, ff. de Reg. jur., quia taliter contrahendo, videtur approbare ipsius conjugis mores, non tantùm præteritos, sed futuros, Bajard. ad Jul. Clar. in § *Adulterium*, numero 115. Et satis experientiâ compertum est quòd dùm matrimonia inter inæquales contrahuntur, infelices exitus sequuntur; maximè cùm vir pauper feminam ducit divitem, juxta dictum Juvenalis, satirâ 6, ibi:

Intolerabilius nihil est, quàm femina dives;

et in eâdem satyrâ, ibi:

Veniunt à dote sagittæ,
Libertas emitur;

et dixit Neviz. in Syl. nupt. libro 2, numero 55, quòd qui ducit uxorem pauperem, ponit in domo suâ pauperlatem, et qui divitem, ponit tempestatem. Consuluit tamen Alex. cons. 208, col. 2, l. 6, nobilem divitemque mulierem, licèt deformem, quæ pauperem, formosum tamen virum sibi matrimonio desponderit, non videri nupsisse indigno, cùm debeat mulieris nobilitas et divitiarum copia cum formâ viri compensari, juxta not. per Bald. in c. *Super*, t. 2, de Test., et ibi Imol. et Panorm., ac formam mulieris, etiam pauperis, compensari, cum divitiis aut notabilitate viri aliaque ad rem permulta congerit idem Tiraquell., d. gloss. 1, p. 5, num. 16, cum pluribus seqq.

Hæc verò causa inæqualitatis et imparitatis, adeò potissima est, ut non solùm summus Pontifex eam admittat ad matrimonium inter consanguineos contrahendum, verùm etiam ad matrimonium ratum, non tamen consummatum, dissolvendum etiam, non adhibito mutuo consensu conjugum; quia existente causâ, potest sum. Pontifex dispensare, altero eorum invito: unde Sanch. l. 2, disp. 15, n. 7, ait: Si causa justa subsit, repugnantia alterius nequit pontificiam potestatem impedire, ne alteri habenti justam dissolvendi causam, petentique dispensationem, consulat, cùm ipse habeat plenam potestatem: nam experientia docuit nonnunquàm ipsos summos pontifices dispensâsse super hujusmodi matrimonio quandò contrahentes sunt notabiliter conditione impares, ob infelices exitus qui potuissent evenire ex tali matrimonio; sicut etiam, quando adest timor futuri scandali, ex quo possunt rixæ et inimicitiæ exoriri, imò ut plurimùm et neces, ut ait Sanch., dicto lib. 2, disputat. 16, n. 2, 3 et 4; nam licèt difficilis reddatur super hoc dispensatio, attamen meo tempore bis vidi ita dispensari per Paulum V, et suo loco congruentiùs dicemus.

Ad rem igitur redeundo, advertas, contra nonnullos contrarium sentientes, quòd videlicet, narratâ per oratores, unâ causâ, non poterit alia, licèt vera, non tamen expressa, juvari; veluti si causa, ob angustiam exprimatur, ut supra; postmodùm verò, eâ omissâ, velint aliam probare coram executore, prout infra dicetur; et aliàs quidem delegatus fieri id posse prætendebat, ac mordicùs defendebat, qui præsentatis sibi

litteris dispensationis, cum causâ ob angustiam loci, cùm in illarum processu non benè fuisset causa hæc probata, volebat nihilominùs litteras ipsas exequi, ex eo quòd licèt cessasset supradicta causa, attamen alia aderat satis probabilis, nempè incompetentia dotis oratricis, quæ quidem causa, si fuisset expressa Pontifici, utique illam admisisset, maximè cùm in his gradibus remotioribus, passim eam admittat: unde habendum erit pro disposito, quòd verisimiliter Pontifex disposuisset si sibi pro hujusmodi dispensatione cum hâc aliâ causâ fuisset supplicatum, arg. l. *Tale pactum*, § *Fin.* de Pact., ac insuper quia in his remotioribus gradibus, ipse Pontifex etiam sine aliquâ causâ frequenter dispensat.

Hoc enim prorsùs negatur; nam secundùm hanc praxim, vulgatis juribus satis fultam, dicendum est quòd nunquàm à delegato erit alia causa in litteris non expressa, admittenda, quia, cùm dispositio fuerit ad unam causam limitatam, non erit extendenda; vulg. l. *In agris*, ff. de Acquis. rer. dom., l. *Milites*, ff. de Re milit.; Paris., cons. 94, n. 18, vol. 1; sed denuò sunt preces Pontifici porrigendæ ut novas litteras, cum expressione veræ causæ concedat; vel saltem, cum novâ supplicatione signatâ, priores litteræ, aptatâ verâ causâ, priorique delatâ, per cancellariam corrigantur, aut aliæ de novo, etiam in formâ *Perinde valere*, si factum ita postulet, expediantur.

Insuper alia et potissima ratio est cur non possit delegatus hanc novam causam in litteris non expressam admittere, nempe quia istæ litteræ tantùm valent quantùm sonant, stantibus clausulis infra positis, videlicet: *De præmissis te diligenter informes*, etc, et: *Si preces veritate niti repereris*, etc., onerando conscientiam ipsius delegati, qui non potest excedere fines rescripti, cùm illud stricti juris sit, et non extendatur ad non expressa, c. *Fin.* de Rescrip.; Marc. Anton. var. Resol. l. 1, res. 39, n. 11.

Invenire nequeat.— Non tamen tenetur ipsa oratrix per se sibi virum quærere, cùm id non patiantur illius pudor et honestas; et sic licèt in quibuscumque casibus et dispensationibus apposita sint supradicta verba, sufficit tamen quòd in verificatione narratorum testes deponant quòd non inveniatur vel non adsit vir qui velit oratricem in uxorem ducere; et hic est communis usus.

Sed quia tertio et quarto. — Oportet enim ut oratores exprimant quoto gradu consanguinitatis seu affinitatis, vel publicæ honestatis ex matrimonio rato (in quo sunt gradus conjuncti) existunt, contrahere volentes; ut constat ex communi stylo Curiæ, de quo testatur Sanch., l. 8, disp. 24, n 2, subdens ibi, quia, quò gradus conjunctior est, eò difficiliùs datur dispensatio, ac major compositio, urgentioresque causæ requiruntur.

Seu, ne circa expressionem graduum praxin nudam relinquamus, videndum erit quomodò et usque ad quem gradum consanguinitas et affinitas impediat matrimonium contrahendum, propterea dicendum erit quòd olim Ecclesia conjugium interdixerat usque ad septimum gradum, ut habetur in c. *Ad sedem*, 85, q. 5; postmodùm verò, sub Innocentio III, in concilio Lateranensi restricti sunt gradus consanguinitatis usque ad quartum gradum inclusivè, ut habetur ex cap. *Non debet*, de Consang. et Affin., cujus verba sunt hæc: *Prohibitio quoque copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio, hujusmodi prohibitio generaliter observari*, etc., et ibi Gloss. in verb. *Quarto*, ubi dicit quòd idem esset si tertio vel secundo, id est, cum quinto secundùm regulam frequentem, quia nihil attinet ei qui ex aliâ lineâ est in quinto, licet magis appropinquet communi parenti, et idem in Clem. *Eos*, eod. tit., et nos alibi diximus.

Et aliàs sacra congregatio declaravit quòd qui sunt in quarto et quinto gradu possunt contrahere matrimonium sine dispensatione, idem si sunt in tertio et quinto, teste card. Bellarmino in Declarat. ipsius sacræ congreg., fol. 357; quæ et declaravit quòd quando dubitatur an contrahentes sint in quarto vel quinto ordinarius arbitrabitur qui testes vel probationes magis probent, ut illis credat; id. dict. fol. 357.

Cùm igitur ex præmissis prohibitio conjugalis non excedat quartum gradum, profectò cùm attendatur remotior gradus, in quarto et quinto gradibus nullum adest impedimentum, ut in c. *Fin.*, de Consang. et Affin. ibi: *Vir qui à stipite, quarto gradu, et mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundùm regulam approbatam, quâ dicitur: Quoto gradu remotior distat à stipite, et à quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem, contrahentes, sive impedimenti consanguinitatis sive affinitatis ita conjuncti, licitè possunt matrimonialiter copulari*; propterea non requiritur desuper dispensatio ad contrahendum, quamvis ad tollendum murmurationes ignorantium jura, consueverit in hoc casu et in quibusdam locis, sicut etiam in hâc curiâ archiepiscopali Neapolitanâ ad instantiam prædictorum contrahentium, declarari, nullum inter eos adesse impedimentum, prout testatur Genuen. in Praxi ejusdem curiæ, c. 20, num. 10, et super hoc fieri consuevit declaratorium decretum, tenoris sequentis, videlicet:

Die, etc., *visâ informatione, quâ constat, supradictos contrahentes in quarto et quinto à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus, invicem esse conjunctos, per reverendissimum D. vicarium generalem Neapolitan. fuit provisum, decretum ac declaratum, distantiam prædicti quarti gradus, stante dicto quinto gradu, non obstare; et propterea per præsentes cum eisdem N. et N. in prædictis gradibus ordinariâ auctoritate dispensavit, et declaravit licere eisdem N. et N. matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodum remanere; prolemque exinde suscipiendam, prædictâ auctoritate ordinariâ legitimam nuntiando et ita*, etc.

Ita etiam potest episcopus, ubi impedimentum est dubium, pari ratione dispensare, quod tamen ita distinguit Sanch., lib. 8, disput. 6, num. 18, quòd si omninò res est dubia an interveniat impedimentum necne, nullâ opus est dispensatione quia in hoc dubio,

præsumptio est pro libertate matrimonii; tunc posset episcopus, gratiâ tollendi scandala, declarare non esse opus dispensatione, vel ad cautelam dispensare. Credit ille tamen, hanc non esse veram dispensationem; nam si postea inito matrimonio, constaret de impedimento dirimenti, opus esset novâ summi Pontificis dispensatione; cùm nûllibi reperiatur, posse episcopum in casu dubio impedimenti dirimentis dispensare; cùm hæc sit quædam prudentialis declaratio, quam etiam vir doctus facere posset.

Unde pluries in hâc curiâ archiepiscopali practicatum fuit ut quando ab aliquo datur aliquod impedimentum ad contrahendum, sive per malitiam, sive quocumque alio modo, nec tamen postmodùm inquisitâ diligentiùs veritate, comperiatur adesse tale impedimentum, consueverit per decretum ipsius curiæ declarari; ex quo non constat de tali impedimento licere matrimonium contrahere.

Stante tamen notorio stylo curiæ, ista declaratio ac rejectio falsæ imputationis non videtur liberè, sed tantùm in casibus non ita arduis, ordinario permissa, cùm aliàs pro eâ sit omninò recurrendum ad summum Pontificem; sicut tenent antiqui, et practici curiales; unde in similibus casibus in dies, eo quo sequitur modo supplicari consuevit, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. et N. Neapolitan. diœcesis, quòd ipsi ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupiunt invicem matrimonialiter copulari; et licèt nullum eis canonicum obstet impedimentum, quominùs id facere possint; quia tamen à nonnullis, id forsan ægrè ferentibus, falsò assertum fuit, dictam oratricem esse uxoris dicti oratoris, jam defunctæ, sororem ex illicito coitu procreatam, quominùs contrahant, impediuntur, supplicant, etc., *oratores præfati, quatenùs eis in præmissis opportunè providendo, sibique specialem gratiam faciendo, ordinario loci, vel ejus vicario in spiritualibus generali, committere et mandare, ut se de præmissis diligenter informet; et nisi, inquisitâ per eum super præmissis, diligentiùs veritate, coram eo legitimè, probatum fuerit, oratricem prædictam esse uxoris præfati oratoris, jam defunctæ sororem, ex illicito coitu procreatam, ut præfertur, eamdem imputationem apostolicâ auctoritate rejiciat, eâque non obstante, oratores prædictos, dummodò nullum eis canonicum obstet impedimentum matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valere, dictâ auctoritate declaret, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et de commissione, mandato, aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis; et quod præmissorum omnium et singulorum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris per officium contradictarum expediendis, et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui declaret, ut supra.*

Datur etiam hujusmodi declaratoria etiam post contractum matrimonium, quatenùs ita facti qualitas necessariò suadeat, ut in sequenti formulâ, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur, etc., *pro parte*, etc., *Antonii N. laici Neapolitan. etiam in civitate Aversan. commorantis, et Joannæ N. mulieris Neapolitan., quòd ipsi certis*, etc., *cupiebant invicem matrimonialiter copulari, et licèt nullum obstaret impedimentum canonicum, quominùs*, etc., *possunt, quia tamen à nonnullis*, etc., *postquàm dictus orator in ejus parochiali Ecclesiâ in dictâ civitate Aversan. monitiones, juxta formam concilii Tridentini fieri curavit, falsò assertum fuit dictam oratricem ab oratoris genitore carnaliter cognosci passam fuisse, quominùs contrahere posse impediebantur, propter quod oratores præfati matrimonium inter se per verba de præsenti publicè, servatâ formâ concilii prædicti in civitate Neapolitanâ contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, et carnali copulâ consummârunt; postmodùm verò dicto oratore in civitate Aversanâ, ubi domicilium antea contraxerat, cum oratrice reverso, ordinarius Aversan. eos, prætextu nullitatis matrimonii hujusmodi, sacramentorum ecclesiasticorum participatione privavit seu privari mandavit. Supplicant igitur humiliter S. V. oratores prædicti, quatenùs eis*, etc., *providendo sibique*, etc., *faciendo, eidem ordinario Aversan. sive ejus vicario*, etc., *committere*, etc. *ut de præmissis*, etc., *informet, et nisi coram eo legitimè probatum fuerit, dictam oratricem à prædicti oratoris genitore carnaliter cognosci passam fuisse, eamdem imputationem rejiciat, eâque non obstante, eosdem oratores, si nullum aliud eis obstet canonicum impedimentum, in eorum sic contracto matrimonio remanere liberè et licitè posse declaret, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus*, etc.

Litteræ verò hujus declaratoriæ fuerunt expeditæ sub datum Tusculi 1652, non. junii; pontificatus S. D. N. Innocentii X anno octavo.

Addit nihilominùs ad superiùs dicta, id. Genuen., d. cap. 20, num. 17, censeri validum impedimentum ad contrahendum matrimonium intra quintum gradum ex consuetudine, quando oriretur scandalum in aliquo loco; et si contraheretur, matrimonium esset nullum, ex juribus ibi per eum allegatis, quod præcipuè occurrere potest, ubi etiam episcopus forsan prohibuerit ne matrimonium contrahatur in quarto et quinto gradu; sed meo judicio frustra additur novum impedimentum præter tot canones, quia cùm copula conjugalis quartum gradum non excedat, profectò errant qui suis constitutionibus, decretis, aut aliis modis prohibent, ne in quarto et quinto gradu, sine ordinarii licentiâ aut declaratione, matrimonia contrahantur; hujusmodi enim impedimenta sunt contra expressum casum legis, d. c. *Non debet*, de Consang. et Affin., et c. *Cum locum*, de Sponsal. Leo in Thes. for. eccles. p. 2, c. 8, sub num. 39.

A COMMUNI STIPITE PROVENIENTIBUS. — Nisi verba hæc adderentur, redderetur profectò subreptitia dispensatio, si fortè id impedimentum ex duobus stipitibus proveniret, nempe in tertio ex uno, et quarto

ex altero : hoc enim modo, duo essent impedimenta, super quibus necessariò requireretur dispensatio; ex quo cessat ratio propinquioris gradûs, super quo petitur declaratio, quòd ille non obstet, ut infra dicemus. Est igitur hoc necessariò exprimendum, sicut expressio multiplicitatis eorumdem graduum, tam si provenient ex uno, quàm ex pluribus stipitibus, nempe si tertius et quartus gradus prædicti provenirent ex duobus stipitibus, veluti tertius ex uno, et quartus ex altero, quia urgentior causa requireretur; et sicut præsens dispensatio cum supradictâ expressione graduum, videlicet tertii et quarti ab ipso communi stipite, transit per manus officialium minoris gratiæ, ita si essent tertius ex uno, et quartus ex altero stipitibus, expediretur per cancellariam, solutâ majori compositione, et augeretur taxa litterarum; quod est observandum omninò circa gradus simplices, et mixtos, ut infra clariùs patebit.

Consanguinitatis gradus. — Si autem impedimentum consanguinitatis pro impedimento affinitatis, vel è contra fortassè per errorem expressum fuerit in ipsâ dispensatione, erunt omninò litteræ corrigendæ; licèt enim consanguinitas et affinitas inter se non differant specie, sed tantùm quoad diversitatem graduum, Cajet., dist. 18, q. 3, art. 4, conclus. 8, Nald. in suâ Summâ, verbo *Fornicatio*, sub n. 3, id tamen verum est, quoad concessionem gratiæ, et quoad jura et emolumenta officialibus, ad id præpositis, debita, quæ ob alterutrius expressionem, non alterantur neque minuuntur; ad alios tamen effectus aliter dicendum est; nam exempli gratiâ dato quòd consanguinitas, sit affinitate majori, cùm tamen simus in materiâ dispensationis, clarum est non valere in eâ argumentum, non modò à paritate, verùm neque à majoritate rationis, Felin. in c. *Postulâsti*, de Rescript., Ludovis., decis. 358, n. 15. Unde perperam litteræ harum dispensationum exequuntur, dùm in illis unum pro alio fuerit expressum; cùm totum id sit etiam contra mentem Papæ, ac notorium ipsius Curiæ stylum, qui debet omninò servari, c. *Quàm gravi*, de Crim. fal. Ac propterea eodem stylo introductum est ad succurrendum erroribus qui circa hanc expressionem occurrere possunt, cùm ignorari contingat an impedimentum super quo petitur dispensari, sit consanguinitatis, an vero affinitatis, ne litterarum earumdem expeditio retardetur, ut possit in illis utraque, alternativè tamen, exprimi, sic dicendo, nimirùm : *Sed quia tertio et quarto à communi stipite provenientibus consanguinitatis, vel affinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, seu se attinent.* Nec per hanc alternatam expressionem, consueta jura cameræ in aliquo alternantur, ut dictum est, nisi in quibusdam paucis. Quapropter non advertit Dian. in tract. 10, de Leg. resol. 36, ita se hunc stylum et praxim habere, dùm dicit, quòd si in bullâ fuerit erratum incuriâ scriptoris, ut si, verbi gratiâ, Papa commisit officiali quòd, si preces veritate niti repererit, cum oratoribus apostolicâ auctoritate dispenset; sed erratum fuit, nam pro tertio affinitatis gradu, fuit appositus tertius gradus consanguinitatis; valet dispensatio : hoc enim nullo modo, neque in theoricâ, neque in praxi per rationes supra allatas, sustineri posse videtur ob ejusdem dispensationis naturam, ut dictum est; unde benè contrarium, veramque praxim adstruit Sanch., dicto l. 8, disp. 24, num. 10, dùm dicit quòd si error contingat, narrando majus impedimentum, cùm tamen sit minus diversæ speciei, ut si dicatur contrahentes esse consanguineos in secundo gradu, cùm tamen non sint nisi affines in secundo vel tertio, dispensatio erit subreptitia, quia, cùm sint diversa impedimenta, nec unum claudatur in altero, dispensatio in uno, nequit explicari, ut censeatur in altero concessa; ex quo dispensatio super uno defectu, non est dispensatio super alio, et allegat Bald., in c. *Innotuit*, n. 17, de Elect. et Afflict., in decis. Neapol. 320, n. 12. Quinimò ad hujus praxis corroborationem, addit id Sanch., loco cit., id sibi etiam locum vindicare in generali facultate alicui concessâ ad dispensandum, etiam super impedimentis consanguinitatis; quia licèt similis facultas respectu illius cui conceditur, sit latè interpretanda, et contra propriam naturam ipsius dispensationis, sicut aliàs diximus, nihilominùs id intelligitur, quando casus, ad quem fit extensio, potest sub ipso casu expresso comprehendi; quod tamen hìc non cadit, cùm simus in casu diversæ speciei. Ac propterea videmus quòd in facultatibus, quæ dantur legato, seu nuntio sive aliis personis ad dispensandum super impedimentis dirimentibus, semper dicitur, ut ipsi possint dispensare super gradibus consanguinitatis, sive affinitatis propter rationem prædictam, videlicet, quia sub unâ specie altera non continetur; id Sanch., loco citato.

Sunt conjuncti. — Nam propriè consanguinei dicuntur, quia inter se sanguine conjuncti sunt, l. 1, § penult., ff. de suis et legit. Hæred. Si verò impediuntur oratores impedimento affinitatis, tunc non dicitur, *sunt conjuncti*, sed *se attinent*, ex eo quòd affinitas est attinentia personarum ex copulâ proveniens, c. *Quod super his*, de Consang. et Affin.

Sed cùm ad hos gradus dignoscendos, magis veritas oculatâ fide quàm per aures animis hominum instigatur, ideò necessarium duximus, post narrationem graduum, eos etiam hìc inscribi, quatenùs possint, et auribus et oculorum inspectione, adolescentes perfectissimam eorum cognitionem adipisci, ut dicitur etiam in § *Agnationis*, instit. de Gradibus cognationum, ubi Glossa in verbo *Per aures*, allegat Horatium in Arte poeticâ dicentem :

Segniùs irritans animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Et rationem reddit Seneca; nam homines magis oculis quàm auribus credunt. Propterea, cùm sæpè contingat matrimonia in gradibus prohibitis per errorem contrahi, ne id facilè, maximè inter idiotas personas, eveniat, quantùm fieri potest, erroribus hujusmodi occurrere curabimus; ac cùm ex graduum consanguinitatis aut affinitatis imperitiâ erretur, non abre consanguinitatis figuras, sed arbores hìc inserere

placuit; ut præcipuè distantium personarum habitudo cognoscatur, scilicet, quomodò duæ personæ inter se stent, ut totum id in supplicatione dispensationis exprimi possit. Ad discernendum autem quot modis possint insurgere impedimenta, præsertim quando illa per gradus distinguuntur circa matrimonia contrahenda; ac quomodò iidem contingere gradus, sive ex uno tantùm sive ex pluribus stipitibus, ad effectum petendi super illorum impedimentis, ipsam dispensationem, ex infrascriptarum arborum cognitione, omnes alias arbores secundùm casus contingentes quilibet ex se formare facillimè poterit, ac impedimenta inde provenientia discernere; etiamsi contingat hujusmodi arbores ex pluribus stipitibus duplicari seu multiplicari, ut dictum est. Et primò ponamus arborem tertii et quarti consanguinitatis, quibus oratores in his litteris nominati conjuncti sunt, quæ talis est, videlicet:

Arbor tertii et quarti consanguinitatis graduum.

— —Joannes— —
stipes.

Octavius	Lucas
I.	I.
Antonius	Marcus
II.	II.
Stephanus	Anna
sponsus	III.
III.	
	Catharina
	sponsa
	IV.

Ex hâc quidem arbore vides quòd communis parens fuit Joannes, qui secundùm leges dicitur stipes, et juxta communem usum rusticorum, vocatur Cippus; Angel., in l. fin. de Verb. sign. Ejus filii fuerunt Octavius et Lucas, qui dempto Joanne stipite, sunt in primo gradu; nam jus canonicum, etiam collateralibus primum gradum constituit, ut scilicet frater sit fratri in primo gradu consanguinitatis; quia canonistæ non considerant stipitem, nec computando gradus, procedunt ascendendo et descendendo, sed per saltum de unâ scalâ ad aliam; et consideravit jus canonicum, quòd duo fratres tribuant initium lineæ collaterali; ideò eos in primo gradu illius lineæ constituit, et de eodem jure ad causandum novum gradum, duæ personæ requiruntur, quia matrimonium sine duabus personis esse non potest, cùm eæ sint una eademque caro et duæ personæ unum tantùm gradum constituant, text. in c. *Ad sedem*, § *Quia verò*, 35, q. 5. Ex Octavio descendit Antonius; ex Lucâ descendit Marcus, qui sunt in secundo gradu; ex Antonio descendit Stephanus sponsus, ex unâ lineâ; ex Marco descendit Anna, qui sunt in tertio gradu; ex Annâ autem descendit Cathar. sponsa. Unde Stephanus et Catharina sunt conjuncti in tertio et quarto consanguinitatis gradibus, ex communi stipite inæqualiter descendentes.

Pro æqualiter verò descendentibus, etiam ex uno eodemque stipite, et in quarto gradu consanguinitatis, hanc arborem subjicimus, videlicet:

Arbor quarti consanguinitatis gradûs.

— —Petrus— —
stipes.

Antonius	Franciscus
I.	I.
Lucas	Joannes
II.	II.
Maria	Horatius.
III.	III.
Matthæus	Joanna
sponsus	sponsa
IV.	IV.

Nec quia supradicti Matthæus, et Joanna, et qui sunt in quarto gradu, et æqualiter descendunt ex duobus lateribus, dicitur eos esse in quarto gradu ex uno, et quarto ex altero, sicut vulgariter arbitrantur ignorantes jura, ac eamdem computationem, quia, sicut jam diximus, duæ personæ unum tantùm gradum constituunt, per d. c. *Ad Sedem*.

Sed, cùm supra præmiserimus, in his dispensationibus necessariò faciendam esse mentionem duplicitatis, seu multiplicitatis, graduum consanguinitatis, vel affinitatis, sicut aliorum impedimentorum; ex eo quòd, dùm consanguinitas ex duplici seu multiplici parte consurgit, tunc non est unica aut unius sanguinis communicatio, sed est duplex aut multiplex, Sanch., l. 8, disp. 24, n. 5, propterea hìc connectam duplicatum, et subinde quadruplicatum gradum.

Arborem igitur duplicis quarti gradûs consanguinitatis hìc subjiciamus, quæ contingere potest, tam si oratores descendant ab uno tantùm, quàm si à duobus stipitibus, licèt hæc posterior, aliis sit frequentior; est igitur, ut sequitur, videlicet:

Arbor duplicis quarti gradûs consanguinitatis.

— —Polydorus— —
stipes.

Joan. Aloysius	Franciscus
vir Ju.	I.
I.	
Franciscus	Fabricius
Antonius	II.
II.	
Joan. Baptista	Octavius
III.	III.
Annibal	Portia
sponsus	sponsa
IV.	IV.

— — Trojanus — —
stipes.

Antonius	Julia uxor
I.	Joan. Aloysii
	I.
Portia	Franciscus
II.	Antonius
	II.
Octavius	Joan. Baptista
III.	III.
Portia	Annibal
sponsa	sponsus
IV.	IV.

Ex hâc quidem arbore, præ oculis habes quòd Annibal et Portia sponsi, ultimo loco hìc positi, sunt in duplici quarto consang. gradu ex duobus stipitibus provenientis. Sub uno namque stipite, scilicet Polydoro, sunt Joan. Bapt. pater Annibalis sponsi, et Octavius pater Portiæ sponsæ; sub altero verò stipite, scilicet Trojano, sunt etiam iidem Octavius pater Portiæ sponsæ, et Joan. Baptista pater Annibalis sponsi; et sic sub utroque stipite, ipsi sponsi habent suos genitores. Initium verò hujus duplicitatis ex eo provenit, quia Joan. Aloysius, natus Polydori stipitis, duxit in uxorem Juliam natam Trojani stipitis.

Arborem verò quadruplicatam, scilicet in quadruplici quarto ejusdem consanguinitatis gradu, cujus impedimentum sæpè contingere solet, sicut et quintuplicis quarti ejusdem consanguinitatis gradûs, hìc etiam subjiciemus, eo quo sequitur modo, videlicet:

Arbor quadruplicis quarti gradûs consanguinitatis inter sponsos, Joannem et Mariam.



Joannes et Maria ultimo loco positi sunt in quadruplici quarto consanguinitatis gradu, quia Franciscus et Ludovica genitores Joannis, cùm sint in tertio gradu consanguinitatis conjuncti, contraxerunt prævià dispensatione super eodem tertio gradu consanguinitatis; et hoc quoad duplicem quartum gradum ex stipite Joanne. Quo verò ad alium stipitem Franciscum, sunt ipsi Joannes et Maria similiter in duplici quarto consanguinitatis gradu, quia Nicolaus et Hieronymas, genitores Mariæ, contraxerunt pariter prævià dispensatione, etiam in tertio gradu consanguinitatis.

Quomodò autem supradicti sponsi per ordinem descendant, jam præ oculis habes, quòd in principio harum arborum, demptis stipitibus, Joannes est vir Mariæ; Antonius verò vir Margaritæ; Ludovicus autem vir Joannæ.

Quo verò ad affinitatem, parùm refert illius etiam arborem hìc declarare, quia, sicut jam supra diximus, cùm illa ex consanguinitate per carnalem copulam oriatur, et ideò eam imitetur, juxta illius gradus omninò regulatur et computatur; ac similiter duplicatur et multiplicatur, juxta supradictas arbores consanguinitatis.

Ne tamen prorsùs illius arboris exemplo careas, simplicem figuram in quarto tantùm gradu, etiam consanguinitatis, hìc subnectere visum est, pro quibus cumque gradibus ipsius affinitatis, ut statim paulò inferiùs declarabitur et talis est, videlicet:



Unde satis patet Matthæum et Ludovicum esse inter se conjunctos quarto consanguinitatis gradu. Sed ponamus modò Ludovicum habuisse conjugem Mariam, et postea obiisse; ipsa Maria superstes vult nubere Matthæo consanguineo Ludovici in quarto consanguinitatis gradu; qui quidem Matthæus et Maria se attinent quarto affinitatis gradu, juxta regulam à nobis aliàs declaratam; vel è contra, ponamus casum quòd supradictus Matthæus habuisset conjugem Eleonoram; defunctoque Matthæo, voluerit Ludovicus ducere in uxorem Eleonoram, cùm etiam sint affines in quarto gradu, non poterunt contrahere sine apostolicâ dispensatione. Ita etiamsi loco Matthæi et Ludovici, erunt duæ mulieres in eodem quarto consanguinitatis quarum una erat uxor Joannis; illâque defunctâ, ipse

Joannes voluerit ducere consanguineam mulieris in eodem gradu; neque poterit, cùm sint impediti quarto etiam gradu affinitatis; quæ impedit, sicut impedimentum consanguinitatis, eo modo, quo supra diximus, nempe usque ad quartum gradum inclusivè, si illa ex legitimo coitu proveniat; cùm simus in affinitate primi generis, de quâ ac secundi et tertii generis, aliàs diximus.

Hæc autem arborum descriptio sufficiat ad dignoscenda impedimenta dirimentia, sive consanguinitatis, sive affinitatis; ne unum pro alio in precibus porrigendis exprimi contingat; sicut multoties contigisse compertum, litterasque dispensationis subreptitias proinde declaratas extitisse scimus; quidquid dicat Sanch., dicto lib. 8, disputat. 24, numero 17, ubi ait quòd si error sit in gradu, explicando majorem, ut secundum, cùm tamen minor sit, ut tertius, valet dispensatio; ibique hanc affert rationem, nimirùm, quia licèt dispensatio ipsa non sit specificè concessa pro tertio gradu, est tamen concessa simpliciter super impedimento consanguinitatis, cum errore circa qualitatem accidentalem inclusam à fortiori in gradu super quo dispensatur. Hoc tamen nullo modo practicari, aut aliàs sustineri posse videtur, sicut antiqua et inveterata praxis et observantia docent; nec ad id consenserunt jura ibi per eum allegata, præsertim quòd in hoc casu cesset argumentum à majoritate rationis in dispensatione: ego enim non video, quomodò hæc sua opinio neque in jure, neque in praxi valeat sustineri; quandoquidem ex diametro loquitur contra propriam naturam dispensationis, quæ tantùm valet, quantùm sonat; cùm sit stricti juris, ac propterea strictè interpretanda; adeò ut jure negetur hujusmodi argumentum in eâ non valere, ut pluries diximus.

Accedit hìc consuetus modus et stylus summi Pontificis in his dispensationibus concedendis, nempe quia diversimodè eas concedit, ut videlicet, si in remotioribus, putà in quarto, seu tertio et quarto gradibus, eas mandat expediri per officium minoris gratiæ. Si in non tam remotioribus, putà in tertio, per cancellariam. Si in secundo, seu primo et secundo, per præfecturam brevium, et sub annulo Piscatoris, sicut aliàs diximus; ac propterea juxta qualitatem graduum præfatorum, diversa officia cum diversis officialibus sunt constituta. Unde cùm mens Pontificis ea sit, ut litteræ dispensationis non aliàs, quàm per suos officiales distinctos, distinctaque collegia constituentes, expediantur, profectò cùm sic inveteratus stylus obtinuerit, si litteræ ipsæ præter dictum stylum ac morem et observantiam Romanæ Curiæ expediantur, tanquàm suspectæ de falso erunt rejiciendæ, Butr. et Abb. in c. *Quod super his*, de Fid. instrum., id. Abb. in c. *Ex parte* 2, de Off. deleg. Roman., cons. 379, num. 12, vers. *Secunda ratio*. Quod quidem à contrariâ sententiâ tantùm abest, ut si quoquo modo contingat unum gradum pro alio in his dispensationibus explicari, non poterit neque verus gradus suppleri per viam correctionis in cancellariâ Apostolicâ; sed opus est novâ impetratione per gratiam, *Perinde valere*, eo modo quo dictum est de proprio nomine oratoris; nisi tamen error fuerit detectus, postquàm fuit registrata supplicatio, et ante expeditionem litterarum, quo casu verior expressio fieri potest per novam supplicationem reformationis, sicut omnibus notum est curialibus.

Quare et supplicari fecerunt, etc.— Nec quia per alios supplicatum asseritur, requiritur speciale aut generale mandatum ad impetrandas has dispensationes; sed quilibet supplicare potest pro impetrandis dispensationibus, privilegiis aliisque gratiis, text. est in l. *Universi*, c. de Prec. imper. offer., ubi habetur, quod parùm refert, à quo impetratum fuerit privilegium; sed solùm sufficit quod à principe fuerit concessum; Sanch., lib. 8, disp. 26, num. 4.

Hìc verò, cùm uterque pro impetrandâ dispensatione supplicari fecerit, videndum est numquid si oratores de matrimonio contrahendo tractârunt, cum conditione, si Papa dispensaverit, subinde possit post ipsius impetrationem alter pœnitere? Et omni hæsitatione omissâ, affirmativa est responsio; et cùm pluries evenisset casus in hâc curiâ archiepiscopali, fuit hoc modo judicatum per doctrinam Gutt., lib. 2, canon. Quæst., cap. 22, n. 19, et secundùm eumdem, num. 19, fuit pœnitens condemnatus, alteri oratori, conventioni stare nolenti refundere expensas in impetratione hujusmodi dispensationis factas, per Glos. in Clem. fin. de Renunt. Quod tamen habet locum, quando inter oratores fuit conventum, de impetrandâ dispensatione communibus expensis, quia, ut ait id. Sanch., lib. 5, disp. 5, num. 32, iste resiliens, tenetur ad id, ratione contractûs, cujus natura est ut possit resilire, servando alterum indemnem; cùm justum non sit ut alter, qui commodum non reportat, sentiat damnum, per text. in l. c. *Si pecuniam*, in principio, ff. de Cond. cau. dat.; et num. 39, ait quòd, si dispensatio petatur ad instantiam unius tantùm, ipsi incumbet integras expensas solvere.

Cæterùm, cujus expensis regulariter debeat ipsa dispensatio impetrari, an videlicet ambo oratores ad illas communiter teneantur, an verò eorum alter tantùm, videndus est Sanch., d. lib. 8, disp. 36, per tot., ubi et signanter n. 1, ait quòd, quando dispensatio impetratur de communi contrahentium consensu, licèt nihil de ipsis expensis conventum fuisse appareat, erit utriusque expensis æqualiter impetranda, ex eo quòd tale negotium est eis commune; quod quidem procedere ait non modò ex consensu expresso, verùm etiam tacito, quia cùm quis promittit consanguineæ contrahere cum eâ matrimonium, eo ipso quòd illa acceptat, convenitur tacitè de dispens. impetrandâ, ac propterea communes esse debent expensæ; ubi tamen id limitat, nisi aliter ratione alicujus legati aut successionis ad majoratum, gravatus sit ad tale matrimonium contrahendum, veluti si legatarius vel majoratus successor, eâ conditione institutus sit ut consanguineam aliquam ducat; quo casu ille ad integras expensas tenetur · alios insuper casus et distinctiones circa solutionem hujusmodi expensarum congerit id. Sanch., loco cit. et

lib. 5, disp. 5, num. 31 et 32; ad illum propterea lectorem remittimus.

Ac certam de præmissis notitiam non habentes; — quam si Papa habuisset, dispensâsset utique, si voluisset, in formâ gratiosâ, absque eo quòd præsentes litteræ dirigerentur suo executori in formâ commissariâ, quod tamen nunquàm aut rarò facere consuevit; cùm hujusmodi dispensationes semper committantur ordinariis, ut aliàs diximus.

Nec rectè dicit quidam modernus hanc clausulam esse superfluam in his et similibus rescriptis, ob ejus rationes satis frivolas, nulloque solido fundamento suffultas; si enim ita esset, destruerentur omnia rescripta, quæ secum semper habent prædictam, et aliàs similes clausulas, concernentes verificationem narratorum, nam Papa non tenetur stare assertioni oratorum, nec de eâ confidit, neque an res se ita habeat vel ne, tenetur divinare, ad text. in l. *Si fidejussor*, § *Si cùm debitor*, ff. *Mand.*

CAPUT VI.

Præxis dispositiva earumdem litterarum, etc.

Discretioni tuæ.—Quæ quidem verba, cùm importent arbitrium prudentiale et rationem regulatam, Menoch., de Arbitr. jud., lib. 1, q. 8, n. 26, cum seq., Judex delegatus omninò debet verificari facere causam, et alia narrata in dictis litteris; id Guttier., c. 19, n. 6; Henriq., l. 11, de Matrim., c. 5, n. 5. Unde si ipse cognoverit, ex matrimonio hujusmodi contrahendo, posse aliquid mali exoriri, poterit denegare hanc dispensationem, præcipuè ad evitanda scandala, ut etiam suo loco dicemus.

De qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus. —Nam cùm quæcumque dispensationes non sint exequendæ, nisi verificatis supradictis, præcipuè id vindicat sibi locum in dispensationibus matrimonialibus, ubi magis agitur de conscientiâ quàm in aliis; Hieron. Paul., in suo lib. *Provinciale* nuncupato, fol. mihi 411, vers. *Nota quòd clausula*, quia, cùm agatur de re tam gravi, nempe de dispensando super matrimonio contrahendo, et vis mutui amoris inter sponsos facilè posset decipere delegatum, producendo testes minùs idoneos, et non rectè disponentes. debet propterea ipse delegatus perpendere qualitatem ipsorum testium, nam, ut plurimùm deponunt per unum, eumdemque præmeditatum sermonem, cùm præcisa verba per ipsos sponsos testibus suggeruntur, qui à veritatis tramite sæpè solent deviare. Unde cùm causa expressa non remanet verificata dispensationes hujusmodi perperam exequuntur; et tam delegatus dispensans quàm dispensati, nec non ipsi testes viam ad inferos sibi parant, quia clausula prædicta non ad ornatum litterarum apponitur, ut dicebat quidam jurisconsultus; sed ut per eam intelligat delegatus se debere procedere super hoc cum pede plumbeo, quia totum negotium committitur conscientiæ suæ, et idem est dicere, *de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinemus*, ac si diceretur, *confidentes de tuâ fide*, vel, *confidentes quòd ea quæ tibi injungimus, fideliter exequeris*, quæ omnia non solùm impediunt subdelegationem, cùm per ea videatur electa industria personæ, arg. l. 1, vers. *Sin verò*, c. de Cad. toll., c. fin. § 1, de Offic. deleg.; Crescent., decis. 1, num. 1, eod. tit., sed etiam hoc modo ipsius delegati conscientia oneratur; alioquin excederet terminos concilii Trid., sess. 14, cap. 7, de Reform., dùm dicit quòd committantur dispensationes loci Ordinario, qui non nisi causâ cognitâ, et probatis precibus nec aliter dispensare possit, et idem conc., sess. 35, cap. 18, de Reform. ibi: *Quòd si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate à quibuscumque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliterque dispensatio subreptitia censeatur.*

Per apostolica scripta.—Sicut enim aliàs diximus, regulâ cancellariæ cavetur quòd dispensatio non suffragetur, nisi litteris confectis; quod procedit etiam si ipsa dispensatio fuerit per Papam vivæ vocis oraculo concessa: nam adhùc litteræ requiruntur, saltem ad evitanda inconvenientia, quæ ex solâ verbali dispensatione sequerentur; ut si non benè intellecta fuerint verba, etc. Ledesm., de Matr., q. 56, art. 4, litterâ D., vers. *Prima conclusio.*

Mandamus.—Cujus quidem mandati vigore, tribuitur supradicto vicario delegato jurisdictio; postquàm tamen illud fuerit sibi præsentatum; quia ante illius præsentationem jurisdictionem tantummodò habet in habitu, non autem in actu, c. *Pastoralis*, in fine de Rescript., c. *Super eo*, el. 2, de Appell., c. *Audita*, et ibi Abb. in 6, not. de Restit. spol., Bellam., decis. 110, Bald. in l. *Ea quæ*, post. princip., c. de Temp. et in integ. Restit., ubi inquit, hâc de causâ Specul. fecisse specialem titulum *de Rescripti præsentatione;* id. Bald. in l. 1, c. *Ut lit. pend.*; Bart. in l. *Multùm*, num. 2, ff. de Condit. et Demonstrat. Necessario namque requiritur receptio et præsentatio litterarum, ut dictus delegatus possit procedere; nam licèt ille jurisdictionem acquirat tempore datæ dictarum litterarum, illam tamen exercere non potest ante illarum præsentationem et receptionem, d. c. *Super eo*, Garc. de Benef., p. 6, c. 2, n. 8.

Deposita per te omni spe cujuscumque muneris, etc.—Hujusmodi clausulam, sive decretum habes cæterarum in fine supradictæ supplicationis, ibi: *Depositâ*, etc., quod postea extenditur eo modo quo dictum est in supra dictis litteris; nam licèt in ipsâ supplicatione non fuerit extensum, tamen comprehenduntur virtualiter omnia quæ sunt de naturâ subjectæ materiæ, et de stylo seu consuetudine, Imol. in c. *Significante*, n. 3, de Rescript.; Alex. in l. *Gallus*, § *Idem credendum*, n. 9, ff. de l. et post., et cùm hæc dictio, *et cætera*, semper in dispensationibus matrimonialibus consueverit ita extendi, propterea includit totum illud, quod illius vigore solitum est apponi in dictis litteris; Paris., cons. 76, n. 7, lib. 1, quod non solùm procedit in materiâ rescriptorum et commissionum, ut hìc, verùm etiam contractuum, et ultimarum voluntatum; Rot., decis. 9 et 28, n. 2, de Rescript. in nov., sive scribatur abbreviatè, sive ita

per extensum, *et cætera*, cùm inter utrumque modum nulla adsit differentia, Gonzal. ad regul. 8 cancel., glos. 67, ubi à n. 1, usque ad n. 10, multa cumulat de hâc dictione.

Pro cujus quidem decreti declaratione ejusdemque observantiâ, non oscitanter ab ipsis delegatis advertendum est, illud antiquitus in ipsis litteris dispensationis minimè fuisse appositum; sed tantùm ab episcopis contra eorum vicarios, aliquid circa hæc extorquentes, excommunicationis latæ sententiæ pœnam indictam; ipsis autem vicariis non obtemperantibus cœpit jam pœna prædicta per summum Pontificem hìc adjici, ut ubi priùs excommunicatio hæc erat episcopalis, hodiè esset papalis, prout vidi adnotatum in Urbe in quibusdam notulis, et innuere videtur Zerol., in Praxi episcop., p. 2, verbo *Delegatus*, § *An delegatus*.

Porrò, per hoc decretum prohibetur, sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, ne delegatus cui prædicta dispensatio committitur exequenda, aliquod munus recipiat ab oratoribus, seu eorum altero; nam quamvis summus Pontifex, in fine ejusdem clausulæ dicat, *à quo te omninò abstinere debere monemus*; et propterea videatur hoc verbum, *monemus*, importare potiùs consilium quàm præceptum, ut per Cened. ad Decret. collect. 104, n. 2, nihilominùs, in fine earumdem litterarum, alia subditur clausula, nempe: *Volumus autem, quòd si spretâ monitione nostrâ hujusmodi, aliquid muneris aut præmii*, etc., *excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras*, etc., et sic Papa suam intentionem declarat, fulminando dictam excommunicationem in contrafacientem, et hæc clausula semper apponitur, quando dispensatio matrimonialis committitur vicario episcopi; si verò ipsi episcopo, sicut aliquando contingit, ad instantiam ipsorum oratorum dirigitur, tunc eidem episcopo injungitur ut si munus aut præmium qualecumque exegerit, aut oblatum receperit, eo ipso à jurisdictionis et pontificalium exercitio, fructuumque mensæ suæ perceptione tamdiù suspensus, existat, donec à Sede Apostolicâ relaxationem suspensionis hujusmodi, per satisfactionem condignam, meruerit obtinere, etc. Imò in dispensationibus matrimonialibus quæ conceduntur in formâ pauperum, apponitur, etiam pœna nullitatis absolutionis, et dispensationis, per hæc verba, *et nihilominùs absolutio et dispensatio hujusmodi à te faciendæ prædictæ nullius sint roboris vel momenti*, teste Garc., de Benefic. p. 1, c. 1, num. 108, et nos suo loco dicemus.

Nec mirum videtur, si in his tantùm dispensationibus matrimonialibus, hæc clausula apponatur; nam istæ reputantur cæteris dispensationibus graviores; et in eisdem magis imminet periculum, ne corrumpatur judex executor, qui quandoque, etiam parvo munere corrumpitur; unde optimâ ratione dicitur non solùm, *depositâ omni spe*, sed subditur, *cujuscumque muneris*, quæ quidem verba, omnia includunt, l. *Julianus*, ff. de Leg. 3, l. *A procuratore*, ff. *Mandati*, l. *Quæsitum*, § *Item si fundum*, ff. de Fund. instructo, et idcò apponuntur geminata, ut per ea cognoscatur voluntas Pontificis clara et enixa, ne aliquid quantumvis minimum ratione hujus dispensationis, exigatur, arg. l. *Balista*, cum ibi not. ff. *Ad Trebell.*; Bart., in l. *Cùm scimus*, c. de Agric. et censit., l. 10; Cravet., cons. 201, n. 42, et cons. 226, n. 6; Cephal., cons. 135, n. 12, l. 1, quia munera excæcant oculos sapientum, et mutant mentem justorum, ut scribitur Deut., c. 15. Hinc dicimus:

Munera, crede mihi, placant, hominesque, deosque,
Placatur donis Jupiter ipse deus.

Ac propterea volens Propheta justum virum describere, ait, *qui excutit manus suas ab omni munere*, non enim dixit, *à munere*, sed, *ab omni munere*, c. *Sunt nonnulli*, 1, q. 1.

Quare porrecto aliàs supplici libello sacræ congregationi concilii Trident. ex parte DD. canonicorum Ecclesiæ Gerunden. cum pluribus capitibus, contra illorum episcopum, de anno 1588, die 12 augusti, ad unum ex ipsis capitibus per ipsam sacram congregationem, scilicet ad sextum, fuit responsum quòd pro dispensationibus matrimonialibus, non licebat episcopo, sive ejus vicario quidquam accipere, nec ratione sigilli vel alicujus alterius rei; quapropter decretum illud quod solet poni in litteris dispensationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii, spontè accipi possit pro illarum executione, ita intelligendum est, ut neque ordinarius ipse nec vicarius ejus quidquam pro mercede laboris, quam eâ in re susciperent, capere possent; notarius verò pro examine testium, quartam aurei, seu ducati partem, licitè accipere debeat, ut refert Garc., d. c. 1, sub n. 77, circa fin., et reassumit postmodùm num. 102, tanquàm vir in Romanæ Curiæ stylo versatissimus, quòd ordinarii seu vicarii quibus committuntur dispensationes matrimoniales et aliæ, non possunt quidquam accipere pro labore, receptione et examinatione testium, vel alio quovis titulo, ut in sequentibus declarationibus sacræ congregationis, videlicet: *Gratis adeò dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quòd etiam ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum officium gratis præstent, ita ut, nec ipse vicarius aliquid suscipiat pro mercede, notarius verò pro examinandis testibus, et sumendo cæteras informationes, quartam partem aurei seu ducati accipere possit, pro litteris verò absolutionum et dispensationum in foro conscientiæ tantùm, nihil à quoquam accipi possit, ut Romæ fit et declaravit Gregorius XIII.* Et sic vicarius nihil accipere potest, etiam pro laboribus in studendo processui, vel pro decreto super his dispensationibus, aut pro accessu ad examinandos testes commorantes in aliis locis, cùm id tendat ad capiendam informationem; licèt notarius possit aliquid accipere prout sacra congregatio declaravit; Grat., discept. for., c. 57, n. 20. Unde satis constat per tot declarationes sacri concilii cessare, quod ad hoc dispensationem text. in c. *Mulieres*, de Judic., ubi judici permittitur ut ex causis ibi expressis possit expensis partis producentis, accedere ad domos mulierum pro illis examinandis. Quinimò cùm istum accessum per judicem quandoque affectari

contingat, hâc motus ratione Bonifacius Papa VIII, in d. c. *Mulieres*, decretum nimis salutare adjecit, veluti *Proviso, quòd casus hujusmodi, videlicet ut judex vadat personaliter, non fingatur, nec fraus interveniat in hâc parte; alioquin auctor hujusmodi, vel fraudator, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat;* et Glossa in dicto verbo *Non fingatur*, innuit quòd judex, ut posset visitare dominam faciebat eam nominare in testem.

Unde in proposito, id. Garc., n. 106, miratur de officialibus seu vicariis episcopatuum illarum partium, sicut ego non minùs miror de nonnullis vicariis hujus regni, qui contradictum decretum pro dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim litterarum apostolicarum conceduntur, certum stipendium, seu sportulas exigunt in magnum eorumdem animarum exitium : nec video quomodò excusari possint ab excommunicatione, contra eos latâ et in dictis litteris contentâ; licèt verba ejusdem decreti non benè sonent in auribus eorum, eam illis interpretationem attribuunt quam avaritia ipsa suadet.

Nec immemor sum, quòd tempore pontificatûs felicis record. Pauli V, cujus erat prodatarius bonæ mem. cardinalis Arrigonius, ad querelam nonnullorum, contra quemdam episcopum, fuit ipsi Paulo supplex libellus porrectus, quo de hujusmodi extorsionibus conquerebantur; unde ipse episcopus de mandato ipsius Pontificis, per litteras ejusdem prodatarii monitus, nec de cætero ille aut illius vicarius, aliquid extorquere auderet, contra decretum appositum in litteris dispensationis, cùm nihilominùs idem episcopus à præmissis non desisteret, fuit secundò aliud memoriale eidem Pontifici porrectum, in cujus calce fuerunt rescripta hæc formalia verba : *Si scriva di novo à questo Vescovo, che se astenga, altramente lo faremo pentire.* Et cum aliàs similis recursus fuisset habitus ad sacram congregationem episcoporum, procurator episcopi cum defendebat sub prætextu consuetudinis immemorabilis, sed in præfatâ congregatione fuit dictum, quòd potiùs erant corruptela et abusus; et quatenùs adesset consuetudo, profectò non subsisteret per decretum Pontificis in dictis litteris appositum, nempe : *Volumus autem, quòd si spretâ monitione nostrâ*, etc., quia cùm huic consuetudini contradicat prædictum decretum, nullus remanet locus dubitandi; nam satis apertè constat quòd contradictio principis interrumpit consuetudinem, per ea quæ notantur in cap. fin. de Consuetud.

Sed numquid isti delegato ad dispensationem exequendam sit saltem permissum recipere esculenta et poculenta, quæ paucis diebus consumi possunt, juxta terminos cap. *Statutum*, § *Insuper*, de Rescript. Et videtur affirmativè respondendum : per istud enim decretum non derogatur permissioni juris communis; ex eo quòd non præsumitur judicem tot modicis muneribus corrumpi, ut ait Sanch., d. lib. 8, disp. 35, num. 52, prout corrumpi poterit pro muneribus alicujus momenti, et sic non videtur intelligendum de paucis aut minimis, quæ profectò non sunt in consideratione, cùm inter nil et parùm aut minimùm seu modicùm, non sit differentia in effectu, l. *Scio illud*, ff. de integr. Restit., cap. *Licèt*, vers. *Quanquàm*, de Probat., l. *Cùm in te*, in fin., ff. de Re jud., l. 1, § Proinde, ff. de Edil. edic.

His tamen non obstantibus, contrarium verius est cum eod. Sanch., loc. cit., ubi concludit, id minimè licere; ex eo quòd hìc non militat ratio, quæ est in d. cap. *Statutum;* cùm illud loquatur de delegato quoad lites; quæ quidem commissio, cùm diù duret, sitque magni laboris; propterea magno stipendio digna est; cujus respectu, esculenta et poculenta, nullius considerationis reputantur; quod quidem dici non potest in hoc casu quo expeditio dispensationis brevissima est et facillima; quapropter quodcumque munus reputatur magni momenti; id enim, ut meliùs intelligatur, duobus modis explicat Papa in prædictis litteris : uno modo, cùm primò dicit : *Depositâ per te omni spe cujuscumque muneris*, etc., altero modo, cùm secundò dicit, quòd *si spretâ monitione nostrâ, aliquid muneris*, etc., et sic per geminatam prohibitionem, ad majorem vim, efficaciam et deliberationem, ac suam intentionem ostendendum; Mandos., reg. 33, q. 11, n. 3, ubi quòd verba geminata, semper aliquid ultra operantur, quàm verba simplicia; Bald. in l. *Fructus*, vers. *Item illa verba geminata*, c. de Act. empt. quia ex illis colligitur voluntas clara et enixa summi Pontificis; Bart. in l. *Cum scimus*, de Agric. et Censit.; Cravet. cons. 201, n. 42, ac etiam, cùm hìc adjiciat dictionem, *cujuscumque* quæ cùm sit universalis, omnia comprehendit, l. *Quâcumque ratione*, ff. de Procur. l. *Hoc articulo;* et ibi Bart., n. 6, ff. de Hæred. instit., ac postmodùm subdat, *aliquid muneris*, etc., hæc dictio, *aliquid* de suî naturâ verificatur in quâlibet parte, Anchar. cons. 360. Cùm igitur ipsius summi Pontificis id prohibentis, intentio satis apertè desumatur : non est cur delegatus ad id velit aliter dicta verba interpretari, quàm sonant, cùm sint satis clara; ita ut non sit locus interpretationi, seu declarationi, l. *Illa aut illæ*, et l. *Non aliter*, ff. de Leg. 3, nec Glossâ indigemus, cùm habemus textum, Bald., cons. 343, n. 4. Ac propterea ex his concludendum est nihil prorsùs per episcopum sive vicarium, accipi posse. Quòd si fortassè avaritia non sinat tales executores hæc, prout sonant, sed aliter quàm par est hujusmodi decretum interpretari, nil aliud hìc addi posse videtur, nisi quod ipsi viderint.

TE DE PRÆMISSIS DILIGENTER INFORMES. — Per hanc quidem clausulam, prohibet omninò summus Pontifex executori, ne super narratis velit stare assertioni ipsorum oratorum contrahentium; ac proinde illa refertur tàm ad allegatam causam dispensationis quàm ad ipsum impedimentum, et sic ad omnia præcedentia : Ludovis., decis. 478, n. 3, quapropter per eam parùm refert videre hìc cum doctoribus an ad probandum consanguinitatis gradum, sufficiat sola confessio oratorum impetrantium dispensationem; et proinde videatur affirmativè respondendum, cùm illa sit facta in judicio, per text. in l. 1, de Confess. et l.

Generaliter, de non num. Pecun.; contrarium tamen verius est prout servari docet Genuen. in suâ praxi archiep. c. 20, sub. n. 12, in hâc curiâ Neapolitanâ, ubi etiam ait quòd ad hoc faciunt supra dicta verba : *Te de præmissis diligenter informes;* quæ non apponerentur, si assertioni impetrantium standum esset, ac propterea sive consanguinitatis sive affinitatis impedimentum debet probari per testes deponentes per gradus distinctos, et aliàs servatâ formâ, c. *Licèt*, 2, § *Testes autem*, de Testibus, ubi cavetur præsertim quòd ipsi testes, personas expressis nominibus vel demonstratione, aut circumlocutione sufficiente designent, et ab utroque latere singulos gradus clarâ computatione distinguant; et in eorum juramento concludant se accepisse à suis majoribus quod deponunt, et credere ita esse ; sed nec tales sufficiant, nisi jurati deponant se vidisse personas, vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas, pro consanguineis se habere. Sunt omnia ferè verba text. d. c. l. *Licèt*, et in cap. *Tua nos*, de Consang. et Affin., ubi, quòd testes, qui consanguinitatis gradus computant, à stipite debent incipere, id est, à parentibus vel germanis, et sic per ordinem distinguere gradus, nominibus propriis vel æquipollentibus indiciis; designando personas, præsertim cùm sæpè perhibeant testimonium de auditu, etc., et ita, tam circa verificationem graduum, sive consanguinitatis sive affinitatis in dispensationibus matrimonialibus expressorum quàm impedimentorum allegatorum ad contrahendum matrimonium, omni quâ par est, sedulitate servatur in hâc curiâ archiepiscopali, prout servari credimus, et debet, in omnibus aliis curiis ecclesiasticis.

Quo verò ad alia requisita, circa matrimonium contrahendum necessaria, etiam præter narrata in litteris dispensationis, ubi illâ opus est, vigent hodiè instructiones officii S. Romanæ, et universalis inquisitionis, quæ inconcussè, summâque vigilantiâ servantur, quas licèt ad manus omnium ordinariorum pro earumdem observantiâ credimus pervenisse, nihilominùs superfluum minimè visum est, illarum tenorem hic inserere eo quo sequitur modo, videlicet :

Instructiones pro examine illorum testium, qui indicuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curiâ eminentissimi cardinalis vicarii Urbis, quàm in aliis curiis cæterorum ordinariorum.

Inprimis, testis moneatur de gravitate juramenti, in hoc præsertim negotio, pertimescendi, in quo divina simul et humana majestas læditur ob rei de quâ tractatur importantiam et gravitatem.

Interrogetur de nomine, cognomine, patriâ, ætate, exercitio et habitatione.

Interrogetur an sit civis vel exterus, et quatenùs sit exterus à quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

Interrogetur an ad examen accesserit spontè, vel requisitus; si dixerit accessisse spontè, à nemine requisitus. Interrogetur an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes; et si responderit negativè, testis dimittatur, quia præsumitur mendax ; si verò dixerit, accessisse requisitus.

Interrogetur an sibi pro hoc testimonio ferendo, fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, et à quanto tempore, in quo loco et quâ occasione; cujus qualitatis vel conditionis existant.

Si respondetur negativè, testis dimittatur; si verò affirmativè, interrogetur an contrahere volentes, sint cives, vel exteri. Si responderit esse exteros,

Interrogetur à quanto tempore accesserint ad hanc urbem, unde venerint, an venerint simul vel separatim.

Si responderit, venisse de recenti, vel insimul, supersedeatur in licentiâ contrahendi, donec per litteras eorum ordinarii, ac loci, à quo contrahentes recessêre, doceatur, inter ipsos contrahentes non adesse impedimentum et mulierem non esse raptam.

Si verò responderit, venisse à multo tempore citra, vel contrahentes esse cives, interrogetur, sub quâ parochiâ hactenùs contrahentes habitârunt, vel habitent de præsenti.

Interrogetur an ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus, quandoque habuisse uxorem, vel virum.

Si responderit affirmativè, non procedatur ad licentiam, nisi producuntur authenticæ et legales attestationes, vel testes fide digni, et verisimiliter informat, de obitu conjugis defuncti.

Si verò testis responderit non habuisse uxorem vel maritum, interrogetur de causâ scientiæ, et an sit possibile quòd aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, et quòd ipse testis nesciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur; nisi ex aliis testibus probabiliter concludatur non habuisse uxorem vel virum.

Si responderit negativè, interrogetur de causâ scientiæ, ex quâ deinde judex colligere potuerit an testi sit danda fides velne.

Si responderit contrahentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco et tempore quo sint mortui, et quomodò ipse testis sciat esse mortuos.

Item interrogetur an post mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.

Si responderit negativè, interrogetur an esse possit quòd aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo quòd ipse testis sciat.

Si responderit affirmativè, supersedeatur in licentiâ, donec producantur testes per quos negativa coarctetur concludenter.

Si verò negativè, interrogetur de causâ scientiæ, quâ perpensâ, judex poterit judicare an sit concedenda licentia velne.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinario-

ram suorum, eos esse liberos, et in aliis servatâ formâ concil. Trid. in cap. *Multi*, sess. 24.

Fides aliaque documenta quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, vel sigillum.

Pro testibus in hâc materiâ, recipiantur potiùs consanguinei, quàm extranei, quia præsumuntur meliùs informati; et cives potiùs quàm exteri.

Post verò emanatas ab eâdem S. congregatione prædictas instructiones, cùm nihilominùs nonnulla, circa earumdem observantiam et executionem in dubium revocarentur ob causæ contingentiam, quæ fortè vix in praxim deduci poterant, ad eamdem S. congregationem habitus recursus, ejusdemque eminentiss. PP. supplicatum, quatenùs sequentia declarare dignarentur; propterea capita infra scripta ibi proposita, ita declarârunt et resolverunt, videlicet: *Resolutiones S. C. supremæ universalis inquisitionis de Urbe, et in causis matrimonialibus.*

Primò, an præfatarum litterarum forma sit servanda in casu necessitatis ex sic contrahere volentibus, existentibus in articulo mortis. Resp. non esse servandam in articulo mortis; intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias; cum hoc etiam, quòd si infirmus fortè convaluerit, debeant fieri diligentiæ juxta instructionem, antequàm simul conveniant.

Secundò, an attestatio ordinarii requiratur pro exteris, qui discesserunt ab eorum infantiâ, vel tempore non-nubili, et pervenerunt ad locum ubi matrimonium contrahere cupiunt; ibique continuò permanserunt. Resp. eam, ut jacet, non requiri.

Tertiò, an requiratur pariter dicta attestatio pro exteris qui per decem annos, et ultra domicilium acquisierunt in loco ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos tam originis quàm domicilii. Resp. requiri.

Quartò, an requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam vel plures uxores duxerunt, et è contra, si mortuæ fuerint in loco, ubi iterùm matrimonium contrahere desiderant; ac ampliùs post mortem à dicto loco non discesserunt. R. requiri.

Quo verò ad illos contrahentes, qui in articulo mortis constituti, aut ex aliâ causâ nequeunt adimplere formam supra dictarum instructionum, emanârunt litteræ supra dictæ sacræ congregationis tenoris sequentis, videlicet:

A tergo. *Al molto rev. Sig. il signor vicario generale di Napoli.* Intùs verò:

Molto Rev. sign. Consultano cotesti giudici deputati dal sig. cardinale arcivescovo sopra i matrimonii, se le diligenze prescritte da questa sacra congregazione, che si devono far prima di dar licenza di contrahere matrimonii s'habbiano da usare con coloro, che posti nell'articolo della morte bramano contrahere matrimonio per liberarse dal peccato, ò per altro accidente simigliante. E questi miei signori rispondeno, che in tal caso non sono necessarie, quando però non vi sia tempo di poterle fare: ma vogliono, che risanato l'infermo, non possa venire alla copula et alla cohabitatione, se non saranno fatte et esseguite le medesime diligenze. Potrà V. S. dare notitia del senso della sacra congregazione à i medesimi oudici. Et il signore la conservi sempre. Da Roma li 10 di luglio 1638.

D. V. S.

Come fratello

Il cardinale Barberino.

Pro Ultramontanis autem in hâc civitate commorantibus, in eâque matrimonium contrahere cupientibus, cùm ob tam maximam loci distantiam, nequeant adhuc, quæ in supra dictis instructionibus continentur, adimplere mitiùs agitur, ita ut illas eo modo quo adimpleri possunt adimpleant, in vim infra scriptarum litterarum ejusdem sacræ congregationis, quæ hìc subjicitur, videlicet:

Eminentissimo et rever. sig. mio osservandiss.

Il Signor Carlo del Balzo uno de giudici deputati da V. E. sopra i matrimonii hà rappresentato le difficultà, che occorono sopra quelli, che si desiderano contrarre da gli Oltramontani, quali dimorano in cotesta città; et questi miei eminentissimi signori dopò matura considerazione, hanno risoluto di rimettere al prudentissimo arbitrio di V. E. et al conseglio di monsignor arcivescovo di Cosenza il provedere ne i matrimonii desodetti Oltramontani, quando per la lontananza del paese, non si possino da essi adempire l'instruttioni di questa sacra congregazione. Jo ne do questo cenno à V. E. perche possa dare gli ordini necessarii, quando occiorrerrà il caso, et a V. E. bacio le mani. Di Roma li 10 di Gennaro 1648.

Di vostra eminenza Rever.

Humilissimo et affettuoss. servitore

Il cardinale Barberino.

Si preces veritate niti repereris. — Circa quod, non est admittendum, quòd licèt per informationem desuper capiendam, constabit de legato, preces veritate niti, si tamen à parte rei non est ita, dispensatio erit nulla, tanquàm subreptitia, propter falsitatem narratorum, Ledes. in Sum., de Matrim., c. 27, ubi ait, ita communiter doctores tenere. Et sufficit, ut aliàs diximus, causam ipsam verificari tempore executionis litterarum, licèt tempore impetrationis illarum, non esset vera, et ita practicatur, nam quamvis Abb. in c. *Quia circa*, de Consang. et Affin., dicat causam debere verificari tempore datæ, loquitur tamen de dispensatione jam factâ, prout antiquitùs fiebat; dùm hujusmodi dispensationes concederentur in formâ gratiosâ, et sic erat gratia facta; non autem his temporibus, quibus non dantur ampliùs sub dictâ formâ, sed datur tantummodò mandatum de dispensando.

Et sic non potest delegatus devenire ad decretum dispensationis, nisi priùs verificatis omnibus in litteris expressis, eòque minùs si prædictæ litteræ nec præsentatæ fuerunt, prout fecit quidam vicarius ad id delegatus, qui habitâ notitiâ receptionis litterarum, absque eo quòd illi sibi præsentarentur pro verificatione narratorum, dedit oratoribus licentiam contrahendi matrimonium, non obstante, quòd pluries sacra

congregatio declaravit, id minimè fieri posse, per hæc verba : *Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum aliàs censuit eos qui obtinuerunt litteras dispensationis super gradu prohibito, et eis non præsentatis, contraxerunt, vel se carnaliter cognoverunt, novâ egere dispensatione.*

Cardinalis Ubaldinus.—Omnes enim auctores contrarium sentientes, videntur confundere terminos; nullum constituendo discrimen inter dispensationem, et mandatum de dispensando, sicut dicendum est, de mandato de providendo, et de provisione gratiosâ jam factâ, Mohed., decis. 10, in addit., sicut aliud est vendere, aliud pactum seu promissio de vendendo, ut inquit Jas. post alios in l. *Bonæ fidei*, ff. de eo quòd certo loco, et per Cassad., decis. 1, n. 6, sub tit. *Ut. lit. pend.*, cum similibus cumulatis per Buratt., decis. 318, n. 7. Cùm igitur dispensatio hæc sit commissaria, nisi in eâ fiat inquisitio circa expressa in litteris, non erit valida; quia per clausulam supra dictam, mandatum redditur conditionale; prout fuit decisum in unâ Oxomen. portionis, coram Vestano, die 20 junii 1552, teste Caputaq., decis. 275, n. 1 et 2, p. 1. Quæ quidem clausula, *si est ita*, vel, *si ita esse repereris*, aut, *veris existentibus enarratis;* et quævis gratia habet in se hanc tacitam conditionem; quamvis in litteris non exprimatur, text. in l. fin., in princip., c. de divers. Rescript., c. 2, de Rescript., et per eam semper est verificanda narrativa gratiæ; id. Caputaque dec. 204, part. 2; Cæsar. de Grass. decis. 1, num. 3, de Rescript.

Quid autem agendum erit, si ultra impedimentum in ipsâ gratiâ narratum, et per testes jam probatum, oratores alio impedimento occulto in litteris non expresso, super quo aliam dispensationem obtinuerunt per officium sacræ pœnitentiariæ in foro conscientiæ tantùm, detineantur, numquid, non obstante dictâ clausulâ, *si preces*, etc. Si parochus vel ordinarius sciet hoc impedimentum occultum, et oratores prædicti obtinuerint jam super eo dispensationem in foro conscientiæ, possit permittere eos matrimonium contrahere.

Et quamvis videatur negativè respondendum, ex eo quòd Ecclesia ex officio tenetur investigare impedimenta, per text. in cap. fin. de cland. Dispensat. Nihilominùs aliter erit dicendum; sicut est etiam in praxi receptum; nam, cùm matrimonium ipsum verè contrahatur, vigore hujus dispensationis obtentæ, non posset ordinarius illos propterea impedire, cùm coram Deo veri conjuges efficiantur; unde si nullus denuntiat id impedimentum occultum, coram parocho vel ordinario, quamvis illis seu eorum alteri constet de hoc impedimento, si etiam eis constet de dispensatione in foro conscientiæ obtentâ, possunt dissimulare, ut taliter impediti, matrimonium contrahant; nam licèt ex officio teneantur investigare impedimenta, id evenit ne impediti contrahendo delinquant; et sic ad id non tenentur, quando eis constat illos absque culpâ contrahere ob dispensationem jam obtentam in foro conscientiæ; ita Sanch. lib. 3, disp. 15, num. 14 cum seq, ubi plura cumulat de hâc re.

Id tamen intelligas, nisi aliquis denuntiaverit impedimentum hujusmodi coram parocho seu ordinario; quia tunc cùm negotium effectum sit publicum, ad ulteriora matrimonii contrahendi procedi minimè potest, donec dispensatio in utroque foro exhibeatur: quinimò parochus ipse cui tale impedimentum innotuit omninò tenetur illud deferre ad ordinarium, seu ad delegatum dispensationis obtentæ in utroque foro, et cùm reddantur nullæ litteræ dispensationis pro foro conscientiæ, obtentæ super occulto impedimento, alias litteras in utroque foro in formâ, *Perinde valere*, obtinebunt; vel, si nullum aliud exstet impedimentum, nisi illud quod antea erat occultum, impetrabunt litteras in formâ ordinariâ; non enim sufficit in hoc casu, quòd parochus sciat jam oratores obtinuisse dispensationem pro foro conscientiæ; nam ex quo aliquis ei denuntiavit hoc impedimentum occultum intellĭgitur juridicè denuntiâsse; quia tanquàm ejus minister in foro externo, potest interdicere matrimonium, et rem deferre, ut dictum est, ad ordinarium, ut justitiam ministret; et circa hujusmodi impedimenti cognitionem procedat, ita id. Sanch., loco citato, n. 15.

Quid autem modò dicendum est, si oratores ipsi à judice interrogentur an ultra impedimentum in litteris dispensationis jam in utroque foro obtentis, expressum, aliud sit quoque impedimentum, occultum tamen; super quo etiam obtinuerunt dispensari in foro conscientiæ tantùm, teneantur eidem judici, hujusmodi impedimentum adeò occultum manifestare? Et certè non tenentur, cùm id impedimentum adeò occultum sit, ut nullo modo probari possit; id. Sanch., lib. 3, disp. 14, n. 4, quod quidem vindicat sibi locum, sive oratores velint contrahere matrimonium cum dispensatione super occulto impedimento tantùm, nullo alio publico existente, sive etiam occulto, cum alio publico concurrente; super quo est impetrata dispensatio in utroque foro; nam, etiam in hoc casu est eadem ratio, ad text. in cap. *Inter cæteras*, de Rescrip., et in cap. *Fin.*, de Translat. prælat., et in cap. *Cùm dilecta*, de Confirm. util. vel inutil., l. *Illud*, ff. *Ad*, l. *Aquil.*, § *Pari ratione*, instit. *Quib. mod. jus patr. potest solvi*, l. *A Titio*, in fin., ff. de Verbo oblig.

Et non minùs utiliter præmissis addendum putavi quòd etiam si notarius ex judicis commissione, vel ipsemet judex, per confessionem ipsorum oratorum, sciat eos detentos impedimento occulto et super eo dispensationem impetrâsse in foro conscientiæ, poterit notarius vel judex id non scribere, sed admonere dictos oratores ut taceant vel impedimentum negent, utendo æquivocatione, nempe negando impedimentum, ut modò impediat, cùm dispensatum sit super eo, Sanch., lib. 3, disp. 15, n. 16, sicut in simili ait Silv. in verbo *Mendacium*, q. ult.; quòd si clericus rogatus à custodibus num aliqua portet, ut gabellam solvere compellatur, posset ille juramento negare, intelligendo se nihil portare ex quo gabellam debeat.

Et ex his patet quòd nihilominùs dicta clausula : *Si preces*, etc., satis remanet verificata et servata forma hujus rescripti, etiam stantibus supradictis.

Nec contemnenda insuper praxis accedit, quæ frequentissimè occurrit, cùm videlicet mulier matrimonium de proximo contractura, habeat impedimentum dirimens, quod non potest sine notabili infamiâ propalare; velut, quia adest impedimentum affinitatis, ex quo forsan carnaliter se cognosci passa fuerit ab aliquo sui sponsi consanguineo in primo vel secundo gradu, vel quid simile, vel aliàs si suspicio vehemens oriretur alicujus criminis detecti in confessione, si ipsa mulier velit abstinere à nuptiis, aut differre dùm Pontificis dispensatio obtinetur; hoc enim casu fingere potest se aliquo voto, puta castitatis, alligatam, et quòd propterea jussa fuit à confessario ut ab ipsis nuptiis abstineat, donec dispensationem super hujusmodi voto impetraverit à summo Pontifice, et interim dispensationem super vero impedimento occultè impetrare; sicut optimè docet id. Sanch. lib. 2, disput. 40, n. 7, ubi subdit quòd ex causis ibi per eum expressis poterit episcopus super tali impedimento dispensare, etiam quòd illud statutum sit decreto pontificio vel concilii generalis, in cujus lege episcopus tanquàm inferior non posset aliàs dispensare, ut per Abb. in cap. *Cùm dilecti*, n. 10, de Electione, et nos alibi dicemus.

Tuam conscientiam oneramus.— Ex hâc clausulâ non poterit dispensatio subdelegari, cùm sit electa industria personæ, Menoch., de Arbitr. jud., lib. 1, q. 68, n. 2, et lib. 2, de Præsumpt., q. 21, n. 12, et cons. 17, n. 6 et seq., vol. 1; quod tamen intelligendum quoad nudum ministerium dispensationis; nam benè poterit delegatus, dictâ clausulâ non obstante, receptionem testium, et informationem, ut dictum est, alteri committere, ex illâ communi doctorum conclusione, quòd quando nudum ministerium unà cum jurisdictione committitur, non poterit tunc nudum ministerium subdelegari, sed tantùm jurisdictio ut per Innoc. in cap. *Fin.* de Offic. deleg., et etiam infra dicetur.

Et sic pro præmissorum verificatione poterit priùs vicarius delegatus recipere tantùm juramenta testium, ac postmodùm aliis illorum examen demandare, ut ait Genuens., in praxi cur. archiep., cap. 69, n. 7, in fin., qui quidem testes possunt examinari, etiam per notarium laicum; Grat. Discept. for., cap 6, n. 32. Imò talis notarius, quamvis non fuerit sibi præcisè data licentia recipiendi juramenta ipsorum testium, sed solùm illos examinandi, nihilominùs, commisso hoc examine, habet etiam per antecedens necessarium commissam facultatem recipiendi juramentum; sine quo examen est nullum, per text. in l. 1, ff. de Jurisd. omn. jud.; Mohed. decis. 6, de Test., n. 1, et ita servatur in hâc curiâ archiepiscopali, in quâ notarii laici etiam ex consuetudine recipient examen testium, et etiam illorum juramenta; quamvis quandoque à vicario delegato recipiantur priùs juramenta prædicta, et postea mandet ipsius notariis illos examinare; et quia hujusmodi causæ matrimoniales sunt nimis periculosæ, ex quo plures compertum est testes in eorum depositionibus deposuisse nigrum pro albo; unde ex his dispensationibus, plurimas, longâ experientiâ comperimus (licèt sine executoris culpâ, quinimò omni per eum adhibitâ diligentiâ) minùs rectè, minùsque fideliter suum verum sortiri effectum, ac propter tale periculum hujusmodi examen committi debet alicui viro integerrimæ fidei et bonitatis, Felin., in cap. *Cùm causam*, n. 28, ubi etiam testatur ita de consuetudine servari.

Est etiam hìc in praxi notandum quòd inter hujusmodi testes, consanguinei seu affines oratorum, sunt magis idonei, tanquàm magis informati, ad deponendum super impedimento in litteris expresso, juxta text. in cap. *Super eo*, lib. 2, de Test., ut supra diximus; prout, etiam de deponentibus super ætate et aliis requisitis ordinandorum; Zerola, in suâ Praxi, verbo *Matrimonium*, vers. decimo quarto, *Quia superius*; quòd si ipsi testes, qui debent deponere super verificatione narratorum, non reperiantur in civitate seu diœcesi oratorum, poterit dictus vicarius delegatus committere hujusmodi examen, etiam extra dictam civitatem vel diœcesim, quia, cùm in hujusmodi litteris dispensationis duo committantur vicario exequenda, nempe jurisdictio veritatis precum examinandæ, ac nudum ministerium exequendæ dispensationis, ut diximus; supra dicta jurisdictio, quoad testes desuper examinandos, potest subdelegari, excepto nudo ministerio hujusmodi; Sanch., l. 8, disput. 7, n. 34, circa med., ubi ostendit quòd illa testium receptio, etiam extra diœcesim officialis dispensantis fieri potest; et rationem ibidem reddit, nempe quòd, licèt multi varia scripserint, circa illam clausulam : *Conscientiam tuam oneramus*, quando tamen dicta verba non diriguntur personæ, videntur posita in vim monitionis, potiùs quàm in formâ delegationis, et connominatæ, et consequenter examen per ea verba à Pontifice commissum, poterit subdelegari, cùm in hoc non videatur electa industria personæ, et ita reperio fuisse in hâc curiâ archiepiscopali servatum; nam cùm pro quibusdam contrahentibus vigore dispensationis, non deessent Neapoli testes pro verificatione narratorum, fuit commissum examen episcopo Marsicens. in cujus diœcesi aderant testes, qui ad id fuerunt examinati, et postmodùm fuit per vicarium Neapolitanum executa dispensatio, receptis desuper litteris testimonialibus super dictorum testium examine.

Dummodo propter hoc, etc. — Pluries dubitatum fuit an quarumlibet mulierum raptores, qui non idcircò rapiunt ut eas in uxores ducant, sed ob aliam causam, sint ipso jure excommunicati per concil. Trid., sess. 24, cap. 6, et nonnulli, præsertim per Navar., cap. 17, num. 150, affirmativam partem tenuerunt; nihilominùs contrarium decisum fuit per sacram congregationem ejusdem concilii, die 25 januarii 1586, nempe raptores, ob aliam causam quàm ut in uxores ducant, non comprehendi à concilio, propter eamdem vel majorem rationem; nec consti-

tutio etiam pœnalis extenditur in tali casu.

Unde, cùm priùs in litteris hujusmodi dispensationum simpliciter diceretur : *Dummodò mulier rapta non fuerit*, postmodùm, ad submovendas hæsitationes quæ circa id oriri poterant, consueverunt in dictis litteris apponi supra dicta verba, scilicet, *propter hoc*, nempe ad effectum matrimonium contrahendi; et per hoc clarè constat quòd in dicto concilio comprehenduntur solùm raptores feminarum, ad hunc tantùm effectum; per ea etiam quæ congerit Sanch., lib. 7, disp. 13, num. 4, qui fundatur in ipsis verbis ejusdem concilii, quod statim incipit loqui de matrimonio inter raptorem et raptam contrahendo; ac proinde de illo solo raptu intelligi debet, quia causâ matrimonii contrahendi committitur; quod quidem confirmari ait id. Sanch., loc. cit., quia, quando causâ matrimonii raptus est admissus, delictum fuit contra matrimonii libertatem; et ab initio in eo interfuit coactio, ac proinde, ut plenior sit libertas, petit hoc decretum, priùs raptam in pristinam libertatem et in locum à raptore separatum restitui, ac raptorem, tanquàm iniquum libertatis matrimonii violatorem, punit pœnis in dicto decreto contentis.

Ex quibus deducitur non puniri ex hoc decreto raptum qui est species luxuriæ, non autem ad finem contrahendi matrimonium, ut est, quando causâ explendæ libidinis fit, nisi tamen fieret simul causâ libidinis et matrimonii contrahendi, qui tunc eâ solâ ratione quòd causâ matrimonii fieret, comprehenderetur sub hoc decreto, ut aliàs vidimus practicari, et sic de eo facienda erit mentio in supplicatione, perinde ac si raptus commissus fuisset ad effectum contrahendi matrimonium tantùm, quæ quidem omnia servat dataria Apostolica, etiam in eo qui feminam corruptam, sive meretricem, aut aliam inhonestam personam rapuit, prout fatentur omnes practici curiales.

Rapta non fuerit. — Super quo debent etiam testes examinari ex eo quòd, si oratrix prædicta fuisset propter hoc ab oratore rapta, adesset nonum impedimentum, inductum per concil. Trid. d. sess. 24, cap. 6, ubi : *Decernit sancta synodus, inter raptorem, et raptam, quamdiù ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, tam raptor in uxorem habeat; et nihilominùs raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames; omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant, teneatur prætcrea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

Sicut etiam dicendum est quòd matrimonium contractum inter raptorem et raptam, dùm sub ipsius raptoris potestate existit, nec separata est, ut supra, est prorsùs irritum; quare raptus pro eo tempore est impedimentum dirimens, attentis verbis dicti concilii; unde desumitur id procedere, quamvis rapta adhuc sub raptoris potestate constituta, reverà liberè consentiat; nam dict. concil. non libertatem exposcit ad valorem matrimonii, sed ut planè rapta libera sit à potestate raptoris, et hoc propter matrimonii libertatem, juxta mentem ipsius concilii, per quod fuit correctus textus in cap. Fin. de Raptor., ubi raptori permittebatur simpliciter raptam in uxorem ducere, nullâ tamen pœnâ adjectâ, sed solùm ibi dicitur, quatenùs prior dissensus transeat in consensum, et quod ante displicuit, tandem incipiat complacere; imò potiùs id. concil. inhæret antiquis canonibus, prohibentibus raptorem contrahere matrimonium cum raptâ ut per Gloss. in d. cap. *Fin.*

Præterea, regula cancellariæ 49 cavetur quòd in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula : *Si mulier rapta non fuerit*, quòd si fortè in litteris dispensationis sit omissa, intelligitur nihilominùs in eis apposita de stylo curiæ; nam, ut docet Abb., in cap. *Quod translationem*, n. 3, de Offic. deleg., clausulæ apponi solitæ supplentur, quamvis non exprimantur; Sanch., lib. 8, disp. 25, num. 19, qui antea, eodem numero, dixerat subreptitiam esse hujusmodi dispensationem, nisi de raptu in eâ mentio fiat.

Notat hìc id. Genuens in Praxi cur. archiep., cap. 20, n. 11, etiam in casu exequendæ hujusmodi dispensationis circa informationem raptûs, quòd puella dicitur rapta, etiam volens, dummodò invitis parentibus vel tutoribus, cùm raptus sine violentiâ esse non possit; quod quidem extendit ad eum qui per munera data aut promissa persuadet mulieri, ut domo exeat, et ad ipsum veniat; hoc enim modo dicitur etiam violentiam inferre; idemque arbitratur, si vir dolosè puellam ad se nolentem accedere, per vicinam vocari fecit in domo ipsius vicinæ, in quâ ipse vir manens absconditus eam stupraverit, quæ aliàs ad dictam domum non accessisset, si scivisset stupratorem ibi manere, ut raptus committatur.

Unde si delegatus compererit oratricem fuisse sic raptam ab oratore, non poterunt litteræ dispensationis hujusmodi executioni demandari; sed opus est de novo preces porrigere summo Pontifici, sub formulâ sequenti, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Athanasii Pellicani et Hortentiæ Seraphinæ mulieris Neapolitan. diœcesis, quòd ipsis aliàs scientibus se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, orator præfatus, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, hæc causa foret S. V. et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, præfatam oratricem de domo parentum rapuit, eamque carnaliter cognovit. Cùm autem, Pater sancte, dicta oratrix à prædicto oratore separata, ac in loco tuto et libero constituta, eumdem oratorem in virum habere consentiat; et nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri; cupiunt oratores præfati invicem matrimonialiter copulari; sed stante impedimento hujusmodi, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensa-

tione. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eos à generali excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, etc. *Reliqua, ut in simplici formulâ cum copulâ* scienter.

Fiat, ut petitur F.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et de absolutione, dispensatione, decreto, aliisque præmissis latissimè extendendis; et quòd cognominum, affinitatis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui depositâ*, etc., *ac impositâ oratoribus propter incestum hujusmodi, aliaque præmissa, arbitrio suo, gravi pœnitentiâ salutari, eos absolvat et dispenset, ut supra. Et quatenùs contra ipsos oratores causa super præmissis in judicium quoquomodò deducta fuerit, parito judicato.* Et additur : *Et dummodò oratrix prædicta, ab oratore separata, ac in locò tuto et libero constituta, ipsum oratorem in virum habere consentiat. Et cùm decreto, quòd oratorum alter alteri super vivens, perpetuò absque spe conjugii remaneat. Et postquàm dictus orator eamdem oratricem decenter arbitrio judicis dotaverit.*

Fiat F.

Ex quibus habemus, quòd licèt in quibuscumque dispensationibus matrimonialibus apponatur clausula, *dummodò rapta non fuerit*, per quam Papa non intendit, cùm ipsis oratoribus dispensare super hujusmodi impedimento, ut per Rebuff., in Praxi, tit. de Dispens. in gradibus prohibitis, gloss. 6 ; nihilominùs, quando in supplicatione narratur raptus, conceditur dispensatio, cum omnibus in eâ petitis, absque clausulâ supra dictâ, solitâ apponi in hujusmodi litteris, quidquid dicat id Rebuff., loco cit.; nam aliter se habet quotidiana praxis ; circa quam, non omittam quòd nihil refert an inter raptorem et raptam fuerit secuta copula carnalis, vel ne, ad incurrendas pœnas dicti concilii ; cùm non puniatur raptus causâ libidinis, sed causâ contrahendi matrimonium, ad quod copula nihil confert, quidquid alii dixerint ; et si licèt inter oratores non fuerit secuta copula carnalis, pro quâ consuevit peti etiam absolutio ab incestu, attamen, quia per dictum concilium Tridentinum, raptores sunt ipso facto excommunicati, est petenda absolutio à dictâ excommunicatione : ac propterea, praxis impetrandi dispensationem super impedimento principali, ac etiam ipsius raptûs, copulâ non secutâ, sequenti modo admittit supplicationem videlicet, *quod ipsis aliàs scientibus se tertio*, etc., *esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ*, etc., *orator præfatus eamdem oratricem de domo parentem rapuit; illam tamen carnaliter non cognovit. Cùm autem*, etc., *cupiunt*, etc., *copulari ; sed stante impedimento hujusmodi aliisque præmissis, desiderium eorum*, etc., *supplicant igitur*, etc., *quòd impedimento tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi, aliisque præmissis non obstantibus, matrimonium inter se*, etc. Et in fine clausularum adduntur per datariam supra dicta decreta, quæ sunt ad ejusdem concilii Triden. præscriptum, sicut in formulâ primo loco positâ ; ex quâ poteris in praxi notare, quòd licèt raptus, secundùm mentem ipsius concilii non requirat copulam carnalem, quidquid dica Genuen. in Praxi cur archiep., cap. 20, num. 11, nempe raptum non considerari sine stupro ; quia id non facit ad casum hujusmodi dispensationis, et decreti supra dicti concilii quod adjicit pœnas his raptoribus, tanquàm libertatem matrimonii impedientibus. Cæterùm autem raptum non dici sine stupro, non est sic in casu nostro intelligendum ; sed tantùm in terminis, l. un., c. de Rapt. virg., et ibi omnes ferè doctores, qui dicunt rapientem virginem, si eam non stupraverit, neque carnaliter cognoverit, non esse puniendum pœnâ illius constitutionis, sed aliâ mitiori, quasi illa constitutio exigat raptum cum stupro, ut per Dec cons. 134, attamen in petendâ dispensatione, cum mentione raptûs, est saltem dispensatio ipsa petenda, cum absolutione propter infamiam ; ut patet ex supra dictâ formulâ ; et sic omnis alia causa est superflua ; cùm sine dubio, mulier rapta difficilè nubere possit alteri quàm ipsi raptori ; quia ob raptum hujusmodi, nisi raptori prædicto nuberet, remaneret diffamata ; et quocumque modo, tam cum copulâ quàm sine eâ, est petenda absolutio ab excommunicatione, per dictum concilium latâ contra raptores. Licèt enim absolutio hæc nemini censeatur reservata, juxta Gloss. in cap. *Super specula*, in verbo *Spatium*, ne clerici vel mon., id tamen haberet locum, vel quando inter ipsos raptores, non esset contrahendum matrimonium, vel si postquàm rapta à raptore separata, et in loco tuto et libero constituta fuerit, illum consentiat habere in virum ; quia, cùm præter ipsum raptum, nullum aliud impedimentum dirimens existat super quo petenda esset dispensatio, propterea ordinarius potest eos absolvere, eisque concedere licentiam contrahendi matrimonium ; cum conditionibus tamen et modificationibus in concilio Trid., dicto cap. 6, contentis ; cùm id impedimentum dirimens duret tantummodò, ut dictum est, quamdiù rapta in potestate raptoris manserit ; unde cessantibus postmodùm dispositis per dictum concilium, poterunt ad præscriptum illius decreti matrimonium licitè contrahere. Atverò, cùm pro alio impedimento dirimente, erit petenda dispensatio cum mentione hujusmodi raptûs, nemo potest, nisi solus Papa absolvere raptores ab excommunicatione propterea incursâ ; nam per illius manuum appositionem, scilicet ex causâ petitæ dispensationis, advocat ad se totum negotium, et inferiorum manus ligat, per text., in cap. *Ut nostrum*, de Appellat., et ita videmus in praxi servari, sicut aliàs in simili diximus.

Sed stantibus verbis dicti concilii, ac decreto oppositio in calce supra dictæ supplicationis, nimirùm quòd raptor teneatur raptam dotare, quæritur, quænam et quanta dos sit oratrici raptæ ab oratore raptore constituenda ? Et respondetur, quòd totum id relinquitur arbitrio judicis, ad hoc delegati pro executione dictarum litterarum, inspectâ qualitate ipsorum raptoris et raptæ ; quia, cùm sit pœna injuriæ illatæ, et illa sit major aut minor, attentâ qualitate utriusque personæ, id. concil. id remisit arbitrio judicis : Sanch., lib. 7,

disp. 13, n. 1, et quoad dictæ dotis constitutionem, requiritur sententia ipsius delegati, ex d. concil. Trid., loco citato.

Sed numquid delegatus poterit exequi has litteras dispensationis, non constitutâ dote per oratorem oratrici raptæ, vel saltem præstitâ cautione de eâ constituendâ post contractum matrimonium?

Et nullo modo posse ipsum ad dispensationis executionem procedere, patet ex infra dicendis; nam, saltem ex verbis in dictis litteris expressis, satis constat, ipsum delegatum, non priùs cum dictis oratoribus dispensare posse, quàm dos fuerit per ipsum oratorem ipsi oratrici raptæ, constituta, ex illâ dictione, et postquàm, in supra dicto decreto, appositâ, quæ significat actum perfectum, nempè postquàm dos fuerit constituta, per text. in l. *Nam et postea*, ff. de Jure jur., et in l. *Si quis postea*, ff. de Judic. Insuper concil. Trid. docet id omninò servari et adimpleri, dùm loquitur per verbum, *Teneatur*, quod necessitatem ostendit, Clem. *Exivi de paradiso*, § *Item ordo*, ibi *quod ubicumque ponitur in regulâ hoc vocabulum*, teneatur, *obtinet vim præcepti et observari debet;* de Verb. sign., cap. *Per hoc*, junctâ Gloss., in verbo *Teneatur*, de Hæret., in 6.

Quid autem si oratrix rapta fuerit dives vel alio modo non egeat ut raptor eam velit dotare? Huic quæstioni videtur posse responderi, quòd decretum supra dicti concilii emanavit ad favorem mulieris raptæ; ne si fortè indotata existat, remaneat innupta attento quòd, cùm ab alio rapta fuerit, nemo velit illam in uxorem ducere, nisi dos sibi fuerit decenter arbitrio judicis constituta; ac propterea, cùm jam dicta oratrix rapta raptori nubat, videtur cessare necessitas illam dotandi; eòque magis, cùm totum id videatur fuisse, ut dictum est, à concilio introductum ad favorem raptæ; quæ poterit huic favori renuntiare; declarando se nolle quòd raptor constituat ei dotem ad text. in leg. *Si quis in conscribendo*, cap. de Pact., leg. 2, ff. de Leg. *Quamvis in principio*, et ibi not. Bart., n. 1 et 2; Paul. Bastr., n. 2 et 3, ff. de Pignorat. act.; Dec. consil. 12, num. 2, Rip. in l. *Si se non obtulit*, § *Si ex conventione*, n. 3, ff. de Re jud.; Archidiac., in capitulo *Quàm periculosum;* n. 47, quæst. 1.

His tamen non obstantibus, contrarium est verius; quia, quamvis mulier ipsa, quantùmcumque dives, videatur non egere dote, et quòd possit prædicto privilegio, sive juri, sive desuper competenti, renuntiare, nihilominùs, renuntiatio hæc non pendet ab illius voluntate, sed ab ipso concilii decreto; quod dùm loquitur per verbum, *Teneatur*, debet omninò servari; cùm per dictum verbum in hâc parte assignet certam formam; quæ est præcisè servanda, l. *Non aliter*, ff. de Leg. 3, c. *Cùm dilecta*, et ibi Felin., de Rescript., unde si ipsa sic tradita forma, deficiat, nihil dicitur actum, et totus actus corruit, Mohed., decis. 17, n. 1, de can. pass. Caputaque decis. 250, p. 1, ac propterea posset de hujusmodi contracto matrimonio dubitari, cùm dicta forma non fuerit ad unguem servata, Dec. cons. 532, n. 4 et 5. Idemque esset si postquàm orator dotaverit oratricem pro servandâ formâ ejusdem concilii, ac litterarum dictæ dispensationis, post contractum matrimonium hujusmodi, dos raptori à raptâ restituatur; quia, præter præjudicium, quod inde oritur filiis nascituris, totum id fieret etiam in fraudem supra dicti decreti concilii, dantis hujusmodi formam; et fraus nemini debet patrocinari, cap. *Super litteris*, de Rescript. cap. *In nostrâ*, de Sepult., cap. Avaritiæ, de Elect., in 6.

Quamobrem, pro præmissorum corraboratione, vidi semper in praxi observatum, in casu petendæ dispensationis super aliquo impedimento, cum mentione raptûs, ut si fuerit in supplicatione narratum, quòd oratrix rapta erat dives, et propterea non indigebat oratoris dote, totum id à supplicatione deleretur, et in illius fine, adderetur solita clausula, quòd orator teneatur illam arbitrio ordinarii competenter dotare. Putarem tamen, quòd cùm id remittatur arbitrio prædicti ordinarii, posset ille arbitrari dotem constituendam, attentâ qualitate oratricis raptæ, quæ dives est nec indiget eâ dote, quâ indigeret si esset pauper; ac propterea pro servandâ saltem formâ ejusdem concilii, ac hujusmodi litterarum, ipse ordinarius aliquid quantùmvis minimum nomine dotis dictæ oratrici raptæ ab ipso oratore assignari facere posset; cùm totum id remittatur illius arbitrio, ut patet ex d. concilio Trid. et ex illâ communi doctorum sententiâ, nimirùm, quòd judicis arbitrio remittitur quod sub certâ lege definitum non reperitur à jure, l. 1, ff. de Jur. delib.; Dec., in cap. *Si pro debilitate*, de Off. deleg., et hoc casu, an dicta oratrix sit dives vel pauper, ejusdem judicis arbitrio relinquitur, ad effectum decernendi sibi quantitatem dotis, arg. eorum quæ dixit Bart. in l. Si constante, num. 14, Alex., num. 17, et communiter doctores, ff. *Solut. matr.*

Ad explorandam autem voluntatem oratricis raptæ (quod ante omnia facere tenetur judex), debet illa poni in loco libero, ubi nec ratione dominii, in quo ipsam morari contingat, nec aliâ ratione metum, aut violentiam timere possit, cap. *Cùm locum*, et ibi Imol., num. 3, de Spons. Thesaur. for. Eccles., part. 2, cap. 9, n. 81, in fine.

QUOD IMPEDIMENTO QUARTI CONSANGUINITATIS GRADUS HUJUSMODI, etc. Cùm ex uno eodemque stipite proveniat impedimentum tertii et quarti graduum, quartus tantùm obstat, tanquàm remotior ex c. *Non debet*, de Consang. et Affin., licèt peti debeant litteræ declaratoriæ super dicto tertio gradu ad præscriptum constitutionis fel. rec. Pii V, ut infra.

Quando etenim duo consanguinei distant in gradu inæquali intelliguntur tantùm distare inter se, quantùm remotior distat à communi stipite; quare de ipso remotiore regulariter habenda est ratio in dispensationibus hujusmodi impetrandis; sic etiamsi erunt plura impedimenta ex duobus seu pluribus stipitibus provenientia, in quibus oratores etiam inæqualiter distent ab eorum stipitibus, puta si fuerint in tertio et quarto ex uno, ac tertio et quarto ex altero; nam, sicut docet quotidiana praxis, quando adsunt plura impedimenta ut valeat dispensatio, omnia sunt exprí-

menda, quia tametsi in nullo jure caveatur, clarum est nihilominùs quòd eo ipso quòd jura præcipiunt omnia impedimenta narranda esse in dispensatione, et nihil tacendum ex iis quæ aliàs non expressa redderent illam nullam, sine dubio videtur id tacitè præcipi; quia satis est dicere quòd pluribus impedimentis existentibus, difficilior redditur princeps ad concedendam dispensationem, cap. *Pastoralis*, de Privileg.

Quod tamen locum sibi vendicare intelligas, in casibus impetrandi dispensationes, seu potiùs mandata de dispensando ordinario directa, ut cum oratoribus, eorum nominibus expressis, ut hìc, dispenset super tali gradu: quia hoc modo dispensatio concessa super simplici gradu non extenditur ad duplicatum; et multò minùs ex pluribus diversisque stipitibus multiplicatum: quia cùm hæc facultas dispensandi detur respectu particularis personæ, erit dispensatio strictè interpretanda, Abb. in cap. fin., de Simon.

Nec valet dicere, ut quidam jurisconsultus nitebatur defendere, quòd hoc non procedit in dispensationibus matrimonialibus, ex eo quòd illæ favore matrimonii, sunt latè interpretandæ, dummodò ex hujusmodi interpretatione non oriuntur scandala, per text. in cap. *Quòd dilectio*, et ibi Gloss. de Consang. et Affin., quia iam ab hâc ambiguitate liberavit nos Clemens VI, per suam Extravag. quæ incipit: *Ex injuncto*, de quâ meminit Joan. Andr. in dict. cap. *Quòd dilectio*, et in cap. *Quia circa*, § fin., cod. tit., ubi apertè dicit, quòd hæc facultas est odiosa, et propterea restringenda; et ita etiam servatur de stylo Curiæ, licèt secus esset circa facultatem concessam dispensandi, indeterminatam, veluti, quando legatis vel nuntiis apostolicis conceditur facultas ut possint dispensare in tali gradu cum oratoribus sibi super hoc supplicantibus; quia tunc concessâ, v. g., facultate alicui ex supra dictis dispensandi super impedimento quarti consanguinitatis vel affinitatis gradûs, hæc facultas erit extendenda ad quoscumque gradus ejusdem generis, veluti in duplici aut triplici vel quadruplici gradu, quia cùm ista sit generalis facultas à Principe concessa, erit latè interpretanda, nempè, ut extendatur ad dictos gradus, etiam multiplicatos ejusdem generis; Oldrad., cons. 152, Alex. in l. *Si ita scriptum*, § 1, ff. de Lib. et Post., quia in hoc casu potest fieri extensio ad consecutiva, etiam separabilia; Domin. in cap. *Nos consuetudinem*, 12, quem refert Gambar., de Auth. leg. *A latere*, lib. 10, n. 181; faciunt ad hoc quæ dicit Felin., in cap. fin. num. 8, de Simon.; Put., decis. 39, num. 2, lib. 3, et decis. 70, num. 3, lib. 2, et nos alibi diximus.

Modernis verò temporibus, in prædictis facultatibus legatorum aut nuntiorum, ad evitandum omne dubium quod ex eisdem facultatibus oriri posset, expresse conceditur, ut possint dispensare cum quibusvis personis, tertio aut quarto simpliciter, aut mixtim tertio et quarto, etiam multiplici consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem conjunctis, seu se attinentibus, et quocumque impedimento publicæ honestatis justitiæ impeditis, etc.

Quia verò agitur hìc de dispensatione super public. impedimento, nempe super quarto gradu consanguinitatis, videamus quid agendum, si cum eo concurrat aliud impedimentum, sed occultum. Et non recedendo à quotidianâ praxi Romanæ Curiæ, dicimus quòd super dicto impedimento occulto, poterit alii dispensatio impetrari ab officio sacræ pœnitentiariæ in foro conscientiæ tantùm, Navar. cons. 1, quæst. 19, num. 52, de constit., ubi dicit quòd passim in Romanâ Curiâ contingit impetrari dispensationem super uno impedimento matrimonii, non factâ mentione de alio; ac postea impetratur dispensatio super alio, quorum utraque judicatur valida, quòdque cùm incestus ex magnâ parte sint occulti, cognatio autem magnâ ex parte publica, si in impetratione impedimenti cognationis exprimendus esset incestus, cogeretur impetrans infamare se, et frequenter alium prodere, contra jus naturale quo vetamur nos et alios prodere, cap. *Quis aliquando*, § *Non tibi dico ut te prodas*, de Pœnitent., distinctione 1.

Exemplum erit si quis velit ducere consanguineam in quarto gradu, et inter eos adsit etiam impedimentum occultum primi aut secundi gradûs affinitatis ex actu fornicario proveniens; nam, ut ait Sanch., lib. 8, disp. 23, n. 7, piè et jure optimo ea creditur intentio Pontificis, ne similis casus remedio dispensationis destitutus sit; vel cogantur hi crimen occultum in foro externo prodere, cum propriæ famæ jacturâ et periculo, ut crimen illud sic explicatum, deferatur ad judicium seculare, et damnentur pœnis incestui à jure statutis; tunc enim in sacrâ pœnitentiariâ utrumque impedimentum exprimendum erit; quia cùm in eâ non publicentur nomina oratorum, ut omnes sciunt, manet occultum adhuc crimen, ut utrumque impedimentum remanet notum Pontifici; quandoquidem ita dicta pœnitentiaria perpendit necne an dispensare expediat, concurrente eo duplici impedimento; et proinde nihil contra Pontificis mentem impetratur. Et ita consulta sacra pœnitentiaria respondit hoc sufficere et esse necesse; circa quod, benè id Sanch., loc. cit., docet, quod non refert, sive priùs proponatur utrumque impedimentum sacræ pœnitentiariæ, et postea publicum Papæ, vel è contra, quia idem est effectus, et in utroque casu intentioni Pontificis satisfit. Exemplum hujus praxis erit in oratore qui, postquàm aliquam mulierem carnaliter cognoverat, matrimonium cum illius consanguineâ in secundo gradu affinitatis ex actu fornicario, et sibi in quarto gradu conjunctâ, publicè contraxerat, obtentâ priùs à Sede Apostolicâ dispensatione in utroque foro, super dicto quarto gradu, nullâ in dictâ dispensatione factâ mentione dicti secundi gradûs; et eidem sacræ pœnitentiariæ narrata sunt omnia impedimenta, nempe publicum super quo fuit dispensatum in utroque foro, nec non occultum, super quo petitur nunc dispensarii in foro conscientiæ; quapropter committitur confessori, ab ipso oratore eligendo, quatenùs, si est ita, et separatio fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione timeatur de incontinentiâ, et juxta formam litterarum apostolicarum, verificatisque in eis narratis, super impedimento quarti consanguinitatis gradûs, cum ipso et

dictâ muliere dispensatum fuerit, atque occultum sit dictas litteras dispensationis, propter præmissa invalidas esse, etc., dispenset. Et sic in hoc casu præsupponitur matrimonium jam contractum vigore dictæ dispensationis, in utroque foro obtentæ, vel quando matrimonium nondùm est contractum, quod exprimitur etiam in sacrâ pœnitentiariâ quæ postea in litteris secretæ dispensationis super occulto impedimento committit confessario ut absolvat et dispenset, postquàm superpublico impedimento dispensatum fuerit. Creditur tamen posse nihilominùs tunc confessarium, cui sacra pœnitentiaria hoc committit, dispensare super impedimento occulto, licèt nondùm impetrata sit dispensatio super publico; ut postea, câ impetratâ, possint oratores licitè contrahere, quia mens ejus commissionis, non est, ut antea non expediat confessarius dispensationem, sed ut non sortiatur plenum effectum concedendæ facultatis ad matrimonium, donec Pontifex super alio impedimento dispenset. Idem, si cum impedimento publico consanguinitatis concurrat impedimentum voti et similium.

Non importunè nunc, circa hanc praxim, sequitur videre, quid si litteræ dispensationis fuerint super duobus impedimentis dirimentibus impetratæ, veluti super tertio consanguinitatis et tertio affinitatis gradibus, postmodùm verò in illarum verificatione, delegato constet unum tantùm adesse impedimentum, scilicet tertii consanguinitatis, numquid poterit dictus delegatus ipsas litteras executioni demandare.

Et omissis omnibus quæ pro negativâ parte adduci possent, affirmativam, tanquàm in praxi receptam, tenendam esse docemus, etiamsi in illarum impetratione, ipsorum impetrantium culpa intervenerit; cùm enim duo narrentur impedimenta, et sic ejusdem rescripti partes separatæ existant, non propterea totum ipsum rescriptum annullatur; sed legitimè executioni mandari potest, quoad verum impedimentum, in eo expressum; non enim sumus in materiâ individuâ, in quâ utile per inutile vitiatur, ut docet Bart. in l. *Præce.* §, *Aliud* ff. de fideicom. et in l. 1, § *Sed et si mihi bonâ*, ff. de Verb. oblig., neque in actu, qui ratione suæ essentiæ, licèt separabilis, propter formam tamen datam, dicitur adhuc individuus; cùm tunc valeat dicere quod utile per inutile vitiatur, ut dixit Jas. in dict. § *Sed et si mihi*, vers. *secundò in quantum*, et ibi id. Bart. At sumus hìc in actibus prorsùs dividuis, quorum unus ab altero non dependet; ac propterea aliàs etiam probavimus super duobus impedimentis inter se distinctis, posse duas impetrari dispensationes, etiam in unâ non factâ mentione de alterâ in casibus suis, etiam quòd simus in materiâ strictâ, et odiosâ, ut hìc; hoc enim non tangit naturam et essentiam dispensationis, nec de illius validitate aut invaliditate agitur, sed tantùm, ut illa valeat pro vero et expresso impedimento; quo autem ad non verum, licèt expressum, nihil commune habet cum vero et expresso, sicut etiam dicimus quòd licèt sententia plura capita contineat, tamen quando illa sunt separata, non dicitur individua, quia individuitas procedit solùm in uno capite, vel etiam in pluribus, sed connexis, non autem separatis in quibus utile per inutile non vitiatur, ex allegatis per Marches. de Commiss., part. 3, § 2, n. 133, fol. 19, ex quo cùm hæc duo impedimenta nihil inter se habeant connexionis aut dependentiæ, sed omninò separata sint, si illorum unum erit falsum, litteræ sortientur effectum pro vero impedimento; exemplum simile ponit Lambert. de Jurepatr., art. 12, q. 4, p. 1, lib. 2, num. 2, ubi ait quòd si fuerint duo procuratores ad præsentandum seu eligendum constituti, unus verus, alter falsus, an tunc utile per inutile vitietur, et concludit, in individuis, pro affirmativâ, in dividuis autem, pro negativâ; licèt mandatum tanquàm strictissimi juris, strictissimè sit interpretandum in omni materiâ; Paris. de resignatione benefic., libro 9, qu. 17, num. 133, et in facti contingentiâ, pluries scimus ita practicatum fuisse, præsertim in hâc curiâ archiepiscopali; quidquid nonnulli dixerint, contrarium sentientes, quamvis aliter dicendum sit, ubi super duobus aut pluribus impedimentis, unica impetratur dispensatio ex falsâ causâ, quoad aliqua ex dictis impedimentis; aliâ verâ existente, quoad reliqua; tunc enim subreptio dolosa in unâ parte vitiabit totam gratiam; ita id. Sanchez, disp. 24, n. 17, libro 8.

CAPUT VII.

Praxis derogationis obstantium cum sequentibus, etc.

Ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque, etc., nequaquam obstantibus. — Vigore hujus clausulæ, non suppletur alius gradus, seu aliud impedimentum, in supplicatione et in litteris non expressum; quia illa nullam inducit dispensationem text. in capitulo *Non potest*, de Præb., in 6; nam necessariò requiritur quòd de impedimento ac dispensatione super eo fiat mentio in narrativâ et dispositivâ ipsarum litterarum; aliàs nunquàm potest deduci ex dictâ clausulâ, per tex. in Clem. 1, de Præb.; Felin. in capitulo *Nonnulli*, col. 8, de rescript.; Rebuff. in Praxi benef., titul. de Dispens. ratione ætatis, numero 7 et 8; et sic nequaquàm operatur ultra narrata; Cornel., consil. 125, num. 14, lib 6, nec tollit alios defectus non expressos; id. Felin. in dicto capitulo *Nonnulli*.

Hoc tamen operatur dicta clausula, quòd reddit gratiam validam, et confirmat expressa, Dec. cons. 541, num. 21, vol. 4; Ruin., cons. 208, n. 18, Alex., cons. 95, num. 7, vol. 2, Menoch. de Arbitr. jud., casu 203, n. 13, lib. 2. Et juxta hanc praxim expressè docet Sanch., lib. 9, disp. 24, n. 6, quòd tacito altero conjunctionis gradu, non proderit hæc clausula, *non obstantibus*, in litteris dispensationis matrimonialis apposita, ut suppleat gradum non expressum, ut dictum est.

Ad illud autem quod dicit idem Sanch. disput. 24, num. 17, quòd hæc generalis obstantium derogatio sufficiat, quamvis summus Pontifex disponat contra constitutionem conciliarem contentam, ut ipse dicit, in cap. *Non debet*, de Consang. et Affin., dicendum est, quòd licèt verum sit ipsum Pontificem per dictam

clausulam dispensare et disponere adversùs dictam constitutionem, quâ prohibetur matrimonium contrahi infra quartum gradum, tamen hæc constitutio non est propriè de conciliaribus, quæ necessariò exposcunt specialem derogationem ; et sic minùs admittitur, quod ipse subdit, d. n. 17, quòd, quando Papa dispensat in speciali et certo casu contra concilii generalis prohibitionem, non est opus hâc expressâ derogatione : et movetur hâc ratione, nempe, quod cùm clausula generalis prædicta nequeat vera reddi, nisi in eo solo casu contra concilii prohibitionem, debet hæc generica derogatio reputari pro specificâ et expressâ, cùm aliàs dispensatio esset nulla.

Ego autem (salvâ pace tanti viri) aliter sentio, etiam juxta notoriam praxim datariæ et cancellariæ Apostolicæ ; ista enim prohibitio contrahendi matrimonium infra quartum gradum, contenta in d. cap. *Non debet*, non est propriè conciliaris, ut dictum est et ipse Sanch., loco cit., putat ; ac propterea usus Curiæ non adhibet super ea specialem derogationem ; patet enim ex titulo ipsius capitis illam esse conditam, non ab ipso concilio absolutè, sed à Papâ, qui dicto concilio intervenit ; nam in summario d. cap. *Non debet*, dicitur, *idem* (id est, Innocentius III, qui priùs præponitur in cap. de Infidelibus, eod. tit.) *in concilio generali*. Unde, cùm ex hoc censeatur constitutio ipsius Papæ, non est ei specialiter derogandum, nisi fortè ita illa emanet, ut adversùs eam requiratur specialis derogatio.

Quando verò est constitutio conciliaris, aliter inscribitur ipsius titulus ; non enim dicitur, *in conc. generali, sed ex conc. generali*, et hìc necessariò petenda est expressa illius derogatio ; quod est valdè notandum pro tyronibus Rom. Curiæ, ne gratiæ aliter petitæ, inanes reddantur ; cùm ex notorio stylo constet, quòd nunquàm Papa intendit tollere constitutionem conciliarem, vel aliquid contra eam facere, nisi expressè apponat mentionem, derogationem ad illam constitutionem, juxta text. in cap. *Ex parte*, ibi : *Cùm autem id obviet Lateranensi concilio, de quo nulla mentio est in litteris ante dictis, fraternitati tuæ breviter respondemus, quòd hujusmodi litteras ab Apostolicâ Sede non credimus emanâsse ; quod si per occupationem forsitan emanaverint, nolumus per hoc derogari concilio supra dicto, de capel. monach.* Archid. in cap. 1 de Constit, in 6, Bald. in l. *Humanum*, c. de Leg. ; Abb. in c. 1, in ult. not. de pact., ubi declarat quòd illa dicitur constitutio conciliaris, quando dicitur, *ex concilio*, secùs si dicatur *in concilio ;* quia esset constitutio Papæ, ut etiam ali bi diximus.

Matrimonium inter se, publicè, etc. — Ex eo quòd dispensatio concessa est super publico impedimento ; unde aliter servandum erit in matrimoniis contrahendis aut nulliter contractis cum aliquo occulto impedimento, ac propterea de novo contrahendis ; propter quæ ait Navar., cons. 14, de Spons., magnam ortam fuisse dubitationem an propter decretum conc. Trid. in hoc secundo consensu præstando necesse sit, saltem adesse parochum, cum duobus vel tribus testibus et propter illa verba : *Et hujusmodi contractus irritos ac nullos decernit ;* visum fuit esse necessariam præsentiam parochi et testium ; sed quia hoc in multis casibus non posset fieri sine periculo maximi scandali, et in concilio non videtur fuisse cogitatum de hujusmodi casibus occultis, dictum fuit cardinali propœnitentiario, ut nomine totius signaturæ exponeret Sanctissimo videri æquissimum ut per aliquam constitutionem declaretur, quando præcesserunt denuntiationes, vel aliàs servata est forma concilii, in hoc secundo consensu sufficere, ut secretò præstetur ; sed ita ut conjux qui ignorabat, in genere intelligat impedimentum dirimens matrimonium subesse et necessarium esse, ut de novo mutuò consentiant, ut matrimonium valeat : ita cardinalis Alciatus propœnitentiarius retulit in signaturâ, placuisse Sanctissimo, ut in hujusmodi impedimentis occultis quando matrimonium est renovandum, possit hoc fieri inter ipsos conjuges secretè, et quòd non sit necessaria præsentia parochi, vel testium, ita exprimenda est clausula, *et secretè inter se contrahere*, et cons. 3, de eo qui dux., num. 3, dicit quòd ob dictum impedimentum occultum potest matrimonium de novo contrahi clandestinè absque denuntiationibus, ob prædictam declarationem, quæ facta fuit à Pio V ; nam aliàs sequerentur multa scandala et inconvenientia ; unde non est credibile, voluisse dictum concilium hìc dictos conjuges obligare ut iterùm publicè contrahant. Et hâc declaratione semper vidi ipsam sacram pœnitentiariam, cujus prætorio ego minimus et indignus per multos annos inservivi ; illiusque vigore, postquàm in illius litteris narratum fuerit oratores scientes impedimentum nihilominùs matrimonium contraxisse, mandatur confessario, per ipsos oratores eligendo, quatenùs adimpletis cæteris in dictis litteris expressis, cum eisdem, de nullitate tamen prioris consensûs certioratis non obstantibus, matrimonium inter se de novo secretè, ad evitanda scandala, contrahere, et in eo postmodùm remanere licitè valeant, misericorditer dispenset in foro conscientiæ tantùm.

Quòd si alter tantùm oratorum sciens impedimentum contraxerit, tunc mandatur ipsi confessario, ut altero ignorante, de nullitate prioris consensûs certiorato, sed ita cautè, ut delinquens nusquàm detegatur, matrimonium cum eodem, vel eâdem, et uterque inter se de novo secretè, ad evitanda scandala, etc.

Et sic parùm refert circa hoc, quòd de formâ substantiali, ab ipso concilio præscriptâ, ad validitatem matrimonii requiratur præsentia parochi et testium, ut infra dicetur ; nam, ut id. Sanch. ait, lib. 2, disput. 27, num. 3, vers. *Hoc ergo*, ratio finalis dicti concilii ut matrimonium celebretur coram parocho et testibus, ea fuit, ut vitentur gravia peccata ex nuptiis clandestinis insurgentia, etc. Unde hìc non militat eadem ratio ; cum non se extendat ad hunc casum, per ea quæ ipse subdit loco citato.

Advertit tamen num. 10, præmissa sibi locum vendicare, dummodò parochus et testes impedimentum illud ignorarent ; nam si scirent, quantùmcumque aliàs esset occultum, necessariò repetendus esset con-

sensus coram parocho et testibus, per ea quæ aliàs diximus.

Præterea te monitum volo quòd cùm contingat peti dispensationem à supra dictâ sacrâ pœnitentiariâ super occulto impedimento, non sufficit illud esse occultum, tantummodò tempore impetrationis dispensationis super eo; sed opus est quòd nullus adsit timor, quòd aliquo modo possit fieri publicum in futurum; aliàs enim major pœnitentiarius remitteret supplicationem ad datariam, ut oratores petant secum dispensari in utroque foro; quia non occultum, sed manifestum dicitur, quod potest probari, per Gloss. in cap. *Vestra*, in verbo, *Notorium*, de Cohab. cler. et mul.; Ludovis., dec. 395, sub num. 14; impedimentum autem occultum tunc dicitur, quando non publicè constat, nec facilè constare potest, ac periculum non est ut in foro externo detegatur, ut per Henriq. lib. 11 de Matrim., capite 3, num. 1 et 2, relatum à Sanch., l. 2, disp. 40, num. 11.

Servata forma concilii Tridentini, contrahere. — Atverò si matrimonium contrahatur non servatâ formâ ejusdem concilii, validum erit, ubi ejusdem concilii decretum, sess. 24, cap. 1, de Reform., non est publicatum, prout ejusdem sacra congreg. declaravit in unâ Carpenctoraten. 17 junii 1617, et unâ Bossanen. 14 aprilis 1611.

Per dictam clausulam non continetur dispensatio consummata; ac proinde non valet matrimonium, nisi priùs vigore supra dictarum litterarum cum ipsis oratoribus dispensetur; quia, cùm illæ, ut aliàs diximus, contineant tantùm mandatum de dispensando, vicario prædicto directum, cum ante dictâ clausulâ, *si preces veritate nitantur*, ut supra diximus, non inducitur vis meræ et consummatæ dispensationis; ac propterea judex præter narratorum verificationem, curabit ut matrimonium ipsum contrahatur ad præscriptum dicti concilii, sess. 24, cap. 1, de Reform. matr., vers. *Idcircò*, ubi præcipitur ut antequàm matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesiâ, inter missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris*, etc.

Cùm verò istæ denuntiationes ex præscripto ejusdem concilii fieri debeant tribus festivis diebus, numquid poterit episcopus, saltem ex aliquâ causâ, dispensare, ut fiant, seu illarum aliqua fiat in diebus ferialibus. Et certè negativa est responsio, quia episcopus nullo modo potest dispensare super constitutione conciliari, Zerol. in Praxi episcop., part. 1, verbo *Matrimonium*, ubi ait ita declarâsse sacram congreg. DD. in capit. *Ac si clerici*, de Jud. Contrarium tamen tenet Barbos., de Pot. episc., alleg. 42, num. 14, nec sine fundamento; cùm enim concilium loco citato prudentiæ et judicio ordinarii relinquat an denuntiationes sint remittendæ necne, videtur à fortiori illud etiam concedere, ut ex ejus arbitrio pendeat an matrimonium diebus ferialibus sit denuntiandum; quæ omnia ita demùm fieri posse intelligenda sunt, si nimis rationabilis causa subsit, ex quâ ita expedire judicetur, ut ait id. concilium, vel ubi id sit consuetudine introductum, ut per Hurtad. de Matr., disp. 5, difficult. 18, num. 61. Ipsæ tamen publicationes licitè fieri possunt temporibus prohibitis nuptias celebrare, ut censuit sacra congr. episc. et regul. 18 decemb. 1589.

Porrò cùm ad effectum hujusmodi matrimonii inter oratores contrahendi, nonnulla sint adimplenda, quæ tendunt ad executionem litterarum præsentis dispensationis, ea hìc opportunè subdemus. Ante omnia igitur, ex decreto dicti concilii, debet ipse judex mandare fieri dictas publicationes, ad hoc, ut si quis sciat inter ipsos oratores, ultra impedimentum in dictis litteris expressum aliud adesse, illud valeat denuntiare, prout sæpè accidit; et propterea nulla ratio est cur in hoc ipsæ denuntiationes præmittendæ non sint, sicut in aliis matrimoniis absque dispensatione contractis præmittuntur.

Sed numquid, stante dictâ clausulâ in litteris dispensationis appositâ, quâ Papa mandat matrimonium contrahi servatâ formâ concilii Tridentini, cujus decreto cavetur ut præmittantur denuntiationes, ut supra dictum est, possit nihilominùs delegatus exequi dictas litteras, absque eo quòd præmittantur ipsæ denuntiationes? Et videtur quòd non; nam aliter non esset servata forma rescripti, quam judex omninò servare debet, cap. *Cùm dilecta*, de Rescript.; Butr. in cap. *Ex parte*, elect. 2, de For. comp.; Dec. cons. 33, col. 2, ante med.

His tamen non obstantibus, contrarium est verius sicut etiam in praxi servatur; nam poterit nihilominùs prædictus delegatus exequi hanc dispensationem apostolicam, prætermissis denuntiationibus ex aliquâ causâ, ut infra dicetur: nam loquendo etiam de formâ traditâ à dicto concilio, adeò illa statuta est, quòd præmittantur ipsæ denuntiationes, ut etiam prudentiæ ordinarii sit relicta, ut dictum est; quod procedit, non solùm, si in litteris dicatur, quòd matrimonium contrahatur servatâ formâ concilii Tridentini, nullâ factâ mentione harum denuntiationum, verùm etiam si in dictis litteris fiat specialis mentio de hujusmodi denuntiationibus, utpote quando oratores commorantur in alienâ diœcesi, et propterea, juxta praxim Romanæ Curiæ, dicatur in litteris dispensationis, ut ordinarius loci ubi ipsi oratores contraxerunt domicilium, dispenset, factis proclamationibus in parochialibus ecclesiis originis ipsorum oratorum; nam, etiam explicando, ut fiant denuntiationes, si illis omissis, contraherent coram parocho, et duobus testibus, valeret dispensatio, Sanch., lib. 8, disp. 35, num. 19, propter rationem ibidem ab eo allatam, nempè, quia licèt dicatur, *et factis proclamationibus*, etc., ac propterea videantur hæc verba conditionem importare, cùm sint posita in absoluto, per text. in l. *A testatore*,

ff. de Condit. et demonstrat., attamen verius dicendum est, id non importare formam aut conditionem, quia quoties in rescripto exprimitur forma juris communis, eo modo quo jure inest, non est intentio papæ dispensantis inducere novam formam et conditionem; sed est admonitio quædam, ut servetur forma juris communis; unde, eâ prætermissâ, non irritatur actus qui aliàs validus esset, nisi in commissione ea forma exprimeretur; expressio enim ejus, quod tacitè inest, nihil operatur, l. 3, ff. de Leg. 1, l. *Eum quid*, ff. *Si cert. pet.*, et l. *Res*, ff. de Jur. dot., quia per idem concil. Trid. inducta est tantùm forma, ut matrimonium contrahatur coram parocho et testibus, et aliter irritum sit; nam, ut omnes fatentur, tunc inducitur vera forma, omninò observanda, quando constitutio non solùm disponit super aliquo actu faciendo, sed ultra procedit; Dec. cons. 455, num. 7; nempe quando disponit et adjicit nullitatem actûs adversùs non observantiam suæ dispositionis, Alex. in l. *Hâc consultissimâ*, post. num. 4, c. *Qui testam fac. poss.*, et hæc est vera forma substantialis, cujus defectus vitiat actum, non solùm quando agitur contra ipsam formam, sed etiam quando citra vel præter formam; tunc enim eâ non servatâ, etiam in minimâ ipsius parte, resultat nullitas ipsius actûs; Felin. in cap. *Cùm dilecta*, de Rescript., ac proinde cessant omnia hæc in casu nostro; quæ tunc profectò procederent, quando Papa diceret, quòd delegatus non dispenset, nisi factis priùs publicationibus; quod quidem nunquàm observari visum est; cùm se tantùm remittat ad disposita per concil. Trid. Talis autem est forma, quæ ab ipso concilio novissimè statuta est circa validitatem matrimonii, ut patet ex ipsius verbis; ibi : *Qui aliter quàm præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentiâ, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit et annullat.* Ex quibus verbis satis patet quòd denuntiationes non sunt de essentiâ matrimonii, nec illud vitiatur per illarum omissionem; quod si idem concilium voluisset, utique sub eâdem formâ essentiali comprehendisset etiam ipsas denuntiationes pro validitate matrimonii, ad text. in cap. *Ad audientiam*, de Decim., c. *Illa*, ne sed. vac., l. *Illam*, c. de Collat., l. un., c. de Cad. toll.; unde non expressit, ergo noluit, etc.

Cæterùm, ut paucis tota quæstio absolvatur, cùm forma concilii circa denuntiationes illa sit, ut prudentiæ et arbitrio ordinarii remittatur, ea utique ut in litteris præcipitur, servabitur, si episcopus, eâ potestate utendo, quæ sibi ab ipso concilio tribuitur, super eisdem denuntiationibus dispensaverit.

Ubi autem ipsæ denuntiationes erunt præmittendæ, si intra quatuor menses post eas peractas, non fuerit contractum matrimonium, non poterit illud contrahi, nisi novæ denuntiationes, arbitrio episcopi præmittantur; Barbos. de Potest. episcop., part. 2, alleg. 32, num. 55. Tutius tamen est inhærere Rituali Romano, ad cujus præscriptum, sicut observat hæc curia archiepiscopalis, si intra duos menses, post illas peractas, non fuerit matrimonium contractum, debent de novo fieri, ut supra dictum est; quòd si aliquando illas ex aliquâ causâ omitti contingerit, conceditur licentia contrahendi; sed contrahentibus præcipitur, ut in formulâ infra positâ, ne copulentur, antequàm prædictæ denuntiationes fiant. Cùm autem in multis locis adsit abusus quòd matrimonium consummetur antequàm factæ sint denuntiationes in Ecclesiâ, seu, quod pejus est, antequàm contractum sit per verba de præsenti juxta formam dicti concilii; ideò incumbere poterunt locorum ordinarii ad tollendum hunc abusum, et eos qui contrafecerint puniri pœnâ stupri, sicut censuisse S. congregationem refert Zerol. in suâ Praxi Episcopali, verbo *Matrimonium*, vers. 15, *In multis*, part. 1.

Quoniam verò eodem concilio, loco cit, cavetur quòd si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc, vel una tantùm denuntiatio fiat, vel saltem parocho, et duobus, vel tribus præsentibus, matrimonium celebretur; ipsæque denuntiationes possint ex causâ remitti, Fus. de Visit., lib 2, c. 3, n. 21; Campanil. in suo Diversor. jur. can., rubr. 11, c. 13, n. 143, illarumque remissio per idem concilium remittatur arbitrio ordinarii; illud debet esse regulatum: quia sine causâ non est recedendum à juris dispositione; Menoch., de Arbitr. jud., q. 13; Genuen., in suâ Praxi c. 26, ac propterea parochus, celebrando matrimonium, non præmissis denuntiationibus, sine legitimâ causâ, peccat mortaliter; Valer. Reginal., in Praxi, fori pœnit., l. 31, num. 225, quod etiam intelligas, si ipse moraliter sciret nullum adesse impedimentum; nam ex earum omissione, multa scandala oriri possent, cùm agatur de materiâ gravissimâ, prout quotidiana experientia docet.

Notandum est tamen quòd, quamvis idem concilium, d. sess. 24, cap. 1, unam tantùm causam assignet dispensandi super dictis denuntiationibus, videlicet, malitiosi impedimenti, attamen plures aliæ causæ adsunt ex quibus principaliores et frequentiores in praxi sunt sequentes, videlicet :

Prima est contrahentium pudor ob aliquam inter eos disparitatem, veluti si valdè dives pauperem, vel senex juvenculam, et è contra, Palud. in 4, distinct, 28, q. 2, art. 3, concl. 3; Navar. in Manuali, cap. 22, n. 70. Ista enim disparitas satis justa causa reputatur; Cucc. l. 5, Instit. major., titulo 11, n. 65; Sanch. de Matr. lib. 3, disput. 9, num. 3, ubi plures allegat, et n. 4, ait quòd idem dicendum est, quando ambo contrahentes sunt senes, et ægrè ferunt matrimonii publicationem; quia militat eadem ratio, et fieret irreverentia sacramento matrimonii, dùm contrahentes, tam senes irridentur.

Secunda causa est si contingat virginem esse sub tutelâ iniqui curatoris, qui eam viro ignobili et disparis conditionis tradere intendit; Barbos. de Potest. episc., p. 2, alleg. 32, num. 41; nam, etiam ante concil. Trid., hæc clandestinè et absque peccato contrahere

poterat, ut per Cajet. 3, tom. opusc. 4, de Usu matrim.

Tertia causa est quando magnates contracturi sunt matrimonium : hi enim non nisi cum magnâ deliberatione solent contrahere ; id. Sanch., lib. 3, disp. 9, num. 6, dummodò tamen sic contrahentes, ordinariis aliisque gravibus personis sint noti ; ac propterea ipse ordinarius certò sciat inter eos nullum existere impedimentum ; nam hæ denuntiationes fuerunt introductæ principaliter ad detegenda impedimenta, si quæ fuerint ; unde cùm ordinarius sit certus nullum adesse impedimentum, profectò cessat causa, propter quam fieri debent ipsæ denuntiationes, ad ea quæ dicit Bald. in l. *Si ob turpem*, ff. de Condit. ob turp. caus.; Tiraquel. in Tract. Cessan. caus. num. 118, cap. *Cùm cessante*, de Appell., l. Mancipia, ubi Gloss. et id. Bald. Salyc., c. de serv. fugit.

Quarta causa est cùm aliqui in concubinatu permanentes existimantur tanquàm vir et uxor, quia hæc verecundia sufficit pro causâ, Sylv., verbo Matr. 6, q. 7, d. 2.

Quinta causa est quando ex causâ præmittendarum ipsarum denuntiationum, non possent nuptæ benedici, ex eo quòd instat tempus, quo illæ prohibentur; Bonac., q. 2, punct. 6, n. 7, quod tamen intelligitur procedere, nisi appareat contrahentes voluisse malitiosè differre matrimonium usque ad tempus prohibitum, ne fiant denuntiationes, et hæc est observantia hujus curiæ archiepiscopalis Neapolitanæ, ubi quando omittuntur ex aliquâ causâ denuntiationes, examinantur duo testes qui deponant cognovisse contrahentes, et nullum inter eos adesse impedimentum.

Sexta causa est quandò priùs contractum est matrimonium publicè, et reperitur nullum, ob impedimentum occultum ; id. Sanch., num. 9.

Septima causa est, cùm repentinus casus offert rationem contrahendi matrimonium, nempe si qui in concubinatu deprehensi, à judice essent plectendi, ut possint dicere se esse conjugatos; id. Sanch., num. 15.

Octava causa, ob periculum animæ, veluti, si duo sint concubinarii et velint matrimonium contrahere, ut in bono statu constituantur, periculumque sit, ne si fiant denuntiationes, interim commisceantur ; id. Sanch., n. 17; eadem causa sufficit etiam ad dispensandum super aliquo impedimento occulto, quo ipsi oratores forsan impedirentur ad contrahendum; tunc enim per S. pœnitentiariam dabitur eis dispensatio, quæ committitur confessario, ut si ita est, periculumque sit ne ipsi oratores perseverent in concubinatu, et inde, scandalorum, cum illis in foro conscientiæ tantùm dispenset.

Nona causa est, cùm meretrix in lupanari exposita, vellet cum aliquo contrahere matrimonium, ut sic desistat à malo statu, in quo reperitur; ac insuper ob periculum, ne ipsa aut sponsus mutet voluntatem; id. Sanch., d. num. 17.

Decima causa est ad evitanda scandala ob aliquam factionem, quæ vitari possit statim secuto matrimonio; id. Sanch., num. 18.

Undecima causa est dùm quis in mortis articulo constitutus, vult ducere in uxorem concubinam, sive ad effectum, ut proles ex eâ suscepta legitima remaneat, sive tantùm ut securior efficiatur suus transitus ; id. Sanch. num. 19, quo casu sufficiet solùm auctoritas parochi ex tacitâ concessione episcopi, si ordinarii copia haberi non possit; quia ante consummationem matrimonii poterit ipse parochus facere denuntiationes.

Duodecima causa est quando vir feminam defloravit, et damnum amissæ virginitatis reparare intendit, et si matrimonium differretur ex causâ denuntiationum, periculum esset in morâ. Hæ quidem sunt causæ frequentiores in hâc curiâ archiepiscopali in quâ in dies super illis dispensatur.

Aliæ insuper causæ possent insurgere ex quibus ordinarius posset dispensare, quæ non omnes possunt ita excogitari, ut sigillatim recenseantur; sed benè erunt ponderandæ an eæ sufficientes sint; nam verba concilii, quòd videlicèt *sancta synodus ordinarii prudentiæ et judicio relinquit*, continent arbitrium prudentiale et regulatum; Mandos. cons. 69, num. 62, et 63, vol. 1; Sanch., lib. 3, disp. 8, num. 1, qui num. 2, infert ex hoc mortaliter peccare episcopum absque legitimâ causâ super hoc dispensantem ; optimum tamen erit, si antequàm dispenset, aliquam saltem mandet adhiberi diligentiam an inter contrahentes possit adesse aliquod impedimentum, quominùs contrahere valeant, ut dictum est; nam ex omissione prædictarum denuntiationum, etiam de licentiâ ordinarii post contractum matrimonium, impedimentum dirimens detegi sæpissimè contingit ; ac postmodùm, non modò dispensationes impetrantur de ignoranter, verùm etiam de scienter contracto et consummato, prætermissis ex dispensatione ordinarii denuntiationibus; narrando summo Pontifici, quòd ipsis oratoribus aliàs scientibus se aliquo impedimento esse detentos, matrimonium inter se, per verba de præsenti, publicè, prætermissis de licentiâ ordinarii proclamationibus, juxta formam concilii Tridentini fieri solitis, nulloque detecto, neque impedimento, servatâque in reliquis dicti concilii formâ, contraxerunt ; illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, et carnali copulâ consummârunt; petendo absolutionem à generali excommunicationis sententiâ, contentâ in Clem. *Eos*, de Consang. et Affin., quam propter præmissa incurrerunt; et conceditur eis dispensatio cum nonnullis modificationibus, prout suo loco fusiùs dicemus.

Negari tamen non potest, quin aliquâ causâ existente, si fortè non sit copia episcopi, vel ille petitam desuper dispensationem, absque legitimâ causâ negaret, possit nihilominùs contrahi matrimonium absque denuntiationibus; id. Sanch., d. lib. 3, disput. 10, n. 25, maximè, si aliàs scandalum sequeretur; id. n. 6, et sic contractum matrimonium validum fuisse censuit S. congregatio concil. in unâ mediolanen. 23 februarii 1630.

Quo verò ad verificandam causam pro dispensatione super remissione denuntiationis hujusmodi, licèt nonnulli dixerint deberi duos testes examinari pro verificatione hujusmodi ad hoc, ut judex perpendat an id expediat, attamen sufficit extrajudicialis ad id cognitio, sicut videmus in hâc curiâ ser-

vari, ubi quòd aliquis probatæ vitæ D. vicario generali, etiam ad aures et secretò id proponat, et justâ causâ existente, tenetur ad petitionem partis dispensare id. Sanch., d. disput. 10, num. 6; nam, cùm Concil. Trid. totum id remittat arbitrio ordinarii, ut supra dictum est, profectò non requiritur probatio judicialis, cap. *Statutum*, § *Assessorem*, de Rescrip. in 6.

Porrò non solùm ordinarius poterit hanc dispensationem in suâ diœcesi concedere, verùm etiam extra illam, cùm sit actus voluntariæ jurisdictionis; Sanch. l. 3, disp. 8, num 6, vers. *Secundò infertur*, ubi subdit id in tantum procedere, ut quamvis exigeretur causæ cognitio judicialis, (nempe si fuerit orta lis circa matrimonium, vel circa dispensationem, scilicet super impedimento, quo oratores detinentur ad contrahendum; quæ causæ cognitio non debet fieri extra diœcesim, tanquàm actus jurisdictionis contentiosæ) nihilominùs posset dispensatio super dictis denuntiationibus fieri extra illam; per ea quæ not. Bald. in l. un., in princip., num. 1, ff. de Off. cons.

Formula autem dispensandi super prædictis denuntiationibus, talis, vel similis esse poterit, per quam proprio parœcho committitur, ut infra, videlicet :

N. N. Vicarius generalis, etc., *justis de causis, animum nostrum moventibus, his nostris litteris facultatem tibi concedimus ut tribus, vel saltem duobus testibus, præsentibus, N. et N., in matrimonium, cùm nullum aliud præter illud in litteris apost. dispensationis expressum (si pro eis fuerit impetrata dispensatio ad contrahendum) ex informationibus ore tenùs sumptis, inter eos legitimum detectum fuerit impedimentum, conjungere valeas; ita tamen, ut celebrato matrimonio, intra dies quindecim, denuntiationes, tribus proximis continuis festivis diebus, ex præcepto concilii Tridentini fiant; et interim sponsi se à carnali copulâ abstineant. In reliquis verò forma ab eodem concilio Tridentino præscripta servetur. In quorum fidem*, etc.

N. N. Vicarius generalis.

ILLUDQUE IN FACIE ECCLESIÆ SOLEMNIZARE, etc. — Si ex denuntiationibus, nullum aliud appareat impedimentum, ac reliquis adimpletis, parochus oratores in matrimonium conjunget, ad præscriptum ejusdem concilii, d. sess. 24, cap. 1, ibi : *Si nullum legitimum* (scilicet ultra expressum) *opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

Ut autem matrimonium dicatur contrahi in facie Ecclesiæ, non est opus ut celebretur in ipsâ materiali ecclesiâ, sed sufficit, ut coram aliquâ fidelium multitudine solemnizetur, quæ tanquàm catholicorum congregatio, intelligitur etiam Ecclesia, cap. *Ecclesia*, distinct. 1, de Consecr.; Abb. in cap. fin., num. 8, de Cland. desp. Unde satis dicitur matrimonium contractum in facie Ecclesiæ, si coram parocho et duobus testibus, præmissis denuntiationibus, contrahatur; et sic non est necesse ut in ipsâ materiali ecclesiâ contrahatur, Sanch. lib. 3, disp. 15, num. 20; nam pluribus modis dicitur Ecclesia. Primo modo, pro loco parietibus circumdato, ubi consueverunt veniam peccatorum Deum timentes exorare, § *Quia verò*, in auth. *Ut lic. matr. et au.* Secundo modo, Ecclesia dicitur collectio omnium fidelium, ut supra dictum est, et ita etiam accipitur in l. *Jubemus*, c. de Episc. et cler. Tertio modo, dicitur illa, de quâ ait Psalmista; *Ecclesiam malignantium non introibo.* Quarto modo Ecclesia dicitur prælatura ipsius Ecclesiæ, c *Quoniam* l. 2, ne prœl. vic. su., et de aliis significationibus hujus nominis, vide Turrecrem. in Sum., de Eccles., lib. 1, c. 2. Verum est tamen, quòd quando Ecclesiæ additur, *Romana*, ea ad illam tantùm materialem restringitur, quæ est Romæ; Oldrad. cons. 72, num. 3.

Quapropter non poterit ordinarius, delegatus, contrahentes cogere ad solemnizandum matrimonium in ipsâ materiali ecclesiâ, et prohibere ne matrimonium domi celebretur; quia sufficit, ut coram aliquâ multitudine fidelium fiat, quæ, tanquàm catholicorum congregatio, censetur Ecclesia, ut dictum est; Regin. in Praxi for. pœnit., lib. 31, n. 242.

Nam licèt, ob reverentiam tanti sacramenti, non deberet matrimonium suscipi, nisi in ipsâ materiali ecclesiâ quæ est propria sacramentorum domus, Anton. Dia., tit. de Sacramentis, resol. 279, ubi ita statutum esse dicit in concilio provinciali Coloniensi 2, c. 33, et in synodo Panormitanâ 1615, p. 2, num. 22, nihilominùs verior est contraria sententia, ut per Barbos. de Potest. episc., alleg. 32, n. 18, prout etiam sacra congreg. card. declaravit his verbis : *Ordinarius non potest prohibere quin matrimonia domi celebrentur, servatâ formâ concilii; sed cùm maximè deceat ut in ecclesiâ celebrentur, id hortari debet, non præcipere.* Et ita declaratio se habet : *dummodò proprius parochus præsens sit in privatis etiam domibus, matrimonia possunt celebrari, licèt maximè deceat, ut in ipsâ materiali ecclesiâ celebrentur.* Franc. Leo, in Thesaur. for. eccles., p. 2, c. 9, num 48.

Ratio autem ex præmissis esse potest, quia, etiamsi matrimonium solemnizetur extra ecclesiam ipsam materialem, satis fit menti dicti concilii Tridentini, non propter aliud id requirentis, nisi ut matrimonium contractum probari possit, et ne interveniat fraus per eâ quæ dixit Bald. in cap. *Dilectus filius*, col. 1, de Rescript., Bart. in l. *Cùm pater*, § *Dulcissimis*, ff. de Leg. 2, Dec. cons. 284. Neapoli tamen consuetum est, non solemnizari domi matrimonia, absque licentiâ curiæ archiepiscopalis. Sanè ex antedictis rationibus, potest eò magis matrimonium in ecclesiâ non parochiali, intra tamen illius limites, celebrari, prout signanter dixit Rota, decis. 380, num. 34 et 35, p. 5, recent., ubi quod licèt matrimonia debeant de honestate contrahi in propriâ parochiâ, ut dictum est, nihilominùs, validè contrahuntur in ecclesiâ quæ non sit parochialis.

Quisnam autem parochus oratores in matrimonium conjunget, dicendum est quòd parochus oratricis, quia hic est proprius parochus, si matrimonium in domo uxoris contrahatur, nempè cùm vir accedit ad domum uxoris, pro contrahendo vel cònsummando

matrimonio; Barbos. de Potest. episcop., alleg. 32, numero 64, ubi dicit quòd si matrimonium est contrahendum inter virum qui sit de unâ parochiâ, et mulierem de aliâ, sufficit quòd intersit parochus habitationi feminæ, quando contrahitur in parochiâ habitationis uxoris, sicut sufficit parochus viri, quando contrahitur in parochiâ habitationis viri. Hoc autem hìc notandum est, quòd statim ac quis incipit habitare animo permanendi, efficitur parochianus, nec est opus expectare ut majori anni parte in parochiâ habitaverit; Guttier. de Matrim., c. 63, num. 13, 14 et seq., ubi quod statim contrahit domicilium, non expectato alio tempore, Add. ad Buratt., decis. 713, num. 15 et 16, ubi dicitur id procedere etiam si quis mutaret domicilium, animo fraudandi proprium parochum, ex doctoribus ibi allegatis; id Guttier., loco cit., num. 11, ubi tamen id procedere ait cùm domicilium vel parochia verè relinquitur, hoc est, cum animo non revertendi ad illud vel ad illam, sed vagandi aut permanendi in novâ parochiâ, licèt in fraudem, et in odium proprii parochi; secùs verò, si domicilium vel parochia non verè, nec animo relinqueretur, sed in fraudem, nempe animo statim contracto alibi matrimonio revertendi ad suum primum domicilium, vel primam parochiam; id. Add. n. 16.

Ad matrimonii etiam validitatem sufficit, si illud celebretur coram alio sacerdote de proprii parochi licentiâ, ex concil. Trid., sess. 24, c. 1, de Reform., qui dicitur habere sufficientem licentiam, si tamen ipsi generaliter commissa sit cura administrationis sacramentorum illius parochiæ, quia sub illâ generali commissione, comprehenditur etiam administratio sacramenti matrimonii; id. Addit. ad Buratt., dict. decis. 713, n. 17.

Ex quibus liquidò constat, parochum ruralem, non esse proprium parochum, quando rus, vel recreationis causâ habitatur, aut ad paucos tantùm dies incolitur; cùm non soleat quis esse ruri majori parte anni, sed tantùm per tres aut quatuor menses; Sanch., lib. 3, disput. 22, num. 12.

Duos tamen parochos poterit quis habere, quoad hanc materiam, quando dimidiâ anni parte in unâ parochiâ, alterâ verò dimidiâ in aliâ habitat; quia tunc æqualiter sic inhabitans, duas proprias parochias habere potest; et coram parocho utriusque matrimonium contrahere; quia in hoc casu utraque dicitur propria parochia; id. Sanch., disputat. 24.

Si tamen adesset inæqualitas habitationis, majoris temporis pars facit proprium parochum illius loci, in quo habitatio fit; Menoch. cons. 368, n. 16 et 17.

Quòd si quis habitet in confinibus duarum Ecclesiarum parochialium, tunc censetur parochianus illius in quâ domus habet aditum, nam ex aditu judicatur de domo cui cedat, per text., in l. *Ei cui ædes*, ff. de Leg.

In nonnullis verò partibus, præsertim novarum Indiarum maris Oceani, in quibus religiosi, ob presbyterorum defectum, officia parochi fungebantur, ad petitionem Philippi II, Hispaniarum regis, concessit Pius V omnibus et singulis religiosis quorumcumque etiam Mendicantium ordinum, in dictis Indiarum partibus, et in eorumdem ordinum monasteriis, vel de illorum superiorum licentiâ, extra illa commorantibus, ut in locis ipsarum partium, eis de simili licentiâ assignatis et assignandis, officio parochi, hujusmodi matrimonia celebrando, fungerentur; dummodò in reliquis solemnitatibus concilii Tridentini formam observarent: prout in suis litteris in formâ brevis expeditis die 24 martii 1567.

Porrò, ordinem executionis dictarum litterarum non invertendo, dicimus, quod ad contrahendum hujusmodi matrimonium, requiritur inter cætera præsentia supradicti parochi, non solùm corporea, sed moralis, cum intelligentiâ et advertentiâ; unde hodiè cessant matrimonia præsumpta in vim textûs in cap. *Is qui*, de Sponsal., quæ transibant in matrimonium per copulam carnalem; Trivis., decis. 20, p. 1; nam hæc præsentia, stante decreto supradicti concilii, requiritur pro formâ; adeò ut matrimonium contractum in præsentiâ mille testium et personarum egregiarum, si deficit præsentia proprii parochi, vel alterius sacerdotis de illius, aut ordinarii licentiâ, clandestinum judicatur, et nullum; nam, ut notat etiam Gonzal. ad regul. 8 cancel., Gloss. 48, num. 29, quando præsentia alicujus pro formâ requiritur, actus gestus sine talis personæ interventu, dicitur occultus et clandestinus, quamvis aliàs publicè fiat, per text. in l. *Sciant omnes*, ubi Bart., num. 1, c. De his qui ex publ. rationibus mutuam pecuniam acceperunt, et Jas. in § *Item si in fraudem*, n. 4, instit. de Act. Nec dicta forma potest adimpleri æquipollens, ut fuit pluries declaratum per sacram congregationem ejusdem concilii; Rot., decis. 643, num. 1, et decis. 651, p. 1, divers.

Nec tamen ad hujusmodi matrimonii validitatem refert, an scilicet parochus et testis inviti et per vim compulsi interveniant et minimè consentiant: nam matrimonium sic contractum, validum existit, ut pluries fuit per eamdem sacram congregationem declaratum, ut refert id. Gonz., d. gl. 48, n. 7, dummodò intelligant quid agitur, Navar., cons. 11, de Cland. despons., ex eo quòd, quando requiritur præsentia, non est necessarius consensus, sed sufficit interventus, etiam coactus, ex d. l. *Coram Titio*. Ratio autem est quia præsentia importat scientiam et intelligentiam, Mascard. de probat. concl. 9, num. 8.

Sed numquid sufficit si parochus et testes ibi casualiter et repentinè reperiantur, et sic ad illum actum adhibiti non fuerint. Et videtur quòd non; nam qui casualiter adest, adesse non videtur, l. *Generali*, § *Uxori*, ff. de Uusufr.; Dec., cons. 232, n. 3, sicut etiam dicimus de teste repentino, cujus dictum nullum est, ex quo non præsumitur sufficienter informatus, l. *Si quis nec causam*, ff. Si cert. pet.

His tamen non obstantibus, contraria opinio verior est, nempe quòd matrimonium valeret, etiamsi parochus et testes specialiter ad hoc vocati non fuerint; Sayr., decis. 24, ubi, quòd contrahere volentes matrimonium, et suspicantes quòd parochus, cujus præ-

sentia ad matrimonium, post concilium Tridentinum, est necessaria, nollet esse præsens, illi contrahendo; si vocent eum, quasi ad aliud propositum in quamdam domum et mox eo præsente et ignorante quid agere volebant prædicti contracturi, mutuò se in conjuges recipiant per verba de præsenti coram illo parocho, et aliis duobus, vel tribus testibus, quod solum requirit concilium Tridentinum ad substantialem valorem matrimonii, validum matrimonium contrahunt; nec necesse est, ut parochus vel testes regulariter rogati sint, et sciant ad quid rogantur; sed sufficit, quòd præsentes sint ad id quod agitur per sensum corporeum visûs et auditûs, ex Navar., cons. 20, de Cland. despons.

Cùm enim ipsi parochus et testes advertant, verè dicuntur præsentes, ex eo quòd præsentia requisita ad valorem matrimonii contenta est olâ intellectûs advertentiâ, quâ ritè testimonium contracti matrimonii perhiberi possit; concilium autem supradictum nil aliud postulat, nisi celebrationem matrimonii coram parocho et testibus; imò etiam poterit matrimonium celebrari coram parocho et testibus, casu transeuntibus; nam tunc dicuntur etiam verè præsentes; id. Sanch., lib. 3, disputat. 39, num. 11, dummodò advertant, ut supra dictum est; per quam quidem præsentiam procul dubio satisfit menti concilii prædicti, cujus finis est ut possit constare de matrimonio contracto; sicut desumitur ex illius verbis, ibi *dùm priore uxore, cum quâ clàm contraxerunt relictâ, cum aliâ palam contrahunt;* et sic debent percipere consensum contrahentium ex eodem concilio, ibi, *parochus viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto*; ex quibus videtur priùs sponsus interrogandus, deinde sponsa; quod etiam de jure communi procedit, Glos. in l. 2, de Adopt.; Joan. Andr. in cap. *Cùm inter*, de Spons., facit text. in cap. *Lisèt*, de Spons. duo, nihilominùs, cùm id non sit ab ipso concilio pro formâ traditum, parùm referre videtur, an priùs vir vel mulier interrogetur. Optimum tamen semper existimarem, ut priùs consensus mulieris scrutetur, ne ipse vir, cùm priùs consentiat, muliere postea renuente, remaneat cum dedecore, ut per Joan. Andr., Card. et Abb., in d. cap. *Cùm inter*, in 2 notab., et Corset., in cap. *Sedes*, in princip., de Rescript., ubi dicit id evenire posse propter sexûs fragilitatem et vacillationem seu variationem cerebri: in quo omnes illius ferè infirmitates resident, ut ipsa experientia docet, quæ est rerum magistra, c. *Quàm sit*, de Elect. in 6, § penult. instit. de Satisd., et naturaliter multò fragilior est quàm vir, Specul. in tit. de Action., vers. *Item oppo-nit*, Glossa, in c. *Indemnitatibus*, § *Sanè*, in verbo *Divertant*, de Elect., et refert Lambert., de Jurepatr., fol. mihi 142, n. 28, ex eod. Corset., quòd Paduæ semel hoc accidit; nam interrogatus priùs vir respondit se eam velle in suam; postmodùm verò, mulier interrogata, negavit se illum velle in suum, et sic remansit derisus, et ex eo tempore, semper Paduæ servatur, ut priùs sponsa interrogetur, prout etiam in multis aliis locis, facit etiam illud: *Varium et mutabile semper femina.* Unde dicit Abb. in c. *Foras*, de Verb. sign., quòd mulier dicitur non à sexu, sed à mollitie mentis, et vir, non à sexu, sed à constantiâ et virtute animi, c. *Proposuisti* 37, q. 7. Cæterùm ordo ritualis Rom. est ut prior vir interrogetur, deinde femina; et ita passim servatur.

Si quis verò ad uberiorem doctrinam alia videre cupit circa assistentiam parochi et testium in matrimonio contrahendo, adeat Sanch., l. 3, tot., tit. de Consens. cland.

Liberè et licitè valeant, etc.— Ex eo quòd matrimonia liberè, non autem coactè contrahi debent; quia ubi est metus, vel vis, abest liber consensus, qui in illis requiritur c. *Cùm loc.*, de Spons., nec refert quod communiter dicimus, nempe quòd voluntas coacta, voluntas est, c. *Marito*, 15, quæst. 1; nam in matrimonio requiritur de substantiâ liber consensus, ut dicatur legitimè contractum, text. in c. *Notificâsti*, 13, q. 1, ac propterea contrahentes debent gaudere plenâ libertate et securitate, illorumque animus est indagandus, ne fortè eorum aliquis dicat sibi placere quod odio habet, et deinde sequatur exitus, qui ex invitis nuptiis oriri solet, d. c. *Cùm locum*, cùm non possit contra naturæ inclinationem cogi ad contrahendum matrimonium, quia ubi non est mutuus amor conjugum, interdùm sequuntur adulteria ac tristissimæ calamitates; et multi miseri homines in illis calamitatibus ruunt in indignationem adversùs Deum, in desperationem et æternum exitium, ut optimè tradit Oyn., l. 1, tit. de Nupt., n. 15 et 16.

Unde aliàs sacra congreg. sub die 15 septemb. 1629, in unâ Roman. declaravit matrimonium contractum à filiâ propter metum mortis ab ejus matre incussum, esse invalidum, etiamsi post obitum matris per septennium cum viro permanserit, ac filios susceperit; ex quo ubi adest metus, deficit consensus, l. *Nihil consensus*, ff. de Reg. jur., c. *Super hoc*, et ibi not. Abb. de Renunt., et ubi in matrimonio deficit consensus, non solùm est illud ipso jure nullum, sed etiam dici potest non fuisse contractum; quia ubi deficiunt substantialia, nihil dicitur actum; Ludovis., decis. 195, per tot., ubi quamplurima ad id conducentia recensentur. Verùm quia metus debet inferri super eo super quo quis detinetur, ut metus subsistat; propterea, si metus erit diversus, benè valet actus, puta si quis sit carceratus pro debito, nam potest contrahere matrimonium, l. *Metum*, § Quod licet, ff. *Quod metu caus.* Hinc si aliquando contingat patrem in testamento deputare tutores filiæ, hæredi universali, eâ conditione, ut absque illorum consensu nubere non posset sub pœnâ caducitatis, quia ipsi tutores differunt forsan ob aliquod eorum interesse sub diversis prætextibus consentire, vidi propterea multoties recurri ad summum Pontificem pro parte hujusmodi mulierum, quibus concessæ fuerunt licentiæ liberè nubendi, in formâ gratiosâ absque prædictorum tutorum consensu.

Et practicatur in hâc curiâ archiepiscopali, ut cùm agitur de matrimonio contrahendo, et adest suspicio, ne puellæ inferatur violentia, et consensus ejus non fit liber, ponitur ea in aliquo loco tuto, nempe, Conser-

vatorio mulierum, aut alio honesto loco, ad finem explorandi ejus voluntatem, et aliter, non conceditur licentia contrahendi, teste Genuen. in suâ praxi, cap. 14, num. 1, quia matrimonium debet procedere ex libero consensu, l. *Nuptias*, ff. de Regul. jur., l. *Cùm fuerit*, ff. de Condit. et Demonstrat., ac propterea non sufficiunt simplex consensus et voluntas, sed debent esse cum plenâ libertate et securitate; quòd si hujusmodi qualitates deficiant, nullum erit matrimonium; Seraph., decis. 687.

Imò, licèt de jure canonico habeamus quòd ad substantiam matrimonii requiratur consensus patris, ut in c. *Non omnis*, 32, q. 2, ubi dicitur quòd paternus consensus desideretur in nuptiis, nec sine eo illæ legitimæ habeantur; attamen hoc ita intelligitur à canonistis, ut de honestate, non autem de necessitate requiratur; et quòd solùm contrahentium consensus sufficiat, c. fin. junctâ Glossâ 1, d. 32, q. 2, his verbis, *requirendum quidem esse consensum patris, sed non ita necessarium quin teneat matrimonium, sine ejus consensu contractum.*

Auctoritate nostra.—Nam ad summum Pontificem tantummodò spectat, dispensare super impedimentis impedientibus et dirimentibus; cùm clarum sit, ea provenire ex canonibus pontificiis, seu generalibus constitutionibus, in quibus episcopus, aut alius etiam jurisdictionem habens quasi episcopalem, nullo modo potest dispensare, nisi ab ipso Papâ sibi facultas impertiatur; nec in proposito ita simpliciter admittitur illud quod scribentes etiam moderni dixerunt, nempe in quibusdam casibus posse episcopum dispensare, quando fortè matrimonium fuerit bonâ fide contractum, cum impedimento occulto, et propter scandala dissolvi non potest; nullum aliud hìc addentes requisitum, et nihilominùs clarum est id eis nullo modo licere, nisi insimul concurrant omnia sex requisita, prout infra dicetur. Unde ista eorum opinio omninò respuenda videtur; cùm in casibus supra dictis propterea tribuatur facultas hæc dispensandi legatis et nuntiis qui destinantur, præcipuè in partibus longinquis et ultramontanis, ut facilis pateat oratoribus accessus, et in locis citramontanis, facilis est recursus, ad ipsum Pontificem, ejusque sacram pœnitentiariam, sicut semper observatum fuisse scimus. Imò si aliàs facultas hæc censeretur ita passim concessa episcopis, profectò, his præcipuè temporibus, majora ipsi sibi usurpare auderent, cùm ut plurimùm facultatem quam non habeant, sibi de facto vendicare non erubescant; ac propterea, ad omnem hæsitationem submovendam, emanavit aliàs declaratio sacræ congregationis concilii super cap. 5, sess. 24, de Reformat., quæ sic ait: *Episcopus auctoritate ordinariâ, non habet facultatem in gradibus affinitatis seu consanguinitatis à jure prohibitis, contrahentes matrimonia dispensandi*, quam quidem declarationem alibi etiam in proposito retulimus; prout etiam de legato aut nuntio intelligendum est, nisi habeat specialem facultatem, et tenent omnes officiales datariæ et cancellariæ Apostolicæ cæterique curiales, quòd licèt supra dicta declaratio loquatur de consanguinitate et affinitate, nihilominùs idem sentiendum est de quovis alio impedimento, quia ista expressio consanguinitatis et affinitatis facta est causâ frequentioris impedimenti, ac propterea non restringitur ad sic expressa, ad text., in c. 1, de Concess., in 6; et in c. *Diaconi*, 22, dist., Mand., regul. 33, q. 6, n. 4, sicut etiam alibi diximus.

Præmissa autem procedere non ignoramus, non solùm quando malâ fide et ex culpâ, verùm etiam quando bonâ fide, et in facie Ecclesiæ ignorantes impedimentum, oratores matrimonium contraxerunt; nam postmodùm, eo detecto, tenentur adire Sedem Apostolicam pro impetrandâ desuper dispensatione, ut omnibus notum est.

Sic etiam parùm refert quod tradit Ledesm. de Matrim., q. 66., art. 5, litterâ C, nempe, se audivisse quemdam prælatum illius regni, qui interfuit concilio Trid., dicentem hoc intendisse id. concil., sess. 24, c. 6, ubi episcopis conceditur facultas dispensandi in casibus occultis. Hoc namque ridiculum ac omnìnò falsum est, cùm non simus in materiâ in quâ possit extendi casus ad casum; neque hæc inter se habent aliquam connexionem et communionem, ad tradita per Butr., in c. *Cùm dilectus*, de Capel. monach.; Zabarel., cons. 243; præsertim, quia sumus in materiâ dispensationum, quæ, cùm sint stricti juris, sunt strictissimè interpretandæ, c. *Quod dilectio*, de Consang. et Affin.; ac propterea in illis non est licita extensio, nec ad casum habentem majoritatem rationis; Abb., in c. *ad Aures*, n. 7, de Rescrip.

Et, quod clarius est, cùm concil. loc. cit. loquatur de dispensationibus super impedimento proveniente ex irregularitate occultè contractâ; non potest inferri ad dispensationes super occultis impedimentis matrimonii; quod satis longè est ab ipsâ irregularitate, ad text., in l. *Papinianus*, ff. de Minor., quia ex diversis non fit illatio; l. Naturaliter, § *Nihil commune*, ff. de Acquir. possess., l. *Si duo*, in fin.; ff. *Uti possid.*; ac proinde idem postmodùm affirmat id. Ledes., d. art. 5, vers. tert. *Conclusio*; ex quibus profectò constat nullum præter Papam posse desuper dispensare.

Quamvis pluries visum fuerit summos Pontifices generalem facultatem super his impedimentis dispensandi concessisse aliquibus præcipuis ministris generalibus, ex causâ longissimæ absentiæ à Romanâ Curiâ; ac præcipuè Paulus III, qui concessit præposito generali soc. Jesu ut cùm aliquos ex fratribus seu sociis societatis hujusmodi in Sarracenorum, et Paganorum, aliorumque infidelium terras et provincias aliàs remotissimas, à quibus non potest adiri Sedes Apostolica, miserit, possit eis apostolicâ auctoritate facultatem concedere ut cum iis qui ab infidelitate convertentur tantùm, et in locis remotissimis, qui priùs in gradibus non licitis, tamen lege divinâ non prohibitis, matrimonium contraxerant, ut in eisdem remanere possint, dispensare liberè et licitè valeant; prout in suâ constitutione quæ incipit, *Licet debitum*, an. 1549, kal. novemb. Et nihilominùs prædicti dispensant apostol. auctoritate; quinimò etiam legati de latere ac nuntii Sedis Apostolicæ, tam dispensando in vim earum facultatum, quàm etiam conferendo beneficia ecclesiastica, semper aucto-

ritate apostolicâ dispensant, et beneficia hujusmodi conferunt, ac quæcumque indulta et gratias concedunt; prout et major pœnitentiarius, in casibus suis, super impedimentis matrimonii occultis, in foro conscientiæ tantùm, non aliàs, dispensat, nisi per hæc verba, videlicet: *Nos igitur, qui pœnitentiaria D. Papa curam gerimus*, etc., *auctoritate apostolicâ, specialiter nobis concessâ, discretioni tuæ committimus*, etc. Per quæ apertè confertur potestas delegata, ita ut ab ipso Papâ delegante dicatur fieri dispensatio; quod quidem procedit etiamsi Papa eisdem verbis utatur, dùm alicui, puta ordinario, rescribit ut aliquod faciat, quod ipse ordinarius jure ordinario facere tenetur, juxta vulgatam regulam, quòd omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impartimur, c. *Si Apostolicæ*, de Præb., in 6, l. 1, c. de Vet. jur. enucl.; quod quidem sæpè accidisse vidimus, etiam in materiâ rescriptorum justitiæ, quando videlicet ordinarius vel negligit, vel ex aliquâ causâ recusat aliquid facere quod spectat ad suam ordinariam jurisdictionem; quo casu ille cujus interest, impetrat ab ipso Papâ rescriptum excitatorium jurisdictionis ipsius ordinarii, qui per illud committitur, ut exequatur vel faciat quod de jure exequi aut facere tenetur; licèt quandoque similia rescripta excitativa viderim, in quibus Papa ipsis ordinariis committit ut faciant vel exequantur etiam auctoritate apostolicâ; ad hoc, ut ipsi ordinarii, tanquam majori suffulti auctoritate, majori cum efficaciâ hujusmodi rescripta exequantur, ob facultatem sibi etiam apostolicâ auctoritate delegatam; vel si aliqua verba æquipollentia in rescripto adjiciantur, per quæ eamdem potestatem eis tradita fuisse appareat, puta si rescripto ejusdem jurisdictionis excitatorio aliquid æquipollens illius formæ addatur, ut per hoc videatur posse ordinarius, tanquàm delegatus Papæ procedere.

Dispenses. — Numquid autem, si delegatus, præter narrata in litteris atque verificata, repererit oratricem ante aliam dispensationem impetrâsse ad contrahendum cum alio jam defuncto consanguineo, debeat requirere in hâc posteriori dispensatione mentionem de primâ? Et videtur affirmativè respondendum, per ea quæ nos aliàs alibi diximus, nimirùm, quòd quandò dispensatio additur dispensationi, ut posterior valeat, debet fieri mentio de primâ; quod quidem fundatur ratione text., in c. 2, de Fil. presb., in 6; ubi satis apertè habetur, ut subreptitia censeatur dispensatio ad ordines et beneficia, si priùs pro executione hujusmodi dispensationis, quis fuerit ad unum beneficium dispensatus, postmodùm verò in secundâ dispensatione ad aliud beneficium, non fecerit de priori dispensatione mentionem. Ratio enim est, quòd si Papa sciat aliàs oratorem ad aliud beneficium fuisse dispensatum, verisimiliter hanc posteriorem dispensationem non concessisset, vel saltem difficiliùs concessisset; et benè valet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale, c. *Inter corporalia*, de Transl. Epis., et c. seq., post princip., ubi optimè summus Pontifex arguit à conjunctione matrimoniali ad conjunctionem episcopi cum Ecclesiâ, c. *Quoniam frequenter*, § *Porrò*, de Elect., et hoc est propriè secundùm ipsius dispensationis naturam, quæ requirit ut posteriori omnino fiat mentio de primâ uni eidemque personæ concessâ; Put., decis. 246, n. 2 et 4, l. 1. Rebuff., in Concord., in formâ mand. Apost., verb. *Disp.*; Menoch., de Arbit. jud., l. 2, cent. 3, casu 201, n. 39.

His tamen non obstantibus, contraria sententia verior est, et in praxi recepta; hìc enim totum id videtur ferè fundatum super d. c. 2, de Fil. presb., in 6; nihilominùs ibi non absolutè et generaliter cavetur prioris dispensationis in posteriori mentionem esse faciendam, sed tantummodò prioris defectûs natalium, ut patet ex verbis ejusdem textûs, ibi, *dispensationem aliam tacito de prædicto defectu, postmodùm obtinent.* Nec valet dicere id evenire ob naturam ipsius dispensationis, quæ est odiosa et stricti juris, c. *Quod dilectio*, de Consang. et Affin. c. *Ordinarii*, de Off. ordin.; Abb., in c. de Mulctâ, de Præb., quia in hoc casu, etiam attentâ illius naturâ, non dicitur subreptitia, si in posteriori non fiat mentio de primâ eidem personæ concessâ; præsertim quia, cùm una ab alterâ non dependeat, neutra indiget alterius mentione; ad quod conferunt ea quæ tradit Sanch, l. 8, disp. 22, per tot.; qui, n. 13, innuit id sibi locum vendicare, etiamsi primâ dispensatione impetratâ ad contrahendum cum consanguineo, mulier nolit postea illâ uti, sed aliam impetret dispensationem ad contrahendum cum alio consanguineo; ac propterea credit in utroque casu non esse necessariam mentionem prioris dispensationis, cùm hujusmodi dispensationes sint super diversis matrimoniis, et una non habeat cum alterâ connexionem, et ita non semel ab Urbe rescriptum fuisse scimus.

Cæterùm autem, cùm ex prædictis, præsertim per illud verbum, *dispenses*, satis constet id mandatum continere ex quo in diversis mundi partibus, vigore tantùm hujusmodi mandati, absque aliquâ narratorum verificatione et decreti interpositione, oratores matrimonium contraxerunt; propterea mandatum de dispensando à Sede Apostolicâ obtinentes, sciant nullo modo cum eis censeri dispensatum, nisi verificatis narratis, ac per judicem delegatum interposito decreto. Unde nonnulli episcopi in synodo diœcesanâ, ad hos errores vitandos, mandare solent ut cùm parochi de prohibitis matrimoniis ad populum verba faciunt, id diligenter doceant et cautè demonstrent; ac præcipuè ut in supplicationibus curent verum exprimi; quòdque, si tale judicium non expectaverint, nullatenùs poterit eis dispensatio suffragari:

Distantiam verò tertii gradus præfati eis non obstare declares. — Hæc verba continent litteras declaratorias expressas in constitutione fel. record. Pii quinti, per illa verba: *Obtentis postea litteris declaratoriis super proximiori gradu;* et sic perinde est ac si idem Pius statuisset unicâ expeditione remotiorem et proximiorem gradus esse exprimendos, nisi forsan in expeditione fuerit omissa expressio proximioris gradûs; qui tunc debet expediri novâ gratiâ in formâ, *Perinde valere*, quâ revalidantur priores litteræ dispensationis, perinde ac si in illis fuisset facta

mentio dicti propinquioris gradûs ; et huic casui potiùs aptari posse videntur illa verba : *Obtentis postea litteris declaratoriis*, etsi utriusque gradûs expressio regulariter fiat hodiè in eisdem litteris dispensationis, ut dictum est.

Licèt enim Pius quartus suâ constitutione, seu regulâ, statuerit ut in dispensationibus matrimonialibus impetrandis exprimerentur propinquiores et remotiores gradus, tanquàm omnes æquè principaliter statuentes impedimenta ad contrahendum, et propterea præceperit quòd in quibuscumque dispensationibus quas pro matrimonio scienter vel ignoranter contracto, vel contrahendo, in quibusvis prohibitis consanguinitatis, aut affinitatis, seu mixtis gradibus, ab eâdem Sanctitate suâ, vel quovis Romano Pontifice successore suo pro tempore existente impetrari, vel aliàs, etiam motu proprio concedi contigerit; commissionibusque desuper etiam ordinariis locorum faciendis, ac litteris quibusvis inde conficiendis, non solùm de remotiori, sed etiam de proximiori, aut proximioribus gradibus, quicumque illi fuerint, eorumque distantia specialis et expressa mentio fieri debeat; alioquin dispensationes, declarationes, ac inde conficiendæ litteræ hujusmodi, processusque habendi per easdem, nullius essent roboris, vel momenti, et non pro confectis haberentur.

Superveniente tamen Pio V, dictam constitutionem ad juris communis dispositionem ac stylum Romanæ Curiæ reduxit, sequenti suâ constitutione, quæ, cùm sit in viridi observantiâ et quotidiè practicetur, non ab re visum fuit illius tenorem hìc inserere, qui talis est.

Sanctissimus in Christo pater, et dominus noster dominus Pius divinâ providentiâ Papa V, attendens per quamdam constitutionem dudùm per fel. record. Pium Papam IV Sanctitatis suæ prædecessorem editam, quâ cavetur quòd in dispensationibus matrimonialibus, pro diversis consanguinitatis seu affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctus, non remotioris solùm, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes ac desuper confectæ litteræ nullius sint roboris vel momenti, prout in dictâ constitutione pleniùs continetur à dispositione juris communis et laudabili ac antiquo Rom. Curiæ stylo, nimiùm recedi, ac favorem matrimonii debitum restringi; volensque propterea juri et stylo prædictis, necnon piæ mem. Gregorii XI et Clementis VI, Rom. Pont., etiam Sanctitatis suæ prædecessorum, vestigiis inhærendo, sacramento et libertati matrimonii, quantùm, cum Deo potest favere, statuit et ordinavit quòd de cætero in quibuscumque dispensationibus quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros et mulieres, invicem diversis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixtis ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodò primum quoquomodo non attingant, cùm in eo Sanctitas sua nunquàm dispensare intendat, gradibus conjunctos, ab eâdem Sanctitate suâ, et pro tempore existente Rom. Pont. aut Sede Apostolicâ impetrari, vel aliàs concedi contigerit, ac litteris commissionibusque desuper etiam locorum ordinariis faciendis, gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis juxta Gregorii, et Clementis prædecessoris hujusmodi constitutiones, quas quoad hoc innovavit, et inviolabiliter observari mandavit; dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ad desuper confectas litteras, et processus habitos per easdem, dispensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur propter proximioris gradûs hujusmodi non expressionem, de surreptionis vel obreptionis vitio seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus et per omnia suffragari, perinde ac si in litteris seu in commissionibus hujusmodi de proximiore, seu utroque gradu, specialis et expressa mentio facta fuisset; sicque per quoscumque judices commissarios, etiam S. R. E. cardinales, sublatâ eis quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, ac quidquid secùs super his à quocumque quâvis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit irritum et inane decrevit, constitutione Pii prædecessoris hujusmodi, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Videamus modò an hujus distantiæ proximioris gradûs expressio sit adeò necessaria, ut eâ omissâ vitietur dispensatio ; adeò ut matrimonium inde contractum sit nullum.

Et videtur quòd non ; nam licèt ea verba : *Obtentis tamen postea litteris declaratoriis super propinquiori*, cùm sint posita in ablativo absoluto, propterea videantur conditionem importare, l. *Si debitor*, § 1, ff. *Quib. mod. pign. vel hypot. solut.* ; Bart., in l. 1, in 3 q., ff. de Cond. et Demon., ac propterea debeat ipsa adimpleri in formâ specificâ, l. *Qui hæred.*, et l. Mævius, eod. tit., nihilominùs hìc non important conditionem ; cùm hic ablativus supponat actum jam perfectum ; et gesta, virtute priorum litterarum dispensationis super remotiori, fuisse valida, ob idque, cum eod. Sanch., loc. cit., num. 28, et per rationes ibi per eum adductas, dicimus, quòd ad hoc tantùm ipsæ litteræ declaratoriæ super propinquiori gradu requiruntur, ut caveatur scandalum ; ne fortè aliqui videntes oratores fuisse dispensatos in gradu remotiori, existiment matrimonium esse nullum, si non sit declaratum non obstare distantiam propinquioris gradûs ; et propterea, matrimonium contractum virtute dispensationis super remotiori gradu nullâ factâ mentione propinquioris adhuc valere absque litteris declaratoriis ; quamvis ordinarius in foro externo, exequendo litteras dispensationis, non debeat dispensare, nisi exhibitis litteris declaratoriis super dicto propinquiori ; quòd si post contractum matrimonium sciat oratores (aliquo tamen denuntiante) non expressisse gradum propinquiorem, deberet illos separare, donec dictas litteras declaratorias exhibuerint ; at verò si ob omissionem expressionis hujusmodi nullum scandalum immineat, nec res deducta esset ad forum externum, valebit matrimonium sine hujusmodi litteris declaratoriis, quæ deserviunt tantùm pro foro externo et pro scandalo vitando, id. Sanch., loco citato, tan

tòque magis possunt hujusmodi litteræ exequi, si in eis fuerit expressum, quòd oratores erant, verbi gratiâ, in tertio, et quarto, à communi stipite provenientibus, consanguinitatis vel affinitatis, gradibus, cùm reverà fuerint quarto tantùm gradu conjuncti; nam cùm dispensatio fuerit petita, et concessa super quarto gradu prædicto, parùm refert quòd fuerit concessa declaratio, non obstantiæ tertii gradûs, tanquàm proximioris, cùm ille reverà non extet; et ita vidi plurics in diversis tribunalibus ecclesiasticis ab hujusmodi dispensationum executoribus observatum, per rationes alias adductas in casu quo expressis duobus impedimentis unum tantummodò verificatur, etc.

Hæc autem satis desumuntur ex dictâ constitutione Pii V qui in casu executæ dispensationis in quâ bonâ fide fuit omissa expressio propinquioris gradûs, non invalidat dictam dispensationem; quia si delegatus ignoraverit adesse etiam dictum propinquiorem gradum, sufficit jam dispensâsse super remotiore tantùm expresso in litteris dispensationis, nec propterea unquàm visum fuit contrarium practicari, aut peti hanc declaratoriam post matrimonium contractum; quæ tunc tantummodò omninò petenda est in formâ, *Perindè valere*, quandò ipsi delegato ante executionem litterarum dispensationis constiterit adesse etiam gradum propinquiorem; quo casu, si nihilominùs dispensaverit, etiam secluso scandalo, peccabit mortaliter, quia contravenit constitutioni pontificiæ, etc.; ac propterea per hanc rationem abstinere omninò debet ab executione dictarum litterarum, donec fuerint impetratæ litteræ declaratoriæ proximioris gradûs.

Sanè hanc remotioris nec non proximioris gradûs distantiæ expressionem ideò in hujusmodi dispensationibus, dolo et fraude cessantibus, necessariam agnovimus, ut etiam ubi plura adsint impedimenta ad contrahendum, ex multiplici consanguinitate, sive affinitate, provenientia, ubi oratores ab eorum stipitibus inæqualiter descendunt, omnes distantiæ hujusmodi proximiorum graduum, respectu remotiorum, veniant seorsim explicandæ, ut sic prædictæ constitutionis Pii V super eorumdem remotiorum graduum expressione, cæterorumque sacrorum canonum præscripta forma servetur; ne fortassè ipsorum dispensationum litteræ, nullitatis, sive potiùs subreptionis aut obreptionis, vitio queant ob confusam inordinatamque, sive erroneam præmissorum omnium expressionem, notari; quod quidem non semel evenisse scimus; quare haud ab hâc nostrâ praxi devium existimavimus, si aliqua ejusdem expressionis exempla, pro junioribus, Romanæque Curiæ tyronibus, in medium afferemus, quatenùs supplices ad libellos ipsi rectè componant. Præmissâ igitur ratione quâ distantia tertii gradûs respectu quarti impedientis supra expressa est, sic cæteræ veniunt respectivè exprimendæ. Si etenim oratores fuerint, nimirùm in tertio ex uno ac tertio et quarto ex altero communibus stipitibus provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem conjuncti, ita veniunt remotior et proximior gradus explicandi, videlicet: *Quòd impedimentis tertii ex uno et quarti ex altero stipitibus provenientibus, consanguinitatis hujusmodi, non obstantibus, matrimonium inter se*, etc. *Distantiam verò alterius tertii respectu quarti gradûs præfati eis non obstare declarare.* Si in tertio et quarto à communi stipite provenientibus affinitatis ac quarto consanguinitatis gradibus invicem se attinent et sunt conjuncti: *Quòd impedimentis quarti affinitatis et quarti consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò tertii respectu quarti affinitatis gradûs præfati eis non obstare*, etc. Si in tertio et quarto à communi stipite provenientibus affinitatis ac duplici quarto consanguinitatis gradibus invicem se attinent et sunt conjuncti: *Quòd impedimentis quarti affinitatis ac duplicis quarti consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam vero tertii gradûs præfati eis non obstare*, etc. Si in secundo et tertio ex uno ac tertio et quarto ex altero, communibus stipitibus provenientibus, affinitatis gradibus invicem se attinent: *Quòd impedimentis tertii ex uno et quarti ex altero stipitibus provenientibus, affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò secundi, respectu unius tertii, ac alterius tertii, respectu quarti graduum præfatorum eis non obstare*, etc. Si in tertio et quarto consanguinitatis ac tertio et quarto affinitatis gradibus à communibus stipitibus provenientibus invicem sunt conjuncti et se attinent: *Quòd impedimentis quarti consanguinitatis et quarti affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò unius tertii respectu quarti consanguinitatis, necnon alterius tertii respectu quarti affinitatis graduum hujusmodi eis non obstare*, etc. Si in duplicibus tertio et quarto à duobus communibus et quarto ex reliquo stipitibus provenientibus consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti: *Quòd impedimentis triplicis quarti consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò duplicis tertii gradûs præfati eis non obstare*, etc. Si in duplici tertio à duobus ac tertio et quarto ex reliquo communi stipitibus provenientibus consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti: *Quòd impedimentis duplicis tertii à duobus ac quarti ex reliquo stipitibus provenientibus, consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò alterius tertii respectu quarti gradûs præfati eis non obstare*, etc. Si in secundo, in lineâ æquali ex uno ac tertio ex altero affinitatis, necnon tertio et quarto à communibus stipitibus provenientibus consanguinitatis gradibus invicem se attinent et sunt conjuncti: *Quòd impedimentis secundi in lineâ æquali, ex uno et tertii ex altero stipitibus provenientibus, affinitatis, ac quarti consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò tertii respectu quarti gradûs præfati eis non obstare*, etc. Si in secundo et tertio ex uno ac tertio et quarto ex altero consanguinitatis, nec non tertio et quarto ex reliquo communibus stipitibus provenientibus, affinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, seu se attinent: *Quòd impedimentis tertii ex uno, et quarti ex altero stipitibus provenientibus, consanguinitatis ac quarti affinitatis graduum hujusmodi non*

obstantibus, etc. *Distantiam verò secundi respectu tertii, ac unius tertii, respectu quarti consanguinitatis. necnon alterius tertii respectu quarti affinitatis graduum hujusmodi eis non obstare*, etc. Si in tertio et quarto ex uno communi, et duplici quarto ex aliis stipitibus provenientibus, affinitatis ac quarto consanguinitatis gradibus invicem se attinent et sunt conjuncti *Quòd impedimentis triplicis quarti affinitatis, ac quarti consanguinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò tertii gradûs præfati eis non obstare*, etc. Si in tertio et quarto ex uno communi, et quarto ex altero consanguinitatis, necnon duplicibus tertio et quarto à communibus stipitibus provenientibus, affinitatis gradibus invicem sunt conjuncti et se attinent : *Quòd impedimentis duplicis quarti consanguinitatis, ac duplicis quarti affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò tertii consanguinitatis ac duplicis tertii, affinitatis graduum hujusmodi eis non obstare*. etc. Si in tertio et quarto consanguinitatis, ac secundo et quarto ex uno, et tertio et quarto ex altero communibus stipitibus provenientibus, affinitatis gradibus invicem sunt conjuncti et se attinent : *Quòd impedimentis quarti consanguinitatis, ac duplicis quarti affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc. *Distantiam verò tertii consanguinitatis, ac secundi respectu unius quarti, necnon tertii, respectu alterius quarti affinitatis graduum hujusmodi eis non obstare*, etc.

At verò, ubi nulla cadit distantia proximioris gradûs, videlicet, cùm oratores æqualiter ab eorum stipitibus distant, tunc ex quo unusquisque gradus, sive duplicatus, sive multiplicatus, constituit impedimentum, cessat profectò talis distantiæ expressio. Ponamus igitur casum, quòd oratores sint in tertio consanguinitatis ac quarto affinitatis; cùm hìc nulla adsit proximioris gradûs distantia, dicendum quidem erit : *Quòd impedimentis tertii consanguinitatis ac quarti affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc.; et sic de singulis.

Ad hæc hujus expressionis ratio etiam est, ut sic exprimendo gradus remotiores ac proximiores à communi stipite provenientes intelligat summus Pontifex an superno, seu duobus aut pluribus impedimentis, sit concedenda dispensatio, ex quo hodiè non servatur constitutio fel. record. Pii IV, quæ omninò requirebat utriusque gradûs expressionem sub pœnâ nullitatis dispensationis, ut infra dicetur; sed attenditur infra scripta constitutio Pii V, per quam fit redditus ad jus commune, quo cavetur ut remotior tantùm gradus exprimatur; textus est c. *Fide consang. et affin.*, ubi remotior tantùm gradus impedimentum præstat et sic trahit ille ad se propinquiorem; ac propterea ejusdem remotioris tantùm habenda est ratio in dispensatione matrimoniali, ut inter cæteros docet Sanch., lib. 8, disp. 24, num. 24; licèt secundò dictus Pius requirat litteras declaratorias ipsius proximioris gradûs; ac proinde distinguitur in supplicatione impedimentum remotioris gradûs à distantiâ proximioris, quando videlicet tertius et quartus gradus proveniunt ab uno eodemque stipite; tunc enim super quarto datur dispensatio, super tertio autem dantur litteræ declaratoriæ, quòd nimirum ipsa distantia proximioris gradûs non obstet, ut dictum est, et infra dicetur.

Quibus etiam adde quòd per omissionem expressionis alicujus ex his propinquioribus gradibus fraudarentur officiales ejusdem Curiæ, qui emerunt eorum officia pro expeditionibus harum dispensationum; et ob expressionem etiam proximioris gradûs solvitur major compositio, et augetur taxa litterarum in cancellariâ Apostolicâ : unde cum super his sit officialibus prædictis jus quæsitum, illud nunquàm Papa tollere intendit, c. Super eo, de Off. deleg. Ac propterea executionibus harum litterarum, ubi fuerit distantia proximioris gradûs et illius expressio omissa, ab illarum executione convenit abstinere, nisi super hoc sibi fuerint præsentatæ litteræ declaratoriæ per gratiam, *Perinde valere*, quatenùs prædicta propinquioris gradûs expressio fuerit dolosè et fraudulenter omissa; aliàs dolo et fraude cessantibus, ac habitâ notitiâ dicti propinquioris gradûs post matrimonium contractum, nisi inde oriatur scandalum, poterit executor acquiescere per ea quæ dicta sunt; aliàs enim oratores remanebunt obnoxii solutioni et restitutioni emolumentorum dictis officialibus propterea debitorum, cum jus suum nemini sit auferendum, l. *Id quod nostrum*. ff. de Jur. reg. Id tamen limita non procedere in petendâ dispensatione super impedimento publicæ honestatis justitiæ, proveniente ex matrimonio rato non consummato; hæc enim, licèt impediat usque ad quartum gradum inclusivè, sicut ipsa consanguinitas et affinitas, nihilominùs, si oratores inæqualiter distent à stipite, non erit propterea necesse exprimere propinquiorem gradum, quia ad hoc non obligat constitutio prædicta Pii quinti, quæ procedit solùm in gradibus consanguinitatis vel affinitatis; et sic valebit dispensatio super remotiori gradu hujus publicæ honestatis, omissâ expressione propinquioris; cùm enim aliud non dixerit, profectò nec nos dicere debemus; vulg. l. *Si servum*, § *Non dixit prætor.*, ff. *De acquir. hæred.*, Dec., cons. 298, n. 4; quòd si voluisset, utique dixisset; c. *ad Audientiam*, de Decim.; c. *Inter corporalia*, de Trans. præl.; et ita pluries in facti contingentiâ vidimus in cancellariâ Apostolicâ observatum; cujus quidem observantia benè declarat ipsius Pontificis mentem; c. *Porrecta*, de Confirm. utili, vel inut.

Hujus expressionis ratio adhuc cessat, cùm petitur dispensatio super primo et secundo gradibus, vel in duplicibus primo et secundo, ut patet ex eâdem constitutione, pro cujus observantiâ, quando petuntur similes dispensationes, non dicitur in eis *quòd impedimento secundi, distantiam verò primi*, etc.; sed cùm uterque gradus constituat impedimentum, dicitur tunc *quod impedimentis primi et secundi consanguinitatis seu affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus*, etc., ut ex verbis ejusdem constitutionis, ibi : *Dummodò primum quoquomodò non attingat; cùm in eo Sanctitas sua nunquàm dispensare intendat.* Ad illud autem quod id. Sanch., disput. 24, n. 5, ait, nempè quòd quando petitur dispensatio in solo foro conscien-

tiæ super affinitate occultâ proveniente ex actu fornicario, valeat quamvis gradûs propinquioris mentio facta non fuerit, dummodò non sit primus, nec erunt necessariæ litteræ declaratoriæ; additur etiam quòd hodiè, omni hæsitatione postpositâ, per nova jura concil. Trident., sess. 24, c. 4, ac constitutione ejusdem Pii V, non habet locum declaratoria proximioris gradûs affinitatis ex copulâ illicitâ, quia uterque gradus omninò impedit, et idem intelligitur de dispensatione etiam in utroque foro cum eâdem copulâ. Quòd si oratores se attinent secundo et tertio affinitatis ex eodem actu fornicario, tantò minùs cadit expressio propinquioris gradûs, scilicet secundi; quia, licèt secùs dicendum esset si impedimentum secundi gradûs ex uno stipite proveniret, et tertii ex altero; quia tunc sublato tertio ex uno, remanet secundum ex altero; nam concilium Tridentinum ac constitutio Pii V habent locum, quando primus et secundus gradus proveniunt ex uno eodemque stipite, sicut etiam docet super hoc communis praxis, et supra diximus, ubi exempla remotioris et proximioris graduum adduximus. Hæc autem omnia quoad gradus remotiores ita intelligas, dummodò alter qui est in gradu remotiori, sit intra quartum gradum; nam extra illum nulla erit necessaria dispensatio, quia cùm duo consanguinei inæqualiter distant à stipite, si unus eorum distet ultra quartum gradum, nempe sit in quinto gradu, poterunt nihilominùs matrimonium contrahere, cùm quintus gradus hìc attendatur tanquàm remotior, et nullum constituat impedimentum, ut aliàs diximus; nam quamvis unus tantùm sit in quinto gradu, profectò omnes censentur esse in eodem gradu, ex regulâ d. c. *Non debet*, de Consang. et Affin.

Hìc verò circa prædictam remotioris gradûs expressionem omittendum minimè duximus quod non semel in praxi evenire observavimus, nempè: Si litteræ dispensationis fuerint expeditæ, exempli gratiâ, super quarto gradu, et in illarum verificatione constet delegato oratores esse non tantùm quarto, sed tertio et quarto à communi stipite provenientibus consanguinitatis seu affinitatis gradibus esse conjunctos, vel se attinere, vel si fuerint in quibuscumque aliis gradibus propinquioribus et remotioribus ex eâdem stipite provenientibus conjuncti, sive se attinentes; an ipse delegatus possit ipsas litteras executioni demandare, non expresso tertio gradu tanquàm remotiore, aut litteris declaratoriis prædictis, non obtentis?

Et quidem ait Sanch., de Matrim., lib. 8, disput. 24, num. 39, executionem prædictam esse validam, ac matrimonium exinde legitimè contractum virtute dispensationis, solo gradu remotiore expresso, ut dictum est, etiam non obtentis prædictis litteris declaratoriis, quamvis ordinarius in foro fori rectè procedens non debeat dispensare, donec prædictæ litteræ declaratoriæ afferantur; sed quòd post contractum matrimonium juridicè, aliquo denuntiante non esse expressum gradum propinquiorem nec allatas litteras declaratorias, deberet sic conjunctos separare, donec prædictas litteras afferant

At verò huic sententiæ non video quomodò sit acquiescendum in theoricâ aut praxi, quando quidem satis apertè patet id esse contra mentem Pontificis ac sensum datariæ apostolicæ; nam quando impetratur dispensatio cum narrativâ remotioris gradûs, ubi concurrit etiam propinquior eo modo quo dictum est, ac in verificatione prædictâ ab ipso delegato compertum fuerit oratores esse non in quarto tantùm, sed in tertio et quarto, ut supra, esse conjunctos, et nihilominùs ipse delegatus nullâ habitâ ratione prædicti proximioris gradûs, scil. tertii, procedit ad earumdem litterarum executionem, quarum vigore matrimonium contrahitur, profectò dispensatio erit nulla, prout in facti contingentiâ pluries observavimus, quia taliter contrahentes, certiores redditi de nullitate prædictæ executionis, nec non matrimonii inde nulliter contracti, tenentur petere novam dispensationem in formâ *Perinde valere*, super expressione prædicti propinquioris gradûs, scilicet tertii, cum illius declaratoriâ in formâ solitâ; et in hâc novâ gratiâ, Papa declarat copulam interim habitam esse incestuosam, filiosque susceptos illegitimos, ipsosque contrahentes esse proinde excommunicatos vigore Clem., *Eos*, de Cons. et Affin., quia respectu prædicti tertii gradûs contraxerunt scienter in gradu prohibito, ut infra dicetur. Quare, ut omnis ambiguitas hìc tollatur, et quid sentiendum sit circa hanc praxim, formulam litterarum novæ dispensationis in formâ *Perinde valere* hìc duximus subnectendam, tenoris, ut infra, videlicet:

INNOCENTIUS *episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro episcopo N. salutem et apostolicam benedictionem. Aliàs pro parte dilecti filii Joannis Falconii laici, et dilectæ in Christo filiæ, Annæ Sabinæ, mulieris Asculan. diœcesis, nobis expositum fuit prædictam Annam dotem habere minùs competentem, juxta statûs sui conditionem, cum quâ virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequiret, et dictum Joannem illam cum dictâ minùs competenti dote in uxorem ducere, intendere; sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, desiderium eorum eâ in parte adimplere non posse absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare pro parte eorumdem Joannis et Annæ nobis humiliter supplicatum, quatenùs eis in præmissis de opportunæ dispensationis gratiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos hujusmodi supplicationibus inclinati, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri episcopi Asculan. per alias nostras litteras dedimus in mandatis, quatenùs, si preces veritate niti reperiret, cum eisdem Joanne et Annâ, quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valerent, auctoritate nostrâ dispensaret; prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando, prout in dictis litteris continetur. Cùm autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Joannis et Annæ petitio continebat, litteris prædictis dicto vicario præsentatis, idem vicarius contenta in eis verificari manuave-*

rit, et quamvis in verificatione ipsâ ei constaret ipsos Joannem et Annam secundo et tertio consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, nihilominùs cum dictis Joanne et Annâ super impedimento hujusmodi, licèt nulliter et de facto dispensavit, cujus quidem dispensationis prætextus ipsi Joannes et Anna matrimonium inter se per verba de præsenti publicè, servatâ formâ concilii prædicti, nulloque detecto, neque denuntiato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, et carnali copulâ consummârunt, proindeque iidem Joannes et Anna in hujusmodi matrimonium remanere non possint, absque Sedis Apostolicæ dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possint verisimiliter exoriri, quare pro parte eorumdem Joannis et Annæ nobis denuò fuit humiliter supplicatum, quatenùs eis, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, in præmissis opportunè providere de simili benignitate dignaremur. Nos igitur eosdem Joannem et Annam, ac eorum quemlibet amplioris gratiæ favore prosequi volentes, et à quibusvis, etc. *; censentes, posterioribus supplicationibus hujusmodi etiam inclinati, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenùs negotium hujusmodi reassumens, litterasque prædictas valere decernens, monito prædicto vicario, ut à similibus in posterum omninò abstineat, ac impositâ dictis Joanni et Annæ propter incestum hujusmodi arbitrio tuo pœnitentiâ salutari; et quatenùs contra ipsos causa super præmissis in judicium quoquo modo deducta fuerit, parito judicato, eosdem Joannem et Annam, si hoc à te humiliter petierint, à generali excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro, dictâ auctoritate absolvas in formâ Ecclesiæ consuetâ; ac cum eisdem Joanne et Annâ, quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium inter se de novo publicè, servatâ formâ ejusdem concilii, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, eâdem auctoritate dispenses; distantiam verò tertii gradûs præfati eis non obstare declares, prolemque susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernas, ac ad earumdem litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, de novo procedas, in omnibus et per omnia; perinde ac si in illis Joannem et Annam prædictos non quarto, sed tertio et quarto à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus esse conjunctos, expressum, ac cum eisdem desuper dispensari, et declarari mandatum, præmissaque secuta minimè fuissent, non obstantibus præmissis ac omnibus illis quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ,* etc.

Consimilem formulam affert Barbos., in Praxi exigen. pens., lib. 4, vot. 3. Et hujusmodi litteræ nunquàm ferè diriguntur eidem vicario, qui suâ delegatione abusus est, neque ipsi ordinario, ut suprà patet, sed metropolitano aut episcopo viciniori. Unde stantibus præmissis, hæc praxis ex diametro adversatur iis quæ tradit Sanch., loc. cit., num. 30, dicens quòd quamvis ordinarius suo munere abutens dispensaret, non allatis prædictis litteris declaratoriis, cùm tamen ex actis constaret esse ibi gradum propinquiorem et remotiorem vel si deceptus à contrahentibus falsò probantibus esse solum gradum remotiorem dispensaret, credit valere matrimonium, quia ea dispensatio valida fuit; nec malitia ordinarii malè exequentis aut partis falsò probantis, tollit ejus valorem, subdens etiam quòd ille ablativus absolutus, *Obtentis tamen litteris declaratoriis*, non potest conditionem importare, quia supponit actum jam perfectum et gesta virtute priorum litterarum fuisse valida. At verò ab hâc praxi non esse recedendum omnes practici curiales fatentur, quia ex illâ satis elicitur hoc modo fuisse matrimonium scienter in gradu prohibito contractum; ac propterea in sumptâ formulâ litterarum adjicit dataria apostolica omnes clausulas quæ adjiciuntur in litteris dispensationum apostolicarum, quando oratores fatentur matrimonium scienter in gradu prohibito contraxisse, ut dicam infra, l. 8, c. 3, per tot., ubi etiam habes formulam supplicationis de scienter contracto, n. 7.

Ratio enim est, quia, non servatâ constit. Pii V, circa prædictas litteras declaratorias, intrat præcedens constit. Pii IV, qui voluit dispensationem peti debere æquè principaliter, tàm super remotiore quàm proximiore gradu, cum pœnâ nullitatis dispensationis; et quatenùs ipse Pius V dicit *obtentis postea litteris*, etc. illud verbum, postea, ut opinatur Sanch. loc. cit., non refertur ad matrimonium postea contractum, sed intelligendum est quòd antea petatur dispensatio super gradu remotiore, et postea, etiam unico contextu, in eâdem supplicatione iisdemque litteris petatur declaratoria super non obstantiâ propinquioris gradûs; et hic est inveteratus usus datariæ et cancellariæ Apostolicæ etiam ad præscriptum prædictæ constit. Pii V, ut videlicet dicatur : *Quod impedimento quarti*, etc., et postea sequatur : *Distantia verò tertii*, etc., ut est germanus sensus prædictorum verborum, *obtentis postea*, etc.; licèt ubi proximioris gradûs expressio fuerit sine culpâ omissa, possit ante contractum matrimonium suppleri per viam novæ gratiæ, in formâ *Perinde valere;* quare in his certum est supra dicta verba, *obtentis postea*, importare conditionem; illisque insuper additur alia dictio *tamen*, quæ etiam de suî naturâ importat modum et conditionem. Marius Antonin., var. resol., lib. 1, resol. 51, n. 4; Barbos., dict. 347, n. 3, de dict.

PROLEM SUSCIPIENDAM EXINDE LEGITIMAM NUNTIANDO. —Hæc clausula videtur hìc apposita potiùs ad exuberantiam, omnemque scrupulum submovendum, quàm ex necessitate; nam etiamsi non esset apposita, proles esset nihilominùs legitima quoad omnia in utroque foro contracto, Sanch., l. 8, disp. 35, n. 23. Quod totum intelligas, dummodò litteræ dispensationis fuerint per supradictum vicarium delegatum legitimè executæ; quia si non præcesserit informatio super narratis in dictis litteris, et decretum dispensationis, ipsa proles non erit legitima, quia ipsi oratores non habebant bonam fidem, et sciebant, vel

scire debebant, inter ipsos adesse impedimentum.

Quid autem dicendum sit circa legitimationem prolis in dispensatione super aliquo impedimento cum copulâ secutâ; vel matrimonio in gradu prohibito absque dispensatione contracto, infra suo loco videbimus.

VOLUMUS AUTEM QUOD SI SPRETA MONITIONE NOSTRA HUJUSMODI, etc.; vide quæ supra diximus, vers. *Depositâ per te omni spe*, etc.

DATUM ROMÆ, etc. — De datâ aliàs sufficienter diximus in fine declarationis litterarum dispensationis super bigamiâ.

Jam verò, his litteris Executori præsentatis, ac omnibus in eis contentis verificatis, ad illarum totalem executionem, ac decretum dispensationis, ut infra deveniet, nisi forte antea litteras, sicut cætera rescripta, alicujus subreptionis aut obreptionis vitio subjacere compererit; ex quo satis liquet posse judicem cognoscere de subreptione dispensationis matrimonialis; Bald., cons. 97, volum. 2: advertit tamen Genuens., in suâ Praxi, capit. 20, numer. 15, quòd, cùm delegatus nomine summi Pontificis dispensaverit cum causæ cognitione, non potest ordinarius se intromittere, nisi subreptio fuerit evidens ex confessione partis, vel ex tenore bullæ; quare intelligenda est praxis, ut cognoscat episcopus de subreptione dispensationis matrimonialis, quando ei præsentatur dispensatio, et ipse debet adhibere causæ cognitionem: secùs quando alius commissarius dispensaverit nomine Pontificis cum causæ cognitione, licèt aliàs ista subreptionis cognitio ipsi episcopo prohibita non sit, quando ipse cognoscit de nullitate matrimonii, si partes producunt dispensationem Papæ; quia tunc incidenter cognoscere potest de subreptione dictæ dispensationis, licèt non fuerit illi directa; ita notat Bald., cons. 97, d. vol. 2; faciunt etiam quæ notat Abb., in c. *Cùm venissent*, de Judic.

Nec tamen ad litteras ipsas eodem modo de falsitate aliquâ redarguendas delegatus ipse se debet exhibere proclivem, ut nimirùm ex levi suspicione litteras easdem debitæ executioni demandare recuset; quod quidem ad id illum movere posset, si litteras in aliquâ parte vitiatas arbitretur, veluti si in eis rasura aliqua appareat, quæ ipsum ad hujusmodi falsitatem suspicandam inducat, quamvis in infra scripto decreto dispensationis dicatur litteras non esse vitiatas, vel cancellatas, aut abrasas; id enim intelligitur de iis quæ suspicionem falsitatis non inducunt, licèt quoad hoc aliter dicendum esse nos doceat datariæ apostolicæ usus, ut nimirùm non admittat eas supplicationes cum quantumvis minimâ rasurâ etiam unius litteræ; cùm apud Rotam pro indubitato habeatur supplicationem in quâ appareat abrasio litterarum, non carere suspicione fraudis ac dolo; ead. Rota, decis 541. num. 14, p. 3, divers.; sive rasura contingat ante sive post signatam supplicationem; imò potiùs tolerantur plures cassaturæ, etiam per ipsas partes, sive per illum qui confecit supplicationem, factæ, quàm quævis minima rasura; nam omnibus notum est posse multa cassari, addi, et minui in supplicatione, antequàm à Papâ signetur; postquàm verò signata fuerit, solis officialibus id permittitur, non autem parti, vel eorum sollicitatori, quibus neque in eâ punctum addere vel delere sub atrocissimis et gravissimis pœnis interdictum est.

Secùs attamen cancellariæ Apostolicæ usum servare novimus, quandoquidem, si delegatus ipse illius praxim omninò non ignoret, sciet utique in quibuscumque litteris apostolicis, antequàm illæ ad plumbum ab ipsâ cancellariâ transmittantur, multa posse abradi et immutari, quæ tamen concessæ gratiæ substantialem mutationem non inducant; quod quidem duplici modo contingere posse videmus: uno scilicet vigore clausularum in supplicatione signatâ existentium, in quibus dicitur quòd major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, scilicet in bullâ; quæ quidem verba facultatem partibus tribuunt semper faciendi in illis majorem et veriorem expressionem, dùm litteræ ipsæ in dictâ cancellariâ expediuntur. Altero autem modo, cùm ipsa cancellaria, ejusque domini abbreviatores, qui harum litterarum expeditionibus præsunt, aliqua in ipsis litteris secundùm regulas et instructiones quas ab ipso Papâ habent, immutant, addunt, et delent; cùm proinde dicta cancellaria dicatur organum mentis et vocis Papæ, teste Cassad., decis. 3, n. 3, de Reservat. et decis. 2, num. 7, de Union.; quandoquidem, sicut per verborum cancellationem quæ fit ab officialibus datariæ in supplicationibus, declaratur mens Papæ nolentis ea quæ cancellantur, concedere, ita etiam servatur in ipsis litteris, ad not. per Bart. in l. *Si quis priore*, num. 3, ff. Ad Trebell., l. *Tribunus*, ff. de Milit. testam.; quinimò, licèt pro conscribendis ipsis litteris apostolicis, constituta sint particularia collegia tam scriptorum apostolicorum, quàm minoris gratiæ nuncupatorum; ac proinde nullus, præter eos, dictas litteras conscribere possit, nihilominùs, si in ipsâ cancellariâ, tempore expeditionis non possit haberi copia proprii scriptoris qui conscripsit litteras, quibus oportet aliquid aptari, seu immutari aut deleri, ut dictum est, quilibet alius ex ipsis scriptoribus potest defectum illum supplere; quinimò, etiam alius, qui non sit propriè eorumdem collegiorum scriptor, dummodò gallicum characterem sciat formare, supplebit; quod quidem admittitur in ipsâ cancellariâ sine aliquâ contradictione; proindèque non mirabitur fortassè harum litterarum executor, si in eis inspiciat aliqua etiam alienâ manu ac diverso forsan atramento immutata sive aptata; licèt enim scriptura regulariter, de falso reddatur suspecta ex diversitate atramenti in locis alteratis, prout dixit Anchar., cons. 431, num. 3; Curt. jun., cons. 51, in fin.; Abb., cons. 10, col. 2, l. 1; Alex., cons. 41, col. 1, vol. 1, relatos per Caputaquen., decis. 3, part. 2, n. 14, attamen id jamdiù in ipsâ cancellariâ permittitur ob ingentem numerum negotiorum. Quod quidem etiam in litteris beneficialibus sæpenumerò accidit, in quibus non una tantùm periodus aut clausula, sed quandoque tertia ferè illarum pars, istâ suadente causâ abraditur et

immutatur ; quòd si fortè quod deletum est, per integram verborum quantitatem æquè suppleri minimè posse, eveniat, tunc, ne lineam sive illius partem, vacuam remanere contingat, totum id quod deest, supplebit scriptor, sive alius per quædam connexa signa, quæ, catenam vocant, similitudinem quamdam habentem cum ipsis gallicis characteribus nihil tamen continentem ; quidquid dicat text., in c. fin. de Crim. fals., ubi falsitatem tantùm excludit propter rasuram paucarum litterarum, quæ nequaquàm sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt; nam etiam pro pluribus et magnis rasuris, neque debet falsitas, aut delictum præsumi, nisi probetur, ad vulg. l. *Merito*, ff. *Pro socio* ; quapropter in his et similibus casibus potiùs facienda est interpretatio, quod falsum non fuerit commissum, quàm è contra ; et quotics alia præsumptio sumi potest, illa recipienda est potiùs quàm falsitas præsumatur ; id. Caputaq., d. decis. 3, per tot. Zerol. in Praxi episcop., verb. *Falsarii*, vers. *Quartò falsitas*, ubi ait quod falsitas multis circumstantiis debet probari, et semper potiùs negativa quàm affirmativa præsumi debet.

Diximus quidem præmissa servari antequàm litteræ ad plumbum transmittantur, ex quo, sicut supplicationi registratæ ; non est ampliùs locus in eâ addendi vel minuendi, ut aliàs diximus, ita litteris plumbatis nec quidem linea, aut punctus, sub falsitatis aliisque atrocissimis pœnis addi, aut ex eis detrahi potest. Hoc etenim casu licitè de falso argui possunt, nisi correctæ appareant, auctoritate D. cancellariæ Apostolicæ regentis, qui in illarum capite superiori ita dicat : *Corrige in registro prout jacet, N. Regens* ; in inferiori verò parte, ac in illarum plicâ versùs dexterem partem, ita pariter dicatur, scilicet : *Correcta per me N., registri magistrum.* Prout docet notorius stylus. Porrò abrasio hæc frequentior fit in his dispensationibus matrimonialibus, cujus numerus infinitus ferè in ipsâ cancellariâ noscitur. Hinc est quòd licèt in Franciâ aliisque ultramontanis partibus tales litteræ cum aliquâ minimâ rasurâ, non ita facilè admittantur, ob timorem falsitatis, in partibus tamen Hispaniarum, quò magis litteræ illæ apparent habere rasuras, eò existimantur benè correctæ. Quibus quidem usu et praxi sic stantibus, superfluum profectò existimabit delegatus ipse, earumdem litterarum cursum impedire, etiamsi alteratio, quæ majorem falsitatis suspicionem inducere posset, facta appareat in datâ ipsarum litterarum ; quod quidem superioris auctoritate contingere posse nemo est qui ambigat, aut etiam à communiter accidentibus in initio millesimi novi, cujus loco interdùm per errorem scribitur millesimus vetus ut consideravit Rot., decis. 135, ante n. 1, p. 2, divers., ubi ait quòd causa hujus erroris, est frequentia scribendi millesimum veterem, ex quâ inducitur quædam assuefactio manûs in scribendo, causans quandoque errorem, scribendo millesimum veterem pro novo. Et regulariter potiùs præsumitur error quàm malitia, sive falsitas ; Felin. in c. *Ex litteris*, n. 3, de Fid. instrum., l. penult., in fine, ibi : *Credo te magis errare quàm in malitiam incidisse*, c. de his qui sibi ad scrib. in testam. ; Dec. cons. 175, n. 7 ; at propterea datâ possibilitate erroris, non sequitur de necessitate falsitas, ead. Rot. d. decis. 135 ad cujus corroborationem adducit theoricam Cyn. communiter receptam in l. *Si vicinus in* q. 3, n. 3, c. de Nupt., ubi, quòd si uxor quæ à marito sine judicio Ecclesiæ expulsa ivit ad lupanar, processu temporis, ibi peperit, partus judicabitur legitimus ; et ibi reddit rationem, quia possibile est, natum esse ex matrimonio, ex quo maritus quoque poterat ire ad lupanar, et uxorem carnaliter cognoscere, subdens ibi, partum quamdiù possibile est nasci ex matrimonio, legitimum esse, et ex eo natum præsumi, nisi contrarium probetur ; ac proinde in cujuscumque alteratione scripturæ magis præsumitur error, tanquàm contingibilis, licèt sit de rarò contingentibus quàm malitia et falsitas, nisi ex aliquibus circumstantiis vel judiciis aliud appareat ; per ea quæ tradit Bart. in l. *Quoties*, § 1, num. 3, ff. de Hæred. instit., quo casu poterit hujus rei veritas facillimo negotio perscrutari, cùm, sive in Curiâ sive extra eam, possit haberi recursus ad registra earumdem litterarum, sive sub plumbo, sive sub annullo Piscatoris expeditarum, quibus, cùm sint publica, et omnibus pateant, fides adhiberi debet, prout docet notorius usus in casibus similibus.

Cæterùm, ad dignoscendum quot modis litteræ ipsæ apostolicæ reddi possunt de falso suspectæ, videndus est text. in c. *Dura*, c. *Quàm gravi*, c. *Accedens*, et c. fin. de Crim. fals., quos in d. c. *Licèt*, Glossa ad sex reducit, his versibus, scilicet :

Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum :
Hæc sex falsata, dant scripta valere pusillum ;

de quibus latiùs dixi l. 2, c. 3.

Nec tamen ad hos tantùm falsandi modos hujusmodi casus restringuntur, quin alii etiam possit contingere, ut per Gloss. in d. c. *Licèt*, verbo *Falsitatis*.

Præmissis denique in dictis litteris contentis verificatis, devenitur ad decretum dispensationis, quod sequenti formulâ concipi poterit, videlicet :

Alexander *Lucianus, V. I. D. protonotarius apostolicus, eminentissimi et reverendissimi domini Francisci S. R. E. cardinalis Boncompagni, archiepiscopi Neapolitani, in spiritualibus et temporalibus vicarius, et officialis generalis, et ad infra scripta per sanctissimum D. N. D. Urbanum Papam VIII, judex, et executor deputatus.*

Universis et singulis præsentes litteras inspecturis, notum facimus et attestamur, qualiter nuper coram nobis pro parte Stephani N. et Catharinæ N. Neapolit. diœcesis exhibitæ, productæ, et præsentatæ fuerunt litteræ prædicti sanctissimi D. N. Papæ plumbeo pendente sigillo ad cordulam fili canapis, more Romanæ Curiæ expeditæ, sanæ, integræ, non vitiatæ, non cancellariæ, non abrasæ, nec in aliquâ ipsarum parte suspectæ ; sed omni prorsùs vitio et suspicione carentes, quas nos cum omni quâ decuit reverentiâ, recepimus, tenoris sequentis, videlicet : Urbanus, etc. ; inseritur

totus tenor dictarum litterarum, et prosequitur : *Post quarum quidem præinsertarum litterarum apostolicarum præsentationem et receptionem, fuimus pro parte dicti Stephani et Catharinæ, debitâ cum instantiâ requisiti, quatenùs ad executionem earumdem litterarum procedere deberemus; nos, autem, attentâ illarum formâ, mandavimus de expositis in eisdem, capi diligentem et summariam informationem, per quam reperimus, prædictos Stephanum et Catharinam tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos; dictamque Catharinam, propter hoc raptam non fuisse; omniaque in eisdem litteris apostolicis contenta „fuisse et esse vera ac veritate fulciri. Propterea cum prædictis Stephano et Catharinâ, ut matrimonium inter se publicè servatâ formâ concilii Tridentini contrahere; illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere licitè possint, apostolicâ auctoritate nobis commissâ et quâ fungimur in hâc parte, dispensandum duximus, prout præsentium tenore dispensamus; impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus; distantiam verò tertii gradûs prædictis eis non obstare, declarantes; prolemque exinde suscipiendam legitimam nuntiando. In quorum fidem, præsentes, manu nostrâ signatas, et per infra scriptum notarium curiæ archiepicopalis subscriptas fieri jussimus. Dat. Neapoli, die*, etc.

Alexander Lucianus, vicarius generalis, judex delegatus.

Quoniam verò post latum decretum dispensationis per judicem delegatum, potest statim contrahi matrimonium, non est leviter notandum, hoc sibi locum vindicare, etiamsi ipsi contrahentes non habuerint notitiam supra dicti decreti; de quo non est aliquo modo dubitandum; quia, ut Rota resolvit coram Justo, 5 decembris 1607, sufficit, quòd matrimonium sit contractum post dispensationem, licèt verisimiliter non potuerit haberi notitia factæ dispensationis : Rota, decis. 280, n. 5, recent. p. 3, quia de jure non est necessaria notitia saltem verisimilis concessæ dispensationis, imò contrarium potiùs videtur probari posse exemplis; nam eligentes qui erant excommunicati, si eligunt post absolutionem quam ignorabat, valet electio, ex Archid. in c. *Quanto*, in fin. 2, q. 4. Sic itaque in hoc casu valet matrimonium, etiamsi conjuges nondùm sciverint sententiam executoris, quia habebant intentionem contrahendi, quatenùs esset consecuta gratia dispensationis, post cujus concessionem conjuges statim facti fuerunt materia legitima ad contrahendum, Garc., de Benef., p. 7, c. 2, num. 40, vers. *Quartò oppugnabatur*, et vers. seq., in fin.

Insuper repetimus hìc optimum esse executorem, hujusmodi et similium litterarum, habere aliquam cognitionem rerum Romanæ Curiæ; nam licèt aliàs peritissimus, nunquàm ipsas litteras rectè exequi poterit, ut supra diximus, quia multa in illis observanda sunt, tanquàm ex stylo d. Curiæ procedentia, qui pro lege servatur, dict. c. *Quàm gradus*. Unde dicit Mandos., regul. 27, q. 6, n. 5, in fin. in casu probationis litterarum apostolicarum; quòd si adducerentur mille doctores primarii de partibus, et mille notarii tam Romani, quàm forenses, qui cancellariæ Romanæ sint ignoti, vix percipient litterarum aliquarum tenorem et clausulas, postquàm illas iteratis vicibus legerint; satis enim apertum est quòd tam stylus quàm praxis consistit in facto; et propterea, non possunt ab omnibus, etiam peritissimis hominibus sciri, Card. in Clem. 1, q. 18, de suppl. negl., unde dicitur, quòd facta, prudentissimos homines fallunt, l. *Error*, ff. de Jur. et fact. ignor., sicut etiam, quoad quæstionem facti, non potest jurisconsultus respondere, cùm facilè possit decipi, l. *Eum qui tenore*, § fin. de Jud.

Sed cùm, ut aliàs diximus, propter frequentiam hujusmodi dispensationum matrimonialium, sæpè contingat, nonnullas earum litteras, seu bullas variis modis amitti; ubi enim, ut vulgò dicitur, multitudo, ibi confusio; videamus pro coronide hujus praxis quid agendum in hoc casu, et quomodò succurratur indemnitati oratorum, ne executio gratiæ retardetur, ob defectum probationis illius.

Et dicendum est quòd secundùm stylum dictæ Curiæ omnibus notum, quælibet gratia à Papâ concessa, pluribus modis potest probari, quorum

Primus est cùm signatam supplicationem, antequàm registretur, amitti contingit, et tunc factâ fide eâ per probos viros qui illam signatam viderint, D. datario, vel aliis, aliam consimilem supplicationem signandam porrigere oportet, in quâ, si ita qualitas materiæ suaderet, posset apponi eadem data, quæ erat in primâ supplicatione, si de eâ similis fides facta fuerit, vel idem D. datarius memoriâ id retineret, et super hâc novâ supplicatione signandâ, poterunt litteræ expediri.

Secundus modus est quando supplicatio est amissa post registrum, et tunc, et ut possint litteræ expediri, sumitur illius sumptum authenticum ex registro supplicationum, quod datur cum suscriptionibus officialium ad id deputatorum, et cum consueto sigillo; nec alio modo proderit hujusmodi sumptum, sive in Curiâ, sive extra eam (dico extra eam, si fortè in ipsâ supplicatione fuerit clausula, quòd sola illius signatura sufficiat, et in judicio et extra fidem faciat), sicut testatur Rom. cons. 336, num. 5, vers. *Cæterùm*, nec sufficit adhibere rescripti transumptum; quia, si non probat ipsa originalis supplicatio signatas quæ requirit expeditionem litterarum, multò minùs probabit sumptum illius extra dictam Curiam.

Tertius modus est, quando bulla deperdita est, antequàm registretur; quo casu, super eâdem supplicatione poterit alia bulla expediri, et sub eâdem datâ; et tunc, quia officialibus pro expeditione deputatis, semel fuit integrè satisfactum, parùm pro hâc novâ expeditione erogabitur; prout etiam fit quando litteræ, post plurium officialium manuum appositionem, à DD. abbreviatoribus majoris præsidentiæ, ob aliquam sub-

stantialem causam, laceruntur et rescribi mandantur; nam, etiam tunc, pro novâ manuum appositione, solvitur tantùm julius unus cuilibet capellano officialium ad id deputatorum.

Quartus modus est quando bulla deperdita est, postquàm fuerit registrata et tunc sumendum erit sumptum à registro bullarum, quod plenè probat ubique sicut ipsa bulla originalis; Butr., cons. 2, num. 3, *His non obstantibus*, quod tamen intelligas, sufficere in ipsâ Romanâ Curiâ; nam extra eam non probat, et hoc idem dicendum est de ipsâ supplicatione, dato quòd ipsa probet in casu quo probare solet; ac propterea non sunt in hoc casu audiendi dicentes, quòd, probatâ amissione litterarum, gratia summi Pontificis probari possit per testes; hi sunt Abb. in cap. *Ex diligenti*, in ult. not., numero 3, de Simon.; Felin., in rubr. de Constit., col. ult., post. num. 6, vers. *Tertius casus*, Mascard., de Probat., concl. 743, numero 24 et seq., quod tamen probari potest, ut infra, in sexto modo dicetur.

Quippe omnibus curialibus notum est contrarium in Rotâ servari; nam, etiam probatâ amissione litterarum, non admittitur probatio per testes, teste Bellenc., de Charit. subsid., q. 110, num. 9, et non solùm in ipsâ Rotâ, sed in quocumque tribunali ejusdem Curiæ; Paris., de Resign. benef., l. 8, q. 2, n. 2, quia in palatio apostolico adsunt duo registra, unum videlicet supplicationum omnium expeditarum, alterum verò litterarum: unde poterit quisque invenire suam gratiam, et extrahere sumptum supplicationum, vel litterarum, quod quidem facilè inveniri potest, etiamsi præcisè non meminerit anni, propter peritiam, et methodum officialium ibi existentium, et hic est stylus vulgatissimus.

Quintus modus est, quando non solùm litteræ sunt deperditæ, sed etiam deperditum illarum registrum seu liber in quo illæ litteræ erant registratæ; et tunc, si reperiatur supplicatio super quâ ipsæ litteræ fuerunt expeditæ, expediri poterit alia bulla, eo modo quo supra dictum est; si verò supplicatio non adsit, sumitur transumptum ex registro supplicationum, super quo dictæ litteræ expedientur.

Sextus modus est quando omnia perierunt, nempe bulla expedita, liber, seu folium, vel quinternum registri bullarum illius temporis, ac supplicatio originalis, et liber ipse supplicationum illius anni seu mensis; quod tamen rarò eveniet, ita ut nullum præmissorum reperiatur; et tunc, etiam absque derogatione regulæ *de non judicando juxta formam supplicationis*, etc., ad illarum probationem, possunt admitti testes, et secundùm illos judicari, si tamen deponant bullam bullarumque registrum, supplicationem supplicationumque registrum, deperdita esse, puta tempore excidii urbis, vel propter incendium aut alios siuistros eventus, quo casu testes hujusmodi debent deponere concludenter de totâ substantiâ gratiæ, cum suis qualitatibus; nec ad hoc debet quilibet testis admitti; sed oportet ut sint homines valdè experti et practici circa ea quæ concernunt litteras apostolicas, ac clausulas in eis contentas : ac propterea debent esse nimis in cancellariâ Apostolicâ versati, ut eorum dictis adhibeatur plena fides, prout adhiberetur ipsis litteris ita deperditis, per text. in l. *Sicut iniquum*, et ibi Gloss. Bart. et alii, c. de Fid. instrum., l. *Testium*, in fin., c. de Test.; Bald. in l. 1, ff. si cert. pet. Alex. cons. 196, num. 9 et seq., vol. 2; Mandos., regulâ 27, q. 6, per tot.

Septimus denique modus, qui præsertim ad rem nostram facit, et in praxi satis frequens est, ut in litteris dispensationis in totum expeditis, ac postea deperditis extrahatur illarum sumptum ex registro bullarum; quod datur clausum et sigillatum, et sic extractum præsentabitur domino auditori cameræ Apostolicæ, seu alicui ex ejus notariis, qui sumptum ipsum aperiet, ac juxta illius tenorem expediet quasdam litteras, quæ de stylo Curiæ appellatur, *in formâ vidimus*; in quibus apponitur per extensum totus tenor litterarum deperditarum; et si quas clausulas cæteratas in eo notarius repererit, illas, juxta stylum cancellariæ Apostolicæ extendet, ita ut nihil prorsùs desit solitæ formæ litterarum gratiæ obtentæ, et hæ litteræ sufficiunt, perinde, ac si ipsæ litteræ originales executori præsentarentur. Et idem dicendum est de quibuscumque litteris apostolicis sive deperditis, sive non; nam ad illarum probationem, sufficit omninò transumptum, sive etiam processus fulminatus, in quo ipse litteræ sunt insertæ, dummodò postea constet de originalibus parte opponente; Garc., de Benef., p. 6, c. 2, n. 12. Utque modus et forma prædictarum litterarum ejusdem Domini auditoris cameræ, unicuique innotescant, illarum tenorem de more subjiciamus, qui talis est, videlicet :

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, Amen. Noverint universi et singuli, hoc præsens publicum transumptum inspecturi, quòd Nos Marcus Antonius Franciottus protonotarius apostolicus, utriusque signaturæ S. D. N. Papæ referendarius, nec non curiæ causarum cameræ Apostolicæ generalis auditor, inspeximus litteras apostolicas, sub plumbo, ut moris est, expeditas, ac omni suspicione carentes; quarum quidem litterarum tenor talis est, ut infra, videlicet : Urbanus, etc. (Apponuntur autem omnia per extensum, ut supra dictum est) loco plumbi pendentis. *Quibus quidem litteris diligenter inspectis, ad requisitionem perillustris, domini Petri Falconetti, per infra scriptum Curiæ nostræ notarium ipsas exemplari mandavimus, et transumi, et in publicam formam redigi. Decernentes et volentes ut huic nostro præsenti transumpto publico, sive exemplo, plena fides deinceps adhibeatur ubilibet, omnibus in locis, ubi fuerit opportunum; ipsumque transumptum fidem faciat, illique stetur, acsi originales ipsæ litteræ apparerent. Quibus omnibus et singulis auctoritatem nostram ordinariam interponimus, et decretum. Dat. Romæ, ex ædibus nostris*, etc., *anno*, etc., *indictione*, etc., *die vero*, etc., *pontificatûs*, etc.

Dominicus Burattus, notarius.

C. Melcius locumtenens.

(L. Sigilli) A. C.

De hujus verò transumpti validitate, nullo modo est dubitandum, quia est authenticum : insertæ litteræ sunt collationatæ ; et sic de verbo ad verbum est legitimè facta exemplificatio, quod approbatum est per universum orbem, et approbat Jas. in Auth. *Si quis in aliquo*, c. de Ædem., n. 1, vers. *Quædam ;* et illud probat ac si originale dictarum litterarum fuisset præsentatum ; per Gl. in l. *Chyrographus*, in verbo *Tutores*, ubi Bart., ff. de Admin. tutor. ; idemque Bart. in l. 1, § *Sed si duobus*, in fin. bon. pos. et est communis opinio, test. Mascard., de Prob., conclus. 711, n. 17, et ita servatur.

Unde, cùm quidam vicarius delegatus recusaret similes litteras, ita transumptas exequi, fuit sibi rescriptum ab ipso D. auditore cameræ per litteras privatas, ne si eodem transumpto appareret de voluntate ipsius, prævio instrumento in formâ prædictâ auderet dictas litteras impugnare ; quod quidem præcepit verbis satis minacibus. Quare ipse delegatus, omni morâ postpositâ dictas litteras in eodem instrumento insertas, fuit executus. Sicque nullo modo debet hujusmodi litterarum executio denegari seu retardari ; cùm satis etiam de jure constet quòd tale instrumentum, dicitur probatio probata, et probat illud quod cantat, ut per Bald., in l. *Interest*, n. 2, c. de Solut. ; Caputaq., decis. 421, n. 1, p. 2, ac facit claram, promptam, manifestam, realem, liquidam, patentem, notoriam, et indubitatam ac definitam rem Gonzal. ad regul. 8, cancell. 64, num. 4 et 5.

Præmissa tamen omnia procedunt in gratiis per summum Pontificem tantùm factis ; cùm aliud dicendum sit quoad gratias ordinarii ; si enim eorum litteræ non apparerent, veluti, quia sunt deperditæ ; probari profectò poterunt per testes ; quod quidem potissimum locum sibi vendicare dignoscimus in beneficialibus unde expositio aliàs S. cong. concilii quid juris, de illis qui præsentati et instituti fuerunt, sed non habent bullas, eadem S. congregatio respondet quòd sufficit, si aliundè legitimè constet de tali institutione, nisi instituti, obligati fuissent expedire bullas apostolicas, tunc enim obstat bulla Julii III, adversùs eos qui beneficiorum possessionem adipiscuntur, non acceptis litteris apostolicis ; ita Zerol. in Praxi verb. *Bull.*, vers. ad 2.

Licèt quandoque per sedem Apostolicam concedatur oratori indultum super litteris ordinarii deperditis, exempli gratiâ susceptionis ordinis, nimirùm, cùm quis licèt ab ordinario suo clericali charactere insignitus fuerit, litterasque testimoniales desuper obtinuerit, nihilominùs illæ sunt deperditæ, illarumque registrum nullibi reperitur, et episcopus promotor vitâ functus est, ita ut nulla ipsa oratori sit ampliùs spes relicta de insignitione suâ hujusmodi aliàs quàm per suam assertionem ac proprium juramentum fidem faciendi. Et cùm propterea dubitet, quoad promotionis suæ usum ac beneficia ecclesiastica consequenda, præjudicium sibi in posterum generari, seque desuper tempore procedente molestari posse, supplicat propterea, quatenùs eidem oratori, ut postquàm coram moderno suo ordinario, quòd ipse dicto charactere insignitus fuerit, medio juramento deposuerit, ex tunc deinceps, susceptionem clericalis characteris hujusmodi, non aliàs, quàm per eamdem depositionem probare, aut de illo fidem facere teneatur, nec ad id compelli possit, Papa concedat. Non obstantibus, etc.

LIBER OCTAVUS.

PRAXIS DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM, CUM COPULA SCIENTER ET IGNORANTER, NECNON DE SCIENTER ET IGNORANTER CONTRACTO.

CAPUT PRIMUM.

Praxis dispensationum matrimonialium, cum copulâ scienter.

Postquàm egimus de dispensationibus matrimonialibus cum causis consuetis, necnon sine causâ impetrandis, cùm inter contrahere volentes, ultra impedimentum dirimens interveniat aliquando copula carnalis, quæ ut ipsa praxis docet, etiam pro causâ ad dispensationem obtinendam, allegatur, operæ pretium esse duximus de hujusmodi dispensationibus sic impetrandis agere, ac propterea præmittendum est, copulam inter oratores secutam, necessariò exprimendam.

Licèt enim aliqui opinati fuerint, dispensationem adhùc valere, absque eò quòd copula secuta exprimatur, cùm id jura minimè præcipiant, sicut nec de alio crimine facienda est mentio, ut per Navar., de cons. 8 et 9, Consang. et Affin., quem referunt et sequuntur alii doctores, contraria tamen opinio verior est, nempe hujusmodi dispensationem subreptitiam et invalidam existere, si in illius impetratione, non fiat mentio supra dictæ copulæ ; ut inter cæteros tradit Genuens. in Praxi archiepisc. Neapol. et alii, quorum opinionem, tanquàm pluribus fultam fundamentis videmus etiam in praxi receptam. Satis etiam clarum est incestuosos, cum propriis consanguineis, prohiberi matrimonium contrahere, text. est in c. *Si quis viduam*, 32, q. 7, c. *Qui propinquam*, c. *de Incestis*, 35, q. 3.

Quibus sic stantibus, cavendum omninò est à contrarium sentientibus præsertim verò à Zerol., in Praxi episcop. verbo, *Dispensatio*, vers. *Ad sextum*, part. 1, quia non modò ipse ibi confundit terminos, nullum constituendo discrimen inter matrimonium et sponsalia, dùm per simplicem copulam intelligit matrimonium consummatum, absque eo quòd illud sit contractum, verùm etiam ibi concludit quòd nondùm confectis litteris dispensationis, valet dispensatio, solâ supplicatione expeditâ ; ex quo tempore datæ suppli-

cationis incipit currere gratia, cap. *Si eo tempore*, et ibi Gloss. in verbo *Cum tempore*, de Rescript., in 6, et subdit ibi, quòd valet dispensatio in foro exteriori, etiam quando adest præjudicium tertii nempe officialium Curiæ, si quis vellet solâ supplicatione uti, et non expedire litteras per jura ibi per eum ibi allegata; ac proinde subdit, quòd si vicarius capiens informationem de contentis in litteris dispensationis, reperiret matrimonium fuisse consummatum (debebat dicere copulam simpliciter fuisse secutam) post tempus datæ valebit dispensatio; ac propterea sufficit se informare de requisitis in litteris, et quòd hâc ratione delegatus, ultra sibi delegatam auctoritatem, non potest se extendere, c. *Cùm dilecta*, de Rescript., sed Papa committit ut se informet de contentis in litteris, in quibus nulla fit mentio de dictâ consummatione, cùm non præcesserit, sed subsecuta est supplicationem; ergo poterit dispensare juxta seriem litterarum, ex d. c. *Cùm dilecta*, de Rescript.

Ipse tamen Zerol., loco cit., circa utrumque errat, primò, dùm dicit valere dispensationem ex vi solius supplicationis signatæ; circa quod dicendum est, id nullo modo admitti posse, præsertim stante regulâ cancellariæ, *quòd dispensatio non valeat nisi litteris expeditis;* aliàs enim frustratoria esset dicta regula; neque scire potest executor tenorem litterarum, super ipsâ supplicatione expediendarum; propterea enim constituti sunt officiales in cancellariâ Apostolicâ, ut clausulas supplicationis aliter in litteris extendant, vel restringant; ac proinde supplicatio non videtur claram certitudinem gratiæ concessæ continere; unde benè totum inspici potest ex formulâ litterarum dictæ dispensationis, quæ multas continet clausulas, quas profectò non habet ipsa supplicatio; et nisi sic esset, summus Pontifex frustra in dictâ cancellariâ tot constituisset officiales, quæ earumdem litterarum expeditionibus præsunt; quibus dedit formàm per suas regulas, expediendi ipsas litteras, per quas omne dubium tollitur, et gratia digesta habet totaliter perfectionem suam, cùm sola supplicatio adhùc in utero retineat gratiam, donec per expeditionem litterarum, in mundum producatur, ut dixit Bald. in l. *Contractus*, c. de Fid. instrum., quem refert Sarnen. in reg. *de non Jud. juxta form.*, etc., ubi plura in proposito adducit; ac propterea dicta regula habet decretum irritans, tum etiam quia indicta est favore officialium ipsius cancellariæ, qui aliàs sentient detrimentum; Rot., decis. 277, n. 1, p. 1, divers., et subdit id. Sarnen., quòd Papa propter duas causas condidit istam regulam quæ similis est regulæ *de non Judic.*, etc. Prima videlicet ut falsitates vitentur, quæ in supplicationibus faciliùs committuntur quàm in bullis, propter appositionem manuum plurimorum officialium, ut docet text. in l. fin., c. de Codicill. Secunda quia si sola supplicatio, absque litterarum expeditione sufficeret, inferretur præjudicium officialibus Romanæ curiæ, qui ob eam causam, bonâ fide eorum officia ab Apostolica sede emerunt, ut ex eorum manuum appositione, aliquod emolumentum recipiant; id. Sarnen., loco cit.; Paris., de Resign. benef., l. 8, q. 2, num. 15, proindeque secundùm istas rationes, aliæ regulæ cancellariæ, litterarum expeditionem concernentes, regulantur, sicque opinio supra dicti Zerol. contrariam sententiam tenentis, tanquàm suis destituta fundamentis, omninò reprobatur; nisi tamen essemus in casibus in quibus non agitur de gratiâ canonizandâ : quia tunc regula non habet locum, ut alibi diximus.

Secundò, id. Zerol. adhuc contra stylum et praxim Romanæ Curiæ loquitur, cùm per infra scriptas declarationes sacræ congregationis concilii Tridentini, constet mentionem incestuosæ copulæ esse omninò hìc faciendam, quoties illa regulariter eveniat ante decretum dispensationis à delegato faciendum, ut ex eisdem declarationibus patet.

Ut autem clariùs videamus quonam modo reducantur hujusmodi dispensationes ad praxim, et quomodò litteræ expediantur, et quæ in eâ necessariò exprimenda erunt, harum litterarum formulam hìc subnectere, illarumque clausulas explicare placuit; earum igitur tenor erit talis, videlicet :

ALEXANDER *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali, salutem, et Apostolicam benedictionem. Oblatam nobis nuper pro parte dilecti filii Laurentii N. N. laici, et dilectæ in Christo filiæ Joannæ N. mulieris Neapolitanæ petitio continebat quòd ipsis aliàs scientibus se tertio affinitatis gradu invicem attinere, Laurentius præfatus, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, hæc causa foret Nos, et sedem Apostolicam ad misericordium et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesanâ libidine victus, prædictam Joannam cognovit. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter dictos Laurentium et Joannam contrahatur, dicta Joanna diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt Laurentius et Joanna prædicti invicem matrimonialiter copulari; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum in hâc parte adimplere non possunt absque Sedis prædictæ dispensatione; quare idem Laurentius et Joanne, Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenùs eis in præmissis, de absolutionis beneficio et opportunæ dispensationis gratiâ providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum et scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantùm cum Deo possumus, libenter obviamus, eosdem Laurentium et Joannam, et eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, à jure, vel ab homine quâvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat, consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, de quâ in his specialem in Domino, fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenùs depositâ per te omni spe cujuscumque muneris aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere mone-*

mus, te de præmissis diligenter informes, et si per informationem eamdem, preces veritate niti repereris, super quo tuam conscientiam oneramus; tunc eosdem Laurentium et Joannam ab incestûs reatu et excessibus hujusmodi, impositâ eis priùs propter incestum hujusmodi arbitrio tuo, pœnitentiâ salutari; et recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserint, hâc vice duntaxat in formâ Ecclesiæ consuetâ, in utroquè foro, auctoritate nostrâ absolvas; et quatenùs contra ipsos, causa super præmissis in indicium, quo quomodo inducta fuerit, parito judicato; ac cum eisdem Laurentio et Joannâ, dummodò ipsa propter hoc rapta non fuerit, quòd impedimento tertii affinitatis gradûs hujusmodi, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus, matrimonium inter se publicè servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè valeant dictâ auctoritate dispenses, prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quòd si spretâ monitione nostrâ hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii, occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere, temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Dat. Romæ, etc.

Ex quâ quidem formulâ sic positâ, ultra alias clausulas, quas supra declaravimus in aliâ formulâ litterarum dispensationis, cum causâ propter angustiam, veniunt cæteræ declarandæ secundùm præsentem materiam; quæ etiam cadunt in quibuscumque aliis litteris dispensationis, quibusdam quandoque exceptis, quandoque verò additis, ut infra, pro qualitate materiæ fusiùs demonstrabimus; imò nec incongruum videatur ac superfluum, si juxta materiæ qualitatem, una eademque res sæpiùs repetatur, juxta illud :

Decies repetita placebunt;

§ *Supradictis itaque*, c. de Emend. cod. just., et patet. in l. *Titia*, ff. de Ann. leg. et in l. *Stichus*, § Titia, ff. de Aliment. leg. Ad harum igitur declarationes clausularum deveniendo, dicamus :

ALEXANDER, etc.; OBLATÆ, etc., ut aliàs supra diximus.

QUOD IPSE ALIAS SCIENTIBUS, etc. — Supponitur quòd uterque orator conscius sit impedimenti ad contrahendum; ac propterea non refert, quòd ignorantia, quæ fortè in uno est vincibilis, in alio sit invincibilis; ex eo quòd non omnes tenentur scire impedimenta matrimonii, quæ etiam à multis sacerdotibus ignorantur, ut ait Sanch., lib. 2, disput. 938, num. 3; nam ignorantia ex parte alterius oratorum, non proderit ad effugiendum expressionem utriusque scientis; quia est in praxi receptum, ut si unus tantùm sciat impedimentum, nihilominùs ob præsumptam scientiam, e iam alterius, supplicatio pro utroque sciente, porrigenda sit; nec pro uno tantùm sciente, unquàm visa est admitti, licèt aliter cotens ignoraret impedimentum, ac propterea non sit totalis, et undequaque incestus, nam, ex quo inverisimile est, ut unus tantùm oratorum sciat impedimentum, propterea, pro majori cautelâ explicatur utrumque scivisse, et ita docet notorius stylus Curiæ, qui pro lege servatur; Crescent., decis. 1, n. 4, de Reb. non alien.; Caputaq., decis. 331, num. 2, p. 3; Mandos., de commiss., 2 Commissio in verbo *Sanctitati vestræ*.

SE TERTIO AFFINITATIS. — Quod dicitur de consanguinitate et affinitate, dicendum est etiam de impedimento cognationis spiritualis, ac etiam publicæ honestatis justitiæ, per text., in c. 2, de eo qui cogn. consang. ux. su. c. *Duo pueri*, de Despons. impub.; Guttier., Canon. q. l. 1, c. 23, num. 15; Menoch., de Arbit., lit. Z, casu 502, ubi dicit, quòd incestus committitur non solùm, cum consanguineis et affinibus, verùm etiam cum cognatis cognatione spirituali, et publicâ honestate; et ita videmus servare Romanæ Curiæ stylum, qui docet hanc expressionem incestûs non solùm esse necessariam in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ, tantùm prout servari omnes sciunt in sacrâ pœnitentiariâ. Nec refert sacram congregationem concilii locutam fuisse de consanguinitate et affinitate tantùm; nam pluries, etiam declaravit hujusmodi copulæ mentionem esse facien dam in quocumque alio impedimento, ut infra di cetur.

NON QUIDEM PECCANDI DATA OPERA, etc. — Si enim forassè oratores habuissent inter se copulam sub spe faciliùs consequendæ dispensationis; id quidem esset necessariò exprimendum; nam vis hujus clausulæ est reddere Papam faciliorem ad concedendam dispensationem; qui fuisset difficilior, si eâ intentione, ut faciliùs dispensationem impetrarent, se oratores carnaliter cognovissent, Garc., de Benef., p. 7, c. 2, num. 40, vers. *Neque ista negativa;* sic enim, aut non datur dispensatio aut difficiliùs conceditur; cùm dataria Apostolica eos judicet indignos dispensatione; ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquenti, per text. in c. *Est injusta*, 23, q. 4, c. *Ut clericorum*, de Vit. et Honest. cler., et cap. *Sanè*, de Pœnit., dist. 3, et c. fin., § *Cùm in eo*, de Immun. Eccles.; ibi : *Cùm in eo, in quo delinquit puniri quis debeat, et frustra legis, auxilium invocet qui committit in legem, mandamus quatenus publicè nuntictis tales non debere gaudere immunitatis privilegio*, quia faciunt se indignos, quia ex facilitate consequendi gratiam, homines faciliùs incitantur ad delinquendum, ut ait Boss., de Remed. justitiæ ex solâ Clem. Principis, n. 4, Clem. 1, de Offic. ordin., cum aliis adductis per Carol. de Grass., de Effect. cleric., effect. 4, num. 211. Non enim justum est ut ex delicto pro quo potiùs pœnam merentur, commodum reportent, contra text. in c. *Si vir*, de Cognit. spirit., et in c. *Dictum*, 30, q. 1; qui enim novit principem concedere aliquam gratiam in necessarium obviandi alicui delicto remedium, ac id committit, ut faciliùs eam impetret, tenetur hunc finem exprimere; aliàs enim subreptitia erit dispensatio juxta dictum B. Augustini, epist. 70 ad Aurelium, ubi : *Non est danda via servis Dei, ut faciliùs putent eligi ad aliquod melius, si facti fuerint deteriores*, et transumptivè in c. *Legit*, 16,

quæst. 1, et propterea emanavit supra dictus stylus, qui satis conformatur cum jure communi, quod docet obviari debere malitiis hominum, l. *Magis*, § *Si pupillus*, ff. de *Reb. eor;* Paris., de Benef., l. 7, q. 7, num. 3.

Si tamen unquàm contingat oratores summo Pontifici preces porrigere, cum expressione hujus spei conceptæ, supplicatio, alio modo in hâc parte concipietur, nimirùm : *Quod ipsi aliàs scientes se tertio consanguinitatis gradu, invicem esse conjunctos sub spe faciliùs habendæ à sede Apostolicâ dispensationis, carnis fragilitate devicti, se carnaliter cognoverunt. Cum autem, Pater Sancte, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt*, etc. Et in fine clausularum additur, *et cum decreto quod oratorum alter alteri supervivens, perpetuò absque spe conjugii remaneat*, et imponitur ipsi gravis pœnitentia salutaris; nam peccantes sub spe faciliùs consequendæ dispensationis graviter puniuntur, Bald., cons. 122, vol. 1, sicut ille qui peccat spe consequendæ absolutionis virtute indulgentiarum; Bovadill, lib. 2, cap. 14, num. 27, dicens : *Nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dare licentiam peccandi putes; abolentur enim, si Deo largiris, quia peccaveras, nam si fiduciâ largiendi preces, non abolentur, l.* 1, § *Hæc autem actio*, ibi, *qui hâc spe audacior factus est*, et ibi, *spe imminentis libertatis*, ff. *Si quis test. liber ess. jus fuerit;* et hæc pœnitentia de stylo duplex imponitur oratoribus ab executore seu delegato; nam pro gravi delicto duplicatur pœna, ut habetur in Clement. *Ad compescendas*, de Sequestr. possess. et fruct., imò ea triplex ponitur in c. 2, de Pœnit. et Remiss., et sic in infinitis juribus, l. *Quisquis*, c. ad leg. Jul. Majest., ex eo quòd pœna est commensuranda delicto, arg. l. *Rescriptum*, ff. de his quibus ut indig., cap. *Felicis*, de Pœn. in 6, ubi quantitas culpæ debet proportionari delicto; et ut plurimùm in officio componendarum in datariâ Apostolicâ duplex solvitur compositio in publicos usus convertenda, Quòd si dispensatio hæc petitur in formâ pauperum, tunc per ipsum executorem seu delegatum pariter duplicatur pœnitentia publica eisdem oratoribus injungenda, præter pœnitentiam, jam à Papâ duplicatam, impositam circa collationem operæ oratoris; nam cùm in multis locis consueverit ipsis injungi, ut unicâ vice, die dominico seu festivo, manere debeant ante fores Ecclesiæ matricis seu parochialis oppidi, seu patriæ ipsorum oratorum, hìc erit eis injungendum ut per duas aut tres vices id faciant; et ita servatur in curiâ archiepiscopali Neapolitanâ.

Nec te lateat, circa hanc praxim quòd nonnulli, toto cœlo errantes, tenent quòd si spes ista unius tantùm ex oratoribus intervenerit, non erit opus hâc expressione in supplicatione, ac magis hanc praxim lædit inter cæteros, Portell., in Respons. cas. moral., p. 3, casu 5, dùm dicit quòd etiamsi uterque contrahentium sub spe faciliùs consequendæ dispensationis in hoc deliquit, non debeat id in precibus Papæ porrigendis, exprimi; aliter enim se habet circa hoc, inveteratus Curiæ stylus, quo introductum est, ut cùm alter tantùm spem ipsam facilitandi dispensationem conceperit, ita sit explicandum, ut ipse tantùm sentiat pœnam proprii delicti : nam graviùs puniri debet, qui per malitiam deliquit quàm qui per ignorantiam, arg. text in l. 2, et l. *Quod Nerva*, ff. depos., et maximè sub spe veniæ, cap. *Illud*, de Cler. excom. minist., cap. *Quando quis*, de Consec., dist. 4. Unde alter qui hanc spem non concepit, immunis erit à pœnâ, contra delinquentem impositâ; par enim non est, ut delictum alterius, sit causa punitionis innocentis, ad text. in l. *Sancimus*, c. de Pœn., cessat enim pœna, ubi non est delictum, et culpa, l. *Aliud est fraus*, ff. de Verb. sign.; Cravet., cons. 311, num. 2, et propterea culpabilis, debet omninò sentire pœnam, quæ tamen non debet egredi ipsum, l. *Rescriptum*, ff. de His quibus ut indign.; Cephal., cons. 139; Natta, cons. 479, num. 4, et ita in proposito tenet etiam Sanch, de Matr., l. 8, disp. 25, num. 31, ubi dicit non esse necessarium faciendi mentionem de eo qui non fuit in culpâ.

Volo tamen te etiam monitum esse, quòd licèt unus tantùm oratorum, fuerit culpabilis, alter verò innocens ab hâc spe facilitandi dispensationem, nihilominùs non sine aliquâ difficultate hæc expressio admittitur in datariâ, quæ non ita facilè credit, unum tantùm culpabilem fuisse ad hanc spem concipiendam, vel saltem, cùm ab utroque sciatur impedimentum dirimens, super quo petitur dispensatio, videtur quòd uterque consenserit copulæ incestuosæ, et illicitæ; et sic omnes videntur esse in pœnâ, eò quòd innocens ab hâc spe, fuit in causâ, et juxta vulgatam regulam, quòd qui causam damni dat damnum dedisse videtur, l. *Qui occidit*, § *Accusare*, ff. ad l. *Aquil.*, et hâc ratione cœpit Bernardinus Paulinus, tunc datarius Clem. VIII, denegare dispensationem cum hâc expressione, ut ego vidi ex nonnullis suis notabilibus manuscriptis; in quibus etiam dicebatur, quòd id securius est ad consulendum saluti utriusque oratoris, cùm melius sit ad cautelam aliquid ex abundantiâ facere, quam omittere, Fulgos. c. in l. ult., n. 16, (de Edict. divi Adr toll., quia ubi animæ periculum versari potest, delictum in dubio est præsumendum, et via saluti animæ consulens est eligenda, cap. fin., 14 dist., c. *Consilium*, post med., de Observ. jejun., cap. *Juvenis*, de Sponsalibus; Innoc. in cap. *Ad audientiam*, de Homicidio; Glossa, in cap. un. de Scrut. in ord. fac., et Glossa fin. in c. *Consulti*, de Regul.; Abb. in c. fin., in 2 not. de his qui fil. occid., sicut etiam dicimus quod bonarum mentium est ibi agnoscere culpas suas ubi culpa non est, c. fin. in fi. dist. 5, et semper attendi debet favor animæ; Lap. allegat. 93, ad fin.

Proinde, partes erunt optimi sollicitatoris, suadere facti veritatem ipsi D. datario, aut ejus officialibus, ut admittant supplicationem, cum mentione alterius tantùm culpæ, et ita obtinebit; tunc enim supplicatio hoc modo concipietur, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter Sanctitati ve-

strœ pro parte devotorum illius oratorum N. N. quòd ipsis aliàs scientibus se secundo et tertio à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, orator præfatus sub spe facilius obtinendæ à S. V. dispensationis, carnis fragilitate devictus, oratricem, nullam spem, eamdem S. V. et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga eam faciliores reddendi, habentem, carnaliter cognovit. Cùm autem, Pater Sancte, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, etc. *Supplicant igitur humiliter eidem S. V. oratores præfati, quatenùs oratorem à generali, oratricem verò ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi, in utroque foro absolvere*, etc. In clausulis autem hujus supplicationis, dicitur : *Impositâ oratori gravi, propter incestum aliaque præmissa, oratrici verò præfatis, propter incestum hujusmodi, arbitrio ordinarii pœnitentiâ salutari; receptoque ab ipsâ oratrice juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserit, eos absolvat et dispenset, ut supra. Et quatenùs*, etc., *parito judicato. Et cum decreto, quòd si orator oratrici supervixerit, perpetuò absque spe conjugii remaneat.*

Est verò hìc notandum quòd supradicta absolutio à generali excommunicatione, quæ peti et concedi consuevit in dispensationibus matrimonialibus, cum supra dictâ expressione facilioris dispensationis, videtur apposita potiùs ex stylo quàm aliâ ratione : nam satis notum est tunc peti debere absolutionem à generali excommunicatione, quando agitur de dispensatione super matrimonio scienter contracto, quod patet ex clem. *Eos de consang. et affin.*, vel ob aliam excommunicationem in jure, circa hoc expressam; cùm quoad præmissa, id nullo jure (ni fallor) caveatur, nisi fortè dicamus, hujusmodi casum comprehensum esse in Constitutione Clem. VII, ex quâ non ita liquidò constat emanâsse, excommunicationem contra incestuosos sub spe consequendæ dispensationis : neque de his gradibus remotis loquitur constitutio Gregorii XIII, per quam tantummodò excommunicantur qui cum spe vel sine spe obtinendæ dispensationis, carnaliter commiscentur, in primo, aut secundo gradu, et non ultra.

Est insuper sciendum quòd, etiamsi supradicta clausula, *Supervivens*, fuerit apposita respectu utriusque oratoris, in culpâ existentis, videlicet, *quòd alter alteri supervivens, perpetuò sine spe conjugii remaneat*, nihilominùs ubicumque posita sit, non claudit omninò viam superstiti, denuò contrahendi matrimonium si causa legitima intervenerit ; et propterea videmus quòd ut plurimùm ipsis conceditur dispensatio, ad sic denuò contrahendum cum sequenti narrativâ, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. laici N. diœcesis, quòd aliàs ipse, ejus uxore prædefunctâ, à Sede Apostolicâ litteras dispensationis, seu mandati de dispensando super impedimento tertii consanguinitatis gradûs, quo invicem erant conjuncti, cum clausulâ, quòd alter eorum alteri supervivens, vervetuò absque spe conjugii remaneret, obtinuerunt, prout in litteris prædictis continetur; et quia deìnde uxor oratoris prædicta sicut Domino placuit, ab humanis decessit, relicto ipso oratore, qui continenter vivere posse diffidit, cupit propterea ipse orator ad secunda vota transire; supplicat igitur humiliter E. S. V. orator prædictus, quatenùs sibi specialem gratiam faciendo, cum eodem ut clausula in prædictis litteris appositâ, non obstante, matrimonium cum aliâ muliere, nullo aliàs sibi iure prohibitâ, publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ, solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè, valeat, dispensare dignemini : Non obstantibus, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *cum dispensatione aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis; et quod cognominum, affinitatis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium minoris gratiæ expediendis.*

Quare evitandæ incontinentiæ, vel aliâ Papæ benè visâ causâ, tribuitur facultas, denuò matrimonium contrahendi, non obstante clausulâ supra dictâ.

Ex eâdem causâ incontinentiæ eò magis datur dispensatio super matrimonio contracto adversùs eamdem clausulam, *Supervivens*, et supplicatio concipi poterit modo sequenti, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur, etc., *quod aliàs ipse orator, et quondam N. ejus uxor prædefuncta, litteras dispensationis, seu mandati de dispensando super impedimento tertii consanguinitatis gradûs, quo invicem erant conjuncti, à Sede Apostolicâ obtinuerunt, cum clausulâ, quòd oratorum alter alteri supervivens, perpetuò absque spe conjugii remaneret; prout in dictis litteris continetur. Et deinde prædictâ N. vitâ functâ, clausulâ hujusmodi non obstante, orator continenter vivere non sperans, non quidem peccandi datâ operâ*, etc., *matrimonium cum dictâ oratrice nullo sibi aliàs jure prohibita, et hujusmodi clausulæ ignarâ, per verba de præsenti publicè*, etc., *et consummavit, prolemque suscepit. Cùm autem, Pater Sancte, dicti oratores in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque sedis prædictæ dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri; supplicant igitur*, etc., *quatenùs dictum oratorem ab excommunicationis sententiâ*, etc., *in utroque foro absolvere, ac cum eisdem oratoribus, quòd clausulâ in dictis litteris appositâ non obstante, in dicto matrimonio remanere*, etc., *dispensare; prolem susceptam et suscipiendam*, etc., *decernere dignemini*, etc. *; non obstantibus*, etc.

Et cum absolutione à censuris, etc., *et de absolutione, decreto, aliisque*, etc., *extendendis, et quòd præmissorum omnium et singulorum*, etc., *fieri possit in litteris per officium minoris gratiæ expediendis. Et committatur ordinario*, etc., *ac impositâ oratori propter præmissa arbitrio suo gravi pœnitentiâ salutari, eum absolvat et dispenset, ut supra, et quatenùs contra ipsum oratorem causâ*, etc., *parito judicato. Et cum decreto, quòd si dictus orator prædictæ oratrici supervixerit, perpetuò absque spe conjugii remaneat.*

Est præterea sciendum circa antedictam clausulam, *Non quidem peccandi datâ operâ*, quòd illa hodie de mandato sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII, apponitur, etiam in dispensationibus, quæ conceduntur propter infamiam, nempe quando ob mutuam conversationem inter oratores, fuit tantùm orta gravis suspicio carnalis cognitionis; ac propterea ita, et sub narrativâ supplicationis hæc formula concipitur, videlicet : *Quòd ipsi aliàs scientes se tali gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ ut, crimine admisso, hæc causa foret S. V. et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, insimul conversati sunt, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ*, etc. *Cùm autem, Pater Sancte, præmissa publica existant et nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta oratrix graviter diffamata et innupta remaneret graviaque exinde scandala possint verisimiliter exoriri; cupiunt oratores prædicti qui ex honestis familiis existunt invicem matrimonialiter copulari; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum*, etc., *supplicant*, etc., *quatenùs eos ab excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere*, etc.; et additur etiam; *Recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, præmissa non commiserint*, etc.

Miror autem cur eadem clausula non fuerit etiam hìc priùs excogitata per alios summos Pontifices, seu eorum officiales; cùm ea fraus quæ potest intervenire in cognitione carnali sub spe facilioris dispensationis, intervenire etiam possit in conversatione hujusmodi, ut ex eâ oriatur suspicio dictæ carnalis cognitionis, quæ à multo tempore est causa sufficiens ad dispensandum; et sic cùm hìc vigeat eadem ratio, eadem debet esse juris dispositio, l. *Illud*, vers. *Sed magis visum est*, ff. ad l. *Aquil.*, l. *à Titio*, et ibi latè Jason., col. 5, ff. de Verb. oblig.; nam fraus quæ potest committi in primo casu, potest etiam in secundo, ac propterea, ut patet, hæc eadem clausula introducta fuit ad obviandum fraudibus, à quibus Papa plurimùm abhorret, per text. in l. *Si cui*, ibi, *per medias vias*, ff. de Servit.

Et licèt ex prædictis appareat, copulæ mentionem tunc faciendam esse, quando videlicet oratores scientes inter eos adesse impedimentum, se carnaliter cognoverunt; quod quidem suaderi fortassè videtur ratione text. in cap. *Si quis cum duabus*, cap. *Si quis cum matre*, et cap. *Quidam*, 34, q. 2, cap. *Ex litteris*, de Eo qui cogn. consang. cum similibus; non tamen ignotus est stylus Curiæ, qui admisit hanc eamdem mentionem fieri debere in dispensatione, etiam quando ignorantes impedimentum, carnaliter copulati sunt; ac propterea audiendi non erunt qui adversùs hanc praxim contrarium audent asserere; dicentes, quòd si copula sit habita inter cognatos seu affines, ignorantes probabiliter seu bonâ fide, se esse cognatos vel affines, non erit opus in dictâ dispensatione narrare copulam; quia tunc non contrahitur impedimentum incestûs, inter quos est Petr. Ledesm., de Matr., q. 5ª art. 6, diffic. 5; Cordub., lib. 1, q. 22, quia id satis constat ex dictâ praxi, quæ ita se habet, ut de stylo prædicto dicatur, *dispensatio cum copulâ ignoranter*, et in hoc casu sequenti modo erit summo Pontifici supplicandum, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Laurentii N. et Elisabethæ N. mulieris Neapolit. diœcesis, quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devicti, se carnaliter cognoverunt. Postmodùm verò ad eorum pervenit notitiam se quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos. Cùm autem, Pater Sancte, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt oratores præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed stante impedimento hujusmodi, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eos ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere; ac cum eisdem oratoribus, quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè valeant, dispensare; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde, legitimam decernendo, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de absolutione, dispensatione, decreto aliisque præmissis latissimè extendendis; et quòd cognominum, affinitatis, aliorumque necessariorum major et varior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium minoris gratiæ expediendis. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui depositâ*, etc., *ac impositâ oratoribus propter incestum hujusmodi, arbitrio suo pœnitentiâ salutari, eos absolvat et dispenset, ut supra. Et quatenùs contra ipsos oratores, causa super præmissis in judicium quoquomodo deducta fuerit, parito judicato*, etc.

Unde ex istâ praxi habes, necessariò explicandam esse carnalem copulam supra dictam ignoranter habitam; quia licèt incestus hic tantummodò culpam specialem inducat, quando fuit scienter habitus, ut habetur in cap. 1, de Eo qui cogn. consang., ac ob id cùm ignorantia excusat à culpâ incestûs, excusabit quoque ab illius pœnâ, Sanch., lib. 8, disp. 15, num. 9; nam in hoc casu potest dici incestus materialis, nec fuit formaliter commissum peccatum incestûs, ut rectè docet Cajetan. Molin. et Silv. in verb. *Ignorantia*, q. 6; Covar., in cap. *Alma mater*, 1 parte, § 10, num. 13, 15 et 16; attamen oratores se carnaliter cognoscendo, etiam ignorantes impedimentum, dederunt operam rei illicitæ; cùm enim haberent intentionem matrimonium contrahendi, debebant expectare, donec

fierent publicationes in eorum parochiali Ecclesiâ, ad præscriptum concilii Tridentini, sess. 24, cap. 1, de Reform., et detecto impedimento expectare etiam apostolicam dispensationem, ubi ea requiritur; propterea iste inolevit Curiæ stylus, ut in supplicatione prædictâ petatur absolutio ab incestu, perinde ac si illum scienter commisissent; et oratoribus in formâ pauperum impetrantibus, consueta pœnitentia imponitur, et cum solitis clausulis, eodem modo; licèt minor pœnitentia illis imponatur, et sic quomodocumque impetretur dispensatio, cum narrativâ copulæ carnalis ignoranter habitæ, usus datariæ et Cancellariæ ita regulatur, ac si peteretur et concederetur cum copulâ scienter habitâ cum supra dictâ modicâ tantùm differentiâ; et ita se habet stylus supra dictus, qui ob minorem oratorum culpam, id inter cætera admisit, ut ideò summus Pontifex procliviorem ad hujusmodi dispensationem concedendam se redderet, et licèt pro ipsis oratoribus fuerit signata et expedita supplicatio cum mentione copulæ scienter, nihilominùs, si ante litterarum expeditionem sciatur, oratores prædictos, non scienter, ut petitum est, sed ignoranter se carnaliter cognovisse, dabuntur nihilominùs in cancellariâ Apostolicâ litteræ cum copulâ ignoranter, vigore ejusdem supplicationis, jam ut dictum est, signatæ absque eo quòd signetur nova supplicatio, cum copulâ ignoranter, cùm hoc secundo modo sit minor gratia.

Sed solum vesana libidine victus.—Unde, orator in hujusmodi excessu, redditur minùs culpabilis; ut enim ait divus Ambr. epist. 56, libido velut festuca est quæ citò accenditur, et divus Bernardus de Abel et Caïn, quòd sævus criminum stimulus, libido est, quæ nunquàm manere quietum patitur affectum, quia nocte fervet, die anhelat; unde vesana dicitur, nempe vecors, crudelis et furiosa; quapropter divus Thom. 1, 2, q. 37, art. 5 et 6, ait quòd qui majori concupiscentiâ stimulatus peccat, minùs ei imputatur, cùm inter omnes concupiscentias, passio hæc libidinis, vehementissima et efficacissima sit, et licèt augeat voluntarium, minuit tamen liberum, in quo consistit ratio peccati; propter quod idem divus Ambrosius dixit, quòd si quis lubricum carnis patitur, venià dignus est; quod profectò videmus, facilem reddere summum Pontificem ad dispensandum, dùm dicitur, *solùm vesanâ libidine victus*, ad quod probandum non sunt asserendi testes et probationes, sed standum est conscientiæ asserentis.

Oratricem cognovit.—Ratio autem quâ summus Pontifex præcipit exprimi hanc carnalem cognitionem, ea potissimùm est, ut timore hujus manifestationis, arceantur consanguinei, et affines ab incestuosâ copulâ, Sanch., lib. 8, disp. 25, num. 8, et fatentur omnes curiales.

Præterea, quia ita declaravit sacra Congregatio Concilii Tridentinii, ut patet ex infra scriptis declarationibus, quarum prima est : *Qui se cognoverunt carnaliter sine tractatu et cogitatione matrimonii, volentes postea matrimonium contrahere, et petentes sæpe dispensari in aliquo impedimento, tacentes, se carnaliter cognovisse, si obtinent ex aliquâ causâ jam probatâ dispensationem, possunt dici obreptitiè et subreptitiè, et sic nullam obtinuisse dispensationem, ex eo solo, quia non narraverunt cognitionem carnalem.*

Secunda est : *Congregatio cardinalium concilii censuit dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos vel affines, aut spirituali cognatione conjunctos, carnalis copula præcessisset, cujus mentionem in supplicatione non fecissent; propterea quòd tales consanguinei, affines et cognati spirituales, per hanc carnalem copulam redditi sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, ex eo quòd dicuntur commisisse incestum, qui impedit incestuosos contrahere matrimonium; ideò pro validitate dispensationis super gradu prohibito, necessariam esse jure expressionem copulæ carnalis, prout stylus curiæ observat;* idem advertit Addit. ad Navarr. cons. 9, de Consang. et Affin., dicens : *Adverte quia refertur congregationem censuisse consanguineos, vel affines, qui tacità copulà obtinuerunt dispensationem super impedimento consanguinitatis vel affinitatis, esse subreptitios, et matrimonium postea contractum, esse nullum*, ac propterea prædictis declarationibus standum esse ait Ledes., de Matr., q. 56, art. 5.

Quæ quidem omnia vendicare sibi locum, certum est quamvis copula prædicta habita fuerit post litteras dispensationis, seu mandati de dispensando, obtentas, nondùm à delegato executioni demandatas; quia adhùc nulla erit talis dispensatio, ob tacitam carnalem cognitionem hujusmodi.

Nam antequàm ipse delegatus dispenset, dispensatio non est perfecta, quia non poterit eam exequi, nisi priùs verificentur in eis exposita; quare ita erit ac si à principio carnalis cognitio hujusmodi contigisset propter rationem desuper allatam; nempe quòd incestus sit de jure impedimentum, ac propterea ad revalidandum hujusmodi mandatum de dispensando, requiruntur necessariò aliæ litteræ in formâ, *Perinde valere*, ubi narrandum erit, videlicet, oratores alias impetrâsse litteras dispensationis, et asseritur in substantiâ tenor priorum litterarum; ac subinde ita prosequitur, videlicet : *Quibus quidem ùtteris vicario præsentatis, idem vicarius contenta in eis verificari mandavit; et cùm in verificatione præfatâ ei constitisset, ante litteras hujusmodi obtentas, oratoribus prædictis impedimentum hujusmodi scientibus, oratorem prædictum, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, hæc causa foret Sanctitatem vestram et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesanâ libidine victum oratricem cognovisse, ad illarum ulteriorum executionem procedere recusavit. Cùm autem, Pater sancte, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta oratrix diffamata, et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores prædicti quatenùs, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, eosdem oratores al-*

excommunicationis sententiâ quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde, legitimè decernat, ac ad dictarum litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ procedat in omnibus, et per omnia, perinde ac si in eis de carnali copulâ hujusmodi factâ, eosdemque oratores desuper absolvi mandatum fuisset, committere et mandare dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ E. S. V. in eisdem litteris non obstare voluit, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Et additur etiam clausula : *Et recepto ab eis juramento quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserint,* de quâ quidem clausulâ, infra erit habendus sermo.

Ita neque valere dicimus dispensationem, si copula carnalis fuit habita post datam supplicationis; Navarr., cons. 10 et 11, de Consang. et Affin., et pluries fuit declaratum per eamdem congregationem, ut per infra scriptas declarationes, quarum prima : *Qui Romam miserunt pro dispensatione, et habito nuntio, quòd litteræ fuerunt expeditæ, contraxerunt vel se cognoverunt, et ita verum est fuisse expeditas, et habere datam ante contractum vel commixtionem, nullas dispensationes esse congregatio cardinalium censuit. Et idem visum est etiam, quòd litteræ non essent in totum expeditæ, sed supplicatio signata, et datata, et in totum expedita.* Secunda : Congregatio card. concilii censuit, dispensationem reddi nullam ex copulâ præcedente dispensationem, si de eâ non fuerit facta mentio in supplicatione, copulam verò supervenientem post dispensationem ab ordinario factam, non impedire matrimonii validitatem, quas quidem declarationes refert Garc. de Benef. part. 8, cap. 3, à num. 30, ad 92, ubi plura in proposito congerit.

Ait etiam Quar., in Summâ Bullar. verbo *Matrim. dispensationes*, quòd praxis Romanæ Curiæ, pariterque sacra congregatio concilii voluit quòd dispensationes factæ, non expressâ copulâ inter consanguineos vel affines, post commissionem Romani Pontificis factam ordinario de dispensando, antè tamen quàm ab ipso dispensatur, subreptitiæ sint et nullæ.

Quando verò copula intervenerit post dispensationem ab ordinario factam, nempe post decretum dispensationis, quòd liceat oratoribus contrahere, non obstante tali impedimento, quamvis virtute talis dispensationis, matrimonium nondùm contractum fuerit, dispensatio prædicta absque dubio valet; cujus quidem rei ratio prompta est, nempe quia, ut ait Sanch. de Matrim., lib. 7, disputat. 5, numer. 6, nullâ aliâ ratione accessus ad consanguineam, usque ad quartum gradum, est incestus, nisi quia Ecclesia taliter conjunctos impedit matrimonium contrahere, ac sic contractum dirimit; ergo, sublatâ matrimonii prohibitione inter hujusmodi consanguineos, sive per Pontificis dispensationem sive derogationem legis dirimentis, in illo gradu, jam ampliùs coitus, etiam infra dictum quartum gradum, non est incestus; qui nihil aliud est, nisi commixtio venerea inter consanguineos vel affines, absque dispensatione matrimoniali; quam quidem definitionem tradit Cajet. in Summâ verbo *Incestus*, in princ.; unde sublatis impedimentis matrimonialibus per dispensationem, copula carnalis in omnibus casibus, in quibus cessat matrimonii prohibitio, erit quidem simplex fornicatio, cujus supervenientia, post dispensationem jam factam, licèt matrimonio nondùm contracto, non exposcit novam dispensationem, id. Sanch., n. 6, 15 et 16, quia cùm jam oratores sint per decretum ordinarii, in executionem litterarum apostolicarum, dispensati et habilitati ad contrahendum matrimonium, copula postmodùm superveniens ante contractum matrimonium, non erit incestuosa, et consequenter non inducit impedimentum incestûs, et esto esset incestus, non dirimeret matrimonium; cùm solum sit impedimentum impediens; id. Garc., dic. c. 3, num. 74, quod est in praxi valdè notandum, quia etiam peritissimi viri circa id decipiuntur. Idemque erit, si dispensatio fuerit concessa in formâ gratiosâ, quæ non desideret alicujus executoris ministerium; sed hodiè dispensationes, præcipuè matrimoniales, nunquàm aut rarò expediuntur in formâ prædictâ, nam illarum executio committitur ordinario, seu illius vicario, qui cognitâ precum veritate, dispenset, ut aliàs diximus.

Proindeque, ipsa sacra congregatio concilii sub die 12 januarii 1606, declaravit dispensationis litteras super gradu prohibito obtinentes, si eis non præsentatis contraxerunt, vel se carnaliter cognoverunt, novâ egere dispensatione. Si verò sic consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncti, carnale commercium habuerunt; eoque expresso, litteras à Sede Apostolicâ, quibus ordinario committebantur, obtinuerunt, easque illi præsentârunt, et veritate causæ probatâ dispensationem assecuti sunt; et deinde, non contracto adhuc matrimonio, se iterùm carnaliter cognoverunt, nova non requiritur dispensatio, teste Barbos., in Collect. bull., verbo *Dispensare*, fol. mihi 277.

Quod quidem in tantum procedit, ut etiamsi oratores, post decretum dispensationis ab executore factum, vigore dictarum litterarum, nihilominùs, ignorantes hujusmodi decretum, matrimonium contraxerint, seque carnaliter cognoverint, valeat matrimonium, etiamsi nondùm sciverint sententiam executoris de eo contrahendo, quia ipsi habent jam intentionem contrahendi, quatenùs esset consecuta gratia dispensationis; post cujus concessionem ab ipso executore factam, statim ipsi oratores efficiuntur materia legitima ad contrahendum; id Garc., p. 7, c. 2, sub num. 40, vers. *Non obstat*, qui superiori vers. *Quartò oppugnabatur*, id exemplificat in eligentibus; qui, si sint excommunicati, et tamen post absolutionem quam ignorabant, eligunt, valet electio, per Archid., in cap. *Quantò*, in fin. 2, q. 4, et tenuit Rot. coram Seraph. in unâ calciaten. canonicatûs, 6 martii 1589, sicut etiam antè notitiam, prodest restitituo principis, ac libertatis concessio, per text. in l. *Ejus qui provincia*, § fin., ff. *Si cert. pet.*, et in propriis terminis; vide

Ludovis., dec. 461, num. 9, et penes Farin., dec. 166, num. 10, part. 1, tomo 1.

An autem exprimendum sit quot vicibus, ipsa copula carnalis fuerit inter oratores secuta, videtur affirmativè respondendum; per hanc rationem, quia lex et princeps difficiliùs parcit bis aut pluries peccanti quàm semel; nam peccata tantò graviora censentur, quantò diuturniora, ut clarè constat ex text. in cap. fin. in princip. de Consuetud. et c. *Non debet*, in fin., ibi : *Cùm dinturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat*, de Consang. et Affin., ac propterea iteranti negligentiam, seu peccatum, difficiliùs subvenitur, difficiliùsque indulgetur, l. *Nemo dëinceps*, circa fin., c. de Episcop. aud., et ibi not. Bart. et facit cap. *Hoc vestræ*, cum gl. 10, 11, dist. Felin., in cap. *Postulàsti*, vers. *Per istum text.*, de Rescrip.; Paris., cons. 1, num. 70, vol. 1.

Et quòd delictum iteratum graviùs puniatur, text. est in l. *Capitalium*, vers. *Quòd si correctio*, ff. de Pœn. et in l. *Desertorem*, circa med., ff. de Re milit., et peccatum iterans, ingratus habetur acceptæ remissionis, c. *Qui recedit*, de Pœnit., dist. 4.

His tamen non obstantibus, ac omissis responsionibus ad supra dicta contrariis, oppositum servatur in praxi; præcipuè circa hujusmodi dispensationes matrimoniales, cum expressione copulæ secutæ; sufficit enim copulam hujusmodi narrare in genere; et sic dicere, quòd orator oratricem cognovit, ut etiam testatur Sanch., lib. 8, disp. 24, num. 7, quia non facit ad rem, quòd semel, aut pluries illa fuerit secuta, nec majus impedimentum surgit ex copulâ pluries habitâ, quàm ex semel habitâ, et ita se habet stylus.

Nec circa hanc praxim omittendum putavi quòd si litteræ dispensationis fuerunt in foro conscientiæ tantùm obtentæ per officium sacræ pœnitentiariæ super impedimento primi aut secundi gradûs ex actu fornicario, occultè proveniente; quia, scilicet orator cognovit mulierem; et deinde illius filiam, vel è contra; aut si unam illarum cognovit, et deinde cum alterâ de matrimonio contrahendo publicè tractavit; vel super quocumque alio occulto impedimento, et post dictarum litterarum impetrationem, antequàm tamen confessarius dispenset, denuò orator ipse habet carnalem accessum, sive ad matrem sive ad filiam supra dictam, vel aliàs quoquomodo cum quâvis, ex supra dictis mulieribus reiteravit copulam, non ob id opus erit novâ dispensatione; sed liberè poterit ipse confessarius prædictas litteras exequi; attento quòd, tunc tantùm requiritur nova dispensatio super novâ copulâ, quando videlicet litteræ fuerunt obtentæ pro utroque foro in formâ pauperum, ut infra, suo loco dicetur; non autem, si per ipsam pœnitentiariam in foro conscientiæ tantùm; aut si pro illis fuerunt soluta consueta jura officialium, cum debitâ compositione in datariâ Apostolicâ; ita enim, ut omnes sciunt, servata in praxi.

Neque unquàm contrarium fuit observatum, aut declaratum per sacram congregationem concilii, cùm ea nunquàm se ingerat materiis sacræ pœnitentiariæ, quæ quidem habet suam peculiarem congregationem, in quâ deciduntur casus, inibi pro tempore contingentes. Declarationes autem quæ emanant ab ipsâ congregatione concilii regulariter loquuntur tantùm de dispensationibus matrimonialibus in utroque foro; quæ ad præscriptum ipsius concilii, ordinariis tantùm diriguntur, non autem de illis quæ per ipsam pœnitentiariam in foro conscientiæ confessariis tantummodò committuntur.

In proposito autem tunc tantùm obstat supra dicta nova carnalis cognitio ex actu fornicario, quando scilicet accidit post matrimonium contractum; quia, ex illâ insurgit impedimentum affinitatis supervenientis, quo conjux prohibetur petere debitum.

Sed hìc obiter videamus quisnam possit super hujusmodi impedimento dispensare, an videlicet episcopus vel solus Papa; et quidquid in contrarium aliqui teneant, absolutè dicendum est, quòd neque episcopus, neque alius habens jurisdictionem quasi episcopalem; quia satis liquet hoc impedimentum oriri ex affinitate, in quâ solus Papa dispensat, ut aliàs diximus; et hoc nos docet notorius Curiæ stylus, per quem aliàs ita etiam tenuerunt omnes domini abbreviatores majoris præsidentiæ cancellariæ Apostolicæ, unde sæpissimè pro hujusmodi dispensationibus impetrandis porriguntur summo Pontifici innumeræ supplicationes, eo quo sequitur modo, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris Francisci N. laici Neapolitani, quòd aliàs, postquàm dictus orator matrimonium cum devotâ vestrâ Annâ N. muliere etiam Neapolitanâ per verba de præsenti, publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contraxerat, illudque in facie Ecclesiæ solemnizaverat, et carnali copulâ consummaverat, vesanâ libidine victus devotam vestram Joannam, etiam N. dictæ Annæ sororem germanam, adhuc carnaliter cognovit, et ex eâ prolem suscepit; quapropter coram judice seculari accusatus, in quasdam pœnas, quas jam persolvit, condemnatus fuit. Cùm autem, Pater Sancte, dictus orator, præmissa commisisse plurimùm doluerit, et doleat, et à similibus committendis abstinere, Deo dante, firmiter proposuerit, et proponat, cupiatque propterea in matrimonio cum prædictâ Annâ, ut præfertur contracto, remanere; supplicat igitur humiliter E. S. V orator præfatus quatenùs ejus statui in præmissis opportunè providendo, sibique specialem gratiam faciendo, ipsum oratorem ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrit, incestûs reatu et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere; ac cum eodem oratore, quòd affinitate ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante, in matrimonio prædicto cum præfatâ Annâ, ut præfertur contracto, remanere, debitumque conjugale reddere, et petere licitè valeat, dispensare, prolem ex dictâ Annâ susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde, legitimam decernendo, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., et

ac absolutione, dispensatione, decreto, aliisque præmissis latissimè extendendis; et quod cognominum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium minoris gratiæ expediendis.

Hoc autem quando impedimentum publicum est; cùm vero occultum, sufficit illius dispensationem peti per officium sacræ pœnitentiariæ, ad quam etiam sæpissimè recurritur pro supra dictâ dispensatione; ibidemque dantur litteræ quæ committuntur confessario, qui, si ita est, oratorem, postquàm omnem recidivæ conversationis prædictæ occasionem abstulerit, ab incestu et excessibus hujusmodi absolvat, injunctâ inde ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentiâ salutari, ac confessione sacramentali, etc., ipsumque oratorem in dicto matrimonio remanere, et debitum conjugale reddere posse, et debere declaret; et nihilominùs si impedimentum hujusmodi occultum sit, et de oratoris incontinentiâ probabiliter timendum est, cum eodem, ut idem debitum etiam exigere licitè valeat, dispenset in foro conscientiæ tantùm; et si uxori supervixerit, mancat sine spe conjugii.

Ad officium S. pœnitentiariæ hujusmodi sæpè visum fuit ab eo haberi recursum, qui matrem et filiam cognovit, et intendit cum aliâ contrahere, nullo sibi iure prohibitâ; quare commissum est confessario, ut oratorem ipsum ab incestu et excessibus hujusmodi absolveret, et cum ipso oratore, quamvis casus hujusmodi non sit Sedi Apostolicæ reservatus, ut dicto incestu non obstante, cum aliquâ aliâ muliere, nullo aliàs sibi jure prohibitâ matrimonium contrahere posset, dispensaret in foro conscientiæ tantùm.

Cùm igitur ex supra dictis pateat in impedimento affinitatis supervenientis solum summum Pontificem dispensare posse, inde sequitur, nullam habere episcopum super hoc facultatem, nisi forsan ratione jam præscriptæ consuetudinis, quamvis doctores communiter contrarium teneant, ut per Garc., de Benef. p. 11, c. 15, n. 355.

CAPUT II.

Praxis sequitur narrativæ earumdem dispensationum.

Diffamata et innupta remaneret. — Hæc est prima causa, propter quam petitur hìc cum oratoribus dispensari, videlicet, ne oratrix ex copulâ subsecutâ, diffamata et innupta remaneat: et sic ad succurrendum famæ oratricis et occurrendum malis quæ inde evenient, dispensatur; nam, nisi ipsi oratori nuberet, profectò, nemo alius eam sic diffamatam in uxorem duceret; ac pejora quidem mala sequeren tur, cessaretque bonum quod inde oriretur; cùm matrimonium conferat ad publicam utilitatem, Jas. in l. *Veluti*, ff. de Just. et Jur., tribuatque humano generi immortalitatem, auth. de Nupt., in princip., facit l. *Liberorum*, in fin., ff. de Verb. sign.

Notandum est tamen quòd licèt hìc et in aliis remotis gradibus sufficiat, quòd ad impetrandam dispensationem, simpliciter dicatur quòd oratrix remaneret diffamata: id tamen non ita admittitur apud datariam in propinquioribus gradibus, puta in primo aut secundo, vel in utroque, nisi dicatur quòd ipsa mulier etiam graviter diffamata remaneret; ac insuper, quod ipsis oratoribus vitæ periculum immineret, quæ quidem verba tempore fel. rec. Pauli V initium duxerunt, et ita hodiè observatur. Crederem tamen quòd sufficeret adjicere illam dictionem, *graviter*, absque eo, quòd dicatur quòd oratoribus vitæ periculum immineret; quia ipsa dictio, absque alio adjuncto, potest denotare periculum, juxta illud Ciceronis, primo de Offic. ibi, *sic graviter ægrotare*, id est, periculosè; cujus quidem sententiæ sunt etiam periti curiales.

Graviaque exinde scandala. — Sicut prima causa dispensandi desumitur ex justitiâ oratricis, nimirùm ad ejus famæ dignitatem illæsam conservandam, ita hæc secunda desumitur ex charitate, quæ proximis debetur, et ideò scandala faciunt à rigore juris recedere, c. *Ad aures*, et ibi Gloss., cum multis concordantibus, in verbo *Scandala*, de Tempor. ordin., cap. *Cùm ex injuncto*, de Nov. oper. nunc. l. *Si de pupillo*, § *Si quis rivos*, ff. Eod. doctores, in cap. *Nisi cùm pridem*, de Renunt., Fel. in cap. *Nihil, cum scandalo*, de Præscrip. et propter scandala multa tolerantur, quæ aliàs repellerentur et corrigerentur, Cov., lib. 3 var. Res., ca. 10; Paris. de Resig. benef., lib. 3, q. 18, num. 15; Macer., var. Res. lib. 3, res. 9, n. 23, et sicut scandalum dat justam causam dispensandi, sic, et dispensationem prohibendi, ut infra dicetur: et pro bono pacis inducendæ et scandali extinguendi, juris præcepta relaxantur, cap. *Si fortè*, ubi Gloss., dist. 3, dicit quòd princeps debet scandalis obviare, quia dant justam causam dispensandi in omni casu, etiam prohibito, Anchar., cons. 339; Barbos., cons. 1, vol. antepen. lib. 3.

Possent verisimiliter exoriri. — Non enim opus est ad hanc dispensationem impetrandam ut scandala vigeant tempore impetrationis, vel executionis litterarum, neque verò, quòd certò atque evidenter sint omninò futura, sed sufficit ad hanc causam probandam, quòd timeantur futura scandala, utpote inimicitiæ, et jurgia; vel quoties timetur fornicationis periculum ratione juventutis contrahentium; Felin., cons. 26, n. 19, relatus per Sanch., lib. 8, disp. 19, n. 9, qui, n. 10, docet quòd ad ejus veritatem sufficit, vel probabilis timor inimicitiarum, inter utriusque consanguineos, aut incontinentiæ oratorum, vel concubinatûs inter se, vel quòd mulier, ratione infamiæ, non poterit competenter nubere, atque incontinentiæ periculum patietur, et sic causam præbet timor tantùm futuri scandali, et ita intendit etiam ipse summus Pontifex per illa verba in dictis litteris expressa, ibi: « Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum, ac scandalis quibuslibet ne eveniant, quantùm cum Domino possumus, libenter obviamus, » etc.; unde loquitur de futuris scandalis, quæ possent exoriri, nisi matrimonium contrahatur; sicut etiam versâ vice videmus, quòd episcopus, ut aliàs diximus, potest impedire matrimonium, quando adest timor futuri scandali; abb. in cap. *Cùm in tua*, de Spons.

Idemque dicendum est, ubi causa erit sola infamiæ,

absque copulâ secutâ ; licèt illius sola suspicio adsit, sed, ut supra dictum est, una suspicio non sufficit, quia plures suspiciones requiruntur, et probandæ erunt, juxta Glossam in l. 2, § *Ætas*, ff. de Excusat. tut., ita ut oratrix verè diffamata remaneat ob hujusmodi suspiciones, nisi matrimonium sequeretur ; ex eo, quod à nonnullis visum fuit inter ipsos oratores intervenisse oscula, amplexus, et confabulationes ; ex quibus deprehenditur, etiam intervenisse copulam, juxta Gloss. in l. *Quod ait lex*, ff. ad l. Jul. de Adult., ubi Gloss. ipsa ait ex his tactibus, induci argumentum sceleris, Ruin., cons. 162, n. 4, col. 1, Bursat, cons. 218, n. 3, vol. 2 ; Mascard., de Probat., concl. 57, n. 5 ; Covar., 4, decr. 2, p. 7, § 6, num. 3, ubi voluit mulierem reddi valdè suspectam ex osculo.

Si preces veritate niti repereris. — Nempe per testium receptionem, qui non solùm deponant super impedimento dirimenti, verùm etiam, quòd fuerit oratrix ab oratore carnaliter cognita, adeò ut scandala possent verisimiliter exoriri ; ipsaque mulier diffamata et innupta remaneret, nec fuerit ab oratore, vel ab alio ejus nomine rapta ab ejus domo, sed maneat in suâ libertate in ipsâ domo.

Hoc insuper etiam in praxi notandum est, quòd si delegato aliquo modo innotuerit, oratores denuò habuisse inter se carnale commercium, non debet propterea retardari executio dispensationis (sicut debet, quando hæc nova copula fuerit secuta, si dispensatio fuit obtenta in formâ pauperum, per rationes et declarationes superiùs allatas) ; nam, ut benè deducit Sanch., lib. 8, disp. 24, num. 8, rectè poterit ipse delegatus exequi dictam dispensationem, quæ jam retinet illius valorem ; quia nondùm est consummata dispensatio, sed ordinarius, virtute mandati apostolici de dispensando, debet dispensare ; quia per hujusmodi copulam, sic noviter secutam, non augetur impedimentum, et nos etiam infra dicemus.

Ab incestus reatu, etc. — Absolutio ab hujusmodi incestu, nemini videtur reservata ; ac propterea quilibet inferior potest absolvere oratores ; vulg. jur. ; attamen, quia ea petitur ad effectum contrahendi matrimonium, prævià dispensatione apostolicâ, cùm non possit cum ipsis dispensari, nisi priùs fuerint absoluti ab incestu, propterea stylus ita se habet, ut in supplicatione petatur absolutio, et in litteris dispensationis committatur ; et sic per signaturam supplicationis, Papa voluit totum negotium ad se avocare, et inferiorum manus ligare, argum. tex. in cap. *Ut nostrum*, de Appell., sicut etiam alibi diximus.

Inconveniens etenim esset quòd, licèt absolutio ab incestu non sit Papæ reservata, possit tamen episcopus sive alius inferior ab eo absolvere, ante, vel post dispensationem obtentam à Papâ, qui tanquàm necessarium antecedens ad dispensationem trahit ad se etiam absolutionem, nam postquàm summus Pontifex, sive à principio aliquid agit, sive ad se revocat aliquod negotium, ligantur manus inferiorum, ut nihil validè in eâdem causâ per illos fieri possit, per tex. in c. *Ut nostrum*, de Appell., et in c. 1 et 2, de Confirm. util. vel inut.

In simili enim videmus quòd si habens collationem alicujus beneficii à summo Pontifice, indigeat aliquâ dispensatione, non potest episcopus cum eo, quoad tale beneficium, dispensare, licèt alias posset ; abb., in cap. *Postulàsti*, n. 10, de Cler. ord. min., Simonet. de Reser. q. 64, n. 6, ut per Gonz. gl. 52, n. 22, vers. *Imò stylus*.

Præterea, per jam supra allatas declarationes sacræ congregationis habes quòd expressio hujusmodi incestûs est adeò necessaria, ut nisi ille exprimatur, dispensatio sit subreptitia, et stylus inolevit Romanæ Curiæ, ut in supplicatione pro dispensatione cum incestuosis, ubi agitur de matrimonio contrahendo, secutâ copulâ scienter vel ignoranter, super gradibus remotis, aliisque impedimentis, petatur absolutio ab excommunicationis sententiâ, quam oratores propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi, etc., et nihilominùs postmodùm in litteris dispensationis super ipsâ supplicatione expediendis, nunquàm datur absolutio à dictâ excommunicationis sententiâ, sed tantum ab incestu et excessibus supradictis, cùm dictæ excommunicationis absolutio possit etiam dari in ipsis litteris. Hujus rei ratio est quia contingere potest, quòd oratores ob hujusmodi incestum, reperiantur excommunicati per aliquam constitutionem synodalem ab ordinario promulgatam, sive per illius casus in synodo diœcesanâ reservatos ; quia jam potest dictus ordinarius illos in pœnam peccati, excommunicare ; cùm de jure incestuosi sint excommunicandi, sicque videtur quòd hìc sola supplicationis signatura sufficiat pro absolutione ab hujusmodi excommunicatione, incursa propter talem incestum.

Necessariò tamen danda est hæc absolutio, etiam ab excommunicationis sententiâ, quæ datur etiam in litteris, ubi oratores petunt secum dispensari super impedimentis primi et secundi gradûs, cum copulâ secutâ, aut illius suspicione ; quo casu, litteræ expediuntur per breve sub annulo Piscatoris ; nam per Constitutionem fel. record. Gregor. XIV, quæ incipit : *Sicut antiquus*, anno Domini 1590, kal. martii, anno primo sui pontificatûs, adjectæ sunt excommunicationes, aliæque pœnæ contra incestuosos hujusmodi, et statuitur, quod deinceps super primi aut secundi tantùm consanguinitatis aut affinitatis graduum, etiam mixtorum impedimentis, cum quibusvis personis, neque in contrahendis, ubi carnalis copula, cum spe, vel sine spe obtinendæ dispensationis, etiam prole susceptâ, vel diffamatio copulæ intervenerit, neque in sic, pro tempore contractis, etiam scandalorum et inimicitiarum, vel alio quovis prætextu, neque etiam cessantibus circumstantiis supra dictis, nisi cum personis, nimirùm cum magnis principibus, et ex causis, scilicet publicis, à concil. Trid., sess. 24, de Reform. matr., c. 5, admissis, in contrahendis matrimoniis hujusmodi nullo modo, aut ipse, aut successores dispensare intendant ; idque intelligendum sit, nisi contrarium ex-

pressè in dictis dispensationibus exprimatur. In virtute quoque sanctæ obedientiæ, et indignationis suæ pœna, districto præcipiendo interdixit, ne aliquis cujuscumque statûs, gradûs, ordinis, dignitatis, etiam regiæ vel imperialis, summo Pontifici, vel ministris ejus pro hujusmodi dispensationibus obtinendis, quomodolibet intercedat, sciturus, alioquin se in his omninò repulsam passurum. Et demùm, locorum ordinariis, in virtute etiam sanctæ obedientiæ præcipitur, ut contra hujusmodi incestuosos, tam viros, quàm mulieres, cujuscumque statûs, gradûs, dignitatis, ordinis et conditionis existant, juxta sacrorum canonum decreta procedant, ipsosque excommunicatos declarent; ac tanquàm tales à Christi corpore, et Ecclesiæ Dei unitate separatos, ingressu ecclesiarum prohibeant, et graviter puniant, atque matrimonia per eos contracta, dirimant, et irrita declarent, ipsosque ab invicem separent. Et sic etiam in praxi videmus, quòd in litteris dispensationum hujusmodi, quæ, ut dictum est, per breve expediuntur, committitur ordinario, seu vicario, ut ipsos oratores, non solùm ab incestûs reatu et excessibus hujusmodi, verùm etiam ab excommunicationis, aliisque censuris et pœnis ecclesiasticis et temporalibus, tam à jure, quàm ab homine, contra similia perpetrantes, promulgatis, quas ipsi oratores propterea incurrerunt, absolvat; quod quidem non servatur in dispensationibus super gradibus remotioribus.

ET RECEPTO AB EIS JURAMENTO, etc. — Non enim sufficit oratores narrâsse summo Pontifici in principio supplicationis, quòd non se cognoverint sub spe faciliùs habendæ dispensationis, sed ille vult, hæc verba apponi in dispositivâ litterarum, quæ magis attenditur quàm narrativa, Ludovis., decisio. 522, num. 4, ut per ea sic geminata deprehendatur, voluisse Papam omninò debere fieri mentionem de incestu, cum spe facilioris dispensationis; quia ista geminatio clausularum seu verborum, ultra solitum, operatur, et ostendit majorem deliberationem, Bald., in l. *Fructus*, c. de Action. empti. Jas. in l. *Nominatim*, num. 8, ff. de Lib. et Posth.

Quod quidem juramentum debet præstari in manibus ipsi delegati; nam licèt, quoad receptionem testium, possit ille alium subdelegare, ut aliàs diximus; hoc tamen sibi permittitur post accepta juramenta testium, ut ait Genuen., in Praxi curiæ archiep. Neapolitan., cap. 69, sub num. 9, cætera verò omnia tenetur per seipsum explere, per tot clausulas in dictis litteris appositas, ex quibus impeditur subdelegatio; cùm sit electa industria personæ, per ea quæ tradit Menoch. de Arbitr. jud., lib. 1, q. 68, num. 11; Sanch., lib. 8, disp. 27, num. 48; Thesaur. for. Eccles., p. 1, cap. 5, num. 49, et p. 2, cap. 2, num. 16.

Verùm, quia attentâ veriori opinione, per prædictas clausulas denotantes simpliciter electionem industriæ personæ, non impeditur subdelegatio quoad reliqua; cùm quamplurimæ sint diœceses talis amplitudinis, ut oratores satis distent à civitate, ubi est episcopus, et illius vicarius, ita ut non sit ita facilis ad illos accessus, propterea consuetudine introductum est, ut videò, tam in hâc, quàm in aliis curiis ecclesiasticis, observari, ut hoc juramentum committatur parocho oratorum, seu vicario foraneo illius loci; cui mandatur ab ipso delegato, ut ab ipsis oratoribus recipiatur hujusmodi juramentum, eosque absolvat ab incestu, prævio decreto ejusdemque delegati, tenoris sequentis, videlicet:

Per illustrissimum et admodùm reverendum D. vicarium generalem N. delegatum apostolicum, fuit provisum et decretum quòd supplicantes absolvantur, prout præsenti decreto absolvi mandatur, in foro conscientiæ ab incestu et excessibus in litteris apostolicis expressis, à rever. parocho S. Mariæ Gratiarum loci N., impositâ eis pro modo culpæ pœnitentiâ salutari; recepto priùs ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum non commiserint, etc.

Hìc profectò cadit illa quæstio, quam movet Sanch., d. lib. 8, disput. 25, num. 15, nempe, quid dicendum sit, quando sum. Pontif. dispensat cum consanguineis, vel affinibus sub hâc conditione, dummodò copula non intervenerit? Cui quæstioni nos breviter, juxta praxim, respondendum esse duximus, quòd hodiè (quidquid antea observatum fuerit) nunquàm in dispensationibus istis apponitur clausula, ut super hoc interrogentur, quæ tantùm apponitur, quando dispensatio impetrata est cum mentione copulæ; quia tunc accipitur juramentum, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis, non se cognoverint, ut supra dictum est.

Verùm, si nihilominùs contingat ipsos oratores ab executore interrogari, an copula prædicta intervenerit; si ita sit, eaque fuerit occulta, nec super ea obtenta dispensatio in foro conscientiæ ab officio sacræ pœnitentiariæ, tenentur oratores illam fateri ad judicis interrogationem; ait enim id. Sanch., d. num. 15, quòd si nolint fateri, non utantur dispensatione; ea enim interrogatio non eò tendit, ut illi puniantur, sed ut impediatur usus subreptitiæ dispensationis, et matrimonium irritum; sed postea contrarium sentiendo, ait, hoc modo oratores, negando ipsam copulam, omni culpâ vacare, quamvis id negetur, etiam cum juramento; quia hoc juramentum est verum, cujus sensus est, non feci incestum, ut substat in hoc foro externo, in quo judex rogat.

Nunquàm tamen defuerunt, qui sub spe faciliùs impetrandæ dispensationis, se carnaliter cognoverunt, et litteris dispensationis hujusmodi impetratis, medio juramento, spem hanc ab eis conceptam, negârunt; quod, si fuerit ita occultum, ut per officium sacræ pœnitentiariæ illis succurri possit, ad illud habetur recursus, narrando, quòd ipsi aliàs cupientes invicem matrimonialiter copulari, dispensationem à Sede Apostolicâ super impedimento quarti consanguinitatis, quo invicem sunt conjuncti, cum copulâ obtinuerunt; nullâ tamen factâ mentione, quòd sub spe faciliùs habendæ dictæ dispensationis, se carnaliter cognoverant; imò id coram ordinario loci, cui litteræ prædictæ fuerunt directæ, medio, juramento negârunt; et

quia occultum est oratores, spem hujusmodi tacuisse, publicum verò impetrâsse prædictam dispensationem; et nisi illa ad effectum perducatur, scandala orirentur, proindeque confessario committitur absolutio à præmissis, et dummodò occultum sit, dictam dispensationem nullam esse ob spei prædictæ taciturnitatem; ut postquàm cum ipsis oratoribus, super dicto impedimento, et aliis præmissis, servatâ formâ dictarum litterarum dispensatum fuerit, cum ipsis oratoribus dispenset.

Pari modo succurritur oratoribus, qui cupientes etiam matrimonialiter copulari, ut faciliùs dispensationem super aliquo impedimento impetrarent, se carnaliter cognoverunt, et cum hâc spe obtentis litteris dispensationis intra tempus separationis sibi à delegato impositæ, se denuò carnaliter cognoverunt; et licèt contenta in eisdem litteris adimpleverint, nondùm tamen ad actum præstationis juramenti, quòd sub dictâ spe se non cognoverint, devenerunt; et quia ob tacitam spem prædictam, et novam copulam subsecutam, de validitate dictæ dispensationis dubitant, cùm publicum sit ipsos dictas litteras dispensationis impetrâsse, ac in eis contenta adimplevisse, impedimenta verò ex præmissis provenientia, occulta sint; et nisi matrimonium contrahatur, scandala orirentur, committitur similiter confessario ut eos absolvat; injunctâ inde eis gravi pœnitentiâ salutari; quòdque arbitrio ejusdem confessoris, faciant eleemosynam, illius nutu in pauperum alimenta distribuendam. Et dummodò impedimentum ex incestuosâ cognitione ac spe prædictâ proveniens, occultum sit, et nisi matrimonium contrahatur, scandala orirentur, cum ipsis oratoribus, postquàm aliàs ritè et juxta formam litterarum prædictarum, verificatisque in eis narratis super impedimento dicti tertii gradûs consanguinitatis dispensatum fuerit, quòd præmissis non obstantibus, cum eisdem dispenset.

Et quatenus, etc., parito judicato. — Quod quidem intelligendum est si ordinarius ipsos oratores ob hujusmodi incestum fortè declarâsset excommunicatos, ut dictum est, aut illos quoquomodo ad alias pœnas condemnâsset; quandoquidem debent illius sententiæ latæ, seu ferendæ prius omninò parere. Idem quoque dicendum est, si fuerint ad forum judicis secularis delecti, ut plectantur pœnis incestûs; utroque enim casu tenentur parere; ut innuit illa dictio, quoquomodo, quæ, cùm sit universalis, comprehendit omnes modos; Menoch., cons. 344, num. 19, Mascard., de Probat., conclus. 1131, num. 16.

Nec priùs possunt oratores ipsi ad matrimonium vigore dispensationis admitti, quàm judicato paruerint; clausula enim hæc, parito judicato, tribuit jurisdictionem conditionalem; ac propterea illam suspendit, donec fuerit paritum, et processus dictæ dispensationis antea factus, erit nullus, et sine jurisdictione, Rot. Rom. apud Farinac., decis. 68, num. 1, tomo 1, p. 1, et ita neque vicarius executor, nec ordinarius potest procedere, nec oratores possunt audiri, nisi priùs verificato quòd paruerint judicato; Put., decis. 16; ut lit. pend. et decis. 429, lib. 1, ac debent parere integraliter; Ludovis., decis. 566, num. 2, et ibi addit. num. 3, quia cùm dicta verba posita sint in ablativo absoluto, conditionem important, l. *A testatore*, ff. de Condit. et Demonstr., Jas. in l. 2, num. 12, c. de Jur. emphyt.; Caputaq. decis. 111, num. 3, part. 1.

Propterea non sufficit quòd oratores velint præstare cautionem de parendo judicato, ut possit interim delegatus exequi litteras dispensationis; cùm id positum sit sub conditione quare debet adimpleri in formâ specificâ, non autem per æquipollens, juxta text. in l. *Qui hæredi*, § *Mævius*, ff. de Condit. et Demonstr. Surd., cons. 186, num. 19.

In utroque foro auctoritate nostra dispenses. — Hic enim publicum est oratores inter se carnale commercium habuisse; quia fortè oratrix ab oratore antea gravida reddita est; ac propterea egent absolutione et dispensatione pro utroque foro. Si enim copula esset occulta, parùm refert de eâ in dispensatione pro foro externo, mentionem fieri, si alia allegatur causa ad contrahendum; cùm satis sit petere absolutionem in sacrâ pœnitentiariâ, explicato quoque ibi impedimento dirimenti, super quo aut dispensavit, aut dispensaturus est Pontifex, et ita docet quotidiana praxis, et testatur Sanch. d. lib. 8, disp. 25, n. 11, qui ibi subdit, quòd super incestu non impetratur vera dispensatio, cùm ille non sit impedimentum, sed suppletur vitium dispensationis pontificiæ, in quâ narrandus est hic incestus, ut valida esset.

Verum est tamen quòd stylus sacræ pœnitentiariæ requirit, quòd in his casibus non modò petatur absolutio ab incestu, verùm etiam dispensatio super impedimento, licèt jam super eo obtenta fuerit, vel obtinebitur dispensatio in utroque foro.

Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam, etc. — Duo in his litteris conceduntur, nempe mandatum de dispensando, ac potestas legitimandi prolem susceptam et suscipiendam; et sic unum ab altero distinctum; unde si fortè mandatum, quoad dispensationem super impedimento dirimenti, non potuisset habere effectum, propter supervenientem mortem alterius oratorum, valebit nihilominùs potestas legitimandi prolem hujusmodi, etiam in præjudicium venientium ab intestato, Anchar., cons. 409, quem refert Gonzal. ad regul. 8 cancel. glos. 5, § 9, n. 27; Rot., decis. 207, n. 2 et 3, p. 1, divers. Seraph. decis. 1121, sicut dicimus à pari, quòd nullâ existente resignatione, ob non factam publicationem à resignatario cum reservatione pensionis, resignans non amittit pensionem sibi reservatam, vel aliud jus; Paris., de Resign. benef., lib. 11, q. 7, n. 57; quare si hujusmodi beneficium impetretur ab alio, iste impetrans tenebitur ad pensionem jam impositam ad favorem resignantis; Grat., discept. foren., cap. 138, n. 50; ita pariter in gratiâ coadjutoriæ cum futurâ successione, quæ continet in se duplicem gratiam æquè principalem, quarum una est gratia coadjutoriæ, quæ expirat per obitum coadjuti; altera verò continet futuram succes-

sionem, cùm primum vacaverit beneficium, juxta tenorem litterarum prædictæ coadjutoriæ, id. Gonz., d. § 9, n. 53, et ego ipse dicam in meâ Praxi. benef.

Ita in proposito dicimus, quòd possunt litteræ hujusmodi executioni demandari, quoad illam partem quæ continet legitimationem prolis; quamvis non possint quoad aliam, quæ continet impedimenti dispensationem; Rota, dec. 207, cujus verba sunt :

Domini tenuerunt dispensationem ad effectum legitimationis filiorum valuisse, quia gratia pœnitentiariæ continebat duo æquè principaliter, mandatum videlicet de dispensando, ut Joannes Baptista et Angela manerent in matrimonio contracto, non obstante quarto consanguinitatis gradu, quo erant conjuncti, et de legitimando filios, jam natos; qui filii tam nati, stante prædicto consanguinitatis impedimento, non efficiebantur legitimi, ob legitimum matrimonium subsecutum, ex Abb., in cap. *Tanta*, num. 14, qui fil. sint legit., sed proveniebat hæc legitimas ex approbatione Papæ, qui, ratificando matrimonium, ita de facto contractum, legitimavit prolem in figurâ matrimonii susceptam, ut per Anchar., cons. 409, Put., decis. 484, lib. 2. Unde licèt gratia, quoad contractum matrimonii, non possit habere effectum, debet tamen demandari executioni, quoad legitimitatem; in quâ nullum adest impedimentum, Butr. in cap. *Constitutus*, num. 22, de Rescript., Felin. in cap. *Sedes*, col. 1, n. 2, eod. tit. Et hæc duo dixerunt domini contineri in gratiâ, non tanquàm connexa vel dependentia ad invicem, sed tanquàm æquè principalia; quia narrata sunt apta et sufficientia ad utrumque etiam principaliter obtinendum.

Nulli enim dubium est, neque inconveniens oritur, quòd eadem gratia pro unâ parte sit valida, et pro alterâ invalida; unde, licèt cesset, quoad partem invalidam, sustinetur tamen quoad validam, d. cap. *Si eo tempore*, de Rescript., in 6; sicut etiam dicimus, quòd defectus intentionis in unâ parte gratiæ, non vitiat gratiam in aliâ parte distinctâ et separatâ, in quâ cessat defectus, id. Gonz. d. § 9, n. 59.

Hinc inferri etiam potest ad casum permutationis duorum beneficiorum, quæ non desinit valere, quamvis alter compermutantium, ob supervenientem mortem, non assequatur beneficium; quia, cùm una collatio, facta eâ causâ permutationis, sit ab aliâ separabilis, licèt altera non habeat effectum, non propterea desinit valere permutatio, quoad aliam, sicut aliàs diximus de eo qui obtinuit dispensationem matrimonialem super duobus impedimentis; nam si tempore executionis litterarum dispensationis, non duo impedimenta, sed unum tantùm aderit, valebit dispensatio, quoad illud impedimentum, quod verè et realiter existit; quia utile per inutile non debet vitiari, ut per Achillem de Grass., decis. 3, n. 4 et 5, super reg. de Valore exprim., sicut passim practicatur, et supra diximus.

Cessabit tamen ratio præmissorum, si obtentâ dispensatione cum supra dictâ mentione legitimationis prolis, parentes, pœnitentiâ ducti in casu matrimonii contrahendi, non inirent ipsum matrimonium; nam tali casu credit Sanch., d. disp. 7, num. 5, non valere hujusmodi legitimationem, quæ conceditur tantùm in favorem dicti matrimonii contrahendi; cùm aliàs dictam legitimationem Papa non concessisset; quia, cùm nulla ratio reddi possit, ex quâ hæc legitimatio deprehendatur, profectò ea facienda per executorem dispensationis, dependet à matrimonio contrahendo; quare, nisi illud contrahatur, cessat causa; et sic cessare debet effectus, *vulgatis juribus*, etc.

Est autem dispar ratio de hoc et casu superiori; in illo enim, quòd gratia dispensationis debitæ executioni non demandetur, impedimentum est necessarium, puta ob mortem; hìc autem est voluntarium; quarè, licèt gratia dispensationis super impedimento canonico, sit distincta à gratiâ legitimationis prolis, quo fit, ut reddità impossibili illius executione, possit hæc executioni mandari, nihilominùs tamen, quia prolis legitimatio pertinet ad bonum matrimonii, quod conjuges voluntariè respuunt in secundo casu; ideò sine illo, locum habere non debet.

Hinc dispensatio præsumitur inter virum et uxorem, qui in gradu prohibito contraxerunt, si per decem annos continuos, et ultra in matrimonio vixerunt, et mortui sunt; quia diuturnitas, quâ in figurâ matrimonii fuerunt vir et uxor, facit quòd proles illegitima habeatur pro legitimâ concurrente publicâ ignorantiâ, Caputaquen., decis. 269, part. 1, et dec. 25, n. 1, p. 2.

Neque ab hâc nostrâ praxi dissonat, quod notat Genuen, in Praxi cur. archiep. Neap., cap. unico, in casu dispensationis matrimonialis, nimirùm, quòd si ex dispositione testatoris, non possunt aliqui succedere, nisi fuerint nati ex legitimo matrimonio; et quidam consanguinei de facto contraxerunt matrimonium; postmodùm verò impetrârunt dispensationem à Papâ, directam episcopo, qui cum eis dispensaret, si ipse episcopus malitiosè adhibuerit moram in dispensando; et interim filius natus est, qui natus esset legitimus, si episcopus dispensaret, an talis filius succedat? et concludit affirmativè, cùm dispensatio debita fuerit per diversa jura ibi per eum allegata.

Legitimam decernendo. — Non enim sufficit dispensare vigore harum litterarum, ut matrimonium contrahatur, nisi in licentiâ, seu decreto ordinarii exprimatur, quod etiam legitimaverit prolem antea susceptam; quia illa non remanebit legitima vigore matrimonii; sicut ea quæ post illud contractum, suscipienda erit; nam proles post contractum matrimonium suscipienda, est ex naturâ rei legitima, tanquàm ex vero matrimonio orta; proles verò jam antea suscepta, non legitimatur per subsequens matrimonium; cùm illa sit spuria, per text. in cap. *Tanta*, qui fil sint legit., et sic solùm legitimatur ex decreto ordinarii, seu alterius executoris litterarum hujusmodi dispensationis, cui committitur, ut si preces veritate niti repererit, cum oratoribus super impedimento dispenset, ac decernat prolem susceptam legitimam, Sanch., lib. 8, disp. 7, num. 16, circa medium, ubi subdit quòd supra dictum verbum *Decernendo*, acci-

pitur propriè pro decreto interponendo respectu prolis susceptæ, et impropriè pro declarando respectu prolis suscipiendæ.

Sed quid agendum si executor, dispensando super impedimento supra dicto, omiserit prolem susceptam legitimam decernere an poterit eam quandocumque decernere, etiam extra actum dispensationis?

Et hoc videtur deduci ex iis quæ supra diximus, nempe quòd unum ab altero non dependet; ac propterea dictus executor, post litterarum executionem, quoad dispensationem, poterit, quandocumque sibi placuerit, durante ejus officio, ipsam prolem legitimam decernere; quia exequendo quoad ad dispensationem tantùm, non fuit plenè functus officio suo, partem sibi commissam relinquens; id. Sanch., d. disp. 7, num. 17, ubi etiam subdit quòd si jam executor deposuerit officium, vel obierit, vel fuerit absens à diœcesi, ejus successor in officio poterit exequi has litteras quoad legitimationem prolis.

Sicut etiam id locum sibi vindicat in aliis dispensationibus super impedimento occulto in foro conscientiæ tantùm impetratis; quæ juxta stylum sacræ pœnitentiariæ, diriguntur discreto viro confessori magistro in theologiâ, vel decretorum doctori; nam si ipse dispensaverit tantùm super impedimento occulto, et omiserit declarare prolem legitimam juxta facultatem sibi traditam, posset orator eligere alium similem confessarium, qui declaret hujusmodi prolem legitimam; et hoc modo creditur intellexisse Sanch., d. num. 17, licèt id non explicet.

Nescio tamen quomodò id posset in praxi servari, stante clausulâ appositâ in fine litterarum ejusdem sacræ pœnitentiariæ, nempe quòd confessarius teneatur lacerare dictas litteras, postquàm illarum vigore dispensaverit, et hoc sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, ut suo loco dicetur; quomodò enim alteri confessario præsentari poterunt, si illæ non exstant? rescriptum namque tribuit jurisdictionem executori, Cassador, super Regul., decis. 33, num. 3, et de Restit. spol., decis. 8, num. 10.

Superest breviter videamus num filii habiti ex incestu narrato in supra dictis litteris dispensationis, post illarum executionem, efficiantur legitimi per matrimonium subsequens; et ex eo verè legitimi censeantur, quoad omnia, etiam ad successiones, fideicommissa, et majoratus; sicut naturales, an verò legitimatio ista sit censenda, ac si esset facta à summo Pontifice separatim, absque matrimonio; ita ut solùm prosit ad spiritualia et ecclesiastica, ut in dies impetrantur ad ordines et beneficia; et sic tanquàm facta per rescriptum Papæ?

Hanc quæstionem movet Garc., de Benef. p. 7, cap. 2, num 39, qui, num. 40, resolvit, quòd hujusmodi illegitimi per subsequens matrimonium efficiantur legitimi, quoad omnia, etiam ad successiones, fideicommissa et majoratus; cùm ista legitimatio non fiat per Papam, absque matrimonio, sed ratione matrimonii et respectu illius, dependenterque ab illo; extendendo et ampliando dispositionem et favorem, cap. *Tanta*, qui fil. sint legit., ut intret etiam in isto casu; ex eo quòd si oratores sic dispensati, postea non contraherent matrimonium inter se, proles antea suscepta non remaneret legitima; nec virtute hujusmodi dispensationis possent, ut diximus, legitimari.

Et hìc obiter nota, quòd cùm proles legitimabitur per confessarium, vigore litterarum sacræ pœnitentiariæ in foro conscientiæ tantùm; si impedimentum ad contrahendum, quod priùs erat occultum, detegetur, ipsa proles reputabitur illegitima; Sanch., l. 8, disp. 34, num. 47 et seq., donec desuper fuerint impetratæ litteræ dispensationis in utroque foro, cum consuetâ clausulâ, legitimationis prolis susceptæ, etc.

CAPUT III.

Praxis dispensationum matrimonialium de scienter contracto.

Egimus hactenùs de dispensationibus super matrimoniis, in gradibus prohibitis, contrahendis, ubi carnalis tantùm copula intercessit; consequens erit videre an et quomodò dispensetur super impedimentis in matrimonio scienter contracto; sæpè enim (quod dolendum maximè est) ante dispensationem obtentam, matrimonia contrahi videmus, ac etiam carnali copulâ consummari; necnon, ut faciliùs postmodùm dispensatio ipsa obtineatur, ut per Boer, decis. 264, n. 26, quod quidem ante concilium Tridentinum causam præbebat faciliùs obtinendi dispensationem ipsam: postmodùm verò ex ipso concilio, sess. 24, c. de Reform. matrim., ob eamdem causam retrahuntur summi pontifices ab illius concessione; unde non nisi cum maximâ difficultate dispensant, cùm tales oratores tali judicent dispensatione indignos, stante decreto ejusdem concilii, sicut antea diximus.

Antequàm verò ulteriùs progrediamur, occurrit videndum an dictum decretum concilii Tridentini, dictâ sess. 24, cap. 5, habeat locum in quibuscumque impedimentis dirimentibus, vel tantùm in impedimentis consanguinitatis et affinitatis, de quibus tantummodò ipsum concilium loquitur.

Et videtur illud non extendi ad alia impedimenta dirimentia; cùm expressè illud loquatur adversùs contrahentes intra gradus prohibitos; quod quidem intelligi videtur de impedimentis, quæ per gradus distinguuntur, veluti consanguinitatis et affinitatis, non autem de reliquis, quæ gradus non habent; quare ubi illa non exprimuntur à lege, pœna non debet imponi, facit tex. in cap. *Cùm vos*, de Off. ordin., l. *At si quis*, § *Idem labeo*, ibi, *cùm pœna statuta non sit*, ff. de Relig. et Sumpt. funer., et facit text. in auth. de non elig. secund. nub., in verbo *Non est lex tale quid dicens*, et text. in cap. 1, ibi, *nusquàm cautum reperitur ne sed. vac.*; Gloss. in cap. *Cupientes*, § *Quòd si per vigenti*, in verbo *Privatos*, de Elect. in 6, et text. in cap. 15, qui, ibi, *cùm non sit expressum*, de Sent. excom. in 6, Glos. in cap. 2, verbo *Debitum*, de Cognat. spirit., et in cap. *Cum speciali*, de Appell.; Abb. in cap. fin., de Rescript., ubi dicit pœnam à lege ipso jure impositam non debere extendi per identitatem rationis, et pro hoc dicit facere c. *Pœnæ*, de Pœ-

nit., dist. 1, quod etiam notat Joan. Andreas in regulâ *Odia*, de Reg. jur. in 6, quando enim Papa aliud non explicat, talis constitutio non se extendit, arg. cap. *Non est nobis*, de Spons., quandoquidem lex limitata, limitatum effectum habet, l. *Cum servo*, ff. de contrah. Empt., c. 1, de Sepult., Cassad., decis. 36, n. 3, super Regul. Cancell.

His tamen non obstantibus contrarium est verius, de stylo, et in praxi Romanæ Curiæ receptum, ut etiam illius tyrones sciunt; nam licèt concilium Tridentinum loquatur tantùm de gradibus prohibitis, ibi : *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, et spe dispensationis careat, non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit;* ac propterea, cùm constitutio sit pœnalis, non recipiat extensionem, alleg. jur., tamen intelligendum est etiam de quocumque impedimento, quia in eo, eadem prorsùs ratio textûs militat, sicut nos docet diuturna praxis in hujusmodi dispensationibus impetrandis; præsertim ne oratores, sicut clandestinè contrahentes, affectatores ignorantiæ videantur; cùm debitam diligentiam non adhibuerint ad inquirendum omnia impedimenta, et ubi ratio expressa in textu omninò militat, lex quantùmcumque pœnalis, extenditur ad illum casum, ita Sanch., lib. 3, disput. 42, n. 4, et nos infra dicemus.

Sicut nec etiam refert, quòd hæc Constitutio sit correctoria, et pœnalis simul, ac ob id minùs extendenda; quia nihilominùs extenditur ob identitatem rationis in eâ expressæ; eòque magis, cùm illa emanaverit favore animarum, ac propterea erit dilatanda, Bart. in l. *Si extensio*, num. 45, vers. *Ex prædictis*, ff. solut. Matr.; Abb. in cap. Quæsivit, de Divort., in fine, faciunt etiam tradita per Felin. in cap. *Translato*, num. 11, de Constit.; cùm enim dicimus, quòd constitutio pœnalis est restringenda, id verum est de lege pœnali, quæ versatur circà delicti punitionem, quia tunc illius tenor propriissimè intelligendus est per jura supra dicta.

Et licèt, meo tempore, quidam advocatus Hispanus contenderet coram DD. abbreviatoribus majoris præsidentiæ in cancellariâ apostolicâ, id sibi tantummodò locum vendicare inter consanguineos, affines vel cognatos; denique silere coactus fuit, pluribus doctrinis alterius doctoris prædictæ nationis, nempe ejusdem Sanch. sub num. 4, vers. *Probatur*, aliisque rationibus, per dictos DD. abbreviatores tunc adductis, præcipuè quia virtus legis non consistit in proprietate verborum et cortice, sed in sensu et mente, l. *Scire oportet*, § *Aliud*, ff. de Excusat. tutor., l. *Contra legem*, de leg., l. *Cùm pater*, § *Dulcissimis*, ff. de Leg. 2, l. *Nominis et rei*, § *Verbum*, ff. de Verbor. signif., cap. *Intelligenti*, et cap. *Propterea*, eod. tit., et non tantùm causa verborum, et significatio, sed etiam mens agentium est inspicienda, l. *Si in venditione*, in fine, cum ibi not.; ff. comm. præd., et si, inspectâ mente, Papa interrogaretur, verisimiliter idem responderet; unde haberi debet pro expresso quoad cætera impedimenta dirimentia, l. *Tale pactum*, § fin. cum ibi not., ff. de Pact., quæ lex procedit, sive per modum statuti seu rescripti, aut conventionis, seu alterius dispositionis, aliquid cautum existat, secundùm Badd. et Castr. ibi, Curt. Jun. cons. 51, col. 2.

Nec refert, quòd non debeamus dicere, quod statutum, aut lex, seu constitutio non dicit; text. in auth. de non elig. secund. nub. in § *Optimè*, coll. 1, l. *At si quis*, § *Divus*, ff. de Relig. et Sumpt. fun.; id enim verum est, nisi ratione materiæ, de quâ loquitur, detur materia interpretandi Textus est expressus in Clem. *Exivi de paradis.*, de Verb. sign., sicut nec ad rem facit concilium de gradibus locutum fuisse, quia id tantùm gratiâ exempli expressit inter gradus prohibitos, nec non frequentiores usus; nam habemus in jure quod expressum frequentiæ causâ, non restringit, l. 1, junctâ Glossâ in verbo *Illyricanas*, c. de quibus mun. vel potestatibus nemini liceat se excusare, ex eò quòd, ut omnibus notum est, major pars dispensationum, quæ petuntur ad matrimonia contrahenda, consistunt in impedimentis quæ per gradus distinguuntur; nec tamen totaliter omisit idem concilium id declarare; cùm statim post supra dicta verba, subdidit : *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur*, etc., prout in simili aliàs diximus.

His igitur præmissis, circa præsentem materiam de matrimonio in gradu prohibito contracto, dicendum est quòd prohibitio super hoc, ex decreto dicti concilii Tridentini, innititur rationi text. in d. Clem. *Eos*, de Consang. et Affin., quod quidem concilium vult taliter contrahentes carere spe dispensationis, Clement. verò imponit pœnam excommunicationis; sed, ut illius tenorem unusquisque ante oculos per extensum habeat, præcipuè, ut sciat quonam modo in supplicationibus similium dispensationum petenda sit absolutio, illum hìc inserere non displicuit, qui talis est, videlicet :

Eos qui divino timore postposito, in suarum periculum animarum, scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonicâ interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur, necnon religiosos et moniales ac clericos in sacris ordinibus constitutos, matrimonia refrenare metu pœnæ, ab hujusmodi eorum temeritatis audaciâ cupientes; ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere. Præcipientes Ecclesiarum prælatis, ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publicè tamdiù nuntient, seu à suis subditis faciant nuntiari, donec, suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per prædicta quoque juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.

Quæ quidem constitutio est Clementis V, qui eam edidit in concilio Viennensi, ut patet in titulo ipsius Clementiæ.

Supervenit postmodùm Clemens VII, qui cùm cognovisset quòd, non obstante supra dictâ prohibitione

dictæ Clem. *Eos*, nonnulli, contra illius prohibitionem, matrimonia sub spe consequendæ dispensationis contrahebant, carnalique copulâ consummabant, ad tot malis obviandum, aliam edidit constitutionem, quâ demitur spes hujusmodi dispensationis consequendæ, ut ex illius tenore patet, quem etiam hìc pro majori curialium commoditate, per extensum libuit apponere, et talis est :

CLEMENS *episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum ordinariis, salutem, et apostolicam benedictionem. Quia plerùmque in futurorum eventibus imbecillitas humani judicii adeò fallitur, ut quod utile non solùm conjectura, sed etiam attenta, et provida consideratio pollicebatur, id prorsùs inutile, ac animarum saluti maximè damnosum reperiatur, propterea nonnunquàm expedit, ut gratiæ quæ olim consultò et rationabili de causâ concedi videbantur, multò consultiùs in posterum denegentur, id quod necessitas præsentis provisionis evidenter ostendet. Sanè postquàm fel. rec. Clemens Papa V, prædecessor noster in concilio Viennensi, eos qui divino timore postposito, in gradibus consanguinitatis et affinitatis contra canonicas sanctiones, matrimonia scienter in suarum periculum animarum contrahere præsumpsissent, excommunicationis sententiæ ipso facto decreverat subjacere; præcipiendo Ecclesiarum prælatis, ut tamdiù excommunicatos publicè nuntiarent, seu nuntiari facerent, donec separarentur ab invicem et beneficium absolutionis obtinerent; sedes Apostolica, et Romani pontifices prædecessores nostri considerantes gravia oriri posse scandala, si matrimonia hujusmodi scienter contracta, et carnali copulâ consummata per divortia dirimerentur, ad obviandum hujusmodi scandalis, et ne mulieres perpetuò diffamatæ remanerent, inducebantur ad dispendum cum illis qui in gradibus hujusmodi prohibitis matrimonia ipsa scienter contraxissent, propter quod multi volentes in gradibus prohibitis matrimonia contrahere, ac sperantes veniam et absolutionem, ac dispensationem à sede prædictâ faciliùs obtinere posse, illa passim contrahere, et carnali copulâ sub tali spe consummare præsumpserunt. Quæ abusio et corruptela cùm jamdiù propter inveteratam hominum malitiam, et nimiam dictæ sedis in absolvendo ac dispensando facilitatem, adeò creverit, ut cupientes in gradibus prohibitis hujusmodi contrahere, nullo pacto id facere vereantur, et unde scandalis remedia patebantur, inde scandalorum materia et occasio nata videatur Nos, quorum interest agrum Domini ita colere, ut virtutes in eo crescant, abusiones verò quæcumque tollantur, ac malis moribus via et aditus omnis præcludatur, hujusmodi fraudibus et dolis, per quos multi dispensationes in præjudicium animarum suarum à nobis extorquere, ac clementiâ et misericordiâ apostolicâ sub spe veniæ, quæ, ut experientia rerum magistra docet, peccandi viam pandit, abuti non cessant, obviare volentes, habitâ super his, cum fratribus nostris maturâ deliberatione, de ipsorum fratrum consilio, omnibus denuntiandum, seu intimandum duximus, quòd in posterum, cum illis, qui in gradibus prohibitis matrimonia scienter contraxerint etiamsi illa consummaverint, non intendimus dispensare; sed illa scandalis, quæ oriri posse formidaretur, minimè attentis, omninò separari mandabimus, absolutionem duntaxat petentibus misericorditer concessuri, cùm gratiâ dignus non sit, qui canonum conditorem contemnit, illique cum animæ suæ detrimento injuriam facit. Et ut intentio nostra faciliùs ad effectum perducatur, ac omnibus innotescat, vobis, et vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenùs præsentes litteras, seu earum transumpta, quibus manu publici notarii subscriptis, et alicujus prælati, seu in ecclesiasticâ dignitate constituti sigillo munitis, eamdem prorsùs fidem, ac ipsis originalibus litteris præstari volumus, in singulis ecclesiis civitatum et diœcesum vestrarum, etiam vulgari sermone, publicari, et ipsarum ecclesiarum valvis affigi faciatis, ne aliquis ullo unquàm tempore, hujus nostræ incommutabilis intentionis et voluntatis ignorantiam prætendere seu allegare possit. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ intentionis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ MDXXIV, sexto decimo kalendas septembris, pontificatûs nostri anno primo.*

Unde nullus superest admirationis locus, cur summus Pontifex, se ita difficilem præbeat ad sic cum prædictis dispensandum. Quòd si in remotioribus gradibus, vel denegatur, aut cum maximâ facultate conceditur hujusmodi dispensatio, longè major difficultas insurgit circa gradus propinquiores, ex eo quòd Paulus IV, aliâ suâ constitutione, voluit, ut nullus in secundo gradu possit petere has dispensationes; illius verò tenor sequitur, ut infra :

PAULUS *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ab eâ ipsâ die, quâ divina bonitas nos (licèt tanto oneri impares) regendæ universalis ejus Ecclesiæ præficere dignata est, nunquàm cessavimus cogitare quo pacto singuli abusus nostrâ diligentiâ tollerentur, diversas superinde constitutiones, juxta casuum exigentiam quotidiè promulgando et publicando. Hinc est quòd cùm (sicut nobis nuper innotuit) à nonnullis annis citra introductum sit, ut qui matrimonium in secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu contrahere anhelant, scientes se dispensationem à sede Apostolicâ super hujusmodi matrimonio contrahendo obtinere non posse, sub fiduciâ illam super eodem matrimonio postquàm contractum fuerit, reportandi matrimonium ipsum de facto contrahant, et carnali copulâ consumment, ex communicationis sententiam in concilio Viennen. contra matrimonia in gradibus prohibitis scienter contrahentes promulgatam, damnabiliter incurrendo. Et deinde sub prætextu quòd si divortium fieret inter eos gravia exinde inter eos et eorum consanguineos et affines scandala possent verisimiliter exoriri, et mulier perpetuò diffamata remaneret, absolutionem necessariam et dispensationem opportunam, quas sibi debitas concedi expostulent, sicque absolutionem et dispensationem (quas aliàs non ob-*

tinerent) eo prætextu ut plurimùm reportent in scandalum plurimorum; nos considerantes præmissa causam tribuere delinquendi, et incestum committendi, ac ex delicto, loco pœnæ, commodum, et appetitûs satisfactionem reportari, malitiis hominum occurrere volentes, per has nostras omnibus innotescere volumus, quòd nos lapso tempore, infra quod notitia præsentium in partibus, ex quibus similes dispensationes peti continget, verisimiliter haberi potuerit, absolutiones et dispensationes hujusmodi ex prætextu prædicto, etiamsi proles ex matrimonio sic contracto, subsecuta fuerit, nullatenùs, sed solùm ex causâ urgentissimâ pro bono publico, et à jure considerată, per nos tantùm et non alium approbandâ, concedemus, et quòd dispensationes ex aliâ causâ nostris temporibus perpetuò exulabunt; quod nobis licere non patimur, nostris successoribus indicantes; nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginem nostræ voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, idus decembris, pontificatûs nostri anno primo.

Quibus sic stantibus, non est ægrè ferendum, si ut plurimùm hujusmodi dispensationes, vel denegentur vel difficillimè concedantur; quòd, si aliquando conceduntur, non nisi cum nonnullis modificationibus et limitationibus expediuntur, ut infra dicemus; si etenim liberè concederentur, daretur profectò causa delinquendi, et quotidiè magnates, aures Pontificis infestarent, petendo similes dispensationes, quæ est germana ratio, cur tot remedia emanârint ad repellendam, scilicet omnium importunitatem, sicut solent principes, juxta text. in l. *Omnes*, et l. penult. c. de Fund. patr, lib. 11, Fulgos. cons. 20, col. 3, ante num. 5.

Nan tamen propterea ligantur manus Pontificis ad concedendas hujusmodi dispensationes, non obstantibus supra dictis constitutionibus et concilio Tridentino; et quidem, quoad ipsum concilium, dicendum est quòd cùm sit Papæ auctoritate congregatum, et ab ipso confirmatum, est paris auctoritatis cum ipso Papâ: unde par in parem non habet imperium, cap. *Innotuit*, de Elect., l. *Nam et magistratus*, ff. de Arbitr. Capel. Tholos., decis. 159, n. 2, imò Papa est supra concilium, cùm sit caput Ecclesiæ universæ, ut pluribus docet Bellarm., lib. 2, de Concil., cap. 15 et 17, tomo 2.

Quamvis juxta doctrinam Sanch., lib. 3, disput. 43, sub n. 3, dicendum sit, quòd in casu quo dictum concil. Trid. statuit, taliter contrahentes carere spe dispensationis, si summus Pontifex absque justissimâ causâ emergenti dispensaret, lethaliter delinqueret; secùs ex tali causâ; subdens ibi, quòd licèt talis dispensatio frequens, sit Ecclesiæ perniciosa, quando tamen est rara, et ex causâ justâ, conceditur, non est talis.

Quoniam verò in supplicationibus harum dispensationum, inter cætera necessariò adjicitur clausula, quòd matrimonium ita scienter contractum est (nam eo ipso quòd concilium prædictum concernit hos contrahentes carere spe dispensationis, voluit hoc matrimonii impedimentum constituere ad hanc dispensationem impetrandam), idcircò, ut videas, quonam modo supplicatio desuper conficiatur, illius formula, quam hodiernus stylus admittit, erit subjicienda, illiusque clausulæ enucleandæ, ea igitur talis est, ut se quitur:

Beatissime Pater, exponitur humiliter pro parte devotorum illius oratorum, N. et N., diœcesis. N, quòd ipsi aliàs scientes se tertio sanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, hæc causa foret. S. V. et sedem Apostolicam, ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi matrimonium inter se per verba de præsenti, clandestinè, et de facto contraxerunt, ac carnali copulâ consummârunt. Cùm autem, Pater Sancte, oratores præfati in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque sedis prædictæ dispensatione; et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri, supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores prædicti quatenùs illos à generali excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere; ac cum eisdem oratoribus, quod impedimento tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium inter se de novo publicè, servatâ formâ concilii Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè valeant, dispensare; prolemque susceptam (si qua sit) et suscipiendam exinde, legitimam decernendo, dignemini, de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur. F.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et impositâ oratoribus propter incestum hujusmodi aliaque præmissa arbitrio suo gravi pœnitentiâ salutari. Et recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs*, etc. *Et quatenùs*, etc., *parito judicato. Et cum decreto quòd oratorum alter alteri supervivens perpetuò absque spe conjugii remaneat.*

Fiat. F.

Quòd si fortè parochus in aliquo deliquit circa matrimonium taliter contractum, erit de hoc mentio facienda in supplicatione: hoc enim casu, post consuetas clausulas supra dictæ supplicationis, additur per officiales: *Et punito parocho arbitrio ordinarii*, qui poterit illum punire, non solùm pœnâ arbitrariâ, sed etiam triennali suspensione, quia concil. Trid., sess. 24, c. 1, dùm ibi decernit parochum hujusmodi esse graviter puniendum arbitrio ordinarii non derogat juri antiquo, ut in capite final. de cland. Desp.

Quoniam verò absque aliâ formulâ litterarum, sufficit clausulas in dictâ supplicatione contentas elucidare, ideò illas sigillatim per ordinem, ut infra declarabimus, unde dicamus:

Beatissime pater, etc., quòd ipsi alias scien-

TES, etc. — Hanc scientiam necesse est exprimere ; ex eo quòd hìc prohibentur oratores petere dispensationem, ut supra visum est; ac propterea, tam vigore dicti concilii, quàm dictæ Clem. *Eos*, non ligantur ignorantes, nempe, ignorantiâ facti probabili, non autem affectatâ, ut benè declarat Glossa, in d. clem., in verbo *Scienter ;* Silv., verbo *Excommunicatio*, 9, n. 76, § 2, Cajet. omninò videndus eodem verbo, c. 47, veluti, si oratores probabiliter ignorabant esse consanguineos vel affines, ut infra dicetur.

Quòd si oratores ipsi fuissent juris ignari, nescientes gradum prædictum esse prohibitum, certè non excusantur; quia error juris non prodest, Jason. in l. *Si ante*, num. 7, ff. solut. Matr. ; Imol. in l. *Justo*, num. 5, ff. de Usucap. ; Angel., cons. 70, num. 23 ; Corn., cons. 148, vol. 3, et communiter doctores quia ignorantia tantùm facti, non autem juris excusat, cap. *Ignorantia*, de Regul. jur. in 6; Abb. in cap. ultimo, de Constit.; Glossa, in cap. ult. de Postul. præl. ; Dec. in l. *Si is*, num. 32, ff. de Jur. omn. jud. quia ignorare jus est culpa lata, l. *Nec supina*, ff. de jur. et fact. ignor., l. *Regula*, § *Sed facti ignorantia*, ff. eod., et æquiparatur dolo, l. *Magna negligentia*, ff. de Verb. sign. statuta enim et constitutiones Pontificis præsumuntur pervenisse ad notitiam eorum ad quos spectabat ; Bald. in l. *Leges sacratissimas*, numero 2, c. de Legib.; Bart. in l. *Omnes populi*, num. 67, ff. de Just. et Jur. nec præsumitur ignorantia de his quæ quis tenetur investigare; Glossa et doctores in cap. *Innotuit*, de Elect., ad falsariorum, de crim. falsi.

Nec refragatur quòd oratores, seu taliter contrahentes, sint personæ idiotæ et rustici, qui ut plurimùm cadere solent in hunc laqueum ; quia neque hi excusantur ob juris ignorantiam, Bart. in l., num, 6, c. *Unde vi;* Alex. in l. *Venia*, num. 3, eod. tit.; Menoch., de Recup. poss., remed. 9, num. 21 et 22; Jas. in l. *Si quis*, num. 3, ff. de Jurisd. omn. jud., et ut supra dictum est.

A pœnâ tamen harum constitutionum excipitur ille qui scienter in gradu prohibito contraheret cum aliquâ, invitus et coactus, timore cadente inconstantem virum ; Silv., d. num. 78, vers. *Quintò*, prout neque dictas pœnas incurret ille qui credit contrahere cum consanguineâ vel affine, et tamen illa, talis non erat quia non punitur effectus, id. Silv. d. loco, num. 77, vers. *Tertiò* et idem in eo qui tantummodò sponsalia contraxit, quia sumus in pœnalibus, in quibus strictè facienda est interpretatio, ad regul. *Odia*, cum ibi not., de Reg. jur., in 6, cap. *Statutum*, § *Quòd si pœnale*, de Elect., eod. libro, l. *Factum cuique*, § *In pœnalibus*, ff. de Reg. jur. imò non solùm in hoc casu, verùm etiam ex identitate rationis, nulla fit in pœnalibus extensio, l. *Et si quis*, § *Idem labeo*, vers. *Sed sollicitus*, ff. de Relig. et sumpt. fun., § *Cùm igitur*, in auth. de non elig. sec. nub.

Quid autem dicendum est de minoribus, ita scienter contrahentibus? et respondetur, quòd quamvis, etiam circa casum petendæ hujusmodi dispensationis, fuisset in dubium revocatum, num pœnæ dictæ Clem. *Eos*, locum sibi vendicarent contra minores, qui lubrico quodam ipsius ætatis, matrimonium sic scienter contraxerunt ; deindè verò majores effectî, à contractu matrimonii hujusmodi recesserunt, per rationem text. in l. *Qui contra*, c. *Incest. nupt.*, fuit tamen pluries affirmativè responsum; licèt enim huic responsioni videatur repugnare quod dicit Glossa, in d. Clem. *Eos*, verbo *Scienter*, quæ ait non puniri eos qui bonâ fide ab initio contraxerunt, postmodùm verò, detecto impedimento, in ipso contractu perseverârunt; lex nihilominùs imponens pœnam contrahendi scienter, requirit ut ipsa locum habeat, quando scientia adest tempore contractûs; nec sufficit quòd superveniat ex post facto; Franc. in c. *Decrevit*, de Hæret. in 6, unde si initium fuit bonæ fidei, nulla est pœna, respectu perseverantiæ, ut per Menoch., de Arbitr. jud., lib. 22, centur. 6, num. 81.

Cùm igitur hæc Clem. sit pœnalis, et non loquatur, nisi de matrimonio contracto, non debet extra casum in eâ expressum intendi, l. 3, in fin., ff. de Prævar., § *Cùm igitur*, vers., *Sin autem Roman.*, cons. 129, col. 1; Curt. jun., cons. 119, num. 9.

NON QUIDEM PECCANDI, DATA OPERA, etc. — Hæc clausula meritò apponitur, etiam in matrimoniis scienter contractis; quia in illis militat eadem ratio fraudis ut aliàs diximus : et propterea, si matrimonium contrahatur, ut faciliùs oratores obtineant dispensationem, necesse erit id summo Pontifici explicare; ne dispensatio reddatur subreptitiâ stante dictâ constitutione Clem. VII.

MATRIMONIUM INTER SE, etc. — Nam pœnis hujus Clem. ligantur ii tantùm qui matrimonium contraxerunt, ad excludendum eos qui, ut supra diximus, contraxerunt tantùm sponsalia; nam licèt prohibitio nuptiarum includat etiam sponsalia, l. *Oratio*, ff. de Spons., c. *Cùm haberet*, de eo qui dux. in matr., ubi æquiparantur matrimonium et sponsalia; nihilominùs, cùm hìc agatur de incurrendâ pœnâ hujus Clem. contrarium est dicendum ; quia valdè inter se distant, et omne simile non est idem, ut aiunt philosophi ; quare non sequitur quòd contrahentes sponsalia, incurrant pœnas contrahentium hujusmodi matrimonium Glossa in d. Clem., verbo *Contrahere ;* quod enim lex non dicit, nec nos dicere, seu supplere debemus, argum. l. *Si viro*, § *De viro*, ubi non expressum à lege, pro omisso habetur, ff. solut. Matr., l. un., § *Ad deficientis*, c. de Caduc. toll.; Bald. in l. *Gallus*, § *Et quid si tantùm*, vers. *Id quod omittitur*, ff. de Lib. et Posth. unde si Papa id voluisset, etiam expressisset, arg. tex. in l. un., § *Sin autem*, c. de Caduc. toll.

Sed quid de consulentibus? An ipsi saltem hujus Clementinæ pœnas incurrent? Neque verò est inane hoc dubium; vidi enim alias quasdam litteras similis dispensationis, tempore Pii V, expeditas; in quibus narrabatur, quòd oratores fuerunt à quodam eorum communi animo inducti, ad sic contrahendum ; ac propterea ipse Pius mandaverat executori, ut dictos oratores absolveret ac moneret, ut dictum amicum inducerent ad absolutionem desuper petendam ; quare

videtur affirmativè respondendum. Ratio autem esse potest, quia mediator criminis, dicitur ipsum delictum committere, c. *Mediatores*, et ibi Gemin. Franc. et alii, de Test., in 6, ubi inferunt, ad statutum contra committentes delictum, ut etiam includatur mediator, ad not. in c. de Off. deleg., c. *Nuper*, c. *Quantæ*, de Sent. excom. et satis tritum est, quòd agentes, et consentientes pari pœnâ puniuntur, cap. *Notum*, 12, quæst. primâ.

Hinc notoria praxis est sacræ pœnitentiariæ apostolicæ, ut cùm in eâ petitur absolutio à quibusdam criminibus, præsertim simoniâ, semper imponitur confessario, ut oratorem moneat ut in hoc delicto culpabiles (si qui sint) inducat ad absolutionem à sede Apostolicâ impetrandam, ut aliàs diximus.

Cæterùm in præsenti casu, aliter dicendum est; et licèt visum fuerit aliàs moneri oratores prædictos ad inducendum consulentes, ad hanc absolutionem impetrandam, hodiè tamen nullo modo id admittitur; quia pœna habet locum in casibus tantùm expressis, l. penult., ff. *Pœna*, de Pœnit., distinct. 1, et non debet extendi de uno casu ad alium, Gl. in Clem. 1, de Sepult., et imposita contra facientem, non comprehendit consentientem, et auxilium dantem; Cajet. in Sum., verbo *Excommunicatio*; et sic imposita contra contrahentes, non comprehendit consulente; d. Clem. 1, de Consang. et Affin.

Posset autem dictum Pontificis interpretari, ut consulentes prædicti inducantur ad petendam absolutionem, non quidem à pœnâ, sed à culpâ pravi consilii, et ab eo qui illam impertiendi potestatem habet.

Clandestine. — Hic autem, ut antequàm petatur dispensatio, cum mentione hujus clandestinitatis, sciant juniores quomodò dicatur matrimonium clandestinum, considerandum est, quòd verbum hoc, clandestinè, idem est, ac clam, secretè, seu abditè, id est, omissis denuntiationibus, à concilio Tridentino requisitis; et generaliter id dicitur fieri clandestinè quod fit omissis iis, quæ in actu à lege requiruntur, Covar., 4, decret. 2, p. 1, 6, quod præcipuè locum sibi vendicare in præsenti casu; attento concilii prædicti decreto, quod inducit formam substantialem, quæ nullo modo potest alterari; imò, neque per suum æquipollens adimpleri, sed tantùm specificè, ut dixit Bald. in l. *Comparationes*, 3 oppos., c. de Fid. instrum.; Dec. cons. 90, num. 6, et cons. 262, num. 4, et sex modos matrimonii clandestini enumerat Sanchez, lib. 3, disput. 1, num. 1.

Quorum primus est, quando illud sine testibus contrahitur. Secundus, quando consummatur ante nuptiales benedictiones. Tertius, quando contra fidem priorum sponsalium, alia ducitur uxor. Quartus, quando ante legitimam ætatem matrimonium celebratur. Quintus, quando contrahitur tempore quo nuptiarum solemnitas interdicitur ab Ecclesiâ. Sextus, quando omissis denuntiationibus celebratur matrimonium, Zerol. in Praxi episcop., verb. *Matrim.*, vers. 3, *Cùm hæc materia*, part. 1, qui vers. 8, quid agendum quærit quando aliqui contraxerunt clandestinè, et consummârunt; et ex declaratione S. congregationis, ait quòd si nullum aliud obstiterit impedimentum, absque aliquâ aliâ dispensatione possunt, et debent de novo contrahere in facie Ecclesiæ, servatis requisitis sacri concilii et tam ipsi contrahentes quàm qui præsentes fuerunt primo matrimonio clandestino, graviter sunt puniendi arbitrio episcopi, qui potest ex officio inquirere contra utentes matrimonio clandestinè, ob publicam salutem animarum; Navar., cons. 7, de Off. ordin.

Hæc tamen clandestinitas ad tres tantùm illius species restringitur, quod magis confert ad casum nostrum, ac ad petendam hujusmodi dispensationem; quarum prima est, quando in matrimonio testes deficiunt; ac proinde clam omninò celebratur. Secunda, quando omittuntur tres denuntiationes in Ecclesiâ. Tertia quando deficit præsentia parochi; cujus interventus qualis esse debeat, jam supra aliàs diximus; quo verò ad illius qualitatem hæc in praxi addere placuit, nimirùm illud quod aliàs sacra congregatio ejusdem concilii declaravit circa validitatem et invaliditatem matrimonii validè celebrari possit coram parocho non promoto infra annum, die 12 martii 1593. Et contractum coram parocho excommunicato adhuc valere; ex quo iste parochus præstat solùm præsentiam, ad effectum tollendi clandestinitatem, die 3 martii 1594. Similiter valere matrimonium contractum coram parocho alieno, de licentiâ episcopi; quamvis ipse episcopus intentionem haberet, tale matrimonium non alii quàm proprio parocho committendi, ut in unâ Salen. penes Barbos. in Collect. bull., verbo *Matrimonium*, fol. 144. Necnon, celebratum coram parocho, qui habet suam collationem nullam ob nullitatem concursûs propter defectum examinatorum synodalium valere, ut in unâ Ceneten. 31 julii 1627. Respondit etiam ipsa sacra congregatio ad tertium caput episcopo Abulensi, anno 1593, matrimonium contractum coram parocho non sacerdote, utique valere; refert Garc., de Benef., part. 9, c. 2, n. 295, vers. *Ad tertium*. Item eidem episcopo dubitanti an valeat matrimonium contractum coram parocho illius loci, ubi contrahens moretur tanquàm prætor, judex, seu medicus temporalis, ipsa sacra congregatio ad quintum respondit valere, id. Garc., part. 5, cap. *Septimo*, num. 11. Præterea matrimonium contractum in parochiâ habitationis uxoris, coram parocho viri, et è converso validum esse censuit eadem sacra congregatio, recedens à priori contrariâ decisione, teste Barbos., de Off. et Potest. parochi, cap. 21, num. 25, et in Collect. bull., verbo *Matrimonium*, fol. 443.

Ad hæc, quando matrimonium contrahitur inter duos alienigenas, et à parvo tempore in parochiâ habitantes, qui tamen sunt cogniti quòd non sunt de comprehensis inter vagabundos, proprius eorum parochus intelligitur, in cujus parochiâ contrahentes habitant tempore quo matrimonium contrahunt, declaravit ead. sacra congreg. 21 martii 1602; id. Barbos., d. verbo *Matrimonium*, fol. 445, et in unâ Senen., sub die 17 maii 1600, validum judicavit ma-

trimonium cujusdam juvenis cum meretrice contractum, qui dubitaverat illud propterea in civitate contrahere, adhibendo concilii Tridentini solemnitates, eò quòd juvenis parentes eis impedimento de facili futuri erant, ac propterea Romam venerunt, et coram testibus, et parocho in parochiâ, in quâ aliquantulùm permorati erant, matrimonium contraxerunt per verba de præsenti; id. Barbos. dicto verbo *Matrimonium*, eod. fol. 443. Validum insuper judicatum fuit matrimonium contractum post quartum habitationis mensem à muliere coram parocho oppidi, ad quod à civitate in quâ habitabat, ad scandala submovenda, jussu principis secularis, translata fuerat, sub præcepto illic non discedendi, donec aliud statutum non esset, sub die 26 junii 1621.

Matrimonium autem contractum coram sacerdote extraneo, qui habet licentiam à proprio parocho unius ex contrahentibus, et ignorat se illam habere, prout ignorat unus ex contrahentibus, est invalidum; ead. sacra congr. die 5 decembris 1626, et die 15 aprilis 1628, sicut etiam invalidum est contractum coram sacerdote, cui asserebat unus ex contrahentibus, se habuisse licentiam à parocho, ut ipse contraheret matrimonium cum F. coram ipso, si reverà non esset vera hujusmodi licentia, ead. sacra congreg. 7 septembris 1620; id. Barbos. fol. eod.

Si igitur in proposito matrimonium contrahitur sine testibus, licèt cum præsentiâ parochi, clandestinum, irritum et nullum erit; similiter si cum testibus, et sine præsentiâ parochi, licèt cum præsentiâ alterius sacerdotis, non tamen de licentiâ parochi vel ordinarii. Si verò deficient denuntiationes, licèt matrimonium non fiat irritum ac nullum; attamen ad effectum faciendi mentionem in supplicatione pro dispensat. de hujusmodi clandestinitate, sufficit quòd fuerint omissæ denuntiationes, absque licentiâ ordinarii; qui, ut aliàs diximus, potest remittere, unam, vel duas, aut omnes denuntiationes ex causâ, Zerol. in suâ Praxi, verbo *Matrimonium*, vers. 3, *Cùm hæc materia*, ubi subdit, quòd, licèt matrimonium ob defectum denuntiationum valeat, tamen si postea oriatur impedimentum aliquod impediens et dirimens, filii interim nati erunt illegitimi, etiamsi matrimonii impedimentum oratores ignoraverint, antequàm contraxerint.

Et de facto contraxerunt. — Hinc ostenditur, dictos oratores nullo modo posse evadere pœnas dictæ Clem. *Eos*, quia cùm agatur de pœnâ legali, quæ imponitur ob aliquod factum, quod nullatenùs potest de jure fieri, nec verificari, propterea dicendum est, quòd sit locus dictæ pœnæ; quamvis sit de solo facto gestum; nam Papa, qui imponit pœnam pro tali facto, quod non potest de jure sortiri effectum, consideravit duntaxat nudum factum; nam aliàs, dicta Clem. esset illusoria, per text. in l. *Quid ergo*, § *Cùm autem*, ff. de his qui not. infam., ubi habetur quòd quando lex punit factum quod de jure verificari non potest, non curatur de juris effectu, ad text. in l. 1, ff. de Sepulcr. viol., et l. *Jubemus*, c. de Sacros. Eccles.

Et sic videmus, quòd d. Clem. imponit pœnam excommunicationis contra scienter contrahentes matrimonium in gradu consanguinitatis vel affinitatis prohibito, et cum moniali professâ, et contra religiosum vel clericum in sacris ordinibus contrahentes; et absque dubio talis contractus non potest verificari de jure, sed de solo facto, et sic est locus dictæ pœnæ, ita Card., in eâdem Clem., numero primo, in fin.; Bart. in l. *Ubi pactum*, num. 14, c. de Transact., unde cùm matrimonium ita contractum non possit verificari de jure, sed de solo facto, certum est quòd ad dictas pœnas incurrendas, solum factum consideratur.

Easdem pariter pœnas incurrent, si matrimonium fuerit ignoranter contractum, sed omissis publicationibus, ex eod. concilio Tridentino, sess. 24, cap. 5, ibi, *quòd si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit eisdem subjicietur pœnis*, etc. Quo casu erit de hoc habenda mentio in supplicatione, desuper porrigendâ cum sequenti narrativâ, videlicet.

Quòd ipsi aliàs ignorantes, aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de præsenti, clandestinè et de facto contraxerunt, ac carnali copulâ consummârunt; et postmodùm verò ad eorum pervenit notitiam, se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos et nihilominùs in eâdem carnali copulâ perstiterunt, etc., et prosequitur, ut in superiori formulâ, petendo etiam absolutionem à generali excommunicatione contentâ in d. Clem. *Eos*, quia oratores erunt profectò in eâdem culpâ ob omissas prædictas publicationes; cùm paria sint aliquid non facere, vel minùs legitimè facere, l. *Quoties*, ff. qui satisd. cog., l. 2, c. de Success. edict. Roland. à Val., cons. 9, num. 7, lib. 1, et cons. 14, n. 25, lib. 2; Ceph., cons. 109, num. 3, lib. 1.

Accidit insuper sæpenumerò, oratores scire inter eos aliquod adesse impedimentum ad contrahendum; quodnam tamen illud fuerit, ignorare; proindeque juxta praxim, et stylum, oportet, quòd illud ita exprimatur videlicet, *quòd ipsi aliàs scientes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, quodnam tamen ignorantes, matrimonium inter se, per verba de præsenti, clandestinè et de facto contraxerunt*, etc. Sicut etiam narratur, quando se cum hujusmodi scientiâ et ignorantiâ respectivè, se simpliciter carnaliter cognoverunt; licèt, hoc posteriori casu non incurrant pœnas à supra dictis sacris canonibus inflictas adversus contrahentes tantùm.

Et carnali copula consummarunt, — de quâ quidem copulâ ex duplici causâ, facienda est mentio in supplicatione, quarum una est, quòd in quibuscumque dispensationibus matrimonialibus, ubi ea intervenerit, explicanda est, ne dispensatio subreptitia existat, ut aliàs diximus; altera est quia licèt in dictâ Clem. *Eos*, nulla habeatur mentio de copulâ, dùm loquitur de solo contractu matrimonii, attamen id cavetur decreto supra dicti concilii Tridentini, sess. 24, cap. 5, ibi:

Idque in eo multò magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit; quod intelligitur de carnali copulâ subsecutâ, et ita semper dùm sermo habetur de matrimonio consummato, intelligitur, secutâ copulâ carnali quod satis docet text. in cap. *Ex publico*, § *Sanè* de convers. conjug. ibi : *De his quorum matrimonium carnali copulâ est consummatum, sine quâ consummari non potest.*

Si tamen hujusmodi oratores se carnaliter cognoverunt, absque contractu matrimonii profectò pœnam hujus constitutionis non incurrunt, cùm hæc contractum matrimonii tantùm prohibeat, Glossa, in d. Clem. *Eos*, in d. verbo *Contrahere*.

Et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri.—Hæc causa potissima est ut concedatur hæc dispensatio, ut dictum est, et facit recedere à regulis juris, l. *Si hominem*, ff. *Mand.*, Dec. in cap. *Cùm sit Romana*, num. 13, de Appel.; Menoch., de Arbitr. jud., lib. 2, centur. 5, casu 52, num. 5. Constat enim ex dictâ Clem. *Eos*, debere oratores separari, ibi, *donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur*, ac etiam ex dicto concilio, ibi : *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur.* Et sic petunt secum dispensari ad evitanda scandala, quæ evenirent, si divortium hujusmodi fieret; hæc enim justa causa est ad dispensandum, Guttier, canon. quæst., lib. 2, cap. 15, n. 107. Et in hoc casu loquitur, text. in c. *Quia circa*, de Consang., nempe, de matrimonio de facto contracto, ac dispensatione in eo concedendâ.

Et quatenus, etc., parito judicato.—Si fortè oratores de hoc fuerunt inquisiti, quia tenentur parere sententiæ desuper ferendæ, et possunt puniri juxta formam auth. *Incestas nuptias*, c. de Nupt., cò magis quia hodiè pœnæ dict. auth. approbantur de jure canonico, ut patet in dict. Clem. 1, de Consang. et Affin. et ibi : *Per prædicta quoque juribus, quæ sic contrahentibus alias pœnas imponunt, in nullo volumus derogari.* Boer., decis. 264, num. 15, circa medium, ubi alios doctores allegat. Reliqua vide quæ circa similem clausulam diximus supra.

Eos a generali excommunicationis sententia, etc. —Quæ nimirùm continetur in dict. Clem. *Eos*, ibi : *Ipsos excommunicationis sententiæ, ipso facto decernimus subjacere;* quæ propterea dicitur generalis, quia generaliter lata est à jure, sicut etiam generalis excommunicatio dicitur ea quæ lata est ab homine per sententiam judicis, generaliter latam, vel per modum statuti; quia æquipollet canoni, Covar. in c. *Alma mater*, p. 1, § 12, num. 4, vers. *Secundò*, de Sentent. excom., in 6.

Quia verò, experientiâ compertum est nonnullos hujusmodi matrimonia contraxisse, sub conditione si Summus Pontifex super impedimento dispenset, videndum est, an isti incurrant propterea eamdem excommunicationem.

In hâc quæstione variæ sunt doctorum opiniones. Innoc. enim in c. *Super eo*, de Condit. appos., id fieri posse negat, quam opinionem, dicit esso communem, Aret. in l. *Apud Julianum*, § *Constat.*, ff. de Leg. 1.

Sed quidquid, tam supradicti quàm cæteri doctores dicant, contraria sententia est verior, et in praxi recepta, nempe posse hujusmodi matrimonia, sub dictâ conditione contrahi, prout validissimis juribus tenuerunt, Butr. in d. c. *Super ec*; Boer., decis. 463, n. 27, ubi ait quòd omnes ferè contractus in quibus superioris confirmatio est necessaria, solent fieri sub beneplacito Papæ, aut Principis, vel ejus Curiæ supremæ, Jul. Clar., lib. 5, § *Incestus*, vers. *Et quid si aliquis*, in fin., ubi dicit quòd reverà quotidiè videmus in hâc formâ contrahi matrimonia; ac propterea ab hâc opinione nullo modo esset in praticâ recedendum; cùm certum sit taliter contrahentes non incurrere excommunicationem latam in d. Clem. *Eos*.

Quod verò aiunt contrariæ sententiæ doctores quòd pendens à voluntate principis reputatur impossibile, vulg. jur. respondit id. Sanch., d. disp. 5, n. 12, locum sibi tantùm vendicare, quando princeps concedere non solet; secùs verò, quando solet, per text. in d. leg. *Apud Julianum*; subdens ibi quòd neque quando difficillimè concedit, reputatur impossibile; quia hoc potiùs ad difficultatem, quàm ad impossibilitatem pertinet.

Matrimonium inter se de novo. — Clara namque satis est conclusio, quòd quotiescumque, matrimonium ob aliquod impedimentum dirimens non tenet, opus est quòd omnia ex integro ponantur, quæ sunt necessaria et de essentiâ matrimonii, Guttier., canon. Quæst., c. 18, n. 4; Navar., cons. 4, de Spons., et sic requiritur denuò utriusque consensus, qui est de substantiâ matrimonii, c. *Tua nos*, in fin. ubi Glossa penult. Butr., n. 10, et Abb., n. ult., de Spons., cùm sit causa efficiens ipsius matrimonii, c. *Sufficiat*, 27, q. 2, c. *Cùm apud*, et c. *Tua*, de Spons. c. *Tuas*, de Spons. duor., et ubi in matrimonio deficit consensus, illud non solùm est ipso jure nullum; Abb. in c. 2, n. 2, de eo qui dux. in matr.; sed etiam dici potest non fuisse contractum, quia, ubi deficiunt substantialia, nihil dicitur actum; id. Butr. in c. 1, n. 7, de sacr. Unct., ac propterea omnia veniunt iteranda; cùm in hoc casu non sit locus suppletioni, ut per Joan. Andr. et alii loco cit.

Quod quidem præcipuè vendicat sibi locum, si matrimonium fuerit contractum absque præsentiâ parochi, quem omninò debere intervenire statuit, concil. Trid., sess. 24, c. 1; nam illius præsentia, cùm requiratur de formâ, si illa non adimpletur, nullum remanet matrimonium, ex quo ea quæ sunt de formâ necessaria debent intervenire tempore quo actus producitur in esse, ut per Bald. in l. *Observari*, § fin., n. 3, ff. de Off. procons. Nec ea omissa potest agi de ratificatione ex subsecuto consensu; quia in ratificatione actûs nulli, consideratur tempus ratificationis; quæ nunquàm retrotrahitur, ita ut actus ex tunc valeat, sed tantummodò operatur validitatem ex nunc, Bart. in d. l. *Observare*, Alex. cons. 16, n. 19, l. 6, cum aliis allegatis per Dec. in l. *Quod ab initio*, in fin., ff. de

Reg. jur. et cons. 442, n. 22, et communiter doctores.

Unde videmus etiam in praxi, quòd cùm procurator constitutus ad resignandum, non servaverit formam in mandato traditam, resignatio non convalidatur ratificatione resignantis, sed denuò est præstandus novus consensus formalis; Put., decis., 111, l. 3.

Et aliàs sac. congr. concil. declaravit matrimonium nullum ex publicâ causâ, non indigere præsentiâ parochi ad illud convalidandum, et non valet dicere fuisse ratificatum per copulam subsecutam, et dicitur notorium ac reputatur publica causa si constet ex libro baptizatorum, aliquem ex contrahentibus tempor matrimonii non esse legitimæ ætatis, ut in unâ Balneoreginen. 8 junii 1629.

In his igitur terminis, licèt nonnulli teneant, quòd si matrimonium contractum sit inter prohibitos, etiam cum conditione, videlicet, si Papa dispensabit, adveniente tamen dispensatione, non sit necessarius novus consensus, ut præsertim concludit Butr., in c. *Super eo*, de Cond. app. et Boer., decis. 264, n. 27. Nihilominùs contrarium est verius, quòd imò requiritur novus consensus, quia matrimonium sic contractum habet vim tantùm sponsalium, sicut aliàs diximus, ac propterea Papa dispensando, dat tantùm facultatem contrahendi, non autem approbandi, quod illicitè factum est, ut per Card., in c. *Super eo*, de Cond. appos., et fuit dictum in unâ Valentin. matr. 10 decemb. 1595; nam si matrimonium fuerit inter inhabiles contractum, licèt inhabilitat, seu impedimentum postea cesset, non tamen ratificatur matrimonium ex priori consensu, sed ex novo, propter quod novum contrahitur matrimonium; id. Boer., d. n. 27; nisi tamen dispensatio fuerit concessa, ita ut oratores possint in corum contracto matrimonio remanere, juxta ea quæ infra dicentur.

Servata forma concilii Tridentini.—Ac propterea erunt faciendæ publicationes, modo præscripto ab ipso concilio, ut aliàs diximus; ut si fortè, per eas reperiatur aliud impedimentum, ultra expressum, valeant oratores petere aliam dispensationem et reliqua perficere.

Nec præter dictam formam contrahi potest, quod tantùm licet, quando videlicet matrimonium fuisset nullum, puta propter defectum consensûs per vim et metum provenientem; qui si fuerit occultus, excludit novas solemnitates, sicut declaravit S. cong. ejusdem concilii his verbis, *si impedimentum ex vi et metu præsuppositis, occultum contrahere, repetitis solemnitatibus, aliàs ritè juxta formam hujus decreti adhibitis in primo contractu.*

Est præterea in hâc nostrâ praxi videndum, numquid stantibus supra dictis verbis, videlicet, *servatâ formâ concilii Trid.*, si detur casus quòd fuerit matrimonium contractum, licèt invalidum propter aliquod occultum impedimentum, debeat illud denuò contrahi, cum eisdem prioribus solemnitatibus ab ipso concilio requisitis? Et videtur posse affirmativè responderi, per plura quæ adducit Sanch., lib. 2, disput. 37. Attamen sufficit inhærere praxi quotidianæ, quæ contrarium admisit, et exordium sumpsit tempore pontificatûs fel. record. Pii V, ut ait Navar., cons. 14, de sponsal. in fin. aliàs à nobis ad id relatus, dicens cardinalem propœnitentiarium retulisse, in signaturâ placuisse sanctissimo, ut in hujusmodi impedimentis occultis, quando matrimonium est renovandum, possit hoc fieri inter ipsos conjuges, secretè, et quòd non sit necessaria præsentia parochi vel testium.

Id enim validissimis fundamentis probat id. Sanch., d. disp. 37, ubi sub n. 3, vers. *Hos ergo supposito fundamento*, ait quòd ratio finalis concilii Trid., sess. 24, c. 1, de Reform. matr., non se extendit ad hunc casum; cùm prius matrimonium invalidum in foro Ecclesiæ validum et publicum fuerit, et subinde, si aliud matrimonium contrahere vellent, impedirentur ab Ecclesiâ credenti matrimonium illud publicum esse validum; ex eo ignoratur occultum impedimentum adesse; præterea matrimonium hujusmodi esset denuò contrahendum, sequerentur multa scandala et inconvenientia; unde credendum non est, voluisse d. concilium conjuges obligare, ut iterùm publicè contrahant; quòd jam transivit in stylum sacræ pœnitentiariæ, quæ, ut pluries ostendimus in diversis formulis rescribendi, in casibus dispensationum super occulto impedimento, si asseritur matrimonium jam publicè in facie Ecclesiæ contractum exstitisse, semper præcipit ut matrimonium inter se de novo secretè, ad evitanda scandala, contrahere valeant.

Unde hoc stylo sic stante, audiendus non est Pet. Ledesma, de Matrim., quæst. 45, art. 5, dubio penult., dùm dicit, id procedere propter declarationem Pii V; nam eâ seclusâ, et stando in contextu concilii Tridentini, quamvis probabile esset, matrimonium nullum ob occultum impedimentum, posse clam celebrari; probabilius tamen esset oppositum; quapropter censet supra dictum Pium V, non declarâsse concil., sed in illo dispensâsse; et eumdem Petr. Ledesmam improbat etiam Sanch., d. disp. 37, numero 7, ex quo ait eumdem Pium, non dispensâsse super dicto concilio, sed illud declarâsse. Nec ego video, quomodò contrarium alii senserint; cùm tunc debeat servari forma prædicti concilii, quando matrimonium omninò celebratur, veluti præmissis denuntiationibus, ac parocho et testibus intervenientibus; in casu tamen revalidandi illud prævià dispensatione in foro conscientiæ super occulto impedimento, sufficit quòd suppleatur defectus interni consensûs, vel alius defectus occultus; cùm matrimonio priùs contracto jam præmissa intervenerint, ut per Henr., lib. 11, de Matr., c. 12, n. 2, quem refert id. Sanch., d. l. 2, disput. 32, n. 13, qui tamen præmissa locum sibi vendicare ait d. disp. 37, n. 10, dummodò parochus, et testes ignorent tale impedimentum, aliàs enim, quantùmcumque occultum, necessariò esset matrimonium denuò coram ipsis Parocho et testibus contrahendum, quia cùm ipsis constet, in foro Ecclesiæ, matrimonium esse nullum, non sunt testes valoris, sed nul-

litatis matrimonii ex eodem Henr. dicto l. 11, c. 5, n. 7.

Et recepto eis juramento, quod sub spe facilius, etc. — Sic etiam matrimonio, ut supra contracto exprimendum erit, cùm petitur dispensatio, an scilicet spes concepta fuerit per contractum hujusmodi, faciliùs consequendæ dispensationis, ut aliàs super eisdem verbis diximus, et in individuo tenet Navar. in c. *Si quando*, except. 5, numer. 6, de Rescript, quòd si eâ spe fuerit contractum et consummatum matrimonium, erit de hoc facienda mentio; Tolet., l. 7, sum. c. 18, num. ult.; Guttier. canon. Quæst., l. 2, cap. 15, num. penult.

Prolem susceptam, et suscipiendam exinde legitimam decernendo.—Patet ex hoc quòd Papa ita legitimando prolem ex matrimonio clandestinè et de facto contracto dispensat etiam in radice matrimonii, ut hìc; ita quòd filii ex hujusmodi matrimonio nati, legitimi reputentur, etiam in præjudicium venientium ab intestato; cùm possit idem Papa removere impedimentum quo oratores ad matrimonium contrahendum, inter se detinentur; ac tale impedimentum sit jure canonico statutum; quod magis patet, quando idem Pontifex in litteris hujusmodi dispensationis concedit ipsis oratoribus ut possint in eorum sic contracto matrimonio remanere, ac proinde illum approbando, prout ex tunc, nimirùm perinde ac si matrimonium ab initio validum contraxissent, Covar., de Spons., 2 p., c. 8, num. 13, Navar. cons. 2, num. 12 et seq., qui fil. sint leg.; Sanch., de Matrim., l. 8, disp. 7, n. 4, et inter cætera patet ex Glossâ in Clem. unicâ immunit. Eccles.; ibi enim habetur, quòd summus Pontifex revocat nonnullas constitutiones suorum prædecessorum, et quidquid ex eis secutum est, et ibi d. Gl. in verbo *Infectis*, sic ait: *Vide quanta est papalis potestas, circa ea quæ simpliciter sunt de jure positivo, quia revocat illa, ut ex tunc;* Abb in cap. *Non debet*, de Consang. et Affin.; id. Sanch., d. num. 4, text. in cap. *Quod nobis*, qui fil. sint legit., et Glossa, in cap. 1, de Constit.; ubi, quod Papa habet tantam plenitudinem potestatis, quòd potest revocare omnes leges, à se vel prædecessoribus suis latas, cum omnibus effectibus ab eis productis; ita ut censeantur revocatæ à tempore quo factæ fuerunt; id. Navar. cons. 2, num. 9, qui fil. sint legit. Unde ex hâc dispensatione, in radice matrimonii factâ auctoritate apostolicâ, necessariò sequitur legitimatio ipsius prolis, quoad utrumque forum, et successionem in quibuscumque bonis et locis, etiam in terris imperii; cùm enim potuerit Papa facere filios illegitimos, prohibendo matrimonium in certis gradibus, multò magis potest facere legitimos, removendo impedimentum canonis id prohibentis, Gabriel, cons. 21, num. 17, lib. 1, ubi ait hanc esse receptissimam opinionem; Put., decis. 483, num. 4, lib. 2, eòque magis, stante dicto decreto legitimationis ipsius prolis, ut supra ibi, *prolem susceptam*, etc., quia cùm de jure canonico proveniat ista illegitimitas filiorum ex conjunctione prohibitâ inde sequitur, ut eâ sublatâ per dispensationem in radice matrimonii, remaneant quidem filii sic suscepti in eo statu in quo essent, si nulla adesset canonica prohibitio, ut in auth. *Quib. mod. nat. effic. sui*, l. *Qui liberos*, d. cap., ff. de Rit. nup., quia maxima et suprema est Papæ potestas circa matrimonia, ut est text., in c. *Proposuisti*, de Concess. præb., qui adeò efficere potest, ut in dispositione loquente de filiis natis ex legitimo matrimonio, veniant etiam filii legitimati à Papâ, prævià ejus dispensatione in radice matrimonii, Socc. ind. *Gallus*, § *Si ejus*, sub., n. 5, vers. *Ad argumentum*, ff. de L. et Posth., quæ quidem dispensatio, est adeò efficax ut per eam consecutivè oriatur præjudicium tertii, cui propter impedimentum contrahentium matrimonium delata erat successio; propterea sublato dicto impedimento per hujusmodi dispensationem, præjudicium tertii non attenditur Sanch., dict. 7, num. 6.

Nec tamen, quòd hìc voluerit Papa dispensare in ipsâ radice matrimonii, poterit in dubium revocari cùm jam ex contextu supra dictarum litterarum ipsius dispensationis expressè videatur scivisse summum Pontificem, oratores clandestinè, et de facto matrimonium contraxisse, qui postea petunt, ut patet in supra dictâ formulâ supplicationis, ut possint matrimonium inter se de novo contrahere, sicut hodiè dicitur in hujusmodi dispensationibus; vel etiam concedit ipse Papa ut oratores possint in eorum sic contracto matrimonio remanere, sicut antea concedi consuevit; per quæ quidem verba, videlicet, ut possint de novo contrahere, sive in eo jam contracto remanere, jam satis liquet, dispensationem hujusmodi concedi in radice, id est, origine, seu initio matrimonii; revocando impedimentum quod ipsum irritavit ac si nunquàm irritâsset; efficietque ut dispensatio retrotrahatur ad matrimonium initum; ac proinde censeatur, ac si illud fuisset ab initio validum, nullo impedimento irritante existente: quo casu proles est verè legitima quoad omnia; Sanch., d. num. 4, qui multis ibi id rationibus et juribus comprobat; atque perinde est, ac si approbatum et confirmatum, fuerit ab ipso Papâ, removendo impedimentum, quod impediebat illos contrahere, et in contracto permanere, et aliàs Rota in unâ Pampilonen. illegitimitatis, 10 junii 1609, coram justo, per doctores in eâ allegatos, hìc contenta est de solo consensu et affectu maritali cum copulâ, ut proles inde suscepta cum dispensatione, in radice, verè dicatur legitimata, et præsertim clariùs id desumitur ex voluntate Papæ dispensantis in ipsâ radice, quando concedit in dispensatione, licentiam ut ipsi oratores possint in jam contracto matrimonio remanere; eo enim ipso quòd datur licentia permanendi in matrimonio contracto, dicitur in radice dispensandum, Syl., in Sum., in verbo *Legitimus*, num. 9, ac proinde, quando proles habita fuit nullo præcedente matrimonio irrito, sed ex concubitu omninò fornicario, non potest summus Pontifex eam, quoad temporalia et secularia, legitimare extra loca suæ temporalis jurisdictionis; cùm nulla hìc adsit matrimonii radix, in quâ Papa dispenset, Abb. in c. litteras, n. 27, in

mue de Rest. spol.: Sylv., verbo *Legitimus*, q. 7, dist. 5; Peregr. de Fideic., art. 24, n. 76, quos refert. Sanch., d. l. 8, disp. 7, num. 7.

Est hìc tamen advertendum, quòd non desunt qui dicant, quòd quando Papa cum oratoribus dispensat dando eis licentiam ut possint remanere in matrimonio contracto, non inducitur dispensatio super radice, ut ait Sanch., l. 8, disp. 7, num. 25, qui dicit, ad hoc, ut sic dispensatum censeatur, oportet ut interveniat ipsorum oratorum novus consensus; hanc enim suam opinionem pluries reprobavit Rota; nec id suis fundamentis caret, quia Papa dispensando, quòd conjuges possint in contracto matrimonio ita nulliter contracto remanere, dicitur illud omninò approbare et confirmare, et non est necessarius in hoc casu novus consensus, sed sufficit naturalis ab initio præstitus, quod deducitur ex c. *Cùm locum*, c. *Cùm apud*, et c. *Tua*, de Spons., quod tantò magis confirmatur, quia etiam post mortem alterius ex conjugibus, et quando non potest subsequi novus consensus, potest approbari matrimonium in radice, quatenùs dispensatio fuerit petita eorum vitâ durante, Navar. cons. 2, qui fil. sint leg., ubi quærit, an Papa possit facere, ut post mortem alterius conjugis putativi ob impedimentum consanguinitatis sive affinitatis, filii incestuosi fiant legitimi, approbando matrimonium inter ipsos, perinde ac fieret si ambo viverent, et approbaretur ab ipso Papâ, et affirmativè concludit num. 6, ubi ait quòd, quidquid potest justè fieri per canonem, potest fieri per Papam; cùm ipse sit pater et auctor canonum; Rota, decis. 207, num. 1 et 2, p. 1, divers., et quòd non requiratur novus consensus, tenet Glossa, recepta, in c. *Non debet*, verbo *De cætero*, de Consang. et Affin.

Quod quidem magis ex supra dictâ clausulâ, videlicet, *prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo*, patet; quapropter, sicut proles suscipienda, erit sine dubio legitimata in radice matrimonii, ita etiam proles ante suscepta, cùm non debeant diverso jure censeri, l. *Cùm qui ædes*, de Usuc., tantò magis cùm verba ipsius clausulæ determinentur ab eisdem verbis, *legitimam decernendo;* ac propterea æqualis debet esse determinatio, Alex. in l. *In test. la prima*, c. de Test.; Cephal., cons. 307, n. 55, cum seqq., et subdit præsertim n. 61, dictam clausulam non fuisse necessariam, propter filios natos post dispensationem in figurâ matrimonii, sed propter filios tantùm antea natos; ob illam dictionem *exinde*, ut ibi, *prolem susceptam et suscipiendam;* quia respectu prolis susceptæ non potest referri, nisi ad tempus vel factum præcedens, ut dicitur de dictione, *ex tunc*, cum quo quidem terminos omnes admittunt dispensationem esse in radice matrimonii; præsertim cùm hìc non fiat legitimatio, sed decretum legitimitatis, per illud verbum, *decernendo*, ex quo Papa, dùm tollit impedimentum juris canonici, disponit super ipsâ radice matrimonii tanquàm à principio; et proles redintegratur ad ipsum principium, ac si nullum affuisset canonicum impedimentum; ac dispensatio in radice matrimonii est ad differentiam simplicis legitimationis; quando nimirùm impetratur legitimatio circa solam illegitimitatem seorsim, et à matrimonio separatim, prout in unâ Pampil. illegitimitatis, 10 junii 1609, per tot. penes Farinac., tomo 1, p. 1, decis. 191. Benè tamen advertendum est quòd licet hujusmodi dispensatio concedatur, in ipsâ radice matrimonii, quæ illud convalidando ab initio, legitimat prolem, Abb. in c. *Per venerabilem*, num. 22, qui fil. sint. legit., attamen est id intelligendum de prole susceptâ in figurâ matrimonii, ut elicitur ex verbis ejusdem supplicationis, in quâ dicitur quòd oratores matrimonium contraxerunt, et carnali copulâ consummârunt, prolemque susceperunt; Ludovis., decis. 19, per tot. et ibi Addit., ait quòd dispensatio in radice matrimonii, comprehendit tantùm prolem susceptam in figurâ matrimonii, non autem natam et conceptam ante matrimonium; quæ quidem proles censetur legitima, non solùm quoad parentem habentem bonam fidem, sed etiam quoad alium, malam fidem habentem, ut per Sanch., lib. 3, disp. 42, Addit. ad eumdem Ludovis., decis. 461, num. 11. Nec quidquam prodest quòd proles suscepta ex incestu, non legitimetur per subsequens matrimonium, etiam verum, datâ scientiâ de tempore, quo fuit suscepta; id enim non procedit stante dispensatione Papæ, cum decreto legitimationis prolis, tam susceptæ quàm suscipiendæ, ut dictum est; hoc enim modo Papa dispensando in radice matrimonii, illud approbando cum ejus effectu, et tollendo impedimentum usque ab initio cum reintegratione prolis, perinde est, ac si nunquàm exstitisset impedimentum, et conjuges fuissent semper in potentiâ liberâ contrahendi matrimonium legitimum; id. Ludovis. dictâ decis. 461, n. 6, cum seqq.

Cæterùm etiam pro eo quod nostra praxis postulat, neminem latet, hujusmodi dispensationem nequaquàm simpliciter, et sine causâ concedi; nam licèt, ut ait id. Navar., d. cons. 2, num. 15, Papa, de plenitudine potestatis, possit supra dictam legem de non contrahendo in gradu prohibito revocare, eo modo quo dictum est, id tamen facere minimè potest absque peccato, sine aliquâ magnâ et justâ causâ; cùm idem Pontifex non debeat uti plenitudine potestatis sine causâ; licèt possit ita uti, ut valeat actus: ex quo, ut id. Navar. ibidem ait, si vellet, pro libito, sine causâ justâ, posset tollere omnes canones inducentes jure humano, impedimentum matrimonii; et hâc de causâ accederet ad ipsum pontificem innumeralis multitudo, non solùm Gallorum, Hispanorum et Germanorum, sed etiam Italorum, ut legitimet filios illegitimos ob impedimenta, per hujusmodi revocationes canonum. Ac proinde nôrunt omnes curiales hujusmodi dispensationem, non nisi cum causâ concedi prout in supra positâ formulâ supplicationis, in quâ pro satis sufficienti et legitimâ causâ allegatur periculum scandalorum; dùm dicitur, *et si divortium fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri;* stantibus notâ et infamiâ mulieris; cùm scandala justam præbeant causam ad dispensandum in omni casu prohibito;

Anchar., cons. 339, Paris. de Resign. benef., lib. 5, q. 3, num. 167, et idem affirmat Sanch., d. disp., num. 5, dùm ibi dubitat gravem culpam à Pontifice admittendam, si absque causâ legitimâ dispensationem hanc concederet; quamvis valida esset tanquàm in solo jure humano facta sit; ex quo cedit in grave damnum succedentium in eam hæreditatem si proles non legitimaretur. Et in hoc sensu accipiendum videtur quod dicit additionator ad Navar., cons. 2, in fine, qui fil. sunt legit., nempe Gregorium XIII, anno 1584, mense novembris, negâsse dispensationem hujusmodi à se petitam, et addidisse se non posse dispensare : quod quidem intelligerem, se scilicet noluisse sine causâ dispensare, propter allatam rationem, nempe, ob præjudicium tertii, licèt reverà id possit, ut dictum est; præsertim, quia ut ait id. Sanch., d. numero 4, hoc non est directè dipensare in lege civili, et effectibus ejus, sed indirectè et per quamdam consequentiam; ex quo lege civili incurruntur ea damna à prole, suppositâ legis ecclesiasticæ irritantis matrimonium firmitate, ex quâ subsecutum est ut matrimonium sit irritum, et subinde proles ex eo concepta, illegitima ac subdita omnibus illegitimitatis damnis, jure civili statutis; unde cùm summus Pontifex, suâ dispensatione in radice matrimonii, tollat directè firmitatem illius legis ecclesiasticæ, eamque prorsùs aboleat, perinde est, ac si lex illa nunquàm emanâsset; ac efficiet indirectè et per quamdam consequentiam, ut ea omnia damna cessent, utpotè quæ ex legis ecclesiasticæ firmitate pendebant. Hoc enim casu, non dicitur posse Pontificem efficere, ut hujusmodi matrimonium fuerit à principio, firmum, vel nunc incipiat valere, absque novo contrahentium consensu, vel ut ex eo non sint secuti effectus jure civili statuti, cùm hæc non subsint Pontificis potestati; sed tantùm dicitur, ita summum Pontificem dispensare posse, prout ex tunc in ipsâ matrimonii irriti radice; ac delere et revocare omnia damna, quocumque jure humano inde incursa, ac in eum statum prolem restituere, quem haberet, si ex matrimonio valido orta fuisset; sicque destructo legis ecclesiasticæ valore, cui tanquàm fundamento, illegitimitas, ac cætera damna innitebantur, illa omnia corruent. Hinc propterea destruitur objectum, quòd fortassè diceretur hoc tantùm probare de damnis jure pontificio secutis, secùs verò de secutis jure civili; ex quo, cùm nequeat Pontifex in hoc jure dispensare, nequibit quoque in effectibus ex eo consurgentibus. Responsio verò est non posse directè in his dispensare, posse verò indirectè, et per quamdam consequentiam : de destruendo legem suam ecclesiasticam, ex quâ tanquàm ex fundamento, illa omnia pendebant; quandoquidem multa fieri possunt indirectè et per quamdam consequentiam, destruendo suam legem ecclesiasticam, ex quâ tanquàm fundamento, illa omnia pendebant; et concludit, quod multa fieri possunt indirectè, et per quamdam consequentiam, quæ directè et principaliter fieri nequeunt; exemplo juris patronatûs, quod licèt per se directè vendi non possit absque labe simoniæ, cùm tamen in consequentiam vendatur, vendito fundo cui est annexum; sic etiam, licèt Papa nequeat directè dispensare in jure civili ac ejus effectibus, poterit utique indirectè et per quamdam consequentiam.

Hæc quidem omnia procedere certò scimus in impedimentis, de jure canonico statutis : quo casu dispensatio ipsius Papæ super matrimonio contracto, lege canonicâ prohibito, trahitur retrò, usque ad principium contractûs; secùs verò, si fuerit divinâ lege prohibitum; tunc enim dispensatio non trahitur retrò; sed valet ex nunc, non autem ex tunc; Borgas., de Irregularit., p. 2, tit. de Interpret. et Extens. dis., num. 19; Put., decis. 483, num. 2 et seq., lib. 2, puta in gradibus consanguinitatis, vel quovis alio impedimento de jure divino naturali, matrimonium dirimente, Covar., de Spons., p. 6, c. 6, § 10, numero 10; imò in his quæ tendunt ad Deum ex quibus ipsi Deo acquiritur obligatio, non solet summus Pontifex dispensare, sine maximâ et rationabili causâ, Barbos., de Jur. Eccles., l. 1, cap. 2, numero 124, quia dispensando, vinculum legis divinæ tollere non potest, c. *Sunt quidam*, 25, q. 1, cap. *Litteras*, de Restit. spol., c. *Cùm ad monasterium*, de Stat. monach., ex quo summus Pontifex tenetur usque ad animam et sanguinem, legem divinam defendere, d. c. *Sunt quidam*, cùm divinum sit immutabile, § *Sed naturalia*, instit. de jur. nat. gen. et civ., c. fin., § *His itaque*, dist. 5; solus enim conditor legis suum divinum præceptum tollere, et super eo dispensare potest; quod minimè licet Papæ ejus vicario et inferiori, qui non potest mutare nec destruere legem superioris, c. *Cùm inferior*, de Major. et Obed. Clem. *Ne Romani*, § de Elect. Summi etenim Pontificis judicium debet esse conforme judicio et statuto divino, c. *Ut nostrum*, ut Eccles. benef. fin. dem. confer.; Paris., de Confid., q. 3, num. 16, cum seqq.

Nec refert quòd non desint qui simpliciter teneant, posse summum Pontificem in legibus divinis, ex causâ dispensare, ut dictum est, quos refert Sanchez, de Matrim., lib. 8, disput. 6, num. 5, quia nihilominùs eorum sententia nullo nititur fundamento; cùm naturalis ratio dictet, subditum non posse tollere legem superioris in casu particulari; id. Barbos., d. cap. 2, num. 120, licèt possit declarare, seu interpretari in aliquo casu particulari deficere obligationem legis divinæ; quod quidem quibus modis, et quando id contingere possit. Vide eumdem Barbos., loc. cit., num. 121, cum seqq.

Præterea, neque præmissa dispensatio, sic in radice matrimonii habet locum, quando illud nullum exstitit ex defectu consensûs; sive in utroque vel altero contrahentium, cùm matrimonium ipsum sit jure naturali irritum, et Papa non possit hujusmodi consensum supplere, dispensando in illius radice; id. Burgas., dict. numero 29.

QUOD ALTER ALTERI SUPERVIVENS PERPETUO ABSQUE SPE CONJUGII REMANEAT. — Quæ quidem clausula additur in pœnam hujusmodi delicti, ut patet ex notorio textu in cap. *Si quis cum novercâ*, et in c. *Si quis cum duâ*

bus, 32, q. 7, sicut et concil. Trid. sess. 24, c. 5, statutum est ut scienter in gradu prohibito contrahentes, careant spe dispensationis, de quâ quidem clausulâ egimus etiam supra.

Alio item modo hujusmodi dispensationem peti vidimus, nempe cùm oratores publicè contraxerunt, cum sequenti narrativâ, videlicet: *Quòd ipsi aliàs scientes se tertio*, etc., *conjunctos, non quidem peccandi*, etc., *matrimonium inter se per verba de præsenti publicè factis proclamationibus in eorum parochiali Ecclesiâ, juxta formam concilii Tridentini, nulloque detecto, neque denuntiato impedimento contraxerunt illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt*, etc., *consummârunt; cùm autem*, etc., *et si divortium*, etc., *ab incestûs reatu*, etc., *imposita*, etc. *Volumus autem quòd*, etc., *alter alteri supervivens*, etc., ut in fine clausularum præpositæ supplicationis.

CAPUT IV.

Praxis dispensationis matrimonialis de ignoranter contracto.

Frequentissimè adhuc contingit, matrimonium in gradu prohibito, seu cum alio impedimento dirimente, ignoranter contrahi; quare postquàm egimus de scienter contracto deque illius dispensatione, non incongruè sequitur videre quid in praxi servetur, circa dispensationem super ignoranter contracto, et cum quibus clausulis et decretis dispensari consueverit.

Præmittendum verò est quòd juxta notorium stylum Romanæ Curiæ, quando super hoc porrigitur summo Pontifici supplicatio, necessariò exprimendum est an oratores, qui sic ignoranter contraxerunt matrimonium carnalique copulâ consummârunt, detecto impedimento, abstinuerint ab ipsâ carnali copulâ, an verò in eâ perstiterint; ut juxta facti qualitatem, ipsis opportunè consulatur, si enim ignoranter contraxerunt, statim, detecto impedimento, debent separari, et abstinere à copulâ, aliàs incurrerent saltem pœnas incestûs, l. *Qui contra legem*, in fin. c. de Incest. nupt. et in auct., de Incest., in princip.

Quia verò frequentiùs evenire solet, ut etiam impedimento ipso detecto, oratores nihilominùs in eâdem copulâ perseverârunt, proinde litteras ipsius dispensationis, cum hujusmodi perseverântiæ mentione, hìc subjicimus, tenoris sequentis, videlicet:

ALEXANDER *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali, salutem, et apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii Joannis nati Salvatoris, et dilectæ in Christo filiæ, Franciscæ natæ Laurentii, mulieris Neapolitan., nobis oblata petitio continebat. Quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de præsenti, publicè, factis proclamationibus in eorum parochiali ecclesiâ juxta formam concilii Tridentini, nulloque detecto neque denuntiato impedimento contraxerunt; illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, ac carnali copulâ consummârunt. Postmodùm verò, ad eorum pervenit notitiam, eos quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; et nihilominùs in eâdem carnali copulâ perstiterunt. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, Joannes et Francisca præfati, in hujusmodi matrimonio remanere non possint, absque Sedis Apostolicæ dispensatione; et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri. Quare iidem Joannes et Francisca nobis humiliter supplicari fecerunt ut eis in præmissis, de absolutionis beneficio, et opportunæ dispensationis gratiâ providere, de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum, et scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantùm cum Domino possumus, libenter obviamus, eosdem Joannem et Franciscam, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis à jure, vel ab homine, quâvis occasione vel causâ latis; si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ, de quâ in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs, depositâ per te omni spe cujuscumque muneris, aut præmii, etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere monemus, de præmissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem, preces veritate niti repereris; super quo tuam conscientiam oneramus, tum Joannem et Franciscam præfatos ab incestûs reatu et excessibus hujusmodi, impositâ priùs eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, pœnitentiâ salutari, hâc vice duntaxat in formâ Ecclesiæ consuetâ, in utroque foro auctoritate nostrâ absolvas; et quatenùs contra dictos Joannem et Franciscam, causa super præmissis, in judicium quoquomodo deducta fuerit, parito judicato; ac cum ipsis Joanne et Franciscâ; dummodò ipsa, propter hoc rapta non fuerit, et ignorantia hujusmodi probabilis exstiterit, quod impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus, matrimonium inter se de novo publicè, servatâ formâ dicti concilii contrahere; illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, auctoritate nostrâ dispenses; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quòd si spretâ monitione nostrâ hujusmodi, aliquid muneris aut præmii occasione præmissorum exigere aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras; quâ tamdiù innodatus existas, donec per satisfactionem condignam, absolutionis beneficium à Sede Apostolicâ merueris obtinere. Dat. Romæ*, etc.

Clausulæ autem et decreta in supra dictis litteris apposita, eam, ut sequitur, recipiunt declarationem, videlicet:

ALEXANDER, etc.—QUOD IPSI ALIAS IGNORANTES, etc. — Quòd autem si alter tantùm oratorum, impedimentum hujusmodi ignorâsset, alter verò illud scivisset;

numquid taliter scienti prodesset hæc dispensatio? Et responsio est negativa; quia nullo modo debet illa alteri prodesse, propter sui indivisibilitatem. Navar., consil. 16, de Consanguin. et Affin., ubi quæritur an dispensatio de contrahendo matrimonio, non obstante quarto gradu consanguinitatis, cum supplicatione, quòd ignorantes impedimentum contraxerunt matrimonium, valeat, si vir sciebat vel scire tenebatur impedimentum, quod tamen femina ignorabat, et respondet decisionem hujus quæstionis pendere ab illâ, an ignorantia impedimenti feminæ, efficiatur, ut ipsa et vir dicantur ignorâsse impedimentum, et putat quòd non: et quòd vir indigeat revalidatione dispensationis: et quia jam scit mulier, indigebit et ipsa. Præterea, quòd dispensatio prædicta non prodest viro, nec per quamdam consequentiam uxori, propter indivisibilitatem, et unionem hujus matrimonii; id. Navar., d. consil. 16, et nos supra diximus, ubi hujus rei praxim declaravimus.

Ut tamen planè scias quænam ignorantia excuset à pœnis contrahentes hujusmodi matrimonia, præmittendum est quòd ignorantia, alia crassa et supina est, alia affectata, alia probabilis; Sayr. de Cens., l. 1, c. 18, n. 2.

Ignorantia crassa et supina est illa quâ quis ignorat id quod communiter omnes sui ordinis sciunt, et quod ipse scire debet et potest; id. Sayr., n. 4.

Affectata est ubi quis ignorat quia scire non vult; quod scire debet et potest; id. Sayr., n. 5.

Probabilis, seu alio modo invincibilis, ita dicitur quæ manet postquàm homo debitam diligentiam adhibuerit, et quâ homines sui statûs communiter post debitam diligentiam, laborant; qualis est ignorantia, quâ homines doctos et timoratos consulens, non rectè instruitur, vel, ut hìc, quia publicationes fieri fecerunt oratores in eorum parochiali ecclesiâ et nullum repertum est impedimentum ad contrahendum; Navar. in Manuali, c. 23, num. 45 et 46.

Agitur verò hìc de ignorantiâ probabili, ut dictum est, quia dùm d. Clem. *Eos*, de Consang. et Affin., hìc imponit pœnam contrahentibus matrimonia scienter in gradu prohibito, intelligitur de illâ scientiâ, quam sentit ibi Glossa, in verbo *Scienter*, ubi ait ignorantiam probabilem, id est, invincibilem, quia ignorabant oratores se esse consanguineos vel affines; aliàs enim ratione plecterentur pœnis in dict. Clem. contentis.

FACTIS PROCLAMATIONIBUS IN EORUM PAROCHIALIBUS ECCLESIIS,—ad præscriptum concilii Trident., d. sess. 24, de Reform., ibi: *Ter à proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in ecclesiâ inter missarum solemnia, publicè denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum; quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

Præmissis igitur dictis proclamationibus, ac omnibus ex præscripto ejusdem concilii servatis, si aliquod postea detegatur impedimentum, nullam oratores incurrent pœnam, sive dicti concilii, sive in d. Clem. *Eos*, de Consang. et Affin. contentam.

Quamvis, si postea, detecto impedimento supra dicto, perstiterint in copulâ, incurrent pœnas incestûs, ut supra diximus; si verò statim abstinuerint, ab omni prorsùs pœnâ immunes redduntur, stante ignorantiâ supra dictâ, quod præcipuè statuit ipsum concil., sess. 24, c. 5, ibi: *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuerit, tunc faciliùs cum eo, et gratis dispensari poterit, et nos infra dicemus*

Idemque dicendum est, quando hujusmodi denuntiationes omittuntur de licentiâ ordinarii; quod quidem necessariò exprimendum erit in supplicatione dispensationis impetrandæ, cujus narrativa, sequentibus verbis concipi consuevit, videlicet: *Quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de præsenti, publicè (proclamationibus juxta formam concilii Trident. fieri solitis, de licentiâ ordinarii prætermissis) servatâ tamen in reliquis concilii prædicti formâ, nulloque detecto neque denuntiato impedimento, contraxerunt*, etc.

Pariterque servat stylus hanc mentionem esse faciendam in supplicatione de scienter contracto, in quâ dicitur: *Quòd ipsi aliàs scientes se quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ*, etc., *faciliores reddendi, matrimonium inter se per verba de præsenti, publicè, prætermissis de licentiâ ordinarii*, etc., ut supra.

Factis igitur supra dictis proclamationibus, nulloque inter oratores reperto impedimento ad contrahendum matrimonium, faciliùs cum eis dispensatur, ut supra, ex d. concilio Tridentino, dictum est, quia, cùm ipsi oratores contraxerint servatâ formâ ejusdem concilii, pœnam non merentur, ad text. in l. *Grachus*, cum ibi not., c. ad leg. *Jul.*, de Adult., quia ignorantibus dolus imputari non potest, l. *Genero*, ff. de Infam.; Cravet., cons. 8, num. 10, qui tunc imputaretur, quando ipsi oratores non curâssent inquirere illud quod tenebantur; tunc enim ignorantia nullo modo eos excusat, quando non adhibuerunt diligentiam in inquirendo ex præcepto ejusdem concilii, cap. penult., ante fin., et cap. fin., 37 dist., cap. *Innotuit*, in verbo *Ignorantiam*, de Elect., et facit text. in l. *Regula*, § *Sed facti*, ibi, *verum ejus qui eam rem diligenter requirendo notam habere possunt*, ff. de Jur. et facti ignor. l. *Si aviam*, in fin., c. de Ingen. manum.

Et sic non debent aliquo modo, ut dictum est, oratores ipsi subjacere pœnis appositis in Clem. *Eos*, de Consang. et Affin. ac concilii supra dicti, facit doctrina Joan. Andr., in cap. 2, de Constit., lib. 6, dùm voluit, pœnam constitutionum, non ligare ignorantem; cùm non habeat animum delinquendi; et ait Anton. de Butr., in dict. cap. 2, quòd statutum addens pœnam in facto damnato de jure communi, non ligat ignorantem, quia non omnes tenentur scire impedi-

menta matrimonii quæ etiam multi sacerdotes ignorant, ut ait Sanch., lib. 2, disp. 38, num. 3, et diximus nos supra. Cùm igitur oratores jam ea adimpleverint, ad quæ ex dicto concilio tenebantur, nempe fieri faciendo debitas publicationes, supra dicta ignorantia illos excusat, per jura superiùs allegata. Et quia in aliquibus Christianorum provinciis decretum concilii Tridentini non fuit promulgatum seu receptum, ut in quibusdam Galliæ partibus, et in Poloniâ; quibus in locis, si matrimonium contrahatur absque parocho et testibus, certum est valere, inquit Sanch., l. 3, disp. 18, n. 1, propterea, in hoc casu consuevit id exprimi in supplicatione, per hæc verba, videlicet : *Quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de præsenti, publicè, adhibitis omnibus solemnitatibus, de more patriæ, adhiberi solitis nulloque detecto, neque denuntiato impedimento, contraxerunt; illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt*, etc., ut infra scripta formula de ignoranter contracto, quando oratores abstinuerunt à copulâ.

Quod quidem passim cum istâ narrativâ admittitur pro supra dictis locis, sicut sæpè vidimus practicari; nam lex, vel dispositio principis, non acceptata, neque moribus utentium comprobata, non ligat subditos, quamdiù non fuit observata, sciente et tolerante Principe, ut per Glos., in cap. 1, in verbo *Frangere*, de Treug. et pace; Navar., cons. 1, de Constit., n. 23, cum plurib. sequentibus; cùm semper lex habeat tacitam conditionem, quatenùs videlicet illa moribus utentium recipiatur, text. in c. *In istis*, § *Leges*, 4 distinct., et cùm multæ leges moribus patriæ non conveniant, idcircò permittitur cuilibet provinciæ in suo sensu abundare; Anchar., cons. 218, Gonz, glos. 26, n. 2, cum seqq., quod quidem practicatur, non solùm pro originariis supra dictorum locorum, verùm etiam pro peregrinis, qui per modum transitûs aut hospitii, divertunt ad hujusmodi loca, ut constat ex cap. Iæa, dist. 12, ubi Glossa, in verbo *Societatem*, ait quòd quilibet tenetur vivere secundùm consuetudinem illorum, inter quos versatur : unde illud exordium duxit, videlicet :

Si fueris Romæ, Romano vivito more,
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

Id. Sanch., d. disp. 18, n. 4, qui n. 5, ait ex pluribus doctorum sententiam hujusmodi hoc moderamen admittere, nempe, ut solus transitus non sit sufficiens ad obligandum ad statuta et consuetudines illius loci, nisi qui transit, illìc sistat.

Idemque dicendum esset ubi dictum concilium in aliquâ tantùm esset suî parte receptum, in aliâ verò non; quod quidem obstare non videtur; licèt enim Rota pro indubitato teneat, quòd non usus, sive contrarius usus populorum sine consensu Papæ non possit operari contra validitatem Constitutionum Apostolicarum; ex latè deductis in unâ Romanæ concordiæ S. Petri die 13 novembris 1609, et 12 februarii 1610, coram Cavalenc, ut per eamd. Rot. apud Farin., decis. 356, num. 7, nihilominùs novum non est, quòd videlicet constitutio servatur quoad aliqua et quoad alia abeat in desuetudinem; Ruin. consil. 55, in fin. lib. 5, Cornel., consil. 20, num. 2, vers. *Nec etiam obstat*, lib. 3; neque peritos latet curiales, quòd sive non usus, sive contrarius usus nonnullarum apostolicarum constitutionum servatur, etiam in ipsâ Romanâ Curiâ, et in cancellariâ apostolicâ, quæ est organum Papæ, Cæs. de Grass., decis. 1, num. 8, de Probat., qui dictum non usum, seu contrarium usum scit et tolerat; nec dici potest, id ab ipso Papâ ignorari, quandoquidem non solùm exinde infertur ad scientiam ipsius Papæ, quæ regulariter præsumitur et infertur ex scientiâ ejus officialium, verùm etiam ad consensum, qui colligitur ex eo quòd quidquid gessit cancellaria, videtur gestum ab ipso Papâ, Rota penes Farinac., decis. 356, n. 8, p. 1, t. 1. Unde tanto magis dici posse videtur de ipso concilio Tridentino, ubi illud non fuit promulgatum, sive in aliquâ parte non receptum, ut dictum est.

Ad hæc sacra congreg. ejusdem concil. aliàs censuit matrimonium celebratum extra locum propriæ habitationis, et in loco ubi non erat publicatum concilium, absque illius solemnitatibus esse validum, si recessus à loco habitationis fuit actus ad evitanda impedimenta, puta inimicitias et obstacula parentum, sub die 7 februarii 1602. Secùs autem si contrahatur inter se transferentes ad locum, in quo concilium non est promulgatum, sub animo sine parocho et testibus contrahendi, ut in unâ Colonien. 5 septembris 1626, et in unâ Antverpien. 16 decembris 1628.

Hinc propterea non potest episcopus per sua decreta synodalia, invalidare matrimonia quæ clandestinè sine parocho et testibus contracta essent, si ibi non esset publicatum concilium Tridentinum; ita ut matrimonia post hujusmodi decretorum publicationem aliter contracta, si nullum aliud obstet legitimum impedimentum, valida ac firma sint, ideòque conjuges, qui aliàs inter se validè matrimonia contraxerunt, illisque postea per episcopum tanquàm contra formam sui decreti, nullis declaratis, separati fuerint ac insimul habitare desierint, omninò cogendi sunt ut in dictis matrimoniis contractis permaneant, atque unà simul tanquàm veri conjuges cohabitent; ii verò qui primis matrimoniis aliàs validè et publicè contractis et consummatis, ac ab episcopo vigore dictorum decretorum nullis declaratis, secundò contraxerunt, similiter ad priora redire ac in illis permanere cogendi sunt; et hujusmodi matrimonia post publicationem et consummationem priorum contracta, nullo modo, etiam prætextu cujusvis gratiæ, et imminentis scandali, tolerari possunt, aut debent; ead. sacr. congr. in causâ Russiâ 18 novembris, et 2 decembris 1628, teste Barbos., in Coll bull., verbo *Matrimonium*, fol. 446.

Quod autem supra diximus, ipsos scilicet oratores evadere pœnas supra dictas, etiamsi ipsæ publicationes fuerint de licentiâ ordinarii omissæ, ita intelligas, si videlicet non curaverint illas fraudulenter omitti,

ne detegeretur impedimentum, quod inter eos forsan existebat; quia tunc propter fraudem et dolum, supra dictas pœnas incurrunt; et propterea carebunt commodo dispensationis, per text. in c. *Super litteris*, de Rescript, et in cap. *In nostra*, de Sepult.

ET CARNALI COPULA CONSUMMARUNT. — Non videtur hìc necessaria mentio hujus carnalis copulæ; quia, cùm illa sit secuta inter oratores, probabiliter ignorantes se esse consanguineos vel affines, non contrahitur impedimentum incestûs, text. in c. 29, *Si quis cum duabus*, c. *Si quis cum matre*, et c. *Quidam*, 34, q. 2, c. *Ex litteris*, de eo qui cogn. cons. ux. su., ex eo, quòd non dicitur in hoc casu incestus formalis; nec fuit commissum peccatum incestûs; Ledesm., de Matr., quæst. 51, art. 6, 5 difficultate.

His verò non obstantibus, contrarium est verius, etiam de stylo et in praxi receptum; nam, quandocumque interveniat inter oratores carnalis copula, erit de eâ omninò mentio in dispensatione facienda, etiamsi fuerit ea secuta ipsis oratoribus ignorantibus impedimentum, attento supra dicto stylo Curiæ; qui pro lege servatur, c. *Quàm gravi*, de Crim. fal., et sicut nos alibi diximus, et quotidiana praxis docet.

POSTMODUM VERO AD EORUM PERVENIT NOTITIAM, etc., — quæ profectò sive judicialiter, sive extrajudicialiter contingere potest, et exprimi consuevit, etiam si illa contigerit, dùm oratores ignorantes à principio inter eos adesse impedimentum, curârunt fieri publicationes pro matrimonio contrahendo, ac in illis fuit detectum impedimentum; quo casu, etiam quòd dispensatio petatur cum aliquâ ex consuetis causis, puta ob angustiam, vel propter dotem, etc., tunc enim hujus notitiæ expressio ita fieri consuevit in corpore supplicationis, videlicet: *Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, qui aliàs ignorantes inter eos aliquod impedimentum existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, denuntiationes in eorum parochiali ecclesiâ, juxta formam concilii Tridentini fieri curârunt; in quarum proclamationibus detectum fuit eos quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, propter quod in contractu matrimonii hujusmodi ulteriùs non processerunt, quatenùs cum eisdem oratoribus, quod impedimento quarti*, etc. Et utroque casu, notitia hujusmodi debet esse sufficiens, ut clarum sit impedimentum, super quo requiratur Apostolica dispensatio; ac proinde non sufficit si unus testis dicat se audivisse impedimentum, quod tamen probare non possit, Abb. in cap. *Tua*, numer. 3, de Cogn. spirit., prout neque valet testimonium de auditu, sive credulitate; Zerol., in Praxi episcop., verbo *Matrimonium*, part. 1, § *Decimò dubium est*, ubi ait quòd si dùm parochus facit denuntiationes in ecclesiâ, insurgit fama quòd intra contrahentes adest tale impedimentum talis gradûs, tunc opus est dispensatione; ex quo fama magis prævalet, quàm duo testes, quorum alter qui de scientiâ testimonium perhibet, non jurat; alter verò et si juret, tamen asserit se ita audivisse. Si verò insurgit fama de impedimento, sed nullus assignatur gradus, tunc neque propter hoc causatur impedimentum; ex quo fama interdùm oritur ex incerto auctore, et esset ac si multi deponerent de auditu, et nullum assignarent gradum.

Id verò quoad publicum impedimentum; quod aliàs probandum erit ad præscriptum sacrorum canonum, sicut ante diximus. Cùm verò contingit, illud esse occultum etiam in terminis sacræ pœnitentiariæ apostolicæ; sicut docet Sanch., de Matrim., l. 8, disp. 34, à num. 55, tunc recursus habetur ad officium dictæ pœnitentiariæ apostolicæ, à quâ petenda est dispensatio cum licentiâ remanendi in matrimonio contracto; quod quidem non solùm contingere potest eo modo quo superiùs diximus, nimirùm quando oratores matrimonium bonâ fide nulloque in proclamationibus impedimento dirimenti detecto contraxerunt, verùm etiam, quando novum aliud impedimentum impedit executionem litterarum dispensationis jam obtentæ; quod per exempla sequentia, in praxi sæpè occurrentia, patet.

Primò, videlicet, pro oratoribus qui impetrârunt jam pro utroque foro dispensationem, cum quâdam falsâ assertâ causâ; postmodùm verò, negotio occulto existente, impetrant à sacrâ pœnitentiariâ committi discreto viro confessori, qui, eorumdem auditâ confessione sacramentali, ipsos à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis absolvat, injunctâ pœnitentia salutari, dummodò occultum sit, dispensationem impetratam, propter falsam expressionem hujusmodi invalidam esse, et aliàs ritè, ac juxta formam litterarum prædictæ dispensationis, verificatisque in eis narratis, super impedimento talis gradûs, cum ipsis oratoribus dispensatum fuerit, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se de novo ad evitanda scandala contrahere valeant, dispenset.

Secundò, pro oratoribus qui nondùm receptis litteris dispensationis super aliquo impedimento, quo detinentur, se carnaliter cognoverunt; postmodùm verò, ipsis receptis, illarumque executori præsentatis, coram eo, copulam carnalem, inter eos secutam, eorum medio juramento negârunt; postmodùm verò matrimonium contraxerunt; quapropter petitur absolutio ab incestu, perjurio et excessibus hujusmodi, ut supra.

Tertio, pro oratoribus qui, scientes se aliquo esse gradu conjunctos, se carnaliter cognoverunt; in dispensatione tamen de super obtentâ, nullâ factâ carnalis cognitionis hujusmodi mentione, et ita matrimonium contraxerunt, etc., et similia, secundùm casuum contingentiam, quos longâ serie hìc enumerare superfluum visum est.

Hoc autem, in casibus quibus facilis patet accessus ad summum Pontificem, sive ejus sacram pœnitentiariam, ad quam recursum frequenter semperque haberi videmus.

Sequitur hinc non incongruè, videre, quid reverâ sentiendum ac receptum sit in praxi, cum videlicet, neque ad summum Pontificem, neque ad legatum,

aut nuncium vel alium, ad id facultatem habentem, facilis sit is accessus, ac proinde, quid de illâ quæstione, an videlicet possit ordinarius, justâ exigente causâ, dispensare hìc super impedimento, matrimonium dirimente?

Facit etenim pro negativâ, quia super hoc solum potest summus Pontifex dispensare, cùm hujusmodi impedimentum sit jure pontificio inductum; Felin., in cap. *At si clerici*, num. 4, de Jud.; Archidiac. in c. *Licet*, canon. de Elect., in c. *Abb.* in cap. *Cùm dilecti*, num. 10, de Elect.; Covar. in 4 decret.; 2 part., cap. 6, in princ., num. 15 et § 10, num. 11; Gutter. lib. 1, Quæst. canon., cap. 5, num. 10, et hanc sententiam tenet Sot., lib. 1, de Just. q. 7, art. 3, et q. 4, d. 37, q. 1, art. 2; Burgas., ex Irregular., p. 6, tit. de Cognat. spirit., num. 1, ubi dicit dispensationem hanc soli Papæ esse reservatam, per text. in cap fin. de Transact., et Glossa in cap. *Quia circa*, de Consang. et Affin., verbo *Apostolicâ*; et idem Burgas. etiam legatis à latere id negat, nisi hoc illis esset specialiter concessum d. p. 6, in tit. de Sponsal. et Matrim. num. 1; Navar., in Manual., cap. 22, num. 88, vers. *Tertiò dicendum*; Henriq. in Sum., lib. 12, cap. 3, § 1; Sanch., de Matr., lib. 2, disp. 40, num. 1; Garc., de Benef., p. 11, cap. 2, num. 344; Barbos. de Pot. episc., part. 2, alleg. 35, à princip.

Atverò, cùm nostra praxis versetur circa casus urgentis necessitatis, communis est doctorum sententia, teste eod. Garc., 9, cap. 5, n. 347, posse episcopum sic dispensare; quibusdam tamen concurrentibus circumstantiis, quarum prima est, ut matrimonium sit jam contractum; secunda, ut sit contractum ignoranter quoad impedimentum; tertia, ut sit consummatum; quarta, ut impedimentùm sit occultum, quinta, quòd contrahentes sint adeò pauperes, quòd non possint ire vel mittere ad summum Pontificem, legatum, seu nuntium, hanc habentes facultatem; sexta, quòd si fieret separatio, scandala verisimiliter exoriri possent, ut per Zerol. in Praxi episcop., verbo *Dispensatio*, § *Ad quintum*, part. 1. Ratio autem, quâ ipsi doctores ad id moventur, ea potissimùm esse potest, quia nimirùm supra dictis concurrentibus, non levis causa ad id insurgit, sed urgentissima necessitas, ne videlicet contrahentes, qui in prædicto casu, summum Pontificem consulere nequeunt, opportuno remedio remaneant destituti, cùm absque scandalo separari non possint; eòque magis, quia hæc sententia innititur manifestæ æquitati, ut ait Sanch., de Matrim., lib. 2, disput. 40, sub. n. 4, vers. *Sed dicendum*, circa med., ubi subdit quòd talis æquitas suadet, mentem legislatoris non esse ut in eo eventu episcopus nequeat dispensare; sed quando matrimonium est malâ fide contractum, mens Pontificis non est iniquitati favere, et perversæ contrahentium audaciæ, et ut illa sit facilioris dispensationis occasio; ne quotidiè hâc spe celebrentur matrimonia, contemptis impedimentis dirimentibus; ubi etiam subdit, n. 5, idem dicendum esse, quamvis contrahentes non sint pauperes, sed expensas habeant necessarias ad impetrandam apostolicam dispensationem; quia etiam in divitibus potest urgens necessitas concurrere, veluti, quia longissimè distant ab Urbe, et esset magnum periculum incontinentiæ, tamdiù expectare; quod quidem sentit, id. d. Sanch., num. 6, etiamsi erunt duo impedimenta dirimentia occulta, si concurrant circumstantiæ requisitæ, nec valet quidem dicere quòd hæc facultas in casu hujusmodi necessitatis, non extenditur ad duo impedimenta, attentâ ipsius dispensationis naturâ, quæ, cùm sit odiosa, est restringenda, Gambar., de Auctor. leg., lib. 7, num. 202; hoc enim casu potestas episcopi non est ad auferendum quoddam singulare impedimentum, sed ad dispensandum cum impedito; quâ quidem ratione putarem id sibi jure optimo locum vindicare, etiamsi ultra duo concurrerent alia impedimenta.

Nec quidem totum id à recto juris tramite noscitur dissentire; licèt enim episcopus non possit contra canones et concilia dispensare, nisi in casibus in jure expressis, loquendo de ordinariâ potestate, attamen novum non est eum in multis ex casibus Sedi Apostolicæ reservatis, posse dispensare, ubi adest magna necessitas aut periculum scandali, si dispensatio differatur, ut in casibus supra positis; text. est notabilis et satis clarus in capite *Ut constitueretur*, 50 dist., cap. *Ipsa pietas*, 23, q. 4, cap. *Quædam lex*, 35, q. 3, ut optimè tradit Barbos., de jure Eccles., lib. 1, cap. 11, n. 190, nisi tamen talis dispensatio fieret contra jus divinum, aut præcipuas gravesque Ecclesiæ sanctiones, ut in cap. *Sunt quidam*, et ibi glos. 25, q. 1, et benè subdit ibi id. Barbos. quòd quando episcopus in simili casu dispensat, talis dispensatio intelligitur cum tacito Sedis Apostolicæ consensu facta, ut in cap. fin. de eo qui furt. ordin. suscep., et salvâ ejusdem sedis auctoritate, ut in c. 1, q. 5; facit etiam quòd licèt episcopus non possit regulariter dispensare super criminibus adulterio majoribus, id. Gambar., lib. 10, n. 466, id tamen fallit, quando subest causa necessitatis, Abb. *At si clerici*, § de *Adulteriis*, de Jud.

Quod enim expressè id jure cautum non reperiri videatur, non id ex eo provenit, quia summus Pontifex in casibus prædictis noluerit episcopis hanc attribuere facultatem; sed quia necessitas superveniens non fuit ab ipso Pontifice considerata; nec de futuris contingentibus divinare potuit, ut illis provideret, etiam quòd sit summus Pontifex, qui Dei vices gerit in terris, cap. un., § *Cùm enim*, ut Eccles. benef. sin dimin. confer.; licèt enim multa sint negotia quæ eidem Pontifici reservata sint, eique adhæreant, ita ut cum generali mandato non transeant, nisi specialiter exprimantur, ut ait id. Barbos., d. lib. 1, cap. 2, n. 137, attamen non ignota est inter cætera jura Glos., satis recepta in l. *Tale pactum*, § fin. ff. de Pact., ubi id, quod disponens verisimiliter disponeret, si de eo cogitâsset, debet pro disposito haberi, cùm impossibile sit, omnes futuros casus posse prævideri: loquendo tantùm hìc de dispensatione circa jus positivum, non autem circa legem divinam à Deo conditam, in quâ nulla potest dari justa causa ad dispensandum;

cùm ipse Deus, omnes vidit casus et causas qui sub illâ lege divinâ cadere debebant, et divina voluntas, à quâ hujusmodi lex proficiscitur, sit omninò immutabilis, ideò sequitur, quòd si aliquo casu voluit legis præceptum manere, justissimum est ut maneat, et justum esse non potest ut auferatur ab inferiore; ac per consequens propriè dispensatio quæ vinculum legis tollit, circa præcepta divinæ legis, à summo Pontifice fieri non potest; ita idem eruditissimus et nunquàm satis laudatus Barbos., d. cap. 2, n. 119, circa. med., ubi plures ad id doctores cumulat.

His insuper accedat, quòd licèt alii casus expressi in jure reperiantur, in quibus episcopis permittitur dispensatio in casibus Papæ reservatis, nullâ dispensationis, de quâ hìc agitur, factâ mentione, non tamen absonum videtur, casus prædictos fuisse expressos frequentiæ causâ quæ non propterea restringit, ut per Glossam in l. *Facto*, ff. de Cond. et Demonstr.; expressa enim gratiâ frequentioris usûs non excludunt alia quæ rariùs contingere solent, etiam quòd simus in materiâ dispensationis, et in dispositione exorbitanti, Mandos., reg. 33, q. 6, n. 4 et 5.

Ex præmissis igitur circa ea quæ ad jus positivum pertinent, censetur profectò Papam, hanc dispensandi facultatem, episcopis in tam urgentibus necessitatibus tacitè permisisse, ad text. in l. *Si hominem*, ff *Mand.*; Felin., in cap. *Quod super hist.*, in 1, *fall.* de Major. et Obed., et in cap. 1, vers. *Fallit. septimò*, de Constit.; Jas., in l. 1, c. de Prec. Imper. offi.; Glos., in cap. *Latorum*, 33, quæst. 2, ubi ait episcopum posse ex urgenti causâ relaxare pœnitentiariam injunctam à Papâ.

Quinimò ait idem Sanch., d. disp. 40, posse episcopum non modò dispensare in ipso impedimento dirimente, quando matrimonium est contractum, ut nos supra diximus, verùm etiam ante contractum : hoc quidem summâ ratione; quia cùm in utroque casu, militet eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio, l. *Si postulaverit*, § *Ratio*, ff. de Adult., l. *Illud*, vers. *Sed magis*, ff de Aquil., et utroque modo, fuit pluries id positum in praxi; et denique pro eâdem nostrâ sententiâ, duas optimas rationes, ut semper erudite solet, attulit Pater Megal., tomo 1, var. Resol., 57, num. 2, cum. seqq., quarum prima est quia ex magnâ et urgenti causâ potest episcopus dispensare in casibus Papæ reservatis, per rationes etiam nobis supra allatas, prout in casu nostro supponitur. Secunda, quia, qui habet verisimilitudinem pro se, habet etiam pro se decisionem legis, ut dixit Tiraquell. in l. *Si unquàm*, n. 37, c. de Revoc. donat. Sed hìc verisimile est summum Pontificem in hoc casu nolle manere homines ad id, remedio destitutos, ut supra dictum est, quandoquidem, hujusmodi reservationem dispensationis facit summus Pontifex ob charitatem, ac bonam reipublicæ gubernationem; ergo præsumendum est Papam, velle ut episcopus dispenset; Navar. in Manuali, cap. 22, num. 85.

Omnes autem doctores contrariam sententiam mordicùs defendentes, ostendunt eos nondùm id habuisse in facti contingentiâ, ac proinde, nescio quomodò se gessissent, si casus ipse eis evenisset. Contracto etenim bonâ fide matrimonio, liberisque inde susceptis, quid facient conjuges, eâ spe destituti recurrendi ad summum Pontificem, tempore quo res non patitur dilationem? separabunturne cum tanto scandalo etiam virorum prudentûm, cum notâ et vilipendio mulieris, et incommodâ filiorum educatione? An verò in matrimonio irrito scienter perseverabunt? Certè horum utrumque absurdissimum est, ac eo remedio dignum, ut episcopis ea facultas dispensandi non denegata censeatur, ut optimè notavit Megal., loco citato.

Nec inter alia me latet, certioratum aliàs de hâc re ab episcopo Asten. exstitisse cardinalem Cusentin., prodatarium tunc Sixti V, postquàm idem episcopus, urgente sibi oblatâ causâ, in casu proposito dispensaverat; propterea idem cardinalis, facto priùs verbo cum summo Pontifice, eidem episcopo rescripsit, sibi licuisse sic in hujusmodi casu dispensare, eumque prudenter egisse, stante assertâ necessitate, ut ego audivi à bonæ memoriæ Lamberto Ursino, eximio abbreviatore majoris præsidentiæ; ita etiam docet Zerol., in Praxi episcop., verbo *Dispensatio*, § *Ad quintum*, qui testatur de communi, ex Navar., cap. 22, num. 85; Sot., 4 sentent., dist. 37, quæst. un., art. 2; Silv., eod. verbo, § 9; Armill. simili verbo, num. 19, et ait ibi id. Zerol. quod dùm ille haberet hunc casum, ita sibi fuit ab Urbe responsum; ac pluries per plures episcopos ita practicatum exstitisse non ignoramus.

Cæterùm autem, an hæc dispensatio in casibus præmissis, sit etiam permissa vicario generali episcopi, negativa prorsùs datur responsio, ad not. per Felin. in c. *At si clericis*, § de Adulteriis, de judic.; Rebuff., in Praxi benef., in formâ vicariatûs, n. 44. Sanch., lib. 2, disp. 40, n. 12, cùm hujusmodi facultas nunquàm veniat in generali mandato, ut in cap. *Quod translationem*, de Offi. leg.

In eadem carnali copula perstiterunt. — Ac propterea possunt puniri pœnâ incestûs; debentque petere illius absolutionem, ut patet in supra dictis litteris; quia non sufficiunt oratores supra dictam ignorantiam allegâsse, cùm postmodùm sciverint impedimentum, et non abstinuerint à carnali copulâ; Surd., cons. 374, n. 27, et sic non excusantur à delicto; imò quandoque ista perseverantia inducit indicium præcedentium scientiæ et animi, Cephal., cons. 76, num. 10.

Secùs autem si, detecto impedimento, ab ipsâ copulâ abstinuerunt; quod facit præsumere oratores dolo carere, arg. text. in l. *Si quis*, c. de Adul., præsertim in matrimonio palam et publicè contracto, Jas., cons. 168, n. 5, vers. *Item contrahens matrimonium prohibitum*, lib. 4; Ruin., cons. 51, num. 16, lib. 5, quia ita contrahendo præsumitur id non fecisse datâ operâ, sed potiùs errâsse; Bald., in l. *Nemo clericus*, num. 12, c. de Sum. Trin. et Fid. cath.; Abb., in cap. de Homine, n. 6, vers. *Et productis*, de Celebr. miss., et sic nulla fuit eorum voluntas, l. *Si per errorem*, ff. de

Jurisd. omn. jud., l. *Nihil consensui*, § *Nihil*, ff. de Reg. jur., quæ quidem regula nullam recipit limitationem, Bald., in l. *Cùm testamentum*, n. 2, ff. de Jur. et fact. ignor., ac propterea omni hæsitatione remotâ, dolo et fraude carent, dùm fecerint quod licuit facere, lege permittente; Paris., cons. 72, in fin. lib. 3; Ludovis., decis. 401, n. 14, cum ex subsequentibus, nempe, ex quo abstinuerunt ab ipsâ copulâ, oritur maximum indicium præcedentis animi, nimirùm, quòd sine dolo et bonâ fide matrimonium contraxerunt, l. *Sed et Julianus*, § *Proinde*, ff. *Ad Maced.*, l. *Si servus plurium*, § fin. ff. de Leg. 1; Bart., in l. *Cætera*, § fin., eod tit., quia validum est argumentum à præcedentibus; Glossa in l. *Apud Celsum*, ff. de Dol. except.; Cravet., cons. 143, num. 9; Menoch., de Arbitr. Jud., casu 479. Quo casu oratores non egent absolutione, sed tantùm petitur secum dispensari ut matrimonium inter se, etiam de novo, publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere valeant, cum decreto prolis susceptæ, et suscipiendæ; perinde ac si dispensatio concederetur cum aliquâ ex vulgaribus causis, puta ob angustiam aut incompetentiam dotis, vel aliam similem; ac propterea neque illius compositio nec aliæ expensæ in aliquo alterantur; sed ita fient ac si concederetur cum aliquâ ex dictis causis; ipsæ enim expensæ alterantur, quando petitur absolutio ab incestu, ratione perseverantiæ, quæ hìc non cadit; cùm satis ipsi oratores excusentur ob ignorantiam, si superveniente scientiâ desistant, cùm aliàs iniquum esset ignorantem pœnâ affici, ut docet text. in l. *Quicumque*, c. de Serv. fug., l. *Iniquissimum*, et l. ult. de Jur. et fact. ignoran. Ac propterea, si post detectum hujusmodi impedimentum, abstinuerunt à copulâ, ut dictum est, debet exprimi in supplicatione, nempe ubi dicitur : *Postmodùm verò ad eorum pervenit notitiam, se quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos*, additur, *propter quod à carnali copulâ hujusmodi abstinuerunt*, ut in formulâ infra scriptâ; et sic per hanc abstinentiam non incurrent ipsi oratores pœnas à legibus et canonibus impositas his qui incestas nuptias contrahunt, quod expressè tenet Glossa, in dict. Clem. *Eos*, in verbo *Scienter*, quam omnes doctores approbant, teste Covar., sup. 4 decretal., fol. 99, post num. 22. Ut autem facilior notitia habeatur petendæ dispensationis de ignoranter contracto, quando impedimento detecto oratores ab ipsâ carnali copulâ abstinuerunt, illius formulam hìc etiam subnectere visum fuit, quæ sic concipi poterit, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte N. et N., quòd ipsi aliàs ignorantes aliquod impedimentum, etc., *matrimonium inter se, per verba de præsenti, publicè factis proclamationibus*, etc., *contraxerunt; postmodùm verò*, etc., *esse conjunctos, propter quod à carnali copulâ hujusmodi abstinuerunt. Cùm autem, Pater sancte, oratores prædicti in hujusmodi matrimonio remanere*, etc., *et si divortium*, etc., *gravia exinde scandala*, etc., *exoriri. Supplicant*, etc., *quatenùs cum eisdem oratoribus, quòd impedimento*, etc., *non obstante, matrimonium inter se de novo publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere*, etc., *liberè et licitè valeant, dispensare; prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo, dignemini*, etc. Reliqua supplentur, ut in priori formulâ, quando oratores, detecto impedimento perseverârunt in copulâ.

Et cum absolutione à censuris, ad effectum, etc., *et de dispensatione, decreto aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis*, etc. *Et committatur ordinario*, etc., *qui deposita*, etc., *dispenset, ut supra.* Et additur etiam : *Et dummodò ignorantia hujusmodi probabilis fuerit.*

Hoc autem, quoad dispensationem, pro utroque foro super publico impedimento. In foro autem conscientiæ, cùm contingit oratores impedimentum hoc ignorâsse, nequaquàm opus est matrimonium, quod jam aliàs contraxerunt de novo publicè contrahere; sed attento quòd impedimentum est occultum, committitur per officium sacræ pœnitentiariæ confessario, qui oratores absolvat, et cum eisdem dispenset, ut matrimonium inter se de novo secretè ad evitanda scandala contrahere possint, ut aliàs diximus. Quæ tamen dispensatio non conceditur per dictam sacram pœnitentiariam, nisi oratores, per aliquot annos, in ipso sic contracto matrimonio permanserint, puta per decem annos, vel ultra, quamvis aliquando dispensaverit cum oratoribus, qui etiam per sex annos tantùm perstiterunt in dicto matrimonio sic ignoranter contracto; quia hoc tempus decennii facit præsumere matrimonium legitimè contractum, ut infra dicetur, num. 65.

Et dummodo ignorantia hujusmodi probabilis fuerit. Hoc enim ad præscriptum sacri concilii Tridentini, sess. 24, c. 5, de Reform., ibi : *Si verò solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc faciliùs cum eo, et gratis dispensari poterit.*

Sed cùm hìc agatur de intellectu supra dictæ clausulæ : *Dummodò ignorantia hujusmodi probabilis fuerit* quæ nunquàm omittitur in litteris dispensationum de matrimonio ignoranter contracto, etiam ad mentem ipsius concilii, loc. cit., ubi requirit ad id probabilem ignorantiam, dicendum est, quòd hæc ignorantia, quæ secundùm theologos invincibilis, secundùm verò juristas probabilis nuncupatur, ut est illa quâ communiter homines, adhibitâ diligentiâ, laborant, qualis est hominis consulentis viros scientiâ et conscientiâ sufficienti præditos, et pro talibus habitos, qui falsè illi consuluerunt, omninò excusat, ut per Guttier, de Matrim., cap. 48, sub n. 5, vers. *Ignorantia autem;* vel si contrahentes probent se audivisse à probis viris et honestis, nullum inter eos adesse impedimentum ad contrahendum matrimonium, juxta ea quæ tradit Glossa, in l. *Titio fundus*, ff. de Condit. et Demonstr., ubi dicitur excusandum esse eum qui bono viro credidit; et idem, quando in loco vel civitate et vicinià constans erat fama et opinio, quòd non adesset supra dictum impedimentum ad contrahendum; quandoquidem hæc fama excusat à dolo, et consequenter à de-

licto, quod probatur ex l. *Si miles*, § *Mulier*, ff. de Adult.; Menoch., de Arbitr. jud., lib. 2, centur. 6, addit., num. 89.

Quòd si delegatus nolit huic ignorantiæ probabilitatis acquiescere, petatque eam judicialiter probari, tunc oratores allegantes hanc ignorantiam, debent eam probare, uti fundamentum suæ intentionis; quandoquidem, regula quòd ignorantia præsumitur, cap. *Præsumitur*, de Reg. jur., in 6, non habet locum, quando ignorantia est fundamentum intentionis agentis, quia tunc est plenè probanda; Felin., in cap. *Vigilanti*, num. 1, vers. *Qui allegaret*, de Præscript. Cæterùm verò, ne ipsi oratores in utroque foro puniantur, sat erit fuisse præmissas publicationes, servatâ formâ concilii Tridentini, ut supra dictum est.

Notandum subinde putavimus pro nostrâ praxi, quòd jura dicentia ignorantiam excusare, debent intelligi de ignorantiâ justâ, non autem de crassâ et supinâ; ratio enim trita est, quia hæc non excusat, imò æquiparatur scientiæ quæ hìc omninò facit incurrere pœnas, Clem. *Eos*, de Consang. et Affin., et dicti concilii Tridentini sess. 25, cap. 5, etiam quòd simus in pœnis, ut est text. in cap. *Ut animarum*, de Constit.; facit cap. penult. de Cler. excom., et idem dicitur de affectatâ ignorantiâ, in cap. fin. de Clandestin. despons., cap. 2, de Tempor. ordin., in 6, ubi Glossa in verbo *Affectata*, et ibi Anchar., num. 2, et docet ipsa Glossa ejusdem Clem. *Eos*, in d. verbo *Scienter*, quod quamvis constitutio pœnalis liget scientes tantùm, tamen includit etiam ignorantes ignorantiâ non probabili, ut est illa quæ includit in se latam culpam; quia crassa, vel supina ignorantia, dicitur lata culpa; et sic levis vel levissima culpa non facit, quin ignorantia dicatur probabilis, et excuset à pœnâ, quod patet, etiam in l. *Liberorum*, § *Notanter*, ff. de Infam., ubi dicitur quòd ignorantia juris communis est lata culpa; nam debet quis consulere peritiores.

Et debet hujusmodi ignorantia coram vicario delegato omninò verificari, quia hæc dictio, dummodò, importat conditionem, cap. *Ut præteritæ*, de Elect., et probatur per juramentum ipsorum oratorum; quod intellige, non solùm quando est verisimilis, sed etiamsi contra ipsam præsumatur; ea enim quæ sunt in animo aliter probari non possunt, Glos., in c. *Significâsti*, et primo, de Homicid., et ignorantia in animo consistit. Navar., cons. 1, n. 7, de Constit., et tam ignorantia, quàm scientia probatur juramento. Mascard., de Probat., concl. 45, num. 48, et conclus. 94, num. 5; Fel., in cap. *Si verò*, de Jurejur., num. 8, vers. *Declara*.

Non enim pro hujus ignorantiæ verificatione, standum erit simplici oratorum eam allegantium assertioni, neque illi alio probationis onere sunt gravandi, sed eorum juramento potiùs in hoc standum erit, si aliunde scientia probari non potest, ut servatur in praxi, per ea quæ docuit Imol. in d. Clem. *Eos*, num. 7, et ibi Anchar., num. 3.

Quod tamen intelligas, quando non adesset aliqua juris præsumptio contra ipsos oratores; quod diligenter debet advertere ipse delegatus, juxta ea quæ docet Bart., in l. *Inter omnes*, § *Rectè*, num. 3, in fin. ff. de Furt.; Felin., in d. Cap. *Significâsti*, num. 3; si enim adessent conjecturæ scientiæ, ignorantia non esset probabilis nec verisimilis; id. Barth., in l. *Sicut*, § 1, num. 3, verbo *Hoc probo*, ff. de Accusat.; sicut etiam dicimus, quod, quotiescumque adest præsumpta scientia alleganti ignorantiam, non datur restitutio, ut per Gonzal., cons. 8, n. ult., vers. *Quoties cumque*, facit Glos. in Clem. 1, in verbo *Publicè*, de Sepult. Bald., in cap. *Quoniam contra*, § 1, ut lit. non contest. Gloss. communiter, approbata in l. *Si tutor*, c. de Peric. tut., et Gloss., in l. ult., ff. de Decr. ab ordin. facien.

Matrimonium inter se de novo, etc. — Quia regulariter matrimonium contractum inter inhabiles non ratificatur per solam dispensationem Papæ; sed oportet ut novo consensu post dispensationem noviter contrahatur; Navar., cons. 2, qui fil. sint legit. Et ita juxta hoc videmus in praxi servari; nam semper in hujusmodi matrimoniis, sic etiam ignoranter contractis, sive post notitiam impedimenti oratores perseveraverint in copulâ, sive ab eâ abstinuerint, datur dispensatio, ita ut de novo ipsum matrimonium contrahant publicè servatâ formâ concilii Tridentini; quamvis in supplicatione fuerit expressum, oratores jam servatâ formâ hujusmodi contraxisse; quod quidem à nonnullis annis citra id introductum esse scimus, cùm antea præsertim in litteris dispensationum super matrimonio ignoranter et bonâ fide contracto, ut hìc, concederetur oratoribus ut possent in eorum sic contracto matrimonio remanere, ut supra diximus.

Nam licèt oratores non subjiciantur pœnis dictæ Clem. *Eos*, quæ non afficit ignorantes, quoad pœnas extrinsecas, scilicet excommunicationis, benè tamen afficit quoad pœnas intrinsecas, nempe nullitatis matrimonii, ut docet Imol. in Clemen. 1, num. 54, de Elect.; Navar., in suâ Summâ, capitul. 23, num. 44.

Prolem susceptam, etc. — Videtur hæc clausula apponi potiùs ex communi stylo quàm ex necessitate; cùm satis constet quòd filii, qui nati fuerunt antequàm uterque conjugum sciret impedimentum, sunt legitimi, absque aliquâ summi Pontificis dispensatione; quod tamen procedit, dummodò matrimonium ipsi contraxerint servatâ formâ concilii Tridentini, factis proclamationibus fieri solitis in eorum parochiali ecclesiâ et nullus denuntiaverit impedimentum; quod satis in jure liquet ex capite 2, ibi: *Filii eorum non debent exinde sustinere jacturam, cùm parentes eorum publicè et sine contradictione Ecclesiæ inter se contraxisse noscantur, idcòque sancimus ut filii eorum quos ante divortium habuerunt, et qui concepti fuerunt ante latam sententiam, non minùs habeantur legitimi;* et c. *Qui fil. sint leg.*, et ex cap. *Ex tenore*, eod. tit., ibi: *Intelligentes quòd pater prædicti R. matrem in facie Ecclesiæ, ignorantem quòd ipse aliam sibi matrimonialiter copulâsset, duxerit in uxorem, et dum ipsa conjux ipsius legitima putaretur, dictum R. susceperit ex eâdem, in favorem prolis potiùs declinamus, memoratum R. legitimum re-*

putantes, et ibi Glossa, in verbo *Legitimum*, ubi dicit quòd sufficit bona fides. etiam alterius parentis, ut filii dicantur legitimi, et Glossa, in c. *Cùm inhibitio*, verbo *Si ambo parentes*, de Cland. desp., quod non est dicendum, ut quoad scientem sint legitimi, et quoad ignorantem sint illegitimi, quòdque monstrum esset si aliquis esset partim legitimus et partim illegitimus, sicut quòd aliquis esset partim servus et partim liber, per text. in l. *Si duobus*, ff. de Stat. lib.; quare ex his videtur, clausulam prædictam posse tantummodò prodesse respectu filiorum susceptorum post detectum ab oratoribus impedimentum.

Per prædicta jura, ait etiam Navar., cons. 2, num. 1, *Qui fil. sint legit.*, quòd, cùm in casu proposito matrimonium contractum sit servatâ formâ concilii Tridentini, et præmissis denuntiationibus, nemo denuntiaverit impedimentum, si uterque parentùm, vel alter eorum verè ignorabat impedimentum, certum est filios eorum, ante scientiam impedimenti natos, esse legitimos.

Quòd si contingat oratores in gradu prohibito contraxisse, nec constet dispensationem fuisse impetratam, profectò dispensatio ipsa præsumitur inter virum et uxorem; quia ita contraxerunt, si per decem annos continuos, et ultra, in matrimonio vixerunt, et mortui sunt; quia, ut ait Caputaq., decis. 269, num. 2, part. 1, diuturnitas, quâ in figurâ matrimonii fuerunt vir et uxor, facit quòd proles illegitima pro legitimâ habeatur, concurrente probabili ignorantiâ, ut hìc, Abb., in cap. *Referente*, ult. not. *Qui fil. sint legit.*, et ita tentum fuit die 29 maii 1551, coram domino Chisanen., in unâ Medusan. dispensationis, et nos aliàs diximus.

Et fuit dictum in unâ Valentinâ illegitimitatis coram Cavaler., decis. 123, num. 2, quòd in casu de quo ibi cohabitatio cum tractatu in figurâ matrimonii spatio 18 annorum, et cum susceptione duodecim liberorum qui uti legitimi baptizati fuerunt, et semper uti tales communiter reputati probata fuit legitimitas prolis, prout etiam domini censuerunt, non obstare oppositionem, quòd conjuges essent conjuncti in tertio, vel tertio et quarto consanguinitatis gradu; quia ex dictâ cohabitatione in figurâ matrimonii, et ex tractatu, tam in vitâ conjugum, quàm postea spatio longissimi temporis, præsumitur intervenisse dispensationem talem qualem de jure erat necessaria ad effectum legitimationis prolis, Achill., decis. 1, de Præsumpt., ubi Rota firmavit sufficere cohabitationem decem annorum, et ita etiam fuit dictum in unâ Barchinonen. matrimonii, 19 martii 1604, coram Decano.

Quia verò, sicut quotidiana experientia docet, sæpè occurrit quòd oratores bonâ fide matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt, ignorantes impedimentum; ac postmodùm, cùm per illorum seu alterius obitum, aut ex aliâ causâ non fuerit, detecto impedimento, impetrata dispensatio, ut possint ii in matrimonio contracto remanere cum declaratione legitimationis prolis susceptæ; propterea ad submovendam murmurationem ignorantium jura, et proinde putantium, filios inde genitos esse illegitimos, consuevit à summo Pontifice, peti et concedi declaratio legitimationis hujusmodi prolis, prout in formulâ sequenti, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris N. laici Neapolitanæ diœcesis, quòd aliàs dictus orator, et tunc in humanis agens quondam M. ejus uxor, ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs potuissent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de præsenti publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, in facie Ecclesiæ, nullo detecto neque denuntiato impedimento contraxerunt, illudque carnali copulâ consummârunt, ac per plures annos in eo permanserunt, prolemque susceperunt. Postmodùm verò prædictâ M. defunctâ, ad ipsius oratoris notitiam pervenit, se dictæ M. quarto consanguinitatis gradu fuisse conjunctum; propter quod dictus orator dubitat, prolem sic, ut præfertur, susceptam, illegitimam dici, aut haberi posse tempore procedente. Supplicat propterea E. S. V. dictus orator, quatenùs sibi in præmissis opportunè providendo, eumque specialis gratiæ favore prosequendo, prolem ex hujusmodi matrimonio sic, ut præfertur, bonâ fide contracto, susceptam, legitimam fuisse et esse, declarare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.

Et idem esset, si oratores litteras dispensationis obtinuerint super aliquo impedimento, et antequàm fuerint executioni demandatæ, oratrix ab oratore carnaliter cognosci passa fuisset, et gravida remansisset, dictusque orator, antequàm dictarum litterarum vigore, matrimonium contractum fuisset, mortuus esset; qui nec in articulo mortis potuissent matrimonium contrahere; quia etiam tunc, ne filius, qui exinde susceptus est, illegitimus dici seu haberi possit, petitur declaratio legitimationis ejusdem filii ita suscepti, per ea quæ supra diximus.

Et in quocumque ex supra dictis, seu aliis similibus casibus, litteræ committuntur ordinario oratorum seu ejus vicario in spiritualibus generali, qui vocatis vocandis, constitoque sibi legitimè de narratis, declaret, ut supra.

CAPUT V.

PRAXIS DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS CUM COPULA, IN FORMA PAUPERUM.

Sæpè contingit cum oratoribus pauperibus, non valentibus solvere compositionem, ac jura officialium, super impedimentis, dispensari; ne ob copulam, jam inter eos, quovis modo subsecutam, aut illius suspicionem ortam, contingat illos cum animarum suarum jacturâ, in ipsâ copulâ perseverare.

Et omissâ formulâ supplicationis pro hujusmodi dispensatione impetrandâ, tanquàm minùs necessariâ, tantummodò tenorem litterarum, sufficiat hìc inserere, qui talis, ut sequitur, esse consuevit, videlicet:

ALEXANDER, *episcopus*, etc., *dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitani, in spiri-*

tualibus generali, salutem, et apostolicam benedictionem. Oblata nobis nuper pro parte dilecti filii Joannis N. laici, et dilectæ in Christo filiæ Luciæ N., mulieris Neapolitanæ diœcesis, petitio continebat, quòd ipsis aliàs scientibus, se quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu invicem esse conjunctos, vel se attinere, Joannes præfatus, non quidem peccandi datâ operâ, etc., *dictam Luciam carnaliter cognovit. Cùm autem*, etc., *cupiunt Joannes, et Lucia prædicti, qui pauperes et miserabiles existunt, invicem matrimonialiter copulari*, etc. *Nos igitur*, etc., *discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus*, etc. *Tunc Joannem et Luciam prædictos, qui pauperes et miserabiles existunt, et ex labore et industriâ suâ tantùm vivunt, inprimis ab invicem separes; deinde, si veniam à te petierint humiliter, eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis, utque dictus Joannes operam suam, fabricæ, vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci pii, tribus saltem mensibus, conferat; aliaque injungas, quæ de jure fuerint injungenda. Quâ pœnitentiâ publicâ peractâ, ac recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserint, ipsos ab incestûs reatu et excessibus hujusmodi; impositâ priùs eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, pœnitentiâ salutari, hâc vice duntaxat in formâ Ecclesiæ consuetâ, in utroque foro, auctoritate nostrâ, absolvas; et quatenùs*, etc., *parito judicato. Demùm, si tibi expediens videbitur, quòd dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, nec scandalum sit ex eo oriturum; super quo tuam conscientiam oneramus, tunc, cum eisdem Joanne, et Luciâ; postquàm ipsi in separatione præfatâ, arbitrio tuo perseveraverint, et dummodò ipsa Lucia propter hoc rapta non fuerit, quòd impedimento quarti*, etc.; *prolem, susceptam, si quæ sit, et suscipiendam exinde, legitimam decernendo. Volumus autem quòd si spretâ monitione nostrâ hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii, occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere, temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnâ tamdiù innodatus existas, donec per satisfactionem condignam ab ipsâ excommunicationis sententiâ absolutionem à sede prædictâ merueris obtinere; et nihilominùs absolutio et dispensatio per te faciendæ prædictæ nullius sint roboris vel momenti. Dat. Romæ*, etc.

Et absque declaratione aliarum clausularum, quas jam supra suis locis declaravimus, sufficit eas tantùm elucidare, quæ continent formulam sub quâ, pro pauperibus, litteræ dispensationis hujusmodi expediuntur; ac proinde sequitur videlicet :

Alexander, episcopus servus servorum Dei, etc. —Qui pauperes.—Sed videndum erit, numquid dicti oratores narrantes in supplicatione se esse pauperes, teneantur de eorum paupertate docere, ad effectum obtinendi litteras dispensationis sub formâ prædictâ? Et videtur, quòd non, sed sufficere, ut id tantummodò narretur; quia communiter, qualitas ista habet præsumptionem quæ naturaliter inest; cùm quilibet nudus et pauper nascatur, juxta illud Job : *Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc*, cap. *Sicut hi*, 45 dist., et sic qualitas semel posita, quæ non tollitur ex cursu temporis, præsumitur existere, nisi præsumatur sublata, ut tenet Crot., in l. *Si constante*, vers. *Quid tenendum*, ff. *Solut. matr.*

Iis tamen non obstantibus, contrarium est verius quia, cùm ad obtinendam dispensationem in formâ pauperum, absque solutione compositionis, aliarumque expensarum, illarum remissio fundetur in oratorum paupertate, procul dubio illa probanda est, ut per doctores in l. *Si verò*, § *Qui pro rei*, ff. *Qui satisd. cog.* Afflict. decis. 377; Alciat., de Præsumpt., reg. 2 præsumpt. 27; Covar., var. Resol., resol. 1, resol. 2, cap. 26.

Et ad hujusmodi dispensationes impetrandas, necessariò requiritur paupertas, et miserabilitas utriusque scilicet, tam oratoris quàm oratricis; ac propterea non sufficit, si unus tantùm ipsorum sit pauper, alter verò dives; vel saltem talis qui valeat compositionem, aliaque jura solvere; et ita fuit semper observatum.

Et miserabiles. —Sciendum est, quòd semper exstitit consueta forma dicendi, *N. et N., qui pauperes existunt*, non addito verbo, *miserabiles*. Verùm quia oratores, ut plurimùm licèt potuerint solvere compositiones, aliaque jura officialium, se nihilominùs mendicato testimonio paupertatis, pauperes fingebant, jura prædicta extorquendo; alii etiam ex locupleti industriâ viventes, se similiter pauperes asserebant; propterea hoc tempore hujus pontificatûs sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII, ad occurrendum his fraudibus additum est verbum, *miserabiles;* et sic tam in supplicatione, quàm in litteris apponuntur tanquàm duo. Quòd si ab ipsis oratoribus non fuerit de eorum miserabilitate facta mentio, nihilominùs, quia Papa ejusque officiales non intendunt, nisi pauperibus atque miserabilibus personis concedere hujusmodi dispensationes in formâ pauperum, propterea ab ipsis officialibus, additur hoc verbum, *miserabiles*, et sic utrumque debet coram executore verificari; nec ad exequendas dictas litteras, sufficit verificari paupertatem, nisi probent etiam miserabilitatem; quia dùm dicitur in litteris, *et litteris*, illa dictio, *et*, est conjunctiva, et copulativa, l. *Si quis ita stipulatus*, ff. de Verb. oblig., l. *Si hæredi plures*, ff. de Hæred. instit., l. *Titiæ textores*, § *Nihil*, ff. de Leg. 1; Cæsar. de Grass., decis. 1, num. 5, de Reb. Eccles. non alien., et de suî naturâ semper addit, Put., decis. 230, num. 2, lib. 2, et sic ex his duobus copulatis debet non solùm probari unum, sed omninò alterum, ad text. in l. fin., § *Fructus*, junctâ glossâ, in verb. *Nihilo magis*, ff. *Quæ in fraud. credit.* Et fuit hæc dictio, *miserabiles*, addita ad detegendam fictam paupertatem, nec non fraudes quæ in præjudicium jurium officialium prædictorum committebantur, ut dictum est; quibus omninò obviandum visum fuit sum. Pontif. ad text. in l. *Magis*, § *Si pupillus*, ff. de Reb. eor., l. *Quoties*, in fin. c. de Fideicom.

Unde, perperàm exequuntur delegati hujusmodi dispensationes, si eis non constiterit, oratores esse non modò pauperes, sed etiam miserabiles; quia hujusmodi dictio debet aliquid operari; cùm sit apposita, non ad ornatum similium litterarum, sed cum

effectu, argum. l. *Si quando*, ff. de Leg. 1; aliàs enim dici posset quòd plures clausulæ seu dictiones in litteris apostolicis essent frustratoriæ; quod nullo modo est dicendum, cap. *Si à Papâ*, de Privileg. in 6, Grat. cons. 9, num. 142. vol. 1, quia in dictis litteris nihil frustra apponitur, Cassad., decis. 5, in fin. de Præb.; quinimò, neque syllaba in eis vacare debet, vel superfluè poni, capite fin. *Enim*, 28, q. 1; Glossa in cap. de Major. et Obed., ac ob id domini abbreviatores majoris præsidentiæ semper detrahunt ex litteris, quod superfluum est; ex quo in dispositione Pontificis, nec minimum verbum sine virtute esse debet, Curt. jun., cons. 85, num. 4; Dec., cons. 47, num. 2; Mandos. reg. 9, q. 2, num. 3. Hæc enim dictio, *miserabiles*, est de novo introducta, et sic extraordinaria; cùm antea sufficeret dicere quòd oratores essent pauperes, et cùm fuerit adinventa ad obviandum fraudibus, satis apparet quòd per eam inducitur diversitas, et sic verificanda, Bart. in l. *Re conjuncti*, ff. de Leg. 3, quia auget, et ampliat dispositionem; Ludovis., dec. 21, num. 3.

Sed hìc videndum est quisnam dicatur pauper, quis verò miserabilis, ad effectum impetrandi similes in formâ pauperum.

Et respondetur, quòd ille dicitur pauper, qui non habet in bonis quinquaginta aureos, Glossa, in Auth. de Hæred. et falc., et Glossa, instit. de Excusat. tut., § *Sed propter paupertatem.*

Miserabilis verò ille dicitur ad cujus commiserationem nos natura inclinat, Albert. in suo Dictionario, verbo, *miserabilis*; circa quæ, debet executor se extrajudicialiter informare, priusquàm ad dictarum litterarum executionem procedat; nam illius arbitrio et conscientiæ committitur probatio hujusmodi paupertatis; Menoch., de Arbitr. jud., casu 65, num. 7, ac etiam miserabilitatis, Jas. in d. l. *Titiæ textores*, col. 4, de Leg. 1; Alex., cons. 121, lib. 2, in fin.

Et ex labore, et industria sua.—Nec aliter conceduntur hujusmodi dispensationes in formâ pauperum, nisi oratores sint adeò pauperes et miserabiles, quod ex labore et industriâ manuum suarum vivant; aliàs enim facilè fraudarentur prædicti officiales eorum debitis emolumentis, quibus nunquàm Papa intendit præjudicare; Paris., de resign. Benef., lib. 10, q. 1, num. 15, ac propterea totum id exprimendum est in testimonio ipsius paupertatis, ut infra dicetur.

Tantum vivunt.—Hæc autem dictio, *tantùm*, apponitur in his dispensationibus, ad denotandum quòd oratores, præter laborem et industriam manuum suarum, nullo alio modo vivere possunt, et sic per eam excluditur omnis alius modus vivendi, ad text. in l. *Qui in aliena*, § *Liberos*, ff. de Neg. gest. Rom., cons. 456, num. 1; Dec., cons. 328, num. 1; Surd., decis. 291, num. 19, et de Alim., tit. 1, q. 2, num. 2; Ludovis., decis. 465, num. 5, nam hujus dictionis natura est limitare, restringere et excludere, l. *Et non tantùm*, ff. de Petit. hæred., leg. *Adversùs*, c. *Si adversùs rem jud.*, Vinc. de Franch., decis. 123, num. 4.

Unde in hâc curiâ archiepiscopali, pro habendo testimonio paupertatis, ad hunc effectum, ad Urbem transmittendo exhibetur fides proprii parochi oratorum, attestantis de eorum paupertate ac miserabilitate; in quâ dicatur, quòd oratores ipsi sunt adeò pauperes et miserabiles, quòd ex suis labore et industriâ tantùm vivunt; ac insuper examinantur duo testes in eâdem curiâ, qui idem deponant; et sic deinde juxta prædicti parochi testimonium, testiumque prædictorum depositionem, conficitur fides paupertatis ad Urbem transmittendâ, tenoris sequentis, videl.:

N. N. V. I. D. protonotarius apostolicus eminentissimi et reverendissimi D. N. cardinalis N. archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus, et temporalibus vicarius generalis et officialis.

Fidem facimus et attestamur, Joannem N. et Luciam N. hujus Neapolitanæ diœcesis adeò pauperes, miserabiles, existere, quòd ex labore, et industriâ suâ tantùm vivunt: prout ex fide parochi, aliorumque fide dignorum testimonio nobis constare fecerunt; in cujus rei testimonium, præsentes fieri fecimus, manu nostrâ subscriptas, nostroque sigillo munitas. Neapoli, die, etc., *anno,* etc.

N. N. vicarius generalis.

Hæc tamen attestatio sive fides non priùs admittitur in officio componendarum, quàm recognita fuerit à duobus testibus, ab uno videlicet in formâ, scilicet, qui dicat se vidisse episcopum, seu vicarium subscribere, ut docet Alex., cons. 76, num. 4, lib. 3; Felin., in cap. 2, de Fid. instrum.; Achill. de Grass., decis. 193, aliàs 2, eod. titul.; Rot., decis. 115, num. 3, lib. 3, part. 3, divers. Attamen de stylo Curiæ sufficit regulariter hodiè quòd saltem testis deponat habere notam manum scribentis, licèt illum non vidisset scribere, ut per Vestr. in Praxi, lib. 6, cap. 1, num. 8; Rot., decis. 124, num. 2, part. 2, præsertim, si scriptura venerit de partibus, et in Curiâ non reperiatur qui deponat, illum vidisse scribere scripturam, de quâ agitur. Alter verò testis debet recognoscere per similitudinem, seu comparationem aliarum scripturarum, quia, etiam ista comparatio facit fidem; Rom., consil. 46, numero 61. Et ita servatur in ipsâ Romanâ Curiâ; prout in aliis quibuscumque locis, in quibus facienda est recognitio scripturarum.

Hodiè verò non sufficit, quòd oratorum paupertas fuerit in dictâ curiâ admissa; quia, cùm litteræ dispensationis nihilominùs expediantur cum clausulâ, *dummodò pauperes et miserabiles existant*, ista duo, debent probari coram delegato, ante litterarum executionem.

Et hìc nota quòd non admittitur testimonium paupertatis ad hunc effectum, nisi dicatur, quòd oratores ex labore et industriâ suâ tantùm vivunt, ut dictum est, nam, sicut satis ille dives est, qui pane non eget, ita ille appellatur pauper, qui necesse habet sibi quærere victum suo labore, Glossa in l. *Paupertas*, ff. de Excusat. tutor.; Port. in § *Non tamen*, n. 6, instit. *Quibus ex caus. major.*, etc.; licèt enim regulariter relinquatur arbitrio judicis quisnam dicatur pauper vel dives· Bart. in l. *Si constante*, num. 14; Alex.,

num. 17; Jas., num. 144, et communiter doctores, ff. *Solut. matrim.*; Soccin. sen., cons. 127, num. 27, lib. 4; Ruin., cons. 55, n. 45, lib. 1, ut per Covarr., lib. 2, var. Resol., cap. 6, num. 8, sicut etiam, quæ sit miserabilis persona; Cavalcan., cons. 57, num. 12; id. Covarr., d. cap. 6, num. 3; Menoch. de Arbitr., casu 66; attamen circa hæc non sufficit judicem arbitrari consideratâ qualitate personarum oratorum; quia de stylo Curiæ, non dantur dispensationes matrimoniales in formâ pauperum, absque illâ dictione, *tantùm*, quæ, ut supra dictum fuit, taxativa est et ad evitandas fraudes hodiè additur verbum, *miserabiles*.

Quia verò in casu conficiendi supra dictum testimonium paupertatis, contingit aliquando testes non benè disponere super dictâ oratorum paupertate, sed ex eorum dispositionibus constat, eos esse tantùm pauperes, attentâ eorum qualitate, et habere aliqua bona non magni momenti, tunc cautus ordinarius, ad exonerandam suam conscientiam, cùm non possit simpliciter testificari de ipsorum oratorum paupertate, prout requiritur ad effectum supra dictum, concedit ipsis oratoribus litteras tantummodò testimoniales, integras testium depositiones continentes; ex quibus ipse D. datarius, ejusque officiales vident, an ipsi oratores possint solvere, saltem aliquam partem compositionis, habitâ consideratione ad quantitatem et qualitatem bonorum, in dictis litteris testimonialibus expressorum: quòd si appareat ita posse, eâ solutâ, expediuntur litteræ dispensationis, in ipsâ formâ pauperum; nec tamen in illis datur tunc clausula, *dummodò pauperes et miserabiles*, quæ profectò non poterit verificari coram Delegato, cùm ipsi oratores habeant aliquid in bonis. Licèt quandoque post hujusmodi expressionem, viderim sic additum: *In reliquis autem pauperes et miserabiles existant.*

Quare ad evitandas fraudes, quæ in dies circa id committebantur, volentibus oratoribus suam paupertatem in hâc curiâ archiepiscopali probare, pro habendo hujusmodi paupertatis testimonio, cùm nihilominùs ex testium depositionibus appareret eos non esse adeò pauperes, quin consueta jura officialibus Romanæ Curiæ solvere valerent, quippe testibus asserentibus, oratores ipsos bona possidere, præclaro sanè integerrimoque judicio statuit illustrissimus et reverendissimus D. Felix Tamburellus, episcopus Soran., dùm eminentissimi et reverendissimi D. cardinalis Boncompagni, archiepiscopi Neapolitani vicarii generalis munere fungeretur, dandas esse hujusmodi oratoribus, non quidem absolutam fidem paupertatis, sed litteras testimoniales, ad Urbem transmittendas; cum ipsis extensis testium præfatorum depositionibus, ut supra jam dictum est, quatenùs ex earum inspectione, possint dataria apostolica, ejusque officiales, de ipsâ paupertatis veritate decernere; quem quidem stylum, ut ab auctore ex Sedis Apostolicæ ejusque officialium, ac tot locorum piorum indemnitatis zelo introductum, ipsa dataria libenter recepit et approbavit. Dignam sanè rem quæ à tanto viro proficisceretur, qui tot egregiis muneribus in insignibus civitatibus perfunctus, in omnibus ita præclarè se gessit, ut ad episcopalem dignitatem sit non immeritò evectus!

Si verò contingat oratores, seu alterum ipsorum, non in propriâ, sed in alterius diœcesi commorari, in quâ domicilium contraxerunt, tunc ordinarius ipsius domicilii attestabitur de ipsorum oratorum paupertate et miserabilitate, his verbis: *Fidem facimus et attestamur, prædictos M. et N. seu prædictum M. N. diœcesis Messanen. et in hâc civitate, seu diœcesi Neapolitanâ à tot annis commorantes, in quâ domicilium contraxerunt, esse adeò pauperes et miserabiles, quòd ex labore et industriâ suâ tantùm vivunt*, etc.

Hoc enim casu dataria non admittet fidem paupertatis factam per ordinarium Messanen., quia his sic stantibus, secundùm stylum, debet fieri mentio de hoc in supplicatione, ubi dicetur: *Et attento quòd oratores prædicti in civitate Neapolitanâ à biennio et ultrà commorantur, et in eâ domicilium contraxerunt, committatur ordinario Neapolitano sive ejus vicario in spiritualibus generali;* et sic supra dicta fides debet esse conformis supplicationi, et è contra.

Ratio autem, cur oratores egeant attestatione prædictâ ordinarii Neapolitani, illa esse potest, nempe quia per domicilium ita contractum, efficiuntur diœcesis Neapolitanæ, cujus ordinarius necessariò debet attestari de eorum paupertate, secundùm stylum datariæ, vel etiam dici potest quòd oratores, qui pro pauperibus habentur in civitate Messanen. poterunt esse divites in civitate Neapolitanâ, quia vulgò dici solet, mutatio loci, mutatio fortunæ, arg. eorum quæ dicit Bart. in l. *Juris gentium*, § *Si ante aditam*, ff. de Pact.

Sanè, paupertate hujusmodi non obstante tenetur orator cum illius testimonio accedere ad Urbem pro impetrandâ dispensatione, si ab eâ distet infra centum milliaria (si verò ultra, nequaquàm), nisi talis esset paupertas, quæ non sineret ipsum oratorem ad Urbem ipsam accedere; de quo debet fieri mentio in ipsâ fide paupertatis; in quâ, post illa verba, *ex labore et industriâ suâ tantùm vivunt*, additur, *dictusque orator ob hujusmodi paupertatem non valet ad Urbem accedere.*

Hic tamen accessus ad Urbem non est ita necessarius, quando oratores sunt conjuncti in gradibus remotioribus, puta in quarto vel tertio et quarto à communi, etiam ex pluribus stipitibus multiplicatis; sed tantùm, quando essent impediti tertio, vel secundo et tertio gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, sive simplicibus, sive ex pluribus stipitibus, ut supra duplicatis; nisi ipsa paupertas impediat, ut supra dictum est.

In primo autem, vel in primo et secundo, aut in secundo tantùm, vel in primo et tertio gradibus etiam ut supra duplicatis, pro litteris obtinendis in ipsâ formâ pauperum, tenetur orator, non obstantibus quâcumque paupertate, et distantiâ ab ipsâ Romanâ Curiâ, ad eam accedere; quia in his gradibus, ita propinquioribus, sicut etiam pro cognatione spirituali, neque paupertatis, neque alterius cujusvis impedimenti, excusatio admittitur; tam ubi carnalis copula

secuta, quàm ubi illius suspicio tantùm orta fuerit; quia in pœnam tanti admissi criminis, præcipit summus Pontifex ut omninò accedat ad Urbem, etiam mendicando; quamvis fuerit cæcus, claudus, vel aliàs corpore vitiatus; dummodò possit prædictum iter arripere: sæpè enim videmus hujusmodi oratores, etiam ex longinquis et Ultramontanis partibus, ad dictam Urbem venire pro dictis dispensationibus impetrandis; ibique operam suam in fabricam Sancti Petri, sive alterius loci pii ipsius Urbis conferre.

Vidimus nihilominùs dari ultra montes, ordinario ex gratiâ speciali, et gravi urgente paupertate ac miserabilitate oratorum, litteras privatas cum commissione dispensandi, etiam in gradibus propinquioribus, cum oratoribus ita pauperibus, attentâ copulâ carnali inter eos secutâ; quinimò verò etiam citra montes cum hujusmodi litteris bonæ mem. cardinalis Barghesii ex commissione fel. record. Pauli V, archiepiscopo Taurinensi transmissas, tenoris sequentis, videlicet:

Si contenta benignamente N. S. che quando Lorenzo di Gio: Paolo, et Donna Aurelia di Aleandro Biancolino da Busso diocesi di V. S., siano poveri, et catholici, et talmente poveri che vivano delle loro fatiche; ella possa despensarli à contrahere matrimonio insieme, non ostante, che siano congionti in secondo grado di affinit à conforme ella avisa; et à tale effetto ne concede S. B. à V. S. ogni opportuna facoltà in virtù della presente. Et me le offero di core, prout in litteris ejusdem cardinalis Burghesii per similis memoriæ cardinalem Lanfrancum recollectis fol. 33.

Quo verò ad accessum ad Urbem, ibique pœnitentiam pro patrato incestu peragendam, sciendum est, quòd sicut pro dispensatione super compaternitate in formâ pauperum, oratoribus prædictus accessus remittebatur, prout hodiè remittitur facta per ipsos quædam eleemosyna locis piis ipsius Urbis eroganda; idem quoque servatur à tempore pontificatûs fel. record. Urbani VIII in dispensationibus, super impedimento affinitatis fornicariæ, nedùm in secundo, verùm etiam in primo et secundo à communi, imò etiam in primo gradibus tantùm in eâdem formâ pauperum, ipsisque oratoribus pœnitentia collationis operis remittitur in partibus peragenda.

Est autem hìc advertendum, quod in his gradibus in quibus orator tenetur omninò accedere ad Urbem, debet secum differre prædictum testimonium, quod non tantùm contineat illius paupertatem, verùm etiam (si res ita se habet) quòd nisi matrimonium contraheretur, gravia scandala exoritura essent, et tam oratori quàm oratrici, vitæ periculum immineret; nam hodiè hujusmodi fides aliter non admitteretur; quod quidem servatur circa dispensationes sub dictâ formâ impetrandas in secundo, aut primo et secundo gradibus, sive simplicibus sive duplicatis.

Et ultra eam, in ipsâ Urbe examinandi sunt duo testes coram præfecto datariæ, qui deponant se cognoscere ipsum oratorem; et hoc ad obviandum fraudibus, ne unus pro alio supponatur; per ea quæ dicit Ruin., cons. 150, num. 2, lib. 2, cum aliis, ut per Mascard., de Probat., concl. 825.

Sæpè ulteriùs contingit, oratorem ad Urbem accedentem pro hujusmodi dispensatione obtinendâ, non habere secum sufficiens paupertatis testimonium; et tunc prædictus datariæ præfectus contentatur recipere testes super paupertate dicti oratoris; eòque magis, cùm ex aspectu personæ perpendatur an talis sit qualis ipse se facit; præcipuè, si illum rudibus vilibusque vestibus amictum aspexerit; quia regula communis est, ut eo ipso quis probetur pauper, cùm appareat malè vestitus, Alber, in l. *Si verò*, § 1, num. 6, *qui satisd. cogan.*; Gregor. Lopez., in l. 20, Gloss. 2, in fin. tit. 25, p. 3, quos refert Gonzal. ad regul. 8 cancell.; Gloss. 2, sub num. 44.

De istis tamen non semper fidendum esse satis experientiâ compertum est; quandoque enim sub vestimentis rudibus et miseris, paupertatem ipsam affectant. Nec immemor sum cujusdam notarii Siculi, qui, cùm, meo tempore, ad dictam Urbem accessisset, pro dispensatione super impedimento secundi consanguinitatis gradûs, in formâ pauperum cum copulâ secutâ, impetrandâ, suæque paupertatis testimonium sufficiens non haberet, ut requirebatur, ac propterea timeret se repulsum passurum, ob non benè probatam suam paupertatem, ex eo etiam, quia ipse satis erat benè vestitus, curavit sibi commodari vestimentum valdè rude et laceratum, quo indutus accessit ad dictum præfectum, ad quem spectat receptio compositionis, illique testimonium prædictum præsentavit; qui, tanquàm minùs sufficiens, nolebat illud admittere; quinimò cùm oculos in ipsum Siculum intendisset, dixit, quòd ex illius aspectu non apparebat pauper, debebatque propterea solvere omninò compositionem; unde dictus Siculus, vultu demisso, humillimis verbis respondit se in tali statu esse, quòd ad effectum se conferendi ante ipsum præfectum fecerat sibi vestimentum illud accommodari; quod et jurejurando affirmavit; quapropter idem præfectus, omni hæsitatione circa paupertatem ipsius Siculi, depositâ, ei fidem præstitit; qui ita fraudulenter evasit solutionem compositionis prædictæ, obtinuit litteras dispensationis in formâ pauperum expediri.

Cùm verò hæc affectata paupertas, nullo modo possit suffragari, Covar., Pract. Quæst., cap. 6, num. 3, vers. *Sed et si quis*, propterea dicendum est, quòd talis orator, cui pro eleemosynâ fuerunt remissa hæc jura, ut præmittitur, debita, tenetur ea restituere iliis quos ita decepit, Nald. in summâ, verbo *Eleemosyna*; quia fraus nemini debet prodesse, Abb. in c. *Innotuit*, de Elect., cùm sit prohibitum etiam jure naturali, Bald. in Auth. *Ingressi*, c. de Sacros. Eccles. cum aliis juribus, út per Caputaq. dec. 215, num. 1 et 2, p. 3.

Quæritur autem hìc quid dicendum si orator verè pauper erat tempore impetrationis dispensationis, ante tamen illius executionem, fuerit factus dives, etiam unà cum oratrice? Respond. id. Nald., in Sum., in

verbo *Pauper*, sub num. 8, *Et tandem*, paupertatis gratiâ obtentum rescriptum, seu privilegium apostolicum, puta, quia tunc orator erat pauper, non vitiatur, quamvis post ea tempore informationis, deficeret illa causa impulsiva, et orator factus sit dives; sufficit enim, causam illam, tempore rescripti, veram exstitisse, per Covar. l. 1 var. Resol. c. 20, num. 5; Henriq. de Irregul. c. 17, in fine; et sic, cum pro obtinendâ hujusmodi dispensatione in formâ pauperum, allegetur paupertas oratorum, non potest hæc causa dici falsa, cùm jam à principio fuerit vera, licèt postea cesset; Bald. in l. 1, num. 11, c. de Condict. indeb.; Ludovis. decis. 406, num. 12.

At verò hodiè, id non potest sibi locum vendicare in hujusmodi dispensationibus matrimonialibus in formâ pauperum; quia, licèt obtineant oratores dispensationem sub hâc formâ, cum fide paupertatis factâ per ordinarium, nihilominùs, quando postmodùm delegato præsentantur litteræ hujusmodi dispensationis, erit de novo probanda illorum paupertas; quia cùm ni dictis litteris apponatur clausula : *Et dummodò pauperes et miserabiles existant*, hæc conditio nihil ponit in esse, antequàm fuerit denuò verificata paupertas; nam ex supra dictâ clausulâ satis apparet, quod datariæ officialibus non omninò satisfit cum prædicto testimonio ordinarii; cùm præter illud, præcipiatur de novo capi informationem, tempore præsentationis rescripti super hujusmodi paupertate, et sic supra dicta responsio Nald. loc. cit., ac forsan aliorum, tunc posset quidem locum habere, quando videlicet rescriptum, sit in formâ pauperum, impetratum, nec egeat ministerio executoris; cùm gratia jam fuerit perfecta, absque eo quòd debeant verificari narrata coram ipso executore. Illic autem, gratia datur in formâ commissariâ, et cum clausulâ, *si preces veritate niti repereris; super quo tuam conscientiam oneramus;* quæ refertur non modò ad causam expressam, pro ipso principali rescripto, verùm etiam ad ipsam allegatam paupertatem ac miserabilitatem : satis enim est tritum, etiam in nostrâ praxi, quòd quæcumque clausula in fine posita, refertur ad omnia præcedentia, ut est text. in c. *Inquisitionis*, de Appell.; Felin. in cap. *Causam quæ*, num. 4, de Rescrip.; Caputaq. decis. 95, num. 4, p. 1.

Benè tamen placet quod in quibusdam curiis ecclesiasticis vidi observari, nempe, quòd antequàm oratores incipiant pœnitentiam sibi in vim prædictarum litterarum injunctam, curant examinari testes super dictâ eorum paupertate, ne fortè contingat, illam non benè probari, et sic post peractam ipsam pœnitentiam, teneantur alias litteras dispensationis, sublatâ quidem formâ pauperum, impetrare, ac solvere integram pro eâ compositionem, quo casu non venit ipsis oratoribus pœnitentia publica, sed tantùm salutaris, injungenda; ut pluries casus iste evenit.

Nec de istâ receptione seu solutione compositionis mirandum est, sicut miratur Staphileus, de Litteris gratiæ, quem refert Rebuff., in suâ Praxi beneficiariâ, in regulâ de Dispensat. in grad. prohibit., num. 15, ubi dicit quòd miratur ipse Staphil. quomodò Papa recipiat pro istâ dispensatione compositionem, nam aut est justa causa dispensandi, et tunc dispensare debet; si verò non adest causa, dispensationem abjicere debet.

Huic enim admirationi satisfacit idem Rebuff., ib., num. 15, dicens quòd desinet mirari idem Staphil. si consideret quàm multi dispensationes hujusmodi impetrarent, si gratis concederentur, qui saltem impensarum timore deterriti, non audent, et alioqui semper infestarent aures Pontificis, petendo secum dispensari, dareturque materia delinquendi, contra l. *Convenire*, ff. de Pact. dotal.

Neque obstant decretum concilii Tridentini, sess. 22, cap. 5, et doctorum opiniones, volentium, ubi causa justa dispensandi subest, deberi dispensari gratis : nam id locum tantùm habet in compositionibus, non autem in aliis juribus, et super hoc sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum, ita declaravit videlicet : *Decretum concilii Tridentini, quod ait :* « *Dispensationes gratis concedantur,* » *habet locum in compositionibus, non in mercede, quæ propter bullarum expeditionem, solvitur ex congregationis sententiâ.*

Quamvis, ut ait Garc., de Benef., p. 8, c. 2, num. 101, etiam respectu compositionum, non servatur propter necessitates, et onera Papæ, et Sedis Apostolicæ (cujus auctoritas salva est in decretis ejusdem concil., sess. 25, c. ult.), præsertim verò pro propagandâ tuendâque fide catholicâ, pro quâ, quanta qualiaque sint ejusdem Sedis onera, vix exprimi possunt, etiam ab iis qui ea ex professo experiuntur.

Inprimis ab invicem separes.—Et sic præsentatis supra dictis litteris prædicto vicario executori, mandabit ipse, ante omnia, parocho oratorum, quatenùs eos separet, ne ipsi in peccato perseverent, et ut pœnitentiam agant, juxta text. in cap. *Lex continentiæ*, 27, quæstione primâ, ibi, *qui etiam separati pro tantis excessibus, condignam pœnitentiam agant*, cap. *Hæc salubriter*, 35, quæst. 8; ibi, *quæ in quarto vel quinto gradu conjuncti inventi fuerint, separentur, quoniam scriptum est :* « *Omnis homo ad proximam sanguinis sui* « *non accedat, ut revelet turpitudinem ejus*, etc. »

Non enim ex eo quòd Papa mandat dispensari cum oratoribus, id concedit liberè et absolutè; quod satis patet ex capite, *Super eo*, de Cognat. spirit., ibi, *et conjunctos, pontificiâ auctoritate non differas separare;* qui quidem text. licèt loquatur de matrimonio contracto, hæc tamen clausula, quâ mandatur oratores separari, semper apponitur in litteris dispensationis, tam de contracto quàm de contrahendo, ubi carnalis copula, aut illius suspicio inter oratores orta fuerit, si illæ expediantur in formâ pauperum; licèt id præcipuè de jure venuicet sibi locum, quando oratores jam contraxerunt matrimonium; quia, cùm sint contra canones conjuncti, debent omninò separari, cap. *Vides*, dist. 10, cap. *Contradicimus*, 35, quæst. 3

et etiam de jure civili est text. in l. *Non dubium*, c. de Legibus.

Tenor verò decreti separationis prædictæ juxta stylum hujus curiæ archiepiscopalis talis est, ut sequitur, videlicet :

Die, etc., *Neapoli, visis et consideratis requisitis ac clausulis contentis in litteris dispensationis matrimonialis impetratæ à S. D. N. Urbano Papâ VIII per Joannem N. et Luciam N. hujus Neapolitanæ diœcesis, per admodùm illustrem et reverendissimum D. vicarium generalem Neapolitanum, fuit provisum et decretum, quòd supra dicti Joannes, et Lucia separentur ab invicem arbitrio supra dicti D. vicarii, prout præsenti decreto eos separari mandatur; nempe, ut dictus Joannes in unâ, dicta verò Lucia in alterâ domibus separatim vivant; de quâ quidem separatione, exhibere teneantur fidem parochi in actis, et ita*, etc.

N. N. vicarius generalis, delegatus apostolicus.

Quid autem agendum erit, si durante supra dictâ separatione, vel aliàs ante obtentum decretum hujus dispensationis sub hâc formâ pauperum, dicti oratores se de novo carnaliter cognoverint, numquid egeant novâ dispensatione super hâc novâ copulâ habitâ ?

Quia verò nullo jure statutum reperitur, an huic quæstioni affirmativa aut negativa responsio danda sit, propterea recurrendum est ad stylum non ignotum ipsius Romanæ Curiæ, qui hoc casu, negativam partem tenere videtur ; à peritissimis enim et antiquissimis ejusdem curiæ practicis fuit semper tentum, oratores in hoc casu non egere novâ dispensatione, respectu hujus secundæ copulæ carnalis ; eâ ratione, quia sufficit Papam semel scivisse inter eos intervenisse copulam prædictam ; absque eo quòd in quolibet alio casu, tenerentur novam copulam ipsi Papæ manifestare ; quia licèt verum sit esse faciendam mentionem ipsius copulæ in dispensatione, ubi ea intervenerit, ut supra diximus, attamen certum est id nullibi cautum reperiri ; ac propterea, quod lex non dicit, nec nos dicere debemus, vulg. l. *Si servum*, § *Non dixit prætor*, ff. de Acquir. hæred. ; Dec. cons. 398, num. 4 ; Cassad. decis. 4, n. 3, de Const. ; nam si ipsa congreg. concil. Triden. id voluisset, sicut simpliciter voluit mentionem copulæ fieri debere in petitione hujusmodi dispensationis, id profectò etiam declarâsset, argum. text. in l. un. § *sin autem*, c. de Cad. toll., faciunt ea quæ dixit Alex., cons. 38, num. 8, vol. 6 ; Anchar., cons. 120 ; Bald. in l. *Gallus*, § *Et qui si tantum*, ff. de Lib. et Posth., ubi dicit id quod omittitur in statuto, haberi pro omisso.

Cæterùm, affirmativa sententia verior, et in praxi recepta est, nempè debere omninò peti novam dispensationem, ob copulam noviter secutam ; sicut in dies practicari videmus. Et aliàs meo tempore, quæstione desuper ortâ inter dominos abbreviatores majoris præsidentiæ, die 27 martii 1607. in cancellariâ apostolicâ, licèt major illorum pars teneret, non esse hanc novam copulam summo Pontifici manifestandam ; sed licitè posse vicarium delegatum procedere ad executionem litterarum dispensationis jam obtentæ, cum mentione prioris copulæ secutæ ; attamen minor pars, inter quos aderant DD. Ulpianus Ulpius et Lambertus Ursinus, viri undequàque harum præcipuè rerum peritissimi, totum contrarium tenuerunt. Re autem tunc ad felicis record. Paulum V delatâ, ipse Paulus, eâ maturè perpensâ, dixit etiam hanc novam copulam esse Pontifici manifestandam per novam dispensationem, mediantibus litteris in formâ *Perinde valere*.

Ne autem res ita simpliciter acciperetur, subdidit ipse Paulus id esse tantùm intelligendum quando prior dispensatio, cum mentione prioris copulæ, fuisset impetrata in formâ pauperum ; quia sub hâc formâ, committitur Delegato, ut oratores ab invicem separet, ut supra dictum est ; et propterea, si durante separatione, in illius contemptum, oratores se carnaliter denuò cognoverint, ipsi obtentæ dispensationis, frustrentur effectu : quod quidem intelligendum est, etiamsi id eveniat post peractum tempus separationis, ante tamen decretum delegati ; quia si ipsi oratores se carnaliter denuò cognoverint, adhuc egent novâ dispensatione.

Imò etiam antea idem servabatur, ut testatur Marcus Antonius Genuensis. in Praxi Curiæ archiepiscopalis Neapolitan., cap. 25, n. 5, dicens, fuisse ab Urbe rescriptum anno 1601, quòd si impetrantes, post ipsam separationem à vicario delegato factam, de novo se carnaliter cognovissent, est opus novâ dispensatione, seu, *Perinde valere*.

Nec totum id videtur ratione carere : dispensati enim oratores in formâ pauperum, cum impositione hujusmodi separationis, non habent certam spem consequendi effectum dispensationis faciendæ per ipsum delegatum : potest enim contingere causa per quam illa eis denegetur, cùm totum id pendeat ab illius arbitrio, per illam clausulam : Demùm si tibi expediens videbitur quòd dispensatio hujusmodi sit eis concedenda, etc., ut infra dicemus.

Secùs autem dicendum ac tenendum est, ubi copula ipsa carnalis iterabitur inter oratores qui in formâ ordinariâ, non autem in formâ pauperum, ipsam dispensationem, cum prioris copulæ mentione impetraverint ; tunc enim, etsi post hujusmodi impetratam dispensationem, et ante litterarum executionem, se denuò carnaliter cognoverint ; ex quo in ipsâ formâ ordinariâ, nequaquàm adjicitur ut oratores separentur, non indigent novâ dispensatione, respectu posterioris ac reiteratæ copulæ ; et ista est notoria praxis et observantia, quæ nunquàm contrarium admisit, sicut fatentur omnes antiqui curiales.

Prout, eâdem ratione ait Sanch., lib. 8, disput. 24, n. 8, quod si obtentâ apostolicâ dispensatione super affinitate ex actu fornicario proveniente, antequàm ordinarius dictam dispensationem exequatur, orator iteraret copulam cum eâdem consanguineâ feminæ à se deducendæ, valere adhuc dispensationem sicut jam aliàs diximus ; ex quo, nondùm est consummata dispensatio in affinitate ; ac propterea ipse ordinarius virtute mandati debet dispensare ; ex quo ista nova

copula non auget affinitatem, aut aliud novum impedimentum inducit; cùm sit eademmet affinitas, in quâ dispensatio committitur ordinario; subdens ibi quòd secùs esset si ipsa nova copula accideret, postquàm jam dispensavit ordinarius, aut confessarius in foro conscientiæ; tunc enim ex quo prior affinitas sublata est per dispensationem, contracta est nova affinitas per supra dictam novam copulam, eaque appellabitur affinitas superveniens, super quâ requiritur nova dispensatio, eo modo quo aliàs diximus.

In simili declaravit sacra congregatio concil. sub die 12 januarii 1606, dispensationis litteras, super gradu prohibito obtinentes, si eis non præsentatis, contraxerunt, vel se carnaliter cognoverunt, egere novâ dispensatione. Si verò, sic consanguinitatis vel affinitatis gradu conjuncti, carnale commercium simul habuerunt, eoque expresso, litteras à Sede Apostolicâ, quibus ordinario dispensatio committebatur, obtinuerunt, easque illi præsentârunt, et veritate causæ probatâ, dispensationem assecuti sunt; et deinde, non contracto adhuc matrimonio, se iterùm carnaliter cognoverunt, nova non requiritur dispensatio; refert Barbos. in Collect. bull., verbo *Dispensare*, vers. *Dispensationis litteras*, fol. mihi 277.

Cùm igitur ex præmissis, et secundùm hanc praxim, satis constet, supervenientis adhuc novæ carnalis cognitionis in casu præmisso, expressionem Pontifici faciendam omninò esse per secundam gratiam, prioris revalidatoriam, nimirùm in formâ: *Perinde valere;* cujus quidem rescripti usus in his dispensationibus matrimonialibus, tanquàm aliis frequentioribus, frequentior est; ideò non incongruum videtur pro junioribus tantummodò, ac Romanæ curiæ tyronibus, hìc summatim indicare hujusmodi rescriptum, necessarium admodùm existimari, ad priorem gratiam; jam obtentam, revalidandam, ne illa oratoribus in aliquâ sui parte minùs efficax, inanis prorsùs reddatur; cujus quidem virtus tota infunditur in hâc gratiâ revalidatoriâ, seu *perinde valere;* unde non immeritò posset hæc gratia principalis judicari, cùm illius locum in virtute et in effectu subintret, teste Sarnens. super reg. *de non judic. juxt. form. suppl.*, q. 7, num. 4, ubi ait quòd istæ similes gratiæ revalidatoriæ, seu *perinde valere*, videntur productæ ad similitudinem quarumdam condignationum, sive pessulorum, quæ ædificiis infirmis, jam ruinam minantibus, apponuntur, sustentationis gratiâ; unde idem judicatur de tali additamento, quod de ipsâ re, cui adjicitur; ex quâ quidem similitudine, sive ratione, dici profectò potest quòd gratia *perinde valere* suscitat spiritum primi rescripti extincti, Mandos., super reg. 10, quæst. 1, num. 2, et ait Cassad. decis. 33, super reg. num. 6, quòd vivificat quod nullum erat, et insufflat spiritum et animam; et patet ex formulis infra de more subjiciendis, ubi dicitur quòd idem judex, ad executionem posterioris hujus gratiæ procedat, perinde ac si à principio, quod tunc exprimi omissum est, fuisset expressum; ex quâ quidem dictione, *perinde*, desumit, nomen gratia, *perinde valere;* quæ tunc datur, quando summus Pontifex, gratiam suam, ex aliquâ parte invalidam, revalidat, adjectâ eâ dictione, *perinde*, quæ est significativa improprietatis et fictionis, text. in leg. *Sed et si lege*, § *Perinde*, ff. de Petit. hæred., Tiraquel. in l. *Si unquàm*, verbo *Susceperit liberos*, num. 7; c. de Revoc. donat., præsertim verò in l. *Sed et si restituatur*, ibi: *Perinde autem habendum esse ac si ipse adiisset hæreditatem*, ff. de Jud.; quando autem ista dictio, *perinde*, veritatem, quando autem fictionem denotet, videndus est Alex. in l. *Si quis*, in princip. ff. de Acquir. Possess. Papa enim potest fingere ac statuere ut actus perinde valeat ac si jure factus esset, ut docet Bart. et alii in l. *Si iis qui pro tempore*, ff. de Usucap., ac proinde facit ut ipsa prior gratia proinde valeat, ac si valida fuisset tempore impetrationis; Rebuff. in Prax., tit. de Rescripto etiam, et *Perinde valere*. Nec tamen à junioribus et tyronibus prædictis, hujusmodi rescriptum, *perinde valere*, tunc prodesse, ad priorem gratiam revalidandam existimetur, quandò nimirùm aliàs illa, alicujus subreptionis vel obreptionis, sive causæ defectûs vitio subjacere fortassè noscatur; quandoquidem, hoc casu nihil operabitur; quia vitiatâ gratiâ principali, omnes aliæ clausulæ in posterioribus litteris adjectis, corruunt, Paris. de Resign. benef. l. 8, q. 11, num. 46. Quòd si fortè contingat hujusmodi gratiam, *Perinde valere*, super principali gratiâ, in quâ fuit aliquid malè et subreptitiè expressum vel tacitum, impetrari, propter quod petitur eadem gratia ad sanandos hujusmodi defectus, oportet quòd ubi dicitur, *prout in dictis litteris*, ante verbum *continetur*, sic addatur, videlicet, *in quibus*, etc., narrando id quod fuit malè et subreptitiè expressum. Et omnes defectus qu quomodocumque in prioribus litteris intervenerint exprimendi necessariò erunt in gratiâ, *Perinde valere*, alioquin unius expressio non supplet alios non expressos; pluribus enim impedimentis existentibus, uno sublato, aliud remanet; ac proinde testatur id. Rebuff., loc. cit., quòd in practicâ Romanæ Curiæ habetur, quod in gratiâ *Perinde valere*, non debet suppleri ultra illud quod est in supplicatione; et ibi exemplificat in illegitimo minore, qui impetravit beneficium curatum, non expresso defectu natalium nec ætatis, qui si postmodùm impetret tale rescriptum, exprimendo tantùm defectum natalium, omissâ expressione defectûs ætatis, illud non valebit, nec impetratio; cùm omnes defectus non sint expressi; ita intelligendum est quod dicit Mandos. in Prax. signat., tit. *Perinde valere*, vers. *In litteris perinde valere.*

Hinc est quod non semel accidisse scimus, adhuc in hâc posteriori gratiâ *Perinde valere*, neque integrè suppletum extitisse quod in gratiâ principali fuerat omissum; ac proinde posteriorem hanc gratiam adhuc infirmam existere; quapropter, licèt hæc revalidatoria gratia existat, per aliam tamen gratiam revalidanda erit, quæ de stylo Curiæ: *Perinde valere super alio Perinde valere*, appellatur; alioquin invalida etiam hæc secunda gratia erit, nisi ea omnia sint in illâ expressa quæ in primâ exprimenda erant. Nec imperfecta hæc expressio poterit suppleri per illa

verba in infra scriptis formulis apposita, nimirùm, *in omnibus et per omnia*, sicut quidam antiquus curialis dicebat; ipsa enim verba non possunt ultra expressa operari, quæ tantùm operantur ut acta et gesta valeant, ac si de eis expressa mentio facta fuerit, ad text. in l. 2, § *Furiosus*, ff. de Jur. codicill., per rationem desuper allatam, nempe quia potest fingere expressum Papa, quod non est in prioribus litteris expressum, id. Rebuff., d. tit., num. 59, et hoc modo docemur verba ipsa, quoad expressa, induere omnimodam æqualitatem, necnon operari ut inter subjecta nulla sit differentia, sed sint ejusdem, naturæ, et fortiorem reddant depositionem; Vivian. in Prax. jurispatr. p. 2, lib. 13, cap. 8, num. 344.

Quia verò circa materiam hujus rescripti, ulteriùs progredi institutum nostrum non patitur, ex quo illius praxim reassumam in meâ Pract. benef., propterea sufficit pro nunc illud tantummodò tetigisse quod ad harum dispensationum matrimonialium praxim; nunc opportunum agnovimus, ac proinde hujus rescripti formulas, juxta frequentiorum casuum contingentiam, pro imperitis Romanæ Curiæ junioribus, eo, quo sequitur modo, subjicimus, videlicet:

Perinde valere in formâ pauperum, super novâ copulâ.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum Balthasaris Ginetti, et Eustochii Laudatæ mulieris Neapolitan. diœcesis, exposito, oratoribus prædictis, aliàs scientibus se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, oratorem præfatum, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, hæc causa foret, S. V. et Sedem Apostolicam, ad misericordiam et graviam erga ipsos faciliores reddendi; sed solùm vesanâ libidine victum, præfatam Eustochium carnaliter cognovisse; et nisi matrimonium inter dictos oratores contraheretur, dictam oratricem diffamatam et innuptam remansuram, graviaque exinde scandala posse verisimiliter exoriri; cupereque oratores præfatos invicem matrimonialiter copulari; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum in eâ parte adimplere non posse, absque Sedis præfatæ dispensatione. Quare E. S. V. pro eorumdem oratorum parte humiliter supplicato, quatenùs eis in præmissis opportunè, providere, de benignitate apostolicâ dignaretur S. V., precibus dictorum oratorum tunc inclinata, vicario archiepiscopi Neapolitan., in spiritualibus generali, per suas litteras dedit in mandatis, quatenùs, si preces veritati niti reperiret, eosdem oratores, qui pauperes existunt, et ex labore et industriâ suâ tantùm vivunt, in primis ab invicem separaret, deinde, si veniam ab eo petiissent humiliter, eam illis pœnitentiam publicam imponeret, quæ alios deterreret à similibus committendis, utque dictus orator operam suam fabricæ, vel in aliud, servitium alicujus ecclesiæ, vel loci pii quatuor saltem mensibus conferret, aliaque injungeret, quæ de jure fuissent injungenda. Quâ pœnitentiâ publicâ peractâ, ipsos ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerant, incestûs reatu, et excessitus hujusmodi; impositâ priùs eis vrepter incestum hujusmodi, arbitrio suo, pœnitentiâ salutari; et recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commisissent et quatenùs contra oratores ipsos, causa super præmissis in judicium quoquomodò deducta fuisset, parito judicato, in utroque foro apostolicâ auctoritate, eâ vice duntaxat absolveret in formâ Ecclesiæ consuetâ. Demùm, si illi expediens videretur quòd dispensatio hujusmodi esset eis concedenda, nec scandalum fuisse ex eâ oriturum, cum eisdem oratoribus, postquàm in separatione præfatâ, illius arbitrio perseveraverint; et dummodò ipsa oratrix propter hoc rapta non fuisset quod impedimento tertii consanguinitatis hujusmodi, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valerent, eâdem auctoritate dispensaret. Prolem susceptam, si qua esset, et suscipiendam exinde, legitimam decernendo, prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras ipsi oratores præfato vicario præsentârunt, qui contenta in eis verificari mandavit; et cùm in verificatione hujusmodi, sibi constitisset, dictos oratores, durante separationis tempore, eis ab eodem vicario injunctæ, in eâdem carnali copulâ perstitisse, seu denuò se carnaliter cognovisse, ad ulteriorem illarum executionem procedere recusavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. dicti oratores, quatenùs eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario committere et mandare dignemini, quatenùs negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, eosdem oratores ab excommunicationis sententiâ, quam ipsi de novo propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu et excessibus hujusmodi; impositâ priùs eis propter incestum hunc, arbitrio suo, aliquâ pœnitententiâ salutari, in utroque foro, hâc vice duntaxat, absolvat in formâ Ecclesiæ consuetâ; ac ad dictarum litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus et per omnia: perinde ac si iidem oratores, post separationem, sibi ab eodem vicario injunctam, in eâdem copulâ minimè perstitissent, seu de novo se carnaliter cognovissent. Non obstantibus omnibus illis quæ eadem S. V. in dictis litteris voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque, cum clausulis opportunis.

Fiat, ut petitur. F.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et de commissione, mandato, aliisque præmissis latissimè extendendis; et quod præmissorum omnium, et singulorum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui impositâ priùs oratoribus arbitrio suo, aliquâ pœnitentiâ salutari, eosque absolvat ut supra. Et parito judicato, si quod sit. Et dummodò oratores pauperes et miserabiles existant; ac ex suis labore et industriâ tantùm vivant.*

Fiat. F.

Idemque servatur ordo, cùm oratores litteras dis-

pensationis, allegatâ causâ infamiæ oratricis ob eorumdem oratorum mutuam inter se conversationem, copulâ tamen non secutâ, impetraverint, quæ tamen intercessit post oratoribus à delegato injunctam separationem, cùm ipsæ litteræ fuerint in eâdem formâ pauperum impetratæ; tunc enim ita erunt preces porrigendæ, videlicet :

Perinde valere cum copulâ super litteris expeditis ob infamiam in formâ pauperum.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. N. diœcesis N. exposito, ipsos oratores aliàs scientes se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi datâ operâ, etc., *in simul conversatos esse, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ; et nihilominùs ortam fuisse suspicionem, licèt falsam, quòd præfati oratores se carnaliter cognovissent, et nisi matrimonium inter dictos oratores contraheretur, dictam oratricem diffamatam et innuptam remansuram, graviaque exinde scandala,* etc., *exoriri. Quare,* etc., *quatenùs,* etc., *reperiret, eosdem oratores, qui pauperes et miserabiles existunt, inprimis ab invicem separaret; deinde,* etc., *utque dictus orator operam suam,* etc. *Quatuor saltem mensibus,* etc. *Quâ pœnitentiâ publicâ peractâ, ipsos ab excessibus hujusmodi impositâ eis propter præmissa,* etc., *pœnitentiâ salutari. Demùm,* etc., *prout,* etc., *continetur. Quas quidem litteras,* etc., *oratores præfati eidem vicario præsentârunt, qui contenta in eis verificari mandavit, verificatisque in eis narratis, cùm oratori pœnitentiam in prædictis litteris expressam, imposuisset, sibique constitisset, oratores interim, carnis fragilitate devictos, se carnaliter cognovisse, ad ulteriorem dictarum litterarum executionem procedere recusavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eos, ne propterea dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, eosdem oratores ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi, in utroque foro absolvat; prolem susceptam (si qua sit) et suscipiendam exinde, legitimam decernat : ac ad dictarum litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus, et per omnia, perinde ac si carnalis copula præfata secuta minimè fuisset, committere, et mandare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus illis quæ,* etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et de commissione, mandato, aliisque præmissis latissimè extendendis, et quod præmissorum omnium, et singulorum aliorumque necessariorum major et verior specificatio, et expressio fieri possit in litteris. Et committattur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui impositâ oratoribus propter incestum hujusmodi, arbitrio suo pœnitentiâ salutari, eos absolvat, decernat, ac procedat, ut supra. Et parito judicato si quid sit.*

Hujusmodi litteræ sub istâ formâ : *Perinde valere,* dari pariter consueverunt, cùm videlicet oratores obtinuerunt per Sedem Apostolicam secum, etiam in formâ pauperum, mandari dispensari super quocumque impedimento dirimente, cum expressione quòd ipsi ignorantes hujusmodi impedimentum, se carnaliter cognoverunt; cùm nihilominùs illud non aliter ignorarent : unde narratâ in supplicatione, substantiâ priorum litterarum, juxta formulam supra positam mutatis tamen mutandis, eo quo sequitur modo, coarcipi illa poterit, videlicet.

Perinde valere cum copulâ scienter super litteris, ignoranter.

Beatissime Pater, aliàs fel. record. Gregorio Papæ XV, prædecessori S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. laici, et M. mulieris Neapolitanæ diœcesis exposito, ipsos aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominùs possent invicem matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devictos, se carnaliter cognovisse. Postmodùm verò ad eorum pervenisse notitiam se quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; et nisi matrimonium inter dictos oratores contraheretur, dictam oratricem diffamatam, et innuptam remansuram; graviaque exinde scandala posse verisimiliter exoriri; cupereque propterea oratores præfatos invicem matrimonialiter copulari, sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum in eâ parte adimplere non posse, absque S. Apostolicæ dispensatione. Quare, etc., *eidem prædecessori,* etc., *supplicato,* etc., *idem prædecessor,* etc., *quatenùs oratores, qui pauperes,* etc. *Quâ pœnitentiâ publicâ peractâ,* etc., *ipsos,* etc., *impositâ eis,* etc., *prout in dictis litteris continetur. Quæ quidem litteræ dicto vicario præsentatæ fuerunt, qui contenta in eis verificari mandavit, verificatisque in eis contentis, impositâque pœnitentiâ publicâ prædictâ, illâque peractâ, quia dicto vicario constitit, ipsis oratoribus, ante obtentas hujusmodi litteras, scientibus se præfato tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, oratorem prædictum, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso hæc causa foret eamdem S. V. et S. Apostolicam, ad misericordiam et gratiam ergà ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesanâ libidine victum, oratricem cognovisse, ad ulteriorem dictarum litterarum executionem procedere recusavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores prædicti, quatenùs, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario committere, et mandare, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, eos ab excommunicationis sententiâ quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat; ac ad dictarum litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus et per omnia; perinde ac si in illis, de carnali cognitione præfatâ, ante illas obtentas, ut præfertur, mentio facta ac oratores præfatos desuper absolvi mandatum fuisset, præfatusque prædecessor adhùc viveret, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus illis quæ,* etc.

Et cum absolutione à censuris, etc. *Et committatur ordinario, sive ejus vicario,* etc., *qui impositâ oratoribus, propter incestum hujusmodi, aliquâ aliâ, arbitrio suo, pœnitentiâ salutari, eos absolvat, decernat, et procedat,*

ut supra. Et parito judicato si quod sit. Et dummodò oratores pauperes, etc.

Similiter, ubi oratores dispensationem ad contrahendum matrimonium in simili formâ pauperum obtinuerunt super aliquo impedimento, verum litteræ hujusmodi dispensationis effectum suum sortiri nequeunt; ex quo, cùm ad impetrandam dispensationem hujusmodi omninò requiritur quòd tam orator quàm oratrix debeat esse pauper et miserabilis; propterea ad revalidandas litteras dispensationis hâc qualitate cessante petenda erit nova gratia in formâ *Perinde valere*, eo modo quo sequitur, videlicet :

Perinde valere pro ablatione formæ pauperum.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. laici, et M. mulieris Neapolitanæ diœcesis exposito, oratoribus præfatis aliàs scientibus impedimentum publicæ honestatis justitiæ inter eos existere, et ex eo proveniens, quia aliàs dicta oratrix sponsalia per verba de futuro cum fratre germano dictæ oratricis contraxerat; et deinde præfatus oratoris frater, eâdem oratrice ab eo omninò intactâ, et in nullo penitùs attentatâ remanente, sicut Domino placuit, ab humanis decesserat, oratorem præfatum, non quidem peccandi datâ operâ, etc., *cognovisse, et nisi matrimonium*, etc., *dictam oratricem diffamatam*, etc., *graviaque*, etc., *cuperèque*, etc., *sed stante impedimento*, etc. *Quare*, etc., *vicario episcopi*, etc., *quatenùs si preces*, etc., *reperiret, oratores præfatos, qui, ut tunc asserebant, pauperes et miserabiles existebant, et ex labore et industriâ suâ tantùm vivebant, inprimis*, etc., *separaret; deinde*, etc., *utque dictus orator operam suam*, etc.; *quatuor saltem mensibus conferret, aliaque*, etc. *Quâ pœnitentiâ*, etc., *et recepto*, etc., *et quatenùs*, etc., *parito judicato. Demùm*, etc.; *prolem*, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quibus quidem litteris eidem vicario præsentatis, idem vicarius contenta in eis verificari mandavit : et cùm in verificatione præfatâ, eis constitisset, dictam oratricem pauperem non existere, sed dotem ad valorem quingentorum scutorum ascendentem, habere, ad illarum ulteriorem executionem procedere recusavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eos amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario commit tere, et manaare, ut negotium hujusmodi reassumens litterasque præfatas valere decernens, ad earumdem litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis nulla quòd oratrix pauper existat, mentio facta, et oratoribus pœnitentia publica prædicta, oratori verò, quòd operam suam fabricæ, vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ, vel loci pii conferret, injunctum minimè fuisset dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus illis quæ*, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.

Item oratoribus, qui aliàs litteras dispensationis impetrârunt ob angustiam loci, vel aliam causam, tacitâ carnali copulâ, inter eos priùs secutâ; tunc enim talis adjicitur narrativa, videlicet :

Perinde valere super matrimonio, tacitâ copulâ contracto.

Beatissime Pater aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. et N. Neapolitanæ diœcesis, ex loco N. ortorum exposito, dictam oratricem in dicto loco, propter illius angustiam, virum paris conditionis, cui, etc., *nequire, cupereque propterea*, etc.; *sed quia tertio consanguinitatis*, etc. *Quare*, etc., *quatenùs*, etc., *dispensaret. Prolem*, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras, oratores præfati, licèt ante illas obtentas, ipsis aliàs hujusmodi impedimentum scientibus, orator præfatus, non quidem peccandi datâ operâ*, etc., *oratricem cognovisset, tacitâ hujusmodi copulâ, eidem vicario præsentârunt; qui contenta in eis verificari mandavit; verificatisque in eis contentis, cum iisdem oratoribus, super impedimentis hujusmodi dispensavit; cujus quidem dispensationis vigore, oratores præfati, matrimonium inter se, per verba de præsenti, publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, nulloque alio detecto, neque denuntiato impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, et carnali copulâ consummârunt. Cùm autem, Pater sancte, si divortium inter oratores fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores prædicti quatenùs, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, eos amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, ipsos ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi, in utroque foro absolvat; prolemque susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde, legitimam decernat, ad dictarum litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus et per omnia, perinde, ac si in illis, de carnali cognitione hujusmodi mentio facta, oratores desuper absolvi mandatum fuisset, committere, et mandare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus illis, quæ*, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et de commissione, mandato aliisque præmissis, latissimè extendendis. Et quòd præmissorum omnium, et singulorum aliorumque necessariorum, major et verior specificatio et expressio, fieri possit in litteris. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui depositâ*, etc., *ac impositâ oratoribus, propter incestum hujusmodi, arbitrio suo, pœnitentiâ salutari; et recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs*, etc., *eos absolvat, et dispenset, ut supra. Et quatenùs contra ipsos*, etc., *parito judicato.*

Postquàm verò oratores receperunt litteras eorum dispensationis, illisque delegato, cui pro earumdem executione directæ erant, nondùm præsentatis, se carnaliter cognoverunt, iidemque insuper, ob admissum incestum, ab eorum ordinario fuerunt ad aliquam pœnam condemnati, sicut multoties evenire scimus, tunc sequenti formulâ erit idem explicandum, videlicet :

Perinde valere super copulâ secutâ, ante litteras præsentatas.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum Matthæi Parafreni laici, et Euphrosynæ Venosæ, mulieris Neapolit. diœcesis, exposito, dictam oratricem, dotem habere minùs competentem, etc., *cui*

nubere possit, invenire valeret, et præfatum oratorem, illam, etc., *in uxorem ducere; illiusque dotem*, etc., *augere intendere; cupereque*, etc. *Sed quia tertio et quarto*, etc., *quatenùs*, etc.; *prolem*, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quas quidem litteras præsentârunt; qui contenta in eis verificari mandavit; et cùm in verificatione ipsâ eis constaret, oratores præfatos post obtentas hujusmodi litteras, carnis fragilitate devictos, se carnaliter cognovisse, ad earum ulteriorem executionem procedere noluit; et ipsorum oratorum ordinarius contra ipsos, propter incestum hujusmodi procedendo, eos in certas pœnas condemnavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, eosdem oratores ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvat, ac ad executionem dictarum litterarum, servatâ*, etc., *procedat*, etc., *perinde ac si carnalis copula hujusmodi secuta non fuisset. Prolem*, etc., *legitimam decernendo, committere dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus illis quæ*, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.

Necnon pro oratoribus, qui jam impetraverant litteras dispensationis super aliquo sive aliquibus impedimentis ad matrimonium contrahendum, puta super tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis, gradibus, cùm aliud existat impedimentum præter narrata; tunc enim ita erit in supplicatione id exprimendum, videlicet:

Perinde valere super gradu.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum Bartholomæi Todini laici, et Juliæ Manardæ mulieris Neapolitanæ diœcesis, ex loco N. ortorum, exposito, dictam oratricem, dotem habere minùs competentem, cum quâ virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere posset invenire valeret, et dictum oratorem illam cum dictâ minùs competenti dote in uxorem ducere intendere; cupereque oratores præfatos invicem, etc., *copulari; sed quia tertio et quarto à communi stipite provenientibus, consanguinitatis gradibus invicem erant conjuncti, desiderium*, etc.; *quare*, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quibus quidem litteris eidem vicario præsentatis, detectum fuit oratores præfatos, alio quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; propter quod idem vicarius ad dictarum litterarum executionem procedere recusavit. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, eos amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, ad illarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat, ac si cum dictis oratoribus, super impedimentis duplicis quarti consanguinitatis, graduum hujusmodi dispensari, distantiam verò tertii gradûs præfati eis non obstare declarari, in omnibus et per omnia, perinde ac si in dictis litteris oratores præfatos, tertio et quarto ex uno communi et quarto ex altero stipitibus, provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos; distantiam verò tertii gradûs hujusmodi, eis non obstare, expressum fuisset, committere et mandare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis ac omnibus illis quæ*, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc.; *et de commissione; mandato, aliisque prænussis, latissimè extendendis; et quod cognominum, affinitatis aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui decernat, dispenset et declaret, ut supra.*

Quandoque autem diversimodè peti et dari contingit has litteras in eâdem formâ, *Perinde valere*, non modò, videlicet, super gradu, seu gradibus, respectu impedimenti, ut in formulâ proximè appositâ visum est; verùm etiam respectu qualitatis gradûs sive graduum; ubi praxis et stylus ita suadeat; quandoquidem ipsius gradûs, sive ipsorum graduum qualitate attentâ, nimirùm proximioris, sive proximiorum, alteratur causa, jam in prioribus litteris dispensationis expressa; ex eo quòd, sicut aliàs diximus, quando gradus proximior existit, tantò urgentior causa requiritur, quod quidem, juxta ea quæ circa id non rarò contingisse vidimus, eo quo sequitur modo, exemplificatur in oratoribus qui aliàs obtinuerunt litteras dispensationis super quarto gradu cum causâ, ob dotis incompetentiam oratricis, cùm tamen sint tertio gradu conjuncti, cujus ratione requiritur dotis augmentum; quod nequaquàm in quarto aliisque remotioribus gradibus requiritur, ac proinde concipienda erit supplicatio, eo quo sequitur modo videlicet:

Perinde valere super gradu, cum alteratione causæ.

Beatissime Pater, alias S. V. pro parte devotorum illius oratorum Cassanæi Lamberti laici, et Symphorosæ Carmignanæ, mulieris Neapolitanæ diœcesis, exposito, dictam oratricem, dotem habere minùs competentem, etc., *cum quâ virum paris conditionis*, etc., *invenire valeret, dictumque oratorem, illam cum dictâ minùs competenti dote in uxorem ducere, intendere, cupereque*, etc. *Sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, desiderium eorum*, etc. *Quare*, etc., *quod impedimento quarti*, etc., *prolem*, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quæ quidem litteræ, quia iidem oratores non quarto, sed tertio consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti, iisdem oratoribus suffragari non possunt. Cùm autem, Pater sancte, præfatæ oratricis consanguineus, ad id aliàs non obligatus, illius dotem in centum ducatos monetæ illarum partium, cum quibus, usque ad quantitatem, secundùm dictæ mulieris qualitatem, competenter aucta erit; ita tamen ut oratori nubat, et non alteri, augere et dictus orator, illam, cum dictâ minùs competenti dote et illius augmento, in uxorem ducere intendat. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eis, ne dictarum litterarum, frustrentur effectu, specialem gratiam faciendo, eidem vicario, ut etiamsi litteris præfatis,*

ei jam præsentatis, ad illarum executionem, propter hoc, procedere distulerit, seu recusaverit, nihilominùs, negotium hujusmodi reassumens, litterasque ipsas valere decernens, cum eisdem oratoribus, postquàm dictæ oratricis dos competenter aucta fuerit, ut præfertur, super impedimento tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi dispenset, ac earumdem litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus et per omnia, perinde, ac si in eis, oratores, non quarto, sed tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, expressum, ac cum eis desuper dispensari mandatum fuisset, committere, et mandare dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis quæ, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de commissione, mandato aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis; et quòd cognominum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri in litteris; et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui dispenset et procedat, ut supra.*

Litteris in simili formâ, *Perinde valere*, egent oratores, ubi post præsentatas delegato litteras dispensationis, earum vigore matrimonium contraxerunt, carnalique copulâ consummârunt, postmodùm verò detectum fuit, aliud, inter eos adesse impedimentum, super quo nova requiritur dispensatio, quo casu explicandum erit, numquid oratores ipsi, tali detecto impedimento, abstinuerunt ab ipsâ copulâ, anverò in eâ persteterint, prout servatur, quando petitur dispensatio, de ignoranter contracto, servatâ formâ concilii Tridentini, ut supra suo loco diximus. Erit igitur tunc concipienda supplicatio, eo, quo sequitur modo, videlicet :

Perinde valere super alio impedimento, detecto post contractum matrimonium.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum Bizantii Lorenzani, laici, et Dorotheæ Parmesinæ mulieris Neapolitanæ diœcesis, exposito, ipsos oratores, qui ex honestis familiis existunt, ex certis rationabilibus causis, animos eorum moventibus, cupere invicem matrimonialiter copulari; sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem erant conjuncti, etc. *Quare*, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quibus quidem litteris ordinario præfato præsentatis, idem ordinarius contenta in eis verificari mandavit; verificatisque in eis contentis; cum dictis oratoribus super impedimento prædicto dispensavit; illisque matrimonium contrahendi licentiam concessit, cujus quidem licentiæ vigore, oratores ipsi matrimonium inter se, per verba de præsenti, publicè factis proclamationibus in eorum parochiali ecclesiâ, servatâ formâ concilii prædicti, nulloque alio detecto impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, et carnali copulâ consummârunt; in eoque per plures annos permanserunt; prolemque susceperunt; postmodùm verò ad eorum pervenit notitiam, eos duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; propter quod à carnali copulâ hujusmodi abstinuerunt. Cùm autem, Pater sancte, oratores præfati, in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicæ dispensatione; et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri; supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs eos, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, eidem vicario, ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque præfatas valere decernens, cum eisdem oratoribus, super impedimento duplicis quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi dispenset, prolemque susceptam, et suscipiendam exinde, legitimam decernat, ac ad earumdem litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ, procedat in omnibus et per omnia; perinde ac si oratores, non quarto, sed duplici quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, expressum, ac cum eis desuper dispensari mandatum fuisset, committere et mandare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis ac omnibus illis quæ*, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et committatur ordinario*, etc.; *qui decernat et dispenset, ut supra.*

Pari modo gratia, *Perinde valere*, petenda venit, ubi oratores præter impedimentum gradûs, sive graduum, sive consanguinitatis, sive affinitatis, aliud concurrat : veluti, cùm fuerit in prioribus litteris exprimi omissum, quod inter eosdem oratores adest præterea impedimentum publicæ honestatis justitiæ : quod quidem, ut in sequenti formulâ erit explicandum, videlicet :

Perinde valere super impedimento publicæ honestatis.

Beatissime Pater, aliàs S. V. pro parte devotorum illius oratorum Hippolyti Magnesini laici, et Glycerii Gondisalvæ mulieris Neapolitanæ diœcesis, ex loco de Marano ortorum, exposito, dictam oratricem, in dicto loco, propter illius angustiam virum paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequire, cupereque propterea oratores præfatos invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio ex uno, et tertio et quarto ex altero communi, stipitibus provenientibus consanguinitatis gradibus invicem, erant, prout sunt conjuncti, desiderium eorum in eâ parte adimplere non posse, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Quare, etc., *prout in dictis litteris continetur. Quæ quidem litteræ quia aliàs præfata oratrix, matrimonium per verba de præsenti cum dicti oratoris fratre germano contraxit; et deinde præfati oratoris frater, eâdem oratrice, ab eo omninò intactâ, et in nullo penitùs attentatâ remanente, sicut Domino placuit, ab humanis decessit, eidem vicario minimè præsentatæ fuerunt. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, qui ex principalibus dicti loci existunt : quatenùs ipsos, ne dictarum litterarum frustrentur effectu, amplioris gratiæ favore prosequendo, sibique specialem gratiam faciendo, eidem vicario committere, et mandare ut negotium hujusmodi reassumens, litterasque ipsas valere decernens, cum eisdem oratoribus super impedimento primi publicæ honestatis justitiæ, ex præmissis provenientis, ac tertii ex uno, et quarti ex altero stipitibus, provenientibus consanguinitatis graduum hujusmodi dispenset. Distantiam verò*

alterius tertii respectu quarti gradûs præfati, eis non obstare declaret: ac ad præfatarum litterarum executionem, servatâ aliàs earum formâ procedat in omnibus, et per omnia; perinde, ac si in dictis litteris, oratores primo publicæ honestatis justitiæ ex præmissis provenientis, ac tertio ex uno, et tertio et quarto ex altero communi stipitibus provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, expressum, ac cum eis desuper dispensari et declarari mandatum fuisset, dignemini de gratiâ speciali, non obstantibus omnibus illis quæ, etc.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de commissione, mandato, aliisque præmissis, latissimè extendendis; et quòd cognominum, affinitatis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio, et expressio fieri possit in litteris. Et committatur ordinario, sive*, etc., *qui dispenset, decernat, ac procedat, ut supra.*

Hæc autem, quoad praxim hujus rescripti in formâ *Perinde valere*. Aliud insuper est rescripti genus, nimis adhuc in ipsâ Curiâ frequentis, quod reformatorum nuncupatur; cujus est virtus, supplere ea quæ in supplicatione omissa fuerunt; et in hoc differt à *Perinde valere*, nimirùm, quia hoc datur super litteris jam in totum expeditis, eas revalidando, ac si à principio omnia fuissent in eis expressa; reformatorium verò, datur super supplicatione jam signatâ, datâ ac registratâ, et in totum expedit, etiam cum signo illius registraturæ à tergo; cujus quidem integer tenor, eidem reformatorio rescripto, sive reformationi præinseritur, ut in infra scriptâ formulâ patet, hoc enim, ut Papa intelligat quemadmodùm factum se habeat, quapropter dicunt curiales, reformatoriam gratiam, cum rescripto, *Perinde valere*, magnam inter se habere conformitatem, cùm hæc reformatoria gratia ad hoc tendit, ut omissum suppleat, vel malè expressum corrigat, scilicet in ipsâ supplicatione expeditâ; *Perinde* autem *valere*, revalidat litteras apostolicas, jam, ut dictum est, in totum expeditas; et sicut in *Perinde valere*, narratur totus tenor gratiæ priùs concessæ, ita etiam, in reformatione, totus supplicationis prædictæ tenor præinseritur, in cujus calce, sola reformatio subditur, ac sicut in omnibus rescriptis, quæ transeunt per datariam et cancellariam apostolicam, dantur litteræ revalidatoriæ, seu *Perinde valere*, ita super quibuscumque supplicationibus in formâ signandi, dantur reformationes, quando ita casus postulat; quia nunquàm *Perinde valere* datur super supplicatione signatâ, sed tantùm super litteris in totum expeditis, sicut è converso, reformatio non datur super ipsis litteris, sed super supplicatione prædictâ.

Nec tamen casus quamplurimos evenire ignorant practici Curiales, ut pro correctione litterarum, jam expeditarum, cùm nequeant quandoque illæ per dominum cancellariæ apostolicæ regentem, in vim suarum facultatum, corrigi porrigatur summo Pontifici integra supplicatio signanda, in quâ illud suppletur, quod in ipsis litteris deest, quæ postmodùm ab ipso D. regenti ejusdem supplicationis vigore, corriguntur, prout in praxi habetur (quamvis Mandos. in Praxi signat, tit. Reformationis, vers. *Reformatoria gratia* dicat quòd hæc gratia non est necesse ut exprimat qualitates, et alia in primâ gratiâ expressa), et ita intelligendi sunt Felin., in c. *Nostra corr.*, 16, n. 1, de Rescript.; Roman., cons. 383, n. 1 et 4; Mandos., super Reg. 22, q. 9, n. 9.

Nec vigore hujus reformationis, possunt litteræ desuper jam expeditæ, aliquo modo corrigi, prout aliàs dolosè impetrabantur hujusmodi reformationes, quarum vigore corrigebantur litteræ etiam in totum expeditæ, ac proinde hodiè nullo modo id tolerari videmus, quinimò in his reformationibus, per dominos officiales scimus frequenter addi clausulam restrictivam, videlicet quòd, si litteræ in totum expeditæ fuerint, vigore præsentis gratiæ, id est, reformationis non corrigantur.

Hujus igitur reformatorii rescripti, cujus usus adhuc frequentissimus est in Curiâ, circa propositam materiam, formulas nonnullas, pro iis tantùm tyronibus, qui hujusmodi praxis, prima elementa, ut ita dicamus, nondùm nôrunt, subjicere visum est; quæ quidem, ut infra proponuntur, videlicet:

Ponamus igitur casum, quòd pro oratoribus fuerit expedita in totum supplicatio, eo modo quod supra dictum est, allegatâ causâ incompetentiæ dotis oratricis; et tamen fuit postmodùm, certioratus sollicitator, quod postquàm oratores miserunt ad Urbem pro dispensatione, cùm dictâ causâ secuta est inter eos carnalis copula, ex quo, ubi copula inter oratores intervenit, ea allegata, prout alleganda erit, quando ea publica est, quævis alia causa cessat, petenda erit reformatio, sequenti formulâ; quam unà cum aliis sequentibus, solis ejusdem Curiæ tyronibus subjicimus; quæ ita erit, videlicet:

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Propertii de Alitto laici, et Sophiæ Cessanæ mulieris Neapolitanæ diœcesis. Quòd cùm dicta mulier dotem habeat minùs competentem, iuxta statûs sui conditionem, cum quâ virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; at dictus orator, illam cum dictâ minùs competenti dote in uxorem ducere; illiusque dotem, usque ad quantitatem, secundùm dictæ mulieris qualitatem, competenter augere intendat. Cupiunt oratores præfati invicem matrimonialiter copulari. Sed quia tertio affinitatis gradu invicem se attinent, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs cum eisdem oratoribus, quòd impedimento tertii affinitatis gradûs hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere, liberè et licitè valeant dispensare. Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando, dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis.

Fiat ut petitur. F.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc. *Et de dispensatione, nuntiatione, aliisque præmissis, ut supra latissimè extendendis; et quòd cognominum, consanguinitatis, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris. Et committatur ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui, depositâ*, etc., *dispenset, ut supra postquàm dictæ oratricis dos competenter aucta fuerit, ut præfertur.*

Fiat F.

Dat. Romæ apud S. Petrum, kal. julii anno primo.

Reformatio.

Pater sancte, dignetur S. V. committere et mandare, quòd litteræ super prænserta conficiendæ, cum expressione quòd postquàm oratores, pro hujusmodi dispensatione obtinendâ ad Sedem Apostolicam miserunt, ipsis oratoribus scientibus se tertio affinitatis gradu invicem attinere, orator præfatus, non quidem peccandi datâ operâ, ut crimine admisso, hæc causa foret S. V. et Sedem Apostolicam, ad misericordiam et gratiam erga ipsos, faciliores reddendi, sed solùm vesanâ libidine victus, antequàm dictas litteras obtinerent oratricem cognovit, et committere ordinario, sive ejus vicario in spiritualibus generali, qui depositâ, etc., *ac impositâ oratoribus propter incestum hujusmodi, arbitrio suo, pœnitentiâ salutari, et recepto ab eis juramento, quòd sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserint, eos ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu et excessibus hujusmodi, in utroque foro, absolvat; ac prolis susceptæ, si qua sit, et suscipiendæ exinde legitimatione expediuntur, de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ S. V. in eâdem prænsertâ voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.*

Fiat M.

Dat. Romæ, apud S. Petrum, non. julii, anno decimo septimo.

Hic autem est modus et forma reformandi hujusmodi supplicationes; pro quibus aliæ formulæ secundùm currentem stylum, in medium afferemus. Exemplum subjiciamus pro oratoribus, qui, ignorantes impedimentum, contraxerunt matrimonium, servatâ formâ concilii Tridentini, et asseruerunt eos detecto impedimento abstinuisse à copulâ, cùm tamen perstiterint in eâ; super quo concipienda erit ipsa reformatio in hunc modum, videlicet:

Reformatio pro oratoribus qui perstiterunt in copulâ.

Pater sancte, dignetur S. V. committere et mandare, quòd litteræ super prænserta conficiendæ, cum expressione quòd oratores postquàm ad eorum pervenit notitiam, eos quarto consanguinitatis gradu esse conjunctos, à carnali copulâ minimè abstinuerunt cum opportunâ absolutione expediantur de gratiâ speciali. In reliquis autem juxta ejusdem prænsertæ vim, seriem, continentiam et tenorem; non obstantibus præmissis, ac omnibus illis, quæ in eâdem prænsertâ concessa fuerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

Reformatio super nomine oratoris.

Pater sancte, dignetur S. V. committere, et mandare, quòd litteræ super prænserta conficiendæ, cum expressione quòd orator in eâ nominatus, non Dominicus, sed Joannes Dominicus, et non aliter appellatur. In reliquis autem juxta ejusdem prænsertæ vim, seriem, continentiam et tenorem, expediantur de gratiâ speciali; non obstantibus omnibus illis quæ, etc.

Reformatio super loco originis oratorum.

Pater sancte, dignetur S. V. committere et mandare quòd litteræ super prænserta conficiendæ, cum expressione quòd oratores ex principalibus oppidi N., non autem oppidi M., existunt. In reliquis autem, etc., *non obstantibus*, etc., *omnibus illis quæ*, etc.

Reformatio super diœcesi oratorum.

Pater sancte, dignetur S. V. committere, et mandare quòd litteræ super prænserta conficiendæ, cum expressione quòd oratores, non Neapolitanæ, sed Aversan. diœcesis, ex loco Juliani orti existunt, expediantur; ac committere ordinario Aversan. seu ejus vicario in spiritualibus generali, qui depositâ, etc., *dispenset*, etc. *In reliquis autem*, etc. *Non obstantibus illis quæ*, etc.

Reformatio super commissione litterarum dispensationis.

Pater sancte, quia oratores ad præsens in Urbe commorantur, dignetur S. V. committere, et mandare quòd litteræ super prænserta conficiendæ, cum commissione E. S. V. in Urbe, et ejus districtu in spiritualibus vicario generali qui factis priùs proclamationibus canonicis, etiam in parochiali ecclesiâ originis oratorum, si per informationem desuper faciendam, preces veritate niti repererit, cum eisdem oratoribus, ut supra, dispenset, expediantur de gratiâ speciali. In reliquis autem, etc.; *non obstantibus*, etc., *omnibus illis quæ*, etc.

Reformatio similis.

Pater sancte, quia sedes episcopalis Acerrarum ad præsens vacat, dignetur S. V. committere et mandare quòd litteræ super prænserta conficiendæ, ordinario viciniori, vel ejus vicario in spiritualibus generali, committantur; aliàs autem in omnibus et per omnia, juxta ejusdem prænsertæ vim, formam, etc., *expediantur; non obstantibus omnibus illis quæ*, etc.

Reformatio super causâ.

Pater sancte, dignetur S. V. committere et mandare quòd litteræ super prænserta conficiendæ, sub expressione, quòd oratrix in dicto loco N. ob illius angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequit: et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum eâ virum, cui juxta statûs sui conditionem nubere posset, invenire valeret, nullâ factâ mentione, quod oratrix dotem habea minùs competentem, expediantur de gratiâ speciali. In reliquis autem, etc. *Non obstantibus omnibus illis quæ*, etc.

Reformatio super gradu.

Pater sancte, dignetur S. V. committere et mandare, quòd litteræ super prænserta conficiendæ, sub expressione, quòd oratores, non quarto, sed duplici quarto con

sanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti : et quòd oratrix in dicto loco, ob illius angustiam, virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequit, et opportunâ dispensatione super dicto duplici quarto consanguinitatis, ac aliàs juxta ejusdem præinsertæ, etc., *tenorem, expediuntur. Non obstantibus omnibus illis quæ*, etc.

Reformatio super gradu, et diœcesis.

Pater sancte, dignetur S. V. committere et mandare, quòd litteræ super præinserta conficiendæ, cum expressione, quòd oppidum N. in eâdem præinsertâ expressum, ex quo oratores orti sunt non Aversan. sed Capuan. diœcesis existit, et oratores ipsi, non tertio sed duplici tertio consanguinitatis gradu invicem sunt conjuncti ordinario Capuan., sive ejus vicario in spiritualibus generali, cum opportunâ dispensatione pro eisdem oratoribus, super impedimento duplicis tertii consanguinitatis gradûs hujusmodi expediantur, et respectivè committantur de gratiâ speciali, in reliquis autem, etc. *Non obstantibus præmissis, omnibus illis quæ*, etc.

Diœcesum præsertim expressionem, errorem sæpenumerò, in rescriptis apostolicis inducere, quotidiana praxis, et experientia docuêre; tum ob earumdem numerositatem, tum verò, quia quamplurimi sunt episcopatus, quarum diœcesum, quæ non modicam inter se habeant similitudinem, unam pro alterâ exprimi, non rarò contigisse scimus; licèt plurimùm inter se differant, veluti, si dicamus :

Alessanen. in Apuliâ, et Alessien. in Sclavoniâ.

Accien. suffrag. Ianuen. et Vacien. in Ungariâ.

Brixien. in provinciâ Mediolanen., et Brixinen. in Alemaniâ.

Burgen. in Hispaniâ, Brugen. in Flandriâ, et Bergen. in Norvegiâ.

Bellicastren. in regno Neapolis, et Bolastren. in Sclavoniâ.

Boianen. in eodem regno, et Baionen. in Vasconiâ.

Bisuntin. in Alemaniâ, et Bituntin. in eodem regno Neapolis.

Calaritan. in Sardiniâ, et Calaguritan. in Hispaniâ.

Cathanien. in Siciliâ, et Cathanen. in Scotiâ.

Cameracen. in Belgio, et Camenecen. in Poloniâ.

Cremonen. in provinciâ Mediolanen., et Cremen. suffrag. Bononien.

Cabilonen. et Cababilionem, ambæ in Franciâ.

Castren. in provinciâ Idruntin., et Cestren. in Angliâ.

Culmen. et Chelmen., ambæ in Poloniâ.

Eluen. in Lusitaniâ, Elnen. in Hispaniâ, et Elinen. in Hybernià.

Exonien. et Oxonien., ambæ in Angliâ.

Forolivien. in provinciâ Ravennaten., et Forojulien. in Francia.

Florentin. in Tusciâ, et Ferentin. in Campaniâ, seu Tusciâ.

Iacen. et Iaen., ambæ in Hispaniâ.

Lauden. in provinciâ Mediolanen., Laudunen. in Franciâ, et Laudanen. in Angliâ.

Licteren. in regno Neapolis, et Lictoraten. in Vasconiâ.

Marianen. in provinciâ Ianuen., et Maurianen. in Franciâ.

Meden. in Hiberniâ, Meten. in Alemaniâ, et Hemeten. in Norvegiâ.

Marsicen. in Terrâ laboris, et Marsican. in provinciâ Aprutin.

Nucerin. et Lucerin., ambæ in regno Neapolis.

Polocen. et Plocen., ambæ in Poloniâ.

Policastren. in regno Neapolis, et Polastren. in Sclavoniâ.

Rossanen. in Calabriâ citeriori, Bossanen. in Sardiniâ; Rosonen. in Sclavoniâ, et Rossen. in Scotiâ.

Rheginen. in Calabriâ ulteriori, et Rhegien. in provinciâ Bononien.

Scalen. in regno Neapolis, et Scaren. in Alemaniâ.

Segobien et Segobricen., ambæ in Hispaniâ.

Sagonen. in provinciâ Pisan., Saonen. in provinciâ Mediolanen.

Senen. et Suanen. ambæ in Tusciâ.

Taurinen. in provinciâ Sabaudiæ, et laurinen. in Ungariâ.

Tarentin. in Apuliâ, Parentin. in Dalmatiâ, et Palentin. in Hispaniâ.

Triventin. in regno Neapolis, et Tridentin. in Dalmatiâ.

Tusculan. ex sex titulis antiquiorum S. R. E. Cardinalium, et Tascalan. in Mexico.

Tullen. in Alemaniâ, et Tutellen. in ducatu Aquitaniæ.

Visen in Lusitaniâ, Vicen. in Hispaniâ, et Vican. in regno Neapolis.

Vratislavien. et Vlatislavien., ambæ in Poloniâ.

Episcopatus autem earumque diœceses ejusdem prorsùs denominationis, usus cancellariæ apostolicæ est, per provincias, seu aliàs distinguere, ita nimirum.

Aquen. provinciæ Mediolanen., Aquen. provinciæ Auxitan., et Aquien. in Vasconiâ.

Asculan. provinciæ Beneventan., et Asculan. in Marchiâ Anchonitanâ.

Bobien. provinciæ Ianuen., et Bobien. provinciæ Rheginen.

Castren. provinciæ Hidruntin., et Castren. in Aquitaniâ.

Nucerin. in regno Neapolitano, et Nucerin. in ducatu Spoletano.

Placentin. provinciæ Bononien., et Placentin. provinciæ Compostellan.

Pacen. provinciæ Compostellan., et Pacen. in Indiâ occidentali.

Valentin. in Hispaniâ, et Valentin. in Viennâ, et sic de singulis, etc.

Alii præterea sunt episcopatus, suas habentes diœceses, quarum latina denominatio, prorsùs est à vulgari dissimilis; ob quarum dissimilitudinem, error etiam, ut plurimùm circa earum expressionem inducitur; quapropter optimi sollicitatoris partes erunt,

illas opportunè discernere, veluti, cùm dicimus :

Ispalen. in Hispaniâ, quæ dicitur *Seviglia*.

Iustinopolitan., *Capo d' Istria*.

Montis Regalis, *Mondovi*.

Pacen., *Vadaioza* in Hispaniâ.

Sipontin., *Manfredonia* in Apuliâ.

Vratislavien., *Breslau*, in Bohemiâ, cum similibus.

Redeundo autem nunc, unde digressi sumus, videlicet ubi agitur de novæ carnalis copulæ expressione, notandum est, totum illud, quod antea diximus, intelligendum esse, quando impedimentum, super quo dispensatum est, publicum existit; quo casu, nova dispensatio pro utroque foro, requiritur : atverò, ubi illud occultum extiterit, sciendum quidem est, quod sacra pœnitentiaria apostolica, super novâ copulâ, inter eosdem oratores ortâ, quæ occulta est, quamvis omnes ad eam recurrant in hoc casu, pro novâ dispensatione in foro conscientiæ tantùm, tenet eam non esse necessariam, sicut quando publicum est, copulam hujusmodi, primâ vice intervenisse, sed tantùm videtur illam concedere ad cautelam; et nihilominùs, cùm casus contingit, quòd ipsi oratores, qui hanc dispensationem in formâ pauperum impetrârunt, cum copulâ, sive scienter, sive ignoranter, si durante separatione, et antequàm compleverint pœnitentiam, aut aliàs ante delegati licentiam de contrahendo, denuò se carnaliter cognoverint, in concessione istius novæ dispensationis, ipsa sacra pœnitentiaria utitur consuetâ formulâ, ac si verè necessaria esset nova dispensatio, et committitur discreto viro confessori, quatenùs, si est ita, eosdem oratores ab incestu, et excessibus hujusmodi absolvat; et dummodò impedimentum, si quod ex carnali copulâ hujusmodi provenit, occultum sit, et nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, periculum immineat scandalorum, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem oratoribus, postquàm, cum ipsis aliàs ritè, ac juxta formam litterarum dispensationis, ita obtentæ, verificatisque in eis, narratis, super impedimento gradûs, quo sunt conjuncti, dispensatum fuerit, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, et litterarum prædictarum, contrahere, et in eo postmodùm remanere licitè valeant, misericorditer dispenset; prolem legitimam nuntiando in foro conscientiæ tantùm.

Quamvis ex illis verbis, aliud dici posse videatur, nempè, dummodò impedimentum, si quod ex præmissis provenit, ex quibus constat, ipsam sacram pœnitentiariam, præmissa omnia concedere ad cautelam, cùm per illam dictionem *si*, res dubia demonstretur, Menoch. de Præsumption., l. 6, q. 28, n. 4, et sic eatenùs conceditur oratoribus supra dicta dispensatio, quatenùs illâ opus sit, et propterea importat, etiam conditionem, Bart. in l. *Si ita quis promisit*, num. 1, ff. de Verb. obligat., et in l. *Mutuo*, § *Sub conditione*, n. 1, ff. de Tutor., verum tamen est, quòd, sive in utroque foro, sive in foro conscientiæ tantùm in casibus supra dictis semper recurritur ad datariam et pœnitentiariam; qui in dubiis tutior pars est, eligenda, Glos. in cap. *Veniens*, de Spons., Dec. in cap. *In præsentiâ*, n. 13, de Probat.; Soccin. jun., cons. 29, n. 31, vol. 4.

CAPUT VI.

Praxis imponendi à delegato pœnitentiam, in eisdem litteris dispensationis, injunctam.

Si veniam a te petierint humiliter, etc. — Cùm enim oratores peccaverint, committendo incestum, debent pœnitere, et humiliter veniam petere, facit Tex. in cap. *Peccati venia*, de Regul. jur. in 6, et docet Innoc. in c. *Romana*, et ibi Glos. de Sent. excom. in 6, ubi, absolutio non debet concedi, nisi petenti : patet etiam de jure divino, absolutionem, eos tantùm obtinuisse, qui peccatum suum confessi fuerunt, et veniam humili corde petierunt; nam absurdum videretur, et inconveniens, quod peccatori non petenti absolutio detur motu proprio, cùm peccati venia non detur, nisi petenti, et correcto, ut in d. cap. *Peccati venia*. Sicque dispensari petens, seu veniam obtinere volens, pœnitens esse debet, cap. *Nemo*, de Simon, gemin., conf. 106, n. 9; Mandos. in Praxi, titulo *Dispensationes*, vers. *Dispensatio ad partis petitionem conceditur*.

Pœnitentiam publicam imponas, — quia, cum publicum sit, oratores habuisse inter eos copulam incestuosam, æquum est, ut eis publica pœnitentia imponatur; nam pro publico crimine, venit publica pœnitentia imponenda, per tex., in cap. *Quæsitum*, de Pœnit. et Remiss., et publicè peccantes, palam sunt corripiendi; quia alios scandalo offendunt, Concil. Trident., sess. 24, cap. 8, ibi : *Apostolus monet publicè peccantes palam esse corripiendos*, etc. *Quando igitur ab aliquo publicè*, etc., *crimen commissum fuerit, unde alios scandalo ostensos commotosque fuisse, non sit dubitandum, huic condignam, pro modo culpæ pœnitentiam publicæ injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonium ad rectam revocet vitam*, etc., et præcipitur, publicam imponi pœnitentiam; non autem solemnem, quæ est, quando fit certa forma ignominiosa, cap. ult. 26, quæst. 8, publica verò, ut hìc, est illa, quæ in oculis hominum patet, nullâ tamen solemnitate interveniente; et imponitur ipsis oratoribus, vigore prædictarum litterarum, cùm aliàs supra dictus vicarius delegatus non posset eam imponere, Sbroz., de Off Vicar., lib. 2, quæst. 7, n. 2. cum seqq., et q. 18. n. 3; Marc. Ant. Genuens. in Praxi curiæ archiepiscopalis Neapol., cap. 43.

Nec in impositione hujus pœnitentiæ erit habenda ratio, an oratores sint affines, an verò consanguinei, aut aliter inter se impediti; quia, sicut idem est impedimentum circa impetrationes hujusmodi dispensationum, ita æqualis pœnitentia imponitur; ex eo quòd non minùs abstinendum est à conjugio, seu fornicatione affinium, quàm sanguine conjunctorum, cap. *Qualiter*, cap. *Et hoc quoque*, et cap. *Sanè cum tribus*, seqq. 35, q. 7, ubi dicitur, quòd, sicut vir jungitur consanguineis propriis, ita etiam jungitur consanguineis uxoris suæ.

Hæc quidem pœnitentia, scilicet publica, cum à Papa non præscribatur in supradictis litteris, imponenda est oratoribus, arbitrio delegati quia simpliciter in eisdem litteris dicitur : *Pœnitentiam publicam imponat;* nam si voluisset, expressisset, sicut solet in quibusdam casibus : utpote, cùm per suam pœnitentiariam mandat, aliquem absolvi à presbytericidio tunc enim committitur ordinario, seu confessario, ut si ita est, oratorem auditâ prius ipsius sacramentali confessione, postquàm Ecclesiæ, si quâ presbyter occisus, intitulatus erat, vel pro illâ, ordinario loci, ac etiam hæredibus dicti presbyteri, si nondùm satisfecit, satisfecerit, vel per eum non steterit; quominùs arbitrio confessoris, satisfaciat competenter, ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrit, absolvat; injunctâ ei pœnitentiâ salutari, quam discretio confessoris ista moderetur, ut ei prosit ad salutem; hoc autem in foro conscientiæ tantùm, ita ut in foro judiciario nullatenùs suffragetur : sed nec aliquâ ratione absolutio hujusmodi illi prosit, quominùs si orator aliquod feudum seu juspatronatûs ab Ecclesiâ, in quâ dictus presbyter intitulatus forsan erat; obtinet ipse ejusque hæredes, perpetuò illis sint privati : et ne minùs vindictæ, quàm excessûs memoria prorogetur, ipse ejusque liberi, propter hoc inhabiles censeantur ad beneficia ecclesiastica obtinenda; nisi cum illis, super hoc fuerit misericorditer dispensatum. Cæterùm, si delictum sit publicum, vel detegatur, eidem oratori mandet, sub debito præstiti juramenti, ut cùm primùm tutò poterit, per quinque ecclesias illius loci, ubi tantùm facinus perpetravit (si tot ibi fuerint) nudus, discalceatus, femoralibus duntaxat retentis, virgam in manibus, et corrigiam circa collum deferendo, incedat, suum publicè fatendo reatum : et ante fores dictarum Ecclesiarum, à presbyteris earumdem, psalmum pœnitentialem canentibus, se faciat verberari, dum ibi ad divina convenerit populi multitudo : quæ si facere, et sententiæ sive ordinationi ordinarii super præmissis latæ, seu forsan ferendæ, parere contempserit, in eamdem excommunicationis sententiam relabatur eo ipso.

Licèt si presbyter presbyterum interfecerit, non distinguatur quænam pœnitentia erit imponenda oratori, sed generaliter committatur confessario, ut oratorem ipsum, modo præmisso absolvat, injunctâ inde ei gravissimâ et perpetuâ pœnitentiâ salutari, per quam corpus graviter affligatur, ac sentiat atrocitatem admissi sceleris; ut inde animæ suæ saluti pleniùs consulatur, et quam discretio ejusdem confessoris ita moderetur, ut quod occultum est, non veniat in apertum, injunctis eleemosynis pro modo facultatum oratoris pro orationibus, et celebratione missarum pro animâ defuncti; quodque iis, quibus ille dum viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciat, et subveniat in eo, in quo tenetur, cautè tamen ne se prodat, et aliis, etc. Et sic in aliis casibus.

Unde, cùm pœnitentia, non sit in litteris præscripta, venit injungenda arbitrio confessarii : sic igitur dicimus in casu supradictarum dispensationum, in quibus Papa loquitur per verba generalia et indefinita, quæ generaliter et indistinctè accipienda sunt, cap. *Solita*, de Major et Obed., l. 1, § *Et generaliter*, ff. de Leg. præstan., l. *In fraudem*, § fin. ff. de Testam. milit.; Ludovis., dec. 327, n. 3.

Quare ipse vicarius delegatus arbitrabitur pœnitentiæ qualitatem, oratoribus imponendæ; quæ quidem arbitraria potestas restringitur nihilominùs, et modificatur secundùm circumstantias personarum, rerum et temporum, ut probatur in cap. *Tempora*, 26, quæst. 7, et in cap. 1, de Pœnit. dist., ubi habetur quòd pœnitentia debet imponi, consideratis, criminis qualitate, personâ, dignitate, conditione, sexu, officio, paupertate, infirmitate, debilitate, consuetudine, et aliis, in d. cap. contentis.

Debet tamen hæc pœnitentia esse publica, adeò ut omnibus ferè loci, seu oppidi, aut civitatis, ubi ipsos oratores hujusmodi pœnitentiam peragere contingat, innotescat; veluti, dùm frequens populus, ad missarum solemnia convenit, diebus festivis, et solemnibus, in missâ, et dùm celebrantur alia divina officia : sed magis publica videtur in missarum solemniis, in festivis diebus, et solemnioribus; quia tunc verè pœnitentia dicitur publica, Glos. in Clem. 1, verbo *Publicè* de Sepultur. cùm omnes tam viri, quàm mulieres, teneantur ad orandum et assistendum sacerdoti celebranti in diebus festivis, Palud. in 4, dist. 25, q. 5, col. 2.

Ac propterea consuetudine introductum est, ut pro hujusmodi incestu et excessibus, in pluribus mundi partibus præcipuè in hâc civitate, ejusque diœcesi, tale scelus patrantibus, vigore supradictarum litterarum, ita injungitur; ut dùm missa solemnis decantatur in parochiali ecclesiâ oratorum, in suis manibus teneat unusquisque ipsorum candelam accensam, servatâ formâ decreti vicarii delegati, tenoris, sequentis videlicet :

Die, etc. *Neapoli, Per D. vicarium fuit provisum et decretum, quòd supradicti M. et N. in die festivo de præcepto manere debeant ante fores parochialis ecclesiæ sancti N. loci, aut oppidi N. genibus flexis, cum candelis in eorum manibus accensis, à principio usque ad finem missæ magnæ; et quibus omnibus teneantur exhibere fidem parochi ejusdem ecclesiæ*, etc.

N. N. vicarius generalis, delegatus apostolicus.

Imponas. — Quæ quidem pœnitentia, cùm committatur vicario, ut eam oratoribus imponat, non poterit imponi per episcopum; quia, cùm satis aperta sit differentia inter episcopum et ejus vicarium, seu officialem, ut patet in cap. *Venerabilibus*, de Sent. excom., in 6, et cùm commissio hæc vicario tantùm facta fuerit, nullatenùs potest ad episcopum pertinere; nec refert quòd episcopus et ejus vicarius, constituant unum et idem tribunal; id enim procedit in causis, quæ jure ordinario competunt vicario. Sanch., l. 8, disput. 27, n. 30, nam quoad rescripta delegatoria, clarum est, illa non excedere personam non expressam, c. *Significanti*, de Rescript.; Ludovis, dec. 34, num. 2. Unde si ipsa pœnitentia imponeretur ab episcopo non dele-

gato, esset perperam imposita, ut aliàs diximus.

Quæ alios deterreat, etc. — Juxta illud :

Oderunt peccare boni, virtutis amore,
oderunt peccare mali, formidine pœnæ,

et Seneca in proverbiis : *Plerique cessant peccare metu, non innocentiâ et profectò, hi potiùs timidi, quàm innocentes judicandi sunt;* si enim oratores evaderent rigorem hujus pœnæ, nimis profectò perniciosum esset reipublicæ; ex eo quòd immunitas parit, et tribuit incentivum, et cupiditatem delinquendi, Glos. in Clemen. *Ut clericorum*, de Offic. ordin., et dicit tex. in cap. *Ex injustâ*, 11, q. 3, quod facilitas veniæ, tribuere solet incentivum ad malum; ac proinde ista principis facilitas ad veniam, vel ad dispensationem in casibus prohibitis reprobatur; quia ansam præbet delicti, Feder. de Sen., consil. 275, n. 2, in fin., crescit enim multitudo peccantium, cùm redimendi peccati spes veniæ datur et faciliùs itur ad culpas, ubi est venialis ignoscentium gratia, Covar., Var. resol. lib. 2, cap. 9, num. 2, Card. Tusc., Pract. conclus., tom. 3, concl. 9, litt. F. Hinc intelligitur quàm perperam agant ii parochi, qui, ut oratoribus rem gratam faciant, missam solemnem summo mane decantant, ut in pluribus locis fieri vidi et audivi; unde cùm ibi pauci tantùm tunc conveniant, nescio quomodò possit servari forma litterarum hujus dispensationis, necnon decreti D. vicarii delegati super hoc, per supra dicta verba, *quæ alios deterreat*, etc.

Operam suam, etc.—Inter cætera ipsi oratori, semper consuevit injungi, ut operam suam fabricæ, vel servitio alicujus ecclesiæ vel loci pii, conferat; si tamen litteræ expediantur in formâ pauperum, ut hìc; quia, cùm non valeant solvere consuetam compositionem, etiam locis piis in Urbe, et alibi applicandam, saltem in beneficium eorumdem locorum, seu ecclesiarum, debet orator operam ipsam conferre, etiam si ea fuerint extra Urbem, et in locis oratorum, quia, sicut infra dicitur, unica est Ecclesia; cùm igitur orator ipse non habet in ære, nimirùm, ut solvat consuetam compositionem, æquum est ut luat in corpore, Glos. in c. 1, 15, q. 7, Bald. in l. fin. § *Et si præfatam*, c. *De jur. delib.*, Alber. in l. fin., c. *De in jus voc.*, et idem dicendum est de oratrice, quæ etiam debet tenere candelam, ut supra, accensam in suis manibus: quia adhuc mulier comprehenditur sub dictâ regulâ, per tex., in l. *Si quis id*, ff. de Jurisd. omn. jud., quæ licèt videatur habere locum in vilibus tantùm personis Bart., in l. 1, § fin., ff. de Pœn., Salyc. in l. *Si severior*, c. de Infam., Alex., in d. l. *Si quis id*, col. 1, nihilominùs hæc pœna in casu dispensationis matrimonialis in formâ pauperum, imponitur tam civilibus, quàm vilibus personis, ut docet quotidiana praxis.

Conferat, — scilicet per seipsum, non autem per alium; nam licèt regula sit, quòd qui per alium facit, per seipsum facere videatur, reg. *Qui per alium*, de Reg. jur. in 6, l. 2, ff. Rem pupill. salvam fore; attamen cùm hìc agatur de pœnitentiâ injunctâ, non potest illa per alium adimpleri : sicut enim quis per alium vovere non potest, ita nec pœnitentiam accipere, Glos. in cap. *Sciendum*, 37, quæst. 1, etiamsi ipse orator vellet solvere pecuniam alicui volenti dictam pœnitentiam pro eo peragere; nec unquàm contrarium, circa præsentem casum, visum fuit; nempè, ut sub aliâ formâ, litteræ hujusmodi dispensationum fuerint concessæ, aut dictâ pœnitentiâ adimpletâ; quod quidem optimâ ratione servatur, quia juxta dictum Isidori, nullam reus pertimescit pœnam, quam scit pecuniâ posse redimere, per tex., in cap. *Pauper*, 11, q. 3, debent enim, qui tale scelus patrârunt, castigari pœnitentiis salutaribus, et afflictivis, quæ non debent in aliud gravamen commutari; cùm non sint res, quæ delinquunt sed ipsæ personæ, ut dicit Hostien. in Sum., tit. de Off. ordin., § *Quid pertinet*, num. 4, et sic non debent puniri bursæ, ubi homines sunt puniendi : quia crimina non debent sic transire impunita, cap. *Ut famæ*, de Sentent. excom., cap. 2, q. 1, dist. Feder. de Scn. cons. 185, num. 6, ac propterea non alterius operam, sed suam duntaxat conferre tenetur, etiam respectu illius dictionis, *suam*, quæ importat personalitatem, nec potest in alium extendi, Seraph., decis. 1337, Barbos., d. diction. dicit 344, quia opera unius non est opera alterius, l. *Si non sortem*, § *Libertus*, ff. de Cond. indeb., sicut etiam dicimus quòd actus, in quo est electa industria personæ, non potest per alium explicari, capit. final., de Off. deleg., cap. 15, cui eod. tit., lib. 6, ad instar liberi hominis, qui locando operam suam, sicut potest ad certum tempus locare debet personaliter, non per substitutum deservire, leg. *Titio centum*, § 2, ff. de Conditione et Demonstration; Boer., in tract. de Auth. mag., cons., n. 34.

Nec tamen semel accidisse scimus nonnullos oratores sic dispensatos, pœnitentiam prædictam per interpositas personas, solutâ aliquando illis certâ pecuniarum quantitate, adimplevisse, in maximam ipsorum animarum perniciem : quia ab ipsarum ecclesiarum, seu locorum piorum rectoribus, testimonium collationis hujus operæ extorserunt. Unde optimum quidem esset, ad occurrendum hujusmodi fraudibus, adjicere in ipsis litteris aliquam pœnam, ac forsan nullitatis dispensationis. Et in quibusdam notabilibus manu scriptis, quæ meo tempore in Urbe circumferebantur, vidi adnotatum quòd bonæ memoriæ Matthæus cardinalis Contarellus prodatarius fel. rec. Gregorii XIII, certioratus de hâc re ab episcopo Mazarien., ad cujus notitiam publicè devenit, nonnullos in suâ diœcesi, sic dispensatos, pœnitentiam supra dictam per alios adimplevisse, eidem episcopo rescripsit, quatenùs ipsos dispensatos moneret, et induceret ad novam dispensationem à Sede Apostolicâ impetrandam. Et cùm fuisset in similibus casibus inito matrimonio, recursum ad officium sacræ pœnitentiariæ pro opportuno remedio, fuit responsum quòd oratores obtineant denuò dispensationem : nam prima dispensatio fuit nulla, ob non peractam pœnitentiam.

Nec pœnitentiam istam poterit vicarius delegatus in aliud opus, præterquàm in litteris expressum, puta salutarem commutare : imò multò minùs episcopus,

nam licèt possit ex causâ pœnitentiam à Papâ injunctam commutare, per Glos. in cap. *Tempora*, 26, q. 6, et DD. in cap. *At si clerici*, § de Adulteriis, de judic., sicut potest parochus impositam ab episcopo, et secundus confessarius, impositam à primo, Sylv. in verb. *Confessio*, 1, § 27, et alii, hoc nihilominùs procedit in foro interiori, non autem exteriori, Dec. in cap. *At si clerici*, n. 31, et præsertim in delegato, qui tenetur omninò servare formam suæ commissionis, aliàs enim totus processus corruit, cap. *Cùm dilecta*, et ibi not. de Rescript., Caputaq., decis. 143, num. 5, p. 3, Genuens. in Praxi curiæ archiepisc. Neap., cap. 20, n. 2 quæ quidem forma debet præcisè et punctualiter servari; cùm non possit, neque per æquipollens adimpleri, Ludovis., decis. 258, n. 3, per doctr. Bart., in l. *Non sunt*, ff. de Stat. hom. cum concord., adductis per Alexand. in l. 1, sub n. 8, vers. *Et ex prædictis*, ff. de Lib. et Posth.

Neque hoc, cùm nimirùm pœnitentiæ qualitas explicatur et præscribitur, poterit considerari qualitas personæ oratoris, puta si fuerit nobilis aut delicata, vel debilis complexionis : quia supra dictus delegatus nihil poterit super hoc arbitrari : cùm id tantummodò servetur in Urbe, ubi orator personaliter accessit pro dispensatione hujusmodi impetrandâ : tunc enim habito respectu ad labores et incommoda in itinere habita, injungitur, et commutatur supra dicta pœnitentia, prout R. P. D. datario videbitur : et tunc non aliter, nisi postquàm ibi orator, sibi injunctæ pœnitentiæ collationis hujusmodi operæ, partem adimpleverit.

Et aliàs, cùm orator impetrâsset secum dispensari super quarto consanguinitatis cum copulâ, in formâ pauperum, eique delegatus imposuisset pœnitentiam, operam suam conferendi, nimis indiscretam, idem orator petiit Romam, ibique dictam operam per quindecim tantùm dies cuidam loco pio contulit, et litteras prædictæ dispensationis, quas secum attulit, corrigi in cancellariâ apostolicâ obtinuit, sublatâ clausulâ : *Ut operam suam*, etc., *conferat*, etc.

Cæterùm autem contrarium non semel vidimus in praxi servari, ubi orator ad sic sibi injunctam suæ operæ collationem, prorsùs inhabilis extiterit, puta si mancus, decurtatus, sive quomodocumque corpore impeditus, sive vitiatus; tunc enim etiam eâdem stante inhabilitate, non poterit delegatus eam in aliam, præterquàm in litteris expressam, pœnitentiam commutare; cùm ad summum Pontificem, sive ad ejus D. datarium sit id tantummodò reservatum; qui neque dispensationem hujusmodi fortassè concedet, si ante ejusdem dispensationis concessionem, ipsa sibi inhabilitas innotuerit, puta in iis gradibus remotioribus, in quibus oratori remittitur accessus ad urbem; non autem, ubi dispensatio petitur super propinquioribus gradibus quorum causa ab hujusmodi accessu non erit immunis, puta in secundo, aut primo et secundo gradibus, et similibus; tunc enim, etiam quocumque ex præmissis, impedimento, quantumvis legitimè allegato, ab hujusmodi accessu orator ipse minimè excusabitur, cùm ad id omninò et irremissibiliter teneatur : hoc enim in facti contingentia, pluries pro talibus oratoribus responsum audivimus; quòd nimirùm, cùm sint pauperes, et miserabiles, et ad talem pœnitentiam peragendam inhabiles, ita pariter erunt ad onera matrimonii sustinenda. Nèc aliàs in urgentioribus casibus, et in his propinquioribus gradibus, oratoribus pauperibus in ipsâ urbe existentibus, collationis operâ personalis pœnitentia tota in salutarem commutatur, nisi postquàm ejusdem operæ partem aliquam contulerint quod quidem non solùm in ipsâ urbe servatur, quoad oratores in eâ præsentes, verùm etiam, si ii in partibus sic sibi injunctæ pœnitentiæ parte peractâ ob aliquod legitimum impedimentum, illius residuum adimplere nequibunt; quo casu ipse D. datarius, delegato, per suas litteras privatas rescribit : quatenùs constito sibi legitimè de allegato impedimento, oratori, residuum collationis hujusmodi operæ, in aliam commutet, pœnitentiam salutarem. Hodie verò, et à pontificatu fel. record. Urbani VIII, nedùm ut antea pro dispensatione super impedimento compaternitatis in formâ pauperum, remittitur accessus ad urbem, factâ per oratorem eleemosynâ piis locis in Curiâ applicandâ, verùm etiam pari modo in impedimentis affinitatis ex actu fornicario provenientis, nempe in secundo, aut primo et secundo gradibus; nam pœnitentiâ ratione incestûs, remittitur peragenda in partibus; licèt aliter servetur in primo et tertio gradibus, quia in istis non cadit affinitas fornicaria, ex concilio Trident. et constitutione Pii V, suo loco relatis, ut aliàs diximus.

Fabricæ, vel in aliud servitium. — Alicujus ecclesiæ, vel loci pii, unde benè poterit delegatus pœnitentiam ipsam, etiam servando formam rescripti commutare, nempe ut conferatur opera servitio alicujus loci pii; cùm litteræ supradictæ non se adstringant ad fabricam tantùm, sed extendant ad aliud servitium; prout idem Genuensis testatur in supra dictâ Praxi, cap. 20, num. 1 et 2, in Nov. impress. Subdens ibi quòd re delatâ ad Urbem, anno 1601, fuit rescriptum curiæ archiepiscopali, posse fieri hanc commutationem : cùm enim dicatur fabricæ, vel in aliud servitium, illa dictio, *vel*, stat alternativè, ut docet Bart. in l. *Si quis ita ligaverit*. ff. de Aur. et Arg. leg., Abb. Imol. et alii, in cap. *Inter cæteras*, de Rescript., et ex alternativis sufficit unum adimpleri, Bald. in l. *Eâ lege*, c. *De cond. ob caus.*

Sicut etiam poterit delegatus, ex aliquâ sibi benevisâ causâ, oratori indulgere, ut hujusmodi pœnitentia, sive operæ collatio, jam in unâ ecclesiâ, seu in uno loco cepta, possit in aliâ ecclesiâ, seu in alio loco perfici; quia sufficit, quomodocumque illam integrè adimpleri; sicut pari modo ipsi oratori permittere operam ipsam, non continuatè, sed interpolatè perficere; dummodò integer sit numerus dierum; cùm si aliàs Papa voluisset, id alio modo expressisset, nimirùm, dicendo, per tres menses, quo casu, illa dictio, perdenotaret temporis continuationem, ut per Bart., in l. *Ceisus*, num. 25, ff. de Usucap., et sic sine ali-

quâ intermissione, Gonz. ad Reg. 8, gloss. 9, in annotat., num. 89, et scio aliàs, id fuisse consideratum, et pro affirmativâ tantùm; nimirùm, quod interpolatè modo præmisso, possit servitium prædictum impleri.

Et ut paulò antè diximus, circa opus fabricæ, vel alterius servitii, non consideratur qualitas oratoris, nempè, si fortè fuerit nobilis, sive aliàs qualificatus; nam, etiam ipse debet, juxta patratum scelus, sentire atrocitatem, tex. in c. *Non afferamus*, dist. 34, auth. *Omnes peregrini*, c. *Commun.*, de Success., Menoch. de Arbitr. jud., casu 266, num. 1, Marsil., cons. 6, in fin.

Quare meo tempore, vidi in Urbe quemdam virum patritium insignis cujusdam civitatis, qui illùc se contulerat pro dispensatione impetrandâ super impedimento primi et secundi gradûs consanguinitatis, in formâ pauperum, cum copulâ carnali subsecutâ; sub spe facilioris dispensationis; quem fel. record. Paulus V voluit omninò in fabricâ divi Petri, publicè laborare, sicut cæteri plebeii, cùmque ipse Paulus, pro parte supradicti patritii fuisset pluries rogatus, ut supra dictum servitium fabricæ, in aliud minùs ignominiosum commutaret, semper negativè respondit; ex quo id perceperat ad terrorem, ut illius exemplo cæteri à similibus abstinerent, juxta tex., in l. 1, c. *Ad leg. Jul. repet.*, nam ignoscendo malis, necessariò perduntur boni, facit tex. in c. *Est injusta*, 203, q. 4, qui sunt nequam propter spem veniæ, fiunt nequiores, c. *Ut famæ de sent.*

Negari tamen non potest, quin soleat aliquandò sum. Pontifex miscere lenitatem cum severitate; ne quis multâ asperitate exulceretur; neque nimiâ benignitate solvatur, juxta tex. in c. *Disciplina*, et c. *Omnis qui*, dist. 45, l. *Respiciendum*, ff. de Pœn., ex quo extrema sunt vitiosa; ac propterea, pœnitentia, sic in ipsâ Urbe, et in his casibus imposita, ita fuit ex summi Pontificis benignitate, moderata, ut scilicet personæ nobiles, in aliquo ipsius fabricæ loco remoto, conferrent operam suam; et sic ex duobus contrariis, fit medium optimum; nam qui nimis emungit, sanguinem elicit, cap. *Denique*, dist. 4, c. *Hinc etiam*, § *Albuginem*, dist. 9, maximè cùm hæc lenitas sit verè necessaria in principe, ut tradit Redoan. de Majest. princip. in verb. *Ad clementiam pronum*, lib. 2.

Et sic regulariter videmus, quòd tam in Urbe, ubi orator est præsens, pro impetrandâ hujusmodi dispensatione, quàm extra eam, ubi litteræ dispensationis committuntur, in formâ pauperum exequendæ, annuit summus Pontifex; ut peragatur pœnitentia, nempè collationis hujus operæ, prout ipsius oratoris qualitas, ac Pontificis pietas suadebit: hâc consideratione motus, quia nobiles mitiùs puniuntur quàm ignobiles, § *Sit igitur*, auth. *Jusjuran. quod præst. ab his.* Ac propterea, regulariter in casibus supra dictis, admittuntur in Curiâ ad servitium alicujus hospitalis infirmorum, eis ministrando mane, horâ prandii, serò autem, horâ cœnæ: sicut etiam ad hujusmodi servitium admitti consueverunt personæ debilis complexionis; quæ non valent eidem fabricæ, suam operam conferre.

ALICUJUS ECCLESIÆ, VEL LOCI PII. — Pari modo, collatio hujusmodi operæ, neque restringitur ad ecclesiæ tantùm servitium; quia illa extenditur, etiam ad alium locum pium, ut supra dictum est, veluti hospitale, cujus appellatione, veniunt, etiam eleemosynariæ, leprosariæ, xenodochia et operaria, quæ omnia licèt diversis nominibus nuncupentur, juxta usum diversarum regionum, nihilominùs omnia dicuntur hospitalia, ut in Clem. *Per litteras*, de Presb., ibi, de Xenodochiis, prout dicendum est, etiam de quibuscumque locis piis, habentibus eorum necessaria requisita, putà formam Ecclesiæ, vel altare pro celebratione missarum, quodque fundata fuerint auctoritate episcopi, Guttier. canon. Quæst., lib. 1, c. 32, n. 29, Mascard., de Probat., conclus. 869, Marc. Anton. Genuen. in Praxi archiep., c. 17. Supra dicta enim verba, *vel loci pii*, non sunt frustra in d. litteris apposita, cùm etiam dictis locis, summus Pontifex succurrere intendat operâ et labore oratoris.

Sed numquid, hoc intelligatur tantùm de ecclesiâ, aut loco pio, in diœcesi oratorum, vel alterius ipsorum, existente, adeò ut nullo modo possit orator, extra d. diœcesim, suam operam conferre? De hâc re fuit pluries dubitatum, ex eo quòd quidam, qui similem dispensationem impetraverat, exulabat, extra diœcesim, ac propterea instare fecit coram delegato suæ dispensationis, quatenùs ille sineret oratorem in eâ diœcesi, in quâ reperiebatur, conferre d. operam; undè aliàs re ad Urbem non semel delatâ, responsum extitit per delegatum concedere oratori, facultatem conferendi dictam suam operam servitio alicujus ecclesiæ, vel loci pii illius diœcesis, in quâ tunc ipse orator reperiebatur; cùm id non videretur prohibitum, arg. l. *In prævaricationis*, § fin., ff. de Prævar., l. *Dissentientem*, c. *De divort.*, l. *Illam*, c. *De collat.*, et in facti contingentia, pluries audivi, et vidi in diversis curiis ecclesiasticis ita observari; et ab ipsâ Urbe in his casibus rescriptum, cùm totum id pendeat ex arbitrio ipsius delegati: ex quo à Christo una tantùm est Ecclesia per totum mundum constituta, licèt in multa membra divisa, sicut episcopatus unus, episcoporum multorum, concordi numerositate diffusus, cap. *Novatianus*, 7, q. 1.

Sanè, consuetudo ista conferendi operam oratoris fabricæ ecclesiæ, vel alterius loci pii, sicut ab antiquis curialibus audivi, exordium duxit, tempore, quo nonnulli summi Pontifices concesserant facultatem ministris quorumdam locorum piorum, dispensandi super irregularitatibus, ac impedimentis matrimonialibus: attamen Pius IV, revocando hujusmodi facultatem, inhibuit præfatorum piorum locorum præceptoribus, abbatibus, conventibus, confratribus et ministris cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis, et conditionis existentibus, ac etiam archiepiscopali, episcopali, vel aliâ majori dignitate fungentibus, ne de cætero uterentur hujusmodi facultatibus, prout in suâ constitutione, quæ incipit, *De commisso*; sub dat.

Romæ apud S. Marcum, decimo tertio kalen. octobris 1562.

TRIBUS SALTEM MENSIBUS. — In hâc quidem formâ, quoties hujusmodi dispensatio committitur delegato exequendam, cùm orator fuerit in partibus, exprimitur, per quod tempus debeat ille suam operam, ut supra, conferre; quod regulatur juxta qualitatem impedimenti, super quo dispensatur, veluti, cùm oratores fuerint in tertio consanguinitatis, seu affinitatis gradu conjuncti, tempus hujus operæ, erit quatuor mensium : cùm verò impedimentum, erit tertii et quarti graduum, etiam mixtorum, ex pluribus stipitibus provenientium, erit trium mensium; si in secundo, et tertio à communi stipite, quinque mensium, et aliàs, juxta qualitatem graduum, sive consanguinitatis, sive affinitatis, vel aliorum impedimentorum; prout docet vulgatissimus stylus datariæ apostol.

Porrò, huic tempori additur illa dictio, *saltem*; quare notandum est quòd vicarius delegatus non adstringitur ad tempus in d. litteris, tantummodò expressum, nempè, supra dictorum trium mensium; sed suo arbitrio poterit oratori, majus tempus, si sibi videbitur, injungere; cùm supra dicta dictio, de suî naturâ sit subsidiaria, Corn., cons. *In princip.*, vol. 1, Surd. cons. 447, num. 27, c. *Statutum*, § *Cùm verò*, de Rescript. in 6, et sic non excludit majora expressis, neque majorem numerum, c. *Excommunicatus*, § *Addamus*, de Hæret., Gloss. in c. *Sicut apostolicis*, 9, q. 3, non tamen aliquod arbitrium tribuitur ipsi delegato, moderandi supra dictum tempus expressum, si enim aliàs Papa voluisset, profectò in dictis litteris expressisset, quod probatur ex Gloss., in c. *Ex tuarum*, in verbo, *Visum*, de Sortileg., ubi præcipitur episcopo, ut suspendat præsbyterum, his verbis : *Pœnitentiam imponas, quòd per annum et ampliùs, si tibi visum fuerit, eum ab altaris ministerio præcipias abstinere;* et sic majus tempus pœnitentiæ, nempe ultra annum reliquitur arbitrio episc., tempus verò præfixum et in litteris expressum nullo modo poterit per ipsum delegatum moderari; sed debet omninò servari, c. *Ad causas*, de Offic. deleg., quandoquidem, si id remaneret arbitrio ejusdem, frustra tempus prædictum, expressum fuisset; maximè, cùm ipsa dictio sit adjecta dictioni numerali, ut hìc; nam, licèt dicatur, *tribus mensibus*, non restringit, quin possint esse quatuor, vel quinque menses; quod in facti contingentia vidi et audivi à pluribus delegatis servari, consideratis circumstantiis et qualitate incestûs; quia, quoad hoc, per supra dicta, non excluditur arbitrium ipsius delegati, per ea quæ dicit Cardin. Tusc. in suis Pract., conclus. t. 2, litterâ D, concl. 367, n. 1, est enim prædicta dictio, saltem, ampliativa, non autem limitativa, Seraph., decis. 787, num. 8.

Sicut nec ipse delegatus poterit moderari tempus, scilicet diei, quo orator tenetur laborare : puta reducendo laborem ad aliquas tantùm horas diei, permittendo illum laborare quatuor, vel quinque horis cujuslibet diei; quia, ubi pœna imponitur per aliquod tempus, ut hìc, intelligitur de tempore continuo et in dubio, omne tempus debet intelligi quòd sit continuum, Franc., in c. *Eos qui*, num. 5, de Temp. ord., in 6.

At reverà circa hujusmodi operæ conferendæ tempus, an videlicet integrâ die, an verò per aliquot ejusdem diei horas, tenetur orator, eamdem operam conferre; ut inde, injunctæ sibi pœnitentiæ satisfactum censeatur; ab ejusdem Urbis observantiâ minimè videtur recedendum. Ita enim ea se habet, ut cùm juxta qualitatem impedimenti ad contrahendum, teneatur idem orator illùc accedere, ut aliàs diximus; ita sit in supplicatione Pontifici explicandum; nimirùm : « Cupiunt Joannes, qui pro hujusmodi dispensatione obtinendâ, ad romanam curiam personaliter accessit, et in quâ præsens existit, ac indicta oratores præfati, qui pauperes et miserabiles existunt, » etc., tunc enim oratori ipsi, inibi ad fabricæ, vel alterius loci pii servitium deputato, si totâ die laboraverit, à præfecto operis, competens victus subministrabitur; sin minùs, tantùm eidem ex ipsâ die temporis indulgebitur ut aliquo modo opportunum, necessariumque victum sibi aliunde quærere valeat; quandoquidem, cùm eidem pontifici sint paupertas, ac miserabilitas oratoris explicatæ; propter quas, ex laboribus industriâque manuum suarum tantummodò vivere cogitur, profectò, si per integram diem, operam suam conferret, non haberet unde se valeret, saltem competenter sustentare : cùm alimenta sint necessaria in subsidium vitæ, l. *Filiarum*, ubi not. Bald., c. *De patr. posth.*, ac proinde, per quatuor, vel ad summum, per sex horas eidem servitio ipsam operam quâlibet die impendendo, illius residuum in quærendo sibi necessario victum insumere potest : nec aliàs summi Pontificis exuberans clementia, pietas, patitur servari; cùm sit ille omnium, præsertim pauperum, verus pater, c. *Nihil*, de Præscript., Hugo in tract. de Off. quatuor præl., p. 1, commissæ, n. 1, ipsaque Ecclesia dicatur mater pauperum, c. *Super prudentiâ*, ante fin. 14, q. 2, sufficiatque in reliquis, oratorem, ipsius pontificis mandatis obtemperâsse; illius se conspectui præsentando, pœnitentiamque hujusmodi ab eo humiliter petendo. Nec proinde praeticos latet curiales, quod aliàs fel. record. Clemens Papa VIII, desuper consultus, nimirùm, quod, circa hujusmodi oratores, sentiendum, qui ratione patrati incestûs, ad Urbem personaliter accedunt pro absolutione, et dispensatione in formâ pauperum obtinendâ, circa tempus ejusdem operæ collationis, ipse Clemens, tale servitium ab hujusmodi oratoribus, non ita rigidè, sed benignè exigendum esse, respondit : cùm oratoris obedientia suppleat in reliquis : quo fit, ut licèt oratore deputato ad opus, festivis de præcepto Ecclesiæ diebus, prohibitum, ipsi dies, quibus ipse ab hujusmodi opere vacat minimè computentur; cùm servitium sit ab eo præstandum ad rationem triginta ferialium dierum, pro singulis mensibus, attamen non modò præscriptum tempus tot mensium ad sic laborandum, sibi abbrevietur; verùm etiam ipsius diei horarum numerus eidem minuatur, ut supra dictum est; nisi fortassè, ipsius in-

cestûs gravitas, aliud suaderet, prout, dùm ego essem unus ex officialibus hujusmodi dispensationum in cancellariâ apostolicâ, adnotatum audivi ab antiquioribus ex meis collegis, in quibusdam MM. SS. Bernardini Paulini, qui fuerit ipsius Clementis datarius. Si igitur ista viget observantia cum oratoribus qui proinde ad ipsam Urbem accesserunt, quæ nititur supra dictis rationibus, non est profectò, cur eadem non debeat, tanquàm in pari casu, à judicibus ad id extra curiam per Pontificem delegatis, observari; exemplo ipsius Romanæ curiæ, quæ aliarum curiarum, præsertim ecclesiasticarum, est vera magistra et mater, tex. in l. 1, § *Sed, etsi quæ leges*, c. *De veter. jur. enucl.*, c. fin. de Sor. comp. in fin. ibi, quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem et magistra, et tanquàm talis, est ab omnibus utique sequenda, Gig. de Pens., q. 18, num. 2 et 3, cùm inferiores, à superioribus debeant regulari, c. *Est ordo*, et c. *Hæc imago*, 33, q. 5, et eadem necessitatis causa, quâ in ipsâ curiâ orator sibi quærendi premitur, vigeat etiam in partibus, ubi à delegato, in vim litterarum hujusmodi dispensationis, ei hæc imponitur pœnitentia: ubi enim est eadem ratio, eadem esse debet juris dispositio, l. *Si postulaverit*, § *Ratio*, ff. de Adult. l. *Illud*, vers. *Sed magis*, ff. Ad leg. Aquil.

Si tamen hæc collatio operæ fiat in Urbe, ubi orator accessit pro dispensatione obtinendâ, consideratis illius laboribus, et ærumnis in itinere perpessis, in accedendo, ut diximus supra, mitiùs cum eo agitur; quia si, verbi gratiâ, impedimentum, super quo est dispensandum, erit tertii gradûs, et supra quamvis mandetur prævia quadam schedula, præfecto fabricæ, ut oratorem faciat elaborare per tres menses, nihilominùs postquàm illæ elaboraverit per mensem, aut 25 dies, vel minùs prout D. datario placuerit; residuum temporis trium mensium præfatorum, sibi indulgetur; injuncto tamen eidem, ut per tres, vel quatuor, aut tot dies, quod eidem D. datario visum fuerit, visitet septem vel novem ecclesias, visitari solitas intùs, et extra Urbem existentes, de quo exhibebit fidem ab earumdem ecclesiarum sacristis, seu aliis, ad id deputatis, apud D. præfectum datariæ; qui paucis quibusdam ab oratore solutis, transmittit supplicationem dispensationis ad registrum, quæ inde transmittitur ad cancellariam, ubi litteræ expediuntur gratis, quatenùs transeant per ipsam cancellariam: si verò per officium minoris gratiæ recipitur juramentum oratoris, quòd ipse sit orator nominatus in litteris dispensationis, ut possint in formâ pauperum transire, sicut infra dicetur. Aliàs enim, licèt pro oratoribus absentibus, nihil recipiatur à DD. scriptoribus apostolicis, quibus sufficit litteras ipsas in formâ pauperum videre conscriptas, illas ita subscribant, videlicet: «Gratis pro Deo,» pro oratoribus tamen pauperibus absentibus ita taxantur per dictum officium minoris gratiæ, ac si illi pauperes non essent, quibus tantùm paupertas prodest, ad evadendam integram solutionem compositionis.

Ne autem quis miretur cur litteræ dispensationum matrimonialium, quæ privativè, quoad cæteros officiales, transeunt per cancellariam, in formâ pauperum super proximioribus gradibus, videlicet in tertio, aut secundo et tertio, sive ex uno, sive ex pluribus stipitibus duplicatis seu multiplicatis, requirant minorem impensam, quam illæ quæ transeunt per officium minoris gratiæ, nempe in quarto vel tertio, et quarto, etiam ex pluribus stipitibus, ut supra duplicatis: cùm nihilominùs major requiratur impensa in gradibus proximioribus, quàm in remotioribus, sciendum est quòd per cancellariam primò dictæ litteræ pro oratoribus pauperibus, sive præsentibus, sive absentibus, ut dictum est, non taxantur, sed ita signantur, *gratis pro Deo*, et sic quibusdam tantùm paucis, pro certis laboribus solutis, nulla solvitur taxa. Collegium namque scriptorum apostolicorum (quod est unum ex præcipuis et sublimibus in dictâ cancellariâ cùm in ipso sint adscripti, etiam nonnulli S. R. E. cardinales, imò etiam ipse Pontifex habet unum ex officiis dictorum scriptorum) signat dictas litteras gratis, sicut et cæteri officiales, illorum exemplo, nec aliquid recipiunt.

Quod quidem non modò servatur in his dispensationibus matrimonialibus in formâ pauperum, verùm etiam in aliis gratiis pro oratoribus pauperibus et miserabilibus in Curiâ, tempore expeditionis, præsentibus, juraque propterea debita solvere non valentibus.

Potissimùm verò tam in eâdem cancellariâ, quàm alibi in ipsâ Curiâ, circa expeditionem litterarum, indulgentiarum, ex quo felicis rec. Pius IV (ut per transitum hoc dicam) inconveniens nimis esse existimans, pro concessionibus indulgentiarum, quæ in solis meritis passionis Domini nostri Jesu Christi, ejusque gloriosorum martyrum et sanctorum, consistunt, aliquid temporale exigi, motu proprio, vicecancellario, ejusque in cancellariâ locum tenenti, necnon summistæ, scriptoribus, illorumque rescribendario, computatori, receptori et defensoribus, necnon secretariis litterarum apostolicarum, illârumque, tam majoris quàm minoris præsidentiæ abbreviatoribus ac sollicitatoribus, plumbique et registri magistris, collectoribus, earumdemque litterarum apostolicarum registratoribus, bullatoribus et illorum famulis, necnon in registro supplicationum manu, et in præsentiâ suâ signatarum magistris et scriptoribus, aliisque Rom. Curiæ officialibus, et personis, etiam eorum officia ex causâ quantùmvis onerosâ, obtinentibus, cujuscumque qualitatis et conditionis existant; ac quocumque nomine appellantur, sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, necnon amissionis ad semestre, omnium emolumentorum eorum officiorum, quæ ipso jure, quoties contrafecerint, fabricæ basilicæ principis Apostolorum de Urbe, applicata esse censeantur; et crescente inobedientiâ, etiam privationis eorumdem officiorum, ipso facto incurrendis pœnis præcepit, et mandavit, quatenùs in registro supplicationum, magistri et scriptores hujusmodi, ultra salarium inibi pro signaturis ordinariis exigi solitum, alii verò officiales litteras apostolicas, tam sub plumbo quàm in formâ brevis, super gratiis indulgentiarum et peccatorum remissionibus, etiam plenaria-

rum, tam pro vivis quàm defunctis, tam ad tempus quàm perpetuò, ad futuram seu perpetuam rei memoriam, vel in aliâ formâ, ac cum quâvis narrativâ, pro quibusvis particularibus personis seu ecclesiis cathedralibus et collegiatis, monasteriis, prioratibus, capellis, perpetuis capellaniis, oratoriis, hospitalibus, capitulis, collegiis, conventibus, confraternitatibus, societatibus, universitatibus, et quibuscumque aliis piis locis, ab ipso Pio et successoribus suis Romanis Pontificibus etiam facultatem eligendi confessorem, cum votorum commutatione in se continentibus pro tempore, citra tamen clausulam porrectionis manuum adjutricum, concessis et concedendis, conficienda *gratis pro Deo*, ubique per eorum officia, absque aliquâ taxæ, regalium, seu jocalium, aut cujusvis alterius generis solutione vel exactione, quantùmvis ordinariâ vel extraordinariâ, omnibus recusatione et contradictione cessantibus, illicò nullo alio expectato mandato, expediant; et prosequentibus illarum expeditionem, etiamsi partes, quorum intuitu fuerunt concessæ, in Romanâ Curiâ non sint præsentes, sed longè ab illâ absint, expeditas tradant, et consignent. Quorum omnium executionem ipse Pius demandavit datario, et prædictæ cancellariæ regenti, pro tempore existentibus, cum pœnarum adjectione. Reliqua autem circa expeditionem litterarum, gratis in ipsâ Romanâ Curiâ, aliaque ad hanc praxim pertinentia latè reassumo in meâ *Pract. ben.*

Scriptores verò minoris gratiæ (ad nostrum institutum redeundo) prædictas litteras ex integro taxant, nihil prorsùs remittendo oratori, nisi ille fuerit in Romanâ Curiâ præsens, quia tunc recepto juramento super identitate personæ, ut dictum est, etiam ipsi signant gratis; et similiter cæteri officiales ad id deputati, nihil recipiunt pro dictis litteris, pro quibus etiam solvuntur tantùm quædam parva emolumenta.

Contingit etiam aliquando oratorem, qui in Urbe pro dispensatione hujusmodi impetrandâ, personaliter accessit, non posse inibi ob aliquam legitimam causam à D. datario approbandam, veluti infirmitatis supervenientis, aut alterius impedimenti, pœnitentiam sibi impositam, scilicet conferendi operam suam, ut supra integrè explere; et tunc contentatur ipse D. datarius, ut idem orator residuum prædictæ operæ conferat in partibus, ac propterea committitur delegato, ne secum dispenset, nisi constito sibi priùs quòd ille dictum residuum explèverit, ut aliàs diximus.

QUA PŒNITENTIA PUBLICA PERACTA. — Quare non priùs procedendum erit per delegatum ad absolutionem ab incestu, ac decretum dispensationis, quàm præmissa omnia, scilicet pœnitentiam publicam, etiam cum dicto servitio, integrè oratores respectivè peregerint; quia sicut ordinis susceptio non debet concedi clerico in publicâ pœnitentiâ existente, per ea quæ notantur, in c. *Maritum*, dist. 35, ita ad matrimonium transire non permittitur ipsâ pœnitentiâ durante, ut habetur in conc. Arelaten. 2, c. 21 quia non dispensatur nisi peractâ pœnitentiâ de crimine, Butr. in c. *At si clerici*, § de Adulteriis, de Judic. in 1 notab. Et hìc satis patet non posse delegatum dispensare, nisi dictâ pœnitentiâ integrè peractâ; etiamsi orator, quoad operam suam conferendam, voluit præstare quantùmcumque idoneam cautionem de eâ conferendâ post contractum matrimonium, quia, cùm dicta verba, scilicet, *quâ pœnitentiâ publicâ peractâ*, sint posita in casu ablativi absoluti, important conditionem, l. *Si debitor*, § 1, ff. Quib. mod. pign. vel hypoth. solv., Bart., in l. 1, in 3, q. ff. de Cond. et Demonstr.; Guido Papa, q. 15, n. 2, Ludovis, decis. 492, n. 7, et sub conditione tribuitur delegato, jurisdictio: l. *A testatore*, ff. de Cond. et demonstr.; quare non impletâ dictâ conditione, nulla quidem competit jurisdictio: ac proinde, antea per eumdem delegatum gesta, nullius erunt momenti, Put., decis. 429, l. 1 Caputaq., decis. 125 et 150, p. 1, prout indicat illud verbum, *peracta*, quod rem integram et perfectam ostendit, l. 2, in princip., ff. de Adult. l. *Qui procuratorum*, in princip., ff. de Procurat.; Tiraquell., in l. *Si unquàm*, verbo, *Revertatur*, num. 194, c. *De revoc. donat.*, ac propterea debet fides de hujusmodi pœnitentiâ ex integro peractâ, in actis produci, ut idem delegatus certus sit de suâ jurisdictione: præterea idem verbum, *peracta*, cùm sit principium præteriti temporis, denotat actum perfectum et consummatum, text. in leg. 1, § fin., ff. *Quod quisque juris*, et not. in l. *Arboribus*, § *Idem tractat.*, ff. de Usufruct.; Ruin, cons. 226, n. 6, l. 1, et sic priùs adimpleri debet præmissâ pœnitentiâ, ac postmodùm ipsi delegato, erit adhibenda fides eorum parochi, tam de pœnitentiâ publicâ, peractâ, ut dictum est, quàm de servitio fabricæ, aut alibi præstito; quia non sufficit dictam pœnitentiam publicam tantùm dictos oratores egisse, cùm utrumque debeant priùs adimplere, ut constat ex tenore dictarum litterarum, in quibus, postquàm Papa dixit, *pœnitentiam publicam imponas*, statim subdit, *utque dictus orator operam suam conferat*, etc., prædicta enim dictio, ut juncta cum dicto ablativo absoluto, importat etiam conditionem; Surd., cons. 437, num. 30; Barb. in Rub., ff. *Solut. matr.*, p. 1, num. 30.

Et propterea, si delegatus recederet à formâ sibi traditâ in prædictis litteris dispensationis, nulliter procederet, c. *Pisanis*, de Rest. spol., c. *Venerabilis*, de Off. deleg.; Abb. in c. *Causam*, num. 10, de re id., quia donec sibi constiterit, oratores omnia supra dicta adimplevisse, nulla ei competit jurisdictio, Glossa, in Clem. 1, in verbo *Repererint*, de Off. deleg., Card. in Clem. 1; num. 18, de Conces. præb.; Anchar., cons. 36, num. 4, vers. *Item ex alio capite*. Et in proposito refert Marc. Anton. Genuens., in praxi curiæ archiep. Neapolitan., cap. 20, num. 3, fuisse ab Urbe rescriptum, quòd incestuosi, qui impetraverunt dispensationem, non poterant contrahere matrimonium, peractâ solùm pœnitentiâ publicâ, præstitâ cautione per virum, de conferendo operam suam fabricæ Ecclesiæ; sed omnia expleri debent, et postea concedi licentia contrahendi.

Practicari tamen consuevit his præsertim temporibus, ut si fortè contingat, nisi quamprimùm matrimo-

nium contrahatur, aliquod grave scandalum exoriri ac propterea expectari non possit, donec orator integrum servitium fabricæ ecclesiæ, vel alterius loci pii contulerit, pro opportuno remedio recurratur ad D. datarium, qui per suas litteras privatas, committit vicario delegato, ut si sibi constiterit oratorem, partem supra dicti servitii egisse, oratoribus concedat licentiam matrimonium contrahendi; præstitâ tamen priùs idoneâ cautione, de explendo integraliter dicto servitio, post contractum dictum matrimonium; prout diebus elapsis in simili casu D. Ægidius Ursinus Vivarius, datarius S. D. N. Urbani VIII, per similes litteras rescripsit vicario Neapolitano, in causâ dispensationis matrimonialis inter Franciscum N. et Martiam N. Neapolitan., ex quo ipse orator, ex quinque mensibus servitii sibi injuncti in litteris dictæ dispensationis in secundo et tertio gradibus, unum tantùm mensem compleverat, dictæque oratrici, quæ de proximo paritura erit, vitæ periculum imminebat, nisi tempore partûs reperitur contractum dictum matrimonium: prout in dictis privatis litteris sub die 10 maii 1636, ex quo Papa in his præsertim dispensationibus summoperè studet periculis, et scandalis obviare, sicut aliàs diximus.

Tempore item pontificatûs felicis record. Gregorii XV, cùm similis casus evenisset, D. Ulpianus Vulpius qui tunc illius erat datarius, exhibitâ sibi fide ordinarii oratoris, quâ attestabatur de ipsius inhabilitate, ad complendam hujusmodi pœnitentiam, scripsit eidem ordinario per litteras etiam privatas, quatenùs eidem oratori residuum collationis hujus operæ, in aliam pœnitentiam salutarem commutaret; ipse enim prodatarius, sive datarius, in hujusmodi pœnitentiis injungendis, alterandis, minuendis, et commutandis plenissimam habet potestatem, ab ipso Papâ cujus ille est oraculum, et organum mentis et vocis; Gonz., ad regul. 8 cancell., Glossa 63, num. 6.

Hæc pœnitentia collationis operæ ex impossiblitate illam conferendi, ut supra dictum est, ita demùm commutari consuevit, si ordinarius per suas litteras de impedimento certiorem reddat illustrissimum datarium, petatque pro oratore commutationem ipsam. Exemplum recens. Nauta quidam dispensatus in formâ pauperum, injunctâ pœnitentiâ prædictâ, illam cœpit, nequivitque adimplere; quia necessitate compulsus sibi quærendi victum, cum suâ navicula hùc illùcque discurrens, nunquàm verò consistens, oratrice prægnante, de proximo parturâ, proinde ab eodem datario, prædicto ordinario rescriptum est, quatenùs pœnitentiam sic impositam eidem oratori, in aliam salutarem tamen commutaret; firmâ tamen remanente aliâ publicâ pœnitentiâ, quæ alios deterreat, etc., ad quod ipse D. datarius movetur ex mente Papæ, qui scandalis quibuslibet ne eveniant, occurrere satagit, nec quemquam ad impossibilia intendit obligare, juxta text. in l. *Impossibilium*, ff. de Reg. jur., l. *Si stipuler*, ff. de Verb. oblig., l. *Cùm nœres*, § 1, ff. de Stat. liber, § *Impossibilis*, instit. de Hæred, instit. c. *Nemo potest*, de Reg. jur., in 6.

Et recepto ab eis juramento. — Hæc clausula semper apponitur in supplicatione, et in litteris dispensationum, ubi fuit narratum quòd oratores scientes impedimentum, se carnaliter cum impedimento dirimenti, vel matrimonium scienter contraxerunt, sicut pluries diximus.

Si tibi expediens videbitur, etc. — Nam licèt per hujusmodi dispensationem pluribus malis occurratur, ut dictum est, poterit tamen illa denegari, si ita ex aliquâ causâ videbitur vicario delegato; pro quo facit illud Apost. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, c. *Aliud quidem*, 11, q. 1, ubi Glossa dicit, quòd tunc non expedit, ad quod licitum est, quando usus ipsius possit aliis inferre impedimentum, c. *Sic enim*, 28, q. 1. Et sic clarè constat quòd Papa non mandat simpliciter et absolutè cum dictis oratoribus dispensari, nisi si, et in quantum videbitur delegato, cui est negotium commissum; hæc namque clausula, *si tibi videbitur*, importat arbitrium boni viri, non autem liberam voluntatem; Menoch., de Arbitr. jud., lib. 1, q. 8, num. 1, 2 et 3; Cæsar. de Graff., decis. 134, num. 16, et propterea debet ipse delegatus perpendere an dictam dispensationem debeat oratoribus concedere vel denegare; quia in hoc debet se regulare prout de jure; text. in l. 1, ff. de Leg. 2, l. *Fideicommissa*, § 1, *quanquàm*, ff. de Leg., 3; Bart. in l. *Si sic*, in princip., n. 2, ff. de Leg. 1, c. 2, et ibi Glossa, verbo, *Visum fuerit*, de Corp. vit.

Unde postquàm ipsi oratores omnia adimpleverint servatâ formâ dictarum litterarum, et non antea, dictus delegatus videbit, an dispensatio hæc erit concedenda, vel deneganda; nam ita docet illa dictio, demùm; quæ additur supra dictæ clausulæ, scilicet, demùm si tibi expediens videbitur, etc., nam de suâ naturâ, est taxativa, et restrictiva, l. *Si duobus*, in princip., ubi not. Aretin. notab. 2, ff. de Vulg. et Pupill. substit.; Card. Tusc. pract. Concl., tomo 2, litterâ D, concl. 264.

Nec scandalum sit ex ea oriturum. — Nam etiam juxta proximè dicta, sicut ad evitanda scandala quæ orirentur, nisi matrimonium contrahatur, conceditur dispensatio; cùm scandala justam præbeant causam dispensandi in omni casu prohibito, Anchar., cons. 330; Barb., cons. 1, col. antepenult., l. 3, ita è contrà, si oriretur scandalum, ex concessione dispensationis, nullo modo debet illa concedi; text. not. in cap. 1, de Apost., cap. *Nihil cùm scandala*, de Præscript., ubi latè Felin.

Imò episcopus ex officio debet impedire matrimonium contrahendum, quando est timor futuri scandali, etiamsi nullum adsit impedimentum ad contrahendum, cap. *Super eo*, de Cogn. spirit.; Marc. Ant. Genuens. in Praxi curiæ Archiep. Neapolitan., c. 2, num. 13, ubi dicit hoc procedere, quamvis pro executione dispensationis omnia fuerint probata ex doctr. Abb. in cap. *Cùm in tuâ*, num. 4, de Spons.; dicentis quòd propter scandalum imminens inter aliquas familias, debet episcopus præcipere ne inter se contrahant matrimonium, arg. ejusdem, c. *Nihil cum scandalo*, ubi notat Glossa quòd propter scandalum desistendum est

à jure suo, cap. *Ad aures*, de Temp. ordin., cap. *Cavendum*, 10, q. 3, et cap. *Nolite*, q. 3.

Quod quidem in tantum procedit, ut etiamsi prædicta clausula non esset in litteris apposita, nihilominùs subintelligeretur, arg. d. cap. *Ad aures*; sed hìc voluit Papa id exprimi, ut magis dignoscatur sua enixa voluntas circa hoc; nam supra dicta verba annectuntur illis verbis: *Si tibi expediens videbitur*, quia dùm dicitur, *nec scandalum*, etc., illa dictio *nec*, licèt de suî naturâ sit implicativa casûs contrarii ad expressum, juxta text. in l. *Milites*, § *Mulier*, ff. de Milit. test. et in l. *Nec avus*, et ibi Glos., c. de Mancip. liber. nihilominùs hìc copulat et continuat præcedens dictum, ad text. in l. *Nec quidquam*, ff. de Off. procons., et ad aliud refertur, l. fin., et ibi. Bart., ff. de Reb. dub., l. *Talis scriptura*, § ult., ff. de Leg. 1, l. 3, § *Filius*, ff. de Lib. et Posth., Felin. in cap. *Causam quæ*, col. 3, de Rescrip., ac propterea dicendum est quòd annexorum idem est judicium, l. *An inutilis*, ff. de Acceptil.; Paris. de Confid., q. 23, num. 43; Marc. Anton. var. Resolut. lib. 3, resolut. 9, num. 2.

TUNC CUM EISDEM, etc.—Hæc etiam clausula pendet ab illis verbis, *si tibi expediens*, etc., et habet locum, post lapsum dictorum trium mensium, seu alterius temporis, quod in dispensationibus matrimonialibus, juxta qualitatem impedimenti, præfigi solet: natura etenim hujus dictionis *tunc*, est denotare extremitatem temporis expressi, seu designati; ut etiam infra dicetur, adeò ut non possit deveniri per delegatum ad decretum dispensationis, nisi post præmissa omnia adimpleta, ut aliàs diximus, Specul. instit. de instrum. edit., § *Videndum restat*, ante num. 4, vers. *Quid si verbis*, Glos. in c. *Si eo tempore*, de Rescrip. in 6, in verbo *Tunc*; Dec. cons. 63, num. 2 et 3, cons. 89, num. 3, cons. 90, num. 2, et cons. 523, num. 5; Anchar., cons. 356, col. 3, vers. *Tertiò, hoc probat.*; Card. Tusc. in suis pract. Concl., tom. 2, concl. 264, num. 1, et in hâc eâdem materiâ dicit id. Marc. Anton. Genuens. in d. Praxi, c. 10, sub num. 3, quod in hoc casu fuit per curiam archiepiscopalem considerata hujusmodi dictio *tunc*, apponi solita in dispensatione, quæ denotat extremitatem temporis, per text. in l. 4, § fin., ff. de Condit. et Demonstrat., et etiam illa dictio *demùm*.

DUMMODO PAUPERES ET MISERABILES EXISTANT.—Hæc verò dictio, *et miserabiles*, noviter introducta est, ad obviandum fraudibus, cujus adjectioni causam dedit quidam pistor, qui licèt fuisset dives, nihilominùs extorquendo à suo ordinario fidem paupertatis, fecit per testes probari ipsum et oratricem esse pauperes, et ex labore et industriâ manuum suarum vivere; et sic intendebant evadere expensas consuetas pro expeditione eorum dispensationis; unde fuit addita hæc dictio sub hâc conditione: *Dummodò pauperes et miserabiles*, quæ ex conjecturatâ mente Pontificis, non solùm importat modum, verùm etiam conditionem; unde per eam qualificatur tota gratia hujusmodi dispensationis; ac propterea executor nihil agit, donec ea fuerit plenè justificata; nec refert quòd inter conditionem et modum id versetur discrimen, nempe quòd conditio suspendit, modus verò nequaquàm; nam modus adhuc ipsam obligationem coarctat, ita ut, nisi impleatur, nihil actum esse dicatur, arg. l. *Cùm in testamento* ff. de Fideicom. libert., et elegantissimè tradit Lotter. de Re ben., lib. 1, q. 28, num. 41 et 42.

Unde scimus quòd adest usus curiarum ecclesiasticarum, ut post præsentationem litterarum dispensationis alii testes denuò examinentur super paupertate, et miserabilitate oratorum. Quòd si non constiterit ipsos oratores tales esse quales se asseruerunt, denegabitur eis executio dispensationis; et debent alias litteras in formâ ordinariâ expediri facere, ac solvere consueta jura officialibus ad id præpositis.

Hæc quidem oratorum miserabilitatis probatio non ita passim erit ab ipso delegato, sicut supra jam dictum est, contemnenda; licèt enim eò ipso quòd quis sit pauper, dicatur etiam miserabilis, ad text. in c. 1 de Postul., solaque paupertas faciat hominem miserabilem, Joan. Andr. et Abb. in c. *Significantibus*, de Off. deleg.; Crescen. decis. 16, de Privileg., attamen hoc verbum *et miserabiles*, hìc aliquid ultra operatur; nec est aliquo modo intelligendum de illis miserabilibus personis, quibus est in jure concessum, præsertim privilegium, l. un., c. *Quando imper. inter pupill. et vid.*, ut sunt viduæ, orphani, senes, decrepiti, diuturno morbo fatigati, debiles, mutilati, leprosi, debilitati, cæci, mercatores, qui in itinere gabellis gravantur, advenæ, publicè pœnitentes, expositi, infames, carceribus conjecti, etc., ut per Butr. in d. c. *Significantibus*, Marches. in prox. commiss., p. 2, c. 4, num. 27, quandoquidem, cùm, e. g., sit etiam viduitati hoc privilegium concessum, adhuc regina vidua dicitur miserabilis persona, ut not. Capibl. in pragm. 8, p. 1, num. 310, de Baron., et ait Tiraquell. in l. *Si unquàm*, vers. *Facultatem*, c. de Revoc. donat., reginam Angliæ posse gaudere privilegio miserabilium personarum; non igitur sunt iidem miserabiles, quia sunt pauperes, sed quia ob eorumdem statum hujusmodi natura de omnibus istis movetur ad miserandum, Azor. in Sum. cap., *Quando imp. inter pupill. et vid.*, veluti quia vidua remansit sine viro, orphanus sine patre, etc., proindeque igitur apponitur supra dictum verbum *et miserabiles*, ut aliquid ultra addatur ipsi paupertati in genere paupertatis; si enim simpliciter diceretur quòd oratores sunt pauperes, intelligi id quidem posset non modò de paupere qui non habet necessaria ad sustentationem vitæ, prout hìc intelligitur, verùm etiam de eo cui deficiunt convenientia, quoad suî statum et conditionem, ad not. per Bart. in l. *Si constante*, q. 1, ff. solut. Matr., ac proinde cùm oratores possent consueta jura solvere, illorum nihilominùs solutionem in præjudicium, etiam tot piorum locorum effugerent; ex quo aliàs personæ miserabiles esse possùnt, tam si sint pauperes, quàm si divites, Abb. in c. *Ex parte*, de For. comp., et tamen hujusmodi miserabilitatis probatio in hâc materiâ remittitur arbitrio executoris delegati ad hanc dispens. exequendam, ex doctrinâ Butr. in c. *Ex tenore*, de For. comp.

In dispensationibus verò matrimonialibus, quæ pro

Gallicis in formâ pauperum expediuntur, illa clausula *deinde* ita extendi consuevit, videlicet : *Deinde, si veniam à te petierint, impositâ eis pro modo culpæ pœnitentiâ salutari; receptoque ab eis juramento quòd talia deinceps non committent, neque committentibus præstabunt auxilium, consilium, vel favorem, ipsos ab incestûs reatu, et excommunicationis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, ecclesiasticis et temporalibus, tam à jure quàm ab homine, contra similia perpetrantes, promulgatis, incurrerunt, in utroque foro absolvere*, etc.

Et sic omnibus supra dictis adimpletis, testibus inprimis et ante omnia, super verificatione narratorum in dictis litteris, tempore illarum præsentationis examinatis, devenitur ad decretum dispensationis; cujus tenor talis esse poterit, ut sequitur, videlicet :

N. N. vicarius generalis N. et ad infra scripta delegatus apostolicus. Universis et singulis præsentes inspecturis notum facimus atque testamur, qualiter nuper coram nobis pro parte N. et N. loci N. hujus Neapolitanæ diœcesis, exhibitæ et præsentatæ fuerunt infra scriptæ litteræ apostolicæ in chartâ pergamenâ scriptæ, plumbeo pendente sigillo ad cordulam, fili canapis, more Romanæ Curiæ, non vitiatæ, non cancellatæ, non abrasæ, neque in aliquâ ipsarum parte suspectæ, sed omni prorsùs vitio et suspicione carentes, quas cum omni quâ decuit reverentiâ, recepimus, hujusmodi tenoris, videlicet: URBANUS, etc. (Hic inseritur totus tenor dictarum litterarum de verbo ad verbum (si tamen dictæ litteræ originales remaneant in actis, non erit opus illas inserere), et prosequitur : *Post quarum quidem litterarum præsentationem et receptionem, nobis et per nos sic ut præfertur factas et receptas, fuimus pro parte præfatorum N. et N. cum instantiâ requisiti, quatenùs ad executionem earumdem litterarum, ac in eis contentorum, procedere deberemus. Nosque attentâ servatâque illarum formâ, mandavimus de in eis expositis, capiendam esse diligentem et summariam informationem, per quam reperimus, prædictos N. et N. se tertio et quarto consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, dictamque N. propter hoc minimè raptam fuisse, omniaque in dictis litteris exposita et narrata, fuisse et esse vera, ac veritate fulciri. Idcircò inprimis eosdem N. et N. invicem separavimus, eisdemque pœnitentiam publicam injunximus, dictusque N. operam suam fabricæ ecclesiæ sancti N. loci N. tribus mensibus contulit; ab eisque juramentum recepimus, quòd sub spe faciliùs habendæ hujusmodi dispensationis à summo Pontifice, incestum supra expressum non commiserunt, ipsos in utroque foro absolvimus, et aliam pœnitentiam salutarem ipsis imposuimus; ac cum prædictis N. et N. ut matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini, contrahere, illudque in facie ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè possint et valeant; apostolicâ auctoritate nobis concessâ, et quâ in hâc parte fungimur, impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis nequaquàm obstantibus; quæ idem S. D. N. Urbanus Papa VIII, in prædictis suis litteris voluit non obstare, dispensandum duximus; prout præsentium tenore dispensamus. Distantiam verò tertii gradûs prædicti eis non obstare declarantes. Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo, ad præscriptum dictarum litterarum; et in præmissorum fidem, præsentes manu nostrâ subscriptas, per infra scriptum actorum magistrum pro Curiâ fieri et subscribi jussimus. Datum in palatio archiepiscopali Neapolitano, anno à nativitate Domini millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, indictione*, etc., *die* verò, etc., *mense*, etc., *pontificatûs autem ejusdem sanctissimi in Christo patris et domini nostri Urbani Papæ VIII, anno ejus undecimo feliciter, Amen.*

N. N. vicarius generalis Neap.
executor apostolicus.
N. N. Actuarius.

Hæc autem formula decreti potest deservire omnibus dispensationibus matrimonialibus, mutatis mutandis, secundùm earum qualitatem, ac facti narrationem.

CAPUT VII.

Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento publicæ honestatis justitiæ.

Frequens itidem est in ipsâ Rom. Curiâ usus dispensationum super impedimento publicæ honestatis justitiæ, sive cum copulâ inter oratores secutâ, sive sine eâ; quod quidem impedimentum, neque ex consanguinitate, neque ex affinitate procedit, sed ex quâdam, quæ in matrimoniis consideratur, honestate inductum est, ex validis sponsalibus, olim usque ad quartum gradum impediens; hodiè verò ex sacro concilio Tridentino, primum gradum non excedens, idque ex sponsalibus de futuro tantùm, et ita observatur in hujusmodi impedimento, ut consanguinei sponsi, vel sponsæ, in primo tantùm gradu existentes sponsum vel sponsam in matrimonium ducere, sine apostolicâ dispensatione prohibeantur, quæ quidem publica honestas, juxta illius definitionem, nihil aliud est nisi propinquitas ex sponsalibus proveniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione, ex eo quod non est honestum ut quis eam ducat, quam suus consanguineus desponsavit, text. est in cap. *Ad audientiam*, et in c. *Sponsam*, de Spons.; ex hoc enim quandoque oriebantur graves inimicitiæ inter consanguineos, cùm uni desponsatam, alius consanguineorum quærebat ducere in uxorem; ac propterea Ecclesia appellavit hoc impedimentum, publicam honestatem; quia non potuit dari congruentius nomen; cùm non posset attribui alicui ex cognationibus, scilicet legali, spirituali vel carnali, Abb., in cap. *Juvenis*, num. 4, de Spons., et sic prohibitio hæc non consurgit ex consanguinitate, aut affinitate contractâ ex nuptiis consummatis, sed ex quâdam publicâ æquitate; et est jus prohibens matrimonium contrahi, et contractum dirimens, ut aliàs diximus.

Et ideò dicitur publicæ honestatis justitiæ, quia in matrimoniis contrahendis, non solùm quod licet, sed quod honestum est consideratur, juxta tex. in l. *Sem-*

per, ff. de Ritu nupt., et oritur ex sponsalibus, quæ de jure non sortiuntur effectum, ut latiùs infra dicemus, et dicit tex., in d. cap. *Ad audientiam* : et sicut per matrimonium affinitas contrahitur, quæ nuptias subsequentes dirimit; ita ex sponsalibus oritur aliud vinculum conjunctionis, licèt minùs perfectum, affinitate, quod etiam matrimonium dirimit, ut supra dictum est, et ostendit Sanch., de Matr., lib. 7, disp. 78, n. 1, in fine.

Ut autem scias quando dispensatio super hoc impedimento reddatur facilis, vel difficilis, præmittendum est, quod duplici modo illud contrahitur, primò scilicet ex sponsalibus, per verba de futuro, secundò, ex matrimonio rato tantùm. Primo casu non excedit primum gradum, quando sponsalia sunt valida; et passim conceditur hoc modo dispensatio. Secundo casu extenditur usque ad quartum gradum; perinde ac si esset consanguinitatis, seu affinitas ex legitimo coitu proveniens; et dic cum difficultate, et non nisi gravissimis et arduis causis, conceditur dispensatio, sicut in primo vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis practicatur; quia fortius vinculum est, et majorem conjunctionem importat; cùm sit matrimonium contractum, quamvis, ut ait Navar., consil. 11, numer. 4, de Spons., aliqua vocent illud sponsalia, cùm non sint propriè talia : imò sunt verè matrimonium ratum, licèt non consummatum. Et quia à nonnullis nihilominùs in dubium revocabatur, an præd. conc., sess. 24, c. 4, de Reform., intelligeretur de sponsalibus de futuro, an verò de matrimonio, per verba de præsenti, contracto, nondùm carnali copulâ consummato, placuit fel. rec. Pio V, ad hujusmodi debitum tollendum, id suo motu proprio, declarare, cujus tenor talis est, videlicet :

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad Romanum spectat Pontificem, suâ sollicitudine diligenter providere, ut sacrorum conciliorum decreta ita suæ declarationis adminiculo dilucidentur, quòd nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur. Sanè ad aures nostras pervenit, multos esse, qui dubitent, an decretum œcumenici concilii Tridentini, sess. 24, de Reformatione matrimonii, capitulo tertio, quo cavetur impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsùs tolli, ubi verò valida fuerint, non excedere primum gradum, cùm in ulterioribus gradibus non possit hujusmodi prohibitio servari, de sponsalibus, per verba (ut aiunt) de futuro tantùm conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia, per verba de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdùm sponsalia appellantur comprehendat; ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit. Nos itaque, ut omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quod sponsaliorum appellatione, quâd. concilium utitur, non nisi impropriè matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur : quodque igitur de correctione juris veteris, quo casu secundùm proprietatem verborum duntaxat procedendum est, præsertim cùm longè majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quàm in sponsalibus de futuro vigere, à nemine dubitetur; idcircò motu proprio, auctoritate apostolicâ, tenore præsentium declaramus, et diffinimus, decretum concilii hujusmodi omninò intelligendum esse, et procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic (ut præfertur) contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum concilii introductum erat; et ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præsentes litteræ in cancellariâ nostrâ et acie campi Floræ, de more publicentur, et inter constitutiones perpetuò valituras describantur. Et quia difficile foret, præsentes ad singula quæque loca deferri volumus, et etiam declaramus, quòd earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii subscriptis, ac sigillo alicujus prælati munitis, eadem prorsùs fides ubicumque adhibeatur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, diffinitionis, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, kal. julii, pontificatûs nostri anno tertio.

Et quod primo modo non excedat primum gradum quando scilicet impedimentum oritur ex sponsalibus, constat ex decreto ejusdem concilii Trid., loco citato, dùm dicit : *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quâcumque ratione valida non erunt, sancta synodus prorsùs tollit, ubi autem valida fuerint primum gradum non excedant : quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Quare prædictum impedimentum restrictum est quoad duo tantùm per ipsum concilium, nempe quoad sponsalia valida et quoad gradum, ad quem extenduntur, nempe ad primum, quod intelligendum est, tam in lineâ transversâ, quàm in lineâ rectâ : unde dicit Sanch., lib. 7, disp. 68, n. 10, circa medium, quod iniens sponsalia non potest validè matrimonium contrahere cum patre, matre, fratribus, sororibus; vel filiis sponsi alterius, vel sponsæ.

Quoniam verò secundùm concilium prædictum tolluntur sponsalia invalida; ac propterea sæpè in ipsâ Romanâ Curiâ, occasione petendæ dispensationis super hujusmodi impedimento, ambigi solet de validitate, aut invaliditate sponsalium prædictorum non ab re visum fuit, hìc subnectere, quot modis ipsa sponsalia dicantur invalida; ut nullo modo necessaria sit dispensatio. Sunt ergo invalida :

Primò, quando quis illa contrahit ante ætatem in illis requisitam.

Secundò, quando quis emisit votum solemne continentiæ.

Tertiò, quando sub conditione contrahuntur ante

illam subsecutam; dummodò conditio non sit impossibilis aut turpis.

Quartò, quando contrahuntur cum personâ incertâ.

Quintò, quando deficeret consensus alterius.

Sextò, si matrimonium esset contractum sub conditione, ut ait Zerol. mox citandus.

Septimò, non solùm in sponsalibus nullis, sed in matrimonio nullo, nullum est impedimentum.

Octavò, quando contrahuntur à parentibus, nomine filiorum, sive legitimæ ætatis sint, sive non, nisi expressè, vel tacitè consentiant, vel nisi sint præsentes, et non contradicant; vel absentes, et postquàm eis innotuerit, consenserint.

Nonò, ex sponsalibus, et matrimonio clandestinè contractis; nullum oritur impedimentum, quoad forum conscientiæ, ita Zerol. in suâ Praxi, p. 2, verbo *Sponsalia.*

Porrò duæ sunt species sponsalium, quarum altera est nuda et simplex, et est illa, quando scilicet sponsus, simpliciter promisit sponsæ, quod eam ducet in uxorem, et è converso, cap. *Ad audientiam*, et c. fin. *de Spons.* Altera verò est, quæ fit arrhis intervenientibus, vel pignoribus loco arrharum datis; de quibus est tex. in l. fin. c. *de Spons.*

Quomodò autem illa debeant contrahi, dicendum est quòd sacra congr. concilii Trident. pluries declaravit sponsalibus per verba de futuro contrahendis nullam formam præscripsisse concilium; ideòque eo modo contrahi posse, quo poterant ante ipsum concil.

Censuit etiam eadem sacra congregatio, sponsalia per verba de futuro contracta, posse quandocumque ante contractum matrimonium per verba de præsenti, mutuo contrahentium consensu dissolvi: atque ubi sic dissoluta fuerint, nullum hodiè inducere impedimentum; quia eademmet S. congregatio censuit d. sponsalia esse invalida.

Aliam præterea declarationem affert Rebell., p. 2, l. 3, q. 14, n. 3, dicentem, si sponsalia dissolvuntur de consensu, congregatio censuit esse invalida. Quapropter nonnulli tenent, cùm fuerint ita dissoluta, contrahentes non egere dispensatione.

Atverò post dictam declarationem, alia ex eâdem sacrâ congregatione emanavit, quâ fuit declaratum non tolli impedimentum hujusmodi, sponsalibus dissolutis, mutuo consensu eorum qui contraxerunt, ut refert Leo in Thes. fori Eccl., p. 2, c. 9, n. 92. Quæ quidem nova declaratio est in usu et praxi recepta, ut omnes curiales sciunt, et tenet Sanch., de Matr., l. 7, disp. 68, n. 21, ubi improbat Eman. Sà, verbo *Matrimonium*, tenentem contrahi hoc impedimentum de sponsalibus de futuro; nisi soluta fuerint communi utriusque sponsi consensu; et quidquid alii in contrarium dicant, præcipuè Basil. Pont., de Matr, lib. 7, c. 36; Guttier, ejusdem nominis, c. 103, relatos per Antonin. Dian. in Tractat. de Sacram., resol. 222.

Quo verò ad impedimentum publicæ honestatis, proveniens ex matrimonio rato, non tamen consummato, sacra congregatio concilii re maturè discussa, ita censuit: *Ex matrimonio contracto per verba de præsenti, non tamen consummato, non provenisse impedimentum affinitatis, sed tantùm publicæ honestatis justitiæ: et propterea non comprehendi decreto dicti concilii, ubi impedimentum, ex hujusmodi sponsalibus de futuro proveniens, non excedit primum gradum;* fundamentum etenim nonnullorum DD. asserentium hoc impedimentum, ex matrimonio rato, non consummato proveniens, deberi vocari affinitatem, nullo jure videtur posse sustineri, nam licèt major honestas sit, ut non ducatur consanguinea sponsæ de præsenti, cum quâ vinculum matrimoniale contractum est, quàm cum consanguineâ sponsæ de futuro, ut ait Ledesm., de Matr., q. 55, art. 1, litterâ D., vers. *In cujus rei expositionem*, circa med., attamen iidem communiter concludunt quòd hoc impedimentum dicitur affinitas initiativè, non tamen perfectè et consummatè, cùm ea perfecta affinitas dicatur, cujus definitionem suo loco dedimus; et de hoc nullibi videtur ambigendum, quidquid teneat etiam usus Romanæ Curiæ, ut infra dicetur, licèt hujusmodi impedimentum duret, quantùm ipsa affinitas, ut statim subjiciam; pro quo consideranda sunt verba Constitutionis præfati Pii V, ubi in matrimonio per verba de præsenti contracto, voluit seu declaravit durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, quibus de jure veteri, ante dictum decretum concilii introductumerat: quo quidem jure hoc impedimentum ex sponsalibus de futuro proveniens, durabat usque ad quartum gradum inclusivè, adinstar consanguinitatis et affinitatis, ex legitimo coitu provenientis.

Unde, ut ait Sanch., l. 7, disp. 70, n. 16, quod erraverunt nonnulli DD. qui tenuerunt impedimentum publicæ honestatis, consurgens ex matrimonio rato, esse restrictum per d. concil. Trid., ad primum gradum, adinstar consurgentis ex sponsalibus de futuro, ex Toleto, l. 7, Summæ, c. 10; Lopez in 2, p. Instructorii, c. 50, fol. 1147.

Cavendum igitur omninò est à quâdam contrariâ declaratione, quam etiam in ipsâ Rom. Curiâ vidi circumferri; et aliàs, me præsente, ostensam bonæ memoriæ Joanni Francisco Fagnano, tunc prædictæ congregationis concilii secretario, negavit ab ipsâ sacrâ Congr. emanâsse: et cùm similis declaratio fuisset anno 1620 præsentata in hâc curiâ archiepiscopali per virum et mulierem, qui volebant inter contrahere matrimonium, inter quos aderat proveniens impedimentum tertii gradûs ex matrimonio rato, non consummato, fuit per D. datarium generalem rejecta, etiam quia d. declaratio non erat in formâ authenticâ; quod est maximè (licèt obiter) hìc notandum; quia quamvis ferè eadem ratio habenda sit de his quæ scribuntur in sacrâ congregatione concilii, ac si à Papâ scripta essent, ut ipsamet respondit, Garc., de Benef., in præfat., et Zerol. in Praxi episcop., p. 1, verb. *Auth.*, ejusque declarationes adinstar legis communis soleant allegari, illisque semper rota plurimùm detulerit, nec eas nullo modo soleat in dubium revocare, et testatur ipsa rota in unâ Aversan. beneficiorum, 3 junii 1606, coram bon. mem. sacrato-

et in unâ Panormitan. archipresbyteratûs, 5 junii 1620, coram bon. mem.; Buratto inter ejus impressas decis. 479, n. 3, et in unâ Nicien. parochialis, 20 maii 1624, coram bon. mem. Ubaldo seniore, et in unâ Tiburtin. parochialis, 27 junii 1639, coram Pirovano, et coram Cavalerio 2, decis. 127, n. 8. Verum tamen est, quòd, sicut aliàs diximus, de speciali S. D. N. Urbani VIII Jussu, hæc eadem sacra congreg. sub die 2 augusti 1633 mandavit et præcepit, hujusmodi declarationibus, tam impressis et imprimendis, quàm manu, scriptis, nullam fidem esse in judicio, vel extra à quoquam adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authenticâ formâ, solito sigillo, et subscriptione eminentissimi cardinalis præfecti, ac secretarii ejusdem congregationis, pro tempore existentium munitæ fuerint, sicut etiam censuit sacra congregatio super ritibus ecclesiasticis, quoad illius declarationes, per ea quæ sequuntur, videlicet :

Cùm ad notitiam congregationis sacrorum rituum pervenerit, quamplures declarationes, decreta, seu decisiones sub nomine ejusdem sacræ congregationis, absque illius auctoritate impressas in libris, seu aliis operibus, circumferri, et allegari, multasque ex declarationibus, decretis, seu decisionibus juxta contingentiam casuum, illorumque qualitates et circumstantias, à se diversis temporibus factas secundùm ea quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan aliàs, mentio sacræ congregationis nomine confectas nulloque prorsùs ea authentico sigillo munitas; illasque per tribunalia, tam in urbe, quàm per orbem circumferri, et allegari, considerans eadem sacra rituum congregatio, quantùm detrimenti recipi possit, si aliqua fides illis adhibeatur. Et ex speciali S. D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII jussu, mandat et præcipit hujusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis, quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis, nullam fidem in judicio, vel extra, esse adhibendam, sed tantùm illis quæ in authenticâ formâ, solito sigillo, et subscriptione eminentissimi cardinalis præfecti ac secretarii ejusdem congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem hæc propriâ manu subscripsimus, et sigilli proprii sacræ rituum congregationis impressione communiri, ac typis mandari jussimus. Dat. Rom. die 11 augusti 1632.

C. episcopus Portuen. Cardinales Pius. Locus † Sigilli. Julius Rospigliolus secretarius.

Ad rem verò redeundo, quamvis ex matrimonio rato, non consummato, nulla contrahatur affinitas, remanet tamen impedimentum in omnibus gradibus supra dictis : quinimò docet nos quotidiana praxis, quòd cùm major sit habenda ratio, super hoc vinculo non eâ facilitate in impedimento proveniente ex sponsalibus de futuro, dispensatur, sed ex gravissimis causis, ut infra dicetur.

Et licèt non desint, qui hoc impedimentum, ex matrimonio rato proveniens, vocent affinitatem, sicut, etiam ipsa dataria apostolica appellat, licèt impropriè, in casu petendæ dispensationis super eo, hâc forsan ratione; quia per vinculum conjugale, cum potestate ad copulam, vir et uxor uniuntur in ratione uniùs principii ad generationem, et inde, inter eos oritur affinitas; ac insuper, quia, cùm non sit aliqua propinquitas inter affinitatem et publicam honestatem, dicendum est, ex matrimonio rato, oriri affinitatem, ita id. Sanch., lib. 7, disp. 64, num. 24.

Contrarium tamen verius est, quòd tenet idem Sanch., d. disp. 64, num. 1, ubi docet quòd, quamvis ex matrimonio rato, non consummato, possit dici impropriè et largè oriri affinitatem, seu affinitatis initium, concludit nihilominùs hoc impedimentum esse propriè publicæ honestatis, non autem affinitatis; quia tunc solùm dicitur affinitas, quando vir et femina, una et eadem caro efficiuntur; unde sanguis unius dicitur sanguinem alterius tangere, d. num. 1, quod quidem dici non potest de matrimonio rato tantùm, nondùm consummato : quod ego vidi etiam declaratum per sac. congr. concil. Trid., quæ ita censuit : *Ex matrimonio, per verba de præsenti, copulâ non secutâ, non oriri affinitatem, die* 27 *aprilis*, 1568.

Usus propterea est, datariæ apostolicæ, ut in casibus præmissis, ne quoquo modo insurgentis inde affinitatis, locus dubitandi remaneat, aut ea sub involucro verborum malitiosè, seu aliàs ipsa comprehendatur in precibus porrigendis super impedimento publicæ honestatis, sive ex sponsalibus tantùm, sive ex matrimonio rato, non tamen consummato, proveniente, fiat in precibus mentio, quòd defuncta mulier, cum quâ hujusmodi sponsalia fuerunt contracta, ab oratore in nullo penitùs attentata remanente, decessit, et è contra, ut in infra positâ formulâ dicetur; aliàs enim posset dubitari de affinitate inter oratores contractâ; et hic est notorius stylus.

Licèt autem ipsa dataria dicat id esse impedimentum affinitatis, non tamen ita illud appellat, quia tale sit, sed potiùs ad retrahendos oratores, omnesque alios à petitione similium dispensationum, cùm perinde sit, ac si esset impedimentum primi, vel secundi, vel alterius gradûs affinitatis, quoad dispensationes super eo impetrandas.

Quæ quidem dispensationes, tunc conceduntur, quando videl. allegantur causæ, quæ allegari consueverunt, in dispensationibus super quocumque impedimento consanguinitatis, seu affinitatis, nempe in proximioribus gradibus, puta in secundo, aut primo, et secundo consanguinitatis, sive affinitatis, quando intervenerit copula, aut oriretur infamia ex suspicione ipsius copulæ, vel ex aliis justissimis et gravissimis causis Papæ benè visis; quod patet exemplo allato per Covar., 4 decret., p. 2, c. 6, § 10, n. 7, ubi dicit, quod fuit dispensatum, cum Catharinâ Austriacâ et Henrico Octavo, post mortem Arturi, ejusdem Henrici regis Angliæ fratris, cum quo illa prius matrimonium contraxerat, nam cùm ille, ob morbum, illud minimè consummâsset, in dicto impedimento, dispensatum, et matrimonio postea, cum ejus fratre germano contractum, et consummatum fuit. Ex hoc igitur dictæ dispensationes non ita passim conceduntur in supradictis gradibus proximioribus, nisi,

cùm causa ob infamiam oratricis, propter copulam subsecutam : ex quâ, nisi matrimonium contraheretur, orirentur gravia scandala, et ambobus oratoribus vitæ periculum imminæret. Et ex declaratione sac. congr. concil. fuit aliàs concessa dispensatio, pro matrimonio mulieris, cum fratre mariti defuncti, stante matrimonio rato, et non consummato et quod mulier, post mortem viri cognita fuit, et prægnans reddita ab hujusmodi fratre, cum periculo necis, et infamiæ, ut in unâ Caven., 17 novemb. 1629. Hìc verò supplicationis formulam subnectere placuit, frequentioris dispens. quæ super impedimento primi publicæ honestatis justitiæ ex sponsalib. tantùm proveniente, conceditur : quæ, modo sequenti, concipitur, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum N. et N. diœcesis N. ex loco N. Quod cùm dicta oratrix in dicto loco, propter illius augustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt oratores, præfati invicem matrimonialiter copulari ; sed quia aliàs dictus orator sponsalia per verba de futuro, cum oratricis sorore, ad præsens defunctâ, contraxit, quæ quidem oratricis soror, ab eodem oratore intacta, et in nullo penitùs attentata remanente, sicut Domino placuit, ab humanis decessit, desiderium eorum hâc in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ dispensatione, supplicant, etc., *quatenùs*, etc., *quòd impedimento primi gradûs publicæ honestatis justitiæ, et ex præmissis proveniente, hujusmodi non obstante, matrimonium inter se*, etc.

Ex quâ quidem supplicationis formulâ, nota, necessariam esse hujus provenientiæ expressionem, aliàs enim ipsa supplicatio non reciperetur, quia de facili deciperetur summus Pontifex : posset enim impedimentum hoc provenire ex matrimonio rato, non consummato, ex quo fortius oritur vinculum, et non ita passim dispensatur, ut supra diximus.

Cujus quidem provenientiæ expressio, cessat profectò, quando exprimitur impedimentum affinitatis, ex licitâ copulâ provenientis, super quo petitur dispensatio : nam eo casu non est necesse exprimere publicam honestatem, quia declarando orator, se velle contrahere cùm eâ quæ fuit uxor sui consanguinei intra quartum gradum, sufficienter videtur declarare saltem implicitè, impedimentum publicæ honestatis, quia, si illa fuit uxor, fuit etiam sponsa, Ledes. de Matr., q. 56, art. 4, litterâ D, vers. 6, quæritur ; ubi rationem etiam subdit, cur non idem sit ex copulâ fornicariâ et illicitâ, nempe ex hoc, quòd si declaretur impedimentum hujusmodi affinitatis, non consequenter declaratur, nec implicitè, impedimentum honestatis, ac propterea debet in hoc casu fieri expressa mentio, cui sententiæ adstipulatur Sanch., lib. 8, disp. 24, num. 36, ad 40.

Quare, his sic stantibus, capere hucusque non potuimus, cur major ferè pars scribentium residea, in hâc opinione, nimirùm, quod concurrente affinitate, cum publicâ, honest. debet utraque sum. Pontif. explicari, cùm nunquàm visum fuerit, utriusque expressionem fieri separatim, ubi ea tantùm affinitas, quæ necessariò in se, etiam publ. continet honestatem, nec in aliquo repugnat unquam stylus Curiæ, ejusque super hoc notoria praxis, facit, etiam notabilis Boer., decis. 253, n. 28, ubi ait quòd, cùm publica honestas necessariò comprehendatur sub affinitate, satis est de ipsâ affinitate mentionem facere : exemplum subdens, quòd si ego impetro dispensationem, ut mihi liceat ducere uxorem consanguinei mei defuncti, non obstante affinitate in tertio gradu, ex quo mentionem feci, illam fuisse uxorem consanguinei mei, consequenter feci mentionem publicæ honestatis, et sic per consequentiam, virtute dispensationis, videtur sublata.

Nec tamen negatur casum posse evenire, quo affinitas et publica honestas insimul concurrant, quandoquidem, si impetravi dispensationem, ut possem ducere uxorem Eleonoram, mihi in tertio gradu affinem ; antea verò, cùm ejusdem Eleonoræ consanguinea in primo gradu, sponsalia per verba de futuro contraxeram ; ipsaque consanguinea in nullo penitùs attentata remanente, decessit ; hìc profectò duplex erit impedimentum, affinitatis scilicet, et publicæ honestatis ; prout, etiamsi ipsa publica honestas insurgat ex matrimonio rato nondùm consummato : hoc enim casu venit necessariò, hæc publica honestas, etiam exprimenda ; aliàs enim dispensatio super affinate tantummodò impetrata, non valebit, ex quo, de ipsâ publicâ honestate non fuit facta mentio, nec ex narrativâ litterarum dispensationis, potest illa deprehendi, id. Boer., d. num. 2, circa med.

Sanè, hujus impedimenti publicæ honestatis justitiæ, provenientiæ, pariter, imò magis necessaria est expressio ; quando ex matrimonio rato, non consummato insurgit ; quare in ipsâ primùm supplicatione, deinde in litteris explicabitur, quòd orator aliàs matrimonium per verba de præsenti, cum oratricis sorore, ad præsens defunctâ, publicè, in facie ecclesiæ, servatâ formâ concilii Tridentini, contraxit, illud tamen carnali copulâ minimè consummavit : quæ quidem oratricis soror, ab eodem oratore intacta, et in nullo penitùs attentata remanente, ab humanis decessit, vel è contra. Aut, etiamsi impedimentum hujusmodi, erit circa remotiores gradus, puta secundum, vel tertium, aut quartum ; quo casu, explicabitur item, quod orator aliàs, matrimonium hujusmodi, ut dictum est, cum quâdam muliere, eidem oratrici, secundo, vel tertio, aut quarto consanguinitatis gradu conjunctâ, similiter, ut præmittur, contraxit, quapropter petitur, quod impedimento, secundi, vel tertii, aut quarti gradûs publicæ honestatis justitiæ, ex præmissis proveniente, hujusmodi, non obstante, matrimonium inter se contrahere valeant. Nec tamen hujus praxis observantia admittit circa hoc proximioris gradûs distantiæ expressionem ubi impedimentum istud, ex inæquali lineâ consurgit, puta in secundo et tertio, aut tertio et quarto, sicut jam aliàs diximus, quandoquidem non sumus in casibus Constitutionis Pii V percipientis, fieri mentionem, etiam, propin-

quioris gradûs; nimirùm per litteras declaratorias : ipsa namque constitutio ad aliud minimè se extendit, nisi, quod loquitur de diversis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, an mixtis, ex communi, seu ab eodem stipite insurgentibus gradibus quicumque ill sint; nihil aliud addendo, aut mentionem aliquam faciendo de gradibus publicæ honestatis, ex matrimonio rato non consummato, provenientis; unde cùm supradicta constitutio, nil circa id disponat, neque per viam declarationis proximioris gradûs distantiæ, remanet quidem iste casus sub dispositione juris communis, ad tex. in l. *Commodissimè*, § *De Lib. et Posth.*, Felin. in c. *Nonnulli*, sub n. 34, de Rescrip., et ita servatur etiam in praxi.

Quoniam verò, ex sponsalibus de communi consensu dissolutis, adhuc remanere diximus, impedimentum publicæ honestatis justitiæ; propterea sciendum est quòd cùm petitur dispensatio, est facienda mentio de hâc dissolutione, unde, de stylo, illius narrativa, ita concipi solet, videlicet, ut post illud verbum, *contraxit*, subdatur : *Et deinde, dicta sponsalia, de communi oratoris, et sororis prædictæ consensu, eâdem sorore ab oratore intactâ*, et in nullo penitùs attentatâ remanente, dissoluta fuerunt, desiderium eorum, etc.

Quæri hâc occasione solet in praxi, utrùm matrimonium ratum, non consummatum, possit sum. Pontificis dispensatione, dissolvi; et tenent aliqui, non posse, inter quos Petr. Ledes. de Sacram. matrim., q. 67, fol. 744, vers. *Secunda conclusio*, dicens quòd, usque ad tempora Martini, nunquàm audita est talis dispensatio; cùm tamen in temporibus præteritis, fuerint multa matrimonia maximè odiosa. Imò post tempora Martini V, multi pontifices non sunt ausi dispensare in matrimonio rato; et ita Innocentius VIII respondit cuidam principi, non posse dispensare in matrimonio rato, ut refert Panorm. in c. *Ex publico*, de Convers. conjug., et Adrianus Sextus, vir doctissimus, noluit concedere talem dispensationem, dicens se non posse et similiter Pius V.

Per hæc tamen, quæ nullis validis rationibus fulciuntur, non constat, sum. Pontif super hoc dispensare non posse, ut priori vinculo soluto possint aliud matrimonium contrahere.

Hoc etiam docet text. in d. c. *Ex publico*, § *Sanè*, ibi, *sanè quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelgendum est, secundùm interpretationem Sac. eloquii, de his, quorum matrimonium carnali copulâ est consummatum; sine quâ* consummari non potest, ubi Gloss. in verb. *Consummatum*, dicit quòd matrimonium non consummatum, sortitur naturam, ex constitutione Ecclesiæ, ideò, circa illud latissimè patet Papæ potestas; secùs verò in matrimonio consummato, quod ab ipso Domino naturam suam sortitur, et ideò, sola interpretatio circa illud, pertinet ad Papam, non autem dispensatio, vel contraria constitutio, et ita juxta præfatam gloss. tenet Nav., cons. 3, n. 2, de Spons.

Causæ autem, quæ de stylo admittuntur ad dispensandum super hujusmodi matrimonio, reducuntur ad quatuor, quarum; prima est, notabilis disparitas in qualitate, videlicet quando contrahentes sunt notabiliter conditione impares, et affectione cæcâ, ac levitate quâdam ducti; contrahunt matrimonium; secunda, est gravis timor magni scandali futuri; quia id cedit in magnum damnum commune, nam rixæ graves, et neces inde oriri solent, cùm in scandalum posset evenire ob fornicationis timorem, quando coniuges valdè sibi displicent, vel ob inimicitias, quæ inter eorum cognatos vel eorum consanguineos timenjur; tertia, est lepra, alteri superveniens, quæ impedit usum matrimonii; quarta, quando alter contugatorum asserit se non habuisse animum contrahendi, prout easdem causas enumerat, etiam Sanch., l. 2, disput. 19, per totam, omissis quintâ et sextâ per eumdem ibidem relatis, tanquàm parùm usu receptis.

Cùm autem habeatur hìc sermo de matrimonio rato, non consummato, ne tu, qui es in Romanâ Curiâ novus, nec juris peritiâ polles, per ignotos terminos procedas circa hujusmodi dispensationum impetrationes, scire te oportet, quod matrimonium, aliud est legitimum et ratum, aliud ratum et non legitimum, aliud legitimum et non ratum, aliud ratum et consummatum, et aliud ratum non consummatum.

Legitimum ac ratum matrimonium est, quod legitimo consensu ad præscriptum sac. concil. Trid. contrahitur, ut in sess. 24, cap. 1, de Reform.

Matrimonium legitimum et non ratum, est illud quod inter infideles legali institutione, vel provinciæ moribus, contrahitur, inter quos non est ratum, quia non est firmum, sed violabile, nam dato libello repudii, licet eis ab invicem recedere, et aliis copulari, lege fori, non autem poli. Leo, in Thes. for. Eccles., p. 2, c. 9, n. 34.

Matrimonium ratum, et non legitimum, est illorum fidelium, qui, contemptis omnibus solemnitatibus, solo affectu, aliquam sibi in conjugem copulant, ut in c. fin. 28, q. 1, quod quidem est reprobatum, cùm potiùs dicatur concubinatus, quàm matrimonium id. Leo., d. n. 34.

Matrimonium ratum et consummatum, est illud, quod carnali copulâ perfectum est, et inter fideles, à Deo tantummodò dissolvi potest, ut per se patet.

Matrimonium tantùm ratum, non autem consummatum, est illud quod tantummodò per verba de præsenti contractum est, non tamen carnali copulâ perfectum.

Quod si aliquando, in dubium revocari contingat, an in aliquo casu, tale dici possit, recurrendum est ad S. congreg. concil. prout ea aliàs declaravit matrimonium reputari ratum, et non consummatum, ad effectum, ut unus ex contrahentibus, alio contradicente, possit ingredi religionem, si post illud contractum coram parocho et testibus, copula non intercesserit; quamvis priùs non semel, etiam cum promissione de contrahendo, fuissent fornicati, sub die 18 novemb. 1618. Ipsa quoque sacra congreg. sub die 26 april. 1621, declaravit, quod licèt matrimonium ratum non

consummatum per ingressum Religionis dissolvatur, fallit tamen quoad Jesuitas, qui si ingrediuntur congregationem post d. matrimonium; quia post longum tempus emittunt professionem, non dissolvitur, ne unus diù expectare cogatur, teste Barbos., in Collect. bull. verbo, *Matrimonium*, fol. 445.

Sicut autem, per jura supra allegata, et infra alleganda, constat summum Pontificem posse desuper dispensare, optimum erit videre, an præmissis adstipuletur, etiam Romanæ Curiæ praxis. Et quidem affirmativè, ex infra dicendis, erit respondendum; quæ quidem praxis, solidè fundatur super suâ theoricâ; quandoquidem, ex hoc ideò Papa dispensat super matrimonio rato, non consummato: quia aliud significat matrimonium ante consummationem, aliud autem post; nam per copulam carnalem, illud dicitur confirmari; ac propterea, ipsa copula significat rem indivisibilem, scilicet unitatem, consistentem inter Deum et Ecclesiam per assumptionem carnis humanæ in utero Virginis,, ut cap. *Debitum*, de Bigam., Borgas., de Irreg., p. 6, sub tit. de Spons. et Matrim., n. 4, qui subdit, n. seq., quod licèt matrimonium, etiam nondùm carnali consummatum, sit verum matrimonium, quoad sui essentiam, non tamen significat rem indivisibilem, sed divisibilem, quia denotat unitatem quæ consistit in spiritu inter Deum, et fidelem animam; quæ quidem unitas, sæpè dissolvitur intercedente peccato. Et hæc est ratio, quare non est firmum ante copulam carnalem, nam matrimonium, quatenùs res est, non est sacramentum, ac propterea potest dissolvi, sicut cæteri contractus; sed quatenùs est sacramentum regulariter à naturâ et significatione ipsius rei significatæ non potest dissolvi, unde, primo casu dicendum est, quod illud potest dissolvi, Rot., decis. 101, n. 7, p. 2, divers., ut communis est legistarum, et canonistarum sententia, quos longâ serie recenset Sanch., l. 2, disp. 14, n. 2, ante fin., vers. *Hanc sententiam*, et tenuit Rota in unâ Burgen. Dissolutionis matrimonii, 27 junii 1594, relatâ inter impress., post 2, vol. consil., Farinac., quæst. 86, n. 1, in fin., vers. *Et Domini*, ibi enim cùm graves discordiæ ortæ essent inter conjuges, ante matrimonii consummationem, oratores supplicationem porrexerunt Gregorio XIII, quatenùs dignaretur, de communi ipsorum consensu, hujusmodi matrimonium, apostolica auctoritate dissolvere, qui pro narratorum verificatione, commisit causam ordinario Burgen. ac cùm acta et processus fuissent ad Urbem transmissa, dubitatum fuit in sacro Rotæ auditorio, an stantibus causis allegatis, locus esset matrimonii dissolutioni. Super qua, ipsa Rota respondit per hæc verba, quæ sunt præpositi ibi casus decisiva, videlicet: Et Domini, quoad potestatem dissolvendi matrimonii rati non consummati dixerunt, non esse dubitandum, quia hæc est communis opinio canonistarum, præsertim de consensu conjugum, et ex justâ aliquâ causâ, c. *Ex publico*, ubi Glossa, verb. *Consummatum*, de Convers. conjug.; Anchar., Soccin., Dec., et alibi ibidem relati, num. 1. Et secundum præd. decisionem, pro hujusmodi dissolutione, pro causâ allegatum fuit, quòd cùm graves discordiæ essent ortæ inter conjuges, ante matrimonii consummationem, propterea ipsi instituerunt pro dictâ dissolutione. sic etiam, si maximo odio se invicem prosequantur; et ex eo conatu reciproco, graves intermittentes, etiam pullulent dissentiones, ex quibus neces et gravia scandala inter ipsos et eorum consanguineos, possint probabiliter timeri; et hæc est una ex potissimis causis, quæ justam reddunt dispensationem, ut testatur etiam ipsa Rota d. dec. 86, num 1 et 7, per hæc verba: *Si autem probaretur, copulam non esse subsecutam, causa dissolvendi matrimonium, quæ proponitur, visa fuit justissima: quia etiam probatur causa vitandi scandali*, per Purpur., cons. 437, num. 9, Dec. dict., cons. 112 et ita fuit decisum, et præter DD. relatos ita consuluit Felin., cons. 26, num. 19, Port. cons. 154, num. 22 et 24; Menoch. præsumpt. 10, num. 42, l. 2, et cons. 385, num. 7, vol. 4, quos refert et sequitur id Sanch., lib. 2, disp. 16, num. 3, ubi addit cum Port. et Menoch., hoc futurum scandalum, esse ob incontinentiæ periculum, ortum; ex eo, quòd conjuges valdè sibi displicent, vel propter inimicitias quæ inter eos, eorumque consanguineos timentur. Unde optimè infert cum aliis id. Sanch., d. disp. 16, num. 4, justam esse causam hujus dispensationis, quando vir, omni conatu quærit uxorem repellere, absque sanioris mentis probabili spe, quia ex dissidentium voluntate, facilè ad discordiam perpetuam, et uxoris necem, deveniri potest. Sicut enim duorum in unum consensus, amicitiam, ita dissensus, discordias, et inimicitias perpetuas parit.

Papa enim plenissimam potestatem habet in matrimonialibus, inducendo in ipsis matrimoniis varia impedimenta per suas constitutiones canonicas, contra quas matrimonia aliter celebrata, sunt nulla, et separantur. Unde ex his apparet, quòd illa auctoritas, quos Deus conjunxit homo non separet, non est ruditer, et ad corticem intelligenda, ut dicantur conjuncti à Deo omnes qui mutuo consensu contrahunt matrimonium, sed qui canonicè contrahant juxta constitutiones apostolicas. Unde, Papa legitimè conjuncta, separat per suam constitutionem, quos Deus legitimè conjunxit, quia volentes invicem vivere castè, absolvit c. *Dudùm*, de Convers. conjug., et Joan. Andr. in c. *Inter corporalia*, de Transl. Prælatorum, dum text. dicit ibi, ad intellectum illorum verborum, *homo non separat*, quia non homo, sed Deus separat, quos ipse vicarius Christi separat, cui dedit latissimam potestatem circa articulos fidei in omnibus, ita Felin., consil. 26, num. 12, 13 et 14. Et quod Papa possit dissolvere matrimonium non consummatum, in hàc sententiâ concurrit communis opinio antiquorum et modernorum, qui referuntur ab eodem Felin., loc. cit, n. 16, quando videlicet velit Papa ex justâ causâ dispensare, quæ fuit præposita in d. cons., sub num. 19, vers. *Ex quibus concluditur*, ubi quod ille vir nobilis recusabat consummare matrimonium, unde resultabat periculum fornicationis et scandali, cùm mulier cum quâ dictus juvenis contraxerat, erat juvenis suspectâ de incontinentiâ, c. de

Frigid. et Malef., c. de Iis, 33, q. 1, c. *Omne*, 27, q. 2, c. fin. de Cond. appos., et ob periculum hujusmodi incontinentiæ, videtur rationabilitas dispensandi, item maxima disparitas, quæ erat inter ipsos, quia si talis juvenis duxisset illam mulierem in uxorem, esset dedecus patri et universæ domui, cum aliis adductis in d. cons. 26.

Porrò, id ex usu, variisque concessionibus summorum Pontificum confirmatur. In primis, D. Antonius, 3 part., tit. 1, cap. 21, § 3, affirmat se vidisse hujus dispensationis bullas, expeditas à Martino V et Eugenio IV. Navarrus deinde in Sum. latin., refert, ter, vel quater ad petitionem suam, Paulum III, et Pium IV, dispensâsse. Cajetan., tom. 1, opuscul. 28, de Matrimon., q. num. refert, suo tempore, hujusmodi dispensationes emanâsse à summis Pontificibus, Henriq. lib. 11, de Matrim., c. 8, num. 11, in Gloss. litt. F, asserit Gregor. XIII, unicâ die, cum undecim oratoribus dispensâsse; idemque Gregorius, ad supplicationem cujusdam Joannis Gil, causam similis dissolutionis commisit ordinario Burgen., ac paris commissionis meminit Menoch., consil 385. Nec credendum est, tot summos Pontifices, in re gravissimâ lapsos, quod nefas esse, et temerarium putat Valentia, 4 par. disp. 10, q. 1, punct. 7, cùm potiùs dicendum sit, illorum usus, maximam huic sententiæ, præstare in praxi, auctoritatem; adinstar legis canonicæ, semper observandam videri; cùm privatorum usus, et consuetudo pro lege habeantur, c. fin. de Consuet., et ex pluribus comprobat Suar., de Legibus, lib. 2, cap. 14, num. 3 et 20, et in causâ Burgen. Dissolutionis matrimonii, 17 junii 1594, coram Justo, in quâ Rota dixit, quoad potestatem Papæ dissolvendi matrimonii rati non consummati, non dubitandum; quia hæc est communis opinio canonistarum, præsertim de consensu conjugum, et ex justâ causâ, Garc., de Benef. in add. ad p. 7, c. 10, num. 83.

Cavendum est, propterea à quodam libro M. S. quorumdam notabilium, qui in ipsâ urbe, per manus Curialium circumfertur; in quo adnotatum est, Paulum V, similem matrimonii dissolutionem denegâsse etiam ad instantiam oratoris cujusdam magni principis sub die 27 junii 1617, ac propterea, postmodùm à nonnullis ejusdem Romanæ Curiæ primariis doctoribus id in dubium revocatum fuisset. Id enim est omninò falsum; quia, licèt supplicatio desuper porrecta, fuisset rejecta, id evenit, non quidem ex potestatis pontificiæ, sed tantummodò causæ sufficientis defectu; quam quidem supplicationem, sic rejectam, vidi in manibus bonæ memoriæ cardinalis Millini; in cujus calce aderant hæc verba, videlicet: *Nihil, quia causa non est sufficiens.*

Præterea, totum oppositum, etiam in hujusmodi facti contingentiâ, non semel asseverâsse scimus, nunquàm satis commendabilis memoriæ, Ferdinandum Beger, Romanum, hujusmodi supplicationibus matrimonialibus, longissimo temporis cursu, et exercitatione, revisorem præpositum; virum quidem sinceræ integerrimæque fidei, quod vidimus, etiam comprobari, ex quibusdam manuscriptis Anthimi Marchesani qui fuit datarius Pii V, proindeque non est de hoc aliquo modo dubitandum.

Et per fel. record. Urbanum VIII dispensatum, seu dispensari mandatum extitit super dissolutione matrimonii contracti per verba de rato, non tamen consummato inter DD. Michaelem Blanchum, et Joannam filiam principis et principissæ de Concha hujus civitatis Neapolit. præviis litteris in formâ brevis, sub annulo Piscatoris expeditis, tenoris sequentis, videlicet:

A tergo: *Venerabili fratri Archiepiscopo Neapolitan.*

Intùs verò:

Urbanus *Papa VIII, venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii princeps et principissa de Concha Neapolitan., quòd pro conservatione illorum statuum et familiæ cupiunt Joannam, illorum filiam unigenitam, cum aliquo viro ex dictâ familiâ, matrimonialiter copulari; verùm, quia dicta Joanna, tunc in decimo tertio ætatis suæ anno constituta, matrimonium cum dilecto filio Michaele Blancho, per procuratorem, per verba de rato, contraxit, et quòd ratione hujusmodi matrimonii graves lites et inimicitiæ ortæ jam sint, et majores fuissent, nisi auctoritate et providentiâ dilecti filii nobilis viri comitis de Monterey, proregis Neapolitani, provisum fuisset. Nos*, etc., *fraternitati tuæ, committimus et mandamus quòd matrimonium hujusmodi sic factum, et non consummatum, stante etiam consensu partium, nullum et invalidum ad effectum, ut dictus Michael cum aliâ muliere, Joanna verò prædicta, cum alio viro de dictâ familiâ, præcedente tamen dispensatione apostolicâ super consanguinitatis seu affinitatis gradûs, quatenùs opus sit, liberè et licitè matrimonium contrahere valeant, apostolicâ auctoritate declares, non obstantibus præmissis, ac quibuscumque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis. Datum Romæ*, etc.

Hinc que ipsorum oratorum nobilitas, juxta antiquam receptamque Ecclesiæ praxim, faciliorem multò reddit hujusmodi dispensationem, quandoquidem, sicut magnatum, aliorumque nobiliorum potentia, mutuaque inter ipsos amicitia, summoperè conducit ad totius reipublicæ pacem firmandam, ita etiam hujusmodi dispensationes, quæ ab ipsis pro bono pacis petuntur, circa omnem personarum acceptionem, favorabiles semper visæ sunt, ita docet S. Thomas, 2-2, q. 36, art. 2, ad 2; Covar., 4 decretal., 2 part., cap. 6, § 9, num. 7, in fin.; Anton. Cucch., lib. 5 Instit., tit. 13, num. 5; Petr. de Ledes., quem sequitur Sanch. de Matr., lib. 8, disput. 19, num. 5; Ægid. de Sacram., disput. 33, dub. 5, num. 44; Henriq., in Sum., tom. 2, lib. 12, cap. 3, num. 6, litterâ X; Zerol., in Prax. episcop., verbo *Dispensatio*, § 2, p. 1; Basil. de Leon., de Matr., lib. 8, c. 14, num. 11, et alii.

Præterea, ad succurrendum ætatis imbecillitati, eodem modo, faciliùs vidimus similes dispensationes concedi. Inde etenim videmus, quòd quamvis in delictis minori non succurratur, cum eo tamen est mitiùs agendum, ætatis commiseratione, ut in l. *Auxilium*, § In delictis, eod. tit., et habemus text. in c. 1 et 2, de Delict. puer., et dixit Paulus in l. *Ferè*, ff. de Reg.

jur., quod in omnibus ferè pœnalibus judiciis, et ætati, et imprudentiæ succurritur.

Unde, alius ex hoc insurrexit Romanæ Curiæ usus, quòd summus Pontifex, sicut aliàs diximus, nimis se parcè gerit in dispensationibus seu declarationibus concedendis super ætatis defectu, ad matrimonium inter impuberes contrahendum, ubi tamen nimis à legitimâ ætate ad id, ii distare noscuntur: licèt in porrectis precibus asseratur, in illis malitiam, sive prudentiam supplere hujusmodi defectum : nec tamen à rectâ ratione, totum deviare videtur : quandoquidem conjugia hæc infelices parare exitus consueverunt : cùm sine animi perfectâ deliberatione, postposito parentum consilio, quinimò clam et abditè contrahatur. Quare, licèt ad matrimonium contrahendum, eorumdem parentum consensus, de necessitate minimè requiratur, non tamen est, de honestate, respuendus, nec etiam novum est, posse patrem, mediis justis, filium, præsertim ob disparitatem conditionis, aut aliam causam à matrimonio avertere : de quo videndus est Sanch., l. 3, disp. 9, ferè per tot., quod quidem, potissimum sibi vindicare locum, cum impuberibus, licèt pubertati proximis, non est negandum. Idcircò hodiè denegantur à summo Pontifice hujusmodi dispensationes sive declaratoriæ litteræ, nisi oratorum parentibus preces ad id porrigentibus : nec quidem ratione id carere, quispiam arbitrabitur, dicente Ulpiano quòd fragile est et infirmum hujusmodi ætatis consilium, multisque captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum, ut in l. 1, ff. de Minor.

Unde ex his, non est ampliùs ambigendum, an possit summus Pontifex super hoc dispensare : qui non modò in utroque foro, verùm etiam, ubi impedimentum occultum fuerit, in foro conscientiæ tantùm, facultate desuper majori pœnitentiario attributâ, quatenùs ex sufficientibus causis, mandet confessario, ut cum oratoribus dispenset, juxta casuum contingentiam, prout meo tempore contigit in sacrâ pœnitentiariâ, me illius prætorio inserviente, et casus iste fuit, videlicet :

Postquàm oratrix matrimonium cum quodam juvene contraxerat, nullâ habitâ cum eo carnali copulâ, cum oratore præmissorum ignaro, contraxit matrimonium, ex quo suscepit filiam, et cùm ignoraretur, ubi primus juvenis reperiretur, et oratores ipsi separari nequirent, ipseque orator non posset se aliò transferre ob paupertatem, et adultæ filiæ periculum, nec ulteriùs absque evidenti incontinentiæ periculo valerent simul habitare, committebatur confessario, ut impositâ eis gravi et longâ pœnitentiâ salutari, ipsos absolveret, et si dictum primum matrimonium occultum esset, oratores verò invicem servatis servandis contraxerint, ita ut publicè haberentur pro veris conjugibus, et sine gravi scandalo separari nequirent, nec nulla ratio obviandi scandalis aptior et opportunior inveniretur, super quo ipsius confessarii conscientia onerabatur, aliudque canonicum non obstaret, matrimonium primum contractum auctoritate apostolicâ dissolveret, ac cum ipsis oratoribus, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium inter se de novo, secretè contrahere valerent, dispensaret.

Si verò contigerit, alterum oratorum fuisse facti hujusmodi inscium, mandatur confessario, ut oratrix matrimonium cum eo, cum quo secundò sic contraxit, illo tamen de nullitate prioris consensûs certiorato, sed ita cautè, ut oratoris delictum nusquàm detegatur, de novo secretè, ut supra, etc.

Quoniam verò, prout diximus l. *Præcedenti*, c. 5, n. 53, hanc causam notabilis inæqualitatis contrahentium sufficientem semper habitam fuisse ad sic dispensandum, non ignoramus, illa tamen semper secum affert periculum scandalorum, aliorumque malorum, quibus summus Pontifex summoperè studet occurrere, cùm propter hoc liceat à rigore juris recedere, cap. 2, de nov. Oper. nunc Paris. cons. 68, n. 132, vol. 4, ac valdè intersit boni communis scandala vitari, Host. in cap. *Quia circa*, in fin. de Consang., et ibi Joan. And., n. 4, Abb., n. 2, cum aliis relatis per Sanch., de Matr., lib. 8, disp. 19, n. 9, qui n. 2, infert esse similiter justam causam ad dispensandum, quando dispensatio est quasi remedium necessarium obviandi alicui magno delicto, ex D. Thomâ, 2-2, q. 97, art. 4, in corpore.

Quæ omnia fuerunt expressa fel. record. VIII, qui hujusmodi dispensationem concessit anno quarto sui pontificatûs vigore supplicationis sibi porrectæ, tenoris sequentis, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum Riccardi Iouncli laici, et Margarithæ Iouncli Kingo mulieris Lincolinen. civitatis, vel diœcesis. Quod aliàs ipse orator nobilis, jam sexennio elapso, matrimonium cum prædictâ oratrice famulâ, et conditioni suæ admodùm dispari, servatâ formâ concilii Tridentini contraxit; sed deinde amore in odium verso, neque matrimonium consummavit, neque tot annorum spatio ad connivendum cum eâ induci potuit. Cùm autem, Pater sancte, oratoris avus usque ad ultimum vitæ spiritum carceribus, et aliis molestiis pro fide catholicâ afflictus fuerit, quolibet verò anno certam mulctam, præter contingentes vexationes pro conscientiâ exolverit, oratoris verò prædicti pater duas censûs annui tertias ex eâdem causâ hodiè persolvat; et postquàm constantissimè Sedis Apostolicæ auctoritatem confessus fuit, ingenti pecuniâ se titulo juramenti, quod vocant assertæ fidelitatis, propositione redemerit, prædictusque orator hæres sex millium circiter scutorum annui censûs, et nobilis ac præcipuæ familiæ inter catholicos illarum partium existat, et nisi de opportuno remedio sibi per S. V. provideatur, gravia scandala, lites, jurgia, et homicidia possent verisimiliter exoriri. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores præfati, quatenùs sibi, eorumque consanguineorum statui, et quieti in præmissis paternè compatiendo, sibique specialem gratiam faciendo, matrimonium sic per oratores prædictos contractum, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ, de communi eorumdem consensu, et apostolicæ potestatis plenitudine dissolvere et dirimere, eosdemque oratores

ab omni prædicti matrimonii vinculo, et obligatione liberare, necnon quodcumque juramentum per eos, et eorum quemlibet propterea forsan præstitum, ad effectum infra scriptum relaxare, ac cum eodem oratore ut cum quâcumque aliâ muliere, cum oratrice verò, cum quocumque alio viro, nullo sibi aliàs jure prohibitis, servatâ formâ concilii prædicti contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eo postmodùm remanere liberè et licitè valeant, concedere, et indulgere, et ita per quoscumque judices, etc., *irritum quoque*, etc., *decernere dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis etiam in provincialibus conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.*

Fiat, ut petitur, M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et dissolutione, absolutione, liberatione, relaxatione, decreto aliisque præmissis, ut supra, latissimè extendendis, et quod præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris, per officium contradictarum expediendis. Et committatur episcopo Claudonen. in illis partibus commoranti, qui assignatâ inprimis, et ante omnia per oratorem prædictæ oratrici dote qualitati suæ competenti, et constito sibi, legitimè, quòd matrimonium hujusmodi ab oratoribus carnali copulâ consummatum non fuerit, procedat ut supra.*

Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, kal. julii, anno quarto. Fiat. M.

Quo quidem matrimonio per delegatum legitimè dissoluto, nulli dubium est, posse quemlibet ex oratoribus aliud matrimonium contrahere : nam licèt nonnulli de hoc dubitaverint, affirmativè tamen concludit Sanch., de Matr., lib. 2, disp. 14, num. 2, cum sequent., quod etiam jam Papa in litteris, prout in dispositivâ supra dictæ supplicationis declarat.

CAPUT VIII.

Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento cognationis spiritualis, seu compaternitatis.

Simili modo super hujusmodi impedimento, sive cum copulâ, ubi ea intervenit, sive cum aliquâ ex consuetis causis, ut infra, dispensari consuevit. Antequàm illius praxim aggrediar, præmittendum duxi, quòd, quemadmodùm ex naturali et carnali generatione oritur consanguinitas ; ita et spirituali regeneratione, quæ illam imitatur per collationem sacramenti Baptismi, vel Confirmationis, vel per susceptionem ex illo, spiritualis cognatio consurgit ; et licèt antiquitùs latior esset prohibitio, contrahendi matrimonium propter hoc impedimentum, nihilominùs postmodùm, ne propter multitudinem prohibitionum, matrimonia in casibus prohibitis, ignoranter contraherentur, voluit concil. Trid., sess. 24, c. 2, ut unus tantùm, sive vir, sive mulier, juxta canonum instituta, vel ad summum unus, et una, baptizatum de baptismo suscipiant ; inter quos, ac baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantùm, spiritualis cognatio contrahatur.

Ut autem dispensationis necessitas in propositâ materiâ dignoscatur ; cognationis hujusmodi spiritualis definitio priùs erit tradenda. Ea igitur est quædam propinquitas personarum, ex statuto Ecclesiæ consurgens, propter collationem Baptismi, vel Confirmationis, vel susceptione recipientis hæc sacramenta, Sanch., lib. 7, disp. 54, n. 2, quod quidem impedimentum impedit et dirimit, ut habetur in c. 1, de Cognat. spirit., in 6, et in cap. *Veniens extra*, eod. tit.

Et quamvis, de jure antiquo, hæc cognatio triplex esset, nempe paternitas, compaternitas et fraternitas, ut ait id. Sanch., d. l. 7, disp. 55, n. 9, nihilominùs hodiè restricta est per d. concilium d. cap. 2, eo modo, ut supra dictum est.

Cùm verò post dictum concilium dubitaretur, an extra quasdam personas ibi expressas, ipsa compaternitas contraheretur, Pius V, ad tollendas omnes ambiguitates, quæ super hoc exoriri potuissent, suam de hâc re edidit constitutionem, tenoris sequentis, videlicet :

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cùm illius vicem, licèt minimè suffragantibus meritis, geramus in terris, de cujus vultu prodit judicium, et vident oculi æquitatem, officii nostri devitam prosequimur actionem, sic obscuros sacrorum canonum sensus ita aperire studemus, ut piis Christi fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Sanè licet ex eo quòd in concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantùm contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo, ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, et matrem, in reliquis personis, quæ per antiquos canones, occasione cognationis hujusmodi contrahere prohibeantur, omne impedimentum sublatum esse videatur : adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis hujusmodi inter maritum, vel uxorem suscipientis, et baptizatum, necnon inter maritum, vel uxorem suscipientis, et patrem ac matrem baptizati vigeat ; propterea quòd prohibitum de uno conjuge, de altero etiam prohibitum esse videatur ; nos piarum mentium quieti, et matrimoniorum favori (quantùm ex alto nobis permittitur) consulere volentes, à præcisis verbis concil. minimè descendendum in præmissis esse censuimus. Et propterea nullum ampliùs impedimentum, ratione cognationis hujusmodi subesse decernimus, et declaramus, quo minus inter dictos maritum, vel uxorem suscipientis, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, et quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis, quàm baptizantis, et baptizati, in dicto concilio nominatim non expressas, matrimonium liberè et licitè contrahi possit ; et ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus. Decernentes irritum, et inane, si quid secùs à quoquam, quâcumque dignitate, auctoritate et potestate prædito, contigerit judicari. Non obstantibus constitu-*

tionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd præsentes litteræ in cancellariâ nostrâ apost. et acie Campi Floræ, de more publicentur, et inter constitutiones perpetuò valituras describantur. Et quia difficile foret, præsentes ad singula quæque loca deferri, quòd earum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii subscriptis, ac sigillo alicujus prælati munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quintengesimo sexagesimo sexto, quarto kal. decembris, pontificatûs nostri anno primo.

Iis igitur præmissis ad praxim petendæ desuper dispensationis, deveniendo dicimus, quòd pro causâ ad id sufficit aliqua ex illis quæ requiruntur ad quamcumque aliam dispensationem matrimonialem in gradibus tamen remotioribus, ac post expressam de more, causam in supplicatione, prosequendum est hoc modo, videlicet : *Cupiunt oratores præfati invicem matrimonialiter copulari, sed quia aliàs dictus orator prolem dictæ oratricis ex alio viro susceptam, ac sacro fonte levavit* (vel si ita se habet), *in sacramento confirmationis tenuit, desiderium suum*, etc.

Ex hâc quidem formulâ apparet, duobus supra dictis modis contrahi tantùm hanc compaternitatem, quæ dispensationem exposcit; unde nunquàm ea requiritur, quando quis tenet aliquem in catechisim, qui solet præmitti in Baptismo; cum nomine infantis respondetur sacerdoti interroganti : An credat in Deum, an renuntiet diabolo, etc., quod profectò potest contingere, quando ob necessitatem et periculum, ne moriatur infans, antequàm ducatur ad Ecclesiam, baptizatur domi ab obstetrice : hoc enim impedimentum est prorsùs sublatum per d. concilium, ut ex ipsius textu patet, et ad majorem hujus rei comprobationem, emanavit aliàs sac. congreg. ejusdem concilii declaratio his verbis : *Qui in ecclesiâ fuit præsens ei, qui domi fuit verè baptizatus, si deinde in ecclesiâ fuerunt servatæ solemnitates, nullam cognationem spiritualem contraxit.*

Et quamvis in hoc et aliis et similibus casibus fuerit in curiâ petita dispensatio, responsum semper fuit, oratores illâ non indigere, sed consuevit ad eorumdem oratorum instantiam concedi tantùm declaratoria; cujus litteræ committuntur ordinario eorumdem oratorum, per quas, si legitimis probationibus compererit d. N. filium priùs fuisse baptizatum, declaret, nullum inter ipsum N. et dictum filium adesse impedimentum cognationis spiritualis, teste Anton. Dian., tit. de Sacram., res. 260.

Quòd si præmissa fuerint occulta, per officium S. pœnitentiariæ, committitur confessario, quatenùs, si est ita, nullam ex præmissis spiritualem cognationem cum prædictâ muliere contraxisse, ipsumque in matrimonio prædicto, sic per eum contracto, liberè remanere posse, nuntiet et declaret in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, neque ullo alio modo.

Et in quibuscumque aliis casibus dubiæ compaternitatis, consuevit res, etiam deferri ad sac. congreg. concilii, in quâ aliàs fuit propositum sequens dubium, videlicet : Petrus et Anna conjuges, elegerunt in susceptores baptismo filii, Andream et Lauram; sed adveniente tempore baptismi, audiens Andreas à Petro fuisse electam Lauram in commatrem, rogavit Petrum ut illâ posthabitâ eligeret Rosam; replicavit Petrus se id facere non posse citra injuriam, cui responsioni Andreâ non acquiescente, idem Petrus omnia retulit parocho; et factâ expressâ declaratione animi sui, quòd nullo pacto intendebat Rosam in commatrem habere, parochus consilium dedit ut ambæ admitterentur; sed pollicebatur expressè, se nullatenùs admissurum Rosam ad tangendum infantem; cui consilio Petrus acquiescens, designavit etiam Rosam in commatrem; ista autem præter intentionem Petri, et promissionem eidem Petro factam à parocho, infantem in actu baptismi, simul cum Laurâ tetigit. Quæritur an fuerit contracta compaternitas etiam inter dictam Rosam et Petrum, an potiùs inter Petrum et Lauram; sacr. congreg. concil., die 10 martii 1631, in causâ Aquin., censuit contraxisse etiam cum Rosâ, quia fuit designata.

Pariter hanc cognationem spiritualem quæ matrimonium contrahendum impedit ac dirimit contractum, contrahit compater designatus, qui in baptismo infantis alterutrum præstitit, id est, sive ipsum infantem sacerdoti porrexit, ut in sacrum fontem immergeret, sive post immersionem, cùm protinùs è manu sacerdotis suscepit; tametsi in actu baptismi illum non tetigerit, quia eadem ratio militat in porrigente et suscipiente; dummodò puer tangatur, sive ante, sive post, sive in immersione; videtur enim unicus actus per continuationem, accedente præsertim consuetudine. Sacræ congr. concil. sub die 27 septembris 1601, ut per Bar. in Collect., bull., verb. *Cognatio spiritualis*, fol. 199.

Ipsam verò cognationem spiritualem non contrahit mulier, ex eo quòd defert puerum baptizandum usque ad januam ecclesiæ, ubi illum tradit futuro compatri, à quo puer introfertur, ac de baptismo suscipitur, absque eo quòd dicta mulier ullum actum in actu baptismi præstet, ut declaravit S. Cong., teste eod. Barb. eod. verb., d. fol. 199.

Pro eo autem quod spectat ad susceptionem, si plures duobus designati suscipiant baptizatum de baptismo, cum omnibus quidem contrahitur hæc cognatio spiritualis, licèt plures patrini ejusdem baptizandi, tam per antiqua jura quàm per decreta concilii Trid. esse non debeant, cùm non sit major ratio unius quàm reliquorum; nec per ipsa jura antiqua aut nova annullatur actus plurium personarum, si fiat, quamvis parochus plures ad id admittendo, erit puniendus Na-

var. cons. 4 de Cognat. spirit., et plures quàm unum, et unam in baptismo designare, esset peccatum mortale, tanquàm contra prohibitionem sacrorum canonum, Bonac., de Matr., q. 3, puncto 5, § 2, n. 32, prout idem dicendum est quoad hoc impedimentum inducendum, si duo viri vel duæ feminæ simul suscipiant; licèt id fieri posse per canones prædictos prohibeatur, circa quam neque episcopus potest dispensare, Zerol. in Praxi episc., verbo *Baptismus*, p. 1, ubi ex declaratione sacr. congreg. ait quòd rationi est consentaneum, ex quo baptismus, cùm sit regeneratio spiritualis, conformari debet cum generatione naturali, seu corporali, in quantum potest; sed naturaliter non potest homo generari, nisi ex uno mare et unâ feminâ; ergo, etc. Et idem dicendum est quoad omnia præmissa, de sacramento Confirmationis, d. Zerol. d. verbo *Baptismus*, § 5, qui § 8 dubitando ait an contrahatur ista compaternitas inter omnes tenentes, seu suscipientes, si non scribantur, et omnes tangant, vel teneant, aut suscipiant, respondit affirmativè, sed parochi negligentia est punienda; ac proinde monet ut sic cauti sint curati, ad priùs scribenda nomina compatrum et commatrum, quàm ad baptizandum infantem accedant.

Sanè per supra dictum officium sacræ pœnitentiariæ, non modò datur declaratio super hujusmodi compaternitate, verùm, si adsit illius impedimentum illudque fuerit occultum, etiam copulâ subsecutâ, dantur litteræ dispensationis, quibus confessario committitur ut (si jam oratores cum impedimento hujusmodi, se carnaliter cognoverint) ipsos, ab incestu hujusmodi absolvat, injunctâ eis pœnitentiâ salutari; et dummodò impedimentum ex præmissis proveniens occultum sit, et infamiæ oratricis per matrimonium obviatum iri judicaverit, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem oratoribus quòd præmissis non obstantibus matrimonium inter se, publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, et in eo remanere licitè possint, dispenset; prolem legitimam nuntiando, et cum clausulâ, *Nullis*, etc.

Prout etiam eadem sacra pœnitentiaria dispensat super matrimonio jam contracto cum impedimento ejusdem compaternitatis, veluti pro oratoribus quorum alter alterius infantem de sacro fonte levavit; et deinde ipsi matrimonium inter se publicè contraxerunt et consummârunt, atque in eo per plures annos permanserunt, tunc pariter confessario committitur, quatenùs oratores absolvat etiam ab incestu, et dummodò impedimentum occultum sit, et separatio inter ipsos fieri non possit absque scandalo, et ex cohabitatione de illorum incontinentiâ probabiliter timendum esse, sibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem, quòd præmissis non obstantibus, matrimonium inter se de novo, secretè, illis de nullitate prioris consensûs certioratis, contrahere, licitè valeant, dispenset; prolem legitimam decernendo, in foro conscientiæ, etc.

Ex hâc quidem praxi omnis prorsùs remota hæsitatio videtur, nempe an impediti hâc compaternitate ad contrahendum, in impetratione dispensationis super eâ teneantur facere mentionem de copulâ carnali inter eos secutâ.

Eâ etenim ratione autumant DD. negativè respondendum, quia hæc expressio facienda est de incestu inter oratores habito, ut aliàs diximus, incestus autem, nihil aliud est nisi consanguineorum, affiniumque conjunctio, ut in § *Cùm ergo*, 36, q. 1 et 35 causâ, quasi per totam, ex quâ quidem definitione satis patet cognatos tantùm spirituales non esse consanguineos neque affines, nec in jure canonico aut Cæsareo reperitur expressum hunc esse incestum; ergo, etc.

Iis tamen non obstantibus contrarium est verius et notoriâ praxi receptum quidquid dicat etiam Sanch., l. 8, disp. 25, n. 2, ubi ait solum incestum cum consanguineis et affinibus esse exprimendum, quia is solus veram incestûs rationem habet, et de eo solo ita obtinet stylus curiæ, et allegat Navar., cons. ult., n. 5 et 9, de Cognat. spirit.; nam uterque istorum, licèt alioqui peritissimus (salvâ pace illorum) videtur deviare ab hâc praxi quæ, ut omnes nôrunt curiales, ita docet, ut non modò dicatur incestus inter consanguineos et affines, verùm etiam inter cognatos spiritualiter; et quando pro oratoribus petitur dispensatio, pro causâ, si alia non adsit, allegatur copula inter eos habita, et porrigitur supplicatio tenoris sequentis, videlicet:

Beatissime Pater, etc.; *quòd ipsis aliàs scientibus impedimentum cognationis spiritualis inter eos existere, et ex eo proveniens, quòd aliàs d. orator prolem oratricis, ex alio viro susceptam, de sacro fonte levavit, orator præd. non quidem peccandi datâ operâ*, etc., *oratricem cognovit. Cùm autem, Pater sancte, matrimonium*, etc., *supplicant*, etc., *quatenùs eos ab excommunicationis sententiâ, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu in utroque foro absolvere.*

Et prosequitur, sicut in aliis supplicationibus cum copulâ, pro consanguineis vel affinibus; imò cùm hæc dispensatio petitur in formâ pauperum, ratione prædictæ copulæ carnalis, tenetur orator omninò accedere personaliter ad Urbem; quòd si noluerit, solvet loco accessûs hujusmodi, quamdam eleemosynam pecuniariam locis piis in ipsâ Urbe applicandam, ut aliàs diximus.

Porrò secundùm supra dictum stylum Curiæ, ait etiam Guttier, Canon., l. 1, c. 23, n. 15, quòd incestus committitur cum consanguineis, affinibus et cognatis cognatione spirituali, ac publicâ honestate, et patet per declarationes sacræ congregationis, suo loco à nobis allatas, et quando præmissa cessarent, sufficit tantummodò stylus Curiæ omnibus notus, qui pro lege servatur, c. *Quàm gravi*, de Crim. fals.

A redeundo unde paulisper digressi sumus, dicendum est quòd expressio provenientiæ istius impedimenti compaternitatis adeò est necessaria, ut sine eâ non reciperetur supplicatio hujus dispensationis. Ratio autem est quia aliquo modo posset hoc impedimentum contrahi, ut super eò negaretur, aut difficilsi

redderetur dispensatio; utpote si adesset filiatio spiritualis ex eo proveniens, quòd alter alterum de sacro fonte levaverit; vel in sacramento confirmationis tenuerit; cùm multò indecentiùs sit cum filio aut filiâ spirituali contrahere, quàm cum compatre, vel cum commatre : quia, ut ait Sanch., lib. 8, disp. 24, n. 15, cùm regeneratio hæc spiritualis, ex quâ filiatio ista consurgit, assimiletur generationi carnaliter, ex quâ filiatio naturalis oritur; sicut indecentissimum est inter patres et filios spirituales.

Id verò, circa hujusmodi filiationem spiritualem, etiam constat ex notoriâ praxi, quæ præcipit omninò hanc provenientiam exprimi, quæ confirmata est tempore fel. record. Pauli Papæ V, qui semper recusavit dispensare super impedimento filiationis spiritualis; quòd si aliquando ex urgentissimis causis dispensabat, volebat quòd deleto in titulo supplicationis, ubi dicebatur, *filiatio spiritualis*, diceretur *compaternitas;* et in corpore ejusdem supplicationis, post explicatam provenientiam filiationis, pariter diceretur : *Quod impedimento cognationis spiritualis* etc., non autem *filiationis*, quod tamen exprimitur in narrativâ præd. supplicationis; nam in illius dispositivâ, necesse est exprimere provenientiam hujus impedimenti, quidquid dicat id. Sanch., disp. 24, num. 15, volens utrùm filiatio hæc aut compaternitas consurgat ex baptismo vel confirmatione, sive orta sit, quia volens contrahere, baptizavit, vel levavit, vel tenuit, non esse opus quidquam horum exprimere, sed satis esse dicere esse filiationem inter illos, vel compaternitatem : quia parùm hæc mutant vel augent. Hoc enim est contra notorium stylum datariæ apostolicæ, quæ nullo modo admittit aut recipit supplicationes hujusmodi, absque hujus provenientiæ expressione, ut supra dictum est.

Nec hinc proinde hodiernus dissidet ipsius stylus, qui id quod servat in concedendis dispensationibus in secundo, seu primo et secundo gradibus, hoc idem in filiatione spirituali, cum eisdem clausulis modificativis et conditionibus; quandoquidem etiam in istis, sequenti formulâ explicandum erit, videlicet: *Quòd ipsis aliàs scientibus impedimentum cognationis spiritualis inter eos existere, et ex eo proveniens quòd aliàs dictus orator eamdem oratricem in sacramento Confirmationis tenuit, orator præfatus non quidem peccandi datâ operâ,* etc.; *cùm autem*, etc., *nisi matrimonium contrahatur, dicta oratrix graviter diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala orirentur, ipsisque viæ periculum immineret, cupiunt*, etc. Ac propterea, quando petitur desuper dispensari in formâ pauperum, tenetur omninò orator accedere ad Urbem, quocumque etiam legitimo impedimento non obstante, ubi ei imponitur pœnitentia conferendi operam suam fabricæ, vel in aliud servitium ecclesiæ, vel loci pii, per idem tempus quod imponitur pro secundo, aut primo et secundo in simili formâ, ut dictum est; et litteræ expediuntur per breve sub annulo Piscatoris; licèt eodem modo, peractâ aliquâ parte collationis dictæ operæ sibi injunctæ, reliquum ex benignitate summi Pontificis sibi condonatur vel suppletur, per visitationem novem, seu septem ecclesiarum Urbis, per tot vices, quot DD. datario visum fuerit; quòdque in partibus per aliquod temporis spatium, ipsam operam ut supra conferat, puta per alium aut duos menses, et tot sextis feriis jejunet in pane et aquâ, eisdemque diebus, Rosarium beatissimæ Virginis devotè recitet; alioquin litteræ sibi concessæ dispensationis, illi, quoad forum conscientiæ, nullatenùs suffragentur, vel quid simile; prout enim D. datario, oratoris animæ saluti magis videbitur expedire; sicut de dictis secundo, aut primo et secundo gradibus dictum est.

Cæterùm necesse minimè est in hujusmodi supplicationibus exprimere quantitatem filiorum quos orator sive oratrix de sacro fonte levavit vel in sacramento confirmationis tenuit. Hæc enim expressio neque auget, neque minuit impedimentum aut qualitatem gratiæ dispensationis, licèt aliqui contrarium putent; ita enim docet quotidiana praxis, cùm unica sit tantùm compaternitas; nam licèt olim, et usque ad tempus pontificatûs fel. record. Sixti V semper exprimeretur quantitas præd. filiorum, si plures aderant, nihilominùs Clemens VIII, dùm esset datarius ejusdem Sixti, declaravit unicam esse tantùm compaternitatem, quamvis plures filii suscepti essent, et ita hodiè servatur in his dispensationibus impetrandis, teste Garc., de Ben., p. 8, cas. 5, n. 78; licèt non rejiceretur supplicatio, si in eâ ipsa filiorum quantitas exprimeretur, sic dicendo, videlicet : Sed quia aliàs dictus orator duos, aut tres, vel plures ipsius oratricis filios, ex alio viro susceptos (vel è contra) in sacramento confirmationis tenuit, vel de sacro fonte levavit, sicut pluries vidimus.

Non enim ex eo quòd plures filios orator sive oratrix de S. fonte levavit, aut in sacramento Confirmationis tenuit, putandum est duplicem compaternitatem, duplexque insurgere impedimentum ad contrahendum, sicut nonnulli proinde perperàm autumant, etiam curialium; cùm adhuc unica sit tantùm compaternitas constituta : licèt secùs dicendum sit, quando nimirùm orator oratricis, oratrix verò oratoris prolem, ut supra tenuit aut levavit; tunc etenim verè duplex compaternitas duplexque oritur impedimentum, ita ut uno per apostolicam dispensationem sublato, aliud noscitur remanere, c. *Pastoralis*, de Privil., cap. *Ex tuarum*, de Auth. et Us. pall., ac propterea de utroque impedimento erit mentio facienda, l. *Si domus tua*, ff. de Serv. urban. præd., l. *Si priùs*, ff. de Aquâ pluviâ arcen. et aliis vulg. jur., Felin. in c. *Nonnulli*, n. 21 de Rescrip.

Neque verò id, circa taciturnitatem expressionis quantitatis filiorum, caret ratione, quia praxis est in ipsâ supplicatione exprimi tantùm, oratorem, mulieris prolem ex alio viro susceptam, vel è contra, levâsse, vel respectivè tenuisse, et ob id dicendum quòd appellatione prolis, non solùm plures filii, sed omnes qui appellatione familiæ comprehenduntur, veniunt, ut probatur in l. *Officiales*, in auth. *Statuimus*, c. de Episc. et Cler., et tam masculi quàm feminæ, l. 1, ff. *solut. Matr.*, l. *Fin.*, c. de bon. Proscrip., et l. 1, *Ne*

rei clem. vel temp.; sicut etiam appellatione progenici comprehenduntur omnes descendentes ex lineâ masculinâ tantùm, l. Fin. et ibi Bald.., c. de Emancip. lib. Et propterea dicitur, *prolem ex alio viro susceptam*, etc., quia proles propriè dicitur, quæ ex nuptiis nata, secundùm Barth. in Rubr., c. de Privil. Donat., in princ.

CAPUT IX.

Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento criminis.

Impedimentum criminis (quod inter cætera, etiam carnalem copulam exposcit) tanquàm impediens, et dirimens matrimonium, ad duos modos, secundùm nostram praxim, reducitur; unum videlicet, ubi adulterium, cum machinatione in mortem alterius conjugis intervenerit; alterum, ubi adulterium secutum est, cum fide datâ de contrahendo post obitum alterius, similiter conjugis absque tamen machinatione mortis alterutrius conjugis, veluti, quando quis, fide datâ de matrimonio contrahendo, adulterium committit; vel de facto, cùm adultera matrimonium contrahit; illius priore conjuge superstite, vel è contra; quia in utroque casu impeditur matrimonium contrahendum, et dirimitur contractum, ita habetur, in c. *Relatum*, 31, q. 1, dùm dicit : *Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quemdam alterius uxorem stupro violâsse, et insuper mœchæ, vivente viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem si supervixisset, duceret uxorem, quod et factum est. Tale ergo connubium prohibemus, et anathematizamus*; ex quibus satis apertè videtur quòd ad hoc impedimentum incurrendum, duo copulativè requiruntur, nempe adulterium, ut etiam habetur in c. fin., § *Cæterùm*, de eo qui duxit in matrim., ac promisso de futuro matrimonio contrahendo; quod notat Glossa in c. *Significâsti*, et Gloss. in c. *Si quis uxore vivente*, in verbo *Cognovit*, eod. tit., ex quo, natura copulæ requirit concursum copulatorum, et utramque partem veram esse, l. *Si hæred.*, ff. de Condit. instit., Glossa et doctores, in c. 2, de Rescript.; Oldrad., cons. 162, col. 1; Bald., cons. 318, in fin., vol. 4; Castrens., cons. 44, col. 2, vol. 1, unde sola fides data, vel tantùm de facto contrahere, non impedit matrimonium uxore defunctâ, nisi ad carnalem copulam sit processum; sicut etiam solum adulterium, non obstat, c. *Significâsti*, de eo qui dux., unde quod dicitur in c. 1 et in c. *Illud verò*, 31, q. 1, nimirùm, nulli licere, ducere eam quam polluit per adulterium ex præmissis juribus, intelligitur, si adulterium conjunctum fuerit, vel cum promissione de contrahendo, vel cum machinatione in mortem conjugis.

Debetque esse fides prædicta de matrimonio contrahendo, post mortem alterius conjugis, ut patet ex dict. cap. *Relatum*, quod quidem impedimentum, optimâ ratione statutum fuisse deprehenditur; quia vivente propriâ conjuge, non debet quis dare fidem alteri mulieri, deducendo eam post mortem uxoris, nam graviter peccat, cum hoc modo, præstet votum captandæ mortis, sicut enim non valet promissio beneficii vacaturi, c. 2, de Concess. præb., ita nec promissio futuri matrimonii carnalis, Abb. in d. c. *Si quis*, n. 2, de eo qui dux.

Insuper, hæc duo, nempe adulterium, et fides data, debent intervenire, constante priori matrimonio, aliàs enim non contrahitur hoc impedimentum, dict. cap. fin., unde ut ait Sanch., lib. 7, disp. 79, num. 5, si copula, aut fides, sive matrimonium de præsenti, de facto initum, præcedant illud matrimonium, aut eo dissoluto per conjugis impedimentum, ut si fides data est vivente conjuge; ac copula post ejus obitum est habita, aut è contra, copula, eo superstite, fides autem, eo mortuo.

Requiritur etiam, quòd supra dicta promissio, sit aliquo exteriori signo expressa, nam, si fiat aliquo actu interno, cum adulterio, non præstat impedimentum; id. Sanch., n. 9. Quòdque sit reciproca, quia non sufficit si alter solus promittat; Henriquez, lib. 12, de Matr., c. 4, n. 3, necnon seriò et ex animo; non autem ficta; aliàs enim non esset promissio; Dian., tract. 4, de Sacr. matr., resol. 198. Quare his non intervenientibus, absque aliquâ dispensatione, poterit legitimè matrimonium contrahi.

Quia verò, primo modo nunquàm datur dispensatio in utroque foro, quando videlicet non modò uterque verùm etiam quando alter tantùm oratorum, in mortem machinatus est, quod etiam servatur in legatorum à latere, ac nuntiorum facultatibus, quibus, postquàm summus Pontifex, concedit quòd cum quibusvis personis tertio et quarto mixtim, etiam multiplicis consanguinitatis vel affinitatis gradibus invicem conjunctis, et quocumque impedimento publicæ honestatis, justitiæ subdit, quòd valeant etiam dispensare cum his qui per adulterium se polluerint; dummodò in mortem defuncti conjugis quidquam machinati non fuerint; propterea aggrediar tantùm praxim quoad posteriorem modum; super quo in dies dispensari videmus; pro quâ dispensatione impetrandâ, ita supplicari consuevit, præposito hoc titulo, *Neutro machinante*, videlicet :

Beatissime Pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius oratorum M. et N. diœcesis N., quòd aliàs constante matrimonio inter ipsam oratricem, et ejus virum prædefunctum, oratores ipsi carnis fragilitate devicti; datâ sibi invicem fide de matrimonio inter se, post obitum oratricis viri præfati, contrahendo, se carnaliter cognoverunt. Postmodùm verò oratricis vir prædictus (neutro tamen eorum in ejus mortem machinante), sicut Domino placuit, ab humanis decessit. Cùm autem, Pater sancte, nisi matrimonium prædictum inter dictos oratores contraheretur, dicta oratrix diffamata et innupta remaneret; graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt oratores prædicti matrimonialiter copulari; sed stante impedimento, etc. *Supplicant igitur humiliter E. S. V.*, etc., *quatenùs, cum eisdem oratoribus, quod impedimento, ex præmissis proveniente hujusmodi, non obstante, matrimonium inter se publicè*, etc., *dispensare. Prolemque conceptam, susceptam post obitum viri prædicti, si qua sit, et suscipiendam exinde*,

legitimam decernendo, dignemini, de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, etc.

Hæc quidem dispensatio in utroque foro conceditur, quando impedimentum hujusmodi est publicum. Si verò fuerit occultum, et oratores publicè tractârunt de matrimonio inter se contrahendo, ad evitanda scandala quæ orirentur, nisi illud contrahatur; recurritur ad officium S. pœnitentiariæ, quæ committit discreto viro confessori per oratores eligendo, quatenùs eos à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas præter præmissa incurrerunt, adulterio et excessibus hujusmodi absolvat; injunctâ inde eis pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, et aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demùm, dummodò impedimentum prædictum occultum sit, et nisi matrimonium contrahatur, pericula immineant scandalorum; aliudque canonicum non obstet, cùm eisdem oratoribus, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contrahere, et in eo postmodùm remanere licitè possint, misericorditer dispenset, prolem suscipiendam (non tamen ex adulterio conceptam) exinde legitimam nuntiando, in foro conscientiæ, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, etc.

Si verò oratores cum prædicto impedimento, antequàm, cum eisdem fuerit dispensatum, jam matrimonium contraxerunt, committitur similiter confessario, qui dictos oratores, dummodò impedimentum prædictum occultum sit, et separatio inter eos fieri non possit absque scandalo; et ex cohabitatione de incontinentiâ probabiliter timendum esse, ei visum fuerit, et absolvat; ac cum eisdem, ut matrimonium inter se de novo, secretè, illis de nullitate prioris consensûs certioratis, etc., dispenset.

Pro hâc nostrâ praxi, sciendum est quòd dùm esset major pœnitentiarius, Julius Antonius, cardinalis Sanctæ Severinæ, facto verbo, cum sum. Pontifice, quid faciendum in pœnitentiariâ, quando supplicatur pro dispensatione in foro conscientiæ, de contrahendo, cum his qui constante matrimonio legitimosè cum adulterio carnaliter cognoverunt, et dederunt fidem ad invicem, et postmodùm in necem viri, vel mulieris conspiraverunt, et effectum consecuti sunt, ipse Pontifex respondit, quòd, re benè examinatâ in signaturâ pœnitentiariæ, si visum fuerit, causas adesse legitimas, concedatur dispensatio in foro conscientiæ; quam quidem facultatem postmodùm Paulus V concessit cardinali Burghesio, etiam majori pœnitentiario, negotio non communicato in prædictâ signaturâ.

In utroque autem foro, si fortè contingat, quòd alter oratorum, sive uterque in mortem suorum conjugum, sive alterutrius ipsorum machinatus fuerit, omni spe obtinendæ dispensationis omninò destitutus remanet; cùm nunquàm visum fuerit ita dispensatum per datariam, quæ ad unguem servat dispositionem textûs in d. cap. *Si quis marito*, 31, q. 1, ubi habetur quòd si fortè vir, aut mulier, virum qui mortuus fuerat occidisse notetur, aut propinquitas, vel alia quælibet actio criminalis impediat, quòd si probatum fuerit, sine ullâ spe conjugii remaneant perpetuò, cùm pœnitentiâ. Nec immemor sum, tempore pontificatûs felicis record. Clementis VIII, quosdam potentissimos oratores supplicasse eidem Clementi pro hujusmodi dispensatione pro utroque foro, super hoc impedimento, altero tantùm machinante; et cùm fuisset sibi prorsùs hæc dispensatio denegata, fuit per oratorem, præsentem in Romanâ Curiâ allegatum exemplum veteris Testamenti, nempe quòd David machinatus fuerit in morte Uriæ et Bethsabeæ uxorem ejus, cùm quâ priùs adulteratus fuerat, in uxorem accepit; at idem Clemens qui prudentiâ, integritate legum et litterarum scientiâ, nulli secundus extitit, præcipuè, cùm Papa, omnia jura in scrinio pectoris habeat, c. 1, de Constit., in 6, cùm in promptu habuisset Glossa in cap. *Si qua mulier*, 31, q. 1, unde desumptum fuit supra dictum exemplum, statim respondit, cum eâdem Glossâ nempe, quòd multa permittebantur in veteri Testamento, causâ infirmitatis, quæ hodiè non permittuntur, sicut libellus repudii olim permittebatur, qui hodiè prohibetur, ut ait Sanch., lib. 7, disp. 78; tunc non erat impedimentum ab Ecclesiâ statutum; sicque nullo modo voluit supra dictam dispensationem concedere; nam ex illius confessione, facillimè præberetur occasio captandæ mortis, cap. *Ne captandæ*, ibi: *Ne captandæ alienæ mortis occasio ex benignitate gratiarum Sedis Apostolicæ tribuatur*, de Præb. in 6, et id. Sanch. dic. disp. 78, n. 1, nil atrocius in conjugio reperitur quàm insidias parari, vel dari ansam parandi vitæ alterius conjugis; cum uterque conjux, arctissimo ac summo amicitiæ vinculo devinciri debeat.

Quare, si causa urgentissima adest, recurrendum erit pro opportuno remedio ad officium ejusdem sacræ pœnitentiariæ, ut dictum est, quæ exempli, gratiâ, pro muliere tantùm machinante, mandabit confessario eligendo, ut eam à supra dictis omnibus, ac adulterio, homicidio et excessibus hujusmodi, absolvat: injuncta inde ei pro modo culpæ, gravi et longâ quæ saltem per annum duret, pœnitentiâ salutari et orationibus; ac pro modo facultatum, eleemosynis, etiam ad celebrandum aliquem numerum missarum pro animâ occisi; necnon frequentia sacramentalis confessionis, singulis scilicet mensibus, ut minimum, semel, vel sæpiùs, prout animæ suæ saluti expedire confessor judicaverit; quodque hæredibus occisi, et aliis, quibus ille, dùm viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciat, et subveniat in eo in quo tenetur; cautè tamen, ne se prodat, et aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demùm, dummodò impedimentum ex præmissis proveniens, occultum sit, et planè ignoretur, quòd mors dicti mariti, inde secuta sit, et separatio inter oratricem, et dictum virum fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentiâ probabiliter timendum esse, eidem confessori videatur, cum eâdem oratrice, ut, dicto viro de nullitate prioris consensûs certiorato; sed ita cautè ut delictum suum prodere non cogatur, matrimonium, cùm eadem et

uterque inter se, de novo, secretè, ad evitanda scandala, contrahere : prolem legitimam decernendo, etc.

Si autem uterque machinatus fuerit, veluti in mortem viri, utrique præscribitur pœnitentia salutaris, veluti, ut singulis sextis feriis per annum jejunent, et pro animâ occisi, per annum, in tribus diebus cujuslibet hebdomadæ orent ; certasque orationes eis à confessario, prout eorum captu præscribendas, genibus flexis recitent, et si facultatem habent, quinquaginta missas, vel alium numerum, juxta hujusmodi facultatem, pro animâ occisi celebrari faciant; injunctâ, etiam frequentiâ sacramentalis confessionis, etc., quodque hæredibus occisi, etc., ut supra.

Quandoque etiam imponitur gravior pœnitentia, juxta qualitatem delicti, imò et denegatur dispensatio per ipsam sacram pœnitentiariam, vel cum maximâ difficultate conceditur, præsertim si oratores veneno machinati sunt in mortem conjugis ; nam tunc discutiuntur causæ in plenâ signaturâ ipsius sacræ pœnitentiariæ ; an illæ, quamvis gravissimæ, debeant admitti, vel ne ; quod credo id procedere ex quo, ut dixit Glossa instit. de Publ. jud., § *Eâdem lege*, in verbo *Venefici*, plus est, hominem veneno occidere, quàm gladio extinguere, per text. in l. 1, c. de Malef. Ratio enim est, quia occidens veneno, proditoriè id agit, ut ille se defendere non possit; quod secùs est in eo, qui gladio occiditur, cùm se tueri possit; unde dixit Bald. in l. *Nemo clericus*, c. de Sum. Trinit. et Fid. cathol., quòd venenans aliquem dicitur ipsum proditoriè occidere, Grammat., cons. 35, num. 2.

Et in quocumque casu machinationis, ad effectum petendi dispensationem prædictam, intelligendum est machinationem intervenisse cum effectu ; quòd si in supplici libello id fuerit omissum, suppletur per officiales ipsius sacræ pœnitentiariæ ; quia licèt conatus, sive attentatio ad delinquendum, debeat puniri, etiam si fuerit secutus effectus, vulg. jur., etc., attamen de generali consuetudine, non punitur affectus, neque conatus, sive attentum, nisi sequatur effectus; Alex., cons. 15, num. 2, lib. 1, et cons. 140., num. 2, lib. 2, et ita in causâ veneni judicatum fuisse, testatur id. Grammat., dec. 2, num. 8, et cons. 92, num. 10, lib. 1.

Si enim machinatio non fuerit suum sortita effectum, volentes contrahere testimonium nullâ indigent super hoc dispensatione, quod patet in dict. c. *Si quis vivente*, ibi : *Nisi fortè vir, aut mulier virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur*, quæ verba sunt intelligenda, cum effectu, c. *Intelligentia*, de Verb. sign. l. 3, § *Hæc verba*, ff. de Neg. gest. ; Marius Antonin., variar. res., lib. 1, resol. 4, n. 9, et tenet Gl. in cap. super hoc, in verbo *Machinata*, ubi dicit hoc intelligi debere cum effectu, aliàs enim non impeditur matrimonium ; quod quidem optimâ ratione statutum fuisse creditur, quia, cùm hoc sit impedimentum juris positivi, non debet ita taxari, ut restringatur facultas contrahendi matrimonium contra dispositionem juris divini, arg. c. *Licèt ex quâdam*, de Test. ; Abb. in c. *Super hoc.*, de eo qui dux.

Nihilque refert ad hoc impedimentum indùcendum an vir in uxoris, vel uxor in viri mortem machinetur ; id. Sanch., lib. 7, disp. 78, num. 8 ; Maiol., de Irregul., l. 3, cap. 25, num. 17, vers. *Idem quoque erit*, et alii, qui indistinctè tenent, hujusmodi impedimentum incurri, quoties alter conjux, in alterius conjugis mortem machinatur ; prout etiam in praxi apud Romanam Curiam servatur in petitione, et concessione dispensationis super hujusmodi impedimento.

Sicut etiam sufficit, ad istud contrahendum, sive consilium, sive mandatum ad cooperandum morti conjugis ; quia attenditur machinatio, qualiscumque illa sit ; Ugol. de Sacram. matrim., c. 19, num. 19 ; Eman. Sâ, in Aphoris. confes. in verbo *Matrimonium*, de Imped. matr., num. 7.

Ratio autem occisionis alterius conjugis cum adulterio, non constituit hoc impedimentum ; nam, licèt illa æquiparetur mandato, c. *Ratihabitionem*, de Regulâ jur. in 6, l. *Ratihabitio*, ff. cod. ; Ludovis., dec. 295, num. 4, quandoquidem consideranda sunt jura, loquentia de hoc impedimento quæ volunt ut nullo modo possint, quoad hoc, convenire, ratihabitio cum machinatione, quæ dicitur occulta insidiatio ; et in casu nostro illa propriè dicitur quando maritus vitæ uxoris insidiatur, et è contra ; quia tunc tantùm dicitur machinari in mortem, d. cap. *Super*. Unde, præmissis cessantibus, liberè remanet facultas contrahendi, absque aliquâ dispensatione.

Quandoque autem contingit virum, vivente priori conjuge, aliud matrimonium, cum aliâ contrahere, de quo habemus integrum titulum de eo qui duxit in matr. et hìc requiritur omninò dispensatio, saltem de stylo Curiæ, cùm uno defuncto conjuge, velint oratores in secundo matrimonio contracto remanere, etiamsi alter contrahentium id impedimentum ignoraret : et hæc servantur in notoriâ praxi, de quâ testatur id. Mar. Antonin. d. lib. 1, res. 112, casu 52, qui in fin. ait ita ex Urbe venisse responsum ; unde defunctâ postmodùm ipsâ priori conjuge, vel è contra, fit recursus ad summum Pontificem, qui non aliter super hoc dispensat, nisi negotio plenè discusso in sacrâ Congregatione sanctæ Inquisitionis ; et tunc dantur litteræ tenoris sequentis, vel aliàs, juxta facti qualitatem.

A tergo : *Dilecto filio Didaco de Roblado, laico Cæsar augustanæ diœcesis.*

Intùs verò :

URBANUS *Papa VIII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti quòd tu aliàs cogitans tunc in humanis agentem, Angelam N. mulierem Viglevanen. diœcesis, uxorem tuam, defunctam esse, matrimonium cum dilectâ in Christo filiâ Josephâ muliere Zamoren., in civitate Salamantin. publicè, servatâ formâ concilii Tridentini contraxisti, illudque in facie Ecclesiæ solemnizâsti, in carnali copulâ consummâsti. Et deinde certioratus, dictam Angelam tunc superstitem esse, in eâdem carnali copulâ perseverâsti. Postmodùm verò, certo nuntio de dictæ Angelæ obitu accepto, sponte te tribunali sancti Officii inquisitionis hæ-*

reticæ pravitatis, in Civitate Neapolitanâ coram ordinario, præsentâsti; et factâ abjuratione de vehementi hæresis suspicione, absolutus fuisti. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, tu de opportunæ dispensationis gratiâ, per nos tibi providere, et aliàs tuo statui consuli summoperè desideres. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi desuper opportunè; ut infra providere, de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, te specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et à quibusvis, etc., *censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium in universâ republicâ christianâ, adversùs hæreticam pravitatem generalium inquisitorum, à Sede Apostolicâ specialiter deputatorum, consilio, tecum, ac Josephâ prædictâ, quod præmissis hujusmodi, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque nequaquàm obstantibus, matrimonium, stante morte dictæ Angelæ (dummodò in ejus necem, nec tu, nec dicta Josepha machinati sitis) inter vos de novo, publicè servatâ formâ dicti concilii, contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, et in eis postmodùm remanere liberè et licitè valeatis, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium, dispensamus. Prolem ex dictâ Josephâ, post obitum prædictæ Angelæ conceptam et susceptam, ac suscipiendam exinde, legitimam nuntiando. Data Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 23 septembris 1636, pontificatûs nostri anno decimo quarto.*

M. A. Maraldus.

At ubi oratores, similem petant dispensationem, nec asserant se alicui tribunali sanctæ inquisitionis spontè præsentâsse; dantur sibi litteræ, ordinario directæ; qui, prævio examine super intentione, et credulitate ac abjuratione de vehementi; impositâ sibi pœnitentiâ salutari, et parito judicato; et dummodò non sint præventi indiciis in aliquo tribunali inquisitionis hæreticæ pravitatis, dispenset.

Pro eo autem qui, vivente uxore, matrimonium cum aliâ quæ prioris matrimonii conscia erat, de facto contraxit et consummavit, mortuâque primâ uxore (neutro tamen in ejus mortem machinante) tam vir quàm mulier petunt absolvi, et secum dispensari, ut in secundo dicto matrimonio remanere possint, cùm casus fuerit occultus, consuevit per officium S. pœnitentiariæ committi discreto viro confessori, quatenùs oratores ipsos à quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, adultero et excessibus hujusmodi absolvat, injunctâ eis pœnitentiâ salutari, et aliis quæ de jure fuerint injungenda; et dummodò præmissa occulta sint, aliudque canonicum non obstet, cum eisdem oratoribus, de nullitate prioris consensûs certioratis, quod præmissis non obstantibus, matrimonium inter se, de novo, secretè, ad evitanda scandala, contrahere valeant, dispenset et hoc modo, plures vidimus concessas, etiam in utroque foro dispensationis, quando casus est publicus.

CAPUT X.

Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento voti.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde. Multòque melius est, non vovere quàm post votum promissa non reddere, ait Ecclesiast. cap. 5. Atverò, ubi justa subest causa, non dedignatur sum. Pontifex votum hujusmodi, dispensando commutare. Antequàm tamen descendamus ad hujusmodi praxim, præmittendum est, quod votum est alicujus boni cum deliberatione facta promissio, vel Deo facta pollicitatio; text. in cap. de Viduis, 27, q. 1, ac propterea est omninò servandum, ut habetur, etiam in Psalm. *Vovete, et reddite*, etc. aliàs enim, melius est non vovere, quàm votum non solvere c. *Scimus*, 12, qu. 1, ubi dicitur, quod qui Domino est pollicitus, fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat. Graviùs enim puniuntur qui votum fecerunt, aut fidem perceperunt, et votum non perfecerunt, etc., aut in malis vitam finierunt, quàm illi qui vitam sine voto finierunt, aut sine fide mortui sunt, et tamen bona egerunt opera.

Ad obligationem autem voti in foro conscientiæ, sufficit sola voluntas, et propositum, sine prolatione verborum; Glossa, in c. *Sufficit*, 37, q. 2, facit text. et Glossa in c. *Litterarum*, de Voto, et Glossa in c. *Neque viduis*, 22, q. 1.

Et appellatione voti, in dubio intelligitur, de simplici, ut in cap. *Rursùs*; ibi, *cùm simplex votum apud Deum non minùs obliget, quàm solemne*, et in c. *Meminimus*, qui cler. vel voven.

Quonam modo illius vinculum tolli possit, dicimus quòd variis modis tollitur; nempe, irritatione, commutatione, redemptione, dispensatione et cessatione; attamen, quoad ea quæ ad nostrum institutum pertinent, hìc videndum est quid sit dispensatio circa votum. Et respondetur, quòd nihil aliud est, nisi subditum à voto in casu, ubi vovendi ratio cessat, eximere; ac ei contra votum vivendi, licentiam tribuere, et secundùm Sot., l. q., ult. art. 3, requiritur spiritualis auctoritas.

In illius verò commutatione, seu dispensatione, requiritur causa; nam aliàs taliter dispensatus non erit tutus quoad Deum, Gloss. in c. *Non est*, de vot. et vot. Redempt. et Glossa, in c. *Quanto*, de Offic. ordin., ait quòd licèt quis absolvatur à juramento per Papam, tamen, nisi subsit justa et vera causa, non erit tutus quoad Deum, facit etiam Glossa in c. *Monachi vagantes*, 17, q. 1.

Quænam autem sint causæ quæ requiruntur ad voti commutationem et dispensationem, satis patebit in decursu hujus praxis; quia, secundùm hodiernum stylum, illius formulas, infra subnectam.

Impedimentum hoc dupliciter contingere potest, uno modo, si fuerit publicum, et tunc egent oratores dispensatione cum commutatione pro utroque foro, quæ per datariam apostolicam, est concedenda.

Altero verò modo, cùm fuerit occultum et tunc

conceditur id per officium S. pœnitentiariæ, in foro conscientiæ tantùm, ut infra dicemus; et cùm frequenter utroque modo concedatur variique sint casus requirentes dispensationem et commutationem, operæ pretium esse duxi eos hìc ordinatâ serie, subjicere.

Sed quia in principio hujus praxis dispensationum matrimonialium, inter cætera impedimenta, tam impedientia, quàm dirimentia, super quibus concedi consuevit dispensatio, adest impedimentum voti, quod tamen ad effectum dirimendi, intelligitur, de solemni, ut aliàs diximus; propterea, cùm super eo non detur dispensatio, nisi eo modo quo per transennam tetigimus; etiam quoad ipsam praxim, tractabimus hìc de commutatione et dispensatione simplicium votorum, quæ tantùm matrimonium contrahendum impediunt: unde in pluribus casibus et ex diversis causis hujusmodi commutationes conceduntur.

Primus modus est, si orator qui vovit castitatem, non valeat stimulis carnis resistere; votumque hujusmodi eum emisisse, sit publicum: ac propterea litteræ debeant in utroque foro expediri, illæ non aliter, quàm sequenti modo concipiuntur, videlicet:

ALEXANDER, *episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. Circumspecta Sedis Apostolicæ benignitas, fidelium quorumlibet statui consulere, et interdùm vota ab eis emissa, in alia pietatis opera commutare consuevit, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Exhibitâ siquidem nobis pro parte dilecti filii N. N. laici Neapolitanæ civitatis vel diœcesis, petitio continebat quòd aliàs dictus N. Deo vovit, se castitatem servaturum. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, dictus N. ita stimulis carnis agitetur, ut continentiam servare posse non speret; ac propterea matrimonium contrahere desideret. Quare pro parte ejusdem N. fuit nobis humiliter supplicatum, ut sibi in præmissis opportunè providere, de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, certam de præmissis notitiam non habentes, ipsumque à quibusvis*, etc., *et absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, per apostolica scripta mandamus, quatenùs constito tibi legitimè de præmissis, votum prædictum dicto N. ad hoc, ut matrimonium semel duntaxat legitimè contrahere possit, in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, semel, vel quoties tibi videbitur, ac in alia pœnitentiæ opera per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua quæ quotidiè facere tenentur, ad eum finem, ut ea adimplens, meminisse semper possit obligationis quâ hujusmodi voto adstringebatur, prout secundùm Deum, ipsius animæ saluti expedire judicaveris, secumque desuper dictum votum, dispensando, dictâ auctoritate, commutes; non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd si dictus N. mulieri, cum quâ contrahet, supervixerit, maneat postea cœlebs, et eodem voto, ut priùs obligatus. Dat. Romæ*, etc.

Petitur etiam in foro conscientiæ tantùm ab eâdem sacrâ Pœnitentiariâ commutatio hæc, quæ confessario committitur, ut si ita, ac oratorem, auditâ illius confessione, stimulus carnis adeò agitatum, ut maximè dubitet continere posse, et propterea de illius incontinentiâ probabiliter timendum esse, per diligentem examinationem, ac post monita, et consilia opportuna illi præstita, idem confessor repererit, eumdem oratorem, quatenùs sibi videatur, à mutatione propositi absolvat, injunctâ pœnitentiâ salutari; sibique votum prædictum, ad hoc, ut matrimonium legitimè contrahere possit, dispensando commutet, in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum singulis, scilicet mensibus, ut minimum, semel, vel quoties confessori prædicto videbitur, et in alia pœnitentiæ opera, per eum injungenda, tamdiù duratura, quamdiù commutationi præfatæ locus erit, inter quæ sint etiam aliqua pietatis, quæ quotidiè facere teneatur, etc. Et cum eodem oratore, ut matrimonium sic contrahere, et in eo postmodùm debitum conjugale exigere, et reddere licitè possit, misericorditer dispenset, etc. Ita quòd si uxori cui conjungetur, supervixerit, castitatem servet, utpote eodem voto obligatus, ut priùs. Quòd si unquàm extra matrimonium fornicatus fuerit, aut matrimonium absque novâ dispensatione contraxerit, intelligat, se contra votum facere; et debitum conjugale exigere, non posse, et ita illum moneat.

Secundus casus, cùm quis vovit religionem, et ob eosdem stimulos carnis, non sperat continenter vivere posse, ad effectum itidem contrahendi matrimonium committitur confessario, eo modo quo supra dictum est, qui inter cætera opera oratori injungenda, injungat etiam aliqua religionis quam ingressurus esset, quæ quotidiè facere teneatur, etc., ad eum finem, etc., ut supra.

Tertius casus, cùm mulier quæ voverat castitatem, sit, verbi gratiâ, orbata patre, habeatque matrem pauperrimam; ac propterea committitur confessario, ut si ita est, ipsaque oratrix habeat matrem, et utraque pauper sit, ex proprio labore victum quærens, eamdem oratricem à mutatione propositi quatenùs sibi videatur, absolvat, etc., addito etiam, ut si viro supervixerit, eodem voto teneatur, ut prius.

Quartus casus, cùm mulier quæ vovit religionem, non habeat dotem sufficientem cum quâ in monasterio recipiatur; tunc enim mandatur confessario, quatenùs, auditâ illius sacramentali confessione si diligenti habitâ perquisitione, invenerit ita esse, dictamque oratricem adeò pauperem, ut eleemosynam, quàm pro ingrediendo religionem non habeat, neque spem esse de proximo, quòd illam honestè acquirere possit, et sine eâ non recipi (si narretur etiam, quòd sit stimulis carnis agitata additur); si in seculo maneat, periculum esse incontinentiæ, eamdem oratricem à mutatione propositi absolvat, ut supra, etc.

Quintus casus, cùm mulier emiserit votum de non nubendo, sitque forsitan juvenis, formosa, parentibus orbata, aut ex aliâ causâ petit illius commutationem.

Sed hìc pro istâ praxi, non incongruum visum est, priùs breviter videre, an votum non contrahendi matrimonium sive perpetuò abstinendi à nuptiis, sit idem quòd votum castitatis, sed hoc satis deprehenditur ex usu et stylo sacræ pœnitentiariæ apostolicæ, licèt enim Cajetan., in opusc. tomi 2, tract. 11, q. 1, quem refert Azor, Instit. moral. lib. 11, cap. 19, vers. 5 *Quæritur* teneat id votum idem esse quòd votum castitatis, adeò ut, sicut solus Papa potest quem solvere à voto castitatis ita etiam à voto non nubendi, cæteri verò scribentes negant, hujusmodi votum esse summo Pontifici reservatum; eâ quidem ratione, quia non est simpliciter votum castitatis; ex quo si quis post votum de non nubendo, peccat cum muliere, non propterea agit contra votum castitatis; non votum emissum est de matrimonio non contrahendo; quare talem voventem potest episcopus ab ipso voto absolvere; hujus sententiæ sunt Sot., 4 distinc., q. 4, ad fin.; Angel. verbo *Votum;* Rosell. verbo *Impedimentum*, 4, n. 1, et cæteri relati per eumdem Azor. loco citato, præsertim Navar., in Man., c. 12, num. 76, qui ibi testatur ita sequi prætorium sacræ pœnitentiariæ apostolicæ, ad quam licèt sæpiùs recurratur pro commutatione hujusmodi voti, tamen declarat ipsà in dictâ commutatione, illud non videri Sedi prædictæ reservatum; tunc enim committitur confessario, quatenùs à mutatione propositi, quatenùs sibi videatur, absolvat injunctâ ei pœnitentiâ salutari; sibique votum prædictum de non nubendo (licèt ex narratis non appareat Sedi Apostolicæ reservatum) in illa pœnitentiæ opera perpetua per ipsum confessorem injungenda, prout secundùm Deum, etc., ut supra.

Sextus casus, cùm vir uxoratus, constante matrimonio castitatem voverit, et ad effectum petendi debitum conjugale, petit sibi votum hujusmodi commutari; nam mandatur confessario, ut auditâ oratoris confessione, si de incontinentiâ ipsius, probabiliter timendum esse repererit, illum à mutatione propositi absolvat, injunctâ ei pœnitentiâ salutari; sibique votum prædictum, ad hoc tantùm, ut à suâ uxore debitum conjugale exigere possit dispensando commutet, opera, tamdiù duratura, quamdiù commutationi præfatæ locus erit; prout secundùm Deum, etc. Et si orator uxori supervixerit, castitatem servet ut priùs.

Septimus casus, cùm quis in juvenili ætate constitutus, voverit castitatem servare, et per aliquod tempus, puta decem annorum, votum servavit, postmodùm verò ob stimulos carnis, diffidat vivere continenter; quia pariter committitur confessario, ut auditâ illius confessione, si de illius incontinentiâ probabiliter timendum, per diligentem ipsius oratoris examinationem; ac post commemoratam ei tot annorum, cum Dei gratiâ victoriam adversùs inimici tentationes, quando ætate et spiritûs viribus imbecillior erat, ac post monita et consilia opportuna illi præstita, invenerit eumdem à mutatione propositi, absolvat, ut supra.

Octavus casus, cùm orator aliàs obtinuerit dispensationem et commutationem voti religionis cum clausulâ: *Dummodò vitam cœlibem ducat;* sed quia continenter vivere non potest, cupit matrimonium contrahere; ac propterea committitur confessario, ut si de ipsius oratoris incontinentiâ probabiliter timendum erit, eidem cœlibatum prædictum, in alia pœnitentiæ opera commutet; ac cum eodem (salvis tamen alioqui cæteris omnibus, quæ illi in commutatione præfatâ injuncta fuerunt) ut matrimonium servatâ formâ concilii Tridentini, legitimè contrahere, et in eo postmodùm remanere valeat, misericorditer dispenset.

Nonus casus, cùm quis voverit ingredi particulare monasterium; sed cùm in eo non potuit recipi, putans se liberatum esse à voto, matrimonium contraxit; unde mandatur confessario, ut si ita est, ac religiosi superiores, ad quos spectabat recipere, oratorem recusaverint, vel admittere noluerint, eumdem, auditâ confessione, voto prædicto satisfecisse, declaret in foro conscientiæ tantùm.

Decimus casus. Datur etiam declaratoria voti, puta religionis, cum commutatione voti castitatis pro oratore, unico filio patris sui, stimulis carnis agitato, qui religionem ingredi vovit, et castitatem servare juravit; sed factâ diligentiâ ob infirmitates, quas patitur, non fuit receptus. Quo casu committitur confessario, ut auditâ oratoris confessione, voto religionis, seu juramento prædicto, satisfecisse, et ad illius observantiam ulteriùs non teneri, nuntiet et declaret. Quo verò ad votum castitatis, si ipsum oratorem talem verè esse, ac juvenem, et stimulis carnis adeò agitatum, ut maximè dubitet continere posse, et propterea de illius incontinentiâ probabiliter timendum esse, etc., ut in priori formulâ voti castitatis.

Undecimus casus. Si orator infirmitatibus oppressus, stimulisque carnis agitatus, petat commutationem voti castitatis, ad effectum contrahendi matrimonium; nam mandatur confessario, ut si ipse orator adeò infirmitatibus et doloribus stimulisque carnis vexetur, ut propterea austeritates religionis ferre non possit, et si in seculo remaneret, periculum sit de illius incontinentiâ, etc., dispenset, ut supra.

Si verò orator post votum castitatis emissum contrahat matrimonium, tunc petenda erit etiam ab eodem officio sacræ pœnitentiariæ, absolutio ab illius transgressione, quæ committi etiam consuevit confessario, quatenùs oratorem ipsum ab hujusmodi transgressione absolvat, injunctâ ei pœnitentiâ salutari, ipsumque, si aliud non obstet canonicum, in dicto matrimonio remanere, et debitum conjugale reddere posse, et debere declaret; et nihilominùs, si de ejus incontinentiâ probabiliter timendum esse sibi visum fuerit, cum eodem ut idem debitum etiam exigere licitè valeat, misericorditer dispenset, etc. Ita, quòd si uxori supervixerit, eodem voto teneatur, ut priùs, et ita illum moneat.

Idemque erit, si oratori, cui in commutatione voti religionis, fuerit injunctus cælibatus, et matrimonium nihilominùs postea contraxit; nam eo modo quo su-

pra dictum est, conceditur sibi absolutio ab hujusmodi transgressione, injuncto etiam, ut si uxori supervixerit, vitam cælibem ducere teneatur.

Quia verò aliæ sunt commutationes votorum, etiam religionis, quæ adhuc frequenter ab ipsâ sacrâ pœnitentiariâ emanant, non incongruum visum fuit hìc, aliquos ex frequentioribus casibus subnectere, quorum, eumdem ordinem prosequendo.

Duodecimus casus. Cùm laicus vovit ingredi religionem, et propter infirmitates quas patitur, non sperat posse sustinere illius onera; unde committitur confessario, quatenùs si ita est, ac oratorem, auditâ priùs illius sacramentali confessione, propter infirmitates hujusmodi, à quibus non sit spes illum de proximo liberatum iri, onera religionis sufferre non posse, repererit, eumdem oratorem à mutatione propositi, absolvat hâc vice, in formâ Ecclesiæ consuetâ; injunctâ ei pœnitentiâ salutari, sibique votum prædictum, dummodò vitam cælibem ducat, in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, ut nimirùm semel, vel quoties sibi videbitur, et in alia pœnitentiæ opera, per eumdem confessorem injungenda, inter quæ sint etiam aliqua religionis, quæ quotidiè facere teneatur; ad eum finem, etc., ut dictum est supra in commutatione voti castitatis, usque ad illa verba, *et non aliter, neque ullo alio modo.*

Decimus tertius casus. Si presbyter, diaconus, vel subdiaconus religionem vovit, fueritque debilis complexionis; ac propterea non potest sustinere onera dictæ religionis; quo casu mandatur confessario, ut si ita est, ac oratorem (auditâ ejus confessione) adeò debilis esse complexionis, ut idcircò religionis onera sufferre non possit, neque spem esse quòd de proximo ita convalescat, ut religioni aptus esse queat, invenerit; eumdem oratorem à mutatione propositi, quatenùs sibi videatur absolvat, injunctâ pœnitentiâ salutari; sibique votum prædictum in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet hebdomadis semel, vel quoties eidem confessori videbitur, et in alia pœnitentiæ opera, ab eo, oratori injungenda, partem videlicet earum pœnitentiarum, quas regulares ordinis quem vovit, vel, si vovit religionem in genere, ingressus fuisset, ex præscripto ipsius ordinis in abstinentiis, vel jejuniis aut interioribus indumentis, subire solent; inter quæ sint etiam aliqua quæ quotidiè facere teneatur ad eum finem, etc.

Potest etiam peti et concedi eodem modo commutatio hæc pro oratore quinquagenario, seu sexagenario, ac valetudinario, ut dictum est supra, pro oratore laico: et quoad ætatem, notandum est quòd consultus felicis record. Gregorius XIII, per D. regentem sacræ pœnitentiariæ, super commutatione voti religionis, ob ætatem quinquaginta annorum, concessit ut illa ætas, etiam sola, absque eo quòd aliàs apponatur clausula quòd non possit sufferre onera ipsius religionis, propter debilem complexionem, sufficiat ad commutationem voti, et ita servatur.

Decimus quartus casus. Cùm quis jam susceperit habitum religionis, ac postmodùm ob supervenientem infirmitatem, et debilem complexionem, illum dimisit, nam etiam tunc committitur confessario, ut si orator neque expressam, neque tacitam professionem emiserit, necnon eumdem adeò debilis complexionis esse, ut propterea religionis onera sufferre non possit; neque de proximo ita convalescat, ut religioni aptus esse queat, repererit, eumdem oratorem à mutatione propositi absolvat, etc.

Decimus quintus casus. Cùm voverit ingredi monasticam religionem, petatque sibi commutari votum, ut aliam religionem ingrediatur; tunc enim conceditur absolutio à mutatione propositi, si sic confessori videbitur, sibique votum prædictum, ad hoc tantùm, ut dictam religionem, puta FF. Prædicatorum, vel aliam, loco alicujus monasticæ, quam vovit, ingredi valeat, commutet.

Cùm verò contingit hæsitari de emissi voti hujusmodi validitate, declaratoriæ litteræ super hoc peti consueverunt, pariter confessario dirigendæ, veluti cùm orator post emissum votum prædictum, sive ante ingressum religionis, sive ante emissam professionem, ob supervenientes infirmitates, de consilio medicorum redditur inhabilis ad onera ipsius religionis; nam eo casu mandatur eidem confessario, ut auditâ confessione ipsum oratorem, voto præfato satisfecisse nuntiet, et declaret in foro conscientiæ tantùm, necnon attentiùs hortetur, ut inclinationem, quam aliàs ad religionem habuit, non contemnat, sed Deum devotè precetur, ut ipsius mentem ad vitæ statum dirigat, in quo meliùs illi servire valeat, et nihilominùs, eam vitæ suæ rationem, per exercitationem operum religionis, instituat, quâ ab ejus proposito non temerè, nec longè recessisse dignoscat, habito desuper doctorum concilio.

Datur adhuc commutatio voti in pœnam, veluti, cùm quis, v. g., à carnali conversatione alicujus mulieris, cupiens abstinere, si ampliùs ad illam carnalem habeat accessum, voverit ingredi religionem; et nihilominùs, postmodùm ad eamdem mulierem, eumdem habuerit accessum. Committitur enim confessario, quatenùs oratorem, à transgressione hujusmodi absolvat, injunctâ ei pœnitentiâ salutari; sibique obligationem intrandi religionem, dummodò vitam cœlibem ducat, in frequentiam sacramentalis confessionis, etc., dispensando commutet, quoad præterita, in foro conscientiæ tantùm, etc. Ita quòd nihil sibi concessum intelligat, quominùs contra votum acturus, et eamdem pœnam incursurus sit, quoties idem admiserit in futurum, si ita se, cùm vovit, obligare intendit: firmo tamen remanente ipso voto, sub eâdem pœnâ.

Quòd si fortè se obligaverit ad pœnam pecuniariam, in casu transgressionis, puta, ultra certam summam, de cætero non ludere, sub pœnâ solvendi pro quâlibet vice, tot ducatos alicui loco pio, ac postmodùm, etiam transgressus sit votum, ludendo; datur modo prædicto, absolutio ab hâc transgressione, firmo remanente voto sub eâdem pœnâ, et idem confessarius

quoad præteritas pœnas, jam incursas, sic moderetur, et reducat, ut pro omnibus (quotquot illæ sint) vicibus quibus contra votum, ludendo venit, loco prædicto, summam tot ducatorum tantùm solvere teneatur; quam, cùm semel, effectu ipso, solverit, pœnis hactenùs, occasione præfatâ, incursis, integrè satisfactum foro decernat in foro conscientiæ tantùm. Per hoc tamen nequaquàm sibi permissum intelligat, usque ad dictam summam, vel aliam, ludere; sed de offensâ quæ Deo inde fit, ipsum moneat, et ab eo talem propositum exigat circa hoc quod ad sanctum pœnitentiæ sacramentum accedendi, convenit.

Quia verò, ut plurimùm contingit, vota ipsa ex legitimâ causâ, non ita commodè adimpleri posse; ac propterea, ne voventes scrupulis agitentur, ipsis consuevit concedi prorogatio ad illa implenda; quæ tamen, absque causâ, nullo modo conceditur; ex quo tenentur cùm primùm poterunt, adimplere, juxta illud Deuteron. 23, ibi, *cùm votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi peccatum;* ac insuper quia melius est viam Domini non agnoscere quàm agnitam deserere, cap. *Ut quidem*, de Apost. Vota enim reddenda sunt cum celeritate, ac cum perfectâ solutione, et cum rectâ discretione, Borgas. de Irregul., p. 6, titulo de Voto, etc., numero 157, ad numerum. 163, qui, numero 166, subdit, quòd vovens religionem, non expresso tempore, debet intrare quàm citiùs commodè poterit; aliàs peccat ex morâ; unde, notoriâ praxi receptum est, ut cùm vovens non valeat votum, intra debitum tempus adimplere, debet per eum, ad illud adimplendum, peti dilatio, quæ sibi, ex sequentibus aliisque similibus causis, conceditur, ut ipsa praxis docet, etc.

Primò, cum vovens habet parentes, filios et filias, aut sorores, vel neptes pauperes, tunc enim sibi conceditur dilatio quæ committitur confessario, ut si re diligenter discussâ, oratoris parentes, aut alios ex supra dictis, in statu necessitatis esse, eisque aliter quàm operâ et auxilio ipsius oratoris, honestè subveniri non posse, repererit; consideratis diligenter quæ circa statum et continentiam oratoris, ipse confessarius viderit consideranda, et circa illa per opportuna monita et consilia, ac aliàs diligenter proviso, ne sub alienæ necessitatis prætextu, in periculo propriæ salutis maneat; eumdem oratorem (si votum emiserit religionis) sic in seculo, durantibus necessitatibus supra dictorum tantùm, remanere posse, declaret: dummodò eisdem cum effectu prosit, et interim vitam cœlibem ducat; ac aliquâ religionis, ab ipso confessore injungenda quotidiè faciat, ad eum finem, ut ea adimplens, meminisse semper possit obligationis, quâ hujusmodi voto adstringitur, prout secundùm Deum, etc. Ipsumque postmodùm, ad ejusdem voti observantiam, necessitatibus supra dictis cessantibus teneri, admoneat.

Secundò, cùm fortè, vovens habeat filiam nubilem, ad effectum illam nubendi, conceditur, ut ille possit in seculo remanere, donec ipsam filiam nuptui tradiderit, dummodò interim vitam cœlibem ducat.

Tertiò, cùm quis voverit castitatem, conceditur, ex simili causâ, sibi dilatio, eo modo quo supra dictum est: et additur, quòd circa votum castitatis, ab eo emissum, nihil sibi commutatum, aut concessum intelligat, etc

Quartò, cùm quis voverit visitare sepulcrum dominicum, et propter bella et tumultus non sperat hujusmodi votum commodè adimplere posse, et tempus intra quod tenebatur adimplere, effluxerit; tunc enim, præter absolutionem ab illius transgressione, conceditur dilatio, quousque tempora quieta fuerint, et cum conditionibus supra enarratis.

Quòd si votum hujusmodi, ob aliquam causam legitimam puta ingravescentem ætatem, adimplere orator nequiverit, datur sibi commutatio, quæ similiter committitur confessario, ut si propter ætatem hujusmodi, ipsum laborem itineris ferre non posse repererit, à negligentiâ, si per illum factum est, ut tamdiù distulerit voto satisfacere, absolvat; injunctâ pœnitentiâ salutari; sibique votum prædictum, in alia pœnitentiæ et pietatis opera commutet.

Quintò, cùm quis, antequàm religionem ingrediatur, cupiat perficere cursum studiorum; nam sibi pariter indulgetur, ut quousque in aliquo collegio vel honesto loco, theologiæ cursum finiverit, dilatio sibi concedatur; dummodò vitam cœlibem ducat, quòdque confessarius teneatur eum admonere ut ille sciat se ad ejusdem voti observantiam teneri, prædicto studio theologiæ finito.

Et sic habes quòd nunquàm denegatur dilatio ad præmissa, si causa legitima intervenerit: sic etiam in quibuscumque casibus, in quibus aliquod infra præstitum tempus commodè fieri non potest, nam illud dicitur fieri non posse quod commodè fieri non potest, vulg. jur.

Quare benè nôrunt curiales quòd in quâcumque præfinitione temporis, sive à jure, sive ab homine, eo elapso prorogari illud consuevit, quatenùs, sicut dictum est, ipsa causa adsit et præcipuè in materiâ voti, in quo semper consideratur an orator habeat causam redimendi, seu commutandi, temporalem vel perpetuam; nam in primo casu datur dilatio, in secundo autem redemptio; quod patet in cap. *Super his*, § *Unde credimus*, eod. tit., et ob id fuerit orator impeditus impedimento temporali, expectandus erit, quousque impedimentum cessaverit: quod quidem vindicat sibi locum, etiamsi per fortuitos casus id acciderit; quia adhuc, cùm poterit, adimplere tenetur; Glossa, in d. cap. *Quod super his.*, in verb. *Dilatio* sicut etiam videmus quòd, cùm quis pro violentâ manuum injectione in clericum, est vinculo excommunicationis adstrictus; ac propterea ad sum. Pontificem se tenetur præsentare; si habet capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita quòd sine periculo apostolico se nequeat conspectui præsentare, licet

diœcesano episcopo, recepto juramento, secundùm morem Ecclesiæ, sibi absolutionis gratiam impartiri; est tamen illi sub juramenti debito, injungendum, ut quàm citiùs opportunitatem habuerit, Romanum Pontif. adeat, mandatum Apostol. suscepturus, ut ait text. in cap. *De cætero*, de Sent. excom., et ita passim practicatur.

Et hìc, circa hanc praxim, obiter nota quòd quotiescumque quis ob violentam manuum injectionem in clericum, vel ob aliud delictum, tenetur accedere ad Urbem, non ita passim eximitur ab hoc accessu, nisi habuerit perpetuum vel temporale impedimentum, ut supra dictum est; pro quo etiam dilatio ad accedendum concedi solet, et juxta stylum, tàm sacræ pœnitentiariæ quàm datariæ apostolicæ, illi regulariter excusantur, qui impedimentis infra scriptis laborant, videlicet:

Primò, quando quis est in periculo mortis, c. *Si quis suadente*; ibi, *Nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentatur, ut ejus mandatum recipiat*, 17, q. 4, quod quidem periculum, non solùm est intelligendum de infirmitate, verùm etiam, cùm fuerit in quocumque periculo morti vicino, veluti, si timeat hostes, prædonem, vel crudelitatem potentis, vel si sit navigaturus, aut aliàs per loca periculosè incedere debeat, vel senio confectus sit; Hostien., in Sum., l. 5, de Sent. excom., § *Super sito*, vers. *Secunda regula*, num. 4. Et si morte præventus, non erit absolutus, si tamèn in eo apparuerint signa contritionis; nec per eum steterit, quominùs absolveretur, poterit absolvi post mortem ab eo tantùm, qui illum poterat absolvere vivum; et propterea, si absolutio fuerit Sedi Apostolicæ reservata, et necessariò debeat recurri ad summum Pontificem, aut illius sacram pœnitentiariam, porrigenda erit supplicatio, quæ (si factum tale sit) contineat omnia quæ ostendant mortuum petiisse absolutionem; unde formabitur ipsa supplicatio, ac porrigenda erit pro parte alicujus consanguinei ipsius defuncti, vel alterius cujusvis, tenoris sequentis, videlicet:

Beatissime pater, exponitur humiliter S. V. pro parte devoti illius oratoris M. diœcesis N., quòd cùm quondam B. ejus filius, ex causâ honoris (vel aliâ causâ) quemdam A. clericum, seu presbyterum interfecisset, ac propterea excommunicationem incurrisset; ut evaderet manus Curiæ, se dedit in fugam; cùmque prædictus B. à nonnullis suis inimicis esset repertus, ab illis occisus fuit; sed cùm sibi priùs mortem imminere cognosceret, singulari studio, ut ei confessor suppeditaretur, petiit; nonnullisque spectantibus, suos omnes excessus, ac præsertim presbytericidium, seu clericidium hujusmodi, detestari, veniamque à Deo desuper precarî cœpit; confessoris tamen copiâ, nondùm habitâ, ex hâc luce migravit; ac propterea, illius corpus extra locum sacrum, sepultum fuit. Cùm autem, Pater Sancte, dictus B., locum multis pœnitentiæ signis, extremum vitæ diem obierit; idcircò dictus orator prædicti filii sui, animæ immensis Ecclesiæ thesauris, subvenire posse, desiderans, supplicat humiliter eidem E. S. V. dictus orator quatenùs ordinario loci, sive ejus vicario, in spiritualibus generali, facultatem prædictam animam à prædicto excommunicationis vinculo, absolvendi; utque præmissis non obstantibus prædicti B. animam per viam, et modum suffragii, ab excommunicationis, aliisque sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, absolvere, et totaliter liberare, dictasque pœnas ei remittere et condonare valeat, concedere, et indulgere dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, etc.

Quam quidem formulam formavi, ex aliquibus verbis contentis in cap. *A nobis*, de Sentent. excom., ubi de hâc materiâ agitur, et fuit in datariâ Apostolicâ approbata et admissa; et absolutio sic obtenta sufficit, et prodest, ut in loco sacro sepeliatur, ac specialiter pro eo oretur, ac missæ et suffragia celebrentur Sayr. de cens., lib. 3, cap. 28, num. 17.

Et in calce prædictæ supplicationis solet quandoque addi per officiales, ut hæredes defuncti satisfaciant in eo, in quo tenentur hæredibus occisi, juxta disposita in d. cap. *A nobis*, § fin., ibi: *Hæredes quoque ipsius ad satisfaciendum pro ipso, et si monitione præmissâ, noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur*; nam clarum est quòd hæredes tenentur ex delicto defuncti; licèt ad eos nihil pervenerit, Glossa in d. cap. *A nobis*, in verbo, *Hæredes*, ubi subdit quòd cùm iste pœnituerit et contritus fuerit, quantùm in se fuit, satisfecit, et per eum non stetit; unde hæredes tenentur satisfacere.

Per ipsam verò sacram pœnitentiariam committi hæc absolutio consuevit alicui confessario, quatenùs, si de ipsius defuncti, dùm viveret, pœnitentiâ, per evidentia signa, constiterit, eidem defuncto absolutionis beneficium ad supra dictum effectum impendat. Ita tamen, ut ejusdem defuncti, sive pater, sive alii consanguinei, arti offensæ, et aliis, quibus pforsan occasione narratorum, defunctus tenebatur, satisfacere omninò teneantur in foro conscientiæ tantùm.

Modus autem impertiendi hujusmodi absolutionem, talis est, videlicet: Si corpus nondùm sepultum fuerit verberetur et absolvatur, ut infra: deinde absolutus in loco sacro sepeliatur. Si sepultum fuerit in loco profano, exhumabitur et eodem modo verberabitur, et post absolutionem, in loco sacro sepeliatur. Si autem commodè exhumari non potest, locus sepulturæ verberetur, et postea absolvatur. Si verò sit in loco sacro sepultus, non exhumabitur, sed verberabitur sepulcrum; et dùm corpus sive sepulcrum sacerdos verberat, dicat antiph.: *Exultabunt Domino ossa humiliata*, Psalm. *Miserere meî Deus*, etc., et deinde absolvatur dicendo: *Auctoritate mihi concessâ, ego te absolvo à vinculo excommunicationis quam incurristi, vel incurrisse declaratus es, propter tale factum, et restituo te communioni fidelium, in nomine Patris*, etc. Deinde dicatur Psalm. *De profundis*, etc.; *Requiem æternam*, etc.; *Kyrie eleyson*, etc.; *Pater noster*, etc.; *A portâ inferi*, etc.; Oremus: *Da, quæsumus, Domine, animæ famuli tui, quam excommunicationis sententia constrinxerat, refrigerii sedem, quietis benti-*

tudinem, et superni luminis claritatem. Per Christum Dominum nostrum. Amen, ut in Rituali Romano., tit. de sacramento Pœnitentiæ.

Secundò, mulieres quæ excusantur, absque aliquâ distinctione, nempe, an sint fortes, debiles; viduæ, maritatæ; divites, pauperes; nam sive leviter, sive mediocriter, seu enormiter percusserint, possunt ab ordinario absolvi, quia cùm tales vagari non debeant; et jura quæ id statuerunt in c. *Mulieres*, c. *Quamvis*, et cap. *Ea noscitur*, de Sent. excom., nullam apposuerunt distinctionem, simpliciter eas à tali accessu eximunt.

Tertiò, cùm quis habeat inimicitias capitales, et ob id non valeat ad Urbem tutò accedere, sine ipsius vitæ periculo, text., in d. c. *De cætero*, ibi : *Si habens capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita quòd sine periculo, apostolico se nequeat conspectui præsentare :* Quod quidem intelligendum est, etiamsi propriâ culpâ contraxerit hujusmodi inimicitias, per text. in l. *Nec timore*, ff. *Quod met. caus.* Id tamen pendet ex arbitrio ordinarii, an scilicet iste possit adire Papam, vel ne, l. *Continuus*, § *Cùm ita*, ff. de Verb. oblig.; id. Sayr., d. cap. 28, num. 19.

Quartò, impuberes, c. 1, ibi : *Non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat*, de Sent. excom., et hoc intelligas, sive ante, sive post pubertatem; nam isti non tenentur Sedem Apostolicam adire, quia beneficium, semel indultum minori; ex quo cœpit habere locum non exstinguitur per supervenientiam majoris ætatis; id. Sayr., num. 20.

Quintò, nobiles nempe ii qui non possunt terras suas, sine maximo periculo relinquere; ac viri delicati, qui labores in itinere sustinere nequeunt; sed circa hoc ad ordinarium videre pertinet an isti sint adeò delicati, ut non possint ad Urbem personaliter accedere.

Sextò, pauperes ac etiam artifices quia ejus arte, iter agendo, uti nequeunt, et non possunt vivere, et tantâ debent paupertate laborare, quòd ad Curiam Romanam ire non possint : quod quidem est allegandum in supplici libello, et postea probandum et verificandum coram ordinario; cui absolutio committitur, Glossa in c. *Ea noscitur*, in verbo *Pauperes*, de Sentent. excom., et infra dicetur. Ratio enim est quia, si verè ita sit pauper, non tenetur mendicare, eundo ad Urbem pro impetrandâ absolutione nisi, forsan iste esset mendicus; quia tunc, etiam mendicando, debet illùc accedere; id. Sayr., num. 23, ubi intelligit, si robustus sit, ad eumdem; et nisi mendicando, sibi et uxori providere debet; et iter agendo, id præstare nequeat. Secùs si poterit ire et nihilominùs mendicando, sibi et suis providere possit, sicut in loco mansionis; quodque totum id, etiam arbitrio judicis committitur.

Septimò, infirmi, valetudinarii, seu quâcumque corporis impotentiâ impediti, sive infirmitas sit incurabilis, sive periculosa, vel longus morbus, vel etiam temporalis, propter quem, ex itinere timeatur acceleratio mortis, text. in cap. *Quòd de his*, eod. tit., ibi : *Aut infirmitate, vel senectute tantâ gravatur, quòd ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat, veniendi.* Et dicendum esse tradunt doctores si non immineat periculum mortis, puta in febre tertianâ, quartanâ vel podagrâ.

Verùm quia impedimentum infirmitatis aliquando computatur inter impedimenta temporalia, propterea consuevit sacra pœnitentiaria addere in litteris absolutionis, quòd si convaluerit, ad Urbem personaliter accedant; ac propterea datur absolutio, cum reincidentiâ in formâ solitâ, secundùm d. Glossam in d. c. *Ea noscitur*, in verbo *Valetudinarii.*

Octavò, senes quamvis sint fortes et robusti ad ambulandum, et licèt ille dicatur senex, qui major est, septuaginta annis, ut habetur in l. 1, c. *Qui ætate*, nihilominùs, quoad casum nostrum, tales dicuntur qui ratione ætatis, judicio ordinarii, non sine illius vitæ discrimine, possunt ad Urbem accedere; quod etiam animadvertere debet, ut quamvis quis fortis et robustus videatur, tamen periculosè accederet ad ipsam Urbem; id. Sayr. num. 25.

Nonò, qui alienæ potestati subsunt, ita ut non sint sui juris, puta servi ac filii familiâs : et quoad servos, ita intelligendum est ut non possint illi evadere hanc pœnam, si illorum domini allegent quòd nolunt carere servis suis propter iter faciendum ad Urbem; quia, ut dicit text. in cap. *Relatum*, de Sentent. excom., eluderetur ita Sedes Apost., ubi Papa mandat ordinario, ut eos venire compellat ad ipsam Sedem, cùm plus sit Deo quàm homini deferendum; nisi hoc fecerunt in fraudem, ut subtrahant se obsequio dominorum, etc.

Decimò, membris debilitati, seu destituti, ut sunt cæci, claudi, et alii, aliis membris impediti, d. cap. *Ea noscitur.*

Undecimò, habentes curam animarum; cùm timeant eas, ob eorum absentiam, damnum notabile accepturas; nisi tamen, idoneum vicarium constituere possint, Navar., in suo Manuali, cap. 27, num. 90.

Duodecimò, qui uxorem et filios ob accessum ad Urbem, in magnâ necessitate relinqueret, id. Navar., ubi supra; quæ quidem impedimenta, adeò sufficientia sunt, et admittuntur, ut illi qui impedimentis hujusmodi laborant, non tenentur, neque alios, neque eorum loco, ad Urbem mittere; quia jus illos ad hoc non obligat, sed solùm præcipit, ut vadant, quatenùs possint; id. Sayr., num. 38.

Nec supradictis, qui hujusmodi laborant impedimentis, erit injungendum, ut, quando poterunt, ad Urbem accedant quia, cùm excusentur ob perpetuum impedimentum, quòd habent, nunquàm possunt ipsam Urbem adire, nam talis injunctio, ut ait id. Sayr. num. 34, esset vana et ridiculosa.

Quandoque ob nimiam à Romanâ Curiâ distantiam, remittitur oratori accessus ad ipsam Curiam tam per officium sacræ pœnitentiariæ quàm per datariam Apostolicam, et sine aliquâ causâ, sed tantùm ob prædictam distantiam, facto tamen verbo cum majori pœnitentiario, vel cum ipso summo Pontifice, quo

casu committitur executori litterarum absolutionis, ut servatis servandis, oratorem absolvat, onusque et periculum personaliter accedendi ad Urbem, in alia pietatis opera, arbitrio suo commutet.

Sanè, quodlibet, ex prædictis impedimentis, erit planè probandum coram ordinario, cui litteræ absolutionis diriguntur; præsertim ab ipsâ sacrâ pœnitentiariâ, ubi in dies recurritur; prout etiam recurrendum est in casibus, in quibus dubitatur, an orator possit absolvi ab episc., sicut ipsa praxis docet ac propterea in ipsis litteris apponitur non solùm clausula, *Si est ita*, verùm etiam, *si tibi videbitur*, vel *quatenùs tibi videbitur;* nam si de allegato impedimento non constaret, nulla erat absolutio, quatenùs ipse orator vigore dictarum litterarum absolveretur; cùm decretum, ex falsâ causâ, sit nullum, l. *Sed et si præses*, c. de Præd. minor.; Alex., cons. 69, num. 3, l. 8.

Impedimenta autem temporalia quæ ad præmissa allegari, et admitti consueverunt; quibus cessantibus, tenentur oratores accedere ad Urbem, hæc sunt in praxi recepta, quæ sequuntur, videlicet:

Primum, quamvis supra dixerimus, perpetuò excusari ab accessu ad Urbem eos qui habent inimicitias capitales; tamen hoc impedimentum, aliquando habetur pro temporali ab ipsâ sacrâ pœnitentiariâ; quæ propterea mandat, oratores ad Urbem accedere, cùm primùm tutò poterunt, ut etiam infra scriptis casibus.

Secundum, cùm orator reperiatur carceribus mancipatus; nam carceres præstant justum impedimentum, Bart., in l. 2, in fin., ff. de Jus vocan., et in l. 2, ff. de Custod. reo.; Alex., post Imol. in l. *Quæsitum*, num. 6, ff. de Re jud. et cons. 84, num. 6, lib. 3, et in proposito intelligas de carceribus ad tempus, non autem perpetuis, quia tunc satis excusatur ab hoc accessu.

Tertium, idem erit si reperiatur cum aliquâ fidejussione, de non discedendo ab aliquo loco, sub aliquâ pœnâ; nec hujusmodi impedimentum affectetur, puta non satisfaciendo cùm possit per alium fidejussorem, quia, cùm id non possit, excusatur, præcedenti diligentiâ circa illius remotionem; Dec., cons. 677, num. 4.

Quartum, cùm ob æstivos calores, non potest accedere ad Urbem, quia, ultra incommoda quæ sentiret, non sine discrimine vitæ, id peragere posset, etiam ob aeris mutationem, aut illius intemperiem, quia ab hujusmodi accessu excusatur, sicut ille qui citatus, non potest ob eamdem causam comparere, Glossa, in c. *communis*, 23 dist.; Bart., in l. *Recusare*, § *Si quis alio*, ff. *Ad Trebell.* Eodem modo pestis præbet desuper justissimam causam; Roman., cons. 63, n. 2; Roland. à Valle, cons. 81, num. 33, lib. 1, et tunc oratori præscribitur tempus ad accedendum ad ipsam Urbem, nempe, ut vadat per totum mensem octobris, quatenùs ob æstivos calores; si verò ob pestem quandò tutò poterit.

Quintum, qui ob aliquam causam exules, seu relati sunt, et neque ad Urbem, neque ad ordinarium, sine aliquo periculo accedere possunt, Cravet. cons. 49, num. 1, doctores, in l. *Interpositas*, c. de Transact.

Aliaque insuper adesse poterunt impedimenta temporalia, quæ facilè possint per Papam, sive illius pœnitentiariam admitti. Et quamvis primodicta impedimenta admittantur regulariter tanquàm perpetua, negari tamen non potest, quin aliquando, aliqua ipsorum militent tanquàm temporalia; prout eidem sacræ pœnitentiariæ visum fuerit; et cùm talia sint, semper datur absolutio, cum reincidentiâ, ut supra dictum est; et in fine dictarum litterarum apponitur hoc decretum *ut si orator satisfacere, cui tenetur, ac sententiæ ordinarii super præmissis latæ, seu ferendæ, parere et ad Urbem, cùm primùm poterit, venire contempserit, in eamdem excommunicationis sententiam relabatur eo ipso.* Supra dicta tamen verba, *cùm primùm poterit ad Urbem veniat*, cessant, ubi impedimenta erunt perpetua, ut ex præmissis patet.

Quando verò propter præmissa, orator tenetur omninò accedere ad Urbem, absque eo quòd illi concedatur dilatio ad accedendum, ait Sayr., d. c. 28, num. 39, quod sufficit ut impedimentum hoc tanto tempore duntaxat duret, quantum est necessarium à discessu loci, in quo est absolvendus, ad appulsum loci in quo manet Papa, vel legatus, ex Navar., d. num. 90; nam etiam legatus à latere absolvit ab excommunicatione, quæ incurritur ob violentam manuum injectionem in aliis casibus reservatis Sedi Apostol.; text. est in c. *Ad eminentiam*, de Sent. excom.; Glossa, in c. *Auctoritate*, § *Inhibemus*, de Privileg., cùm quidem facultatem habet, etiamsi injuria sit atrox et læsio enormis; doctores in d. cap. *Ad eminentiam*, Gamb., de Off. et Pot., leg. 8, tit. de Potest., leg. *In absolvendo ab excommunicatione*, n. 1 et 2, præterquàm in casibus, inibi expressis.

Isti enim, qui non sunt impediti, vel aliquo impedimento temporali cessante, tenentur ad Urbem accedere, non possunt absque causâ differre accessum hujusmodi; nam tenentur, quamprimùm poterunt accedere, aliàs incidunt in eamdem excommunicationem, quod satis docet text. in c. *Eos qui*, de Sentent. excom., in 6, his verbis: *Si cessante postea periculo, vel impedimento hujusmodi, se illi à quo, his cessantibus, absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, mandatum ipsius super illis pro quibus excommunicati fuerint humiliter recepturi, et satisfacturi, prout justitia suadebit, decernimus, nec sic censuras illudant ecclesiasticas, in eamdem sententiam reincidere ipso jure.*

Sicque, cùm isti fuerint in morâ culpabili ad arripiendum hoc iter, incurrunt excommunicationem; Joan. Andr. in Clem. *Si quis suadente*, in Glossâ, verbo *Quàm citò*, ubi dicit, quod excusationes absolvendi, non facilè admittuntur, quia non est ei credendum circa hoc, sed totum id manet in arbitrio judicis, quia aliàs, esset absolutus ex frivolis excusationibus frigoris et caloris, et his similibus, et sic constitutionem eluderet subdens ibi, quod non obstat, quòd de occultate et de animæ periculo quæritur, et sic sibi creden-

dum ; nam id verum est in foro pœnitentiali, et quoad vinculum occultè contrahendum. Unde, ex quo ipse judex scientiam habet de morâ, scire debet eum esse excommunicatum ; sed tamen non denuntiabit, nisi priùs, eo vocato, per conjecturas viderit illum esse morosum, cognitione super hoc summariè præmissâ. Verum est quòd ipse judex constituendo oratori tempus ad accedendum, debet considerare omnes qualitates, et circumstantias circa hoc, quia, cùm tempus hoc non reperiatur in jure præcisè expressum, remittitur ipsius judicis arbitrio juxta vulgatam l. 1, de Jur. delib.; Dec., in c. *Sede*, num. 7, de Rescript., quo casu sufficit ipsi judici, ut talis orator non sit in negligentiâ et fraude, id. Sayr., d. n. 39, in fin.

Nec in proposito, est omittendum circa hanc eamdem praxim, quamvis litteræ hujusmodi absolutionis per S. pœnitentiariam regulariter committantur ordinario oratoris, sive ejus vicario in spiritualibus generali, nihilominùs, si delictum fuerit occultum, consuescere illas committi discreto viro confessori, etc., qui eum absolvat, additâ clausulâ, *Quòd si detegi contigerit ipsum oratorem, præmissa commisisse ; ac ipse, sententiæ, sive ordinationi ordinarii præmissis latæ, seu ferendæ, parere contempserit ; in dictam excommunicationis sententiam relabatur eo ipso.*

Quòd si aliquando contingat delictum esse publicum, oratorem verò ob aliquam ex supra dictis causis, non posse, neque ad Urbem, neque ad suum ordinarium accedere, ne diù excommunicatus remaneat, dirigi consueverunt nihilominùs litteræ hujusmodi etiam proprio ordinario, seu ejus vicario, in cujus diœcesi ipse orator deliquit, ut sibi visum fuerit, per se, seu per unum confessorem ad sacramentales confessiones audiendas approbatum, ab eo ad hoc specialiter deputandum, auditâ tamen per ipsum oratoris sacramentali confessione, quatenùs postquàm dicto clerico, si nondùm satisfecit in eo in quo tenetur, satisfecerit, vel per eum non steterit, quominùs arbitrio ipsius ordinarii satisfaciat competenter, ipsum oratorem absolvat : cùm hoc, ut ad Urbem accedat, cum solitâ reincidentiâ, etc. Si verò delictum erit publicum, et nihilominùs orator ob aliquod legitimum impedimentum aut legitimam causam, non possit similiter, ut supra, accedere, tunc consuevit ex gratiâ committi similiter confessario, per ipsum oratorem, ubique locorum eligendo, quatenùs ipsum, postquàm clerico, seu (si presbyterum occidit) Ecclesiæ, si quâ dictus presbyter intitulatus erat, vel pro illâ loci ordinario, ac etiam hæredibus dicti presbyteri, si nondùm satisfecit, satisfecerit, vel per eum non steterit, quominùs arbitrio ejusdem confessoris satisfaciat competenter, eum absolvat juxta formam litterarum absolutionis à presbytercidio supra positam ; quæ quidem absolutio datur etiam cum reincidentiâ, nempe, ut nisi satisfecerit, nec ut supra, accesserit ad Urbem quàm primùm tutò poterit, in eamdem excommunicationis sententiam relabatur eo ipso : et in fine additur, ut orator in loco ubi ejus delictum est notum, non habeat se publicè pro absoluto. Hæc autem obiter circa id dixisse sufficit.

Sed redeundo unde digressi sumus, sicut jam supra egimus de commutatione votorum ejusque praxi, non incongruum penitùs erit videre numquid sicut summus Pontifex dispensat super votis prædictis, dispensare possit super voto continentiæ, sacris ordinibus annexo, et cum effectu detur dispensatio ? Et quamvis non desint, qui teneant cœlibatum sacro ordini jure divino adjunctum fuisse ; ac propterea potestate humanâ, etiam papali, non posse dispensari, attamen contraria opinio verior est, cùm ex solo præcepto Ecclesiæ sit dictis sacris ordinibus annexa continentia, per plures auctores, quos ad id congerit Barbos., de Potest. episc., alleg. 15, num. 3, qui num. 20, ait Papam dispensare posse, ut promoti ad ordines sacros, matrimonium contrahant ; sicut etiam dispensare potest cum religioso professo vel moniali, super voto castitatis et continentiæ, ut matrimonium contrahant. Nec in contrarium circa hoc adduci potest text. in c. *Cùm ad monasterium*, de Stat. regular., per ea verba, videlicet *quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeò est annexa monachali, ut contra eam, nec summus Pontifex possit licentiam indulgere ;* quandoquidem supra dicta verba, accipienda sunt in sensu composito, id est, ut cum monacho non possit Papa dispensare in votis castitatis et paupertatis : quia sunt de essentiâ religionis, non tamen negat quin possit cum eo dispensare in sensu diviso, nimirùm faciendo de monacho non monachum et extrahendo eum à religione ; Garc., de Benef., p. 7, cap. 11, n. 93, et pluribus auctoribus, per eum ibi allegatis.

Nec pro hujusmodi dispensatione desunt exempla. Legimus enim, per Cœlestinum III dispensatum fuisse cum Ramiro rege Aragonum, ut, relictis religione et episcopatu, regnum susciperet, et uxorem duceret ; ac cum Constantiâ filiâ Rogerii regis, ut, religione desertâ, nuberet Henrico VI, Federici imperatoris filio, necnon Alexandrum VI dispensâsse cum Cæsare diacono cardinali, ut uxorem duceret filiam ducis Valentini, ut referunt plures auctores relati per d. Barbos. d. alleg., num. 24. Legitur etiam Alexandrum III dispensâsse cum quodam monacho ordinis S. Benedicti Nigrorum, in monasterio S. Nicolai de Littore, Venetiis, de domo Justinianâ, qui in eâ solus erat, ac cum ipso Papa dispensavit, ut duceret uxorem, prolemque susciperet, quâ postmodùm susceptâ, reverteretur ad monasterium ; qui genuit septem filios utriusque sexûs, ac demùm factus senex, rediit ad monasterium, illiusque uxor monialis effecta est, ut legitur in vitâ B. Laurentii Justiniani, olim patriarchæ Veneti, et refert Burgas. de Irregul., part. 6, tit. de Spons. et Matr., num. 63, vers. *Septima, qui post majus.* Necnon Gregorium XIII dispensâsse cum fratre bonæ mem. cardinalis Joyosæ Galli, sacerdote professo, et provinciali ordinis Capucinorum, refert Bartol. à Sancto Fausto, in Thesauro religiosorum, lib. 3, q. 36, à num. 8, relatus ab eodem Barbos. in addit. ad alleg. 15, d. num. 24.

Ex quibus, sic in praxim deductis, jam satis constat Papam posse super quolibet voto continentiæ, etiam

solet dizato, dispensare, imò etiam sine causâ, ut tenet Hostiens in Sum. de Voto, § *Qualiter*, circa finem, ac etiam in tit. *Qui cler. vel voven.*, § *Si quis vovens*, vers. *Si quis*, et non modò videtur ipsum summum Pontificem id facere posse de plenitudine potestatis, verùm etiam ex merâ suâ ordinariâ potestate, etiam sine magnâ causâ dispensare, quòd sacerdos et monachus possint contrahere matrimonium. Ratio autem est quia contra ipsos nulla prohibitio de jure divino reperitur, sed tantùm id ex constitutione canonicâ tantummodò vetitum est, quo fit ut si constitutio Ecclesiæ non obstaret, vel ea non emanâsset, teneret profectò matrimonium per sacerdotem vel monachum contractum, quod etiam not. id. Hostiens. et Abb. in c. *Rursùs*, qui cler. vel vov., et in cap. *Meminimus*, eod. tit., ut per d. Borgas. num. 10 et 11, ubi subdit quòd sicut Ecclesia suâ voluntate statuit quòd tales non possint contrahere, et si contrahunt, non valeat matrimonium, ita per contrariam voluntatem posset statuere quòd de cætero matrimonia per tales contracta valeant. Unde ex præmissis potest Papa statuere quòd omnes presbyteri, monachi et moniales possent contrahere, ut not. id. Hostiens. et Joan. Andr. in cap. *Eum ad monasterium*, de Stat. regul.

Istæ tamen dispensationes hodiè non ita passim conceduntur; nam licèt ejus sit revocare cujus est condere, l. ult. c. de Legib., nihilominùs, cùm Ecclesia ex magnâ causâ id prohibuerit, ita ex magnâ causâ debet posse revocare, id. Borgas., d. num. 11, et per text. in l. *Nil est tam naturale*, ff. de Reg. jur.

Sed numquid tales, cum quibus dispensatur ad matrimonium contrahendum, teneantur nihilominùs ad horas canonicas recitandas? Sanch., l. 8, disp. 34, num. 11, ait teneri, donec matrimonium contrahant, et dùm habitum non mutant, ad utendum hâc dispensatione; secùs autem ubi secularem habitum assumant, et utantur hâc dispensatione ad transeundum ad nuptias; alia circa hoc videre poteris apud eumdem Sanch., loc. cit.

Hìc verò non omninò superfluum existimavimus, circa ea quæ ad praxim exequendi litteras hujusmodi commutationis pertinent, illarum clausulas saltem summatìm hìc explanare. Et

Primò est notandum, secundùm ordinem earumdem litterarum, quòd confessarius cui litteræ per ipsam sacram pœnitentiariam diriguntur, cum clausulâ : *Auditâ priùs oratoris sacramentali confessione*, non potest excedere formam hujusmodi commissionis; sed confessio ista debet omninò præmitti, quod elicitur ex iis quæ dicit etiam Sanch., lib. 8, disp. 34, n. 29, ubi ait quòd si Pontifex committens has dispensationes, vult præmittendam esse necessariò prædictam sacramentalem confessionem, id claris verbis explicabit; aliàs enim concedi aliquid pro solo foro conscientiæ, non est restringere ut intra confessionem exerceantur, et allegat ibi Emman. Sâ, in Summâ, verb. *Excommunicatio*, num. 1, dicentem facultatem habentem absolvendi vel dispensandi in foro interiori, posse id extra confessi nem exequi, prout etiam nititur rationi concil. Trid., sess. 24, c. 6 de Reform., ubi episcopis conceditur ut possint absolvere in foro conscientiæ à quibuscumque casibus occultis; et tamen praxis habet ut extra confessionem absolvant.

Id enim locum habere poterat tempore quo ipse Sanch. hæc scribebat; tunc enim non adjiciebatur in his et similibus litteris supradicta clausula : *Auditâ sacramentali confessione*; prout patet ex duabus similibus formulis, quas subjicit ipse d. disp. 34, num. 1 et 2, quæ tamen cœpit adjici tempore felic. record. Pauli V, me ejusdem sacræ pœnitentiaræ prætorio inserviente; quare hodiè non potest id in dubium revocari, attento hodierno ipsius S. pœnitentiariæ stylo, omnibus noto.

Licèt aliud quandoque ea servet, quando videlicet hujusmodi litteræ ad instantiam ipsius oratoris committuntur, non ipsi confessario, sed proprio ordinario; tunc enim sine dictâ clausulâ ipsæ litteræ expediuntur. Quare in proposito, confessarius nullam haberet jurisdictionem, non præmissâ sacramentali confessione, cùm dicta clausula : *Auditâ*, etc., ponatur in ablativo absoluto, qui in commissione tribuit jurisdictionem sub conditione, leg. à testatore, ff. de Condit. et Demonstr., ac proinde benè quidem dicit id. Sanch. d. n. 29, quòd stantibus supradictis duabus formulis, et antiquo stylo sacr. pœnitentiariæ, licèt dicta verba importarent absolutionem sacramentalem, non tamen probantur per modum conditionis, ut ex illarum tenore constat.

Secundò, quòd cùm pro hujusmodi voti commutationis causâ, allegetur incontinentia oratoris, ob stimulos carnis quos ille sentit, notandum est non sufficere quascumque carnis tentationes, neque quodcumque periculum lapsûs in eas, ut causa hæc verificetur; prout neque sufficit timor unius vel alterius lapsûs, sed exigitur maximum periculum frequentis lapsûs, id. Sanch. disp. 34, n. 19, ubi ait quòd illa verba, *continenter vivere posse non sperat*, important habitum vivendi incontinenter, ac proinde periculum unius vel alterius lapsûs, non præbet justam dispensandi causam in hujusmodi votis; licèt aliàs dici posset quod ad sic dispensandum regulariter pro causâ sufficiat quando vovens versatur in periculo transgrediendi votum, si periculum illud oriatur ex ipsius voventis statu, ex quo difficillimum sit in tali statu servare hujusmodi votum, id. Sanch., disp. 20, n. 17.

Tertiò, quòd confessarius tenetur indagare verificationem causæ, secundùm formam in litteris hujusmodi commutationis sibi traditam, ibi : *Si ita esse, ac per diligentem examinationem, ac post monita, et consilia opportuna*, etc.; verum est quidem quòd per ipsam clausulam : *Si est ita*, inducuntur conditio et causa finalis, Marches., de Commiss., p. 1, num. 11, fol. mihi 304; attamen cætera verba quæ sequuntur, videlicet : *Ac per diligentem examinationem, post monita*, etc., ut ait id. Sanch. d. disput. 34, num. 27, non important formam, adeò, ut, eâ non servatâ,

corruat actus, nimirùm, ut orator frustretur valore et effectu sibi concessæ dispensationis, juxta ea quæ tradit Philos. in 7 Metaph., et text. in l. *Stipulatio*, § *Opus*, de nov. Oper. nunc., l. *Mulieris*, § 1, ff. de verb. Signif.; sed apposita sunt circa accessoria et accidentalia; nec ipsius commutationis sive dispensationis gratiam respiciunt : quare habemus quòd formâ mutatâ in accidentalibus seu accessoriis non mutatur seu perit substantia gratiæ; sicut etiam dicimus quòd modus adjectus servituti eam non mutat seu destruit, l. *Si fundus*, § *Si res*, ff. de Pignor.; unde optimè docet id. Sanch, loco cit., per jura ibi per eum allegata, quòd supradicta verba sonant non in conditionem aut formam, sed instructionem confessarii, qualiter se debeat habere, ut de veritate certior fiat, et ita, me præsente, respondit, de hâc re consultus bonæ mem. Benedictus Justinianus è societate Jesu, sacræ pœnitentiariæ apostolicæ consultor theologus, et rector pœnitentiariæ S. Petri de Urbe, cùm monita et consilia opportuna, ut in dictis litteris exprimitur, tanquàm præparatoria et præludia apponantur; quapropter omninò dicendum est illa non inducere formam aut conditionem.

Quartò, eidem confessario committitur, quatenùs oratorem à mutatione propositi absolvat. Hic quærit id. Sanch., dict. disput. 34, num. 28, quænam sit ista absolutio à mutatione propositi, et qualis pœnitentia veniat propterea injungenda; ex quo, cùm propositi mutatio, ex justâ causâ facta, procurando dispensationem, omni culpâ vacet, nulla absolutio seu pœnitentia est necessaria; resp. tamen num. 29 ita committi, si fortè ea culpa fuit, transgrediente, vovente promissionem. Et si quæras ad quid commissio hæc, resp. quia fortè voti transgressio poterat esse reservata in eâ diœcesi.

Quintò, quòd idem confessarius votum hujusmodi commutet in frequentiam sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, semel vel quoties eidem confessario videbitur; quomodò autem id intelligatur, vide eumdem Sanch. d. disput. 34, num. 32, cum pluribus seqq.

Sextò, adjicitur clausula quòd si orator uxori, cui, virtute hujus commutationis, conjungetur, supervixerit, eodem voto teneatur, ut priùs, et si matrimonium absque novâ dispensatione contraxerit, sciat se contra votum egisse. Per hæc quidem verba clarius declaratur, oratorem ipsum, ex vi hujus dispensationis, non posse nisi semel uxorem ducere, quæ quidem clausula, licèt non fuisset hìc apposita, nihilominùs subintelligeretur, quia secundùm jura satis vulgata, dispensatio hæc, ob illius naturam, intelligitur de primâ vice tantùm, et non aliàs, arg. text. in c. *Cùm olim*, de Off. deleg., c. *Susceptum*, de Rescrip., in 6, c. *Quanvis*, l. 1, et ç. *Cui non sacerdotali*, de Præb., eod. l. 6, et sic concessa super uno matrimonio, et non trahitur ad aliud c. fin. 33, q. 2, et c. *Si autem*, et ibi glos. 36, q. 2, eo modo quo dicimus de dispensato ad beneficium ecclesiasticum obtinendum, Tiraquell. in l. *Boves*, § *Hoc sermone*, num. 36, de verb. Sign., ubi plura in proposito, more suo, congerit.

Porrò ista observantia adeò viget, ut etiam in petitione commutationis votorum castitatis et religionis insimul, semper adjiciatur quòd commutatio quoad votum castitatis, sit tantùm ad effectum, ut orator matrimonium legitimè contrahere, etc.; et si uxori cui conjungetur supervixerit, castitatem servet, utpote eodem voto, ut priùs, obligatus, etc., eo modo quo dictum est in formulâ commutationis voti castitatis. Itaque nullus remanet ambigendi locus, an scilicet priori matrimonio, vigore hujus dispensationis, soluto, aliud possit orator contrahere, sicut fortè dubitaretur, quando supradicta verba non essent in ipsâ dispensatione adjecta, sed simpliciter fuisset dispensatum, ut orator possit matrimonium contrahere, tali voto non obstante, prout apparet ex quibusdam antiquis formulis, et tenet id. Sanch. d. l. 8, disp. 31, per tot.

Et quidem ista praxis, juxta præmissa, nos errare non sinit. Ita enim se habet ut, cùm dispensatur in voto castitatis, qui ob stimulos carnis vivere diffidit continenter, proinde in litteris suæ commutationis adjiciatur dicta clausula, scilicet quòd si supervixerit uxori cui conjungetur, non possit aliud inire matrimonium; si nihilominùs, ipsâ priori conjuge jam defunctâ, adhuc durat eadem causa incontinentiæ, fit ab eo de novo recursus ad eamdem sacram pœnitentiariam, quatenùs secum dispenset ad matrimonium secundò contrahendum; et in his posterioribus litteris hæc additur clausula, scilicet : *Salvis tamen alioqui cæteris omnibus, quæ illi in priori commutatione injuncta fuerunt;* nimirùm ut, secundo matrimonio soluto, non possit tertium contrahere. Unde, stante hâc praxi, quæ denotat observantiam prioris commutationis hujusmodi voti, non potest aliquo modo in dubium revocari an prior ipsa commutatio intelligatur quoad unum matrimonium tantummodò contrahendum, vel ne.

Benè tamen annotare non displicuit quòd tàm dataria quàm pœnitentiaria apostolica in his et similibus votorum commutationibus semper dispensat, ut matrimonium orator sive oratrix legitimè contrahere possit; quare per illam dictionem, *legitimè*, non autem ex aliquâ causâ, nullo : dispositio enim loquens de actu, intelligitur de primo, qui valuit, per text. in l. *Qui per salutem*, ff. de Jurejur., et text. in l. *Hæc conditio*, in princ., ff. de Cond. et Demonstr., ubi hæc apponitur conditio, scilicet, *cùm nupserit*, quæ proinde non adimpletur, nuptiis inutilibus contractis, Tiraquell. in l. *Boves*, limit. 1, per tot., et idem tenet et docet id. Sanch., d. lib. 8 Disp., n. 3, ubi ait quòd, quamvis expressis verbis restringatur ad unum tantùm matrimonium dispensatio hæc, intelligendum est, dummodò illud sit validum; aliàs enim non extinguitur ista dispensatio in matrimonio nulliter contracto; ex quo illa debet intelligi cum effectu; quinimò, quod majus est, neque dispensatio hujusmodi evanesceret primo matrimonio valido dissoluto, ante illius consummationem, puta ob mortem aut professionem alte-

rius conjugis, aut etiam Pontificis dispensationem cùm tali casu matrimonium non dicitur perfectè contractum, nisi consummetur carnali copulâ : hoc enim jam patet ex litteris hujusmodi commutationis, in quibus illa non conceditur simpliciter, et tantummodò ad effectum contrahendi matrimonium ; sed ulteriùs in illis proceditur, præsertim secundùm stylum sacræ pœnitentiariæ ; in quibus dicitur quòd confessarius, ipsum votum dispensando, commutet, non modò ut matrimonium ipsum contrahere licitè, verùm etiam ut in eo postmodùm debitum conjugale exigere et reddere possit ; idemque docet etiam ipse Sanch., loc. cit., n. 5, ubi ait quòd si matrimonium non est carnali copulâ consummatum, dispensatio non est sortita suum effectum ; ex quo sola matrimonii consummatio repugnat voto.

Quare, ex ante dictis, si matrimonium fuerit nulliter contractum, quia nimirùm, contra formam concilii Tridentini, aliorumque sacrorum canonum, poterit denuò contrahi, adhibitis solemnitatibus de jure requisitis ; quia licèt omissio formæ reddat actum nullum, tamen iteratò fieri potest cum observatione debitæ formæ ; id. Tiraquell. d. limit. 1, num. 1, ubi ait intelligendam esse d. l. *Boves*, § *Hoc sermone*, quando primus actus est validus ; quam quidem limitationem ita ille declarat num. 29, nisi, si quis primum actum inutilem, prohibitum scienter fecerit, tunc etenim non poterit postmodùm ad suî commodum alium actum utilem facere ; et similes casus, etiam in materiâ nostrâ non semel evenisse audivimus ; pro cujus rei confirmatione expressus est text. in l. *Hæc conditio*, § de Condit. et Demonstr., ubi, si quis illicitas scienter contraxerit nuptias, non juvatur per alias nuptias ; idem docet Sanch. d. disp. 31, num. 4, ubi ait, quod ne ex fraude suâ commodum reportet, dispensatio extinguitur in primo actu, licèt invalido, quia fraus nemini patrocinari debet, c. *Super litteris*, de Rescript., c. *In nostrâ*, de Sepult., c. *Avaritiæ*, de Elect. in 6 ; Mandos., reg. 19, q. 8, num. 3.

Recensuimus hactenùs nonnullos casus, quorum expeditiones in Romanâ Curiâ, cùm sunt penitùs occulti, ad sacram pœnitentiariam apostolicam, pro foro conscientiæ, spectant : de cujus sacro prætorio, potiùs divinitùs, quàm humanitùs instituto, sicut Urbs ipsa, totusque testatur orbis, necnon de ejus officialium fide, singularique probitate, locus quidem esset, multa proferre, nisi laudum ejus fulgore deterreret, supervacuisque industriis laboraret, qui solem facibus illustrare conatur, Arg. l. 1, ff. de Dot. preleg. ; ea namque in omnes charitate pietateque flagrat, ut ipsius pietatis, charitatisque sinus valeat jure optimo nuncupari, hoc præsertim tempore, quo major est pœnitentiarius eminentissimus et reverendissimus, D. Frater Antonius, tituli S. Honuphrii cardinalis Barberinus, ejusdemque sacræ pœnitentiariæ regens illustrissimus, et reverendissimus D. Joannes Baptista Coccinus, S. Rotæ Romanæ decanus ; vir quidem à Deo ad præcipuè munus obeundum missus ; quippè, um doctrinæ claritate. morumque integritate. tum fidei justitiæque zelo, cæterisque animi dotibus plurimùm pollet. Ibi potissimùm litteræ, nullâ prorsùs ab oratoribus solutâ mercede, celeri expeditione, gratis quoad omnia traduntur, geminatâ illius sigillatoris inscriptione vallatæ, intùs scilicet et extra, his verbis : *Gratis ubique*, prout hæc, aliaque permulta in illius officio servantur, etiam ad præscriptum constitutionis fel. recor. Pii V, super ordinatione novi statûs ejusdem sacr. pœnitentiariæ, quæ cùm non sit omnibus nota, hìc in gratiam saltem curialium inseritur, quæ est tenoris sequentis, videlicet :

Pius *episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. In omnibus rebus humanis nihil tam perfectè institui, nihil ullis legibus sanctionibusque tam diligenter muniri potest, quin lubrica et præceps malorumque omnium effectrix cupiditas, novis quotidiè artibus pervertere atque corrumpere moliatur. Quocirca omnes ad hujus præcelsæ dignitatis fastigium evecti, perpetuâ quâdam necessitate coguntur, nusquàm oculos à commisso sibi grege avertere, sed continenter vigiles circumferre, ut quandocumque usus poscit, novis modo legibus ferendis, modo veteribus corrigendis, vel ad usum revocandis, ea quæ paulatim depravata sunt, in melius reformentur. Quod quidem nos jam inde ab ipso pontificatûs nostri principio, et libenter fecimus, et quantùm in nobis est, illud idem statutum urgere et prosequi, annuente Deo, conanur ; neque quicquam nobis est, vel præclarius, vel optabilius, quàm ut collapsos à vetere disciplinâ mores ad pristinam suam integritatem denuò erectos, in agro Domini à pravarum consuetudinum absentibus omnia diligenter perpurgata videamus. Sed ne, dùm ea, quæ ad communem totius corporis salutem pertinent, tantoperè procurantur, quisquam nos accuset quod eam partem, quæ nobis proxima est, negligamus, neque illius ulceribus necessarium salutis remedium applicemus, divino auxilio freti curiæ nostræ universæ reformationem jam dudùm oculis nostris obversantem aggredi decrevimus, pro quâ etsi antehàc nonnulli prædecessores nostri multa sanctè et salutariter ordinârunt, hominum tamen fragilitate, non ita multò post, aut neglecta, aut corrupta sunt, aliis atque aliis aliena suo sibi officio usurpantibus, et dictæ curiæ expeditiones invicem confundentibus, quarum singulis sagax illa vetustas proprium et distinctum, pro cujusque diversitate, et materiæ genere, officium tanto studio assignavit. Undè nos opere pretium fore arbitrati, illud in primis conari, ut quod cuique ordini, quod cuique officio congruit, ad illud idem revocetur ; demùm sapienter providere, et providenter statuere, per quos viros, quibusque modis curiæ prædictæ negotia prc rerum, temporum et locorum qualitate deinceps dirigantur ; at quia cæteris omnibus illa anteponere necesse est ex quibus pendere dignoscitur periculum animarum, nos hujusce reformationis exordium à pœnitentiariæ nostræ officio capere instituimus, ejusque rei causâ omnem auctoritatem ordinariam et delegatam, omniaque privilegia, facultates, et indulta ideò duximus revocanda, ut habita de ministrorum qualitate, numero, funtionibus, et officiis ratione explicatâ, novam futuris formam*

de integro præscribere valeamus, quâ ipsum pœnitentiariæ officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis officiis magis conveniunt, exoneratum atque expeditum, dehinc ea quæ animarum salutem præcipuè concernunt, attentiore studio prosequantur.

Primum igitur omnium de hujusmodi officio, ministris, et functionibus rationem prodere volentes, de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia, et singula, loca, seu officia referendariorum, correctorum et revisoris, necnon functiones et exercitia Scriptorum, qui viginti septem, et procuratorum, qui viginti quatuor sunt, quorumque procuratorum octo officia ad dispositionem pro tempore existentis majoris pœnitentiarii pertinere noscuntur, in eodem pœnitentiariæ officio perpetuò supprimimus, et abolemus, eorumque scriptorum et procuratorum rationem aliorsùm habituri, illos omnes jam nunc ab ipso pœnitentiariæ officio amovemus; ac dictum officium dehinc majore pœnitentiario, regente, datario, uno correctore, uno magistro in theologiâ, uno doctore in decretis, duobus procuratoribus, duobus scriptoribus, et uno sigillatore (quos pro futuris rebus, et negotiis illius satis esse duximus) perpetuò constare volumus : horumque omnium officiorum in ipso pœnitentiariæ officio constitutorum venditionem, aut quamvis aliam ad voluntatem tacitam, vel expressam ea dimittentium dispositionem, expressè prohibemus, sed illa omnia probis et peritis, gratis omninò, et sine aliquâ dimittentium, aut aliorum quorumcumque acceptione concedantur; quòd si secùs factum fuerit, quæcumque concessiones de illis pro tempore factæ, nullius sint roboris, vel momenti.

Prætereu statuimus et ordinamus, ut deinceps in perpetuum, major pœnitentiarius officium suum per se ipsum exerceat qui sit presbyter, magister in theologiâ, seu decretorum doctor, et causâ legitimâ à Romano pontifice admissâ, absens, seu impeditus fuerit, unum alium ex S. R. E cardinalibus prædictis qualitatibus insignitum, sibi propœnitentiarium subroget, qui interim hoc munus etiam per se ipsum prosequatur, litterasque non pœnitentiarii delegantis, sed suo proprio nomine jubeat expediri.

Similiter regens, datarius, magister in theologiâ, et decretorum doctor viri eximiâ doctrinâ præstantes, casuumque conscientiæ periti. Item corrector in decretis, stylo, cæterisque pœnitentiariæ rebus diligenter versatus, et instructus. Ac etiam sigillator probatæ vitæ, et uti id munus postulat, omnium officii expeditionum peritus. Qui omnes majores pœnitentiarii curâ et sollicitudine delecti, et à Romano pontifice confirmati, ad suum quisque officium admittantur. Procuratores quoque et Scriptores prædicti vitâ moribusque integris ornati, ad suum quisque officium exercendum idonei. Ad hæc omnes prædicti officii ministri, etiam procuratores et scriptores sint presbyteri, vel certè in aliquo ex sacris ordinibus constituti, hujusmodi arcanorum continentissimi, quorum etiam juramento de fidelitate præstandâ adscribatur, quod nec occultos casus hujusmodi, nec personas unquàm cuiquam extra officium revelabunt; qui secùs fecerint, non leviùs quàm presbyteri peccatorum confessiones prodere audentes, puniantur.

Procuratoriæ autem, et Scriptoriæ officia ita demùm à majore pœnitentiario illis concedantur, qui priùs à regente et correctore, super vitâ, moribus, ætate, scientiâ et aliis qualitatibus requisitis diligenter, ac propositis edictis, et morâ sex dierum præcedente, per concursum examinati, et idonei comprobati fuerint; alioqui omnes concessiones etiamsi à Romano Pontifice ex aliquâ causâ pro tempore factæ fuerint, pro irritis habeantur.

Omnes verò supradicti officia sua per seipsos tum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, solique præsentes, et actu exercentes, nisi legitimè impediti, fructus et emolumenta percipiant, quorum singulis certum statutumque aliunde stipendium cuique conveniens assignare intendimus, quo solo contenti esse debeant, nihilque aliud, etiam spontè oblatum à partibus, aut aliàs sive pro expeditionis celeritate, sive pro alio extraordinario labore, tam procurando quùm scribendo, aut recognoscendo, et examinando capere possint : quicumque secùs fecerint, officio suo hujusmodi privati, excommunicationis quoque sententiâ innodati eo ipso censeantur, cujus absolutionis beneficium ab alio quàm Romano pontifice (excepto mortis articulo) nequeant obtinere.

Ut autem negotia universa, quâ decet puritate et diligentiâ dirigantur, prædictus regens, petitiones casusque omnes ad prædictum officium deductos in primis examinet diligenter, quæque perspicua, et secundùm communem in eodem officio cursum absque difficultate expediri consueverunt, eadem expediri jubeat, nihilque omninò, vel ordinarium, aut clarum, nisi priùs ab ipso recognitum et probatum, procuratores expediri incipiant : dubia verò vel obscura, vel difficultate obstructa, regens ipse ad majorem pœnitentiarium referat, ut diligentiùs examinentur : demùm in ejus signaturâ, proposita cum maturo omnium judicio decidantur.

Cæterùm materiæ omnes, sive conficiendæ, sive scribendæ, inter procuratores et scriptores, curâ sigillatoris æqualiter dividantur.

Sed, ut litteræ prædictæ, stylo suo conscriptæ, sanæ, et incorruptæ emittantur, corrector prædictus antequàm illæ scribantur, scedulas, sive minutas earum à prædictis procuratoribus conficiendas, cum supplicatione expeditâ, diligenter recognoscat, examinet et corrigat : ut inde litteræ ipsæ mundæ, et integræ, rasurisque prorsùs carentes expediantur; itemque super omnibus materiis, tam ordinariis, quàm extraordinariis supplicationes, ubi illis opus erit, in totum expediri debeant, priùs quàm ad expeditionem litterarum super illis quoque pacto procedatur.

Denique, sigillator prædictus, litteras omnes eatenùs recognoscat, ut manus requisitæ illis appositæ sint; et earum datæ cum libello supplicationis concordent, deinde ipsius sigillo pœnitentiariæ obsignet, obsignatas, et in totum gratis ubique expeditas, tunc demùm eas procurantibus resignet.

Illud autem sanctè et inviolatè apud prædictum officium volumus observari, ut nihil prorsùs pro litterarum confectione, et expeditione, nec aliàs, etiam pro chartâ, atramento, cerâ, capsulâ, cordulis, aliisque rebus ad

ipsam expeditionem pertinentibus exsolvatur, rationem aliunde habituri, unde hæc omnia, simulque ministrorum omnium stipendia debeant comparari.

Sed ne quid rerum dictæ pœnitentiariæ lapsu temporis pereat, neglectumve jaceat, sigillator ipse omnia exemplaria, litteras, scripturas, et instrumenta, quorumcumque privilegiorum, facultatum, concessionum, prohibitionum, reformationum, et cæterorum omnium, dictum officium pœnitentiariæ in universum, et privatim concernentium, fideliter, ac cum periculo suo asservet; deque his omnibus authenticum inventarium, ac registrum conficiat, cui quidquid postea additum, statutum, concessum, vel vetitum erit, illud totum qualecumque quamprimùm adscribatur, et sic deinceps hæc omnia in futurorum sigillatorum fidem cum eisdem conditionibus, et periculis deponantur.

Ad retinendam verò in dicto officio puritatem, et confirmandam singulorum fidem, districtè præcipimus, ut juramenta, quæ in admissione officialium requiruntur ad præsentem nostram reformationem accommodata, quot annis in manibus dicti majoris pœnitentiarii debeant iterari.

Monemus insuper omnes et singulos supradictos, ut caveant diligenter, ne in officiorum suorum exercitio fraus, vel dolus quoquo pacto admittatur, vel captio inducatur, neve ipsi partib. quidquam dolosè et fraudulenter suggerant, quo faciliùs optata impetrare possint, sed solùm petitiones justas, rationabiles, et honestas recipiant et proponant. Quod si dolum vel fraudem fecisse, aut quidquam, vel minimùm pro labore, aut alio quoquo modo accepisse convicti fuerint, præter illas censuras et pœnas, quæ contra talia admittentes quomodocumque propositæ sunt, in pœnam privationis officiorum suorum incurrant, et ad futura inhabiles, infamesque reputentur, prout nos illos privatos, inhabiles et infames declaramus eo ipso.

Decernentes ex nunc irritum et inane, quidquid secùs super prædictis, aut eorum aliquo à quoquam quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus nostrâ, de non tollendo jure quæsito, et aliis apostolicis constitutionibus, ac de certo officiorum prædictorum numero, etiam pluries à Romanis pontificibus reducto, necnon officii pœnitentiariæ hujusmodi juramento confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, veterè stylo, et consuetudinibus quantocumque tempore observatis cæterisque contrariis quibuscumque.

Depulsâ igitur omnis avaritiæ fœditate, pro se quisque piam castamque mentem ad impositum sibi munus pro Dei æterni glorià, et Christi fidelium salute alacriter intendat, et pro virili parte conetur, ut cuncta prospera, et hoc tanto officio digna succedant, Sedesque Apostolica pro benè gestis condignæ laudis præconio in singulis christiani orbis partibus pleniùs celebretur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ suppressionis, abolitionis, amotionis, prohibitionis, statuti, ordinationis, intentionis, præcepti, monitionis, decreti, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quintodecimo kal. junii, pontificatûs nostri anno quarto.

Hæc autem, quoad ea quæ ad ipsam S. pœnitentiariam spectant. Quo verò ad ea quæ expeditiones, pro utroque foro, ac utriusque signaturæ respiciunt, est non oscitanter advertendum, quod per constitutionem Gregorii XIII, fuerunt innovatæ censuræ, et pœnæ, quas ejusdem record. Bonifacius VIII edidit contra paciscentes, seu dantes, et accipientes, aut promittentes, et acceptantes pro expeditionibus gratiæ et justitiæ, et cùm hodiè illa sit in viridi observantiâ, et à nostrâ praxi minimè alienam agnovimus, proinde illius tenorem hìc inserere placuit, qui est hujusmodi videlicet :

Gregorius *episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ab ipso Pontificatûs nostri principio quàm maximè possumus enitimur, atque contendimus, ut domus et Curia nostra à sordibus expurgetur. Cu salubri consilio incumbens fel. record. Bonifacius Papa VIII excommunicavit, et anathematizavit omnes clericos, religiosos et laicos utriusque sexûs, sive familiares curiæ, sive undecumque altos, qui aliquod pactum facerent seu quid parum, vel magnum promitterent; vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occultà vel manifestâ, sive sub verbis generalibus, et plenè non expressis, sive specialibus et apertè expressis, factâ, quicquam darent, aut reciperent pro justitiâ, sive gratiâ, sive pro se, sive pro alio, in causis, vel judiciis, seu alia per litteras apostolicas, et quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda : et eam sententiam ad promittentes, et acceptantes, dantesque, et recipientes duxit extendendam; illos etiam, qui intra triduum non renuntiarent eum, quem in culpâ esse scirent, vel alicui, per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententiæ subjacere; ac decrevit, ut nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam, absque speciali mandato suo, absolutionis beneficium valeret obtinere, nisi in mortis articulo constitutus; sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi priùs erogatum esset pauperibus, quantùm ille dedisset, vel etiam recepisset. Justitiæ verò, sive gratiæ expeditiones sic obtentæ, nullius prorsùs essent roboris, vel momenti : et scienter illis utentes simili sententiâ innodavit, ac reservans sibi absolutionem eorum cum prædictis, ad pœnas similes in omnibus obligavit. Sed hoc scelus ita hodiè in mores inductum est, ut plerique cupiditate improbi quæstûs potentiorum suffragationibus adnixi, hujusmodi negotiorum expeditiones, hàc illàc conquirentes, turpissimè nundinentur; alii alios, quos gratiâ præstare arbitrantur, donis, pollicitationibusque ambiant; quidam etiam se talium operam atque industriam pretio et muneribus quæsisse affingant. Quæ cùm pessima sint, et curiæ prædictæ existimationem gravissimè offendant : in eos qui talia agunt animadvertendum fore arbitrati, constitutionem prædictam cum suis censuris, et pœnis omnibus innovamus : easdemque omnes*

extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum quæ adscripsimus, dantesque illis et aliis supra dictis auxilium, consilium, vel favorem. Quin etiam eos omnes omni beneficio et officio ecclesiastico et seculari, sive temporali, sive perpetuo, ipso jure privamus; ac privatos esse declaramus: et præterea infamiæ subjectos perpetuò, ac inhabiles ad illa et alia esse volumus. A quibus etiam, prout quæque res erit, tales pœnæ exigantur, quæ cæteris sint exemplo. Illis tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque fautores, et socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, nonis novembris, Pontificatûs nostri anno tertio.

Circa verò taxas ejusdem Romanæ Curiæ officialium, fuerunt per Julianum II, innovatæ plures constitutiones, qui etiam mandavit, ne iidem officiales, pro dictis taxis, etiam à sponte dantibus, ultra quàm id primævâ suorum officiorum institutione caveatur, exigant: proindeque mandavit ipsius Curiæ officialibus, et inter cæteros, litterarum Apostolicarum, etiam de majori præsidentiâ, abbreviatoribus, scriptoribus, et sollicitatoribus; earumdemque ac pœnitentiariæ apostolicæ, Brevium apostolicorum, et archivii Romanæ Curiæ scriptoribus, plumbi, et ipsarum litterarum, ac supplicationum, de illius mandato signatarum, registrorum magistris, clericis, et registratoribus, taxæ plumbi collectoribus, audientiæ contradictarum, et causarum palatii apostolici auditoribus, ne pro taxis, mercedibus, emolumentis, laboribus, regalibus aut cujusvis alterius lucri, et receptionis nomine aliquid in pecuniis, rebus, bonis, aut promissionibus, quomodocumque et qualitercumque directè vel indirectè, etiam à sponte dantibus, et offerentibus, petere, et exigere, vel recipere per se, vel alium præsumant; sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, et pro primâ centum ducatorum auri de camerâ, pro secundâ suspensionis exercitii, et perceptionis emolumentorum ad sex menses, fabricæ basilicæ principi Apostolorum urbis applicandorum: pro tertiâ verò vicibus, quibus contra fecerint, privationis officiorum, pœnis ipso facto incurrendis, absque aliâ declaratione mandavit: ac contra facientes ad restituendum quidquid ultra præmissa receperint, obligatos fore declaravit: ut in dictâ constitutione, quæ incipit: *Etsi Romanus Pontifex*, sub, Dat. Romæ, anno 1512, tertio kalen. april., anno nono.

LIBER NONUS.

PRAXIS DISPENSATIONIS SUPER ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM, IN FORMA: *SI IN EVIDENTEM*, ETC.

CAPUT PRIMUM.

Praxis prohibitionum alienandi bona ecclesiastica.

Beneplacitum apostolicum super alienatione rerum ecclesiasticarum ultra triennium, dispensationem appellavit Franc. in cap. 1, vers. *Decimo tertio, limita*, hoc tit., lib. 6. Quare, non rectè lector arbitrabitur, nos propositæ materiæ finem accedere, si ipsius praxim prosequamur. Frequentissimus quippe est in Romanâ Curiâ usus hujusmodi dispensationis, sive licentiæ, ipsa bona, ut sup. alienandi, necnon alienationes, jam sub Sedis Apost. beneplacito, factas, confirmandi et approbandi potissimùm resistente extrav. *Ambitiosæ*, de Reb. eccles. non alien., cùm ea sit per totum orbem recepta, ac in viridi observantiâ, ut refert Bertacch. de Episc., lib. 4, p. 4, q. 36, num. 10, ex quo inserta est in corpore juris, Cavalc., decis. 43, num. 4; Crescen., decis. 3, de Jurejur.; Cæsar. de Crass., hoc tit., dec. 4, n. 26., ac proinde facit jus commune, id. Cæsar., decis. 135, et in judiciali foro citatur; quotidièque Romana Curia, pro ejus observantiâ, pronuntiat: et ita ejus praxis se habet in expediendis passim litteris sub hâc formâ: *Si in evidemem*, ex eâque emanant etiam absolutiones à censuris, dispensationes et habilitationes, etiam in utroque foro, quoad contravenientes: ac propterea vult summus Pontifex illam ubique observari, ut ait Quaranta in Summâ bullar., verb. *Alienatio rerum Ecclesiæ*, sub n. 28, ac per eam semper vidimus haberi recursum per totum orbem ad eamdem Curiam, tam pro impetrandâ facultate alienandi, cum causis consuetis, quàm pro aliis rebus ab ipsâ Extravag. dependentibus: præcipuè verò, in hâc civitate, et diœcesi Neapolitanâ recepta est, tam quoad pœnas intrinsecas, nempe, nullitatis contractus, quàm quoad pœnas extrinsecas, videlicet censuram, et alias, teste Genuens. in suâ Praxi, c. 50, n. 1, nec consuetudine introduci potest, ut auctoritas Papæ requisita, in alienatione rerum ecclesiæ non interveniat, Joan. Andr., in cap. *Nulli*, de Reb. Eccl. non allen., quem sequuntur Abb. ibi, ut cæteri communiter, Benintend., decis. 13, num. 7, ubi, non obstare dicitur, quod hospitale fuerit solitum concedere in emphyteusim sine solemnitate, et propterea, cùm illius res fuerint solitæ ita concedi, potuerunt concedi sine solemnitate; quia dicta consuetudo non accenditur; aliàs enim quòd una via prohibetur, alia via admitteretur, quod nullo modo dicendum est, cùm sit contra regulam c. *Cùm quid, de reg. jur.* in 6, et ne fiat fraus legi, quæ verbis, et non rebus imposita esset, contra text. in l. 1 et 2, c. *Comm. de leg.*, Marescott., Var. resolut., l. 1, c. 95, num. 23, cum plurib. seqq.; et non modò locum habet in locationibus rerum et bonorum; verùm etiam fructuum et reddituum, nam fructus, et redditus beneficii, seu Ecclesiæ, sunt res et bona Ecclesiastica, cùm ab Ecclesiâ proveniant; sintque ejus ministris assignata, propter divinum mi-

nisterium, Garc , de Benef., p. 2, c. 1, num 32, et ita quotidiè in praxi observari videmus.

Antequàm tamen hanc praxim aggrediamur, præmittendum est bona Ecclesiæ non posse quovis modo alienari, sine solemnitate juris, ut in Auth. *Bon. ex porrectum*, c. *De Sacros. Eccles.*, c. *Nulli*, de Reb. Eccl. non alien.; Clem. 1, eod. tit., Surd., cons. 181, num. 14, et cons. 249, ubi ampliat hanc dispositionem, ut nec valeat consuetudo in contrarium, quæ videlicet, remittat solemnitatem requisitam in hujusmodi alienationibus; per illam induceretur gravamen rebus Ecclesiæ, ut per Abb. et alios in c. 1, per illum text. de Consuet., ac proinde certum absque ullâ prorsùs distinctione, interdictam esse ecclesiasticis patrimonii Ecclesiæ alienationem, sive sit utilis ipsi Ecclesiæ, sive non, sive speciali summi Pontificis licentiâ per d. extravag. *Ambitiosæ*, Redoan. de Reb. eccl. non alien., Rot. decis. 631, n. 1, p. recent. Generaliter enim has alienationes constat fieri non posse :

Primò, de jure divino, ut in lib. Levit., cap. 25, ibi: *Terra quoque non vendetur in perpetuum : quia mea est, et vos advenæ, et coloni mei estis;* ut per Redoan. de Reb. eccl. non alien., q. 3, n. 13.

Secundò, de jure canonico, per text. in cap. *Possessiones*, 16, q. 1, ibi : *Possessiones, quas unusquisque Ecclesiæ proprio dedit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocumque argumento, non patimur, nisi fortè, aut clericis, bonorum meritorum, aut monasteriis, religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas largiri suaserit; sic tamen, ut hæc ipsa non perpetuò, sed temporaliter perfruantur*, et per text. in cap. *Non liceat*, in c. *Monemus*, et in c. *Sine exceptione*, 12, q. 2, et in c. *Nulli*, in cap. *Si quis*, et in cap. fin., et in Clem. 1, ac denique, per d. extravag. *Ambitiosæ*, eod. tit.

Tertiò, de jure civili, per text. in l. *Jubemus*, c. *De Sacros. eccles.*, et per text. in § *Nos igitur*, vers. *Alienationis*, in Auth. *De non alien. aut permut. reb. Eccles.*, nam ipsemet imperator, causam prohibitionis ostendit in Auth. *de Ecclesiast. rer. immobil. alien. in princip.* ubi ait : Scripsimus legem prohibentem, res ecclesiarum omnium alienari ; quia videbamus prædia, et possessiones paulatim alienari sine dignis solutis pretiis, et sine causâ inevitabili; unde, si non esset interdicta hæc alienatio, periculum esset quòd Ecclesia ad nihilum redigeretur, d. c. *Monemus*.

Propterea dixit Rebuff. in Compendio alien. rer. Eccles., in expositione c. *Sine exc.*, 12, q. 2, in verb. *Ne quis*, quod sicut Ecclesia est mater Religionis, ita ejus patrimonium conservari debet illæsum, d. l. *Jubemus*, id. Red., hoc tit., q. 35, ubi ait quòd propter malos prælatos prohibita est alienatio; qui forsan omnia bona Ecclesiæ alienarent.

Sicut autem in quâcumque dispensatione requiritur causa, Felin. in cap. *Quæ in ecclesiarum*, num. 60, de Constitut., ita etiam adversùs jura prædicta prohibentia hujusmodi alienationes, non [dispensatur, nisi causâ legitimâ interveniente, Molin., de Contract., disp. 468; Sarm., de Redd., p. 1, cap. 2; Cavalc., decis. 33, n. 31, et decis. 451, num. 33, part. 1; Ann., cons. 38, vol. 1; Seraph., dec. 508.

Quoniam verò præcipua prohibitio de jure canonico, ea est, quæ continetur in cadem Extravag. *Ambitiosæ*, et tam ex ipsâ, quàm aliis juribus supra dictis alienatio, sive licentia alienandi, est de Papæ reservatis, cap. *Non liceat Papæ*, et ibi Archid. d. 12, quæst. 2, Leo in Thesauro fori Eccl., p. 3, cap. 1, num. 4, propterea ejusdem extravag. tenorem, de verbo ad verbum, hìc inserere placuit, qui talis est, videlicet :

PAULUS *episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Ambitiosæ cupiditati illorum præcipuè qui divinis et humanis affectati, damnatione, postposita, immobilia, et pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus ecclesiæ, monasteria et pia loca reguntur illustranturque, et eorum ministri sibi alimoniam vendicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultûs detrimento, exquisitis mediis usurpare præsumunt, occurrere cupientes.*

Omnium rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem, ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquàm in casibus à jure permissis, ac de rebus, et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc in ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis, quæ servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentiâ, hâc perpetuò valiturâ constitutione præsenti fieri prohibemus.

Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, et decretis aliàs super hoc editis, quæ tenore præsentium innovamus, in suo nihilominùs robore permansuris. Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem, de bonis et rebus eisdem quidquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, et infeudatio hujusmodi, nullius omninò sint roboris et momenti, et tam qui alienant, quàm is qui alienatas res et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrant.

Alienanti verò bona ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano pontifice aut contra præsentis constitutionis tenorem, pontificali, vel abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitùs interdictus, et si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto, hujusmodi animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem à regimine, et administratione suæ ecclesiæ, vel monasterii, cui præsidet in spiritualibus et temporalibus, sit eo ipso suspensus : inferiores verò prælati commendatarii, et aliarum ecclesiarum rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque ecclesiasticis, cum curâ, et sine curâ secularibus, et regularibus beneficiis, quorum res et bona alienârunt duntaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliquâ vacare censeantur; possint-

que per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerint) liberè de jure conferri, nisi aliàs dispositioni Apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reservata : et nihilominùs alienatæ res, et bona hujusmodi ad ecclesias, monasteria, et loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant liberè revertantur. Nulli ergo, etc. *Datum Romæ apud Sanctum Marcum, anno Dominicæ Incarnationis 1648, kal. martii, pontificâtus nostri anno quarto.*

Quæ quidem extravag. fuit confirmata per Julium III, per aliam suam extravag. quæ incipit : *Sicut accepimus*, d. anno 155, et totum denique confirmatum per sacrum conc. Trid., sess. 22, cap. 11, de Reform.

Quare omni prorsùs hæsitatione remotâ, dicendum est hodiè suprad. extravag. esse usu receptam per totum orbem ; quia cùm sit lata et publicata, ac passim jam impressa circumferatur, præsumitur etiam usu recepta, Guttier can. qq. c. 8, cum aliis allegatis decis. 30, n. 5, part. divers. recent., in quâ fuit firmatum, non esse servandam decis. Mohed. dicentis, probandum esse usum suprad. extravag. quinimò dicitur in eâdem decis. 30, quòd cùm usu recepta præsumatur, neganti usum, incumbit onus probandi ; maximè cùm hodiè jus commune facere dicatur : et hanc opinionem hodiè servat inconcussè, stante publicatione d. extravag., et impressione in bullario, et fuit etiam resolutum in unâ Brixien. locationis, 4, decembris 1594, coram Penià ; maximè, cùm decretum irritans in d. extravag. appositum, impediat contrarium usum, Caputaque decis. 82, lib. 3, prout dictum fuit in unâ Papienâ Bonorum, impressâ penes Marium Antonin., var. Resol. lib. 1, res. 98, post num. 89.

Necnon quia constitutiones Papales eo ipso quòd fuerunt promulgatæ, habentur pro effectuatis, et usu receptis, et sic non obstat non usus ; quia per non usum etiam per mille annos, nunquàm tollitur lex, vel statutum, Jas. qui testatur de communi in l. *De quibus*, n. 33, ff. de Leg. ; Alex. cons. 136, n. 19, lib. 2, prout dictum fuit in unâ Romanâ Concordiæ penes Cavaler, decis. 85, n. 1, subdens n. seq., quòd neque obstat contrarius usus, quia cùm non probatur scientia Papæ, contrarius usus non suffragatur, Præpos. in cap. *In istis*, § *Leges*, n. 3, vers. *Nisi dato consensu Papæ*, 4 dist., ubi quòd auctoritas Papæ non est ab homine, cap. *Novit.* vers. *Cùm enim*, ibi : *Non humanæ constitutioni, sed divinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo :* et ideò inferioribus, sine ejus permissione non licet expressè contravenire, ut in d. decis. 85.

Verùm à supradictis omnibus fuerunt exempti plures regulares ; quibus per diversa privilegia fuerat indultum, ut possent aliqua eorum monasteriorum bona usque ad certam summam alienare : postmodùm verò, hæc privilegia fuerunt sublata per novum decretum sacræ congregationis concilii, jussu S. D. Urbani Papæ VIII editum, cujus tenorem non inconsuetum visum fuit hìc etiam subnectere, qui talis est, ut sequitur, videlicet :

Decretum sacræ congregationis concilii S. D. N. Urbani Papæ VIII jussu editum, de rebus regularium non alienandis.

SACRA *congregatio cardinalium conc. Trid. interpretum, rerum experimento edocta, quantum religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium destructionibus, quas crebrò faciunt regulares, apostolicis privilegiis innixi ; ac proinde operæ pretium putans, illorum facilitatem, aliquâ ratione compescere ; speciali S. D. N. jussu generalibus, et provincialibus capitulis, vel congregationibus, abbatibus, generalibus, et quibuscumque aliis superioribus regularibus cujusvis ordinis, congregationis, societatis, vel instituti, intra fines Europæ existentibus, omnium rerum et bonorum immobilium, ac pretiosiorum mobilium alienationem, omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium concessionem in feudum, vel emphytheusim (præterquàm in casibus à jure permissis) fieri perpetuo prohibet, atque interdicit, absque ipsius congregationis expressâ licentiâ in scriptis, et gratis concedendâ, sub pœnâ privationis omnium officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ et passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis, ad illa in posterum obtinenda, quàm ipso facto ; absque aliâ declaratione incurrant ; sublatâ etiam generali et protectori illam moderandi, aut relaxandi facultate ; pœnis nihilominùs apostolicarum constitutionum, et præsertim fel. record. Pauli II, quæ incipit*, Ambitiosæ, *in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, et concessiones quascumque contra hujusmodi prohibitionem faciendas S. suæ auctoritate, ipso iure nullas atque irritas decernit. Non obstantibus constit. et ordinationibus Apost. in favorem quarumcumque personarum, atque ordinum, tam mendicantium, quàm non mendicantium, militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessariò, et in individuo exprimendis, monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum, ac locorum regularium quorumcumque, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, et privilegiis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibus vis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis ; necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis, specialis, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, et aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes quibus quoad ea, quæ præsenti decreto, ac pro*

hibitioni adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expressè sanctitatis suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, die 7 septembris 1624.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Postmodùm verò ad submovendam omnem ambiguitatem, quæ circa infrascripta, tractu temporis exoriri posset, accessit suprad. declaratio, ut sequitur, videlicet :

Cùm post editum decretum de rebus regularium non alienandis, compertum sit regulares, qui eodem decreto prohibentur census imponere super bonis, ad eorum monasteria provenientibus, loco censuum hujusmodi, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis; cùmque ex hujusmodi contractu eludatur mens sacræ congregationis, cui inprimis in votis fuit consulere religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum hujusmodi plurimùm læduntur, sanctissimo Domino nostro approbante, decrevit ac declaravit, hujusmodi contractus esse contra mentem decreti, ut supra editi : ideòque non licere regularibus pecunias, ut præponitur, accipere ; ac si acceperint, in ipsius decretis pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ, 21 *maii* 1626.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli. Prosper Fagnanus.

Deinde cupientes clerici regulares declarari eos exemptos esse à prædictis decretis, porrexerunt eidem sacræ congregationi supplicem libellum, tenoris sequentis videlicet :

Illustrissimi et reverendissimi Domini,

Generalis clericorum regularium exponit humiliter illustriss. DD. VV. qualiter ejus religio, nullo unquàm tempore possedit bona aliqua immobilia, animo ea retinendi, cùm id expressè prohibeant constitutiones ejusdem religionis : à tali enim possessione voluntariè se abstinent, ut eò liberiùs et promptiùs paupertatem Christi Domini imitetur. Et licèt stabile quoddam Panormi, eidem religioni relictum, nondùm alienatum sit, hoc fuit inopia emptorum, et multitudo litium ; nunc verò temporis præposito domus ejusdem civitatis injunctum est à capitulo generali, ut quàm citissimè quocumque modo illud vendat, et quocumque pretio. Quapropter humiliter eadem religio postulat ab hâc Sac. Congregatione declarari, non comprehendi sub prohibitione nuper editâ de rebus regularium non alienandis ; promittendo, prout opus est, ex nunc, et in futurum, juxta formam constitutionum ejusdem religionis firmiter observaturam supradictum institutum ; nec ullo unquàm tempore recepturam, seu accepturam bona aliaque immobilia, titulo, vel eleemosynæ, vel emptionis, vel quocumque alio, nisi ad effectum ea vendendi, vel pro usu fabricæ Ecclesiæ, seu monasterii ; et in tantum intendit tale decretum gratiosum sibi suffragari, in quantum hujusmodi institutum est servatura, etc.

Responsio.

Sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum censuit religionem clericorum regularium Theatinorum, quamdiù institutum superiùs propositum retineat, quoad bona immobilia, non comprehendi in prohibitione nuper editâ, de Rebus Ecclesiâ non alienandis.

Cùm verò nostra praxis versetur præcipuè circa pertinentia ad primodictam extrav. *Ambitiosæ*, operæ pretium esse duximus, ad illius præscriptum, hìc addere, quòd stantibus verbis ejusdem Extravag. nempe, *ultra triennium*, etc.[1], illa vindicat sibi tantummodò locum in rebus quæ quotannis coluntur, et ex eis quolibet anno fructus percipiuntur ; aliàs enim, si res Ecclesiæ talis essent conditionis, ut ex eis quolibet triennio unicus tantùm fructus colligeretur, nullâ opus esset dispensatione, sive licentiâ, si, verbi gratiâ, locarentur ad novem annos ; ex eo quòd primum triennium unico anno comprehenderetur, et sic secundum et tertium ; et si alternatim fructificant, poterunt ad sex annos locari, id. Quarant., d. verb. *Alienatio*, vers. quarto, amplia, numero 18, ut sunt quædam oliveta, myrteta, Sylvæ cæduæ, et nemora cædua, quæ etiam locari poterunt per quindecim annos absque assensu apostolico, si quolibet tantùm quinquennio conductor capit fructus, Zerol. in Prax. episc., eod. verb., vers. *Decimo quinto, quia dictum est.*

Sicut etiam dicendum de quàdam locatione ad sex annos factâ defensæ cujusdam Capellaniæ episcopatûs Caurien, nam illa defensa consistebat præcipuè in culturâ, et in totâ locatione ad sex annos factâ, bis tantùm rumpi debebat, duoque, non autem ampliores redditus pensionis frumenti domino reddendi erant, quare ipsi nondùm complebant unam locationem trium fructuum, cùm tamen ultra tres sit prohibita locatio ; quo casu valet similis locatio, etiam si ultra tres annos fiat ; dùm tamen ultra tres fructus, conductor, nec locator toto illo tempore recipiat ex naturâ rei, atque conditione, prout se consuluisse ait Cov. Can. quæst. lib. 1, cap. 8, num. 12 et 13.

Sanè, quoad tempus ipsius triennii, quo ipsa locatio licitè, absque beneplacito apostolico fieri potest, idem dicendum est, quandò post locationem ipsam ultra triennium factam, fructus præter naturam prædii nulli fuerunt : unde ait Tiraquell. in l. *Boves*, § *Hoc sermone*, ff. nuemro 64, ante primam limit., quod cùm à summo Pontifice concessum fuit episcopo ; propter ipsius debita persolvenda, ut fructus primi anni beneficiorum suæ diœcesis intra quinquennium vacaturorum percipiat, si fructus primi anni aut nulli fuerunt, aut chasmate perierunt, consumpta est omninò gratia, nec poterit episcopus, alterius anni, scilicet ultra quinquennium, fructus percipere, per text. in l. *Cùm certus*, ff. de Tit. vin. et ol. leg., ubi si certus numerus amphorarum vini, ex eo quòd natum esset ex tali fundo, relinquatur, et minùs natum esset, non ampliùs debetur quàm quod natum est eo anno ; nec cæteris annis superioribus.

E contrà verò sustinetur ipsa locatio ad triennium tantùm facta, sine apostolicâ auctoritate ad præscri-

ptum ejusdem extravag. *Ambitiosæ*, si prædium fructus in anno attulerit : nec id supervacaneum esset putandum; cùm regiones quædam adsint adeò fecundæ et uberes, ut fructus bis singulis annis ferant; quod quidem alicubi evenire posse putamus, sicut in partibus Indiarum, ut asserit Martianus Capella, lib. 6, et ait Solinus, cap. 65, quod Indiæ bis æstatem habent, et bis legit frugem, et Strato, Indiarum fecunditatem eo maximè declarat, quòd eæ bis fructum ferant, alteram enim sementem habent autumnalem, alteram æstivam, et de nonnullis Italiæ locis ita testatur Virgilius, lib. 2 Georg. :

Hìc ver assiduum, atque alienis mensibus æstas.
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.

Et Diodorus Siculus, lib. 1, cap. 3, scribit oves in Ægypto bis in anno parere, ac bis lanam præbere, aliaque permulta affert id. Tiraquell. in d. *Boves*, d. num. 7.

Cæterùm verò supradicta extravag. prohibet supradictas alienationes bonorum ultra triennium, cùm ex illis singulis annis fructus percipiuntur; et ultra triennium prædictum tenent nonnulli, illam valere pro dicto triennio permisso, quatenùs dicunt, quòd res Ecclesiæ per id tempus licitè locari, vel in emphyteusim concedi, eo autem transacto, vitiari prædictam locationem, ex Bald. in auth. *Si quas ruinas*, num. 2, c. De sacros. Eccles. et in l. *Si pupillorum*, § fin. in fin., ff. de Reb. eor. Paul. de Castr. in auth. *Qui rem.* n. 7, c. de sacros. Eccles., cum aliis adductis in unâ Brixien. *Locationis*, coram Coccino quæ est decis. 30, num. 2, p. 1, recent.

Nihilominùs veriùs est semper Rotam contrarium tenuisse, prout servatur et quotidiè practicatur, nempe hujusmodi concessionem, neque pro primo triennio sustineri, sed in totum vitiari certum est, quandoquidem forma à lege præscripta videtur, ne rerum ecclesiæ locationes fiant ultra triennium, cùm hujusmodi forma sit indivisibilis, prout tenuit Rota, in unâ Romanâ *Devolutionis domus*, 4 februarii 1583, coram de Rubeis, et in aliâ Placentinâ, *Decimarum*, die 2 junii 1546, coram Bubalo, cum aliis innumeris adductis in d. decis. 30, num. 3.

Nec est omittendum, quòd d. Extravag. vindicat etiam sibi locum in rebus, solo cohærentibus, nempe in arboribus, quæ solo cedunt, Monald. cons. 215, vol. 2, Nav., cons. 6, de Reb. eccles, non alien., et in practicâ sæpè videmus super his impetrari assensum apostolicum.

In sylvâ autem cæduâ tenent aliqui non habere locum hanc Extravag., sicut nec in nemore, arundineto, aliisque cæduis arboribus, quæ per incisionem sunt in fructu, et renascuntur; quia non deterioratur fundus, Bart. in l. *Qui fundum*, § *Cùm fundum*, ff. de Contrah. empt., ubi idem dicendum esse docet de arboribus vetustis et corruptis, vel non fructiferis; si in earum locum aliæ substituerentur; aut si ex incisione hujusmodi fundus fructuosior fieret, quàm antèà, incidendo arbores opacas, vel, si nimia densitas noceat ipsis arboribus; sicut etiam nocet nimia raritas; id. Nav., d. cons. 6, ubi dicit quòd sicut licet herbas, rubos, lapides et alia arboribus nocentia tollere ita etiam tollere licet illas arbores quæ impediunt augmentum fructuum, et utilitatem aliarum arborum sufficientium prædio; quia in hoc nulla intervenit alienatio; vide etiam Quar. d. verbo, *Alienatio*, vers. 17, *Amplia*.

Et regulariter excipiuntur à dictâ Extravag. ea, quæ magis expedit distrahi quàm servari, præsertim, ut sunt vestes attritæ, et animalia supervacua, Redoan. quæst. 51, n. 4, Quar., in verbo *Alienatio*. num. 38, ubi quòd ista possunt vendi absque decreto judicis, ex l. fin., c. *Quando decret. opus non est.*

Generaliter etiam præmittamus ad has alienationes duo æquè principaliter requiri, nempe causam et solemnitatem, cap. 1, de Reb. eccl. non alien., in 6, Cov. Res. lib. 2, cap. 17, n. 1; Menoch., cons. 872, lib. 9; Mascard., de prob., concl. 75, num. 6, vol. 1, adeò, ut unum sine altero non sufficiat, Roland. cons. 15, lib. 1 Gram., decis. 79, cùm à jure prohibeantur uniformiter respectu causæ et respectu formæ, cap. *Sine exceptione*, quæst. 2, cum solâ causâ legitimâ alienandi, seu solæ solemnitates, neque ex formâ d. Extravag., neque de jure antiquo sufficiant Glossa in cap. 1, et ibi; Abb. de in integr. Restit.; Rot. decis. 178, p. 2, divers., in quâ ob id fuit dictum alienationem terrarum, de quibus agebatur, fuisse nullam, non obstantibus litteris, *Si in evidentem*, et confirmatione subsecutâ, etenim in hujusmodi alienationibus copulativè requiruntur causa et solemnitas, nec unum sine alio sufficit, ut per doctores in d. cap., sine exceptione. 12. qu. 2, ubi latissimè Laurent. de Rudolph., in octavâ quæst., Covar., var. Res. lib. 2, c. 17, num. 2. Et licèt Papæ auctoritas suppleat solemnitates, juxta cons. Abb. 41, lib. 1, non tamen supplet defectum causæ; imò defectus causæ reddit nullam interpositionem decreti super alienatione, etc.

Causæ autem alienationis quas in dies in praxi servari videmus, regulariter quatuor sunt, quarum prima est, necessitas; non quidem personæ rectoris, sed ipsius ecclesiæ, puta si ipsa pateretur ruinam, quam non possit ipse rector aliunde, nisi ex rerum venditione reparare; aut pateretur defectus ornamentorum, et paramentorum aut vasorum sacrorum; nam hâc de causâ conceditur assensus apostolicus, qui aliàs non concederetur, si causa respiceret utilitatem ipsius rectoris; veluti si esset ære alieno gravatus; quia cùm tunc possit de fructibus satisfacere creditoribus, non admittit dataria similes supplicationes, et in theoricâ docet id. Redoan., tit. de Causâ utilitatis num. 101, cum seqq., quod benè advertunt ipsius datariæ officiales in hujusmodi supplicationum receptione, qui illas non recipiunt nisi in eis explicetur, quòd per hujusmodi alienationem efficiatur melior conditio, tam ipsius rectoris quàm Ecclesiæ, cujus bona petuntur alienari, ut infra suo loco dicetur.

Alia insuper poterit esse necessitas, nempe si ecclesia sit ære alieno gravata, nec aliunde sit solvendo, juxta text. in cap. *Sicut*, 22, quæst. 2, d. Auth. *Hoc jus porrectum*, c. de Sacros. Eccles.; nam etiam

summus Pontifex, pro causâ necessitatis potest non solùm alienare bona ecclesiarum inferiorum; Archid. in cap. *Non liceat*, 12, q. 2; verùm etiam ipsius ecclesiæ S. Petri in Vaticano : unde legimus Innocentium Papam VIII, dùm Urbs Roma, in quâ cum Romanâ Curiâ ipse tunc residebat, per nonnullas armigeras gentes hostiliter opprimeretur, pro illius ab oppressionibus hujusmodi liberatione, grandia subire compulsum fuisse onera expensarum; ad quæ, cùm Romanæ ecclesiæ non sufficerent facultates, mitram pontificalem, regnum nuncupatum et alia quamplurima ejusdem ecclesiæ jocalia pretiosa, aurea et argentea, diversis mercatoribus, dictam curiam sequentibus, pro diversis pecuniarum summis, ad quantitatem fortè centum millium ducatorum auri de camerâ, ascendentibus pignoravit; quæ cùm commodè ex dictis ecclesiæ proventibus, jam exhaustis, redimi non possent, auxit propterea numerum secretariorum apostolicorum, qui tam antiqui, quàm de novo admissi summam sexaginta duorum millium, et quadringentorum florenorum auri de camerâ pro redimendis mitrâ, et aliis jocalibus supra dictis, de eorum propriis pecuniis exsolverunt, ut in suâ constitutione, quæ est 7 in ordine, et incip. *Non debet*, sub datum Romæ 1487, prid. kal. Jan., anno quarto. Neminem verò latet, posse summum Pontificem, ob necessitates, aut utilitates Sedis Apostolicæ, non modò alienare bona immediatè subjecta ecclesiæ Romanæ, verùm etiam res particularium ecclesiarum; ita declarat Castr. cons. 114, lib. 1, Bald. in cap. 1, num. 5 qui feud. dar. poss., quos refert Redoan., de reb. Eccl. non alien., quæst. 44, n. 18, qui ex doct. Bald., in l. penult., c. de Bon. quæ lib., ait Papam posse vendere possessiones Ecclesiæ Romanæ, necessitate cogente, d. q. 44, n. 22. Et quandoque appellatione hujus necessitatis, venit omnis causa justa alienandi, Bellam., in cap. *Sed notandum*, Archid., in cap. *Non habenti*, 12, q. 2, et tunc illi statur, qualemcumque exitum habeat; dummodò sit utiliter cœpta, ad tex. in l. *Sed an ultrò*, § 1, ff. de Neg. gest., et omnes ferè doctores tenent, omnem justam causam alienandi reduci ad causam necessitatis.

Et cùm aliàs civitas Neapolitana esset à Saracenis navali prælio obsessa, delato eis nuntio, quòd christiani imperatores navale etiam prælium adversùs eos parâssent, ipsi fœderis jure aurum et argentum à Neapolitanis civibus exposcunt, qui statim, ut ea imminentia pericula evaderent, omnia sacra vasa, aurea et argentea majoris Neapolitanæ ecclesiæ, quorum non modicus erat numerus, hostibus pignori dederunt, eo pacto, ut illa ad certum tempus possent redimere; quibus acceptis Saraceni fugam arripientes, in Siciliam recesserunt, propter quod Neapolitanis civibus remansit gradus tristitiæ, eò quòd sacris vasis carentes, festiva solemnia ignobiliter celebrare cogerentur, atque tunc SS. Januarius et Agrippinus, cuidam Neapolitano civi apparuerunt, pontificalibus vestimentis induti, eique dicentes : *Pro tristitiâ civium Siciliam nos pergimus, ut vasa omnia vestræ Sedi exinde deferamus;* quâ revelatione exhilarati cives, ac freti eorum Sanctorum patrocinio, mox in Siciliâ legatum cum xeniis, ac pecuniâ ad sacra vasa inde redimenda dirigunt, qui statim sine impedimento aliquo ac dispendio, divinâ ope adjuti, illa reportârunt, prout refert Bartholomæus Cbioccarellus in Catalogo antistitum ecclesiæ Neapolitanæ sub tit. *An orator S. Mariæ de Principio*, etc., fol. 110, vers. *Delato*, etc.

Quare cùm necessitas in lege non comprehendatur verisimileque sit, D. N. Jesum Christum velle pretium suarum rerum fundi pro redemptione animarum pro quibus fudit sanguinem proprium, ut ex Ant. in cap. *Nullus*, de Pignor. ait Redoân., de Reb. eccles. non alien., q. 21, num. 10. Ac proinde possunt vendi et obligari, licèt non simpliciter et indistinctè, sed ex formâ et modo à jure traditis, necessitate tamen existente; propter quam vasa sacra, ut sunt calices, vestes, cruces, candelabra, paramenta et ornamenta, in quibus et cum quibus spiritualia ministrantur, quæ propter consecrationem seu benedictionem in illis et de illis factam, quando fuerunt deputata ad usum et sacrorum ministerium, videntur et dicuntur annexa spiritualibus, non obstante quòd sint consecrata, benedicta et deputata ad ministerium et usum sacrorum, quotidiè, auctoritate legum, et canonum permissione, causâ existente pignorantur, hypothecantur, venduntur et alienantur; id. Redoan., loco cit., num. 12, ex Glos. in cap. *Ea enim*, § *hoc jus porrectum*, 10, q. 2, quinimò, d. Glos. in verbo *Conflata*, quod in necessitate possunt obligari ad tabernam, et et sub eâdem formâ, ut in cap. 1, de Pignor., ibi : *Nullus presbyter præsumat calicem, vel patenam, vel vestimentum sacerdotale, aut librum ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet laico, vel feminæ in vadium dare, nisi justissimâ necessitate urgente.*

Secunda causa est utilitatis, ut in d. cap. *Sine exceptione*, et cap. *Tua*, de his quæ fiunt à præl. absque cons., cap. et per text. in d. cap. 1, de Rebus. eccles. non alienan., in 6, ubi alienatio rerum ecclesiæ est concessa, si adsit utilitas ejusdem, et in Cl. 1, eod. tit., ibi, *nisi necessitas aut utilitas monasterii*, etc., et sic causa utilitatis est potissima ad alienandum res ecclesiæ; id. Redoan., q. 20, sub n. 16, hoc tit.

Hæc tamen causa utilitatis non sufficit quòd sit utiliter cœpta, sed requiritur quòd ecclesia efficiatur locupletior, Archid. in d. cap. *Sine exceptione*, in Glos. sed nonne; Rot., decis. 56, num. 4, p. 2, divers.

Tertia causa est pietatis, nempe pro redimendis captivis, per text. in leg. *Sancimus*, c. de sacros. Eccles., aut pro alimoniâ pauperum, cap. *Aurum*, 12, q. 2.

Quarta est commoditatis vel minoris utilitatis, veluti, quia res alienanda, est Ecclesiæ magis damnosa, quàm utilis, cap. *Non liceat Papæ*, d. cap. *Sine exceptione*, et cap. *Terrulas*, 12, q. 2. Et quamvis aliæ adsint causæ, nihilominùs ut pluries observavi in diversis supplicationibus, ad id Papæ porrectis, cum diversis causis, omnes reducuntur ad quatuor supra dictas, et ita etiam docet id. Redoan., q. 19, num. 1,

cum seqq., et istæ reducuntur ad duas, scilicet necessitatis et utilitatis; nec tamen ob aliam causam, præter expressas, prohibetur summus Pontifex super hujusmodi alienatione dispensare, sicut quandoque vidimus in ipsâ Romanâ Curiâ servari; quandoquidem neminem latet, Papam novum posse invenire casum licitæ alienationis, teste eod. Redoan., d. q. 44, num. 15.

Solemnitas ad id de jure antiquo requisita, quadruplex est. Prima videlicet auctoritas prælati; secunda, tractatus; tertia, consensus capituli; quarta subscriptio singulorum, saltem per Notarium; id. Redoan., q 24, per tot.

Sed cùm nos hìc agamus de alienationibus, prævio assensu apostolico, parùm refert de supra dictis solennitatibus sermonem habere; cùm hodiè per supra dictam Extravag. Ambitiosæ, prohibeatur omnis modus alienandi, etiam in casu licito, et servatis solemnitatibus inconsulto Romano Pontifice, et juxta eam tres casus excipiantur, ut ex lecturâ ejusdem patet; ac propterea, ubi ipsius Pontificis auctoritas intervenerit, nulla alia requiritur solemnitas; Dec., cons. 142, num. 4; Ruin., cons. 232, vol. 3; Paris., cons. 24, n. 2, vol. 4; Surd., cons. 181, num. 14, et cons. 301, num. 25; Guid. Pap., decis. 156; Abb., cons. 41, num. 3, lib. 1; Bald., in l. 2, *Per illum*, text., c. *Quando decret. opus non est;* Ruin., cons. 35, n. 22.

Quod tamen intelligas, quando Papæ auctoritas legitimè et validè interponitur; at secùs, si fuerit subreptitia, et consequenter nulla; tunc enim nihil operatur, Dec. cons. 142, num. 5, vers. *Non obstat*, Rota, decis. 65, n. 2, part. 1, *diù*. Cùm enim ipse summus Pontifex sit omnium bonorum ecclesiasticorum summus administrator, Innoc. in cap. *Noverit*, de Sent. excomm., Abb. in cap. *Constitutus*, de Relig. dom., n. 13, de illius potestate, et an alia solemnitas requiratur, non est disputandum.

Concurrentibus igitur causis supradictis, et non aliàs, conceditur hæc facultas alienandi; quod si aliter, et non servatâ formâ ejusdem Extrav. fiet alienatio, tam alienantes, quàm desuper quomodolibet contrahentes, multas pœnas spirituales, et temporales incurrent! quia bona Ecclesiæ tradita, concessa, donata, aut oblata, sunt Deo data, et oblata, cap. *Res*, 12, q. 1, cujus Ecclesiæ caput est Christus, qui omnium bonorum illius habet dominium, quæ, quoad substantiam sunt pauperum, quoad administrationem, sunt clericorum, quo verò ad dominium, sunt Christi, id. Redoan., q. 3, n. 34, et habemus text. in cap. 1, 12, quæst. 2, ubi, qui Christi pecunias, et ecclesiæ aufert, fraudat, et rapit, ut homicida in conspectu judicis deputabitur; unde legimus dominum super malè tractantes res Ecclesiæ, effudisse iram suam: ex quo, ut ait Baronius relatus per Leonem, in suo Thesauro fòri ecclesiastici, tit. de Emphyt. eccl., n. 11, Berengarius abstulit quæ erant S. Julii, dono piorum principum collata bona in diœcesis Novarien., et imperium perdidit, etc.

Libet factum mirabile hìc etiam recensere, ut homines eò cautiùs à prædictis bonis invadendis abstineant, quo acriùs se ab episcopis provinciarum Rhemen, ac Rothomagen. Ludovico regi significatum exstitit, videlicet, quòd Carolus princeps, Pipini regis pater, qui primus inter omnes Francorum reges ac principes res ecclesiarum ab eis separavit atque divisit, pro hoc solo maximè est æternaliter perditus; nam S. Eucherius Aurelianen. episcop., qui in monasterio S. Trudonis requiescit, in oratione positus, ad alterum seculum raptus, et inter cætera, quæ (Domino sibi ostendente) conspexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri; cui interroganti, ab angelo ejus ductore responsum est, quia sanctorum judicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumque res abstulit, et divisit ante illud judicium animâ et corpore, sempiternis pœnis est deputatus, et recepit simul cum peccatis suis pœnas propter peccata omnium qui res suas et facultates in honore et amore Domini ad sanctorum loca in luminaribus divini cultûs, et alimoniis servorum Christi, ac pauperum pro animarum suarum redemptione tradiderant; qui in se reversus, S. Bonifacium, et Fuldrianum abbatem monasterii S. Dionysii, et summum capellanum regis Pipini ad se vocavit; eisque talia dicens, in signum dedit, ut ad sepulcrum illius irent, et si corpus ejus ibidem non reperissent, ea quæ dicebat, vera esse crederent. Ipsi autem pergentes ad prædictum monasterium, ubi corpus ipsius Caroli humatum fuerat, sepulcrumque ipsius aperiens visus est subitò exiisse draco, et totum illud sepulcrum interiùs inventum est denigratum, ac si fuisset exustum; quod quidem, et alia fel. record. Gregorius XIII, jussit registrari post cap. *Quia juxta*, 16, q. 1.

CAPUT II.

Praxis supplicationis : Si in evidentem, *etc.*

Deveniendo nunc ad praxim impetrandi, et exequendi rescripta apostolica in formâ supra dictâ, *Si in evidentem*, dicendum est, illa duplici modo impetrari : uno videlicet per supplicationem in datariâ apost. porrigendam pro oratoribus secularibus super quâ postmodùm expediuntur more solito, litteræ sub plumbo, vel annulo Piscatoris; altero modo pro regularibus, pro quibus non expediuntur litteræ, sed tantùm per sacram congreg. concilii conceditur simplex rescriptum, vel simplex licentia, quæ extenditur in calce supplicis libelli, seu memorialis inibi porrecti, ut infra dicetur.

Quia verò frequentior est illa, quæ conceditur, prævis supra dictis litteris, propterea de eâ priùs agendum erit. Cùm igitur petitur, verbi gratiâ, licentia locandi ad aliquod tempus, ultra triennium, conficienda erit supplicatio à peritis in ipsâ Curiâ, modo sequenti, videlicet :

Beatissime Pater, ut devotus S. V. orator Joannes Gandulphus, rector sine curâ ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Josaphat, in pertinentiis civitatis Neapolitanæ suam, et dictæ ecclesiæ quam obtinet, conditionem efficiant

melıorem, quoddam terræ petium, modiorum trium mensuræ illarum partium; juxta bona quondam Lucii Sarriam, Francisci Dalani, viam publicam, et alios, si qui sint confines, situm; ac ad dictam ecclesiam legitimè spectans; valoris in proprietate, ducatorum centum, monetæ Neapolitanæ; annui verò redditûs, decem ducatorum similium, septem ducatos auri de camerâ, vel circa, constituendum, devoto etiam S. V. Vincentio Bresciano, laico Neapolitano, pro annuo canone seu annuâ responsione ducatorum sexdecim similis monetæ decem ducatos auri prædicti pariter constituentium, ad tertiam ipsius generationem, in evidentem ejusdem ecclesiæ utilitatem, sub S. V. et Sedis Apostol. beneplacito concedere et locare desiderat. Cùm autem, Pater Sancte, locatio et concessio, hujusmodi, si fiat, in evidentem ejusdem ecclesiæ cessura sit utilitatem; ac propterea oratores præfati cupiant sibi, illam faciendi per E. S. V. et Sedem prædictam, licentiam concedi. Supplicant igitur humiliter E. S. V. oratores prædicti, quatenùs sibi in præmissis opportunè providendo, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequendo; aliquibus probis viris, in illis partibus commorantibus, et in dignitate ecclesiasticâ constitutis, ut de præmissis se diligenter informent; et si per informationem eamdem locationem et concessionem hujusmodi, in evidentem ejusdem ecclesiæ cedere utilitatem, repererint, illas, ut præfertur faciendi, eisdem oratoribus, licentiam et facultatem, auctoritate Apostolicâ concedant, et impartiantur; omnesque et singulos, tàm juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, suppleant, committere et mandare dignemini de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis, ac fel. recor. Pauli Papæ II, S. V. prædecessoris, de rebus ecclesiæ non alienandis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Fiat ut petitur. M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum etc. *Et quòd terræ petii hujusmodi situationes, confines, vocabula, et denominationes, etiam veriores, habeantur pro expressis, seu in toto vel parte exprimi possint. Et de commissione, mandato, aliisque præmissis, ut supra, in litteris latissimè extendendis, et quòd præmissorum omnium, et singulorum, aliorumque necessariorum maior et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris; et committatur ordinario, et dignitatem in ejus Ecclesiâ obtinenti, qui conjunctim procedant. Et si in evidentem,* etc. *Et cum decreto quòd finitâ vel deficiente tertiâ generatione hujusmodi, dictum terræ petium, cum omnibus et singulis juribus et pertinentiis suis, nec non quibusvis melioramentis desuper, quomodolibet factis ad dictam ecclesiam, pleno jure, liberè revertantur, illique liberè cedant; absque eo quòd renovatio locationis hujusmodi, à quoquam, quovis prætextu, vel causâ peti, aut prætendi possit.*

Fiat. M.

Ex quâ quidem formulâ desumi poterunt tantummodò modus et ordo, quibus similes supplicationes conficiuntur; ex quo, ut plurimùm contingit, multa de necessitate narrari debere in ipsâ supplicatione; ut exinde discernatur an verè adsit ecclesiæ evidens utilitas super quo nimis urgebit prudentia conficientis supplicationem; quæ more solito, porrigitur D. datario qui materiam considerat, an talis sit, ex quâ clarè constet, petita cedere in evidentem utilitatem; adeò, ut non possit aliquo modo de eâ hæsitari; quòd si res talis erit ut ipsi videatur, gratia super eâ esse concedenda, tunc curabit supplicationem ipsam per sum. Pontificem in camerâ signari. Si verò viderit utilitatem non adesse, vel, quatenùs adsit, non tamen esse evidentem; supplicationem ipsam rejicit, et in illius calce apponit hæc verba : *Utilitas non est evidens*, ut sollicitator videat cur rejecta sit supplicatio, ac curet certiorari partes; ut si ipsæ velint augeant canonem, vel ab alienationis contractu desistant.

Cùm verò talis sit materia, ex quâ non ita facilè discerni possit, an verè adsit evidens utilitas, vel ne; tunc, cùm inhonestum videatur ut similes et aliæ materiæ, quæ requirunt discussionem super illarum concessione tradantur simpliciter Pontifici signandæ; cùm ille non possit, ob innumera Sedis Apostolicæ negotia, et propter multitudinem aliarum supplicationum, examinare hujusmodi supplicationes requirentes maximè altiorem indaginem; nam licèt Papa habeat omnia jura in scrinio sui pectoris c. 1, de Constit., l. *Omnium*, c. de Testam., non tamen præsumitur aliquando, illa ita prompta habere, propter multitudinem rescriptorum, quæ concedit Cassad. dec. 2, de Reservat.; tunc, inquam, ipse D. datarius, has supplicationes remittit ad signaturam ipsius Papæ, quas ipsæmet partes deferunt ad aliquem ex DD. referendariis, ut eas proponant; cùm ipsi propterea (ut de eis aliquid per transitum dicamus) constituti sint, ut rem principi commodè fideliterque exponant, ac ineloquentiam, præsertim pauperum, desideria, precumque veritatem aperiant; et quæ concedi vel denegari debeant, principi insinuent; quia, ut ait Gomes., in commend. utr. sign., num. 26, princeps, cum præsidentibus cardinalibus et prælatis signaturæ, non poterat, tum impedientibus innumeris Sedis Apostol. negotiis, tum etiam propter supplicationum multitudinem, legendis et examinandis supplicationibus, superesse, deputati fuerunt isti, qui hunc laborem subirent, examinarentque priùs, et discuterent, num quæ in supplicationibus petuntur, ab ipsomet principe, sine alicujus injuriâ concedi possint; in quorum signum, visas supplicationes, supra scriptione nominis sui, propriâ manu signarent, ut sic princeps, cautior reddatur : unde, ad hoc emanârunt tituli de Precibus imper. offeren.; Gambar. de Auth. leg., l. 1, tit. *Qualiter legatus se gerere debeat cùm provinciam est ingressus*, num. 35. Imò antiquitùs observabatur ut nihil à Romano Pontifice subscriberetur, nisi referendarii voce prolatum, nunc verò in plerisque inolevit stylus, et ut passim admittantur, cùm non omnia proponant, sed ea tantùm, quæ difficultatis aliquid habent. In nonnullis autem, satis est li-

nellum, nominis sui titulo, prænotare, quod relationis vicem obtinet, sicut passim practicari videmus.

Et cùm ob causas prædictas, ipsi DD. referendarii statuti fuerint, eliguntur in jure ac stylo Romanæ Curiæ periti, integræ famæ, atque existimationis; nam si aliàs jura non callent, profectò Pontifici petenti, respondere non poterunt, ac si vitæ labatur integritas, quam poterit fidem princeps adhibere? et si inepti ad dicendum, quomodo princeps poterit aures præbere? id. Gamb., num. 41, cum seq. Ac inter cætera, magnam ipsi adhibent diligentiam, ut honestæ supplicationes, quantùm fieri potest, exaudiantur, et petentium importunitates arceantur, et ad hunc effectum fel. record. Sixtus V. infra scriptos cardinales signaturæ gratiæ adscribi voluit, ad hoc, ut omnes signaturam Papæ, quâvis de causâ, adeuntes, benignè audiant, porrectasque oblaturum petitionum informationes excipiant; ac summo Pontifici, dùm supplices libelli referuntur, assistant; opportunumque consilium afferant; omnique deposito humano affectu, sincerè suam quisque sententiam, etiam non rogatus, sed, ex conscientiâ proponat, ac in dictâ signaturâ fuerunt adscripti isti cardinales, qui infra scriptis muneribus, officiis præfecti essent, videlicet, major pœnitentiarius, præfectus signaturæ gratiæ, præfectus signaturæ brevium, præfectus signaturæ justitiæ; et qui datarii munere fungeretur, si cardinalis fuerit; qui simul atque eas præfecturas et officia adepti fuerint, statim in ipsam signaturam adnumerati censeantur, ut voluit idem Sixtus in suâ constitutione, sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, undecimo kal. martii 1588.

Ad rem verò redeundo, supplicationes in formâ, *Si in evidentem*, inter cæteras signaturæ summi Pontificis proponuntur, quando ipsâ Ecclesiæ utilitate evidenti, dubitari contingit; potissimùm autem tempore supra dicti Sixti V, quippè diceret, multùm debere Pontifices invigilare, et circumspectos esse in hujusmodi alienationibus concedendis in formâ, *si in evidentem*, quod non semel eum repetiisse dicebant antiqui curiales, dùm in suâ signaturâ proponebantur hujusmodi supplicationes; nam sicut episcopi vicarius, mensæ episcopalis bonorum alienationi consensum præstando, non benè facit, ita pariter, Papa, Christi vicarius, totius orbis episcopus alienationi et contractibus præmissis jam bonis Deo et Ecclesiæ quæsitis, quorum ipse purus est minister, cum grano salis, et maximâ urgente ecclesiæ necessitate assensum præstare debet; cùm summus Pontifex, bonorum ecclesiæ administrator sit, non tamen habeat dominium; Felin. in c. *Constitutus*, num. 19, de Rescript., et licèt sit Dominus omnium ecclesiarum et beneficiorum; cùm Romana ecclesia sit domina earumdem ecclesiarum, et caput, c. *In primis*, 12, q. 2, c. *Si Papa*, de Privileg., in 6, non tamen dicitur Dominus rerum particularium ecclesiarum et beneficiorum, c. *Non liceat*, 12, q. 2, et ideò, absque causâ, de potestate ordinariâ non potest jus alicujus Ecclesiæ detrahere, et alteri concedere; Redoan. de Rebus eccl. non alien., q. 44, num. 17, tit. *Quanta sit auctor.* sum. Pont. Idemque servâsse non ignoramus, similis record. Clementem VIII, qui hujusmodi alienationes rarissimè, et quasi nunquàm in perpetuum, sed ad tertiam tantummodò generationem, seu nominationem concedebat ad summum: in hisque, dùm in signaturâ proponebantur, plurimùm invigilabat; dubitationesque, quæ propter ecclesiasticæ dotis diminutionem exoriebantur, subtilissimè discutiebantur: quem quidem usum, et cæteri summi Pontifices sunt secuti, de quo videre est penes Marches., tit. de Signat. grat. divers., num. 21, cum seqq.

Aliquæ insuper sunt materiæ, quæ, licèt non expediantur per ipsam signaturam, sed tantùm privatim in camerâ Papæ, nihilominùs, quia sunt graves, non ita de facili signantur; sed cùm adhùc contineant dùbia, et requirant maturam deliberationem, tamdiù jubet Papa eas retineri penes suos officiales, quamdiù post illarum discessionem, videantur benè examinatæ; ut gratias possit desuper oratoribus impartiri, juxta illud Philosophi, 3, Ethicor.: *In magnis et dubiis, diuturna deliberatio, et multorum consilia requiruntur, in his autem, quæ sunt certa, et determinata, consilium non requiritur.*

Unde sæpe videmus D. datarium, sive à semetipso, sive de mandato Papæ ipsas supplicationes, penes se retinere, ut ex se negotium maturiùs, et perfectiùs expleat, possitque postea liberè signari supplicatio, juxta text. in c. *Cùm in veteri*, de Elect., ubi probatur, quòd post requisitum consilium, est expectandum responsum per tempus necessarium, ut consultor possit cuncta rimari et considerare, quia tempore egimus, ut aliquid maturiùs agamus; Gonz. ad regul. 8, cancell., gloss. 46, num. 40, cum seq. et in procem., hujus operis diximus.

Graviora tamen negotia, summus Pontifex, in consistorio, cum cardinalibus expedit; maximè, ubi ea de suî naturâ fuerint consistorialia; cùm ipse solus expedire non soleat; Bald, in l. fin. per illum text., c. de divers. Rescript., ubi refert Urbanum Papam, oratoribus Florentinis supplicantibus, ut quoddam negotium suæ patriæ privatim expediret respondisse, illud esse negotium consistoriale; et quòd summi Pontifices non consueverunt talia negotia consistorialia in camerâ expedire, sed in publico consistorio; quod etiam Carolum imperatorem, aliis idem supplicantibus respondisse refert Gomes. in Regulâ de infirm., q. 14, num. 6.

Nec tamen, quia Papa in supra dictis casibus, utitur consilio cardinalium, c. *Ad Apostolicæ*, de Re Jud., Clem. un. § *Cæterùm*, de Jurejur. ac propterea in rescriptis, quæ inde emanant, dicatur, *de Venerabilium fratrum nostrorum consilio*, hæc omnia inducunt necessitatem; sed illa apponuntur ex simplici, et quâdam decentiâ; quamvis Romani pontifices, pro eorum summâ modestiâ, non consueverunt aliter quàm consistorialiter, negotia hujusmodi expedire; ut tutiùs clausulas, ex certâ scientiâ, et de potestatis plenitu-

dine, aut alias similes, interserant, ut ait Lotter de Re. benef. l. 1, q. 11, num. 57.

Aliæ sunt materiæ quæ, propter earumdem raritatem, non ita passim admittuntur, aut gratiæ super eis conceduntur; quas non propterea mandat summus Pontifex in signaturâ proponi; sed tantummodò quærit an similis gratia, fuerit per aliquem suum prædecessorem, alicui concessa; et tunc, licèt non adstringatur ad judicandum exemplis, juxta text. in l. *Omnium*, c. de Sent. et inter Omn. jud., nec respiscere quid actum sit, sed tantùm quod agere debeat, Menoch. cons. 72, n. 49, eoque magis, cum summus Pontifex, sit omnia, et super omnia, Paris. cons. 5, num. 71, nihilominùs in his gratiis, quæ fortè non sibi videntur de facili concedendæ, semper, ex decentiâ, quærit se confirmare usui; ac sequi vestigia suorum prædecessorum circa ea, quæ sunt solita concedi; cùm in dubiis, semper sit facienda interpretatio à solitis, Innoc. in c. *Certificari*, num. 2, de Verb. sig.; Abb. in cap. *Certificari*, num. 2, de Sepult., text. in c. *Justitiæ*, 25, q. 1; ibi, *justitiæ et rationis ordo suadet ut qui à successoribus, sua mandata servari desiderant, prædecessoris sui procul dubio voluntatem et statuta custodiant;* et sic semper figit oculos ad ea quæ sunt moris et consuetudinis, juxta text. in l. *Apud*, § *Quia assidua*, ff. de Edil., et nunquàm ferè disponit ultra consuetum, Fel in c. *Cùm M. Ferrariensis*, num. 6, de Constit., sicut etiam interpretatio fieri debet secundùm cursum temporis aliorum Pontificum. Mandos. reg. 8, q. 4, num. 6 et 7. Unde, si petatur à Papâ gratia quæ apparet insolita concedi, et allegetur exemplum alterius similis gratiæ, jam concessæ, sive ab ipso, sive ab aliquo ex suis prædecessoribus, mandat ad hoc ipse, vel ipsius datarius, perquiri registrum supplicationum, seu bullarum : quia Papa, neque ab ipsomet confessorum potest quidem reminisci; cùm omnium habere memoriam, sit potiùs divinitatis quàm humanitatis, Glossa, in cap. *Cùm adeò*, verbo *Moderemur*, de Rescript., quòd si alia similis gratia reperiatur concessa, faciliorem se reddit ad consimilem concedendam.

Imò, non solùm ipse Pontifex, privatim, verùm etiam tota ipsa signatura movetur quandoque simili exemplo ad concedendum vel denegandum. Rot., dec. 215, num. 2, et decis. 244, num. 3, p. 3, divers.

Negari tamen non potest, quin tam Papa, quàm Signatura, aliquando concedat gratias, non semel, sed sæpiùs denegatas, Rot., d. decis. 244, num. 6, absque eo, quòd fiat mentio, quòd aliàs fuerit denegata, d. decis. 215, num. 4.

Posset tamen adhùc quis mirari cur Papa, ut supra dictum est, ad aliquid concedendum vel denegandum, moveatur exemplo dictorum suorum prædecessorum; cùm ipse habeat plenitudinem potestatis, c. *Decreto*, 2, qu. 6, cap. *Ad honorem*, de Auth. et Usu pall., ac sibi omnia permissa sint; Abb. in cap. *Magnæ*, de Vot., sitque supra jus, contra jus, et extra jus, Bald. in c. *Cùm super*, de Caus. poss. et propr., ac propterea solutus legibus; nec potuerint illius prædecessores eorum exemplo, illum aliquo modo ligare, l. *Digna vox*, c. de Teg. Poterit nihilominùs responderi quòd licèt hoc dependeat ab illius arbitrio, et non omnium quæ à majoribus nostris tradita sunt, certa ratio reddi possit, juxta text. in l. *Non omnium*, ff. de Leg., nec in arbitrariis ratio quærenda sit, sed sufficiat dicere :

Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.

§ *Furtivè*, et ibi Glossa, verbo *Furtivarum*, instit. de Usu cap. Glossa in l. *Recepta*, c. de Constit. pecun., l. *Omnium*, et l. *Quòd principi*, de leg. et l. *Quia poterat*, cum ibi not., ff. *Ad Trebell.*, sicut etiam quando ratio legis reddi non potest, sufficit dicere, *ita scriptum est;* Felin., in c. *Si quando*, num. 11, de Rescript., ac propterea circa rescripta apostolica, dicendum est quòd in illis non potest dari firma et certa regula, seu certa doctrina, propter diversitatem casuum occurrentium, et varietatem temporum, per quæ signaturæ multipliciter et sæpissimè variatur, juxta text. in c. *Non debet*, ibi, *si secundùm temporum varietatem*, de Consanguin et Affin. Nihilominùs dici potest quòd Papa ad id movetur et adstringitur quodammodò lege honestatis, ut supra dictum est, c. *Pervenit*, in fin. 11, qu. 1, Joan. Andr., in c. *Significati*, n. 3, de for. com., Paris., de Resign. benef., lib. 3, q. 1, n. 17, et ob id sic exactè perpendit an talis gratia, sit semper concedenda vel deneganda; ne postea contingat, vel semel denegatam concedi vel concessam revocari, cùm debeat Papa esse immobilis, et habere pedes plumbeos; id. Paris., lib. 11, q. 9, n. 12, quia si illusio et variatio in personis ecclesiasticis sunt vitandæ, Clem. unic. de Renunt., eò magis reprobantur in Papâ, Fel. in c. *Cùm olim*, n. 5, de Sent. et re jud., ne quòd hodiè concedit cras tollat; quia debet unum calamum, unamque linguam habere, Gonz. ad reg. 8 cancel., gloss. 9, n. 32, subdens ibi quòd Papæ convenit illud, *semel locutus est Deus, et quod scripsi, scripsi, et quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.*

Cùm autem contingit aliquando Papam per supplicantium importunitatem vel circumventionem aliqua prorsùs non concedenda concessisse, juxta text. in c. 2, ibi, *per promissiones hujusmodi quæ per importunitatem nimiam, per quam non concedenda, multoties conceduntur, et per ambitionem improbam, ut plurimùm extorquentur*, de Concess. præb., in 6; tunc si supplicatio, non reperiatur jam registrata, mandat Papa, illam per officiales detineri vel lacerari; ex eo quòd meliùs recordatus, agnoscit hujusmodi gratiam non esse concedendam, cùm sapientis sit, mutare consilium in melius, ut not. in l. *Nonnunquàm*, ff. de Coll. bonor. Auth. *Ut fratrum filii in princip.*; Glossa, in cap. *Qualiter*, de Accusat. Specul. in tit. de Except. § *Viso*, et sapientis sit revocare quod quis malè locutus sit, secundùm B. August. relatum in c. *Magnæ*, 22, q. 3.

CAPUT III.

Praxis primæ partis narrativæ litterarum in formâ : Si in evidentem.

Redeundo nunc ad rem nostram, dicamus quòd postquàm fuerit registrata, et in totum expedita supplicatio supra dicta, conficitur more solito, minuta litterarum quæ expediuntur ad præscriptum ejusdem supplicationis, modo sequenti, videlicet :

URBANUS *episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis primicerio Ecclesiæ Neapolitanæ ac vicario venerabilis fratris nostri archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali, salutem et apostolicam benedictionem. Ex injuncto nobis desuper apostolicæ servitutis officio, votis illis per quæ Ecclesiarum quarumlibet, utilitates et commoda procurantur, libenter annuimus; eaque favoribus prosequimur opportunis. Dudùm siquidem à fel. record. Paulo Papâ II, prædecessore nostro emanârunt litteræ tenoris sequentis, videlicet :* Paulus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cùm in omnibus judiciis sit rectitudo justitiæ, et conscientiæ puritas observanda, in multò magis in concessionibus alienationum rerum ecclesiasticarum convenit observari, in quibus de Christi patrimonio et dispensatione pauperum non de proprio cujusque peculio agitur vel tractatur. Quapropter oportet ut in examinandis hujusmodi alienationum causis, quæ à Sede Apostolicâ in formâ : Si in evidentem utilitatem cedant, *oneratis ecclesiasticorum judicium conscientiis, delegantur, nihil favor usurpet, nihil timor extorqueat, nulla expectatio præmii, justitiam conscientiamque subvertat. Monemus igitur, et sub interminatione divini judicii omnibus commissariis et delegatis hujusmodi, districtè præcipimus, ut cautè et diligenter attendant causas in litteris apostolicis, per supplicationes expressas, illasque sollicitè examinent atque discutiant, testes et probationes super narratorum veritate, et solum Deum præ oculis habentes, omni timore aut favore deposito, Ecclesiarum indemnitatibus consulant, nec in læsionem aut detrimentum earum, decretum quomodolibet interponant. Si quis autem commissarius, vel delegatus, conscientiæ suæ prodigus, in gravamen aut detrimentum Ecclesiæ, per gratiam aut timorem, vel soraes, alienationi consenserit, aut decretum vel auctoritatem interposuerit, inferior quidem episcopo sententiam excommunicationis incurrat, episcopus verò, aut superior ab executione officii per annum noverit se suspensum; ad extimationem detrimenti Ecclesiæ illati nihilominùs condemnandus; sciturus quòd si suspensione durante damnabiliter ingesserit se in divinis, irregularitatis laqueo se involvet, à quo nisi per summum Pontificem poterit liberari; is verò qui dolo vel fraude aut scienter in detrimentum Ecclesiarum alienationem fieri procuraverit, aut per sordes vel impressionem alienationis decretum extorserit, similem sententiam excommunicationis incurret, à quâ non nisi per Romanum Pontificem possit absolvi, ad restitutionem nihilominùs rerum alienatarum, cum fructibus quandocumque de præmissis constiterit, condemnandus. Volumus autem, quòd legati et commissarii prædicti de pœnis constitutionis nostræ specificè moneantur, et in quibuscumque litteris, et commissionibus hujusmodi, hoc statutum nostrum inseratur. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ monitionis, præcepti et voluntatis infringere, etc. Si quis hoc attentare autem præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac B. B. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quadringentesimo sexagesimo quinto, 5 idus maii, pontificatûs nostri anno primo.*

Et deinde exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Joannis Gandulphi rectoris sine curâ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Josaphat, in pertinentiis civitatis Neapolitan. ac Vincentii Bresciani laici illorum partium, petitio continebat quòd aliàs seu nuper dictus Joannes, ut suam et dictæ sine curâ Ecclesiæ hujusmodi, quam obtinet, conditionem meliorem efficere cupiens, quoddam terræ pretium, modiorum trium, mensuræ illarum partium; juxta bona quondam Lucii Sarriani ac dilecti filii Franciscì Dalani, viam publicam, et alios, si qui sint, confines, situm, et ad eamdem sine curâ Ecclesiam legitimè spectans, valoris in proprietate, ducatorum centum, monetæ Neapolitanæ, annui verò redditûs ducatorum decem paris monetæ, summam septem ducatorum auri de camerâ constituentium, eidem Vincentio, in emphyteusim, ad tertiam ipsius generationem, pro annuo canone, seu responsione ducatorum sexdecim ejusdem monetæ, decem ducatos pariter auri de camerâ constituentium, locare et concedere decrevit, si nostra et Sedis Apostolicæ sibi suffragentur licentia et facultas. Quare pro parte Joannis et Vincentii præfatorum, asserentium, locationem et concessionem hujusmodi, si fiant, in evidentem dictæ sine curâ Ecclesiæ cessuras fore utilitatem, nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs eis licentiam et facultatem hujusmodi concedere, aliàsque in præmissis opportunè providere, de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, certam de præmissis notitiam non habentes, ac Joannem et Vincentium prædictos, et eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, etc., absolventes, et absolutos fore censentes; necnon terræ petii hujusmodi, situationes, confines, vocabula, denominationes, qualitates et quantitates, præsentibus pro expressis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni vestræ, per apostolica scripta mandamus, quatenùs vocatis qui fuerunt evocandi, servatâque formâ præinsertarum litterarum, ac dicto terræ pretio, illiusque circumstantiis universis coram vobis specificatis, de præmissis, vos conjunctim procedentes, diligenter informetis, et si per informationem eamdem, locationem et concessionem hujusmodi, si fiat, in evidentem præfatæ sine curâ Ecclesiæ, cessuras fore utilitatem, vobis legitimè consisterit, Joanni et Vincentio, præfatim, illas modo et formâ præmissis faciendi, licentiam et facultatem, auctoritate nostrâ concedatis et impartiamini; omnesque et singulos, tam juris quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet, intervenerint, suppleatis. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apost. cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd

finità vel deficiente tertiâ generatione hujusmodi, prædictæ terræ pretium, cum omnibus et singulis juribus et pertinentiis suis, nec non quibusvis melioramentis, desuper pro tempore quomodolibet factis, ad d. sine curâ Ecclesiam, pleno jure revertatur; illisque liberè cedat; absque eo quòd renovatio locationis hujusmodi à quoquam, quovis prætextu, et ex quâvis causâ peti aut prætendi possit. Dat. Romæ, etc.

Post quarum quidem litterarum præmissarum tenorem illarum verba, ac clausulæ in eis inserta veniunt explicanda; propterea ita dicamus:

URBANUS, etc.; PRIMICERIO, ECCLESIÆ NEAPOLITAN. — Per ea namque verba in calce supradictæ supplicationis apposita nempè. *Et committatur ordinario, et dignitatem in ejus Ecclesia obtinenti*, poterunt oratores, sive eorum sollicitator, quemlibet ex eis dignitatem obtinentibus, ad eorum libitum eligere; nam hujusmodi litteræ expediuntur in formâ commissariâ, et non aliter quàm ordinario, sive ejus vicario, et dignitatem obtinenti, committuntur.

Sed numquid sub nomine dignitatis comprehendantur etiam canonici ejusdem cathedralis ecclesiæ; adeò ut etiam illis dirigi possint hujusmodi litteræ in formâ, *Si in evidentem*, etc., et videtur affirmativè respondendum, quia satis clarum est quòd quoad delegationem Sedis Apostolicæ ipsi æquiparantur dignitatibus, Caputaq., decis. 257, p. 1, et neminem latet quòd in quamplurimis commissionibus justitiæ, dùm in supplicatione petitur executionem committi probis viris, in dignitate ecclesiasticâ constitutis, absque aliquâ difficultate committuntur postmodùm litteræ, etiam canonicis cathedralis ecclesiæ; et ita debemus interpretari mentem rescribentis, Gl. in l. *Vel universorum*, ff. de Pignor. act., l. *Scire oportet*, § *Aliud*, vers. *Sed et si maximè*, ff. de Excus. tutor., cùm ipsi canonici sint in magno honore et præeminentiâ constituti, text. in cap. *Quanquàm*, de Præb., in 6, cùm canonicus dicatur pars corporis Ecclesiæ et episcopi, c. *Requisitis*, de Testam, c. *Novit*, de his quæ fiunt à præl. et magis expressum est in c. *Statutum*, de Rescrip., in 6, ubi canonici cathedralis ecclesiæ quoad commissiones æquiparantur constitutis in dignitate, licèt ille textus restringatur ad canonicos tantùm cathedralis Ecclesiæ, Rip., resp. 23, de Legat., n. 4, et 7, et resp. 10, concludit quòd sint digniores rege, ut per Mandos., reg. 18, q. 2, num. 7.

His tamen non obstantibus contrarium est verius, etiam in praxi receptum; nam canonicus, etiam cathedralis, non dicitur propriè habere dignitatem, sed tantùm largo modo, ut est communis opinio, et latet per Sarnen., in d. c. *Statutum*, Fel. in c. *Pastoralis*, de Off. deleg.; Caputaque, d. decis. 257, n. 1. Sed hìc parùm insudare necesse est, alia in contrarium adducendo cùm satis notum sit, hujusmodi litteras: *Si in evidentem*, numquàm committi simpliciter obtinentibus dignitatem, ipsius dignitatis nomine non expresso adeò ut videatur etiam canonicus comprehendi, ut in decis. 17, Achill. de Grass., in quâ habetur quòd cùm quidam Carolus à sac. pœnitentiariâ obtinuisset litteras, quòd posset emittere professionem in manibus antistitis, vel alterius cujusque in dignitate ecclesiasticâ constituti, emisit professionem in manibus canonici; et cùm de hoc dubitaretur, propositâ causâ, domini inclinabant, quòd non valeret professio, ex eo quòd erat contra text. in c. Fin. de Off. deleg., junctâ Gloss. in 6, et propterea inclinârunt quòd consulerentur domini de Pœnitentiariâ qui responderunt se etiam canonico illud commisisse, et causâ iterùm propositâ, cum stylo et mente pœnitentiariæ domini inclinârunt pro validitate

Hìc autem cessat omnis difficultas, cùm versemur circa casum satis expressum, quia licèt Papa committat in supplicatione executionem, simpliciter dicendo, *et dignitatem obtinenti*, stylus tamen et usus inveteratus cancellariæ apostol. est ut hæc rescripta non dirigat, nisi propriè dignitatem obtinenti; specificando nomen ipsius dignitatis, et ita est mens Papæ, cujus cancellaria dicitur organum, Paris., de Resig. benef., lib. 3, q. 6, n. 3, et lib. 9, q. 26, n. 4, et sic etiam cæteri officiales, per quorum manus transeunt hujusmodi rescripta, benè instructi sunt de mente ipsius Papæ concedentis, qui propterea non sinunt ea transire absque expressione specialis nominis dignitatis, puta, archidiaconi, seu aliæ majoris, usque ad ultimam dignitatem, ex quo unicuique illam obtinenti in ipsâ cathedrali, præter canonico, committi potest; unde, cùm simus in claris, habeamusque legem scriptam, non opus erit conjecturis, nec aliud remanet dubium, ad text. in lib. *Ancillæ*, cap. de Furt., lib. *Continuus*, § *Cùm ita*, ff. de Verb. obl.; Lud. dec. 127, num. 11.

Est enim hìc antiquus stylus qui præsertim sumpsit exordium ex constitutione Pii IV super reformatione officii correctoris cancellariæ, et contradictarum; per quod antea transibat ista rescripta, ut in præd. constit. quæ incipit: *Universi gregis*, sub dat. Rom. 1562, kal. junii, anno tertio; ac etiam per aliam constitutionem super reformatione officii S. pœnitentiariæ, per quod omnes ferè materiæ expediebantur, exceptis beneficialibus ac dispensationibus matrimonialibus in proximioribus gradibus; in quâ idem Pius voluit ut major pœnitentiarius non concedat commissiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum, aut illarum confirmationum de bonis ecclesiasticis in formâ quæ dicitur: *Si in evidentem*, pro rebus, quarum redditus annuus summam 20 ducatorum auri de camerâ excedat, et commissiones hujusmodi, semper ordinario loci et alteri personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ conjunctim committantur, per hæc verba, videlicet: *Et confirmationes hujusmodi semper ordinario loci et alteri personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ conjunctim committantur; et si de ipsius ordinarii interesse vel præjudicio agatur, tunc loco ipsius committatur metropolitano; et si res ad ipsum metropolitanum pertineat, ordinario viciniori*, etc., *sub datum Romæ 1562, quarto non. mai, anno secundo;* et exinde semper similia rescripta committi consueverunt ordinario et uni ex d. dignitatibus in

ejus Ecclesiâ obtinenti, expresso nomine dignitatis, sicut hodiè servatur; quoad annuum valorem suprad. aliud nunc servatur, ut infra, suo loco dicemus.

Sanè, pro executione similium rescriptorum, quoad civitatem et diœcesim Neapolitan., semper ea dirigi consueverunt, et tam primicerio quàm cimiliarchæ, quod videtur ex antiquâ tantùm consuetudine receptum, cùm neuter horum habeat propriè dignitatem, secundùm propositam materiam, quod præcipuè redundat in maximum honorem capituli tam insignis cathedralis Ecclesiæ; ubi nulla major ipsius capituli dignitas est, quàm non habere in Ecclesiâ dignitatem; præter pontificalem. In his enim non concurrunt ea quæ requiruntur ad constituendam veram dignitatem, ex quo de jure communi, nulla alia officia ecclesiastica, sicut sunt ista, sonant in dignitatem, nisi archipresbyteratus, Put., decis. 89, n. 1, lib. 3; Card. Tusc. in suis pract. Concl., tom. 1, litterâ A, concl. 685, n. 3, cùm isti tantùm præsumantur semper habere jurisdictionem; et tunc verè dignitas dicatur, ubi adest jurisdictio; licèt in dubio, tribus signis cognoscatur dignitas, ut ait Boer., decis. 268, quorum primum est, si is qui habet officium, præest administrationi cum jurisdictione, c. *Volumus*, dist. 39, c. *Episcopis gubernationem*, 88 dist. Secundum, quando officium habet nomen quod de jure communi sonat in dignitatem, quia nimirùm vocatur *archidiaconus*, et sic de aliis; licèt de more et consuetudine Ecclesiarum, nullam habeat administrationem nec jurisdictionem. Unde vidimus quandoque dignitatem in cathedrali seu collegiatâ Ecclesiâ in dubio, et ex circumstantiis declarari per papam, seu S. Congreg., quare decanus Ecclesiæ Puteolanæ fuit declarata prima dignitas, eidemque deberi omnimodam præeminentiam, et propterea ad ipsum spectare omnes functiones episcopales, absente vel impedito episcopo; ita sacr. Congr. Rituum in unâ Puteolanâ 10 decemb. 1613. Tertium, quando de consuetudine vel constitutione Ecclesiæ, habetur pro dignitate, c. *Consuetudo*, 12 dist., c. *Cùm olim*, de Consuet.; id Boer., d. decis. 286, n. 2 et 4. Cæterùm autem, neque præpositura, neque primiceriatus, neque plebania, aut similis, est dignitas, cùm non habeat nomen sonans in dignitatem à jure communi introductum, sed potiùs in nomen officii, etiamsi præpositus, primicerius, plebanus, et similes, ante omnes sedeant in choro quia non propter hoc censentur habere dignitatem, ut per Bald. in c. *Dudùm*, de Constit., licèt unusquisque ipsorum talis esse posset, quando probaretur, ipsum communi reputatione, habitum fuisse pro dignitate, ut per Barbos., de Jur. Eccles., l. 1, c. 21, n. 34; tunc enim tali consuetudine introduci potest, ut possint esse dignitates, præpositus, primicerius, thesaurarius, decanus, cantor, scholasteria, et similes, quibus omnibus ex hoc frequenter consueverunt dirigi hujusmodi rescripta, *Si in eviaentem;* vel si probaretur dignitas ex ejus expressione factâ in collationibus apostolicis, sive ordinariis, aut ex declaratione factâ per capitulum, et ex pluribus actibus capitularibus, id. Barbos., d. cap. 21, n. 19, aut ita constaret ex libris ipsius Ecclesiæ præsertim, si essent adminiculati ex annalibus, sive chronicis, quibus plurimùm differtur, Marc. Anton., var. Resol. lib. 1, resol. 46, num. 5; Lotter., de Re benef., lib. 2, q. 33, num. 32 et 33; ergo præmissis cessantibus, ex præeminentiâ sedendi, ut dictum est, non inducitur dignitas, id. Barbos. d. cap. 21, num. 33, ac propterea his similia rescripta non diriguntur, nisi forsan ex consuetudine Romanæ Curiæ, diù per summum Pontificem approbatâ, ut omnibus curialibus notum est.

Primò quoque hujus Ecclesiæ diacono hæc rescripta, etiam ex antiquâ consuetudine diriguntur, licèt ea concipiantur sub nomine archidiaconi; de quo neque est mirandum, quia supposito quòd iste haberet jurisdictionem, nulla est differentia inter primum diaconum, et eum quem in jure appellamus archidiaconum, Gram., decis. 64, num. 17, ubi præcisè loquitur de majori diacono Ecclesiæ Neapolitanæ.

Verum tamen est (ut ad præmissa revertamur) quòd in illis Ecclesiis, ubi nulla prorsùs adest dignitas, ex notorio stylo datariæ, apponitur in calce supplicationis; *et committatur ordinario, et uni ex antiquioribus canonicis ecclesiæ N., attento quòd in eâdem, præter pontificalem, nulla adest dignitas qui conjunctim procedant*, etc. Et sic ex isto decreto clarè constat, mentem summi Pontificis, illiusque officialium esse, ut quoad præsententem materiam, canonici non veniant appellatione dignitatis; cùm illis tantùm hujusmodi rescripta, *Si in evidentem*, committantur, in defectum obtinentium propriè dignitatem in ipsâ Ecclesiâ, ut dictum est.

Hic verò nota quòd quotiescumque litteræ apostoljcæ diriguntur antiquiori canonico, vel alicui de collegio, antiquitas hæc intelligitur, non de ætate, sed de tempore receptionis, ex notab. Glos. in c. *Fin.*, vers. *Antiquiores*, quæ sic ait, *non ætate, sed tempore quo in Ecclesiâ militaverunt*, de Consuetud., l. 6; datur enim iste honor antiquiori canonico, propter ejus majora onera et servitia, quæ in Eccl. subiit, c. *Miramur*, 61 dist., l. 2, in fin., cod. de Officio magistri officiorum. Dicit tamen eadem Glossa quòd si aliter haberetur in d. Ecclesiâ consuetudo, nempe de antiquioribus ætate, vel majoribus ordine, illa erit attendenda.

Quòd si in cathedrali adsint dignitates, sed tamen tempore impetrationis rescripti eorum nomina ignorentur, ne propterea retardetur expeditio litterarum, permittunt officiales, hujusmodi litteras dirigi ordinario, et uni, dignitatem in illius Ecclesiâ obtinenti absque eo quòd nomen dignitatis, quod ignoratur, exprimatur; et aliàs in quibusdam antiquis notabilibus vidi commissionem factam eidem ordinario, et primam dignitatem in illius Ecclesiâ obtinenti, sine dictâ expressione, licèt hodiè hoc non ita passim admittatur.

Aliquando committuntur ordinario et nuntio Sedis Apostolicæ, et ibi commoranti, qui conjunctim pro-

cedant; quandoque etiam legato, sub his verbis : *Et committatur legato Bononien., sive ejus vicelegato*, absque eo quòd committatur alteri, dignitatem obtinenti, qui conjunctim, etc.

Dignitatem autem obtinenti, etiam principalem in collegiatâ, nunquàm hæc rescripta committuntur, quia per Ecclesiam intelligitur tantùm de cathedrali, ut in c. *Cùm clerici*, junctâ Gloss. in verbo *Ecclesiæ*, de Verb. sign., ubi Ecclesia capitur tantummodò pro episcopo et canonicis cathedralis, Clem. *in Plerisque*, de Election., ubi non aliàs quàm pro cathedralibus sumuntur ac Metropolitanis, Paris., de Confiden. ben. q. 29, num. 33, et sic, secundùm stylum Romanæ Curiæ, cùm loquitur de Ecclesiâ, absque alio adjuncto, videlicet collegiatâ, parochiali vel simplici, intelligitur de Ecclesiâ principali, id est, cathedrali, Mandos., reg. 26, q. 3 n. 10; Gonzal. ad reg. 8, Cancell., gloss. 6, num. 22.

Ubi tamen necessitas committendi hujusmodi rescripta aliud suadeat, nihil est, quin commissio fiat eo modo quo fieri potest, et sic etiam obtinenti dignitatem in collegiatâ Ecclesiâ, quare cùm bona alienanda erunt in loco subjecto, puta jurisdictionis abbatis montis Cassinensis, tunc ita committi consuevit : *Dilectis filiis abbati monasterii montis Cassinen., nullius diœcesis provinciæ Capuan., ordinis S. Benedicti, ac archidiacono secularis et collegiatæ Ecclesiæ S. Germani, dicti montis Cassinensis*, et in corpore litterarum ita prosequitur : *Tibi, fili abbas, particulare et separatum territorium habenti, ac jurisdictionem quasi episcopalem in dicto loco exercenti, ac discretioni tuæ, fili archidiacone, per præsentes committimus*, etc.

Fuit aliàs similis commissio *Si in evidentem*, etc., facta soli canonico, prout in unâ Auximanâ Bonorum impressâ penès Marbesanum, de Commiss., p. 1. cap. 2, n. 3, ubi, quod proinde fuit oppositum, quòd breve fuerit directum canonico, non autem personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ; sed fuit responsum hoc non obstare, quòd videlicet dictum breve fuisset expressè directum cuidam Angelo Massutio canonico, quia sic declaravit Papa se intellexisse de dignitate largo modo in clausulâ commissionis, ut in d. dec., num. 3.

Sede episcopali vacante, diriguntur hæc rescripta; ordinario viciniori, ac pariter dignitatem in illius ecclesiâ obtinenti. Idemque servatur, si de proprii ordinarii interesse agatur; quo casu, etiam committi consueverunt metropolitano, ex præscripto supradictæ constit. Pii IV, his verbis : *Et si de ipsius ordinarii interesse, vel præjudicio agatur, tunc loco ipsius committantur metropolitano viciniori*, et ita servatur in praxi, testibus Borg. Cavalc., decis. 56, num. 53 et seq., et Prosp., de August., in add. ad Quarant., verb. *Alienatio*, sub num. 14, in fin., vers. *Commissiones*.

Quare, primo casu, ita additur per officiales in calce supplicationis, videlicet : *Et attento quòd sedes episcopalis N. ad præsens vacat, committatur ordinario viciniori, et dignitatem in ejus ecclesiâ obtinenti, qui conjunctim procedant*, etc. Secundo verò casu : *Et attento quòd de supradicti episcopi N. interesse agitur, committatur metropolitæ, seu ordinario viciniori, et dignitatem*, etc.

Cæterùm autem, hujusmodi rescripat in dictâ formâ, *Si in evidentem*, per illam clausulam : *Et committatur ordinario*, etc., nunquàm Papa, alteri illa dirigere intendit, nisi ordinario illius loci, ubi bona alienanda sita sunt, exceptis casibus supradictis; quamvis ferè semper in his casibus committi consueverunt ordinario viciniori, omisso metropolitano.

Ratio namque est illa, quam affert. Dec. in c. *Cùm venissent*, col. 5, de Jud. nempe, propter suspicionem, Saly., in l. 1, c. *Ne quis in suâ causâ*, col. 3, etiamsi in illis partibus adesset consuetudo in contrarium, Abb. in c. *Postulàsti*, n. 14, de Form. comp.; alioquin tam processus quàm sententia, aliaque inde secuta, nullius essent roboris, cùm non videatur aliquo modo conveniens ut ipse episcopus, sive aliquis ex ipsius Ecclesiâ, gerat vicem judicis et partis in causâ propriâ, Bart. in l. *Qui jurisdictionis*, ff. de Jurisd. omn jud.; Garc., de Ben., p. 5, c. 2, sub n. 46.

Cùm verò agitur de alienatione rerum ecclesiasticarum in ipsâ urbe sive ejus districtu existentium, committitur vicario urbis tantùm executio litterarum, et aliquando additur sive ejus vicegerenti, Rot., dec. 65, n. 5, p. 2, divers.

Nec omittam quòd licèt hæc rescripta expediantur in formâ commissariâ, ut supradictum est, nihilominùs si contingit illa concedi ad instantiam regis seu alterius magni principis, tunc nulla fit ordinario aut dignitatem obtinenti commissio, sed quia statur assertioni talium personarum, expediuntur in formâ gratiosâ, cùm verisimile nimiùm sit causas per eas allegatas pro alienatione faciendâ, absque aliquâ hæsitatione, veras esse, ac propterea non egere aliquâ discussione, cùm sufficiat tantummodò assertio hujusmodi supplicantium, sicut vidi pluries in praxi observari, fueruntque litteræ, hoc modo expeditæ, videlicet : URBANUS, etc., *charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico, salutem*, etc., ac post narrationem dicitur : *Idcircò nobis humiliter supplicari fecisti, quatenùs tibi, tanquàm perpetuo administratori militiæ*, etc., *de illius, ac præfatæ perceptoriæ evidenti utilitate abunanter informato, eamdem venditionem faciendi, licentiam et facultatem accedere dignaremur. Nos igitur*, etc., *majestati tuæ, villam et locum, cum vasallis, Castro ·urisdictione, annexis, bonis, juribus et obventionibus prædictis, eidem N. modo et formâ præmissis, vendendi plenam et liberam licentiam et facultatem, attento quòd (ut asseris) hæc omnia in evidentem militiæ, et perceptoriæ prædictarum utilitatem tendant, apostolicâ auctoritate tenore præsentium concedimus, et indulgemus.*

Nec quidem semel vidimus, etiam ad instantiam rectoris, seu beneficiati, potentis, confirmari locationem per eum alicui factam de bonis ad suam Ecclesiam spectantibus, parvi valoris, puta in proprietate, quin quaginta, annui verò redditus trium ducatorum, ad viginti novem annos, sub annuâ responsione quatuor

ducatorum cum dimidio, sub beneplacito Sedis Apostolicæ concedi. Quare Papa, stando ipsius rectoris assertioni, non dat in litteris executores, neque aliqua fit in eis mentio litterarum Pauli II, quæ incipit : *Cùm in omnibus*, sed tantummodò locationem prædictam, dummodò justo pretio facta fuerit, nec illius solutiones anticipentur, approbat et confirmat per hæc verba, scilicet : *Tenore præsentium approbamus, et confirmamus*, etc., *ac omnes defectus*, etc., *supplemus*, cum derogatione extrav. ejusdem Pauli, quæ incipit *Ambitiosæ*, et aliorum Romanorum Pontificum, præsertim Alexandri VI, quâ cavetur, tempus similium locationum, à die facultatis desuper concessæ, non autem à die locationis hujusmodi, incipere debere, et aliis constitutionibus apostolicis, etc. Quæ quidem litteræ dari consueverunt etiam per præfecturam brevium, sub annulo Piscatoris, et cum clausulâ : *Ad futuram rei memoriam*, et cum decreto, quòd finitâ ipsâ locutione, etc., cum omnibus juribus, etc., ad Ecclesiam revertatur prout infra fusiùs loco suo dicemus.

Pro regularibus autem rarò expediuntur litteræ, sed tantùm porrecto supplici libello in sac. congreg. concil. Trid., ac propositâ materiâ de quâ agitur, extenditur tantummodò decretum in calce ipsius libelli, quo ordinario tantummodò, et quandoque etiam dignitatem in illius Ecclesiâ obtinenti, si ita qualitas et gravitas materiæ suadeant, committitur, ut procedant servatâ formâ litterarum Pauli II, de quâ etiam suo loco dicemus.

Ratio autem cur potiùs hujusmodi rescripta committantur dignitatem propriè obtinentibus, ea præcipuè esse potest, quia in re tam gravi, sicut est alienatio rerum Ecclesiæ, requiritur exacta peritia, quæ semper præsumitur in obtinentibus dignitatem ; Paris., de Re sig. benef., l. 1, q. 11, n. 14. Præterea ait Fel. in c. *Dilectus filius*, 2 de Rescript., quòd ideò talibus, causæ demandantur, quia ob eorum dignitatem curant, ut hujusmodi negotia sine fraude gerantur.

Ac vicario, etc. — Parùm enim refert quòd in supplicatione commissio sit facta, non vicario, sed ordinario : hoc enim procedit ex notorio stylo cancellariæ, qui innititur juri communi, cùm vicarius generalis dicatur etiam ordinarius ; Glossa, in c. 2, vers. *Officialem*, de Off. vicar., in 6 ; Innoc., in c. *Tua nobis*, eod. tit. ; Felin., super rubr., de Off. deleg., col. 3, vers. *Vicarius ;* quamvis aliud esset quando rescripta dirigentur ordinario tantùm, excluso vicario, quia iste, tunc causam, episcopo delegatum, cognoscere non potest, nisi ex speciali ipsius subdelegatione, Barbos. de Off. et Pot. episc., alleg. 24, n. 111.

Stylus insuper inolevit, ut dignitatem in Ecclesiâ obtinens, præponatur ipsi vicario in hujusmodi rescriptis : rationem autem didici ab antiquis, et peritis in ipso stylo, nempe, quia dignitas in cathedrali est perpetua, vicariatus verò non, cùm sit ad nutum episcopi, amovibilis, et non sit dignitas permanens, ut per Abb. et Felin., in cap. *Quoniam ;* Abb., de Off. deleg., quinimò vicarius episcopi habens jurisdictionem, non habet propterea dignitatem, Barbos. de Jur. Eccles., l. 1, c. 21, n. 23. Insuper dixit Hieron. Paul., suâ Pract. Cancell., quod stylus est Romanæ Curiæ, ut rescripta Romanorum Pontificum directa ad aliquam dignitatem, et vicarium simul et conjunctim, priùs ipsam dignitatem quàm vicarium nominent, quod est tantùm consuetudine introductum, ut ait etiam Azor., Institut. moral. 3, c. 43, litterâ E, tomo 2 ; nam licèt vicarius habeat honorem, seu officium cum jurisdictione, non tamen obtinet dignitatem, seu personatum in aliquâ Ecclesiâ, id Abb., in c. *De multâ*, n. 23, de Præb. ; Menoch., cons. 51, n. 23.

Alias a fel. recor. Paulo Papa II, prædecessore nostro emanarunt litteræ, etc. — Hæc constitutio quæ etiam Paulina nuncupatur, inseritur in omnibus litteris hujusmodi commissionum alienationum, ut patet ex ipsius tenore, ibi : *Volumus ut in quibuscumque litteris commissionum hujusmodi hoc statutum nostrum inseratur ;* unde, non inseritur tenor ipsius Extravag. *Ambitiosæ*, ut aliqui, sine praxi loquentes dicunt, præsertim Jo. Franc. Leo, in Thes. for. eccles., p. 4, c. 1, n. 51, vers. *Quod autem.*

Nunquàm tamen primodicta Paulina, seu statutum inseritur in litteris, in formâ brevis sub annulo Piscatoris ; quæ expediuntur, quando annuus valor rei alienandæ est exiguus, ut infra dicemus ; nec verum est, quod dicit Redoan., q. 20, n. 126, nempe, quòd Paulus Secundus præcepit, ipsam Paulinam inseri in commissione brevis, vel bullæ in materiâ alienationum ; quia dicta Paulina loquitur tantùm de litteris, id est, bullis, non autem de Brevibus, ut enim omnes sciunt, brevia non sunt Bullæ, quia diverso nomine nuncupantur ; arg. tex. in l. *Si idem*, c. de Codicill., et licèt videamus, quòd extra Italiam, quamcumque bullam, etiam non plumbatam, quæ veniat de Rom. Curiâ, ac etiam citationes sub sigillo, vocant litteras apostolicas ut per Crescen., decis. 2, n. 3, de Off. et Pot. jud. deleg. nihilominùs constitutiones loquentes de litteris apostolicis, intelliguntur tantùm de bullis sub plumbo expeditis, Clem. un. de Prob. cum ibi not. per Bonif., de Vital., n. 3, vers. *Litteris*, ubi ipse declarat, d. Clem. intelligi de litteris, in formâ solitâ, expeditis ; cum loquatur de provisione beneficiorum, quæ non conceduntur per brevia, sed tantùm per litteras sub plumbo. Ratio autem, cur eadem Paulina non inseratur in hujusmodi brevibus satis patet ex ipsius definitione, quod ideò sic appelletur, quia nihil aliud est, nisi commentariolus, summam rerum continens, ad text. in l. *Excellentia*, c. de Erog. mil. anno, Rebuff., in Praxi, tit. de Breve apost., n. 1, ubi, n. 18, dicit quòd ideò appellatur brevis, quia brevibus verbis fit, vel quod in brevibus materiis concedi solet, et summatim negotium continet ; ac propterea non solùm in hujusmodi brevibus alienationum, non inseritur supra dicta Paulina, imò nec in eis præponuntur præfationes, nisi rarò, et quatenùs materiæ gravitas aliud suadeat.

Unde, etiam in hoc, alia patet differentia, quia, ut ait Gomes., in tract. brev. litteris apostolicis sub plumbo, major datur fides quàm brevibus ex eo quòd litteræ sunt patentes, brevia verò expediuntur ferè

semper clausa, Gonz. ad reg. 8, cancell., gl. 59, n. 6.

Neque inseritur eadem Paulina in litteris apostolicis, etiam sub plumbo; quando locatio bonorum ecclesiasticorum sit ad modicum tempus, puta novem annorum; quia tunc non dicitur verè alienatio, prout ipsa Paulina requirit, cùm ea talis dicatur, quando saltem fit ad decem annos, et ultra, Redoan., hoc tit. q. 66, n. 41 et 42, optima doctr. Bart. in l. *Codicillis*, § *Instituto*, ff. de Leg.; Joan. Andr. et Innoc., in cap. 1, de Reb. eccl. non alien.; Mohed., dec. 12, n. 1, dit. de Loco et Cond.

Vel etiam dici potest quòd regulariter inseritur in materiis gravioribus hujusmodi alienationum, quæ, ut plurimùm expediuntur per cancellariam, aut officium minoris gratiæ in eâdem cancellariâ, et negotii gravitas suadet prædictæ constitutionis insertionem, ut commissarii, servatâ ejus formâ, rectiùs procedant.

CAPUT IV.

Praxis secundæ partis narrativæ earumdem litterarum : Si in evidentem, *etc.*

Et deinde exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum, etc. — Non enim ad supplicationem unius tantùm conceditur hæc facultas, sed uterque orator debet supplicare, quod si ecclesia, seu beneficium fuerit vacans, illius bona alienari non possunt, donec sibi de rectore seu beneficiato provideatur, ut per Imol. et Jo. Andr. relatos per dict. Redoan., q. 31, n. 24.

Hic enim mos est cancellariæ apostolicæ, quòd si in hujusmodi materiis non supplicet prælatus seu rector, sed ille tantummodò, cui quid conceditur titulo venditionis, seu locationis aut emphyteusis, non expedientur litteræ per cancellariam prædictam; ex quo supplicans nullum habet interesse, ut bona ecclesiastica alienentur, etiamsi in supplicatione aut litteris dicetur, de consensu prælati, seu rectoris, seu alterius personæ ecclesiasticæ; quare necesse est quòd supplicet prælatus, seu rector aut alia persona ecclesiastica, cujus sunt bona alienanda. Secùs verò dicendum est, quando sumus in confirmatione alienationis et concessionis factæ per prælatum, seu rectorem, aut aliàs beneficiatum; tunc enim tenet cancellaria sufficere quòd laicus supplicet pro ipsâ confirmatione, etiam ad instantiam et supplicationem ipsius laici, cui concessa sunt bona, sed apponetur clausula, *vocato prælato*, etc., quod tamen cum difficultate et rarò vidi practicari, imò semper utrumque supplicare (ut omnes sciunt curiales) pro quibuscumque confirmationibus, pro quibus aliàs à principio requirebatur, ut uterque supplicaret; in quibus (quod per transitum dictum sit) non omnia formaliter, et ad unguem sunt regulariter narranda; nam licèt cautius esset illa narrare, attamen sufficit, quòd exprimantur substantialia, ex quibus idem resultet sensus. Optimi tamen sollicitatoris partes erunt, ut, quoad fieri poterit, exprimantur omnia pacta, qualitates, et conditiones in instrumento, inter partes inito, adjecta; quando præsertim instant partes pro eâdem confirmatione ex certâ scientiâ, cùm scilicet totus tenor inseritur in supplicatione, per quem summus Pontifex sit de qualitate facti benè informatus, licèt aliter evenit, quando confirmatio concedatur in formâ communi, quia tunc ipsa confirmatio non validat actum in se nullum, cùm stet conditionaliter, quando tenor non sit insertus, ac proinde, si dubia redditur dicta confirmatio, debet illa secundùm juris dispositionem interpretari, et sic confirmatio in hoc casu committitur ordinario, ut precibus verificatis, confirmet per ea quæ dicit Abb. in cap. *Quam diversitatem*, num. 9, de Concess. præbend., quod non servatur in primo casu; quando scilicet Papa totum tenorem concordiæ in supplicatione sibi porrectæ, vidit expressum, aut saltem per illius officiales et expeditores fuit discussa, ut per Alex., cons. 59, n. 9, et dixit Rot. in unâ calciaten. jurisdictionis, 27 april. 1589, coram Rubeo.

Laici illarum partium. — Qualitas enim hæc est etiam de stylo exprimenda, nempe quòd conductor, sive emptor sit laicus eò quòd ille non potest possidere bona beneficii ecclesiastici, cùm neque patronis liceat bona temporalia beneficii eorum jurispatronatûs ministrare, seu in illis se ingerere, Lambert., de Jurepatr., p. 1, q. 2, prin. art. 5; Abb. in c. *Præterea*, n. 3, cod. tit.; Fel. in c. *Venerabilis*, n. 9, de Except., c. *Cum laicis*, de Reb. eccl. non alien., et ob id, nisi exprimatur supra dicta qualitas; quia bona ecclesiæ non debent profanis usibus applicari, ut habetur in eâd. Extravag. *Ambitiosæ*, tale rescriptum inutile redderetur, text. est in c. 2, hoc tit. lib. 6, ibi : *Hoc consultissimo prohibemus edicto, universis et singulis prælatis ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum laicis submittere, subjicere, seu supponere absque capituli sui consensu, et Apostolicæ Sedis licentiâ speciali*, etc.; nam satis clarum est, quòd solus Papa potest facere laicum habilem et capacem rerum spiritualium et spiritualitatis, Redoan., q. 63, num. 20, et ait Glossa, in d. cap. 2, in verbo *Speciali*, in fin., quòd propterea hoc edictum emanavit, quia in talibus submissionibus majus periculum veritur; et ideò cautiùs quàm in aliis alienationibus est agendum, unde major est alienatio, quæ fit in laicum et usus laicales, quàm illa quæ fit in ecclesiam, Grat., discept. for., tom. 3, c. 517, num. 9.

Et eò magis si fuerit ille consanguineus ipsius rectoris, cùm potiùs alienatio præsumatur fieri intuitu consanguinitatis, quàm ecclesiæ utilitatis, et sic in illius fraudem, ad text. in c. *Quisquis*, 12, q. 2, cap. *In canonibus*, 36, q. 1, et regulariter constat, ideò prohibitam esse alienationem rerum ecclesiasticarum in consanguineos alienantis, quia ob carnis vinculum, contra personam rectoris præsumitur; quare, licèt prælatus urgente suæ ecclesiæ necessitate, ad ejus utilitatem potest sicut in extraneos, ita et in consanguineos, illius bona alienare, ut per Archid. in cap. *Episcopus*, in fin. 10, q. 2; Card. in Clem. 1, in verbo *Abbati*, num. 2, de Excess. præl., nihilominùs prædicta alienatio videtur suspecta, quia, ut ait Abb., cons. 41, num. 1, prælati circa nepotes aliosque suos consan-

guineos, reputantur cæci, quod quidem ipse Abb. dicit auctoritate text. in cap. *Pervenit*, 1, q. 3, ibi, *et quod gravius est, consanguineis*, ubi Glossa, in verbo *Gravius*, ait quòd minus peccatum, propter adjunctum, graviùs punitur; et concedendo consanguineis enormiter lædunt ecclesias; ac propterea repetit, quod pejus est dare consanguineis; quia inde graviorem sentit ecclesia læsionem, ut in cap. *Latorem*, 33, q. 2; quare tantus impetus omnia in ipsos consanguineos fundendi, venit restringendus, text. in l. *In alio casu*, ff. *Ad l. Jul.*, de Adult., unde in similibus alienationibus, nimis tam dataria quàm signatura se accuratè gerit propter fraudis suspicionem; quâ cessante, ac præjudicio Ecclesiæ, illius bona possunt ita in consanguineos, sicut in extraneos alienari, Archid. in c. *Episcopus*, in fin. 10, q. 2; Card. in Clem. 1, § *Abbates*, num. 1, in fin. de Excess. prælat., et fuit dictum in unâ Romanâ Casalis coram Lauretano, relatâ per Ludovis., decis. 356, num. 3, et omnes quod ore fatentur, quòd prælatus cessante fraude, potest alienare res ecclesiæ, etiam in consanguineos, Grat., discept. for. cap. 415, num. 13, 14 et 15, et suspicio dictæ fraudis cessat ex confirmatione commissariorum, prout etiam, quando constat de evidenti utilitate Ecclesiæ; Menoch., de Præsumpt. libro 3, præsumptione 54, numero primo, cum aliis adductis per addit. ad Ludovis., dictâ decisione 356, numero 9, quo casu constiterit alienationem fieri in utilitatem ecclesiæ, et sine alicujus præjudicio tunc poterit prælatus, sive rector, tam consanguineis, quàm extraneis bona ecclesiæ alienare, Imol. in cap. *Ut super*, num. 13 et 14, et ibi Abb., num. 18 et 19, de Reb. eccles. non alienand.; Rot. decis. 18, num. 5, part. 2, divers., ubi affirmat cessare fraudis præsumptionem, quando reperitur locationem factam fuisse cum debitis solemnitatibus, et in consanguineos idoneos, et bonæ conditionis et famæ, et in casu, in quo cessat omnis præsumptio fraudis, et læsionis ecclesiæ, quod præcipuè deducitur, cùm consanguineus recipit æqualibus pactis, et æquali conditione, sicut alius extraneus; sic enim cessaret ratio prohibitionis, Bald. in auth. *Quibuscumque*, c. de sacros. Eccles. et tenuit Rot. in unâ Placentin. *Domorum*, coram Seraph. de anno 1581, et pluries in ipsâ Rotâ fuisse decisum testatur id. Seraph., decis. 1125.

UT SUAM ET DICTÆ ECCLESIÆ, etc. — Idemque esset si ipse rector petat licentiam alienandi bona tam ecclesiæ principalis quàm aliarum ecclesiarum primodictæ ecclesiæ perpetuò unitarum, vel si fuerit rector duarum ecclesiarum, aut plurium perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum, quorum bona petit alienari; quia adhuc unica tantùm supplicatio pro omnibus, et una tantùm bulla sufficit, dummodò dictæ ecclesiæ, seu beneficia in unâ tantùm diœcesi consistant: si enim in pluribus, erunt pro unaquâque supplicatio et bulla expediendæ; cùm oporteat litteras dirigi ordinario, et dignitatem obtinenti illius diœcesis, in qua bona alienanda consistunt, sicut jam supra diximus.

Hic verò, juxta seriem prædictarum litterarum erit præcipuè notandum quòd propterea dicitur, *suam et dictæ Ecclesiæ*, etc., ut successor in ipsâ ecclesiâ teneatur etiam stare præsentis alienationis contractui, cùm ille respiciat utilitatem ecclesiæ; aliàs enim locatio in utilitatem rectoris, seu prælati, non obligaret successorem; ad not. in cap. fin. *de Præl. vices suas*, etc.; Alex., cons. 160, vol. 6; Dec., cons. 34, vol. 8; secùs est, hìc servatâ debitâ juris solemnitate, prout loquitur etiam text. in cap. 1, de Solut., quia concurrunt omnes qualitates ad id requisitæ, ex eo quòd orator contrahit, etiam nomine ecclesiæ, ac utiliter, servatâque præfatâ juris solemnitate, Quar. in Sum. bull., verbo *Alienatio*, sub numero 9, vers. *Limita in prælato*, ubi quatuor casus congerit, in quibus successor tenetur stare colono.

Circa quod non ab hâc praxi alienum adnotare quòd licèt beneplacitum apostolicum impetretur longè post concessionem factam, hoc parùm refert, quia non propterea erit locus pœnitentiæ, nam postquàm semel rector consensit, beneplacitum posse impetrari, non potest ampliùs pœnitere, prout fuit resolutum in unâ Romanâ *Locationis afflictus*, coram Blanchetto, et in unâ Leodien. *Domorum*, coram de Rubeis, et in unâ *Nullius emphytheusis*, coram Lancellotto, quas decisiones refert Coccin., decis., 74, num. 5, subdens ibi, nec relevare, quòd beneplacitum, licèt fuerit impetratum in vitâ rectoris, qui fecit concessionem, tamen fuit præsentatum in vitâ moderni rectoris qui alienationi non consensit, quia nihilominùs, stante apostolicâ confirmatione, si contractus est utilis, modernus rector non potest pœnitere et tollere jus quod erat jam quæsitum alteri parti, ex Alex., cons. 27, num. 4, lib. 3.

Aliàs enim, si hæc alienatio fieret à beneficiato, nomine proprio, et in suam utilitatem, successor non teneretur stare huic contractui, quia talis censetur personalis obligatio, quæ morte finitur, c. 1, de Prec. Clericus enim in beneficio, comparatur usufructuario, cujus jus morte finitur, c. *Illud*, 16. q. 6, Archid. in c. *Alienationes*, vers. *Adde*, 12, q. 2.

Unde secùs erit, si locatio facta fuerit pro utilitate Ecclesiæ, et illius nomine; quia tunc contractus non est personalis, sed realis, Soc., cons. 34, vol. 4; Redoan., d. q. 62, sub. num. 88; Rot., decis. 65, sub num. 2, p. 1, divers., ubi habetur quòd in quâdam locatione factâ de Casali Turricellæ, si Papa advertisset, capellanos ecclesiæ, non ipsius ecclesiæ, sed proprium eorum interesse præ oculis habuisse, verisimiliter licentiam non concessisset, vel ad illam concedendam, difficilior redditus.

Sicque stylus inolevit, ut, cùm supplicatur summo Pontifici pro his alienationibus, semper petatur licentia, sive confirmatio, non solùm nomine proprio oratoris, verùm etiam ecclesiæ, imò reperio, quòd antiquitùs rector supplicabat tantummodo pro ipsâ Ecclesiâ, dicendo quòd *ipse, ut dictæ ecclesiæ suæ conditionem efficiat meliorem, cupit*, etc., et optimâ quidem ratione, cùm is non sit verus ecclesiasticorum bonorum domi-

nus, sed in illis habeat tantùm gubernium et administrationem, c. *Expedit*, 12, q. 1, Dec. in c. *Constitutus*, n. 25 et 26, de Rescript.

Nomine autem ecclesiæ indistinctè intelligendum est de omnibus piis locis; ac propterea qualitates requisitæ à jure in alienatione rerum ecclesiasticarum, requiruntur etiam pro bonis hospitalium, vel alterius loci pii, dummodò illa erecta fuerint ordinariâ auctoritate, quia quoad alienationem prædictam, æquiparantur ecclesiæ, auth. *Hoc jus porrectum*, c. de Sacros. Eccles., c. 2, de For. comp.; Mascard., de Prob., concl. 869, num. 9.

Quare seminarii puerorum ecclesiastici bona stabilia ultra triennium locare, nec eadem bona cum aliis in evidentem utilitatem ecclesiæ permutare, nec sterilia, et inculta in emphyteusim ad tertiam generationem concedi possunt, ut declaravit sacra congreg. concil., in unâ Vercellen., 19 februarii 1633, teste Barbos., in Collect. bull., verbo *Seminarium*, fol. 633, vers. 1.

Secùs verò, si fuerint profana, quia tunc non gaudent privilegiis Ecclesiarum, Glossa, in Clem. *Quia contingit*, de Rel. dom. Sed eorum ministri, sive œconomi poterunt de eorum rebus disponere, sicut cætera collegia secularia absque aliâ solemnitate, d. Auth. *Hoc jus porrectum*.

Nec est silentio prætereundum, quòd totum illud quod dicitur de bonis ecclesiarum ac piorum locorum, vindicat similiter sibi locum in ipsâ ecclesiâ, aut oratorio in eâ existente, cùm non possint alienari neque aliqua eis servitus imponi sine causâ et solemnitate, nec ab alio quàm à summo Pontifice, etiam servitus ipsa imponi potest, quod præcipuè practicatur pro hujusmodi concessionibus quæ frequenter fiunt in hâc civitate Neapolitanâ mediantibus litteris apostol. pro concessione illius usûs per rectores, confraternitatibus secularibus quod profectò elici videtur ex Auth. *Multò magis*, C. de Sacr. Ecc., et c. *Ad hæc*, de Relig. dom., et refert Quar. in Sum. bull., verb. *Alien.*, n. 29.

Quam obtinet. — Non enim sufficit ipsum rectorem, ad ipsam ecclesiam, jus habere, etiam in re; quod acquiritur per collationem et acceptationem; nam quamvis Rebuff. super concord. in formâ mandati apost. in verbo *Obtinet*, dicat etiam *tenere*, *seu retinere*, per text. in l. *Clam possidere*, vers. *Is autem*, et ibi Glossa in verbo *Obtinenda*, ff. de Caus. poss.; Rot. decisione 323, n. 29, p. 1, divers.; Garc., de Benefic., p. 5, c. 1, n. 355. Nihilominùs ad rem nostram requiritur, quod dictam ecclesiam verè et cum effectu possideat, ad l. *Nomen*, § fin. et l. *Habere*, ff. de Verb. sign.; Rot. decis. 2089, num. 1, part. 3, divers., nempe possidendo bona ecclesiæ, c. 1, de Rest. spol. in 6; Imol., in Clem. 1, col. 2, ut ñt. pen. Unde, non poterit orator prædictus contrahere super præmissis, nisi etiam possideat bona ejusdem ecclesiæ, scilicet ne bona ipsa sint litigiosa; licèt non requiratur ut fuerit adepta corporalis possessio ipsorum bonorum; quia clarum est illam censeri adeptam, eo ipso quòd fuerit apprehensa possessio ecclesiæ seu beneficii; ex quo non tenetur illius rector apprehendere corporalem possessionem bonorum ecclesiæ; nam statim censetur illa translata in ipsum rectorem; et licèt ecclesia careat rectore, non tamen desiit ipsa possidere, et eo mortuo, vacat possessio rectoriæ, vel beneficii, non autem possessio bonorum ecclesiæ, Ludovis., decis. 54, num. 2, et decis. 364, num. 1, quia possessio bonorum venit accessoriè, Mant., decis. 105, sub n. 4, et sequitur naturam sui principalis, c. *Accessorium*, de Reg. jur. in 6.

Idem quoque dicendum est de commendatario perpetuo; quia, cùm ei competat plena fructuum dispositio, beneficii commendati habet titulum, sicut verus prælatus, cùm illos facit suos; ex eo quòd commendæ hujusmodi cùm pro titulis habeantur, fructus hujusmodi beneficii locare ad plures annos, et alienare bona sui beneficii servatis servandis et adhibitis solemnitatibus à jure requisitis, per ea quæ tradit Sarnen. super Reg. de Trien., quæst. 5, n. 17.

Servat præterea stylus quòd si bona ecclesiæ, quæ alienantur, fuerint fortè litigiosa, debeat fieri in supplicatione, mentio litis, aliàs enim litteræ desuper obtentæ, nullæ prorsùs erunt, Fel. in c. *Super litteris*, col. 9, vers. *Amplia tertiò*, de Rescrip., 1, quo casu, cùm fiat mentio hujus litis, additur decretum in supplicatione et in litteris eo modo, quo sequitur, videlicet: *Et dummodò finitâ generatione hujusmodi, dictum terræ petium, cum omnibus in eis factis melioramentis, absque aliquâ refectione expensarum litis, ad dictam ecclesiam revertatur, et quoad dispositionem super vitio litigioso sine præjudicio jurium, parti collitiganti competentium.*

Si verò prædictus rector fuerit intrusus in ecclesiâ, veluti, si illam obtinuerit ab eo ad quem de jure non spectabat collatio, profectò non poterit bona ipsius ecclesiæ alienare; Glossa, in c. *Alienationes*, 12, quæst. 11; Abb. in c. *Nihil*, col. 6, de Elect., et in c. 2, de in integr. Restit.

Quod quidem in tantùm procedit, ut, etiamsi à commissariis, ad id deputatis, compertum fuerit, alienationem cedere in evidentem utilitatem ecclesiæ, in quâ ipse assertus rector fuerit intrusus, adhuc non valebit rescriptum; Mohed., decis. 3, de Loc. et Cond. cùm intrusio annullet titulum et possessionem; Rip. in l. *Naturaliter*, § *Nihil commune*, n. 7; Paris., de Resign. benef., lib. 13, quæst. 5, n. 127, et sic cùm careat titulo, caret per consequens administratione, id. Mand., loco cit.

Quoddam terræ petium. — Suis confinibus, ut infra designatum. Oportet enim quòd res quæ petitur alienari, sit certa, et licentia super ea, in formâ specifica, non autem generalis; aliàs enim non recipietur supplicatio, et rejicitur, donec fuerit specificata, text. est in c. 2, de Reb. eccl. non alien., in 6, ubi, Fran., n. 6, ait quòd debet esse specialis et expressa per text. in l. *Negotium*, c. de Neg. gest. Unde oportet, quòd summus Pontifex sciat quare, ex quâ causâ, et de quibus rebus, sit hæc licentia concedenda; cui

quidem praxi adstipulatur dispositio, Clem. 1, de Offic. ordin.; Redoan. de Reb. eccles. non alien., q. 20, n. 112, ubi dicit quòd licentia alienandi res ecclesiæ quæ conceditur per Papam episcopo aut clerico per episcopum, debet esse in formâ præcisâ et specificâ, non autem generalis et generaliter formata, quia non valet, nec sufficit in formâ generali, ex eo quòd, similis licentia videtur esse ecclesiis onerosa, d. q. 20, n. 114, ubi improbat quamdam licentiam, quam ipse vidit dari per Episcopum in genere, ut posset rector seu prælatus alienare ad tres, vel quatuor annos, quotiescumque casus occurreret utilitatis, vel necessitatis, bona suæ ecclesiæ, nam licèt Papæ auctoritas suppleat omnes defectus, nec propterea requirantur aliæ solemnitates; Abb., consil. 41, n. 3, l. 1; Dec., cons. 341, n. 12; Roland., cons. 69, n. 21, l. 1, nihilominùs, quotiescumque agitur de alienatione rerum ecclesiæ, clarum est quòd debet priùs discuti, an magis hanc, vel illam rem ecclesiæ alienare expediat; sicut oportet etiam quòd summus Pontifex habeat notitiam peculiarem hujusmodi rei alienandæ; nam si fortè sive videatur, quòd ex illius alienatione possit aliquod damnum seu præjudicium oriri, licèt tunc temporis videatur alienatio cedere in evidentem utilitatem ecclesiæ, nihilominùs, licentiam hujusmodi vel denegat vel difficiliùs concedit.

Unde, ferè in totum recessit à Romanâ Curiâ, antiquus stylus, qui admittebat modum supplicandi incertè, et indeterminatè, ut colligo ex nonnullis antiquis formulariis, in quibus dicebatur. *Cupit orator nonnullus petias terrarum in diversis locis, seu pertinentiis dictæ diœcesis, juxta suos confines sitas;* cùm tantummodò facultas hæc concedi soleat legatis ac nuntiis Sedis Apostolicæ, ut ipsi valeant interponere decreta alienationibus rerum ecclesiasticarum pro quibus suis personis ecclesiasticis, bona immobilia ecclesiarum et beneficiorum permutandi, vendendi, et ad longum tempus locandi, et aliàs juxta formam eorum facultatum, quæ respectu ipsorum legatorum ac nuntiorum sunt largè concessa, et largè interpretanda, ut aliàs diximus.

Dixi, *ferè in totum*, hunc à Curiâ recessisse stylum, sic indeterminatè has licentias concedendi, ex eo quòd vidimus quandoque eas, rarò tamen et ad modicum tempus, puta ad decennium, concedi, locandi nonnullas terras alicujus ecclesiæ; quare illius rectori supplicanti conceditur; ut ipsas terras, cuicumque personæ, meliorem conditionem offerenti, ad decennium, tunc proximum, sub pactis, et conditionibus eidem ecclesiæ utilibus, et proficuis, locare valeret, adjectâ clausulâ : *Et dummodò locatio hujusmodi justo pretio fiat, et non anticipatis solutionibus*, cum consueto decreto, quòd videlicet *finito decennio, ad dictam ecclesiam revertantur;* eo modo quo infra dicemus.

MEDIORUM TRIUM. — Necessaria itidem est hæc expressio, præsertim, quia tempore quo dictum terræ petium esset ad ecclesiam reversurum, contingere posset, non reperiri instrumentum locationis, ac propterea, erit standum sententiæ commissariorum, quæ benè probat quantitatem et qualitatem rei alienatæ; licèt in arbitrium contrahentium sit, uti eâ mensurâ quâ velint, quæ si non fuerit declarata in litteris, interpretaretur secundùm regionem contrahentium, Afflict., decis. 363, n. 5; nihilominùs usus est Romanæ Curiæ, ut fiat ea mensuræ expressio, quæ servari consuevit in loco contractûs rei alienandæ, per ea quæ not. in c. *Ex parte*, ubi Glossa in verbo *Parvissimam*, de Cens., et ait Ferrar. in formâ libelli in causâ venditionis, in verbo *Perticarum centum*, in fine.

MENSURÆ ILLARUM PARTIUM. — Et sic uniuscujusque regionis mensura exprimenda est, etiam juxta notorium Curiæ stylum; nam cùm agatur de alienatione rei ecclesiæ, ipsa res debet æstimari ad mensuram, non autem ad corpus; cùm hoc modo, facilè possit ecclesia decipi; unde non debet constitui unicum pretium totius petii seu prædii, sed debet distribui in singula modia, Bart. in l. *Julianus*, § *Si Titius*, sub num. 1, ff. de Act. empt.; Salyc., in l. 2, sub n. 3, vers. *Aut est facta venditio*, c. de Contrah. empt. relatos per Ludov., dec. 104, n. 3.

Debentque propterea ipsi judices Commissarii, ut benè docet Quar., verbo *Alienatio*, sub n. 14, vers. *Quartò post decretum*, eligere expertos agrimensores, et appretiatores, non suspectos, unà cum eis, et partibus, interesse prætendentibus, accedere super faciem loci rei alienandæ, et illam mensurari facere, cum appositione terminorum et relatione confinium.

Qui quidem agrimensores, ad minus sint duo, quique in simul debent de tali mensurâ et pretio reddere commissarios certiores; quòd si unus tantùm ex duobus mensuratoribus electis hujusmodi, retulerit circa mensuram, relatio erit nulla, per text. in l. *Si in tres*, ff. de Arbitr.; id. Ludovis., decis. 545, n. 8, qui n. 9, ait quòd dicta relatio erit etiam nulla, si fuerit facta parte non citatâ, nec partes intervenerunt in examinatione negotii; Crescent. decis., 2, num. 2, de Arbitr., quia pars, de cujus interesse agitur, debet intervenire; Surd., cons. 452, n. 34, ex quo totum id fit ad occurrendum indemnitati ecclesiæ; quod procediti etiamsi fuerint adhibitæ omnes solemnitates, quia ecclesia nihilominùs restituitur adversùs hujusmod contractus locationis, si per eum passa fuerit læsionem; Redoan. q. 77, n. 4, per tot.; id. Quar. sub n. 12, vers. *Et licet*.

JUXTA BONA, etc.—Per hanc dictionem, *juxta*, designantur confinia dictæ terræ, Oldrad. cons. 49; Ludovis., decis 155, n. 1, quæ quidem designatio est semper necessaria; eò magis, quando res, quæ petitur ad tempus alienari, est ad ecclesiam reversura, ut dictum est; unde ad probandum identitatem rei sic alienatæ, fit expressio confinium, ad text. in l. *forma*, ff. de Cens., l. *Si quis in fundi vocabulo*, ff. de Leg. 1; Bart. in l. *Demonstratio*, ff. de Cond. et Demon.; Cravet., cons. 293, num. 7. Ruin., cons. 50, n. 12, lib. 1, et generaliter receptum est verificari locum, in quo res ipsa est, per duos confines, d. l. *Forma*, et ibi Glossa, in § *Vicinos*, Rot., decis. 281, p. 1, divers. et fuit dictum in unâ Bononien., *Fidei-*

commissi, de Rubeis, 15 decemb. 1592, quod quidem procedit, etiamsi tribus vel pluribus confinibus expressis duo tantùm illorum conveniant, et tertium sit falsum; id. Bart. in d. l. *Demonstratio*.

Attamen ego semper consulerem exprimi in ipsâ supplicatione, ac etiam in litteris, quòd confinia adsunt quia aliqua illorum ex antiquitate temporis, ac mutatione personarum, facilè possunt in damnum Ecclesiæ variari; Mant. dec. 227, n. 9, unde quoad hoc cessat illa conclusio, quòd frustra additur tertia demonstratio, quandò res sufficienter per duos confines designatur, l. 1, in fin., ff. de Dot. prælег.; Alex. in l. *Si in nomine*, n. 2, vers. *Potes sic respondere*, c. de Testam., et cons. 73, n. 7, l. 3.

Nec in proposito omittam quòd de anno 1618 evenit casus, quòd rector ecclesiæ S. Joannis Baptistæ Novarien. diœcesis, postquàm concesserat quoddam prædium dictæ ecclesiæ, cuidam laico, in emphyteusim, ad tertiam generationem; eâ finitâ, dùm successor petebat dictum prædium ad ipsam ecclesiam reverti, recusabat emphyteuta illud integrè restituere, sub quodam tunc asserto prætextu, sed illius partem retinere contendebat; ex quo non constabat de identitate integri prædii, quia confinia, vel non erant expressa, vel malè expressa, qualem tamen exitum habuerit lis super hoc mota ignoro.

Cautela igitur optima erit, ut quotieseumque alienatur res immobilis ecclesiæ, designetur per omnia late a ac confinia, ut ex supra dictis patet, et dicit Bald. in Rub., c. de contrah. Empt. q. 22, in fin.; Alex. cons. 73, n. 5, l. 3, Gloss. in c. 2, vers. *Item duos proximos vicinos*, de Libell. oblat.; Ruin., cons. 115, n. 5, vol. 5, dicens quòd demonstratio per duos confines, prævalet demonstrationi nominis proprii, et viæ simul, et per Mandos. in Praxi commission., form. 3, super causâ profanâ, vers. *Confinium*, fol. mihi 34. Aliàs enim posset facilè ecclesia, rem ad tempus alienatam, amittere; necnon contingere casus amissionis instrumenti, ut dictum est, et nihil aliud remanere, nisi decretum commissariorum interpositum alienationi, vigore rescripti *si in evidentem;* qui tamen approbando et confirmando alienationem, seu illam faciendi licentiam concedendo, censentur vidisse instrumentum desuper confectum, illudque concordare in omnibus præcipuè confinibus rei alienatæ, ac propterea hoc casu sufficit sententia præfatorum commissariorum; Cæsar de Grass., dec. 1, num. 7, de Loc. et Cond., cujus vigore poterunt contrahentes se tueri per ea quæ dicit Ruin., cons. 50, num. 14, lib. 1, et Mant., decis. 251, num. 6.

Ad dictam Ecclesiam legitimè, etc., spectans.— Oportet enim quòd ecclesia super re quæ petitur alienari, habeat utile et directum dominium; Glossa, in Clem. 1, vers. *Ad mensam*, de Excess. præl.; doctores, in c. *Ut super*, de Reb. eccles. non alien.; id enim propriè significat verbum, *spectare.*, Felin. in Rubr., de Rescript., col. penult., ad med., vers. *Sed si diceretur.* Rebuff. in l. *Verbum illud pertinere*, ff. de Verb. signif. Innoc., et Joan. Andr. in c. *Dilecta*, de Off. ordin.

Unde si rem minùs justè rector possideat, poterit illam alienare, prætermissis iliis solemnitatibus, Bald. in Auth. *Si quas*, c. de Sacros. eccles.; Innoc. in c. *Eum qui de præb.*

At verò, istam theoricam, nescio ad suam praxim reducere; ex eo quòd ecclesia, quæ est cultrix justitiæ, et auctrix, c. un. de Feud. alien. non debet posse rem alienare, quam injustè detinet; quare præmissa intelligenda sunt, ut bona sic illegitimè retenta, non possit alienare in aliam personam; sed quod benè possit illa restituere sine solemnitate, cui veniunt restituenda, ut etiam sensit Redoan. de Reb. Eccles. non alien., q. 59, c. 5, n. 1. Hoc enim casu prælatus non dicitur alienare rem ecclesiæ, si notoriè constet quòd non est Ecclesiæ, sed potiùs dicitur procurare negotia ecclesiæ, cujus infamia purgatur in restitutione rei alienæ; id. Redoan., d. c. 5, n. 6, et ibi plura in proposito adducit. Sicut, etiam dicendum est de rebus, nondùm bonis ecclesiæ prædictæ incorporatis. Joan. Andr. in c. 1, de Sepult. quia, antequàm illa incorporentur, non potest dici alienatio, sed tantùm dimissio; in quâ non requiritur assensus apostolicus, Jas. in l. *Jusjurandum*, § *Pupillus*, n. 4, ff. de Jurejur.; Felin, in c. *Veniens.*, n. 5, de Rescript.; Nat., cons. 441, n. 1, quo casu potest rector seu prælatus suæ Ecclesiæ præjudicare, Put., decis. 519, p. 2. Quare si alienentur res ecclesiæ ex necessitate, puta, si ea fuerit incapax, et proprium retinere non possit, ut sunt ecclesiæ fratrum Mendicantium, quorum superioribus licet alienare hujusmodi bona, absque causâ et solemnitatibus; imò possunt res ipsas recipere, et vendere; Redoan., quæst. 28, n. 12, pretiumque ex eis proveniens, poterunt absque incursu alicujus pœnæ, convertere in eorum necessitates; Dec. in c. *In præsentiâ*, n. 69, de Prob.; Emman. Sà, in Aphoris., concess. n. 7.

Valoris in proprietate ducatorum centum monetæ Neapolitanæ.—Circa quod scias in supplicatione semper debere de necessitate exprimi valorem rei alienandæ in illius proprietate; aliàs enim supplicatio rejicietur, donec ille in eâ addatur; nam ex eo Papa illiusque officiale perpendunt an annuus redditus respondeat ipsi proprietati; quòd si viderint non ita respondere ut adsit utilitas evidens ecclesiæ, denuò rejiciunt ipsam supplicationem, et per ipsos officiales apponuntur hæc verba in calce ipsius, videlicet: *Utilitas non est evidens;* ex quo, vel debet augeri canon, seu responsio, si fuerit locatio vel pretium; si venditio juxta ea quæ tradit Redoan., quæst. 2, n. 107, ubi dicit quòd pretium rei, secundùm redditum consideratur, per text. in auth. de non alien., § *Quod autem*, in fin. et in l. *Si fundum*, ff. de Leg. 1, l. *Si quas*, ibi: *Qualitas rei, et reddituum qualitas æstimetur*, c. de Rescin. vend., ubi Redoan. subdit, quòd Romæ dicimus valere mille quod communiter locatur et conducitur quinquaginta ducatis.

Et eo modo quo valor Papæ exprimitur, debet co-

ram judicibus commissariis verificari; ac propterea agrimensores et appretiatores ad id deputati, consideratâ per eos qualitate rei sic alienandæ, debent ipsis commissariis referre, cum juramento quanti valeat in proprietate, ut valeant considerare an exinde resultet evidens ecclesiæ utilitas; Quar. verbo *Alienatio*, sub num. 14, vers. *Quartò post decretum;* per quos tamen sufficit considerari tempus initi contractûs locationis, seu alterius alienationis, per text. in l. *Si voluntate*, c. de Rescind. vend., et sic non attenditur tempus præteritum, quo eadem res alienanda fuisset, per text. in l. *Ad rescindendum*, eod. tit., quia pretium, non ex præteritâ emptione, sed ex præsenti æstimatione constituitur, l. 3, § *Divi*, ff. de Jur. fisc., prout etiam idem esset, si post præsentem contractum, eadem res efficeretur majoris valoris et æstimationis, ut optimè tradit Calder., cons. 5, in tit. de Rer. permut., dùm loquitur in materiâ permutationis, dicens non obstare quòd res quæ fuit ecclesiæ si post contractum meliorata; quia non tempus superveniens, sed tempus contractûs attenditur, ut supra dictum est; et secundum illud, de ejus valore judicatur, per diversa jura ibi per eum allegata, et per d. Redoan. d. quæst. 20, à num. 137 ad num. 144, et aliàs in unâ Romanâ, *Locationis domorum*, fuit in casu de quo agebatur dictum quòd ad inducendam læsionem, non relevabat domos tunc locari 270 scutis, nam utilitas de tempore contractûs est attendenda, nec est habenda ratio valoris provenientis ex impensâ et facto conductoris c. *Ad aures*, et ibi Glossa verbo *Tunc*, de Reb. eccles. non alien., cum aliis allegatis in d. Romanâ *Locationis domûs*, quæ est dec. 577, n. 4, p. 2, divers. recent.; quare ad cognoscendum an ecclesia sit læsa, regulariter inspicitur, et inspici debet tempus contractûs ipsius alienationis factæ, non autem, an post contractum res sit reducta ad magnam fertilitatem diligentiâ acquirentis multùm utili et fructiferâ, ex textu, et ibi Glossa, in d. cap. *Ad aures*, et ibi Hostien., ubi dicit quòd tempus contractûs inspiciendum est, si ecclesia dicat se læsam propter alienationem quam fecit; ita quòd si res sit multùm meliorata, hoc non considerabitur, ne agricultores et emptores suam diligentiam et laborem disperdant, ut per Redoan., quæst. 78, cap. 9, n. 13, ubi in fin., quòd ista est communis opinio canonistarum in rebus ecclesiæ, et idem in rebus profanis per doctores in l. 2, c. de Rescind. vend.

Quid autem hìc, si in emptione alicujus rei ecclesiasticæ concurrant duo invicem æmuli, quorum alter obtulit justum pretium, alter verò deinde obtulit satis plus justo pretio, quis ipsorum sit præferendus; cùm hic casus contigisset, nonnullos judices inclinâsse ad favorem ejus, qui plus justo pretio obtulit, tanquàm magis utile ecclesiæ, alios verò, ex eo quòd ecclesia est justitiæ cultrix, contrarium tenuisse, ait Quar., verbo *Alienatio*, vers. *Ad pleniorem*, sub num. 12.

Et supra dictis adde quòd pretium repertum tempore belli pro possessione seu territorio, quod propter dictum bellum remanserat incultum, non est verum pretium; quia speratur quòd hujusmodi casus fortuitus possit cessare, et bona hujusmodi ad pristinum valorem reduci; quapropter non debet attendi, Castrens. cons. 109, vol. 5, vers. *Nec obstant*, num. 2.

Ac propterea sequitur quòd quando valor rei alienandæ probatur per testes, referentes se ad malam temporis conditionem, non dicitur, benè probatus, quia ex hoc non resultat justum pretium rei, ut tenuit Rot. in unâ Roman. Casalis Turricellæ, 10 martii 1578, ex Corn., in Repet., l. 2, n. 233, c. de Rescind. vend., cùm tempus hujusmodi, tanquàm non successivum et perpetuam causam habens, sed momentaneum, et brevi tempore duraturum, non attendatur; Caval., decis. 46, n. 26, part. 1.

Praxim autem probandi hunc valorem per supra dictos commissarios affert id. Redoan., d. q. 20, à num. 137, ad fin. d. q., quam video desumptam ex Bart in l. *Pretia rerum*, ff. ad l. *Falcid.* ubi dicit quòd judex delegatus, vel ipse inspiciat, vel mittat duos bonos æstimatores qui investigent, et referant; eligat autem tales, in quibus est magis judicium, quàm testimonium, ad faciendam æstimationem, et ad proferendum illud judicium; cùm quanti res valeat, non possit videri per oculum, sed intelligitur per intellectum ac propterea id. Bart. loco cit., dat ad id modum probandi; dicens ibi, quòd hæc lex debet scribi litteris aureis, propter sui qualitatem.

Et quamvis supra dictum sit, quòd isti judices seu commissarii deberent mittere dictos æstimatores, cautiùs tamen agerent, si ipsi assisterent prædictis æstimatoribus; cùm circa executionem harum litterarum, valdè oneretur ipsorum conscientia, cùm agatur de alienatione rerum ecclesiæ quæ sunt ipsius Dei, cap. *Res*, 12, q. 1.

Ad sciendum autem, quomodò et quando fieri possit alienatio rei parvi valoris in illius proprietate absque assensu apostolico, sed tamen cum licentiâ ordinarii, exactissimè perpendenda est dispositio c. *Terrulas*, 12, q. 2, cum causis ibi expressis. Verba autem ipsius cap. hæc sunt : *Terrulas aut vincolas exiguas et ecclesiæ minùs utiles, aut longè positas, parvas, episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.* Ex quibus quidem verbis patet quòd tres requiruntur causæ, ut hujus alienatio fieri possit, prætermissis juris solemnitatibus, quarum prima est quòd res sit exigua. Secunda, quòd non sit utilis ecclesiæ. Tertia quòd adsit necessitas; Guid. Pap., decis. 156, Mar. Ant., var. Resol., lib. 1, Resol. 25, num. 13.

Quoniam verò doctores variè scripserunt super interpretatione d. cap. *Terrulas;* ac propterea in multis partibus, illius dispositio, in fraudem dictæ Extrav. *Ambitiosæ* ab ordinariis, pro libito extenditur; hàc ratione suffulti, quia judicis arbitrio relinquuntur ea quæ sub certâ lege à jure diffinita non reperiuntur, juxta text. in l. 1 de Jur. delib.; Dec. in cap. *Sedes*, n. 7, de Rescript. et in cap. *Si pro debilitate*, in fin. de Off. deleg. Ideò, licèt conclusio hæc vera sit, nihilo-

minùs attendenda sunt verba Glossæ in d. cap. *Terrulas*, in verbo *Exiguas*, quæ licèt dubitativè loquatur, dicendo : *Fortè exiguas vocat non valentes ultra viginti solidos*, et sic non determinatè, l. *Si duo*, et ibi Glossa, ff. de Recep. arbitr., et nihil certum ponat, l. *In commodato*, § *Sicut autem*, ff. *Commod.* l. *In substitutione*, et ibi Glossa, in verbo *Fortè*, ff. de Vulg.; animadvertendum est tamen quòd dicta Glossa recepta est per totum orbem; prout tenent domini abbreviatores majoris præsidentiæ cancellariæ apostolicæ, qui, me audiente, pluries sermonem de hâc re habuerunt; semperque tenuerunt, nullo modo debere recedi à verbis d. Glossæ, ac propterea attendi debet proprietas prædictorum viginti solidorum. Est autem unus solidus, in jure, ac juxta communem usum loquendi in ipsâ Curiâ Romanâ, scutum unum auri in auro stamparum, qui successit loco ipsius solidi; quique alio modo, nummus aureus est dictus; teste Panorm. in cap. *Conquerente*, ubi Felin. ad Off. ordin., et licèt prædictum scutum auri aliquando crescat, et aliquando decrescat, juxta copiam, vel penuriam eorumdem in ipsâ Urbe, nihilominùs constituit hodiè julios quindecim monetæ Romanæ, unde, viginti solidi supra dicti constituunt summam scutorum triginta ejusdem monetæ Romanæ, hujus autem regni Neapolitani, triginta tres ducatorum currentium ad rationem decem carolenorum pro quolibet ducato hujusmodi.

Advertendum est tamen quod de anno 1601, 22 martii fuit decisum in sacrâ congregatione episcoporum, d. cap. *Terrulas* intelligi debere de valore viginti quinque scutorum auri. Et secundùm modernum cursum in Romanâ Curiâ constituunt scuta triginta septem circiter monetæ Romanæ, hujus verò regni Neapolis, ducatos quadraginta circiter.

Cùm igitur ita teneat Romana Curia, quæ mater et magistra est aliarum curiarum, et uti talis, ab omnibus sequenda, Gonz. ad reg. cancell., glos. 13, § 1, num. 12, nescio, quo pacto, audeant ordinarii, dispositionem d. c. *Terrulas*, illiusque glos. prædictam, aliter ad eorum libitum interpretari; cùm nihil valeat circa id eorum arbitrium; attento quòd versamur in his, quæ ex prædictis, sub certâ lege diffinita reperiuntur, per text. in l. 1, ff. de Jur. deliber. Dec. in cap. *Sedes*, num. 7 de Rescript.

Et juxta supra dictas praxim et theoricam, testatur Genuen. in Praxi cur. archiep. Neapolit., c. 50, n. 1, quòd ita in Urbe, et in regno practicatur, quòd vix alienantur modica, sine assensu Papæ, quidquid dicat Redoan., q. 36.

Nec tamen ad rem facit illud quod subdit id. Genuen., num. 3, nempe quòd judicis arbitrio id remittitur qui attendere debet consuetudinem terræ, ac facultatem rei donatæ et venditæ, juxta c. *Cæterùm*, de Donat. Et Paulò inferiùs, quod fuit dictum in curiâ archiepiscopali, aliud esse alienare terrulas, aliud autem modicam partem magni prædii ecclesiæ; nam istud secundum fieri non potest, quia hoc modo, paulatim possent alienari omnia prædia ecclesiæ, et sic fieret fraus legi, per tex. in l. *Non dubium* c. de Leg.

Unde, ex præmissis neque video tutò defendi posse opinionem Leo. in suo Thes. for. eccl. par. 4, cap. 1 num. 73, ubi putat, rem modicam, dici ad hunc effectum, quæ non excedit valorem viginti quinque ducatorum auri de camerâ; hi enim, secundùm rationem supra dictam, constituunt summam quadraginta circiter scutorum monetæ Romanæ, efficientium summam quadraginta quatuor circiter ducatorum supra dictæ monetæ regni Neapolitani, còque minùs audiendus est Zerol. in suâ Praxi episcop., verbo *Alienatio*, vers. *Ad sextum*, p. 1, ubi ex Staphil., de Litteris grat., fol. 352, num. 1 et 2, concludit d. cap. *Terrulas* extendi ad valorem centum ducatorum, aut annuum censum ducatorum quinque; quod quidem, quantùm à veritate abest, quisque mediocriter in Romanâ Curiâ versatus, scire potest, ex rationibus supra adductis, quamvis ipse Zerol., ut ibi subdit, ita audierit practicari in archiepiscopali curiâ Salernitan., tempore Marci Antonii Columnæ, tunc archiepiscopi illius ecclesiæ.

Benè tamen ab eod. Zerol., d. verbo *Alienatio*, part. 2, vers. *Respondetur*, desumenda praxis faciendi hujusmodi alienationes de rebus parvis, ad præscriptum d. cap. *Terrulas*, quem nonnulli scribentes, eo non citato, sequuntur; nempe quòd primò datur memoriale, seu libellus, aut petitio episcopo, quâ petitur præstari ab ipso assensum; secundò episcopus decernit capi informationem; quâ captâ, et viso quòd tendit in evidentem utilitatem ecclesiæ, interponit decretum, et præstat assensum; nam etiam in concessione rerum modici valoris, requiritur decretum, sive licentia ordinarii. Mar. Anton., Variar. resol. lib. 1, resol. 25, n. 13, etiam concurrentibus supra dictis tribus requisitis, ut in d. c. *Terrulas*.

Idem quoque servatur si ista auctoritas præstatur ab episcopi vicario, si tamen ab eodem episcopo habuerit hanc facultatem, et non aliàs; nam ad hoc requiritur ipsius Episcopi speciale mandatum, ex Beros., cons. 83, n. 7 et 17, lib. 1, et fuit dictum in unâ Placentin. *Domus*, 5 decembris 1629, coram Coccino decano, et in unâ Cremonen. *Bonorum*, 9 februarii 1607, coram cardinale Lancelotto juniore, quas decisiones ad id refert Addit. ad Buratt., decis. 938, num. 12.

Benè tamen habet hujusmodi facultatem capitulum, Sede Episcopali vacante, quia mortuo episcopo, potest auctoritatem præstare in alienationibus rerum Ecclesiæ, juxta terminos prædicti c. *Terrulas*, nam post obitum prædicti episcopi, hoc jus transit ad capitulum, quia est jurisdictionis in quâ illud succedat, Redoan. de Reb. Eccles. non alienan., quæst. 42, per tot.

Similiter abbas, et quilibet alius prælatus inferior episcopo habet hanc facultatem, si tamen sit exemptus à jurisdictione episcopi, habet separatum territorium, et in suâ ecclesiâ jurisdictionem quasi episcopalem; nam quoad hoc abbas sive alius prælatus

inferior comparatur episcopo, ut ex pluribus probat id. Redoan, d. tract., q. 41, per tot.

In quâ quidem alienatione in casibus ordinariis, reverà non requiritur causæ cognitio, nec partis citatio, aut judicis pro tribunali sedentis, decretum, vel sententiæ prolatio et ordo judicialis, et sic illa causæ cognitio, quæ est plena et solemnis; sed ea quæ semiplena est, non solemnis, et impropriè dicitur causæ cognitio, sed potiùs discussio, tractatus et consultatio; Redoan., q. 23, n. 50.

ANNUI VERÒ REDDITUS. — Qui necessariò est exprimendus, post valorem in proprietate, ut supra expressum, et non solùm dictus annuus redditus est verificandus coram commissariis delegatis, sed etiam exprimendus est summo Pontifici; nec sufficit assertio notarii seu beneficiati aut prælati; id. Mar. Ant. d. lib. 1, resol. 21, n. 4.

Circa quod notandum etiam est quòd annuus redditus, licèt in quibusdam rebus consistat, attamen semper exprimendus est in monetâ illarum partium; eaque etiam reducenda in ducatos auri de camerâ; ac propterea, non sufficit in supplicatione exprimere quòd supra dictus redditus consistat in tot rubiis frumenti aut sextariis olei, seu doliis vini, sed omnia sunt omninò ut supra reducenda, nec aliter admittitur supplicatio pro quibuscumque facultatibus alienandi, nisi cum supra dictâ expressione; sicut etiam dicimus de annuo valore beneficiorum exprimendo, qui omninò est ad dictos ducatos auri de Camerâ reducendus.

Verum nihilominùs est quòd, licèt expressio supra dicti valoris in proprietate, illiusque redditûs necessaria sit, si tamen daretur casus non expressionis, tunc, ad effectum probandi non evidentem utilitatem, sufficit probare, quòd ex locatione factâ tempore alienationis, plus percipiebatur; Genuen., in Praxi, cap. 98, n. 6, in fin., ex Jas. cons. 54, n. 4, lib. 1, et Dec. cons. 142, et ita decisum refert in unâ Anconitan. *Bonorum* 2 martii 1584, licèt iste casus vix aut rarò hodiè dari possit, cùm secundùm leges et regulas datariæ apostolicæ, non admittantur in eâ similes supplicationes, sine hujusmodi expressione; quod satis omnibus curialibus notum est.

DUCATORUM DECEM SIMILIS MONETÆ; — et sic priùs exprimendus est redditus in monetâ illarum partium, ubi consistunt bona alienanda, et postea reducitur in eâdem supplicatione, et in litteris, ad ducatos auri de camerâ, scilicet septem, qui conficiuntur ex dictis ducatis decem supra dictæ monetæ, licèt aliter reducantur, circa solutionem compositionis in Officio Componendarum, in quo, pro singulis quindecim carolenis monetæ Neapolitanæ capitur ducatus unus de Camerâ.

PRO ANNUO CANONE, SEU RESPONSIONE SEXDECIM DUCATORUM PRÆFATÆ MONETÆ NEAPOLITAN. DECEM DUCATOS SIMILES AURI DE CAMERA CONSTITUENTIUM; — nam, ut summus Pontifex certior reddatur de evidenti utilitate, cùm non possit valoris notitiam habere monetæ illarum partium, tam valor in proprietate, quàm annuus redditus, qui priùs percipiebatur, et qui percipietur in futurum, reducitur ad ducatos auri de camerâ. Est enim consuetus stylus datariæ, omne genus monetæ quarumcumque regionum, reducere ad supra dictos ducatos auri de camerâ, propter rationem supra dictam; porrò ex prædicto annuo redditu, expresso, constat adesse evidentem utilitatem, si tamen ita compererint ipsi commissarii delegati.

Ex quo, juxta doctrinam Bart. in Auth. *Qui rem*, n. 6, vers. *Dixi vobis*, quando ecclesia locat, etiam in formâ consuetâ pro minori pretio quàm ab alio, factâ diligenti inquisitione, invenisset, dicitur læsa; et ideò in hoc daretur restitutio, juxta text. in cap. 1, de Restit. in integr. nam, locare pro minori pretio, quàm ab aliis possit haberi, reputatur in jure considerabilis læsio; maximè quia utilitas ecclesiæ, ex expressâ juris dispositione est spectanda, ut satis patet ex ipsâ Extrav. *Ambit.*

Quare, per expressionem hujus canonis seu responsionis, videtur quòd utilitas debet esse considerabilis. Nec refert quòd jurium ea fuerit intentio, ne ecclesia damnificetur, et quòd illius indemnitati fuerit provisum, ac propterea satis sit, qualisqualis utilitas, sufficiatque quòd ecclesia non sit deteriorata, si non sit locupletata, ut ait Redoan., quæst. 20, num. 86.

Quænam autem, hic debeat regulariter esse utilitas circa hoc, neque antiqua jura, vel moderna id specificant, scilicet, quanta; vel quota, neque propterea videtur, quòd id relinquatur judicis arbitrio; sed tantùm quòd debet esse evidens utilitas, quæ non sufficit qualisqualis, nec manifesta, quæ de facili probari possit, sed in valore proprietatis rei, in redditu, vel proventu, in æquè vicinâ, æquè commodâ, æquè cautâ, etc.; id. Redoan., d. num. 80. Et hanc nos scimus esse practicam datariæ apostolicæ, ut nunquàm admittatur ibi supplicatio, *Si in evidentem*, nisi illius officiales perpendant annuum redditum, quem ecclesia habebit, excedere regulariter tertiam partem, licèt quandoque minorem, prout D. datario visum fuerit aut aliàs, secundùm casuum diversitatem, etc.

Et præterea sciendum quòd ex quantitate prædictorum reddituum, quos ex causâ alienationis hujusmodi ecclesia habebit, regulatur expeditio litterarum sub hâc formâ, *si in evidentem;* ea namque triplex est; Nam, si ipse redditus ascendit ad quinque ducatos auri de camerâ, illarum expeditio fit per breve, sub annulo Piscatoris; usque ad novem inclusivè, per officium minoris gratiæ, quod aliàs pœnitentiaria nuncupabatur. Et usque ad quamcumque summam reddituum hujusmodi in litteris per cancellariam; licèt quandoque pro hâc majori summâ expediantur ex speciali gratiâ, per breve.

Sanè dicitur hìc, *pro annuo canone*, qui propriè pro emphyteusi solvitur ut in cap. *Ad aures*, de Reb. eccl. non alien., non autem, dicendum est, pro annuo seu perpetuo censu, qui de naturâ emphyteusis nullo modo participat; cùm satis differat contractus censuarius ab emphyteutico; in hoc enim transfertur

tantùm utile dominium et possessio naturalis, civili penes directum dominium remanente; in illo verò transfertur dominium, et utraque possessio, Abb. in cap. *Constitutus*, num. 20, de Relig. dom., et quamvis in hujusmodi rescriptis apostolicis adesset clausula, *Sub annuo canone, seu censu*, quod poterit evenire ob inadvertentiam supplicantium, seu conficientium hujusmodi supplicationes; ac propterea videatur, quòd Papa intellexerit de concessione censuali; quia tamen ibi præcedunt alia verba, nempe, *in emphyteusim*, etc., illa verba, *seu censu*, solent etiam forsan ex communi usu apponi; quamvis impropriè de canone emphyteutico, ut optimè tradit Seraph., decis. 1195, per totam.

Nec est etiam in praxi omittendum, ipsos commissarios, ad id delegatos, non posse hanc licentiam rectori concedere, si compererint ipsum, majorem ex pressi canonis quantitatem habere potuisse quàm in his litteris est expressum; cùm clarum sit quòd contractus de rebus ecclesiæ, non est validus, saltem in effectu, si potuisset habere ab aliis majorem utilitatem; nam debet rector seu prælatus contrahere, cum illo à quo majorem utilitatem habere potest, Abb. in cap. *Ad aures*, de Reb. eccl. non alienan.

Idemque erit, si petatur confirmatio hujus locationis; cùm jam super ea fuerit confectum instrumentum; nam si ipsi commissarii in executione litterarum supra dictæ confirmationis repererint conductorem, ex novâ concordiâ cum ipso rectore initâ, velle augere canonem supra dictum, profectò non excedent fines hujus rescripti; ideòque poterunt ipsum canonem augere ad majorem utilitatem ecclesiæ; quod facere procul dubio possunt, pinguius adimplentes id quod per se sustineri poterat, sine dicto augmento; dummodò in reliquis non mutetur substantia contractûs primo loco initi; adinstar procuratoris qui exequitur utilius et melius, quàm dominus mandâsset, quia, propter hoc non potest dici, quòd egressus fuerit fines mandati, cùm procurator utilius executus fuerit, et melius quàm dominus mandâsset; unde quod utiliter gessit attendi debet, non autem quod omisit, quia illud non debet esse in consideratione, Anchar., cons. 28, n. 3.

Id tamen non video, quomodò possit in praxim deduci; quia si ponamus casum quòd annuus redditus fuerit in supplicatione et in litteris expressus ad novem ducatos auri de camerâ, ac propterea litteræ fuerunt expeditæ per officiales officii minoris gratiæ, si postea commissarii in executione earumdem litterarum repererint conductorem, ex novâ conventione initâ cum rectore, velle augere ipsum canonem, seu annuam responsionem ad summam, puta duodecim ducatorum similium, dictæ litteræ expeditæ cum dictâ expressione novem ducatorum ex defectu intentionis concedentis reputantur nullæ, ob præjudicium quod inde infertur aliis officialibus, per quorum officium debent litteræ expediri sub dictâ expressione ducatorum duodecim; cùm idem Pontifex nunquàm intendat præjudicare ipsis officialibus, qui ob hanc causam bonâ fide eorum omnia à Sede Apostolicâ emerunt; ut inde eorum emolumenta capiant, ex eorum manuum appositione; Paris. de Resign. benef., lib. 8, q. 2, n. 15, et ita pluries audivi à dominis abbreviatoribus majoris præsidentiæ, licèt nonnulli ex illis, in contrariam sententiam inclinaverint; quam nunc ego libenter amplector; namque in quàdam hujusmodi casûs contingentiâ, dùm de hoc dubitaretur, re ad Urbem delatâ, fuit rescriptum, valere nihilominùs contractum alienationis, mediante beneplacito apostolico cum supra dicto canonis augmento; nam majoris considerationis est utilitas ecclesiæ quàm interesse supra dictorum DD. officialium; utilitas namque publica prout est ecclesiæ, præfertur privatæ et tolerari debet quòd propter hujusmodi publicam utilitatem, quis jure suo privatur, Marescott, var. Resol., lib. 2, cap. 120, n. 4, Buratt., dec. 193, num. 22, et in puncto firmavit Rota penes Seraph., decis. 1208, numer. 9; ibi enim dùm proponeretur quòd judices commissarii nulliter processissent, excedendo fines mandati, cùm auxerint canonem quem Papa mandabat confirmari, quatenùs in evidentem, etc., quia processerunt legitimè confirmando simpliciter locationem, eo modo, quo facta fuerat, deinde augendo canonem de partis consensu ad majorem utilitatem ecclesiæ, id facere potuerunt, pinguius adimplentes id quod per se jam sustineri poterat sine augmento; nec diceretur agere contra commissionem, si ea quæ commissarii excedunt, sunt utiliora, vel de connexis, prout ex pluribus comprobat eruditissimè dominus meus Paulus Squillante, in suo utilissimo tractatu de Privileg. et Obligation. episcop., p. 2, c. 1, num. 39.

Ad tertiam. — Inter cæteras alienationes, quas in dies fieri videmus rerum ecclesiasticarum, et super quas petendus est assensus apostolicus, illæ frequentiores sunt quæ fiunt ad tertiam generationem, cùm rarò aut cum maximâ difficultate summus Pontifex præstet suum assensum perpetuis concessionibus, seu locationibus. Quare, ut plurimùm, quando fiunt perpetuæ apponitur conditio de renovando de 29 in 29 annos, quandoque verò simpliciter ad 29 annos.

Hic autem simplices Romanæ Curiæ tyrones non latet cur ista renovatio locationis debeat fieri de 29 in 29 annis, et quare frequenter bene placitum apostolicum concedatur ad viginti novem simpliciter, non autem ad 30 annos; quandoquidem hujus rei ratio est (quam tantummodò ad praxim, et leges datariæ apostolicæ restringamus) quòd licèt constet de locatione simplici, vel ad longum tempus 10 vel 20 annorum, tamen si fuit continuata conformis solutio per tempus 30 annorum quoad privatos, et 40 quoad ecclesiam et si non indicatur præscriptio, nihilominùs inducitur perpetuatio livelli, vel emphyteusis, vel locationis, ita ut emphyteuta non possit expelli, ut per Ang. Aret. cons. 17, per tot., cùm perpetuum dicatur tempus, 30 annorum, Bald. in l. *Si domus*, § *Si fundus*, ff. de Leg. 2; Abb. in cap. *Nulli*, in ult. not. de Reb. eccles. non alien.; Tusc. in suis pract. Concl. tomo 3, concl. 228, litterâ E; quare cùm summus Pontifex, ejusque

D. datarius, aliique officiales, nimis invigilent, ut quoad fieri potest, hujusmodi bona ecclesiastica, in perpetuum non locentur cùm prohibitæ sint tales alienationes, propterea, sive perpetuò, sive ad aliud tempus petantur, illas quandoque restringunt ad 29 annos; cùm ab hujusmodi perpetuitate nimis abhorreant, sine gravissimâ et utilissimâ causâ; et de locatione ad longum tempus, idem judicetur, quod de alienatione, vel venditione, quandoquidem, prohibitâ alienatione, vel venditione, talis locatio prohibita videtur, ut per Dec. post alios ibi per eum adductos, cons. 204, vol. 1. Hinc igitur est, sicut etiam ipsa dataria tenet, quòd locatio ad 30 annos dicatur perpetua, non autem locatio ad 29 annos, juxta doctr. Bald. in. Addit. ad Specul., vers. *Locatio ad 29 annos*, quem refert idem Redoanus, q. 57, n. 51. Cæterùm verò, an, quomodò, et quando circa præmissa, et alia intret præscriptio, habemus integrum titulum c. de Præscript. 30 vel 40 ann.; et ad saturitatem circa hoc potest videri id. Tusc; d. tomo 3, verbo *Emphyteusis*, per omnes conclusiones, d. litterâ E, præsertim concl. 228.

Ac proinde in praxi observatur ut si fortè fuerit impetratum rescriptum confirmatorium concessionis, seu locationis ad viginti novem annos; ac postmodùm commissarii delegati, compererint instrumentum, fuisse celebratum in perpetuum, non poterunt illud confirmare; quamvis longè major adsit utilitas ecclesiæ; cùm tale rescriptum, in hoc casu, sit strictè interpretandum; ac propterea non extendendum ad tempus non expressum, cap. 1, de Off. deleg. in 6, Rot., decis. 8, part. 1, cùm illud debeat aptari petitioni; Bald. in l. *Eam*, vers. *Item*, c. de Fideicom.; Dec., cons. 242, num. 4, nec refert, quòd, quocumque modo agant, utiliter agant : ac propterea videatur sustineri posse tale rescriptum; nam semper in dubio, talis præsumitur Papæ voluntas, qualis de jure esse debet; Dec., cons. 123, num 6, vol. 1, et cùm rescriptum hujusmodi, fuerit impetratum ad tertiam generationem, ac instrumentum in perpetuum, ipsi commissarii non poterunt, neque ad tertiam generationem illud confirmare; nam, etiam pro ipsâ tertiâ generatione, redditur nulla ipsa confirmatio, ut per Abb., cons. 41, n. 3, lib. 1, quia attenditur supplicatio, non autem contractus prout fuit in Rotâ decisum in unâ Senen. *Prædii*, 28 aprilis 1689, coram Seraph.

Imò, ut plurimùm videmus quòd, licèt locatio petatur perpetua, nihilominùs D. datarius, justis causis sibi benè visis, si narretur in supplicatione, fuisse confectum instrumentum perpetuæ concessionis, in ipsâ supplicatione addit : *Et ad tertiam generationem tantùm, recisâ dictâ concessione perpetuâ*, etc.

IPSIUS. — Nec à propositâ materiâ nimis abesse videtur quærere quando et à quo incipiat prima generatio; cujus cognitio, etiam ad ipsos commissarios spectare dignoscitur. Unde, hujus rescripti ordinem non invertendo, dicendum est quòd, si locatio hæc fiat ad tertiam generationem, tam in instrumento locationis hujusmodi, quàm, in decreto dictorum commissariorum exprimi debet an ea fiat ad tertiam simpliciter, an verò ad tertiam ipsius emphyteutæ generationem. Nam in primo casu computatur in primâ generatione persona ipsius acquirentis, qui facit primam, filius, secundam, et nepos ex filio tertiam; Bald., in auth. *Si quas ruinas*, num. 4, c. de sacros. Eccles., adeò ut mortuo ipso nepote, sit extincta locatio, jul. Clar. in § *Emphyteusis*, q. 34, quo casu pronepos prorsùs excluditur : et hæc est communis sententia, quam probat Menoch., cons. 883, num. 13, lib. 9. Secundo verò casu, nempe cùm locatio facta fuerit ad tertiam ipsius generationem, generatio ipsa incipit à filiis ipsius acquirentis; Bello, cons. 80, num. 7; Bero, cons. 109, num. 15, lib. 1, Gabr., de Emphyt., concl. 4, num. 4, Hieron. Gabr., cons. 90, num. 1, lib. 1, et cons. 68, num. 1, vol. 2, id. Menoch., d. num. 13, cùm nemo generat se ipsum; sed talis acquirens, sit tantùm principium generationis, sicut distinguit id. Jul. Clar., d. q. 34, ubi ait quòd consideranda sunt verba ipsius investituræ, veluti, si illa sint simpliciter concepta, aut si appareat, distinctam esse personam, acquirentis ab aliis discedentibus, nempe, quia Titio conceditur aliquid in emphyteusim, usque ad ipsius tertiam generationem; eo enim casu, filius facit primam, nepos secundam, pronepos tertiam, et ista fuit etiam opinio Bart. in quodam suo Consilio citato per eumdem Bald., in d. auth. *Si quas ruinas*, n. 3; Dec., cons. 624, ubi, quòd acquirens non comprehenditur.

Quare est hìc advertendum quòd duæ adsunt decisiones Caputaq., quarum una est 18 part. 2, die 5 junii 1553, ubi nonnulli allegantur doctores tenentes comprehendi acquirentem, etiamsi dicatur, *Ad tertiam ipsius generationem;* altera verò 112, d. part. 2, num. 2; in quâ allegatur Castr., cons. 338, col. 1, vol. 2, qui etiam tenet hanc opinionem; quas licèt ad id pluries audierim allegari, nihilominùs, fuerunt aliæ decisiones contrariæ adductæ; quia satis apud omnes exploratum est quòd ubi emphyteusis vel feudum conceditur alicui simpliciter, usque ad tertiam generationem, unaquæque persona dicitur constituere unam generationem; ita ut veniant tantummodò, et recipiens, et filius et nepos. Secùs autem, si hìc adderetur *Ad ejus*, vel *ad ipsius generationem;* quo casu, veniunt recipiens, filius, nepos et pronepos; quare cujuscumque opinio aliter sentientis, ex supra dictis; sive aliàs quomodo libet clarum est, quòd nunquàm fuit recepta, cùm satis liqueat, res ecclesiæ hodiè posse transferri ultra nepotes, tam de jure, quàm de consuetudine, præsertim quando sumus in casu, quo intervenit approbatio summi Pontificis, quæ omne dubium submovet; Mar. Ant., Var. Resol. lib. 1, resol. fin., casu 46, et supra dictam distinctionem secuta fuit pluries Rota in unâ Farsen. Villæ Caprarolæ, 20 maii 1592, coram Penia, et in unâ Bononien. *Bonorum*, 18 martii, 1611, coram illustrissimo D. Coccino Decano, et in unâ Assisien. *Emphyteusis*, 27 junii, 1629, coram D. Merlino, quæ quidem Rota præcipuè movetur, ex Bart., qui ita in facti contingentiâ consuluit, ut dicit id. Bald. in d. auth. Si quas

ruinas, num. 3, vers. *Juxta hoc*, quem omnes indifferenter sequuntur, et non minùs eruditissimè, quàm copiosissimè scripsit dulcissimæ memoriæ genitor meus Fabius Corradus, celeberrimus suo tempore jureconsultus, in causâ vertente inter rectorem abbatialis ecclesiæ S. Symphoosæ Cusentin. diœcesis, ac Paulinum Fieravante; quæ ex speciali rescripto, fuit in gradu appellationis commissa Alexandro Glorierio, tunc nuntio Sedis Apostolicæ, in hâc civitate residenti, de anno 1593. Quare nec contemnenda quidem est ratio, quam etiam circa hoc, affert eruditissimus Augustinus Barbosa, de Jur. eccles., lib. 3, cap. 30, num. 24, nimirùm, quòd ipsa ratio differentiæ assignari potest, quia quando simpliciter dicitur, *ad tertiam generationem*, dominus directus considerat generationes in abstracto et absolutè, non autem respectivè, et tanquàm generationes alicujus certæ personæ; et ideò, tot terminos et gradus constituit in concessore, quot sunt personæ; et sic in tertiâ personâ terminatur concessio, velut in tertiâ generatione; quoties verò apponit dictionem, ejus, vel, ipsius, tunc in concreto et respectivè considerat generationes, tanquàm provenientes à primo receptore, et benè intrat distinctio inter generantem, seu causam generationis, et ipsam generationem, ex Papon. cons. 86, num. 14, cum seqq., Mar. Anton.; Var. Resol., lib. 1, resol. 121, casu 46, Alexan., cons. 125, num. 5, lib. 5, Ruin., cons. 166, num. 6, lib. 1; Mant. de Tacit. et Ambig., lib. 22, tit. 25, num. 16; idem tenuit Specul., in tit. de Locat., § *Nunc aliqua*, num. 15; Bald. in l. 2, vers. *Quæro*, c. de Jur. emphyt. Castr., cons. 338, vol. 2; Socc., cons. 25, cons. 223, vol. 4, Alex., cons. 110, vol. 3; Dec., cons. 62, in principio; Ludovis., decis. 522, num. 1 et 2, ubi ait quòd cùm concessio facta fuerit Antonio ad tertiam ipsius generationem, generatio incipiebat à filiis ipsius Antonii, et terminabatur in ejus pronepotibus, etc., subdens quòd hanc conclusionem non impugnabant informantes pro archiconfraternitate confalonis; sed potiùs eam evitare conabantur pluribus modis; primò, ex usu seu abusu notarii, quem dicebant non agnovisse differentiam, quam constituunt doctores, quando quis recipit emphyteusim ad tertiam generationem, simpliciter, et quando ad tertiam ipsius generationem, cùm promiscuè et indifferenter addat, et non addat illam dictionem, *ipsius*, etc.

Cæterùm verò, cùm factum in dubium revocari contingit, ut si ex verbis instrumenti hujusmodi concessionis, non ita clarè constet, an talis concessio comprehendat, etiam pronepotes, cùm regulariter emphyteusis ecclesiastica concedatur tribus personis, et respectu ecclesiæ sit odiosa; si aliter ex prædicto instrumento non appareat, debet concessio exclusivè interpretari, tanquàm si simpliciter diceretur, *ad tertiam generationem*; adeò ut ipsius acquirentis comprehendatur, absque illâ dictione, *ipsius*; hoc autem ut quantociùs fieri possit, investitorum numerus finiatur, ut voluit Tiraquell. de utroque Retr., § 1, gl. 11, n. 45, vers. *Etiam ex simplici præsumptione*, Felin. in cap. *Per tuas*, n. 9, de Probat., tametsi in contrarium sit communis opinio, quòd videlicet possit concedi ad tertiam et ulteriorem generationem etiam inspecto jure communi, ut per Alex., cons. 110, num. 19, vers. *Et non obstat*, lib. 3, quod magis ex hujusmodi Papæ decreto in his litteris apposito, declaratur.

Quæ tamen generatio, regulariter non comprehendit descendentes ex filiâ; quia non sunt de generatione, licèt ipsa filia sit de generatione: Castr., cons. 244, n. 3, vers. *Super tertio*; Tusc., pract. Concl. tomo 3, concl. 157, litterâ E, per tot., prout, neque illegitimum qui non succedit in bonis ecclesiæ, in emphyteusim concessis etiamsi esset legitimatus; Bald. in l. *Generaliter*, § Cùm autem, num. 1, de Instit. et Substit., ut est communis opinio; ratio enim est quia tales filios, ex illegitimo matrimonio conceptos, maximè Ecclesia abhorret; quare non videtur de illis cogitâsse, Jul. Clar. in dicto § *Emphyteusis*, quæst. 30; Paris., cons. 71, num. 43, lib. 3; Rot. Ruin., cons. 36, num. 18, lib. 1; Gabr., cons. 83 et seq., quod quidem hodiè sine difficultate aliquâ procedit, urgente præsertim constitutione Pii V, revocatoriâ omnium facultatum legitimandi bastardos ad successionem in bonis ecclesiæ, ut per Mar. Ant. var. Resol. lib. 1, resol. 98, num. 1, et ita pluries in facti contigentiâ evenisse, non ignoramus in causâ hujusmodi concessionis in emphyteusim, etiam præcedente beneplacito apostolico, et sæpiùs fuit in Rotâ resolutum, tam coram Rubeo, de anno 1579, quàm etiam in unâ Romanâ, *de Peruschis*, sub die 29 februarii 1580, coram Oriolien., et in unâ Perusin. de Ubaldis, 29 octobris coram fel. record. Gregorio XIII, et in causâ alimentorum, coram Penia, die 28 maii 1594, ut ex dec. quam affert id. Mar. Ant., d. res. 98, in fin., quod quidem procedit non solùm quoad naturalem tantùm, verùm etiam ad legitimatum; Alex., cons. 94, num. 5, et cons. 126, n. 7, lib. 1.

Hanc autem conclusionem benè limitavit Rota in unâ Ariminem. *Bonorum*, 14 aprilis 1574, ut regulariter naturalis tantùm, vel legitimatus non possit succedere in emphyteusi ecclesiasticâ, non autem non acquisitione; ex quo rectè potest bastardus, volente ecclesiâ, acquirere bona ecclesiastica in emphyteusim; cùm totum hoc pendeat à verisimili mente prælati ecclesiæ, Rotâ, decis. 473, num. 2, part. 1, divers., ubi quòd non aliâ ratione videntur isti incapaces, nisi propter statum ipsiusmet ecclesiæ, quæ cùm sit nobilis, et speculum pudicitiæ, non intelligit in dubio de istis abusivis; sed quando bastardus est vir probus vitæque commendabilis, talis recipitur ab ecclesiâ, et contrahendo cum bastardo videtur habere notitiam de illius qualitate: quare meritò dicta regula non habet locum in bastardo acquirente ab ecclesiâ, et ita præsupponit Bald. in cap. *Quæ in ecclesiarum*, n. 43, de Const., cum aliis in d. dec. adductis. At verò, quando emphyteusis est acquisita à privato, tunc filii etiam naturales admittuntur; ex eo quòd in contractibus regulariter, filiorum appellatione, veniunt etiam naturales; id. Clar., d. q. 30, in fin.

GENERATIONEM, LOCARE, ET CONCEDERE, etc. — Hoc enim modo, supra dicta concessio, in emphyteusim dicitur facta, quamvis in supplicatione non fuerit ita expressum, prout quandoque exprimitur; ex quo emphyteusis dicitur ab emponemate, vocabulo Græco, quòd idem est quòd melioratio. Alex., cons. 117, num. 12, in fin. lib. 4, et emphyteusis vulgariter dicitur livellus vel locatio perpetua, vel ad longum tempus, ut hìc, id. Alex., d. n. 12, id. Tusc., concl. 147, num. 1, de litterâ E. Nec secundùm hanc praxim, vim aliquam fieri videmus in tali concessione in evidentem; ex quo licèt in supplicatione non fiat specifica mentio de emphyteusi vel locatione, vel contractu livellario, debent attendi conditiones, et pacta de quibus in instrumento, cui scilicet contractui magis conveniant; et secundùm illa debet judicari, in quam speciem contractûs cadat; illa enim denominatio nihil facit; sed potiùs attenditur effectus rei, ut ait Jul. Clar. in § *Emphyteusis*, q. 1, vers. ult.

Quod quidem petitur, quando conductor, seu emphyteuta habet filios; quòd si non habeat, nec fortè ulla adsit spes, illos procreandi, tunc solet peti locatio, non ad tertiam generationem, sed ad tertiam nominationem; et explicatur in supplicatione, ut attento, quòd orator prole caret, et dictum terræ petium ad debitam culturam reducere intendit, ad tertiam nominationem tantùm, ad vitam; scilicet ipsius oratoris et personæ per eum nominandæ, ac demùm alterius personæ quàm ipsa persona sic nominata, duxerit nominandam, nec ultra; ita ut, etiamsi utraque, vel alterutra personarum nominandarum, filios procreaverit, ad eos minimè transeat hujusmodi terræ petium; sed mortuis istis personis, sic, ut præfertur, nominatis, vel aliàs, finità emphyteusi, hoc terræ petium, cum omnibus melioramentis in eo factis, dictæ ecclesiæ liberè cedat.

Quomodo autem, et qualiter emphyteusis concessa ad nominationem, transeat ad nominatos, dicendum est, etiam in hâc praxi, quòd quando conceditur pro se, et filiis et nepotibus, si habuerit, et si non habuerit pro duobus successoribus, ut hìc quos eligere et facere voluerit in suo testamento; ad hoc ut transeat ad nominatos, debet forma servari, ut nominentur in testamento, aliàs non valeret nominatio facta sine testamento; in Ang., cons. 351, princip. Tusc. pract. Conclus. tomo 3, concl. 180, litterâ E, ubi limitat quòd benè valeret nominatio facta in codicillis, quando codicilli sunt confirmati à testamento, ut quia personæ nominatæ sunt hæredes universales in testamento instituti; id. Ang., d. cons. 352, in fin., ubi benè ait quod licèt nominatio debeat esse formalis, veluti, si plures sint nominandi, debeant nominari ordine successivo; attamen, si simul nominentur plures, sustinetur nominatio ordine successivo, facta ex ordine litteræ; id. Tusc. loc. cit.

SI NOSTRA ET SEDIS APOSTOLICÆ SIBI SUFFRAGENTUR LICENTIA ET FACULTAS. — Aliàs enim incurrerent ipsi oratores pœnas in dictâ extravag. *Ambitiosæ*, contentas. Et hìc cautus sit contrahens, quando in instrumento alienationis servatur beneplacitum apostolicum; quia si illud reservatur, præsertim cum clausulâ, *non aliter, nec alio modo*, erit necessariò impetrandum; etiamsi aliàs de jure non requireretur, eò quòd hæc licentia competat forsan episcopo, juxta terminos d. cap. *Terrulas*, 22, q. 2; nam clausula hæc importat conditionem, quæ est omninò adimplenda; Cassad., dec. 2, num. 7, de Simon., quia facit actum conditionalem; Curt. jun., cons. 77, num. 3, unde, dicto beneplacito non obtento, nihil dicitur actum, argum. l. *Pecuniam*, ff. *Si cert. petat.*; Jas. in l. *Si quis sub conditione*, ff. *Si quis omissa caus. testam.*, potissima quidem ratio (ni fallor) ea est quia habemus in jure, quòd pacta quæcùmque in investiturâ adjecta, sunt attendenda, nedùm si erunt superflua, verùm etiam si repugnent naturæ feudorum; Capan. de Jur. relev., p. 4, q. 28, num. 8, et dixit Rota in unâ Neapolitan. Laudemii 10 decembris 1639, quòd licèt prælatus successor in ecclesiâ non teneatur solvere relevium pro feudo, tamen hoc fallit, si in investiturâ cautum sit, ut relevium solvatur, quando prælatus moritur; et in propriis terminis beneplaciti apostolici cum dictâ clausulâ *non aliter, nec alio modo*, fuit aliàs dictum, transactionem corruere quamvis alioquin non esset illud necessarium, Ludovis., decis. 192, num. 1, et ibi Add., num. 3, ubi probat ex pluribus decisionibus, Rotam dixisse esse necessarium, quando fuit reservatum cum dictâ clausulâ, *Non aliter*, etc., et quòd non sit necessarium, et quòd propterea non sit habenda ratio Gabriel., cons. 92, n. 4, et seq. lib. 1, dicentis non esse necessarium, quando de jure non requiritur, non obstante dictâ clausulâ : *Non aliter*, etc., quam ipse ait appositam ad majorem cautelam. Et reverà, doctrina ipsius Gabriel., loc. cit,, satis deviat à praxi quotidianâ in hâc materiâ, per quam omninò requiritur dictum beneplacitum, non obstante supradictâ clausulâ.

Quamvis regulariter simpliciter reservatum, intelligatur, quatenùs illud sit necessarium; Seraph., dec. 1027, num. 7, Add. ad Buratt., decis. 374, num. 16, subdens num. 17, quòd dicta clausula *Non aliter* in hoc casu operatur, ut ad unguem sit observandus modus in contractu præscriptus, et importat formam, id. Seraph., decis. 420, num. 6, et fuit dictum in unâ Avenionen. *Donationis*, 29 aprilis 1619, coram patriarchâ Manzanedo, et quòd nisi interveniat dictum beneplacitum, contractus corruit ex defectu consensûs, qui censetur deficere eo ipso quòd deficit dictum beneplacitum, consensui correspectivum, ex juribus per eumdem, Add. loc. cit. allegatis, et fuit etiam in alienatione rerum ecclesiæ, dictum in unâ Pisan. *Bonorum*, 28 octobris 1585, coram Buratt. et in Aretin. Capellaniæ, 16 januarii 1616, coram Buratto, et in unâ Ferrarien. *Decimarum*, 23 januarii 1617, Corn. cons. 227, in 5, vol. 4, Aret., cons. 11, num. 2, dicens, contractum conditionalem non esse proprium contractum, ipsa enim conditio nihil ponit in esse, antequàm impleatur, d. l. *Si quis sub conditione*; quod quidem satis ostendit illius definitio, quæ talis est

videlicet : Conditio est eventus fortuitus in quo dispositum suspenditur ; Nav. cons. 2, num. 1, de Condit. appos. Ac proinde improbatur Gabr., cons. 92, num. 4, et seq., lib. 1, dùm ait non esse necessarium expedire beneplacitum, quando illud de jure non requiritur, non obstante dictâ clausulâ, non aliàs quàm proinde dicit appositam ad majorem cautelam, ut supra dictum est.

Præmissa tamen procedunt, nisi cum reservatione dicti beneplaciti ; addatur clausula, *Quatenùs opus sit*, et postea verificetur quod non erat necessarium ; Gonzal. ad regul. 8 cancell., glos. 12, num. 98 ; qui numer. 99, quærit quid si fuerit facta concordia sub beneplacito Sedis Apostolicæ, et illius confirmatio fuit ab uno papâ denegata, an possit altera pars instare quòd expectetur ad voluntatem alterius Papæ successoris, cùm Sedes Apostolica non deficiat, et non fuerit facta concordia sub beneplacito nominis proprii, sed dignitatis ; et respondet cum Rotâ, decis. 290, num. 2, part. 3, divers., ubi concluditur quòd non ; nam, ex quo fuit semel denegata, conditio defecit.

CAPUT V.

Praxis dispositivæ earumdem litterarum : Si in evidentem, *etc.*

QUARE PRO PARTE, etc., ASSERENTIUM LOCATIONEM ET CONCESSIONEM HUJUSMODI, SI FIANT, IN EVIDENTEM, etc. — Nec propterea standum erit aliquo modo assertioni partium confitentium super hujusmodi utilitate, ut per Barbat., cons. 40, col. 5, vol. 1 ; hoc enim modo pateret via fraudibus, contra text. in cap. *Quartò*, de Divort., cum eis uti deponentibus in causâ propriâ, et ad suum commodum, non sit credendum, l. *Omnibus*, c. de Test. ; Bart. in l. *Deferre*, ff. de Jur. fisc. ; Alex., cons. 32, num. 4, vol. 6 ; Castr. 301, vol. 1 ; Osasc., decis. 72, num. 6 ; Surd., cons. 61, n. 26. Imò neque creditur instrumento asserenti, quòd sit factum causâ utilitatis, nisi probetur, c. *Non liceat*, 12, q. 2, prout neque concessio rectoris seu prælati nocere potest ecclesiæ ; Glossa in l. *Certum*, § *Sed an ipsos*, ff. de Confess. ; Rebuff., in Compend. alienat., in verbo *Prospiciat ;* Card. in Clement. 1, de Rebus eccl. non alien., verbo *Trigesimò quæro*.

VOCATIS, QUI FUERINT EVOCANDI. — Hanc clausulam reperio extractam ex pluribus locis, tam juris canonici quàm civilis, præsertim ex c. *Exhibita*, de Judic. ; ibi, *ut vocatis qui forent evocandi, super propositis et aliis, negotium concernentibus, inquirant veritatem*, etc. Quæ quidem applicari potest, etiam aliis commissionibus, super gratiis apostolicis, et elicitur etiam ex not. per Card., cons. 92, num. 3, vers. *Ad hoc respondeo quòd indulgentia apostolica ;* Alex., cons. 70, col. 3, vers. *Tum etiam*, num. 9 ; Dec., cons. 133, post princip., et cons. 274 ; Boer., decis. 345, num. 4, vers. *Tamen*. Hoc enim satis rationabile videtur, et juri conforme : nam citatio partis semper requiritur ubicumque potest alteri præjudicium inferri, vel de alterius interesse agi, text. est expressus in l. *De unoquoque*, ff. de Re jud., l. *Nam ita Divus*, ff. de Adopt., l. 1, § *Denuntiare*, ff. de Ventr. inspic., l. *In diem adjectio*, ff. de Aqu. pluv. arcen., l. *Si quando*, et ibi Bald. c. de Testam., et per hanc clausulam, *Vocatis*, requiritur citatio partis, sicque commissarii supra dicti sunt mixti executores ; ex eo quòd habent cognitionem causæ annexam, ut in c. *Novit*, de Appell., c. *De cætero*, de Re jud., c. *Pastorali*, de Off. deleg., ad differentiam meri executoris, cui non est demandata aliqua cognitio, sed tantùm causæ executio, c. *De cætero*, de Re jud. Unde supra dicti judices non aliter procedere possunt, quàm parte citatâ ; Fel. in d. c. *De cætero*, num. 10, vers. *Quid de clausulâ*, eod. tit. ; Dec. cons. 173, n. 2, dùm requiritur causæ cognitio ; Abb. in c. fin. de Præsumpt. num. 13, et ibi Fel., n. 23, vers. *Fallit*, Caputaque, decis. 282, n. 4, part. 2.

Et ideò, supra dicti executores debent procedere ad verificationem narratorum ; quamvis ea per aliquem non negentur, Paris. cons. 49, n. 31, l. 4, et donec verificentur, semper potest dici de subreptione, saltem, quoad effectum utendi ipsâ gratiâ, eò magis cùm illa, tam ex illius tenore quàm ex litteris ejusdem Pauli II, in eâ præinsertis, contineat certam formam, quæ pro executione narratorum supra dictorum debet omninò servari, Felin. in c. *Cùm dilecta*, num. 6, cum seq. rescript., et si aliàs exequerentur, malè agerent ; Maresch., de Commiss., parte 2, fol. 99, n. 5 ; nam, si stantibus præmissis, de citatione non constet, alienatio erit prorsùs nulla ; Abb. in c. *Exhibita*, de Jud. ; Dec., cons. 173, n. 2, vol. 1, quia in tantum valebit rescriptum, in quantum illius forma servabitur, d. c. *Cùm dilecta*.

Unde debent vocari partes, interesse habentes, seu alii contradictores, fierique processus, cum receptione testium ; aliæque legitimæ probationes, ad præscriptum supra dictæ constitutionis Pauli II, quæ incipit : *Cùm in omnibus*, ibi : *Testes et probationes super narratorum veritate recipiant ;* aliàs enim illius formæ non esset satisfactum ; Rot., decis. 716, num. 1, part. 1, divers. et processus fortè annullaretur ; Paris. de Resign. benef., lib. 1, quæst. 4, num. 45, de quo quidem processu debet doceri, ne fortè inquisitio super expositis, fiat parte non vocatâ, et per falsos testes non juratos, et malè deponentes ; Bellam., decis. 617, n. 2.

Hæc autem intelligas circa eos qui habent interesse, ut supra dictum est, non autem, quæ pro solemnitate requiruntur ; Seraph., decis. 338, num. 3, cùm certum sit Papæ auctoritatem, supplere omnes solemnitates ; Abb., cons. 41, n. 3, et ipse non curet de his solemnitatibus sed tantùm de utilitate ecclesiæ ; Socc. cons. 15, num. 15, vers. *Insuper*, lib. 6.

Et practicatur in hâc curiâ archiepiscopali neapolitanâ, quòd inprimis obtento hujusmodi rescripto Judices delegati, ut cautiùs agant neque decipiantur, si antea non fuerint factæ subhastationes, præsertim, si adest suspicio collusionis inter beneficiatum et concessionarium ; vel adest dubium an concessio cedat in evidentem utilitatem ecclesiæ, extrajudicialiter copiam rescripti consignent episcopo loci ordinario,

etiamsi ejus vicarius fuerit unus ex Commissariis, ad quem spectat tueri jura suarum ecclesiarum, ut si quid ei pro facti instructione videbitur, ipsis commissariis significet; id. Quar., d. verbo *Alienatio*, sub num. 14, vers. *Obtento rescript.*

Quod tamen locum sibi non vindicaret, si contingeret (quod rarò tamen accidit) Papam committere simpliciter delegato, ut se etiam simpliciter informet de utilitate ecclesiæ, prætermissâ supra dictâ clausulâ, *Vocatis*, et si repererit, in evidentem Ecclesiæ utilitatem cedere, alienationem confirmet, aut licentiam alienandi concedat; quia tunc satis est ut adhibeat cognitionem extrajudicialem absque citatione; nam pro eo et ejus sententiâ præsumitur, absque processu, maximè si assereretur adhibuisse causæ cognitionem, seu se informâsse; Put., decis. 432, lib. 2; Rot., decis. 479, parte 1, divers.

In casu enim supra dicto, circa informationem, statur ejus assertioni, et pro ejus decreto præsumitur absque processu; Carc., de Benef. p. 12, c. 2, n. 136 et 138.

Hujus autem rei rationem, eam esse putarem, quia quando hujusmodi rescriptum uni tantùm simpliciter dirigitur, non astringitur iste delegatus ad procedendum servatâ formâ prædictæ constitutionis Pauli II, in quâ, commissariis præscribitur modus procedendi; sed sufficit ipsum tantummodò extrajudicialiter informari.

Quod sæpè fieri et observari videmus, præcipuè cùm agitur de alienatione rerum ecclesiarum regularium, super quo emanavit decretum S. D. N. Urbani Papæ VIII, quo prohibendo dictam alienationem, statuit ut licentia super eâ concedatur per sacram congregationem concilii Tridentini, ut supra diximus, et infra dicetur; et sic in dicto decreto, seu licentiâ supra dictâ, non inseritur dicta constitutio, *Cùm in omnibus*, etc., quamvis pluries viderim hujusmodi licentias concedi, et ordinario dirigi, ut ipse procedat servatâ formâ dictæ constitutionis; absque eo quòd illa inseratur in dictâ licentiâ, quod fieri consuevit quando materia est gravis, et ex suî naturâ dignoscitur requirere partis citationem, ac omnia quæ in se continere solet dicta clausula : *Vocatis*, etc.

Nec tamen in hâc praxi silentio prætereundum putavimus quòd licèt in hujusmodi litteris, *si in evidentem*, Papa mandet inseri supra dictam Pauli II constitutionem, si tamen ea fuerit omissa (quod tamen nunquàm aut rarò contigisse scimus, præterquàm in casibus à nobis jam expressis), non propterea annullantur supra dictæ litteræ; sicut annis elapsis prætendebat vicarius cujusdam episcopi in executione earumdem litterarum; quo ego consultus respondi, quòd, etsi in re tam magni momenti, qualis est alienatio rerum ecclesiasticarum, voluerit ipse Paulus II ipsam suam constitutionem inseri in omnibus rescriptis, in formâ, *Si in evidentem*, ista tamen constitutio non tribuit facultatem committendi causas super hujusmodi alienationibus, sed solùm imponit pœnas judicibus commissariis, interponentibus decretum in læsionem ecclesiæ; ut patet in dictâ constitutione, in § *Si quis autem commissarius*, etc., ubi satis apparet, non propterea substantialem formam induci, adeò ut, dictâ constitutione, ut præmittitur, non insertâ, annulletur actu; quare talis alienatio, etiam ipsâ constitutione non insertâ, erit valida, quandoquidem, si ipse Paulus aliter voluisset, profectò expressisset, sicut facere consueverunt summi Pontifices, quando contrarium voluerunt, et in propriis terminis adest, decis. 34, num. 2, coram card. Mellino, in unâ Bononien. *Bonorum*, de Marano, 20 novembris 1595, penes Farinac., p. 1, in quâ expressè dicitur quòd quando constitutio, habenti aliàs potestatem faciendi actum, mandat simpliciter, sine clausulâ annullativâ, illum actum fieri sub certâ formâ, tunc, quamvis contrafaciens sit puniendus, tamen actus valet, ex Glossâ in Clem. 1, verbo *Inhibentes*, de Jure patr., et aliis, ut in d. decis., quæ ita concludit, quod nimirùm insertio dictæ constitutionis fieri debet solùm ad effectum, ut judices certiorentur de pœnis in bullâ expressis, et ideò cùm dicta constitutio non habeat decretum irritum, ideò si illa non fuerit inserta in litteris, *Si in evidentem*, etc., in quibus inseri consuevit, ut aliàs dixi, non exinde alienatio redditur nulla, ut in d. decis. 34, num. 2.

Pro executione autem litterarum supra dictarum, debent commissarii expedire monitiones per edictum, cum inserto tenore totius rescripti in genere; monendo omnes et quoscumque volentes dicere de subreptione et obreptione, per affixionem ad valvas cathedralis, parochialis, beneficialis ecclesiæ, et in loco rei sitæ alienandæ; Quar. verbo *Alienatio*, sub. num. 15, vers. *Secundò expedire poterunt*, ac præcipuè debet citari Ecclesiæ rector, seu beneficiatus, nec non concessionarius ad dicendum adversùs rescriptum, per edictum, cum inserto ipsius rescripti tenore; aliàs totus processus corruit; Seraph., decis. 1307, n. 2, non tamen vocandi erunt patroni, si ipsa ecclesia, seu beneficium fuerit de jure patronatûs, etiam clericorum; quorum consensus nullo modo ad id requiritur, cùm ex hujusmodi alienatione, nullum eis inferatur præjudicium; Rocch. de Curte in suo tract., de Jurepatr. in verbo *Honorificum*, q. 3, num. 4, relatum per Redoan., q. 31, num. 1; Abb., in c. un. Eccles. benef. necnon vocandi erunt domini bonorum confinium, pro eorum interesse; id. Quar. in d. verbo *Alienatio*, vers. *Quartò post decretum*, in fin., ex eo quia quoad dispositionem ecclesiæ, vel dotis, patronus nullum jus habet, cap. *Noverint*, 10, q. 1, etiamsi contingat alienatio prædicta; cùm ex eâ non lædatur jus patronatûs, sed tamen ex urbanitate et honestate quâdam, non autem ex necessitate; benè tamen verum est quòd licèt illius consensus non sit necessarius pro validitate actûs, negari tamen non potest quin possit semper patronùs se opponere ne res ecclesiæ dissipentur, aut sine causâ distrahantur, cùm in hoc debeat esse ejus præcipua sollicitudo, ut fuit dictum in unâ Calaguritanâ erectionis cappellaniæ, 15 novembris 1624, coram archiepiscopo Scieuciens., et ex

aliis relatis per Lotter. de Benefic., l. 1, q. 11, n. 61 et seq.

Et ubi materiæ qualitas, sive gravitas aliud suadeat, non incongruum videtur alios ad hujusmodi alienationes faciendas esse vocandos, prout servatur præsertim in alienationibus rerum immobilium ac jurium basilicæ principis Apostolorum de Urbe, necnon in locationibus casalium ultra novennium, vel domorum ultra tertiam generationem, in quibus præter capitulum, debent beneficiati vocari, ita ut habeant vocem consentiendi et dissentiendi; nam licèt aliud sit de jure communi, prout dico in meâ Praxi beneficiariâ, lib. 2, cap. 13, ferè per tot., in hoc casu non est ad illud recurrendum, cùm adsint quoad hoc constitutiones Nicolai III, ut in libello impresso, num. 25, ibi : *Hujusmodi verò beneficiati, cùm ad tractatus capituli admittantur, nec vocem in capitulo habeant, nec aliquam potestatem de viribus, bonis, seu quibuscumque negotiis ad ipsam basilicam pertinentibus disponendi, nisi ubi de alienatione rerum immobilium, vel jurium dictæ basilicæ agerentur; tunc enim assentiendi et dissentiendi hujusmodi tractatibus vocem habeant.*

Adest insuper motus proprius Pauli III, idem disponens per hæc verba ampliativa, nempè : *Hoc nihilominùs nostro decreto ad præsens declarantes, quòd cùm ex antiquâ constitutione sancitum sit, beneficiatos non habere vocem aliquam nec potestatem in capitulo, nisi ubi de alienatione bonorum immobilium vel jurium ageretur, eam exceptionem intelligendam esse, etiam ubi tractaretur de locatione casalium ultra novennium, vel domorum ultra tertiam generationem, etiamsi hactenùs prædicta, ultra illud tempus sine ipsorum beneficiatorum interventu locari consueverint*, ut habetur in unâ Romanâ Concordiæ S. Petri, quæ est decis. 197, part. 1 recent.

Et quòd sit hoc contra jus commune, satis docet gloss. in capite *Cùm ad hoc*, verbo *Ascitios* de Cler. non resid., ubi habetur beneficiatos debere tantùm inservire, non autem vocari ad communes tractatus cum Canonicis, cùm regulariter administratio bonorum spectet ad capitulum et episcopum; Felin. in capite *Edoceri*, numero 3, de Rescript., et in d. meâ Praxi benefic., loc. cit. Unde secluso privilegio summi Pontificis quoad supradictos tractatus, clarum est dictos beneficiatos nullum jus habere canonicæ, nec ad tractatus capituli admittuntur disponendo, neque sunt collegium, capitulum, universitas, sive corpus, neque prælatum, seu rectorem sibi possunt constituere, vel habere, sed subsidunt archipresbytero et capitulo, Cavaler., decis. 57, per tot.

Quòd si fortè ad ipsum beneficium, cujus bona alienantur, aliquis ex aliquâ causâ regressum habeat ex quo de illius præjudicio et interesse posset agi, ipse erit profectò vocandus, ut per Alex., consil. 145, ubi dicitur quòd si facta sit locatio ad novennium, in evidentem utilitatem, cum confirmatione Sedis Apostolicæ, non factâ mentione habentis regressum, locatio non valet, ut per d. Red. q. 57, sub n. 81, ubi refert decisionem Putei, 2. de Reb. eccl. non alien., quæ fuit facta in unâ Bononien. *Nullitatis locationis*, ubi fuerunt domini moti quia locatio fuit facta in utilitatem prælati, quæ non obligat successorem, per diversa jura ibi allegata.

Nec citandi erunt, qui de jure non possunt impedire alienationem, Menoch. de Arbit. jud., lib. 1, q. 17, num. 15, et de Recuper. poss. remed. 1, num. 122, Surd., cons. 1, num. 94, cons. 39, num. 20; Fel., in cap. *Ecclesia Sanctæ Mariæ*, num. 108, de Constit. et in cap. *Cùm olim*, num. 11, de Sent. et Re judicatâ.

SERVATAQUE FORMA PRÆINSERTARUM LITTERARUM, etc. —Nec te lateat, qui es in Romanâ Curiâ novus ac illius negotiis operam navaturus, quòd frequens est penes datariam, et cancellariam apostolicam, ac in illius rescriptis, sermo, de hujusmodi formâ; ac propterea scias quòd forma interdùm capitur pro quâdam narratione quæ non est de substantiâ, ut tradit Bal., in c. *Cùm in veteri*, de Elect., ex quo ineptum esset, narrationem vitiare dispositionem, cùm ex narrativis non valeat argumentum, c. *Si Papa*, de Privil. in 6, et hoc modo dicitur forma instrumenti, forma supplicationis, litterarum, etc., quæ etiam, ex communi usu, formula vocatur, cujus narrativa potest ad libitum poni et mutari, dummodò in reliquis non deviet à consueto stylo conficiendi instrumentum, vel supplicationem, etc.

Atverò forma, quæ necessariò circa propositum nostrum servari debet, duplex est, altera scilicet substantialis, altera verò accidentalis; substantialis illa est quæ dat esse rei; accidentalis verò quæ dat esse materiæ, circa quam res ipsa versatur; et hæc intelligitur deservire rei cui subjicitur tanquàm materia, ut optimè tradit Lot. de Re ben., l. 1, q. 4, n. 47 et 48, ex Ang. Aret., in rub. sub n. 1, inst. de Just. et Jur.

Rursùs forma alia inducta est à lege, alia ab homine. Primo modo accipitur pro solemnitate quæ à jure requiritur in aliquo actu faciendo, nempe in ordine vel modo, à lege tradito; nam ex quo actus debet fieri cum solemnitate, ista solemnitas dicitur de formâ ipsius actûs, exempli gratiâ, in testamento condendo, requiruntur septem testes, adeò ut, si unus tantùm deficiat, sit irritum, quia non est servata forma prædicta, text. in l. *Si unus*, et ibi doctores c. de Testam. Vel etiam in stipulatione, pro formâ requiritur ut præcedat interrogatio, seu in contractu emptionis et venditionis, de substantiâ ipsius contractûs, est res et pretium, et aliàs esset nullus, l. fin. c. de Contr. empt., prout est etiam de formâ judicii quòd præcedat libellus, sequatur litis contestatio, ac postea fiant probationes, et demùm feratur sententia; nam, si iste ordo seu forma, quæ alio modo vocatur figura judicii, non servaretur vel perverteretur, sententia non valeret, per text. l. *Prolatam*, c. de Sent., sicut etiam de formâ est, ut judex sedeat pro tribunali, c. fin. de Jud., in 6, ut per Maran. in suo Speculo aureo, p. 2, per tot., nisi tamen Papa hunc ordinem judicialem, sive hanc formam relaxaverit, prout sæpè con-

suevit per illam clausulam, apponi solitam in suis rescriptis, nempe, sine strepitu et figurâ judicii, quia tunc censetur sublatus omnis ordo formalis juris positivi, quoad solemnitatem tantùm; id. Maran. supra sub., n. 26, quod potissimùm fieri consuevit per ipsum Papam in causis beneficialibus, committendo judici ut procedat summariè, nempe simpliciter, et de plano ac sine strepitu et figurâ judicii; quia ita procedendum est in causâ beneficiali, prout cavetur in Clem. *Dispendiosam*, de Jud., et in Clem. *Sæpè*, de Verb. sign., in quâ declarantur hæc verba, *sine strepitu et figurâ judicii*.

Ut autem cognoscas quomodò et quando forma hæc inducatur, animadvertere debes quòd tunc ea inducitur, quando videlicet conditor legis aut canonis vel constitutionis, postquàm præscripsit formam ipsam in conficiendo actu, ulteriùs processit, nempe quòd si forma tradita non servetur, corruat actus; Bald. in l. 1, ff. de Lib. et post. Roman., cons. 66, et quandoque imponitur alia pœna, ultra actûs nullitatem, Joan. Andr., in cap. *ex tuâ*, de cler. non resid.; videmus enim quòd per concil. Trid., sess. 24, cap. 1, de reform., postquàm fuit præscripta forma ad contrahendum matrimonium, nempe coram parocho et duobus testibus, cavetur ut si totum id non adhibeatur non solùm matrimonium sit nullum, sed puniatur parochus.

Unde, ad minùs, illius omissio semper inducit nullitatem actûs, Bald. in l. *comparationes*, c. de fid. Instrum., et regulare est quòd non servatâ formâ permissivâ, necessariò succedit forma destructiva; ac consequenter actus nullus efficitur; id. Bald. in l. *Prætor ait*, § *Sive autem*, n. 4, de Nov. oper. nunc. Lotter., d. lib. 1, q. 37., sub. n. 9.

Estque adeò delicatæ naturæ, ut non tantùm illius omissio annullet actum, faciendo contra eam, verùm etiam ipse actus annulletur, quando fit citra, vel præter formam, veluti si aliquid ipsi formæ addatur, vel ex eâ detrahatur; Fel. in l. c. *Cùm dilecta*, vers. *Septimò nota*, de Rescript.

Est etiam tantæ potentiæ et stabilitatis, ut licèt cesset causa ob quam fuit inducta, non propterea cesset illius observatio; Rot., decis. 215, n. 8, p. 1, divers.; imò neque potest adimpleri per æquipollens; exempli gratiâ, decreto d. concil. Trid., sess. 15, c. 9, cavetur quòd cùm in casu probationis jurispatronatûs, quinquagenaria debeat pro formâ probari per authenticas scripturas, non potest illa probari per testes, quia, forma ipsa, ad hoc à d. concilio tradita, non potest adimpleri per æquipollens; Leo. in Thesauro for. eccles., parte 2, cap. 6, n. 2, ubi dicit ita censuisse sacram congregationem.

Porrò, non modò annullatur actus ex integrâ illius omissione, verùm etiam, si in minimo non servetur; Butr., in c. si., 7 not., de Rest. spol.; Felin., in c. *Cùm dilecta*, de Rescript., Dec. in Prudentiam, in 4, not. de Off. deleg., et hæc omnia procedunt, sive forma inducta sit à jure, sive ab homine; Mandos. reg. 27, q. 24, p. 2. Ratio enim est quia actus principis debent esse stabiles, ac perpetuò permansuri; Felin. in c. *Cum olim*, col. 3, de Re jud.

Potest nihilominùs dari casus quo ipsa forma possit per suum æquipollens adimpleri; ut præcipuè tenuit Alex., l. 1, ff. de Lib. et Posth., ubi dicit quòd quoties publica utilitas et necessitas inest alicui actui explicando, et forma à jure requisita non potest in eo servari, tunc, ne talis publica utilitas impediatur, sufficit, quòd talis forma requisita servetur per æquipollens Boer., decis. 2, num. 23.

Ita etiam, quando ipsa forma non potest adimpleri ob aliquod impedimentum, quia satis per diversa jura patet, quòd quoties forma non potest adimpleri specificè, debet adimpleri in casu æquipollenti, et sufficit; Jas., in l., n. 13, ff. de L. et Posth.; Clem. *Causam*, de Elect., et Clem. un. de Concess. præb.

Et quamvis dictum fuerit supra, requiri in testamento pro illius formâ septem testes, si tamen illud fiat tempore pestis, sufficit numerus quinque testium, prout in testamento rusticano, juxta text. in l. fin., c. de Testam., nam, propter hanc necessitatem, remittitur supra dicta forma, et sic valet testamentum tempore pestis, cum numero quinque testium; id. Jas., in d. l. 1; Decius, cons. 282.

Quod tamen in utroque casu intelligas, dummodò jus aut constitutio non prohibeat expressè, formam per æquipollens adimpleri; tunc enim nullâ ratione posset quis ab illius observatione excusari. Hujus quidem rei exemplum desumi potest ex constitutione felicis record. Gregorii XIII de publicandis resignationibus, ubi, ad omninò hujusmodi æquipollens evitandum, plura dantur remedia, pro ipsius formâ servandâ, circa hujusmodi publicationes; et denique pro potiori cautelâ, expressè in eâ cavetur, ne forma hæc possit adimpleri per æquipollens, ut in § *Cæterùm* ejusdem constitutionis, etc.

Remittitur etiam ipsius formæ observatio ab ipso Papâ, quando dubitatur an ea possit specificè adimpleri. Unde omnibus curialibus, quamvis parùm versatis, notum est quòd in litteris beneficialibus, præcipuè parochialium ecclesiarum, in quibus pro formâ debet orator ab examinatoribus in synodo diœcesanâ deputatis, examinari (quia potest facilè contingere quòd ipsi examinatores in aliquâ diœcesi, tempore executionis litterarum non reperiantur deputati) ne orator frustretur effectu dictarum litterarum, aut illarum executio retardetur, post solitam clausulam, nempe : *Si per diligentem examinationem, per te adhibitis examinatoribus, ad hoc à concilio Trid. designatis*, adduntur alia verba, videlicet, *si istic sint, uti esse debent, in diœcesanâ synodo deputati, sin autem, absque illis faciendam*, etc.

Secundo autem modo forma inducta ab homine ea est cùm Papa, à quo aliquod rescriptum emanavit, mandat illius formam servari sub eâdem pœnâ nullitatis actûs, ut in d. cap. *Cùm dilecta*, ibi, *propter quòd processum ipsorum contra nostri formam rescripti, ac juris ordinem attentatum, irritum decernimus et inanem*,

et in c. *Venerabili*, de Off. deleg., ubi etiam Papa cassavit processum habitu, non servatâ formâ rescripti, et in c. *Pisanis*, de Rest. spol., ibi, *mandati formam subdiaconus adimplere nequiverit*, et in fine, *processum hujusmodi, de fratrum nostrorum consilio, irritum judicamus*, ubi Glossa, in verbo *Irritum*, notat quòd judex, quando non servat formam mandati, irritum est quod facit; Ludovis., decis. 518, num. 2, præcipuè cùm ipsa forma posita sit sub conditione, ut patet ex supra dictis verbis, *servatâ formâ præinsertarum litterarum*, quæ quidem verba sic posita in ablativo, conditionem important, l. *Si debitor*, § ff. *Quid. mod. pign. vel hy. pot.*; Bart., in l. 1, in q. 3, ff. de Condit. et Demonstr.

Quæ quidem forma, cùm debeat etiam servari in confirmationibus alienationum, id operatur ut ipsa confirmatio non revalidet contractum à principio initum sub beneplacito Sedis Apostolicæ; ille enim vires sumit postquàm fuerit supra dicta forma servata, et non antea; quod tamen intelligas procedere, non in vim supra dictæ Paulinæ in dictis litteris insertæ, sed tantùm ipsarum litterarum in formâ, *Si in evidentem*, per ea quæ supra diximus sub n. 12, vers. *Nec tamen*.

Ratio enim est quia cùm in rescripto confirmatorio adsit clausula, *veris existentibus prænarratis*, vel verbum, repereritis, dictum beneplacitum præstitum est conditionaliter, nempe, si exposita sunt vera; et sic, quod positum est sub conditione, non inducit dispositionem, text. in l. *Si quis sub conditione*. ff. *Si quis, omis. caus. test.*, nam quando aliquid est de formâ, semper illa debet præcedere, et non subsequi, Bald. in Rubr. extr. de Off. ordin.; cùmque assensus sit collatus in tempus futurum, non trahitur ad præsens, Afflict., decis. 355, n. 8.

Sanè pro utriusque formæ observatione dicimus, quod nunquàm visa fuit illa remitti, etiam in ipsâ Romanâ Curiâ, sine urgenti et gravi causâ; cùm Papa, illiusque officiales invigilent, ne unquàm super negotiis ipsius Curiæ, valeat illa, ubi requiritur, præteriri: et cùm ipsa sit magistra aliarum curiarum, Gonz., glos. 13, n. 12, semper insistit pro illius observatione. Nec minimum exemplum reliquit de eâ Felinus Sandæus nam, licèt auditores sacri palatii, quos Rotæ auditores vocamus, creentur, et constituantur ex excellentioribus doctoribus totius orbis, necesse tamen est quòd examinentur, antequàm ad Rotam recipiantur; quia examen istud pro formâ requiritur : et licèt durum hoc visum fuerit ipsi Felino, qui cùm assumendus esset in Rotæ auditorem, nolebat pati examen : erat enim famâ super æthera notus, et qui jura canonica tanto tempore legerat, tandem exemplo plurimorum præstantissimorum jurisconsultorum, qui antequàm ad Rotæ auditoratum admitterentur novo, imò geminato examini, alteri publico, alteri privato, colla subjecerunt, etiam ipse obedienter se submisit. Mandos., reg. 24, q. 3, n. 12.

In proposito igitur, cùm Papa dat certum ordinem in rescripto, ille ordo dicitur forma, quâ omissâ, processus super eo redditur nullius, Caputaque, dec. 143, num. 5, part. 2, licèt hìc, per supradicta verba, *servatâ formâ præinsertarum litterarum*, præscribitur tantùm forma ipsis commissariis; pro cujus observatione debent recipere omninò testes et probationes, pro veritate narratorum, Rot., dec. 100, num. 7, part. 3, divers.; aliàs enim erunt puniendi, nec tamen annullatur processus factus in evidentem Ecclesiæ utilitatem, sicut jam supra diximus. Debentque tam ex officio quàm ad instantiam partis, prædicti testes coram ipsis commissariis examinari, cum opportunis interrogatoriis, id. Quarant., verbo *Alienatio*, sub num. 14, verb. *Quintò, hoc adimpleto*, et in unâ Placentin. decimarum, quæ est decis. 295, num. 4, part. 5, recent., fuit declarata nulla alienatio quarumdam decimarum, ex eo quòd non fuerit servata forma rescripti *Si in evidentem*, prout de jure dubitatum est, Seraph., decis. 338, et in unâ Ferrarien. bonorum, quæ est decis. 624, n. 1, p. 2, recent., in quâ fuit resolutum sententiam esse invalidam, quia lata vigore rescripti *Si in evidentem*, non servatâ illius formâ per text. in c. *Cùm dilecta*, et ibi DD. de rescript., Abb. cons. 41, n. 3, cum aliis allegatis in d. decis.

Illiusque circumstantiis universis coram vobis prius specificatis. — Hæc clausula non videtur hìc necessaria, ob æstimationem quæ facienda est à supradictis peritis, quæ procul dubiò fieri non potest, nisi factâ specificatione bonorum, cum eorum qualitatibus, Seraph., decis. 338, n. 5. Nihilominùs, quia in præsenti rescripto ita Papa mandat, si ipsa specificatio non fiet, alienatio erit nulla, Rota in unâ Cortonen. rescissionis locationis, 26 januarii 1590, coram Orano, et in unâ Cremonen. coram Blanchetto, 9 maii 1594, ac propterea est necessaria supradicta specificatio à quâ pendet tota validitas alienationis pro utilitate Ecclesiæ, quæ debet esse evidens, ut in c. *Sine exceptione*, 12, q. 2, Seraph., decis. 508, in princip.; unde vix est quòd utilitas certa aliquâ ratione posset haberi, nisi mediante specificatione hujusmodi, cùm humanum judicium circa manifesta feratur, non autem circa occulta, cap. *Erubescat*, 32 dist., et dicitur in prædictâ decis. 624; nam cessante supradictâ specificatione, prælatus pro tempore non esset certus de quantitate et qualitate bonorum in alienatione comprehensorum, in quo plurimùm favor et utilitas Ecclesiæ versatur, et ne quando super ipsâ liquidatione bonorum litigare cogatur, prout in dictâ decisione 624, n. 5.

Nec ad id sufficit illa clausula, quæ communiter secundùm consuetum stylum datariæ apostolicæ adjicitur in omnibus ferè supplicationibus gratiæ, nempe quòd major et verior specificatio, et expressio fieri possit in litteris; quia ista major expressio, seu specificatio non semper est in prædictis litteris necessaria, prout simpliciter requiritur hìc in litteris *Si in evidentem*, et sic non sufficit illam adesse in supplicatione, cùm omninò debeat adesse in litteris : nam ista Clausula de specificandis bonis et juribus coram commissariis est necessaria, quia utilitas, quæ sola spectatur pro validitate alienationis, vix dignosci potest

sine tali specificatione, nec Ecclesia scire potest quænam bona essent ad eam devolvenda post finitam lineam, seu quocumque alio modo, prout ex plenè deductis in unâ Ferrarien. bonorum, quæ est decis. 780, p. 4, divers. in recent.

Vos CONJUNCTIM PROCEDENTES.—Optima est hæc praxis, quæ desumpta est ex c. *Prudentiam*, § *Illa quippe*, de Off. deleg., ubi ait quòd fuit antiqua Apostolicæ Sedis provisio, ut hujusmodi causarum cognitiones potiùs duobus quàm uni, vel tribus quàm duobus, delegaret, cùm, sicut canones attestantur, integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur; et quod à pluribus quæritur sapientibus, faciliùs invenitur, c. *De quibus*, 10 dist.; cùm enim agatur de alienatione rerum Ecclesiæ, quæ sunt Deo dicatæ, Redoan., q. 3, n. 33, vult summus Pontifex quòd ad hujusmodi alienationem non nisi conjunctim ab ipsis judicibus delegatis procedatur; nam si aliàs voluisset, profectò expressisset, ut solet dicere, veluti, *quòd si non omnes interesse nequiverint, alter nihilominùs in causâ procedat.* Ratio autem est quia, ut vulgò dici solet, plures meliùs discernunt quàm pauci, d. c. *Prudentiam*, § ult., vers. *Et per plures homines perfectissimè veritas revelatur*, c. de Fideicom., c. *De quibus*, 20 dist.; per hanc enim personarum numerositatem duobus malis occurritur, quibus frequentissimè justitia subvertitur, nempe imprudentiæ et corruptelæ, quæ pari passu ambulant, Lotter. de Re benefic. l. 1, in Apparatu, n. 109; et hæc fuit intentio Pauli II, in d. suâ Constitutione *Cum omnibus judiciis*, etc., ibi : *Si quis autem commissarius vel delegatus conscientiæ suæ prodigus*, etc., *per gratiam aut timorem, vel sordes*, etc., ac proinde hoc debet habere in mente qui juri dicendo præest, nempe ne ob defectum scientiæ sit insipidus, et conscientiæ, ne sit diabolicus, ut ex Boer. decis. 153, num. 31; et Menoch., de Arbitr., casu 539, num. 1, ait id. Lotter., loc. cit., num. 111, subdens quòd utrique malo non ita occurritur ex personâ unius, quantumcumque singularis scientiæ et doctrinæ, sicut ex multorum cœtu.

Hæc quidem verba : *Vos conjunctim procedentes*, tanquàm addita in re tam gravi, denotant electionem industriæ personæ; quare horum delegatorum neuter subdelegare potest, Leo. in thes. for. Eccles. part. 1, cap. 15, num. 49. Atverò hìc juniores Romanæ Curiæ (quibus noster semper dirigitur sermo, in concernentibus praxim ipsius Curiæ) scire minimè pigeat, etiam quoad nostrum institutum nostramque praxim, sæpè in ipsâ Curiâ, etiam circa rescripta quæ extra eam suis executoribus diriguntur, quomodò et quando in eisdem censeatur electa industria personæ, quod quidem in eorum gratiam breviter hìc restringamus : nimirùm, quòd quando rescriptum alicui, puta dignitati, illius nomine proprio non expresso, dirigitur eo defuncto, rescriptum hujusmodi transit ad successorem; ex quo dignitas nunquàm moritur, ut ait text. in c. *Si gratiosè*, de Rescrip. in 6; quare ille qui in eâdem dignitate subrogatur, potest exequi, et de causâ cognoscere, c. *Quoniam*, de Off. deleg., quia, cùm dignitati, quæ nunquàm perit sit causa demandata, dùm non est certum nomen expressum, nihil refert mutatio personæ. Quare secùs dicendum est quando particulariter esset designata persona, seu nomen expressum, quia illius industria electa est, quæ per mortem expirat; tunc enim de benevolentiâ, et particulari confidentiâ Papæ apparet, unde notat Sarnen. super reg. de Ann. poss., sub. n. 7, q. 30, quòd plurimùm confert in negotiis agendis proprii nominis expressio, et juxta illud Exod. c. 23 : *Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine*; quare magna est benevolentia magni principis, quando subditum agnoscit et nominat proprio nomine, id. Sarnen. loc. cit. Colligitur propterea ex his quòd licèt in omnibus ferè rescriptis apostolicis adjiciatur clausula : *Tuam conscientiam oneramus*, non propterea per eam tantummodò est electa industria personæ, quandoquidem apposita est in vim executionis et monitionis, ut voluit Abb. in c. *Fin.*, § *Is autem*, in fin., de Off. deleg., ubi ait se ita consuluisse, ac propterea non mutat naturam negotii super quo litteræ conceduntur, attento quòd tacitè inest omnibus commissionibus, quòd judices et executores cuncta agant secundùm bonam conscientiam, cap. 1 de Re jud., in 6; unde expressio ejus, quod tacitè inest, nihil operatur et sonat potiùs in monitionem et excitationem quàm in conditionem, Innoc. in c. *Fin.*, de Præsumpt., Gratian. in decis., March. 157, n. 9. Jamque totum id in quotidianâ praxi habemus, veluti in provisionibus beneficialibus quæ in formâ *Dignum novissimâ*, expediuntur; in quibus licèt summus Pontifex executoribus mandet, quatenùs, si per diligentem examinationem oratorem idoneum esse repererint, super quo eorumdem executorum conscientia oneratur, non propterea censetur adeò electa industria personæ, quin executores ipsi vel eorum alter possint, sive possit examen ipsum alteri demandare et subdelegare, teste Garc. de Benefic., part. 6, c. 2, n. 140, ubi ait tales executores posse committere alteri vices suas etiam quoad examen, et ita ait esse receptum, non obstante dictâ clausulâ : *Tuam conscientiam oneramus*, quia per eam non censentur electa industria personæ, nec prohibita subdelegatio, qui, n. 102, ita distinguit, quòd tunc non potest fieri subdelegatio, quando decisio negotii est commissum conscientiæ alicujus dicendo : *Conscientiæ tuæ committimus, seu decidas secundùm conscientiam tuam*; secùs verò quando adest clausula, *Super quo tuam conscientiam oneramus*, quia tunc adjecta est in vim executionis vel monitionis, ut supra dictum est.

Atverò tunc realiter et propriè est electa industria personæ, quando nimirùm hæc adessent verba in rescripto apposita, videlicet si Papa diceret : *Fidei et diligentiæ tuæ tanti momenti committimus negotium*, etc., tunc enim ponderando illa verba, *fidei et diligentiæ*, etc., illa important quamdam particularem confidentiam; ex quâ censetur electa industria personæ, ut fuit dictum in unâ Tullens. seu *Nullitatis matrimonii*, 29 martii 1610, penes Farinac., tom. 1, p. 1, decis. 231, vel aliàs, quando apparet quòd committatur aliquid

faciendum, quod sit ingenii, naturæ, doctrinæ, institutionis, præsertim quòd sit causa gravis et ardua; quâ gravitate sic stante, censetur electa industria personæ, id. Innoc. in d. c. *Quoniam Apostolica*, n. 3, de Off. deleg.

Quibus sic stantibus attentis tot clausulis appositis in supradictis litteris *Si in evidentem*, etc., supradicti commissarii delegari non possunt, neque eorum alter vices suas alteri subdelegare ex eo quòd in supradictis litteris præter supradictas clausulas, sunt apposita verba personalitatem indicantia, ac qualitatem et gravitatem negotii, ut est alienatio rerum Ecclesiæ, quæ propterea à Papâ committitur viris ita qualificatis, ut ex pluribus comprobat Ric. in pr. for. Eccl., dec. 110, ubi plura ad id opportunè congerit et ita praxis servat.

Verum est tamen quòd licèt essemus in negotio gravi et arduo, quando tamen illud committitur cum causæ cognit., et sic cum jurisdictione, committitur nudum ministerium, habebit locum subdelegatio quoad causæ cognitionem et jurisdictionem, retento nudo ministerio, id. Grat., dec. 157, n. 12, et nos aliàs diximus.

Ad propositum nunc redeundo, ita etiam operantur dicta verba, *conjunctim procedentes*, quòd unus sine altero procedere nullo modo potest, per text. in cap. *Si duo*, de Off. deleg., in 6, Felin. in capite *Coram*, n. 11, eod. tit., l. *Duo ex tribus*, ff. de Re jud.; nam aliter non servaretur forma rescripti, unde unus tantùm perperàm ad illius expeditionem procederet, c. *Cùm dilecta*, de Rescript. c. *Venerabilis*, de Off. deleg.

Quod quidem in tantum procedit, ut neque unus possit proferre sententiam interlocutoriam sine alio, Maran. in Speculo aureo, p. 4, tit. *An sit jud. ordin. vel deleg.* sub num. 31. Id tamen procedit tantummodò in judicibus delegatis, ut hìc, non autem in ordinariis, quia, ubi plures sunt judices ordinarii, poterit unus sine alio ab initio causam cognoscere, et sententiare, Bart. in l. *Si uni*, ff. de Re jud. cùm quilibet ipsorum habeat officium insolidum, l. *Imperator*, ff. de Municip.

Non autem idem erit in præsenti rescripto, in quo de necessitate conjunctim procedi debet: nam etiam si antequàm insimul incipiant cognosceret de causâ alienationis, vel dùm fit coram eis processus, alter moriatur, non poterit alter superstes cognoscere causam hujusmodi, cùm satis clara sit illa conclusio, quòd in pluribus delegatis, uno mortuo, expirat officium omnium; adeò quòd ulteriùs ex illâ delegatione cognoscere non potest, c. penult. de Off. deleg., ubi Gloss. in verbo, *Delegatorum*, dicit quòd per mortem unius finitur jurisdictio alterius, et idem esset si alter efficeretur infamis, ut in cap. Sciscitatus, de Rescrip., vel si removeatur ut suspectus; quia neuter illorum judex erit in solidum, ut judicare possit, quia loco unius tantùm sunt, et omnes quidem judicare jussi sunt, eo modo quo dicimus de arbitris, ut uno mortuo, eorum officium expiret, cùm in eis compromissum sit ut omnes judicent: nisi tamen in compromisso expressum fuerit, ut si alter interesse non possit, alter arbitrium possit proferre, l. *Non distinguemus*, § *Cùm in plures*, ff. de Arbitr.

Licèt secùs in pluribus ordinariis, ut not. Abb. in d. cap. penult., quia quilibet habet officium insolidum, d. l. *Imperator*; at in delegatis, si unus sine alio procedit, processus est nullus, d. l. *Duo ex tribus*, cap. *Causam* 1, de Offic. deleg.; quare, cùm hìc jurisdictio non competat supradictis commissariis delegatis in solidum, sed conjunctim, sententia alienationis non potest per unum ferri; sed requiritur ut in quolibet actu omnes conveniant, ac etiam tempore ferendæ sententiæ omnes insimul sint coadunati, et simul judicent; vel unus, aliis præsentibus et mandantibus, et quòd is qui recitat, utatur verbis pluralis numeri: ut puta: *Nos tales judices pronuntiamus in hunc modum*, etc., ut in c. *Cùm ab uno*, de Sent. excom.; aliter verò non valeret sententia; sicut etiam si omnes sint præsentes et unus dedisset suum votum, et deinde recessisset, id. Maran. à d. n. 3, ad 35. Et fuit pluries practicatum, quòd in casu mortis, dignitatem obtinentis, cui cum ipso vicario rescriptum dirigebatur, fuit petita et concessa mutatio judicis, quâ commissum fuit alteri, dignitatem pariter in eâdem ecclesiâ obtinenti; et aliàs, cùm in simili casu, non fuisset alia dignitas in prædictâ ecclesiâ, fuit data mutatio judicis in personam antiquioris canonici, qui cum dicto vicario conjunctim procederet, sive res esset integra, sive non.

Quid autem hìc, si commisso rescripto *Si in evidentem*, etc., dignitatem in cathedrali ecclesiâ obtinenti ac vicario episcopi, qui conjunctim in formâ solitâ procedant, tempore præsentationis hujusmodi rescripti, ipsa dignitas, puta archidiaconus, sit etiam vicarius episcopi, an iste poterit solus procedere ad executionem prædicti rescripti. Iste casus licèt plurimùm frequens, non tamen adhuc desunt qui in dies inadvertenter incidunt in hunc scopulum, quandoquidem certa est conclusio, quòd si delegatio alicujus causæ fiat duabus dignitatibus, ut simul ipsam causam cognoscant, et fortè utraque dignitas sustinetur ab unâ eâdemque personâ, non potest ab ipsâ solâ personâ cognosci, ex Alexo. in l. *De die*, § *Si fidejuss.* in l. *Fin.*, ff. *Qui satisd. cog.*, nec aliam personam sibi adjungere, ut secum cognoscat, Massobr. in Prax. hab. concurs. re quis 5, d. 10.

Propterea sciendum pro hâc praxi responsionem esse negativam, prout ita semper in facti contingentiâ fuisse declaratum non ignoramus et puncto firmavit Rota; nam fuit per fel. record. Paulum V commissum breve *Si in evidentem* archidiacono ecclesiæ Caven. et vicario generali episcopi Caven., cum consuetâ clausulâ: *Mandamus, quatenùs vos conjunctim procedentes*, etc., et cùm prædictum breve fuisset præsentatum prædicto archidiacono, qui etiam erat vicarius generalis episcopi Caven., ipse solus confirmavit quamdam transactionem in evidentem utilitatem Ecclesiæ; sed cùm postmodùm dubitaretur de validitate dictæ

confirmationis, fuit proinde causa commissa in Rotâ, quæ dixit constare de nullitate dictæ confirmationis ex eo quòd Papa super re tam gravi ut est alienatio rerum Ecclesiæ, non fuit confisus de unâ personâ tantùm, sed de duabus, ut ex verbis supra dicti brevis, ibi : *Dilectis filiis archidiacono ecclesiæ Caven. ac vicario generali episcopi*, etc., *discretioni vestræ*, etc., *vobis conjunctim procedentibus*, *constiterit*, etc., ex quibus clausulis geminatis colligitur summum Pontificem, ut meliùs consuleret utilitati ecclesiarum, contemplâsse, duas personas, unam ab alterâ distinctam, et plurimùm personarum industriam integritatem in duabus dignitatibus separatis, constitutas, et quidem egregias, nempe archidiaconum et vicarium, non solùm ex verbis pluralis numeri, quæ in uno verificari non solent, sed etiam ex verbis : *Discretioni vestræ*, *vobis conjunctim procedentibus;* dictio enim *conjunctim* importat connexitatem et concursum duorum, et omnem singularitatem excludit, l. *Quod sæpè*, ff. de Contempt., l. *Conjunctim*, ff. de Leg. 3 ; Lap. alleg. 50, n. 1, Bald. cons. 123, n. 2, lib. 5, præsertim cùm ageretur de re gravi, ut dictum est, et non judicio unius tantùm committendâ videbatur, sed saltem duobus ; nam per plures oculos perfecta veritas magis perspicitur, et quod à pluribus videtur, prudentiùs deciditur, ac interest ecclesiæ plures habere consultores, et plurium virorum judicium adhiberi, c. *Prudentiam*, de Off. deleg., et propterea sequitur, quòd dùm causa fuit commissa duobus conjunctim, sententia unius est nulla, c. *Uno delegatorum*, de Off. del., c. *Cùm ab uno*, de Re jud. in 6 ; Vant. de Nullit. defect. jurisd., num. 182 et seq.; et sic formâ rescripti non servatâ, confirmatio prædicta fuit nulla, c. *Cùm dilecta*, de Rescript. Seraph, decis. 1195, n. 2 ; Rot. in Recent., decis. 624, n. 1, part. 1. Unde fuit conclusum non obstare quod ex adverso opponebatur, nempe quòd cùm archidiaconus esset etiam vicarius, ac ambas dignitates haberet, duasque personas repræsentaret, duorumque vice fungeretur, ipse solus poterat ferre sententiam confirmationis, quia jam ex supradictis patet de contrariâ intentione Pontificis, qui præsupponebat et intellexit quòd duæ dignitates separatim possiderentur et administrarentur, et duorum judicium et integritas interveniret in materiâ tam gravi, cui quidem Pontifici, si fuisset narratum, et scivisset quòd archidiaconatus et vicariatus residebat penes unam eamdemque personam, duas dignitates separatas dedisset, et alium subrogâsset; quare cessante præsupposito, ex defectu intentionis Papæ, corruit supradicta confirmatio, l. *Mancipio*, ubi Gloss., verbo *Avocandam*, c. de Serv. fugit. ; Clem. *Fin.* de Sent. excom. ; Dec. cons. 90, num. 1, in fine.

Et ita fuit dictum in unâ Nucerinâ paganorum nullitatis confirmationis, coram card. Virili, quæ est decis. 204, p. 5, divers. recent.

Quòd verò ad alienationem bonorum regularium datur licentia per sacram congregationem concilii per simplex illius rescriptum in calce supplicis libelli appositi ; quo ordinario et dignitatem obtinenti committitur, ut servatâ formâ Constitutionis Pauli II procedant, aliquando verò ipsi ordinario tantùm. Quinimò non semel vidimus hanc alienandi licentiam impartiri absque aliâ commissione, ut infra. Nam cùm Patres Carthusiani monasterii S. Martini Neapolis pro emptione nonnullorum bonorum stabilium petiissent ut in computum pretii duodecim millium ducatorum possent assignare quinquaginta unum loca montium de Urbe, venditori, habitâ informatione in ipsâ sacrâ congregatione de evidenti utilitate Ecclesiæ obtinuerunt rescribi ut infra.

Die 2 maii 1645, sacra congregatio eminentissimorum cardinalium concilii Tridentini interpretum, attentis pluribus attestationibus, super evidenti utilitate monasterii, extra judicialiter habitis, benignè indulsit oratoribus ut in solutum dictorum bonorum emendorum, supradicta loca montium cedere, seu resignare valeant.

J. B. cardinalis Pamphilius.

Gratis etiam quoad scripturam.

Franciscus Paulutius S. C. C. Secretarius

Alia quoque similis facultas impartita est eadem sacra congregatio, tenoris sequentis, videlicet :

Die decimâ novembris 1646, sacra congregatio eminentissimorum cardinalium concilii Tridentini interpretum, facto verbo cum S. D. N. juxta rescriptum sanctitatis suæ benignè indulsit, ut monachi Carthusiani monasterii S. Laurentii de Padulâ accipere possint ad interesse ducatos quadraginta millia monetæ regni, ad effectum emendi dictam terram Padulæ. Ita tamen ut unico contextu eadem summa pro dicto integro pretio persolvatur.

Petrus Aloysius cardinalis Carrafa.

Franciscus Paulutius S. C. C. secretarius.

Hoc autem ad præscriptum decreti ejusdem sacræ congregationis concilii à nobis supra allatum c. 1, n. 11, quo regularibus interdicitur alienatio rerum regularium absque licentiâ ejusdem sacræ congregationis in scriptis et gratis concedenda.

Pro alienandis verò rebus Ecclesiæ pretiosis, vidimus licentiam impartiri ipsis episcopis per litteras privatas sacræ congregationis, ubi talis alienatio fiat cum evidenti ipsius Ecclesiæ utilitate, potissimùm pro Ecclesiis quibus præsunt S. R. E. Cardinales, et tunc sub formulâ sequenti, videlicet :

A tergo : *All'eminentis. et reverendis. sig. mio osserv il sig. cardinale Filamarino.*

Intùs verò : *Eminentis. et reverendis. sig. mio osservandis.*

Concorrono questi Eminentissimi mieisignori colparere di V. E. che si possano far vendere quelli argenti vecchi, ed altere cose d'oro, che non servono, di valore di trecento ducati in circa dal custode, o sia tesoriero della capella del tesoro di cotesta cathedrale, dove si conservano le reliquie di S. Gennaro, per fare in detta cappella li risarcimenti da lei ordinati nella visita ; et però rimettono in arbitrio di V. E. il dargliene la licenza, et

interporui il decreto opportuno con l'authorità, che se le concede col mezo della presente; compiacendosi far auvertire, che la vendita si faccia con quel maggior vantaggio, che sarà possibile; ed il denaro, che se ne caverà s'impieghi poi fedelmente, ed con utilità nelli sodetti risarcimenti, onde V. E. potrà pigliare in ciò quella risolutione, che stimarà più espediente. Che io per fine le bacio humilmentele mani. Di Roma, li 24 *d'aprile* 1643.

D. V. E. Reverendis.

Humiliss. et affett. serv.
M. Card. Ginetti.
L'Arciv di tebe secretario.

Similis licentia ab eâdem sacrâ congregatione concessa exstitit eidem, vendendi annulum cum lapide pretioso cum parvâ cruce argenteâ tanquàm minùs eidem ecclesiæ, ad effectum providendi, ut infra, videlicet :

A tergo : *All' eminentiss. et reverendis. sig. mio osserv.*

Intùs verò : *Eminentiss. et reverendiss. sig. mio osserv.*

Questi eminentissimi miei signori udita la relazione di V. E. circa la necessità, che hanno gli economi di cotesta chiesa arcivescovale di providere d'alcuni argenti per ornamento dell' Altare maggiore, et d' altre cose per la sacristia, rimetteno in arbitrio di V. E. il dar loro licenza di vendere l'anello con pietra pretiosa di valore di centocinquanta ducati insieme con la crocetta d'argento di valore di altri cinquanta ducati, mentre non sono necessarii per il servizio di detta chiesa; ripromettendo si nel resto, che V. E. si compiacerà far auvertire, che il denaro sodetto s'impieghi poi fedelmente et con utilità nella compra di detti argenti. Onde potrà V. E. pigliar sopra di ciò quella risolutione, che stimarà più espediente; che col mezo di questæ se le da percio tutta l'authorità necessaria. Con che io humilmente le bacio le mani. Di Roma li 19 *giugno* 1643.

D. V. E. reverendiss.

Humiliss. et affett. serv.
M. card. Ginetti.

Et cùm antiquitùs hujusmodi litteræ *Si in evidentem* expedirentur pro quâcumque summâ annui reditûs per majorem pœnitentiarium, sub sigillo officii pœnitentiariæ, committebantur tribus canonicis cathedralis Ecclesiæ, quorum duo ad minus, conjunctim procederent : licèt postmodùm, tempore procedente, fuerit mutata commissio hæc in vicarium et dignitatem obtinentem, ut supra diximus.

Vos diligenter informetis, etc. — Ratio est quia tractatus, id est, causæ cognitio, in alienationibus ecclesiasticis, debet esse diligens, ut in cap. 1, de Reb. eccl. non alien. in 6, ibi : *Quia etiam tractatus solemnis et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eâdem, ordinationem et concessionem ipsam*, etc., *decernimus non valere ;* quare ipsi commissarii subtili investigatione uti debent, cùm hoc propriè importet verbum *Diligens*, cap. *Quàm gravi*, de Crim. fals ; Redoan., quæst. 23, num, 59, ubi num. 60 ait quòd clericis et prælatis regulariter est de præcepto uti diligentiâ circa res Ecclesiæ, quia eorum negligentia commissa circa res Ecclesiæ punitur.

Insuper, ipsa verba *Diligenter informatis*, idem sonant quòd de omnibus tractare, de omnibus cognoscere, de omnibus investigare circa Ecclesiæ interesse, et utilitatem, quia non dicitur diligens inquisitio, tractatus, aut cognitio causæ facta, si de omnibus non sit tractatum, cognitum, et discussum ac deliberatum circa ipsius Ecclesiæ utilitatem, ac circa omnia et singula necessaria, id. Redoan. n. 57.

Hæc tamen omnia, experientiâ compertum est parùm ab ipsis commissariis delegatis haberi in consideratione : unde aliud non curant, nisi festinanter et perfunctoriè procedere ad interpositionem decreti nil aliud quærentes (salvâ pace bonorum) nisi propinam per quam sibi venenosum sibi ut plurimùm poculum propinant ; cùm malè se gerant in tractandis rebus Ecclesiæ, quæ ei datæ sunt pro remedio peccatorum, ac pro salute et requie animarum, c. *Indignè*, 12, q. 2. Quare pro narratorum verificatione non erit standum supradictis. Judicibus delegatis, ut etiam infra dicetur ; et ait Genuen. c. 40, sub n. 21, quòd non est adhibenda fides executori, cui Papa commisit quòd diligenter se informaret de causâ unionis faciendæ ; ac propterea, causa debet esse benè et maturè cognita ac discussa, non autem festinanter, vel strangulatim et acceleranter suum assensum, decretum et sententiam interponere, ut docet id. Redoan. q. 23, n. 66. Cujus tamen clausulæ vigore, non oportet quòd super tractatu hujus alienationis fiat separatum instrumentum, prout aliàs requireretur, Natt. cons. 441, n. 8 ; Roland. cons. 15. n. 21 ; Gramm. decis. 79, n. 16 ; Menoch. de Præsumpt., lib. 3, præsump. 153, num 17 : nam hodiè totum id suppletur per informationes recipiendas per dictos judices delegatos, per illam discussionem causæ quæ habetur loco tractatûs, Marc. Ant, var. Resol. l. 1, resol. 21, num. 8.

Locationem hujusmodi *In evidentem*, ejusdem ecclesiæ cessuram esse *utilitati*. — In hujusmodi enim alienationibus requiritur nedùm utilitas, verùm etiam quòd illa sit evidens, Cor. cons. 243, n. 3, l. 2, Barbat. cons. 540, l. 1 ; Seraph. decis. 508, n. 12. Hæc sola causa evidentis utilitatis, sufficit ut exponatur summo Pontifici ; nec oratores arctari possunt ad aliam causam probandam coram supradictis commissariis per glos. in Clem. 1, verbo *Necessitas*, de Reb. eccles. non alien., et per text. in c. 1, eod. tit., l. 6, ubi, dùm loquitur de necessitate et utilitate, dicit quòd alterum sufficit adimpleri.

Evidens igitur utilitas est causa finalis hujus rescripti, quia in alienatione rerum Ecclesiæ, et gratiâ *Si in evidentem*, vel confirmatione apostolicâ, Papa nihil aliud intendit nisi evidentem Ecclesiæ utilitatem ; ac propterea confirmatio non dicitur subreptitia, si narretur terras nunc esse ad culturam redactas, quæ

multò antea cultæ fuerunt, cùm sufficiat adesse causam finalem, id est, evidentem utilitatem, ita id. Genuens. in cap. 89, num. 5, ubi refert ita fuisse decisum in Rotâ, coram cardinale Seraphino, in unâ Auximan. bonorum, 11 februarii 1581, et coram Bubalo, in unâ Roman. domûs, 2 novembris 1588, et dicit text. in l. 2, ff. de Constit. princip., quòd evidens utilitas multùm operatur, ut recedatur à jure communi, Mandos. in Prax. sign. grat., tit. *Si in evidentem*, vers. *Hæc verba* ea verò tunc dicitur evidens, quando non est dubia, sed clara et indubitata, id. Genuens. d. cap. 89, num. 1, ubi refert decisionem Rotæ Romanæ in unâ Roman. invaliditatis censûs, coram Pamphilio, die 14 maii 1591, in quâ dixerunt domini, ex impositione unius censûs, ut alter omninò similis extinguatur, non dici ecclesiam effectam melioris conditionis ; et cùm utilitas debeat esse manifesta et notabilis, si fuerit modica, pro nihilo reputabitur ac insuper propterea dicitur evidens, quia non sufficit putativa. Quapropter, si adesset dubium an alienatio sit utilis, necne, ea non teneret, ut in cap. *Sine exceptione*, 12, quæst. 2, ibi, *Non dubium ;* quia debet esse clarum de utilitate, Bald. cons. 56, n. 1, v. 1, per text. in l. *Cùm hi*, § *Causa*, et § *Cùm prætor*, de Transact. Et non solùm in corpore supplicationis, per ipsas partes narratur alienationem cedere in evidentem utilitatem Ecclesiæ, verùm etiam per officiales additur in calce ipsius supplicationis, *Et si in evidentem*, etc., nec de hoc est mirandum, cùm Papa non concedat similes gratias, nisi certus reddatur de ipsâ utilitate Ecclesiæ ; semper enim summa vigilantia id cavet, ne scilicet ipsius Ecclesiæ dos minuatur, et propterea, ut supra diximus, solent istæ supplicationes proponi in signaturâ, prout etiam testatur Redoan. in tit. de Causâ utilitatis, q. 20, n. 4, ac sic, duplici modo Papa redditur certus de ipsâ utilitate, quandoquidem nunquàm confidit in his casibus, et in re tam gravi, de assertione partium circa hujusmodi utilitatem, quæ non modò debet exprimi in ipsâ supplicatione, verùm etiam committi postea ipsis commissariis, ut præstent eorum assensum, auctoritate apostolicâ, si repererint alienationem cedere in evidentem utilitatem, quod desumitur ex supra dictis verbis, in fine supplicationis, appositis per dictos officiales, ibi, *Si in evidentem*, etc., et per illam dictionem si, quæ de suî naturâ importat conditionem, l. *Iis legatis*, § *Si ita scriptum*, l. *Demonstratio*, § *An si conditionaliter*, ff. de Condit. et Demonstrat.; Mandos. d. t. *Si in evidentem*, vers. dict. *Si in hoc rescripto conditionem facit.*

Unde necessariò sequitur ut utilitas debeat esse nota et evidens, Corn. cons. 244, n. 3, l. 2; Bald. cons. 156, vol. 1 ; Franc. Leo, in suo Thesauro fori eccles. p. 1, c. 15, n. 80, ubi dicit quòd requiritur ut sit evidens utilitas, tanquàm causa finalis alienationis bonorum ecclesiasticorum, per text in c. 1 de Reb. eccles. non alien., in 6, ex quo apparet non sufficere adesse utilitatem, sed opus est quòd sit evidens, et sic cum qualitate; nam sine illâ non sufficeret, quia, dùm requiritur aliquid qualificatum, non sufficit illud intervenire simpliciter et absque illâ qualitate, quæ est coram ipsis commissariis omninò verificanda, à DD. in l. *Quicumque*, c. de Serv. fug., l. *Aut factæ*, § 1, ff. de Pœn , l. *Si in vixâ*, ff. de Sicar.; Paris. de Resign. benef., l. 13, q. 1, n. 130; Gloss. in c. *Si fortè*, in verbo *Evidentem*, de Elect., in 6.

Et idem esset advertendum si res alienanda fuerit priùs alienata, et postmodùm reversa ecclesiæ, et aliis illius bonis incorporata, quia in hâc novâ concessione non sufficit ea tantùm evidens utilitas, quæ intervenit in primâ concessione seu alienatione, sed debet etiam esse iterùm evidens in hâc posteriori concessione seu locatione, prout pluries fuit in Rotâ decisum, teste Cæsare de Grass. decis. 4 de Reb. eccles. non alien., ubi num. 12 dicit quòd quotiescumque cessat causa primæ concessionis, tunc non potest dari res ecclesiæ pro eodem canone, licèt sit solita ita locari, per Abb. in cap. *Ut super*, sub n. 11, vers. *Ego crederem*, de Reb. non alien.; quare non sufficit quòd ecclesia non fuerit damnificata, sed requiritur lucrum de tempore alienationis, ut per Imol. in cap. *Ad aures*, eod. tit., et tenuit Rotâ in unâ Bononien. devolutionis, 16 novembris 1621, coram illustrissimo D. Coccino Decano, teste Barbos. de Jure ecclesiastico, lib. 3, cap. 30, n. 17.

Quomodò autem intelligatur evidens utilitas, ait etiam Redoan. q. 20, n. 129, quòd illa dicitur evidens utilitas, quæ ita est profutura ecclesiæ, ut in dubium venire non possit ; de quâ quidem utilitate debet apparere aliter quàm per publicam scripturam hoc continentem; quòdque evidens dicitur quòd semper ita palam est, ut nullâ possit tergiversatione celerari, per Glos. in c. 2, de verb. Sig., in 6 : nam hoc verbum, *evidens utilitas*, importat id quod certum et notorium est profuturum, vel alio modo dicendum est quòd utilitas evidens illa est, quæ simpliciter et absolutè est talis, non quæ respectivè et secundùm quid, quia verba sunt accipienda absolutè, non autem secundùm quid, per doctrinam Bart. in l. *Hoc legatum*, ff. de leg. 3.

Nec est in praxi respuendum quod docet id. Redoan. d. q. 20, sub n. 154, nempe quòd, si fortè per judices quos Papa delegavit in aliquâ alienatione ecclesiasticâ faciendâ, præcedente causæ cognitione, in informatione et decreto, sit declaratum concessionem cedere vel cessisse in evidentem utilitatem ecclesiæ, nihilominùs, si poterit per alias veriores probationes probari et haberi contrarium, scilicet quòd non sit in utilitatem, sed læsionem vel damnum, eo probato, corruet et corruere habet concessio, quia licèt pro ipsis judicibus delegatis, et pro eorum decreto præsumatur, Abb. cons. 41, Dec. cons. 341, n. 12, Capyc. dec. 16, n. 4, tamen id intelligitur, donec probetur contrarium, Sera dec. 1125, quia benè admittitur talis probatio, ut per Gemin. in c. *Sine ex cept.*, 22, q. 2, Panorm. cons. 41, l. 1, Jas. cons. 15, l. 1, Innoc. in c. *Dudùm*, de Rebus eccl. non alien.; Dec. cons. 142, præsertim quando contrarium depre-

henditur ex actorum inspectione, Alciat. de Præs. reg. 3, præsump 10, limit. 4.

Idemque esset si aliquo modo deprehenderetur non fuisse servatam debitam formam, quia nullo modo tunc præsumitur pro decreto commissariorum Jason. cons. 122, vol. 3.

Cæterùm verò aliud dicendum est, quando intervenit observantia 30 annorum, quæ facit non modò præsumere solemnitatem, verùm etiam utilitatem, Seraph. d. decis. 1125, n. 3, relat. per Beltram in add. ad Ludovis. decis. 343, num. 4, et tenuit Rot. in unâ Neapolitan. fundaci, 1 januarii 1570, et in pluribus aliis relatis in unâ Burgen. pensionis, 15 decembris 1596, coram Peniâ; Quarant. in Summâ bull., verbo *Alienatio*, sub num. 46, vers. *Hujus articuli*, ubi per extensum affert supradictam decisionem Neapolitan. fundaci, in quâ fuit dubitatum an ex lapsu 38 vel 39 annorum, cum continuâ quasi possessione, et solutione canonis, præsumeretur beneplacitum apostolicum; et pro parte affirmativâ fuit pronuntiatum, eò magis quando intervenit tolerantia et scientia alterius rectoris successoris, Cavalc. decis. 46, sub. num. 29, p. 1, et locatio fuit facta non solùm nomine rectoris prædecessoris, sed etiam nomine et in utilitatem ecclesiæ; quòd secùs tantùm tenendum esset, quando prædecessor locavit nomine proprio rem ecclesiæ; quo casu prædecessore ipso vitâ functo, successor, etiam pro primo anno non tenetur stare tali locationi, quia ex tali contractu non obligatur, sicut nec dominus tenetur ex locatione usufructuarii defuncti, l. *Si quis domum*, § 1, ff. de Loc. et Cond., Mant., decis. 186, n. 1 et 2. Quare ex temporis diuturnitate omnia præsumuntur legitimè intervenisse, ut ex pluribus probat illustrissimus et reverendissimus dominus meus Joannes Aloysius Riccius patritius Neapolitanus, episcopus Vican., vastissimus utriusque juris pelagus, in suâ Praxi rer. for. eccles., hoc tit., decis. 4, n. 12; quod quidem locum sibi noscitur vindicare, etiamsi in instrumento concessionis non reperiatur enuntiatum, nec reservatum beneplacitum apostolicum, id. Serap. dec. 1042, Rot. dec. 159, n. 4, p. 2, Bellam. ad eumd., Lod. dec. 343, n. 5, etiamsi rector ecclesiæ allegaret litteras super dicto beneplacito licet obtentas, non tamen fuisse executas, prout probat etiam Gonz. ad reg. 8, glos. 12, n. 76, ubi apertis verbis docet quòd beneplacitum Papæ, si aliter non probetur, præsumitur obtentum et executum, stante observantiâ cujusvis contractûs per spatium 30 annorum. per Glos. in cap. *Pervenit*, de Empt. et Vend.; Gabriel, cons. 32, n. 30, lib. 2.

Cessuras fore in utilitatem.—Et sic videndum erit quonam tempore requiritur ut interveniat ipsa utilitas; et omnibus superfluis rejectis, dicendum est quòd illa inspicienda est tempore interpositionis decreti per commissarios supradictos; non autem tempore præcedenti, puta tempore contractûs, quando sumus in confirmatione, cùm jam ipse contractus fuerit nullus, absque assensu apostolico; ac propterea in hoc casu non habet locum fictio, seu retrotractio, per text. in lege *Si is qui pro emptore*, ff. de Usucapione.

Quod tamen intelligas, dummodò rescriptum emanaverit in formâ communi, absque eo quòd in supplicatione ac in ipsis litteris fuerint summo Pontifici explicata pacta in instrumento contenta. Secùs autem si ex certâ scientiâ, nempe cum expressione omnium in instrumento prædicto contentorum, quia tunc attenditur tempus contractûs, ad text. in l. *Adoptio*, ff. de Adopt. Vide Genuens. Praxi, d. cap. 89, sub num. 3, vers. *Sed adverte*.

Vobis legitimè constiterit. — Per quam quidem clausulam denotatur etiam causæ cognitio, et partium citatio, Clem. *Multorum*, de Pœn., Felin. in cap. *Si constiterit*, de Accus., id. Genuens. c. 40, n. 21, ubi dicit idem servari in alienatione rei pupilli, per Bart. in l. *Non puto*, § *Non passim*, ff. de Reb. eor. Et sic in praxi habes quòd quamvis omnia sint Papæ expressa, qui non admittit dictas alienationes, nisi plenè sibi narrentur ea quæ circa hoc necessaria sunt, ut dictum est, ac percipiat verè adesse utilitatem, aliàs rejiciet preces supplicantium; nihilominùs licèt ipse Papa in iis quæ sunt juris, non possit decipi, Felin. in cap. *Super litteris*, n. 19, de Rescript., Caputaque, dec. 163, n. 2, potest tamen decipi in iis quæ sunt facti; ob idque, nisi postmodùm in partibus omnia verificentur coram ipsis commissariis, rescriptum erit nullum, Leo in Thesaur. fori eccles. p. 1, cap. 15, num. 77, et alio modo quàm per assertionem notarii, seu supradicti rectoris, erit probanda utilitas, Socc. cons. 29, num. 10, Roland. cons. 15, n. 17, Surd. cons. 294, ubi ob id subdit, nec esse credendum Papæ de hujusmodi utilitate, Marc. Ant. var. Resol., lib. 1, res. 12, n. 4 et 5, Rot. decis. 716, part. 1 divers., ubi num. 4 ita distinguit quòd, aut Papa simpliciter committit alicui ut se informet, et tunc, circa informationem, statur ejus assertioni, et in his terminis loquitur Abb. cons. 41, lib. 1, vers. *Nam Bonifacius*; aut committit ut se informet per receptionem testium et probationum, et sic juxta formam Paulinæ; et tunc, narrata aliunde probari debent quàm ex assertione commissarii; sicut dicimus de tractatu qui non ex assertione prælati, sed aliter probari debet; nam evidenter debèt constare de utilitate ecclesiæ, per testes et alias legitimas probationes, quia non est aliquo modo credendum assertioni commissariorum; aliàs alienatio erit nulla, prout neque sufficit assertio ipsarum partium facta in supplicatione, ut aliàs diximus, et multò minùs instrumenti, quando sumus in confirmatione alienationis, per text. in cap. 1, de Reb. eccl. non alien., ubi fit mentio de instrumento alienationis, in quo enuntiabatur utilitas ecclesiæ; et quia hujusmodi instrumentum non approbabatur, fuit nulla declarata alienatio; ex quo notatur quòd licet in instrumento narretur utilitatem vel necessitatem alienandi subesse, nisi aliter probetur, non adhiberetur fides, ita Genuens. ex pluribus DD. d. cap. 40, sub numero 21. Quo quidem verbo, *Constiterit*, semper cancellaria uti consuevit in hujusmodi rescriptis alienationum, teste Redoan. tit. de

causâ util., quæst. 20, num. 99. Et sic parùm refert quòd in supplicatione dici consueverit, *quatenùs ipsi commissarii alienationem cedere in evidentem utilitatem repererint*, quia cancellaria apostolica, quæ est organum Papæ, Gonzal. ad regul. 8, Cancel., glos. 12, num. 12, contenta non est simplici verbo *Repereritis*, quod licèt importet causæ cognitionem parte citatâ, id. Redoan., quæst. 25, num. 72, nihilominùs summus Pontifex, utendo verbo *Constiterit*, arctat commissarios ad procedendum ad præscriptum prædictæ constitutionis, *Cùm in omnibus*, etc., attento quòd verbum *Repereritis* est minoris ponderis quàm verbum *Constiterit*, quod omninò intelligitur de notitiâ judiciali in casu probandæ evidentis utilitatis, attentis etiam circumstantiis hujus rescripti, quia talis probatio debet esse plena, et concludenter probata, ad text. in l. *Lucius*, ff. de Cond. et Demonstr., Fel. post Bald. et alios in cap. *Si constiterit*, num. 5, de Accusat., non autem perfunctoriè, et per solam ipsorum commissariorum relationem, sed expressè, clarè ac liquidò, de præmissorum verificatione apparere debet, d. Quarant. id. verb. *Alienatio*, sub n. 12, vers. *Declara*; nam, si aliàs Papa voluisset, derogâsset profectò supra dictæ constitutioni, requirenti testes et probationes pro veritate narratorum, Rot., decis. 160, num. 7, part. 1, undè non sufficit extra judicialis informatio, nisi fortè eisdem commissariis daretur facultas se extrajudicialiter informandi, sicut visum fuit quandoque servari.

Quocirca regulare est, quòd quando in litteris *Si in evidentem* non reperitur inserta dicta constitutio, quæ incipit : *Cùm in omnibus*, ut fieri solet in rescriptis locationum ad modicum tempus, ut aliàs diximus, judices commissarii non tenentur comparare testes, nec alia facere quæ requiruntur in cognitione judiciali, Abb. cons. 61, num. 1, vers. *Ex quibus verbis*, p. 1, et ita tenuit Rota in unâ Leodien. prætensi censûs, coram Orano, 20 januarii 1596, et alia decis. ejusdem Rotæ 160, sub num. 7 et 8, part. 2, divers., ubi, licèt dicatur non sufficere extrajudicialem informationem rerum ecclesiæ, secundùm d. Constitutionem Pauli II, nisi in rescripto *Si in evidentem* illi derogetur, et specialiter concedatur facultas extrajudicialiter se informandi, nihilominùs hodiè, absque derogatione hujus Paulinæ, sufficit quòd illa non inseratur in rescripto *Si in evidentem*, ut sic videatur remissus ordo judiciarius, sicut fieri vidimus in locationibus, aliisque alienationibus ad modicum tempus, vel rei parvi momenti, quæ expediuntur per breve, in quo nunquàm inseritur dicta Paulina.

Quam quidem extrajudicialem informationem potest tantum episcopus, ut dictum est, adhibere in casibus ad se spectantibus, juxta terminos cap. *Terrulas* 12, quæst. 2, cùm d. Paulina constitutio præscribat tantùm formam ipsis commissariis, à Sede Apostolicâ ad id delegatis; ac propterea non includit episcopos qui in hoc non tenentur audire testes, nec judicialiter procedere; quia à jure ad id non adstringuntur, Redoan., q. 25, n. 48, ubi probat, n. 49, quòd alienatione rei ecclesiæ, in supra dictis casibus, necessariò non requiritur quòd testes recipiantur per ordinarium, vel quòd ipse interponat decretum, sed satis est quòd interveniat causæ cognitio, cum solemnitatum requisitarum interpositione, quamvis hodiè aliter servetur in praxi, nimirùm ut ipsius ordinarii decretum interponatur, sicut aliàs diximus.

Et hìc pro istâ praxi addere visum est quòd cùm hæc gratia requirat necessariò suos executores, coram quibus debet verificari causa in eâ expressa, si ante præsentationem præsentis rescripti, moriatur Papa qui illud concessit, re tamen integrâ, executores debent abstinere ab illius executione; cùm enim gratia non sit jam perfecta, expiravit, et in propriis terminis decreti, super gratiâ *Si in evidentem*, adest, dec. Ludov. Apeguere, 128, relatâ à d. Genuens. in suâ Praxi, cap. 94, ubi alios doctores in proposito allegat; unde insurrexerit praxis ut in his casibus petatur à Pontifice successore indultum, quòd dicti commissarii possint procedere ad executionem ipsarum litterarum, non obstante obitu prædecessoris, sicut servatur pro quibusque mandatis concessis à summis Pontificibus defunctis, sicut aliàs diximus; quod quidem indultum statim et facillimè conceditur per novum Pontificem, etiam super mandatis mediati Pontificis prædecessoris; quibusdam paucis solutis, officialibus cancellariæ.

LICENTIAM, ET FACULTATEM, etc., CONCEDATIS. — Et ita petitur et conceditur, si nondùm fuerit confectum instrumentum; quòd si aliàs jam partes contraxerunt sub beneplacito Sedis Apostolicæ, erit petenda confirmatio contractûs hujusmodi alienationis.

Si tamen, antequàm porrigatur supplicatio, ignoretur à sollicitatore an contractus fuerit initus vel non, et ob id an debeat ille petere licentiam alienandi, ut hìc, an verò confirmationem alienationis jam factæ, sub dicto beneplacito, tutius erit petere in supplicatione licentiam locandi, seu quoquomodò alienandi; et pro cautelâ, ne amittatur tempus in certiorandis partibus, post illa verba, in ipsâ supplicatione posita, scilicet : *Licentiam concedant et impartiantur*, bonum erit sic addere : *Seu, quatenùs jam ad locationem eamdem, sub ejusdem Sedis Apostolicæ beneplacito, deventum fuerit, illam approbent, et confirment; omnesque et singulos tam juris quàm facti defectus (si qui desuper quomodòlibet intervenerint in eisdem) suppleant.* Quæ quidem verba possunt apponi etiam in litteris desuper expediendis, propter rationem supradictam, ne fortè, si aliter in partibus hujusmodi rescriptum interpretaretur, illud remaneat inutile et frustratorium; et ita de stylo Curiæ receptum est pro cautelâ oratorum.

Nam, licèt litteræ quæ expediuntur in formâ *Si in evidentem*, ut plurimùm, loquantur de assensu præstando per commissarios alienationi faciendæ, et sic assensus Papæ debeat præcedere contractum Quarant. d. verbo *Alienatio*, n. 8, per Abb. in cap. *Ut super*, n. 17, de Reb. eccles. non alien., quia quando aliquid est de formâ in actu, semper illa debet præcedere. Abb.

in c. *Nulla*, n. 7, eod. tit., Fel. in c. *Sicut tuis*, n. 8, de Simon.; id. Quarant. d. n. 8. Nihilominùs hoc intelligendum est, ne virtute hujusmodi contractûs inter dictas partes initi traderetur possessio rei alienatæ; aliàs enim parùm refert an præcedat assensus apostolicus necne, cùm notum sit quòd summus Pontifex, quando sibi narratur fuisse confectum instrumentum alienationis, mandat illud à commissariis approbari, quatenùs cedat in evidentem utilitatem ecclesiæ; absque eo quòd de novo contractus ineatur, sicut jam supra diximus, quidquid dicat id. Quarant. d. n. 8, nempe quòd in curiâ archiepiscopali Neapolitanâ practicatur, ut in hoc casu fiat de novo contractus alienationis, cum inserto tenore decreti commissariorum; satis enim est utrique parti non tradere possessionem, etiam si dixerint: *Salvo assensu apostolico*, ad evadendas pœnas hujus Extravag., id. Quarant., n. 9, qui n. 10 pro cautelâ consuluit ut beneficiatus, qui terram sui beneficii volebat concedere in emphyteusim, illam locaret per triennium, et eo elapso, in emphyteusim concederet, cùm pactis emphyteuticis in formâ, salvo assensu apostolico, infra dictum triennium impetrando, ita quòd, eo elapso, non sit translata possessio nec utile dominium, nisi impetrato et executo assensu apostolico, et non aliter, nec alio modo; aliàs, eo non obtento, habeatur pro non factâ dicta concessio, nisi pro dicto triennio tantùm.

Et hodiè, quando petitur confirmatio apostolica super instrumento jam inito alienationis, si partes non narrent in supplicatione quòd non fuit tradita possessio, adduntur per dominos officiales datariæ hæc verba: *Possessione minimè traditâ*, licèt antea non apponerentur.

Hic verò notandum quòd quando petitur confirmatio alienationis, vigore instrumenti super eâ celebrati, apponi consuevit clausula in supplicatione, per ipsas partes, post narrationem facti, videlicet: *Ac cum nonnullis pactis et conditionibus in ipso instrumento contentis*, etc., sciendum tamen est quòd pacta qualiacumque in instrumento contenta, contra juris dispositionem servare nemo tenetur; nam si in instrumento prædicto fuerit appositum quòd emphyteuta ob non solutionem canonis expelli non possit, vel quid simile, id nunquàm censetur confirmari per summum Pontificem; imò, ad evitandas fraudes contrahentium, cùm in supplicatione apponitur supradicta clausula, *cum nonnullis pactis*, etc., semper officiales addunt in ipsâ supplicatione hæc verba: *Licitis tamen, et honestis, ac sacris canonibus minimè repugnantibus;* nisi tamen omnia pacta fuerint ad unguem expressa in supplicatione; tunc enim Papa, si velit, omnia approbabit, quia cùm dispositivè fuerint expressa, intelliguntur concessa ex certâ scientiâ, quæ omne tollit obstaculum, Gloss. in c. *Statutum*, § *Sancimus*, in verbo *Litterarum*, de Rescrip., in 6, Dec. cons. 191, n. 3; aliàs enim Papa confirmando non intendit comprehendere eà quæ sunt contra juris communis dispositionem, Alex., cons. 59, n. 9, lib. 1; Roman., cons. 327, n. 7, sicut supra diximus.

Sciendum tamen est quòd hodiè supradicta cautela non habet locum, nempe quòd Papa confirmet alienationem, quatenùs super eâ fuerit confectum instrumentum sub beneplacito Sedis Apostolicæ, quia id prohibetur ex novâ Constitutione fel. record. Urbani Papæ VIII, de quâ in c. seq., vers. *Atverò*.

CAPUT VI.

Praxis suppletionis defectuum in eisdem litteris : Si in evidentem, etc.

Omnesque et singulos, tam juris, etc. — Observant curiales hanc clausulam debere apponi in confirmationibus tantùm alienationum; in quibus opus est etiam petere suppletionem ipsorum defectuum, quæ quidem clausula, licèt omissa fuerit in supplicatione, poterit suppleri per cancellariam in litteris de super expediendis, Mandos. in Prax. signat. grat., tit. *Si in evidentem*, vers. *Supplicatione super gratiâ*, Si in evidentem; ex eo quòd, ut ait Redoan., q. 45, sub n. 13, in hâc materiâ alienationis et dispositionis rerum ecclesiæ, potest Papa supplere in contractibus, distractibus et concessionibus factis aut faciendis, omnes defectus, etiam substantiales, cùm non sit dubium quòd princeps possit mutare substantiam, subdens quòd, licèt regulariter suppletio defectuum generalis non referatur ad defectus substantiales; secùs est, quando de eis facta est mentio in specie, ex doctr. Abb., in c. 1, n. 5, vers. *An autem suppletio generalis*, de Transl.; sed stantibus prædictis, optimum erit illam etiam inserere in simplici licentiâ alienandi; cujus quidem clausulæ ea virtus est ut nullitas ampliùs allegari non possit, id. Mandos., vers. *Suppletio defectuum*.

Verum tamen est, ut omnes curiales sciunt, quòd si petatur suppletio defectuum in genere, solet ea cassari per officiales datariæ, vel etiam si petatur in supplicatione, suppletio defectuum substantialium, quia adhuc hæc verba cassantur, cùm per hanc clausulam non intendat aut mandet Papa suppleri alios defectus, præterquàm juris positivi, nempe solemnitates à jure requisitas; veluti circa tractatus qui in alienandis bonis ecclesiæ requiruntur; ut qui, licèt habiti fuerunt, minùs tamen legitimè; si enim concederet Papa suppletionem defectuum substantialium, posset prætendi quòd supplevisset etiam defectum causæ, quem nunquàm intendit supplere, Gemin., cons. 48, n. 9; Dec., cons. 142, n. 5; Menoch., cons. 122, vol. 2; nam aliàs, cùm causa requisita in hâc alienatione sit ipsa utilitas ecclesiæ, ei potiùs damnum inferretur, cùm nunquàm intendat Papa derogare dispositioni d. Extrav. requirentis causam et solemnitatem insimul.

Sed tantùm supplet, ut dictum est, defectus juris positivi contra quod dispensat ac disponit ad suf libitum, c. *Proposuit*, de Concess. præb., non autem juris naturalis, ut est citatio quæ dicitur esse jure naturali et divino, Abb. in c. 1 de Caus. poss. et prop.; Card. in Clem. *Causam.* in 3 not. de Elect., nec defectum mandati ad alienandum, utpote, si non fuerit

speciale, prout requiritur, Marc. Antonin. var. Resol., lib. 1, resol. 21, n. 19. Et in hoc casu debent advertere commissarii, quia si compererint alienationem factam, prævio mandato generali, veluti ad quæcumque bona, non possunt præstare ad id eorum assensum, cùm oporteat mandatum esse speciale ad alienandum tale terræ petium, seu prædium; vel nisi mandatum erit ad locandum ad triennium tantùm, quia non poterit fieri pro majori tempore locatio; imò, etiamsi ipsum mandatum simpliciter fuerit datum ad locandum res ecclesiæ, erit intelligendum ad triennium, et non ultra, Redoan., q. 58, n. 43 et 44.

Et tantò minùs summus Pontifex intendit per supradictam clausulam supplere defectus etiam concernentes personas supplicantium, ut ait Staphil. de Lit. grat., in tit. de Claus. motu proprio, fol. mihi 160.

Nec vigore ejusdem clausulæ inducitur absolutio à censuris et pœnis, quas forsan contrahentes incurrerunt, ob traditam rei alienatæ possessionem, ante obtentum et executum beneplacitum apostolicum, sicut aliàs diximus; quamvis iste defectus videatur esse juris positivi, per ea quæ not. in c. *Veritatis*, de Dol. et Contum., nec aliqua rehabilitatio, cùm includat tantùm defectus solemnitatis, non autem inhabilitatis, id. Redoan., q. 45, n. 10. Clausula enim, *Absolventes*, quæ in omnibus rescriptis inseritur, non extenditur ad defectum substantialem, ut est absolutio à censuris et pœnis incursis.

Ut autem hìc aliqua, saltem per transitum, dicamus (etiam praxis nostræ ordinem non invertendo) circa pœnas extrinsecas ipsârum scilicet censurarum, quæ incurruntur per contravenientes huic Extrav. *Ambitiosæ*, nec non absolutiones et dispensationes desuper impetrandas; ex quo illa, sicut jam aliàs diximus, ligat omnes, et ubique terrarum; nam, cùm sit inserta inter alias, et nota, habetur pro decretali, c. *Pastoralis*, et ubi Felin. post alios, de Fid. instrum.; contrarium verò sentientes, sub prætextu quòd in quibusdam locis non sit usu recepta, aut non publicata, toto errant cœlo, quia eorum opinio posset procedere, quando nimirùm extravagans seu statutum esset extra certum corpus, quod tunc etiam facilè oblivioni traditur, quare debilis debileque reputatur, l. 2, § *Hæc omnia*, l. de vet. jur. eumd., l. *Cùm prolatis*, et ibi Bart., ff. de Re jud., d. c. *Pastoralis;* Gem., cons. 78, n. 1; Roman., cons. 260, n. 3; Felin. in c. 1 de Re jud.; atverò in casu hujus Extravag. *Ambitiosæ*, dicendum est sat esse quòd illa fuerit publicata Romæ, Navar., cons. 1 de Constit., n. 29; Put., decis. 281, part. 1, Gabr., consil. 83 et consil. 178, n. 54, l. 2; quare cessat ratio illius peculiaris non publicationis, etiam in aliquo loco vel aliquâ civitate, ad not. in c. 2 de Const., Alex., cons. 52, l. 7; Natt., cons. 149, sub n. 20, quia sufficit illam fuisse publicatam Romæ, ubi residet Papa, qui est supremus dominus; nec non regulariter statutum, quamvis non publicatum, si sit in volumine statutorum insertum, ligat. Corn., cons. 156, col. 2, vol. 3; Benint., decis. 13, n. 9, et tamen hæc Extrav. præsumitur ubique publicata ex antiquitate temporis, quæ facit ut omnia solemnia ad illius validitatem intervenisse præsumantur, Alex., cons. 39, n. 5, vol. 3; si enim supradicta contraria opinio esset vera, sequeretur quòd etiam de regulis cancellariæ idem dicendum esset; quæ nihilominùs, cùm fuerint Romæ tantùm publicatæ, ubique afficiunt, scilicet tam in Urbe quàm extra eam; et ista est communis opinio, Rebuff., in Tract. nominat., q. 17, vers. *Nec refragatur*, ubi, quod regulæ cancellariæ sunt extractæ ex rationibus juris naturalis, civilis vel canonici, à populo receptæ, habent vim legis, et ligant omnes, sicut ratio legis, etiamsi non esset regula, cùm non sunt juri contrariæ, nec decretis sanctorum Patrum, ut per Joan. And., in reg. *Nemo potest*, de Reg. jur., in 6.

Quare, his sic stantibus, nullo modo pœnæ hujusmodi Extrav. *Ambitiosæ* possunt per contrafacientes evitari, nisi forsan in casibus relatis per Quarant. in Sum. bull., verbo *Alienatio*, num. 50, quorum primus est, quando quis bonâ fide alienavit quæ in foro conscientiæ excusat; secundus, ignorantia facti probabilis excusat ab ignorantiâ juris in personis non ita peritis. Tertius, quando fuisset erratum in subtilitatibus juris, quia tunc non peccat mortaliter, vel quando pro alienatione essent aliquæ DD. opiniones, vel esset jus non clarum, vel dubitabile, ubi allegat Navar. in Comment. de reb. eccles. non alien., dicentem quòd non peccat mortaliter qui transgreditur legem humanam malè intellectam, sed credens bonâ fide ita esse intelligendam. Quartus excusat à dictis pœnis revocatio alienationis, et pœnitentia, ante realem et pacificam traditionem. Quintus, apparentia justæ causæ, licèt alienatio esset ipso jure nulla, quia qui bonâ fide facit aliquid contra legem humanam, putans se justam causam habere id faciendi, non peccat mortaliter. Sextus et ultimus, beneficiatus, quia alienat justâ de causâ rem ecclesiæ, inconsulto Romano Pontifice, bonâ fide faciens conditionem ecclesiæ meliorem, non peccat, quoad Deum, mortaliter, nec incidit in pœnas hujus Paulinæ, tum quia non frangit legem per præsumptionem, tum quia alienat in casu à jure permisso, tum etiam quia, licèt non servet formam juris humani, servat tamen formam, jure naturali et divino necessariam, quæ, ut ipse Quarant. ait, est magna consolatio multorum, qui per simplicitatem vel ignorantiam alienant res ecclesiæ, inconsulto Papâ.

Hoc autem, quando sumus in casu quo beneplacitum apostolicum per sufficiens tempus præsumi non potest; nam aliàs militat illa satis trita conclusio, quòd illud per cursum triginta annorum cum observantiâ facit præsumere non solùm solemnitatem, verùm etiam utilitatem ecclesiæ, ut per Mantic., decis. 101; Seraph., decis. 1042, add. ad Ludovis., decis. 343, n. 4 et 5, et fuit dictum in unâ Romanâ nullitatis venditionis officii coram Buratt., decis. 45, n. 6, in quâ pro responsione ad nullitatem dictæ venditionis fuit dictum, quòd aderat cursus triginta annorum, cum observantiâ, ex quibus omnes solemnitates præsumuntur, et quòd ita Rota passim servat, Add. ad

Buratt. d. decis. 45, litterâ B, ubi plures decisiones ad id allegat.

Quod quidam in tantum vendicat sibi locum, etiamsi prædictum beneplacitum non sit expressè reservatum, contra nonnullos qui tenent quòd ad inducendam hanc solemnitatis præsumptionem, sit necessarium quòd hujusmodi beneplacitum sit enuntiatum, quod profectò est contra communem, necnon ipsam praxim, quæ aliter nos docet, nam Rota pœnes Seraph. decis. 1042, eadem Rota, decis. 159, n. 4, part. 1, in recent., per quas apertè habetur supra dicta procedere, etiamsi illud non reperiatur enuntiatum nec reservatum, id. Add. ad Ludovis. d. decis. 343, n. 5, subdens etiam quòd ulteriùs præsumitur utilis alienatio ex solâ confirmatione executorum, pro quibus in dubio est præsumendum.

Porrò, ad supradictam præsumptionem inducendam, distinctio communis est, quòd, aut nulla concurrit observantiâ contractûs, sed solùm allegatur temporis diuturnitas, et hoc casu requiruntur centum anni, si verò cum temporis lapsu concurrit observantia, et nunc, si de levi præjudicio agatur, sufficiunt decem anni; si verò de gravi, ut hìc in materiâ prædictæ alienationis, requiritur spatium triginta annorum, ut supra dictum est.

Hæc verò observantia subsecuta quoad hoc ita illam intelligas, nempe quòd intra hujusmodi tempus, nullus adversùs prædictam alienationem reclamaverit; et sic si non concurrat dicta observantiâ, non potest præsumi dictum beneplacitum, id. Seraph., decis. 381., n. 14, et decis. 694, n. 5, part. 1, recent. Tunc autem, exempli gratiâ, cessat dicta observantia, quando infra dictum tempus à die alienationis movetur lis contra possessores bonorum alienatorum ac de invalidâ et lesivâ rerum alienatione reclamârunt, et ad hoc sufficit quælibet contradictio aut reclamatio, etiam extrajudicialis, ad tollendam observantiam et acquiescentiam; ex quâ oritur supradicta præsumptio beneplaciti apostolici, ut fuit dictum in unâ Messanen. Tenimenti, seu Feudi, coram Verospio, 22 junii 1635, et coram Merlino, 15 februarii 1636, et habetur in unâ Regien. prædii penes Rub., decis. 202, n. 7 cum duob. seqq., tom. 2; et ita fuit per omnes communiter tentum et practicatum.

Atverò hodiè aliter dicendum est, ex novâ constitutione felicis record. Urbani Papæ VIII, quæ incipit: *Romanus Pontifex sub dat. Romæ apud S. Petrum die 5 junii 1641 sub annulo Piscatoris*, quæ emanavit super præservatione jurium Sedis Apostolicæ, et inferiorum ecclesiarum, personarumque ecclesiasticarum à quibuscumque præjudicialibus; quâ abstulit omnem præsumptam scientiam, tolerantiam, consensum, seu approbationem Romanorum Pontificum, ac etiam ad præsumendum super alienatione rerum et jurium sedis prædictæ ac aliarum ecclesiarum, fuisse concessum beneplacitum apostolicum, præsertim ubi actum fuit, seu agitur de præjudicio perpetuo, quia semper consueverunt in scriptis expediri, præcipuè per litteras apostolicas sub plombo, sive in formâ brevis sub annulo Piscatoris, et ideò, si in registris apostolicis, quæ fideliter custodiuntur et asservantur, beneplacita apostolica non reperiuntur descripta, seu registrata, vel non exhibentur originalia litterarum apostolicarum, aut transumpta, inde deducitur, neque Romanos Pontifices, nec ipsum Urbanum præjudicialia hujusmodi, approbâsse vel confirmâsse, ac declarat omnia et singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias et pacta, etiam nomine ejusdem Sedis Apostolicæ inita, ac venditiones et alienationes, ac quascumque alias dispositiones præjudicialia à quibuscumque legatis et aliis ministris apostolicis qualitercumque contra facultates eis concessa, facta aut aliàs emanata, etiam cum clausulâ: *Salvo vel reservato Sedis Apostolicæ beneplacito*, vel fortassè etiam cum intentione datâ, vel promissione etiam factâ illud à prædictâ sede impetrandi, etiam cum prætensâ illarum executione, et observantiâ quantumlibet longissimâ, ac aliis indè quomodolibet secutis quibuscumque, etiam sub prætextu quòd bullæ seu constitutiones apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, sed contrario usu abrogatæ. Volens omnia præjudicialia prædicta per quoscumque sufficienti facultate apostolicâ non munitos, facta et gesta, tunc omnibus inde secutis, et quocumque tempore, etiam longissimo executioni demandatis, fuisse nulla ac de facto præsumpta, illaque, ex quocumque temporis cursu, nec etiam ex quâcumque prætensâ observantiâ quantùmlibet diuturnâ, longævâ, longissimâ, seu immemorabili, etiam cum famâ prætensi privilegii apostolici, nec aliquam approbationem vel præsumptionem alicujus beneplaciti apostolici, neque bonam fidem, possessionem vel quasi, aut præscriptionem in aliquo posse resultare vel induci, nisi de prætensâ approbatione vel confirmatione apostolicâ constiterit ex prædictis registris apostolicis.

Verùm idem Urbanus, in prædictâ constitutione declarat per eam nolle tollere centenariam præscriptionem, concurrentibus de jure requisitis, nec immemorabilem, nisi in casibus in quibus per sacros canones illa reprobatur, seu illi derogatur; firmâ tamen remanente bullâ *Cœnæ Domini* quoad omnia.

Et sic habemus per supradictam constitutionem, quòd alienationes rerum ecclesiæ, non obstante quocumque temporis cursu, etiam cum observantiâ, reddantur nullæ ipso jure, nisi doceatur de beneplacito apostolico, adeò ut stante dicta constitutione non ampliùs præsumi possit per cursum temporis intervenisse dictum beneplacitum, ut dictum est, cum vigore clausulæ irritantis ibidem contentæ, non solùm inficiantur contractus futuri, sed etiam præteriti; et tollatur non solum omnis præscriptio et præsumptio, sed etiam bona fides et possessio vel quasi, ut in dictâ Constitutione, vers. *Nec non reliqua omnia*, etc.

Præmissis præterea accidit nil hìc obstare quominùs contrahentes curent, etiam ante obtentum beneplacitum apostolicum, confici instrumentum super alienatione, sub Sedis Apostolicæ beneplacito, cùm

ad evitandas pœnas, per eam Extrav. *Ambitiosæ*, inflictas, sufficiat quòd rei alienandæ non fuerit tradita possessio; vulgare etenim satis est, quòd super hujusmodi alienationibus frequentissimè conficiuntur instrumenta sub dicto beneplacito, et ante illud obtentum; quare ista praxis docet quòd in his non modò summus Pontifex dat executoribus ut possint concedere facultatem alienandi, ante prædictæ alienationis instrumentum, veluti cùm in suis litteris dicit : *Eam illis faciendi licentiam et facultatem auctoritate nostrâ concedatis*, verùm etiam, ubi exprimitur jam inter oratores fuisse hujusmodi instrumentum super ipsâ alienatione, sub eodem beneplacito confectum; tunc enim, cùm id eidem summo Pontifici in supplicatione narretur, sic ipse in litteris, post facti narrationem, subjicit : *Sub nostro et Sedis Apostolicæ beneplacito concessit, seu vendidit*, etc., *prout in instrumento desuper confecto, dicitur contineri*. Quare, hoc modo ipsis executoribus dat ipse Papa facultatem confirmandi, et apostolicâ auctoritate approbandi ipsam venditionem, seu locationem; et sic oratores, pœnis in dict. Extravag. *Ambitiosæ* contentis, obnoxii minimè remanent, cùm illæ per solum contractum, sine translatione dominii, aut possessionis traditione, nunquàm incurrantur, prout dicendum est de quibuscumque contractibus, in quibus apponi possunt (ut ita dicam) maria et montes, quæ sub dicto beneplacito cadere possunt, quia, si postmodùm illud desit, non solùm facta corruunt, Afflict., decis. 83, n. 5, sed etiam omnia revocantur; et perinde est ac si nunquàm de tali alienatione inter oratores actum esset, Marches., de sign. Grat., part. 1, cap. 2, num. 5.

Advertendum est tamen, quod id. Marches., loc. cit., n. 13, dùm dicit quòd si antequàm præstetur assensus apostolicus, inter partes contractus perficiatur, jam censuræ in d. Extravag. comminatæ, sunt incursæ; id quidem puto pro simplicibus et idiotis meliùs declarandum, videlicet, quòd ita ipse contractus sit perfectus, ut sit tradita possessio, seu aliàs translatio dominii facta, quia per simplicem contractum, absque aliquo præmissorum, pœnæ ipsæ non incurruntur, ut dictum est.

Nec prorsùs ab istâ praxi devium agnoscas, ut si tempus fortassè in instrumento inter partes præstitutum, ad impetrandum beneplacitum apostolicum, sicut ut plurimùm fieri consuevit, jam, ante ipsam impetrationem, lapsum fuerit, optimum quidem eri ut de hujusmodi lapso in supplicatione fiat mentio nimirùm ut, ubi dicitur, *sub S. V. et Sedis Apostolicæ beneplacito, infra certum, tunc expressum, ac jam elapsum tempus impetrando*, sic apponatur postmodùm sub clausulâ derogatoriâ contrariorum, scilicet : *Non obstantibus lapsu temporis hujusmodi, attento partium consensu, ac constitutionibus*, etc., quod quidem servatur de stylo Curiæ, ad tollendam omnem hæsitationem; quæ ob non hujusmodi expressionem possit oriri. Quare, prudenter quidem agunt sollicitatores Romanæ Curiæ, si in eorum supplicationibus, Papæ porrigendis, attentâ qualitate materiæ, aliqua in ipsâ supplicatione quandoque addant, gratiâ tollendæ omnis dubitationis, et majoris claritatis; quamvis, si ita non adderent, idem esse arbitrarentur; quod quidem prodesse poterit, si executores litterarum ignorent forsan (sicut frequenter contingere solet) praxim rescriptorum Romanæ Curiæ; qui quandoque litteras ipsas, ob levissimas causas, et sub prætextu subreptionis vel obreptionis, verentur illa exequi atque recusant; quare licèt taciti et expressi idem sit judicium, l. *Si cui*, ff. de Servit., leg. *Cùm quid*, ff. *Si cert. pet.*; imò etiam si tacitum exprimatur, nihil ultra operetur, l. 3, ff. de Leg. 1, l. *Non rectè*, ante fin., c. de Fide juss., Abb. in cap. *Significâsti*, num. 6, de Elect., et expressum, etiam dicatur illud, quod tacitè inest, et ex mente colligitur, l. *Ait prætor*, ff. de nov. Oper. nun.; nihilominùs, ad cautelam expressa, non nocent, sed sunt toleranda, licèt superflua, l. *Qui mutuam*, ff. *Mand.*, l. *Quæ intrinsecùs*, ff. de verb. Oblig., l. *Quæ dubitationis tollendæ causa*, ubi Dec. num. 1 et seqq.; ff. de Reg. jur., Abb. in cap. *Solitæ*, num. 7, de Major. et Obed., et in cap. *Certificari*, num. 10, de Sepult., ubi ait quòd sic non obstat quòd verba debeant aliquid operari, ut in cap. *Si Papa*, de Privil. in 6; nam, in eo operantur, quod tolluntur dubitationes. Unde hàc de causâ, non modò periti curiales nonnulla petunt in supplicationibus ad cautelam, dummodò à rectâ preces porrigendi ratione non devient, verùm etiam ipse summus Pontifex multoties in suis constitutionibus non curat apponere verba superflua, ad occurrendum malitiis, subtilitatibus et cavillationibus nonnullorum, qui, nisi exprimerentur, cavillarentur in contrariam sententiam, ut per Host. in cap. *Nimis iniqua*, n. 2, in fin, et num. 10, Joan. Andr., num. 7; Butr., num. 17 de Excess. prælat., quos refert Gonz. ad Reg. 8, glos. 6, num. 29, ubi dicitur quòd dictantes et notarii sic debent scribere verba privilegiorum et instrumentorum, aliarumque dispositionum, etiam si specificentur, non aliàs specificanda, ut tollatur malignorum interpretatio; quod quidem locum sibi vindicare in rescriptis apostolicis satis longo experimento compertum est, etiam quòd aliquod in illis non debeat esse sine aliquâ operatione, ac proinde nihil frustra apponi, Paris., de Resig. benef., lib. 8, q. 7, n. 138, quia nihilominùs, ad occurrendum hujusmodi malitiis ac sophisticis interpretationibus, procedit hìc quod tradit Felin. in cap. *Eam te*, n. 15, de Rescrip., videlicet, quòd non semper est vera traditio quòd non debeat esse aliquod superfluum; quod quidem neque tale dici potest, quando illud explicitè et distinctè declaratur, id Gonz., loc. cit., n. 33, quæ etiam obiter, ac pro Romanæ Curiæ tironibus tantummodò dicta sunt.

Ad petendum verò absolutionem à censuris, propter indebitam rei ecclesiæ alienationem, necnon rehabilitationem pro rectore, docet notoria praxis quòd propter prædictarum pœnarum incursum, ob traditam possessionem, petitur etiam in eâdem supplicatione absolutio à supradictis censuris et pœnis; ac

pro ipso rectore ecclesiæ etiam rehabilitatio ad beneficia, quo casu in ipsâ supplicatione additur per dominos officiales hæc clausula, videlicet : *Et attento quòd possessio dicti terræ petii jam tradita fuit, committatur ordinario, ut prædictum rectorem, ac etiam N. si id ab eo humiliter petierint, absolvat, injunctâ eis pœnitentiâ salutari; quo verò ad confirmationem, committatur eidem ordinario, et dignitatem in ejus ecclesiâ obtinenti, et si in evidentem*, etc. ; vel dicitur : *Et committatur ordinario, et prævià absolutione à censuris per oratores, ob non obtentum S. Apostolicæ beneplacitum, seu dictæ locationis aut venditionis confirmationem à Sede prædictâ, antequàm eadem locatio seu venditio executioni demandaretur, incursis, impositâ eis pœnitentiâ salutari.*

In litteris autem fit supra dicta commissio, ut sequitur, videlicet : *Diseretioni vestræ*, etc., *mandamus quatenùs tu, fili vicarie, N. et N., prædictos à quibusvis*, etc., *in utroque foro absolvas, impositâ eis aliquâ pœnitentiâ salutari, auctoritate nostrâ absolvas; et si postquàm vocatis*, etc.

Quandoque, etiam pro rectore petuntur absolutio et rehabilitatio in utroque foro ; quia summus Pontifex vult Extravag. ipsam observari quoad omnes suî partes, et inter cæteras pœnas in eâ contentas, disponit, ut quomodocumque obtinentes beneficia quorum res et bona alienârunt duntaxat, ipso facto illis privati existant ; illaque absque declaratione aliquâ vacare censeantur, possintque per locorum ordinarios vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, etc., liberè de jure conferri, ac propterea, pro ipsis rectoribus petenda est absolutio à censuris et pœnis incursis, necnon rehabilitatio, quæ ut plurimùm conceduntur per officium sacræ pœnitentiariæ pro foro conscientiæ tantùm, prævîis litteris, discreto viro confessori, etc., directis, ut oratorem absolvat ; ac cum eo dispenset, impositâ ei pœnitentiâ salutari ; et quia possessio fuit tradita, et nondùm impetratus assensus apostolicus, injungitur eidem oratori, ut intra duos menses, vel aliud competens tempus, rescindat contractum, vel obtineat beneplacitum apostolicum super locatione, seu venditione hujusmodi ; quo tempore elapso et prædictis non adimpletis, reincidat in eamdem excommunicationis sententiam eo ipso ; ac illi pariter conceditur rehabilitatio ut possit retinere beneficium, cujus bona sic alienavit, quamvis, ut plurimùm, absolutiones et rehabilitationes hujusmodi expediantur in utroque foro per datariam ; per ea quæ dicit Quar., d. verbo *Alienatio*, sub num. 49, in fin., nempe ad obviandum molestationibus quæ in futurum oriri possent, prout etiam dicunt omnes peritissimi ac practici viri Romanæ Curiæ, ac propterea, quando similia rescripta conceduntur pro rectore, qui sic bona ecclesiæ alienavit, petitur etiam nova provisio illius beneficii, cujus bona alienaverat ; et in calce supplicationis additur per officiales id quod sequitur nempe : *Et committatur ordinario, qui possessorem dicti terræ petii, juris et facti remediis opportunis cogat, et compellat ad illud demittendum ; et postquàm demissum fuerit, supra dictæ ecclesiæ perpetuò applicetur ; quinue postquàm ipse orator dictam ecclesiam in ejusdem ordinarii manibus realiter et cum effectu dimiserit, et non antea, et injunctâ ei pœnitentiâ salutari, eum absolvat ; et cum eo dispenset, aliaque faciat, ut supra. Et quoad novam provisionem, committatur in formâ* DIGNUM NOVISSIMA. Si verò petitur absolutio pro laico, etiam in utroque foro, additur in ipsâ supplicatione : *Et committatur ordinario, qui oratorem, injunctâ ei pœnitentiâ salutari et rescissâ ac annullatâ dictâ locatione, ita quòd nihilominùs melioramenta omnia, si quæ per ipsum conductorem in dicto petio terræ hactenùs facta sint, eidem ecclesiæ liberè cedant, absolvat.* Quòd si petenda erit absolutio eum rehabilitatione pro capitulo ecclesiæ, quod absque licentiâ sic alienavit, committitur pariter ordinario, qui oratores, si vel postquàm rem alienatam hujusmodi cum juribus et pertinentiis suis ad jus et proprietatem dictæ ecclesiæ, rescissâ illius locatione seu venditione, reduxerit, impositâ aliquâ pœnitentiâ salutari, oratoribus ab exercitio suorum ordinum arbitrio ejusdem ordinarii suspensis, eos absolvat et cum eis dispenset, ut supra.

Hic verò videndum, an supra dicta Extravag. *Ambitiosæ*, prohibeat etiam mandatum ad locandum res Ecclesiæ ultra triennium ; ita ut si detur, sit intelligendum ad triennium tantùm, quo finito, procurator, absque novo mandato, non possit iterùm locare, et idem, si mandatum expressè detur ad locandum bis, ter, aut pluries ad triennium, finitur elapso primo triennio. Hujus opinionis fuerunt Dec., cons. 282, dicens alioquin fraudem fieri prohibitioni juris, cum aliis allegatis per Gonz., de Benef., p. 2, cap. 1, num. 71.

Quæ quidem opinio reprobatur à Molin., de Hispan. primogen., lib. 1, c. 2. disput. 462, in fine, cùm nullo solido fundamento aut juri nitatur, dicens irrationabile esse quòd absens in partes longinquas, non posset dare mandatum ad locandum res sui beneficii toto tempore, quo absens fuerit, et contra hanc sententiam Decii, est praxis universalis et consuetudo recepta.

Quo verò ad pœnas incurrendas ejusdem Extrav. et an illæ habeant locum vigore prædicti mandati ad alienandum, si procurator nomine ui principalis alienavit, et ante obtentum beneplacitum apostolicum tradidit possessionem, et proindè faciat dictum suum principalem incidere in pœnas supra dictas, quidquid ex adverso forsan afferri posset, absolutè dicendum est illum non incurrere ; quia procurator, quantùmvis generale mandatum habens, non censetur illud habere, ut faciat incidere suum principalem in dictas pœnas Nav., cons. 445, post Alex. cons. 39, vol. 1, sed requiritur speciale mandatum, ut comprobat Rice. in Praxi for. eccl. dec. 57, n. 2.

Et juxtà hanc praxim, refert Genu., c. 50, num. 1 quòd anno 1599, cùm dubitaretur, an quidam rector ex causâ supra dictâ esset excommunicatus, et incurrisset pœnas ejusdem Extrav. *Ambitiosæ*, ex eo quòd ante obtentum assensum apostolicum, tradiderat pos-

sessionem, quamvis adesset in instrumento, clausula *Non aliter, nec alio modo*, re delatà ad Clem. VIII, declaravit dictum rectorem incurrisse dictas pœnas, et rescripsit vicario Neapolitano, quatenùs dictum rectorem absolveret à dictis censuris in utroque foro; dummodò prius dictus rector revocaret alienationem, et redintegraret ecclesiam in suo statu; aut faceret pro suo posse quòd redintegraretur, movendo litem in judicio, vel alia ad hunc finem faciendo; quòd si prædicta facere non posset ante absolutionem, ad minus promitteret, et se obligaret, quàm citiùs prædicta facere, et quòd dictus vicarius, cum eodem rectore dispensaret, etiam super fructibus malè perceptis, et revalidaret titulum beneficii, ut in suâ Praxi, cap. 44.

Quare, hæc absolutio, quoad rectorem, semper pertinet ad Papam; qui illam ad se advocat ratione dispensationis super oratoris inhabilitate et retentione beneficii cujus bona sunt alienata, cùm nunquàm ille, in hoc casu, impartiatur dispensationem sine absolutione, ut omnes sciunt curiales; cùm ad summum Pontificem duntaxat spectet cum eo dispensare, qui malè alienavit bona ecclesiastica, inconsulto Romano Pontifice, super retentionem beneficiorum. Gamb., lib. 2, n. 415.

Quo verò ad laicos qui bona prædicta sic recipiunt, sunt etiam excommunicati per d. Extr. Verùm cùm ipsi non egeant, nisi absolutione à supra dictâ excommunicatione, et illa nemini sit reservata, ut ex ipsâ constitutione satis constat, quæ illam non reservavit, ac proindè aliis facultatem absolvendi concessisse censetur, c. *Nuper*, ibi, *quia tamen conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis eam relaxandi*, de Sent. exc., c. *Dura*, de Crim. fals., c. *de Multâ*, in fin. de Præb., quilibet simplex confessarius ab ordinario approbatus, potest hanc absolutionem laicis recipientibus impartiri; nisi forsan episcopus illam sibi reservâsset; prout multi episcopi consueverunt inter casus episcopales sibi reservare. Nec tamen est ipsis, dicta absolutio aliter concedenda, quàm eo modo quo illam summus Pontifex, seu S. pœnitentiaria concedere solet, videlicet, ut ipse laicus curet quamprimùm rescindi instrumentum dictæ alienationis, ac ecclesiam redintegrari, ut supra. Cæterùm autem, non est audiendus Borgas., de Irreg., p. 6, tit. de Reb. eccles. non alien., n. 1, dùm dicit, hanc absolutionem esse Papæ simpliciter reservatam; cùm aliter nos doceat etiam quotidiana praxis.

Nec incongruum hìc subnectere visum est quid servandum, etiam in praxi, si præsentato commissariis delegatis rescripto confirmationis locationis aut alterius contractûs, jam inter oratores, sub dicto beneplacito apostolico initi, alterum contrahentium pœnituerit, velitque recedere ab hujusmodi contractu.

Sed inprimis notandum est, canones et constit. apostolicas prohibentes alienationem rerum ecclesiæ, emanâsse ad favorem ejusdem; quare si post contractum illa non recedat, sed velit stare prædicto contractu, et altera pars nolit, tunc prædictus contractus ad favorem ecclesiæ claudicat, Inn. in c. 1, in princ., *De his quæ fiunt*, etc.; quare si venditio, seu quævis alienatio sit utilis ecclesiæ, quæ velit eam ratam habere, non licet emptori post contractum ab eâ recedere, ne illud quod favore ecclesiæ inductum est, in ejus læsionem convertatur, prout dicitur in unâ Rom. Dom. cor. Mant., dec. 201, n. 1, quæ in proposito mihi videtur celebris; namque in eâ respondetur ad omnia contraria, quæ circa hoc afferri possunt, quod tamen intelligitur, impetrando Sedis Apostolicæ beneplacitum, vel aliàs cum legitimâ solemnitate ex relatis per Grac., loco cit., num. 74.

In facti contingentiâ plures vidimus oriri circa id dubitationes; et omnibus hinc inde omissis, ea tantùm referamus quæ ad nostram praxim pertinent; circa quam cum hâc distinctione procedendum esse observatur, nempe : aut nondùm est impetratum beneplacitum, et tunc est locus pœnitentiæ; Put., dec. 343, lib. 1; Maris., var. Res. lib. 1, c. 14. Quod tamen intelligas, etiam si fuerit supplicatio signata, nondùm tamen registrata; cùm antequàm registretur, nullum jus dicatur partibus, vel earum alteri acquisitum; nullumque præjudicium, imò neque aptitudo ad præjudicium valeat generari; ex eo quòd Papa, donec fuerit ipsa supplicatio registrata, potest, prout sæpè solet, ex aliquâ superveniente causâ, mandare, supplicationem ipsam per illius officiales lacerari; nam gratiam ipsam per solam signaturam supplicationis concessam, absque alicujus injuriâ denegare potest, teste Gom. in Reg. de jur. quæs. non toll., q. 20, n. 3, ubi apertè docet quòd antequàm supplicatio perveniat ad manus partis, potest cessari et reformari per datarium, et alios officiales, et tanto fortiùs per Papam; prout non semel in ipsâ datariâ vidimus; quandoquidem, in quibuscumque gratiis quæ per supplicationes, et per ipsam datariam conceduntur, nunquàm dicitur parti jus quæsitum, donec registrata fuerit supplicatio, ac parti tradita, ut supra dictum est. Et ex hoc obiter scias, quòd nunquàm officiales datariæ relaxant supplicationes, nondùm registratas, in manus partis, sed, si fortè intersit ejusdem partis aliquid eidem supplicationi tantùm signatæ aptari, vel ex eâ deleri, mutari, aut aliud, quod tamen gratiam ipsam non alteret, supplicatio ipsa traditur alicui personæ cognitæ et fide dignæ, ut cum ipsâ parte, vel illius sollicitatore deferat supplicationem ipsam alteri officiali, ad id præposito, ad effectum supra dictum; nam si ipsi parti traderetur, possent de facili multæ fraudes, circa supplicationem committi, quibus dataria, illiusque officiales quantâ fieri possit vigilantiâ occurrunt, juxta text. in l. *Fundo*, vers. *Neque malitiis*, ff. de Rej vend., c. *Sedes*, et c *Ex tenore*, de Rescript.

Quibus sic stantibus, conditio apposita in instrumento alienationis, nempe, *sub Sedis Apostolicæ beneplacito*, cùm per solam signaturam supplicationis, nondùm registratæ, purificata non fuerit, nihil ponit

in esse; cùm idem sit ac si dictum fuisset, *dummodò Sedis Apostolicæ ad id accedat assensus, vel si Papæ placuerit*, cap. *Si pro te*, et ibi Glossa et doctores de Rescript., l. *Si quis suâ conditione*, ff. *Si quis omiss. cau. test.*; Bart. in l. 1, ff. de Cond. et Demon.

Id tamen procedit respectu ecclesiæ, non autem personæ, cum eâ contrahentis; cui non licet aliquo modo pœnitere; quia, cùm ista solemnitas fuerit introducta favore ecclesiæ, si ipsa velit stare contractui, non poterit altera pars venire contra; contractus enim claudicat favore ecclesiæ; Innocent. in cap. 1, de his quæ fiunt à præl., et alii doctores citat. per d. Genuens., cap. 88, num. 2, ut supra dictum est.

Respectu enim Ecclesiæ d. Extravag. est favorabilis, Alb. in c. *Nihil*, num. 1, vers. *Secundò principaliter*, de Elect., Caputaq., dec. 215, n. 6, lib. 3, nec refert quòd etiam sit partim odiosa, nam sufficit quòd sit alio respectu favorabilis, quia, quoad utilitatem ipsius Ecclesiæ potiùs considerandus est favor quàm odium, Glossa in c. *Sciant cuncti*, in verbo *Alios*, de Elect., in 6, et per Gonz., ad reg. 8 cancell., § 6, procem. num. 73.

Aut beneplacitum est jam impetratum, quia nimirùm supplicatio, non modò signata est, sed etiam registrata; et tunc neque ecclesiæ illiusque rectori, licet pœnitere, quamvis rescriptum adhuc non fuerit per commissarios delegatos, debitæ executioni demandatum, neque lata sententia, neque litteris super eo confectis, ut per Afflict., dec. 253, in fin., et fuit dictum in unâ Roman. Casalis Trigonii, et antea in unâ Leodien. *Bonorum*, coram Robusterio, 8 octobris 1586, et in aliâ Tirasonen., *Decimarum*, ut in decis. 102, num. 9, p. 1, divers.

Eòque magis si litteræ fuerint expeditæ, quia non obstat quòd nondùm fuerit secuta sententia confirmatoria commissariorum, si ecclesia velit pœnitere, quia licèt ante beneplacitum sit locus pœnitentiæ, tamen post illud obtentum, partes non possunt ampliùs pœnitere, neque à contractu resilire, etiam antequàm sequatur sententia prædictorum commissariorum, prout fuit resolutum in unâ Leodien. *Domorum*, 10 maii 1576, coram Rubeo, et in unâ Romanâ *Locationis*, 4 junii 1584, coram Blanchetto; Buratt. decis. 15, num. 6, et optimè declaratur in aliâ *Nullius emphyteusis*, 16 novembris 1607, ubi etiam dicitur id procedere, etiam si versaremur in mandato de confirmando, cum solitâ clausulâ *Si in evidentem*; prout similia rescripta sæpè expediuntur; quia beneplacitum, non propter id redditur conditionale, quoad ejus substantiam, nam licèt sit impedita illius executio, nempe, quia differtur ad tempus, postquàm constiterit de evidenti utilitate, attamen effectus hujusmodi beneplaciti eo ipso, quòd fuerit registrata supplicatio, operatur; quia etsi antequàm supplicatio registretur, per cujus registraturam jus quæritur parti, ut dictum est, et non antea, licitè possunt pœnitere, cùm tali alienationis jus resistat, cap. *Si quis presbyterorum*, ubi doctores, de Reb. eccl. non alien.; attamen ipsâ supplicatione registratâ, dicitur obtentum dictum beneplacitum apostolicum; et sic ejusdem juris resistentia cessat, et consequenter conditio apposita in contractu, ampliùs non durat. Aliam insuper rationem affert Grat. in suis Discept. forens., cap. 514, tom. 3, nempe quia, quòd alienatio hæc cedat, vel non cedat in evidentem utilitatem, est omninò certum in rerum naturâ, licèt incognitum, ac propterea ejus liquidatio non suspendit effectum supra dicti beneplaciti; id Mariscot., d. lib. 1, c. 14, num. 2, qui, n. 5, dicit hanc conclusionem habere locum, etiam contra successorem qui alienationi non consensit; qui, licèt post concessionem legitimè et utiliter factam, compererit contrarium evenisse, nempe in damnum ecclesiæ, non propterea potest petere revocationem alienationis; cùm satis sufficiat contractum fuisse legitimè factum, ac omnia in rescripto apostolico narrata, per commissarios delegatos approbata, nec appareat fraudem intervenisse. Unde dixit Redoan., q. 20, n. 33, quòd non est imputandum episcopis vel clericis, ex quo bonâ fide et rectâ intentione celebraverunt contractum, et meliora Ecclesiæ prospexerunt, licèt aliter contigerit.

CAPUT VII.

Praxis derogationis obstantium in eisdem litteris Si in evidentem, *etc.*

NON OBSTANTIBUS CONSTITUTIONIBUS, ET ORDINATIONIBUS APOSTOLICIS, CÆTERISQUE, etc.—Hæc clausula derogat præcipuè supra dictæ Extrav. *Ambitiosæ*; pro quâ, licèt in supplicatione fuerit petita expressa derogatio, hoc procedit potiùs ex quodam stylo sic introducto quàm ex necessitate; quia cancellaria illas expressas derogationes admittit, quando videlicet summus Pontifex disponit adversùs constitut. conciliarem, cui necesse est in specie derogare, ex pluribus juribus, per nos ad id aliàs allegatis. Unde, parùm refert, quòd id. Redoan., q. 35, num. 5, adverlat quòd in hoc casu debet apponi clausula: *Non obstante constitutione Pauli II*, propter rationes supra dictas.

Benè tamen ipsa cancellaria consuevit in locationibus omnium, et singulorum bonorum, etiam immobilium beneficii, licèt ad modicum tempus, puta novem annorum, non modò derogare in specie supra dictæ Extrav., verùm etiam aliis constitutionibus, videlicet Pii II, Pauli IV, et Pii V, aliorumque Romanorum Pontificum, similes locationes ultra triennium fieri prohibentium, ac etiam Alexandri VI, tempus locationis à die datæ concessionis gratiæ, non autem alio posteriori, seu anteriori tempore computari debere, disponentibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis.

Præterea est advertendum, quòd si beneplacitum Apostolicum petitur super alienatione decimarum, prout sæpè contingit, erit omninò necessaria specifica derogant concilii Lateranensis, prohibentis decimas in laicos alienari, ut est text. in c. *Prohibemus*, de Decim., quia cùm hæc constitutio sit facta à Papâ in

concilio generali, requirit specialem derogationem; ita ut non sufficiat derogatio per clausulam : *Non obstantibus;* Cavaler., decis. 229, num. 3 et 4, et decis. 101, num. 1 et 2, et decis. 247, num. 10 et 11, cum aliis allegatis in unâ Placentinâ *Decimarum*, quæ est decis. 350, n. 28 et 29, p. 5, recent.

Quoniam verò aliquando circa hujusmodi alienationes contingit, præter prohibitionem juris concurrere prohibitionem hominis, nempe testatoris, qui in suo testamento dicit quòd res ecclesiæ per eum relicta, non possit vendi, alienari, seu quovis titulo transferri in alium, aliàs venditio et alienatio nullius fit roboris vel momenti; ex eo quòd idem testator voluit, quòd ipsa res sit perpetuò dictæ Ecclesiæ, propterea, stante dictâ prohibitione hominis, alienatio est prohibita, etiam in casu permisso; Mar. Ant., variar. Resol., lib. 1, resol. 15, num. 10, quod quidem in tantum procedere ait Redoan., q. 3, num. 50, quòd si res sint Ecclesiæ relictæ, eâ conditione, ut non possint alienari, etiam in maximâ necessitate alienari non poterunt de jure civili, per Glossam in verbo *Alienare*, § *Sanctissimas*, Auth. de Alien. et Emphyt., quod etiam procedit de jure canonico per text. in cap. *Verum*, et ibi doctores de Cond. appos.; nam, concurrente prohibitione hominis, fortificatur prohibitio legis, Imola in cap. Raynutius, de Testam., quibus accedit, quòd prohibitio addita prohibitioni, magis stringit, sicut promissio addita promissioni, magis ampliat, d. § *Sanctissimas*. Hinc est, quòd cùm præmissa vendicent sibi locum, præsertim in rebus ecclesiæ, ut per Mant., de Conject. ult. volunt., l. 9, tit. 10, num. 12, præbent summo Pontifici causam suum beneplacitum frequenter denegandi, vel saltem difficilem se reddendi ad hujusmodi concessionem, ut ex pluribus docet dominus meus Ricc. in Praxi fori Eccles., decis. 45, per tot.

Ac propterea, cùm sint duo impedimenta, uno remoto aliud remanet, c. *Ex tuarum*, de Auth. et Usu pall., sicut duabus servitutibus appositis, unâ sublatâ, remanet altera, l. *Si prius*, ff. de Aq. pluviâ arcendâ; Ludovis., dec. 87, num. 6.

Propterea docet quotidiana praxis, ut in supplicatione fiat mentio de hâc prohibitione testatoris, et petatur specifica illius derogatio : quod quidem debent animadvertere oratores, sive eorum sollicitatores, qui ab ipsis oratoribus exquirant, num ultra prohibitionem juris, alia adsit hominis; eòque magis, si in hujusmodi prohibitione hominis, erit imposita aliqua pœna caducitatis, sive devolutionis; nam, si istæ qualitates non fuerint expressæ, rescriptum super assensu apostolico impetratum, subjacet quidem vitio subreptionis, et hoc modo, multa similia rescripta vidi impugnari, quæ postmodùm fuerunt revalidata per gratiam : *Perinde valere;* et quandoque ubi facta fuit supra dicta mentio, vidi per Papam, denegatum assensum, cùm talis prohibitio præbeat justam causam illum denegandi, ut supra dictum est, et dixit Ann. in constitutione quæ incipit : *Divæ memoriæ*, prout cum effectu ferè semper denegatur, vel cum maximâ difficultate conceditur; et cùm D. datarius rejicit hujusmodi supplicationes, ita apponit in calce, *servetur voluntas testatoris;* nam illa est pro lege servanda, ut in § *Disponat.*, Auth. de Nupt., coll. 4, c. *Ult. voluntas*, 13, q. 2, quod est adeò verum, ut locum habeat, etiamsi ipsa voluntas commutetur in melius. Videmus enim quòd Papa, licèt plenissimam habeat super hoc potestatem, nihilominùs has commutationes, non nisi parcè et cum maximâ difficultate concedit, aut illis derogat. Unde ait Mandos. in Praxi sign. grat., in tit. *Commutatio ult. voluntatis*, quòd non solùm periculosa est commutatio ultimæ voluntatis prædictæ ab alio quàm à summo Pontifice, verùm etiam, quòd parcè et prudenter Sedes Apostolica concedere solet hujusmodi commutationes; prout ego semper meo tempore vidi servari; quæ non aliter conceduntur, nisi proponantur in plenâ signaturâ, in quâ sæpissimè repulsam patiuntur.

Nec propterea, ad removenda hæc duo impedimenta, sufficit supra dicta clausula generalis : *Non obstantibus*, nisi de singulis impedimentis, et de utrâque prohibitione fiat expressa mentio; Bald. in leg. 1, num. 22, c. de Furt. Felin. in c. *Nonnulli*, num. 21, de Rescript.

Quia ubi concurrit prohibitio hominis cum prohibitione legis, impeditur quòd etiam in casu permisso possit fieri alienatio per text. in cap. *Nihil*, § fin., vers. *Sic tamen*, de Elect. Glossa, in cap. *Venerabili*, de Off. del., ubi Host. et Abb., Imol. in l. *Filius familia*, § *Divi*, ff. de l. 1, ubi Alex., quòd ubi prohibitio testatoris est juncta cum prohibitione legis, operatur quòd impediat alienationem aliàs permissam, cum aliis allegatis per Redoan., de Reb. eccles. non alien., quæst. 61, num. 2.

Ac propterea, cùm de necessitate sit hæc prohibitio testatoris exprimenda, ita erit dicendum in supplicatione, videlicet : *Cùm autem, Pater sancte, terræ petium hujusmodi, per quondam N. dictæ ecclesiæ relictum, vel donatum existat, et in hujusmodi donatione ipse prohibuerit illius alienationem, volens quòd illud perpetuò dictæ ecclesiæ sit et esse debeat, ac in eventum alienationis, alienatio ipsa nullius sit roboris, vel momenti, ac pro nullâ et non factâ habeatur*, etc.

Quibus sic in supplicatione ipsâ narratis, semper adduntur per dominos officiales, et quandoque per ipsum D. datarium, hæc verba, videlicet : *Nullâ tamen impositâ per testatorem caducitatis seu devolutionis pœnâ;* quæ quidem verba magnam habent conformitatem cum jure communi; nam, si per alienationem ipsam esset alteri jus quæsitum, nunquàm Papa illud tollere intendit; quod procedit, etiamsi ille de cujus jure agitur, esset infidelis, vel Judæus; Abb. in c. *Quæ in ecclesiarum*, de Const.

Quòd si fortè contingeret ipsum Papam jus tollere alicui, præsumitur potiùs per importunitatem et circumventionem, quàm per voluntatem fecisse; Felin. in cap. *Cùm olim*, de Re jud.; nam regulare est in principe, quòd concedendo nemini præjudicium inferre intendat, nullique jus auferre; et citra cujuscum-

que injuriam seu præjudicium concedere; quod præcipuè videmus, etiam in præsenti materiâ ab ipso Papâ servari, juxta text. in c. *Super eo*, ibi : *Non est tamen nostræ intentionis*, de Off. deleg.

Unde, ad præmissorum præscriptum committitur judicibus delegatis, ut concedant oratoribus licentiam alienandi, voluntatem testatoris quoad hoc opportunè commutando.

Consuevit aliquando dari decretum, quòd sententia alienationis sive confirmationis non feratur per supra dictos commissarios (si de venditione agatur) nisi postquàm pretium, ex hujusmodi venditione habitum, in emptionem tot bonorum stabilium utiliorum pro dictâ ecclesiâ, quæ in locum rei venditæ in omnibus et per omnia subrogata sint, et esse censeantur; ac eidem alienationis prohibitioni subjaceant, realiter et cum effectu integrè fuerit conversum; aliàs irritum, etc.

Quando autem in ipso testamento fuerunt bona prohibita alienari sub pœnis caducitatis et devolutionis, tunc aliud additur decretum, nempe : *Et assignatis aliis bonis stabilibus utilioribus, eidem caducitati et devolutioni subjectis*, vel aliud simile decretum, nempe : *Et committatur ordinario, qui vocatis prædictis omnibus quorum interest, ac de eorum expresso consensu, licentiam hujusmodi concedat.*

Quod etiam servatur si adesset prohibitio, ne res possit alienari in certam personam, quia tunc rector ecclesiæ debet etiam curare ne ad illam quovis modo res prohibita perveniat, Bald. in l. *Quoties*, c. de Fideicom., ac propterea debet de hoc fieri mentio in supplicatione et in litteris super eâ expediendis, cum communicatione voluntatis testatoris, eo modo quo supra dictum est; eòque magis quia prohibitio respiciens personam fortior est respiciente rem, cùm accipiens quoad hoc sit effectûs incapax, per ea quæ not. in l. *Si ita quis*, § eà lege, ff. de Verb. oblig., et multò magis si respiciat rem et personam, Redoan., q. 63, n. 19.

Hîc autem numquid permutari possint bona relicta ecclesiæ, sine beneplacito apostolico, si sic testator disposuerit? Et omnibus aliis omissis, pro affirmativâ est respondendum; ratio autem hujus rei potissima est, quia in traditione cujuscumque rei, potest quis adjicere quæcumque pacta, et quascumque conditiones et leges, etiam cùm tradit rem Ecclesiæ; textus est expressus in cap. *Verùm*, de Condit. appos. cum concord.; quilibet enim rei suæ est optimus moderator et arbiter, l. *In re mandatâ*, c. *Mand.* Quare dispositio hominis facit cessare dispositionem legis, l. fin., c. de Pact. et not. DD. in l. *Fin.*, c. de Jur. emphyt., et canonistæ in cap. *Potuit*, de Loc, et hoc est regulare, quòd provisio hominis facit cessare dispositionem legis; d. l. *Fin.*, c. de Pact., l. *Maritus*, c. de Procur., et in propriis terminis Marius Antonin., var. Resol. fin., cas. 44, ubi ait sic in puncto tenuisse Soccin. sen., cons. 48, num. 4, et cons. 53, num. 16, vol. 1; et pluries in facti contingentiâ id evenisse non ignoramus, cùm, in casu petendi hujusmodi beneplaciti apostolici super similibus alienationibus, bis præsertim observaverim supplicationes desuper non fuisse receptas, tanquàm super re non necessariâ porrectas; ex quo, stante dictâ conditione, idem est ac si ipse fundator permutâsset, ut per Menoc., de Arbitr. jud., centur. 2, cas. 171; Surd., cons. 30, num. 4, relatos per d. Mar. Anton. d. cas. 44, vers. *Secundò, nam stante dictâ conditione*, etc.

Advertendum est tamen quòd sub pontificatu fel. record. Urbani VIII, magna desuper orta fuit controversia; nam, ita ferente casu, post multa hinc inde deducta coram bon. mem. Ægidio Ursino datario ac pluribus advocatis informationibus, rê etiam ad ipsum Urbanum delatâ, fuit resolutum negativè, nempe prohibitionem alienationis rerum ecclesiæ locum sibi vindicare, etiam in casu quo res ita donatur vel legatur ecclesiæ ut possit alienari sine solemnitatibus, quia nihilominùs illæ requiruntur, non obstante dictâ voluntate, quæ tanquàm illicita servanda non est, et ita videtur sequenda opinio Quarant., in Sum. bullar. verbo *Alienatio*, ampliatione decimâ sextâ, n. 31, ex viribus per eum ibi allegatis; subdens ibi quòd cùm dominium rei sit quæsitum ecclesiæ, res est effecta ecclesiastica, ex Innoc. in c. *Verùm*, de For. compet., et probat etiam id Quarant., ibi non militari rationem hîc de re minoris ad rem ecclesiæ, cum rationibus ibi adductis.

Hujus verò rei occasione oblatâ, aliqua, quasi per transitum ad praxim derogationis fidei commissi, pertinentia, sive, etiam simplicis commutationis ultimæ voluntatis, notare non absonum visum est : res quandoquidem non est parvi momenti. Frequentissimè etenim summo Pontifici, pro hujusmodi rescriptis impetrandis, porriguntur preces; qui nihilominùs ea non aliàs quàm ex urgentissimis et justissimis causis, prævîàque maturâ deliberatione, causisque ipsis in plenâ signaturâ discussis, concedit, ad not. in l. *Fin.* c. *Si contra jus*, et per Canonistas in c. *Quæ in ecclesiarum*, de Constit.; publicè enim expedire dignoscitur; dicunt jura, ut supremæ defunctorum voluntates suum sortiantur effectum, ad text. in leg. *Vel negare*, ff. Quemad. testam. aper., nihilque magis hominibus deberi quàm ut supremæ voluntati liber sit stylus, l. 1, c. de Sacr. eccl., quod quidem non modò locum sibi vindicare omnes sciant curiales in fidei commissis universalibus, verùm etiam in particularibus; quando præsertim summus ipse Pontifex, ex sibi desuper porrectis precibus perpendat rem fideicommisso suppositam testatorem ad usum particularem ita destinâsse, ut ea perpetuò in illius familiâ conservetur; tantòque magis difficiliùs hujusmodi rescriptum concedit, aut prorsùs denegat, si negat, si ex propositæ rei conjecturâ appareat quòd testator particularem in eâ affectum habuerit, veluti quia petitur alienari domus in civitate, notabilis, vel in quâ testator fuisset educatus, aut turris antiqua de familiâ, ad quam testator verisimiliter habuisset affectionem, quia tunc etiam de jure illius alienatio videtur interdicta, ad text. in l. *Si in emptorem*, ff. de Minor., Peregr. de

Fideicom., art. 40, num. 33, sicut e contrario, facilem se præbet ipse Pontifex ad hujusmodi derogationem; quando res perituræ aut deteriores futuræ essent, pro quâ quidem praxi, adest Glos. notab. in l. *Marcellus*, § *Res quæ*, ff. ad Trebell. necnon si res essent steriles et infructuosæ, vel nimis onerosæ et sumptuosæ, aut in necessarias impensas hæreditatis, rerumque hæreditariarum implicandæ, vel quia fortuitis subjectæ essent casibus, ad text. in l. *Verùm*, § *Si locupleti*, ff. de Min., l. *Ait prætor*, ff. de Jur. delib. In his enim casibus non solùm licèt petere hujusmodi derogationem, verùm etiam imputaretur hæredi si hæc non alienàsset, maximè tempore peritura, id. Peregr. dict. art. 40, n. 37, circa fin.

Ne autem simplex novusque curialis per ignotos terminos ad hanc praxim transeat, id potissimùm sibi ignorare non licet, ut in precibus ad id porrigendis, clarè distinguat fideicommissi qualitatem, quandoquidem tres ipsius fideicommissi formulæ à jure statutæ reperiuntur; quarum prima est, cùm testator prohibuit bona sua alienari; ex quo ea vult in suâ familiâ conservari, vel quia vult apud suos posteros et descendentes remanere; et in istâ specie DD. tenuerunt pro fideicommisso simplici, quia illa verba prolata per modum causæ, inducunt fidei commissum, ut per Bart. in l. *Qui volebat*, ff. de Hæred. instit., et in l. *Socer*, § *Lucius*, ff. Solut. matr.; item quia eadem verba etiam sine aliquâ prohibitione sunt de per se acta ad fideicommissum constituendum, l. 2, c. comm. de leg. Secunda formula, cùm prohibitio non fuit nuda, quia dictum fuit ne alienari possint de meo nomine, de meâ familiâ, de meis descendentibus, quia voluit bona sua in eis vel in suâ familiâ conservari; quo casu, fideicommissum absolutum resultare tam in casu mortis quàm in casu alienationis, voluerunt DD., præsertim Curt. Jun., cons. 43, col. 4, versic. *Secundò principaliter*, n. 17 et 18; Menoch. consil., 327, n. 95. Tertia verò formula, quæ secundæ similis est, cùm testator prohibuisset bona sua extra familiam alienari, ut in familiâ relinquantur, prout de his formulis loquitur Peregr., de Fideicommiss., art. 14, 16 et 17.

Causas verò quas summus Pontifex ad derogandum admittit, reperio etiam secundùm nostram praxim enumeratas per Sarmiens. Select. sentent., lib. 1, c. 8, n. 13 et seqq., quas hìc recensere visum non est, sed ad illum lectorem remitto.

Absque causâ verò, ad sic derogandum, nullus apud summum Pontificem prævalet favor, nulla instantia, sicut tot annorum cursu didicimus in Curiâ, præsertim ubi aliquod alicui præjudicium noscitur inferri; quare licèt in Papâ duplex consideretur potestas, altera scilicet ordinata, ut secundùm leges vivat, altera inordinata et absoluta, secundùm quam ipse est supra leges, illisque minimè subjicitur, l. *Princeps*, ff. de Leg., inspectâ potestate ordinariâ, quâ in his utitur, secundùm eam jura tuetur; unde illius rescriptum ad mentem juris refertur, l. *Rescripta*, c. de Precib. imp. offer., quia nunquàm ille rescribendo pro uno, intendit alteri præjudicium inferre, cùm sit Papa omnium justus pater; et sicut ait text. in l. *Meminerint*, c. *Unde vi*, hoc præsertim fit, ne unde jura nascuntur, injuriarum nascatur occasio, et de jure canonico expressum est in c. *Ex parte*, de Offic. deleg., et in c. *Veniens*, de Præscript.; quare de facili princeps non utitur plenitudine potestatis adversùs jura scripta, in præjudicium tertii, sed cum causâ.

Benè quidem, in rebus fideicommissariis, licita est commutatio de re ad rem, ubi non accessisset expressa prohibitio de non alienando, concurrente fidei commissi utilitate, sicut supra diximus, veluti quia res fidei commissaria subjecta esset ruinæ aut alteri periculo, vel quia pro rerum qualitate, personarum et temporum conditione, constaret fideicommisso utilis; ex quo etiam absque principis decreto permutatio in fideicommissis universalibus, quæ utilis sit, non videtur hæredi gravato interdicta, pretium commutando in alias res utiliores, et magis commodas, et proficuas; ex quo utilis permutatio licita est, Angel., consil. 109, col. 1; Paulus Castrens., consil. 269; Ruin., consil. 118, num. 15, relati per Peregrin., dict. art. 40, num. 23.

Cæterùm verò, accedente prohibitione expressâ testatoris, qui voluit rem in suam familiam perpetuò remanere, remotâ causâ publicâ, ad interesse privatorum, non facilè princeps præstat assensum; ex quo de potestate ordinariâ ordinationes testamentarias commutare nequit, id Peregr., art. 25, n. 159.

Secùs autem, ubi res fideicommisso supposita alienatur pro dissolutione æris alieni hæreditarii: et hìc, non aliàs, nisi duobus concurrentibus, quorum primum, quòd non adsint alia bona libera, secundum, quòd constet pretium fuisse conversum in solutionem dicti æris alieni, Beltram. in addit. ad Ludovis., decisione 299, n. 6; quare, prohibitâ alienatione, censetur tantùm prohibita alienatio ex causâ voluntariâ, non autem quæ sit ex causâ necessariâ, sive prohibitio sit hominis, sive juris, ut per Benintend., decisione 48, n. 16, qui, n. 17, ait quòd lex prohibens translationem possessionis litigiosæ, non comprehendit eam translationem quæ fit pro implemento contractûs venditionis; quam quidem conclusionem, non vulgariter, sed ex pluribus elegantissimè exornat illustrissimus et reverendissimus dominus Antonius Ricciullus, in suo celeberrimo tract. de Jur. pers. extr. Eccl. grem. exist., l. 5, c. 36, n. 1 et 2, qui quidem (ne de tanto viro penitùs sileam), præter generis nobilitatem, quippe qui è patritiâ Ricciullorum gente inclytæ civitatis Rhegien., originem traxit, cuique Roblanensis insignis patria lucem dedit natalem; in urbe Româ, etiam ipso suæ juventutis flore degens, inter primarios aulæ Romanæ advocatos ascitus, in publicâ Academiâ, Paulo V sedente, unde jura civilia et orta et aucta sunt, ut in l. *Omnis*, c. de Serv., ibidem publicè eadem quoque interpretari datum est; plurium quoque episcopatuum titulis insignitus, ac vices gerentis in eâdem urbe officio summâ omnium

laude perfunctus, sanctissimæque universalis inquisitionis totius christianæ reipublicæ in hoc regno Neapolitano generalis minister, per fel. recordat. Urbanum VIII deputatus, et ad ecclesiam Consentinam transiatus, eidem mirificè præfuit.

Satis enim liquet, non dici, quem contravenire prohibitioni alienationis, factæ à testatore, quando hæres alienat pro solvendo ære alieno ab ipso testatore contracto, text. in l. *Filius familiâs*, § *Divi*, in fin., ff. de Leg. 1, sicut etiam pro dotandis pauperibus puellis testatoris consanguineis; et super his frequentiorem cursum habere vidimus in ipsâ curiâ, hujusmodi derogationes.

Verùm, ne ejusdem curiæ tironibus admirationi locus remaneat, cur videlicet, ubi legitima subest causa, requiratur specialis gratia summi Pontificis, in derogando similibus fideicommissis, operæ pretium me facturum existimavi, si huic etiam tam levis rei admirationi satisfaciam. A pluribus etenim antiquioribus curialibus didici quòd licèt de jure absque gratiâ principis id fieri possit, cùm hæreditas propriè non intelligatur, nisi detracto ære alieno, ac prohibitâ aliàs alienatione, non censeatur prohibita ea quæ fit ob necessitatem, perjura superiùs allegata; nihilominùs, ut plurimùm petuntur similes fideicommissorum derogationes, ex eo quòd, stante hujusmodi fideicommisso, non ita facilè reperirentur emptores bonorum fidei commisso subjectorum; quare ob eorum cautelam et securitatem, firmiora ac tutiora redduntur ea quæ Sedis Apostolicæ munimine roborantur, unde hæc derogatio in casu dubio hujusmodi alienationis plurimùm operatur, quia contractui robur adjicit, quod multùm prodest, arg. text. in l. 1, vers. *Omnia nostra facimus*, c. de vet. Jur. enucl., cap. *Si apostolica*, de Præb. Quare non est mirandum si quandoque in ipsâ Curiâ videmus sive licentiam, sive aliquid aliud à summo Pontifice peti, ab eodemque concedi, quod de jure forsan necessarium non videtur, hoc enim plerùmque fieri consuevit ad evitandum omne dubium quod ex tali facto, tempore procedente, posset oriri, et sic ad cautelam; quandoquidem, licentiæ, sive confirmationes summi Pontificis, ipsi facto majorem præstant auctoritatem, cap. fin., et ibi Gloss. vers. *Auctoritate*, 11 dist., et si quid est forsan invalidum, supplent ejus defectum, cap. 1 de Transact., et in confirmationibus ita operantur, quòd sine ejus licentiâ non possit retractari quod ipse confirmavit, cap. 2, de Confir. util. vel. inutil.

Ex supradictis verò causis jam expressis, ex quibus recursus fieri consuevit ad summum Pontificem pro re præsertim particulari fideicommisso subjectâ, hanc, quæ sequitur, supplicationis formulam subjicere visum est, ex quâ quàm plurimæ possunt, secundùm facti qualitatem, formari; ea igitur est, videlicet:

Beatissime Pater, aliàs quondam Matthæus de Surdis, dum vixit, laicus Bononiens., in suo ultimo, quod condidit, et sub cujus dispositione ab humanis decessit, testamento, inter alia per eum tunc disposita, quamdam bibliothecam à quodam Federico ejus fratre sibi relictam, pretio quingentorum scutorum, vel circa, æstimatam, perpetuo fideicommisso in ejus familiâ subjecit, illiusque alienationem hæredibus suis fideicommissariis perpetuò prohibuit; prout in dicto testamento pleniùs continetur. Cùm autem, Pater sancte, bibliotheca hujusmodi, quæ ex legum libris et voluminibus, pro majori parte composita est, devotis vestris Aloysio et Ludovico fratribus de Surdis præfati Matthæi natis et hæredibus, qui litterarum studiis minimè incumbunt, nec de præsenti filios, qui eisdem studiis incumbant habent, prorsùs inutilis, et infructuosa sit; libri quoque, ubi otiosi remanent, temporis progressu à tineis corrodantur et contabescant; et propterea præfatus Ludovicus, E. S. V. orator, cupiat licentiam vendendi bibliothecam hujusmodi, illiusque pretium in emptionem alicujus annui censûs perpetui, sive, tot bonorum stabilium, quæ hujusmodi fidei commisso, et alienationis prohibitioni perpetuò subjaceant, convertendi, sibi per S. V. concedi et impartiri; nec non eidem fideicommisso, ad hunc effectum, opportunè derogari. Supplicat igitur humiliter E. S. V. orator præfatus, quatenùs sibi in præmissis opportunè providendo, eique specialem gratiam faciendo, bibliothecam præfatam à præfato fideicommisso, et alienationis prohibitione, aliisque vinculis et oneribus in dicto testamento, etiam sub quibuscumque prægnantissimis, et efficacissimis verbis, contentis, perpetuò eximere et liberare; sibique, universam et integram bibliothecam hujusmodi simul vel separatim, ac in unâ seu pluribus vicibus, pro pretio reperibili, absque alicujus caducitatis, devolutionis aut alterius pœnæ incursu, vendere et alienare; pretiumque inde redigendum in emptionem alicujus censûs annui et perpetui, sive tot bonorum stabilium, quæ similibus fidei commisso, et alienationis prohibitioni, loco bibliothecæ præfatæ, subjaceant, et subjacere debeant, convertere et erogare liberè et licitè valeat, concedere et indulgere: nec non pro potiori cautelâ, fidei commissum, et alienationis prohibitionem hujusmodi incensus, seu bona stabilia hujusmodi ex dicto pretio emenda, perpetuò transferre, transmittere atque transfundere, dictosque oratorem, et emptorem, seu emptores, ac ab eis jus et causam habentes propterea, nullo unquàm tempore, de super à quoquam, quovis prætextu, occasione vel causâ, directè vel indirectè molestari, inquietari, seu perturbari posse. Sicque per quoscumque judices, etc., etiam causarum sacri palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Sedis Apostolicæ nuntios, sublata, etc., judicari, et diffiniri debere; irritumque, etc., decernere dignemini, de gratiâ speciali; non obstantibus præmissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti testatoris voluntate, quam, et quoad hoc, quatenùs opus sit, opportunè et sufficienter commutare S. V. placeat, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis:

Fiat, ut petitur. M.

Et cum absolutione à censuris ad effectum, etc., *et quòd dicti testamenti tenores, etiam veriores, ac data habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in litteris. Et de exemptione, liberatione, conces-*

sione, indulto, translatione, transmissione, transfusione, decreto, derogatione, aliisque præmissis latissimè extendendis. Et quod præmissorum omnium et singulorum, etiam denominationum, qualitatum, nuncupationum, invocationum, annexorum aliorumque necessariorum major et verior specificatio et expressio fieri possit in litteris per breve S. V., seu officium minoris gratiæ, aut contradictarum expediendis. Et additur : *Et committatur ordinario; et quod integrum pretium ex hujusmodi bibliothecæ venditione proveniens, in emptionem tot bonorum stabilium, vel locorum, montium non vacabilium de Urbe, quæ loco bibliothecæ hujusmodi vendendæ, in omnibus et per omnia succedant, ac prohibitioni alienandi subjaceant, unico contextu, realiter, omninò convertatur nec emptor, seu emptores dictæ bibliothecæ à fidei commisso hujusmodi liberi sint, nisi postquàm dictum pretium conversum fuerit, ut præfertur.*

Fiat. M.

Quando autem petitur similis licentia vendendi bona fideicommisso subjecta pro dote filiarum ex sanguine testatoris, hoc adjicitur decretum : *Et dummodò orator alia bona stabilia fideicommisso non subjecta non habeat, quæ ad effectum hujusmodi vendi possint.*

Pro augmento dotis etiam conceditur similis derogatio, non aliter quàm cum restrictivâ infra scriptâ, videlicet: *Et committatur ordinario, qui se ei constiterit, dotem relictam à patre puellæ maritandæ, non esse congruam, nec suppleri posse ex legitimâ et trebellianicâ, licentiam hujusmodi concedat alienandi ex bonis fideicommisso subjectis, usque ad dotis hujusmodi congruam quantitatem.*

Simplices etiam commutationes voluntatis defunctorum ad summum tantummodò Pontificem etiam spectare nemo est qui ambigat; hoc probatur ex Clem. *Quia contingit*, de relig. Domib.; Genuens. in prax. cur. archiep. Neapol., c. 19, ubi ampliat, nec hujusmodi commutationes fieri posse à legato de latere, etiamsi commutatio fiat in meliorem; necnon, si accedat consensus hæredis, de cujus utilitate non agitur, cui possit renuntiare, sed de servandâ voluntate defuncti, ubi tamen id. Genuens. multipliciter id declarat, nimirùm quando episcopus possit hujusmodi voluntates commutare.

Verùm cùm ex vi concilii Trid., sess. 22, cap. 6, habeatur quòd in commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex justâ et necessariâ causâ fieri debent episcopi, tanquàm Sedis Apostolicæ delegati summariè, et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacitâ veritate, vel suspectâ falsitate, fuisse narratum priusquàm commutationes prædictæ executioni demandentur, est notandum utrumque ad id requiri, quòd videlicet sit justa et necessaria causa quænam sint justæ causæ, ut episcopus possit dictas ultimas voluntates commutare, videri possunt inter cæteros, penes Barbos., de Pot. episc., alleg. 83, per tot., et ad loc. concil., sess. 22, cap. 6, tit. *Ultimæ voluntates circumspectè commutandæ.*

Cùm autem dubitari contingit, an causa sit sufficiens, vel ne, tunc etiam recurritur ad summum Pontificem, qui præsertim potest indifferenter relictum ad unum usum pium, in alterum convertere, Mandos. in Prax. signat. tit. *Commutatio ultimæ voluntatis*, vers. *Plures concludunt*, ubi quòd solus Papa id potest, qui est supra jus. Et nihilominùs quàm parcè se gerat in hujusmodi commutationibus, omnibus innotuit; quas nunquàm ferè per privatam signaturam concedit, nisi in ipsâ plenâ signaturâ proponantur, et causæ expressè ibi discutiantur, an scilicet sint sufficientes : pro quibus quidem commutationibus, etiam in dictâ signaturâ propositis, infinitas scio supplicationes fuisse rejectas. Si igitur summus Pontifex ita rigidè et parcè se gerat in his commutationibus, non abs re ait id. Mandos., loc. cit., quòd periculosa sit hæc impetratio ab alio, quàm à summo Pontifice : quare non immeritò episcopi non levis conscientiæ, à similibus commutationibus abstinent, quando causa commutationis habet in se aliquid dubii, oratores ad ipsum summum Pontificem remittentes.

Nec tamen hinc priùs discedam, quàm novos moverim curiales, quod si contingit peti beneplacitum apostolicum super alienatione rei, ecclesiæ, sive cathedralis, sive collegiatæ, aut monasterii, hospitalis, congregationis, vel alterius similis loci, non valentis per peculiare statutum etiam juratum, et apostolicâ auctoritate confirmatum etiam in evidentem utilitatem, rem ecclesiæ, alienare, si nihilominùs ex legitimâ causâ, et cum evidenti utilitate petitur, rem ipsam, sub beneplacito apostolico alienari, tunc tali statuto non obstante, necnon, cùm ipsum juramentum non debeat in damnum ecclesiæ servari, nec esse vinculum iniquitatis, cap. *Quanto*, de Jurejur. cap. 1, eod. tit., lib. 6, etiamsi in hujusmodi litterarum si in evidentem impetratione, de tali statuto non fiat præcisa mentio, sufficit quòd in fine primæ partis signaturæ supplicationis petatur in genere, sub consuetâ formâ, supradicti statuti derogatio; nimirùm post illa verba, *cæterisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis*, ita addatur videlicet, *necnon dictæ ecclesiæ, seu collegii, aut hospitalis*, etc., *etiam juramento confirmatione apostolicâ roboratis statutis*, etc., hoc enim modo aufertur omnis dubitatio, ex quo summus Pontifex potest removere, seu tollere obstantia statutorum, quoad certum actum, ut hìc, c. 1, de Constit., lib. 6, Clem. *Dudùm*, de Sepult.; Franc. in cap. *Cum aliquibus*, num. 1, de Rescrip., lib. 6, ubi n. 2 ait, quod quando statuta sunt jurata, debet fieri specialis mentio de juramento, et ego dicam in meâ Pract. benef., ubi opportuniùs hæc derogatio cadit.

CAPUT VIII.

Praxis decretorum Papæ in eisdem litteris: Si in evidentem, etc.

FINITA TERTIA GENERATIONE *hujusmodi supradictum terræ petium.*, etc.—Pactum devolutionis melioramentorum antiquitùs adjiciebatur in his concessionibus de consensu patrium, absque eo, quòd à Papâ daretur hoc decretum, nam in hoc casu, ad dignoscendum an

alienatio sit Ecclesiæ utilis, habenda est ratio, quod melioramenta devolvantur finita linea, quia, cùm supradictum pactum respiciat commodum alienantis, dicitur pars pretii, per text. in l. *Fundi*, ff. de Contrah. empt., et pro potiori cautelâ ipsius ecclesiæ, incœpit hoc decretum apponi tempore fel. record. Pii V, in omnibus locationibus ad tertiam generationem, vel ad aliud limitatum tempus, ut in quibusdam notabilibus, sive memorialibus Anthimi Marchesani, qui erat illius datarius, in quibus aderant etiam nonnulla alia notabilia, hujusmodi materiæ nimis proficua, quæ tamen hodie non sunt in usu. Hoc quidem factum est pro evidenti Ecclesiæ utilitate, et ad evitandas lites, quæ desuper exoriri possent, quia, qui conducit rem aliquam finitâ locatione, videtur reconduxisse, et illo titulo possedisse, Boer., decis. 58, n. 9, per text. in l. *Item Quæritur*, § *Qui impleto tempore*, cum l. *Sep.*, ff. *Loc.*, et infra dicetur.

Hujusmodi decretum, aliquando datur clarioribus, et pinguioribus verbis, nempe : *Dummodò locatio hujusmodi, justo pretio, et citra anticipatam solutionem facta fuerit, et quòd finitâ tertiâ generatione, omnia, et singula bona, sub locatione hujusmodi comprehensa, cum juribus et pertinentiis suis universis, necnon quibusvis melioramentis, desuper pro tempore quomodòlibet factis, ad dictam ecclesiam pleno jure, et omninò revertantur, illique liberè cedant : absque eo quòd conductor, ejusque filii, hæredes et successores, consanguinei, vel affines, aut alii quicumque, jus renovationis dictæ locationis, quovis prætextu, ex quâcumque causâ petere, vel prætendere possint*, prout docet etiam Quaranta in Summâ Bullarii in d. verbo *Alienatio*, sub n. 19, vers. *Et quando*, etc. Quod quidem decretum dicunt antiqui curiales, fuisse aliàs ita per Clementem VIII, suâ propriâ manu primò extensum in calce supplicationis : quod tamen non vidi inter notabilia Bernardini Paulini, illius datarii.

A tempore autem supradicti Pii V, usque ad tempus Gregorii XIII, hoc decretum sub aliâ formâ, non ita pingui dabatur, sed in hujusmodi litteris dicebatur : *Volumus autem, quòd finitâ dictâ locatione, melioramenta omnia, quæ eâ durante, in dicto terræ petio facta fuerint, eidem ecclesiæ liberè cedant.*

Aliàs enim, si supra dictum, vel aliud simile decretum non apponeretur in his litteris apostolicis, lites, et dissentiones insurgerent inter rectorem et emphyteutam, sive conductorem ; ex eo, quòd impensæ, et melioramenta, quæ fiunt in rebus Ecclesiæ per emptorem, conductorem emphyteutam, colonum, feudatarium, vasallum, aut alium qui aliquo modo rem ab Ecclesiâ obtinuit, quæ faciunt rem majoris valoris et prætii, quàm fuit tempore concessionis, non debent esse sine aliquâ consideratione, cùm ut plurimùm, facta sint cum magnâ impensâ, industriâ et labore ; ac propterea finitâ, vel deficiente tertiâ generatione aut alio statuto tempore completo, emphyteuta, seu conductor, amittere illa non debet, Bald. in l. *Senatus*, § *Marcellus*, ff. de Leg. 1, Dec. cons. 118, num. 1 et 2. Jul. Clar. in § *Emphyteusis*, q. 45, ubi dicit hoc sibi locum vindicare tam in emphyteutâ ecclesiæ quàm privati, allegans eumdem Bald. in d. § *Marcellus*, et subdit, in vers. *Adde*, quòd hujusmodi melioramenta non solùm debentur ipsi emphyteutæ, si vivit, sed etiam ejus filiis et descendentibus, tam masculis quàm feminis, quinimò, etiam hæredibus extraneis.

§ Et sic, cùm Papa nolit quòd res ita alienata diutiùs maneat in posse alterius, vult illam ad ipsam Ecclesiam reverti, vigore supra dicti decreti, cui omninò standum erit, si velint partes hoc rescripto apostolico uti, cujus virtus est ut nullus, finitâ dictâ lineâ, possit prætendere renovationem investituræ.

Idemque pariter decretum adjicitur in confessionibus quæ ad vitam tantùm fiunt ; in quo dicitur etiam : *Volumus autem quòd prædicto N. vitâ functo, prædicta bona sibi, ut præfertur concessa, unà cum omnibus juribus et pertinentiis suis, necnon quibusvis melioramentis desuper quomodòlibet factis*, etc.

Cum omnibus melioratiobus. — Per hanc etiam clausulam in hujusmodi decreto appositam, magis præmissa declarantur, quandoquidem, de jure, emphyteusi finitâ, sine culpâ emphyteutæ, scilicet, finitâ generatione expressâ, hujusmodi melioramenta debentur ipsius emphyteutæ hæredibus, et successoribus, Dec. cons. 318, n. 1 et seq. ; quod quidem vindicat sibi locum etiam in istâ emphyteusi ab Ecclesiâ pro se suisque hæredibus concessâ ; quia etiam si decedat emphyteuta sine descendentibus, adeò quòd emphyteusis sit ad ecclesiam devoluta, debent reffici melioramenta extantia tempore devolutionis, respicientia perpetuam meliorationem rei emphyteuticæ.

Et licèt hujusmodi pactum non fuerit in instrumento hujusmodi concessionis adjectum, nunquàm tamen tale decretum omittitur ab officialibus datariæ in ipsâ supplicatione ; licèt, jure communi inspecto, potuisset illud in ipso instrumento apponi, quia, quando esset conventum, quòd finitâ generatione, res libera cum omnibus melioramentis revertatur ad dominum directum ; ex quo, tunc melioramenta censentur pars rei, et non possunt distrahi vel amoveri, quia nec possunt repeti, Menoch., de Recuper. possess., remed. 15, num. 504 ; Gabr., cons. 168, q. 16, num. 88 : nam, ut ait Bart. in l. *Jubemus*, § *Fin.*, c. de sacros. Eccles., valet pactum quòd melioramenta devolvantur ad dominum directum in omni casu devolutionis, quia ipsa melioramenta dicuntur connexa bonis ; et de eis judicatur prout de ipsis bonis, id. Bart. in l. *In simili*, ff. de Alim. et Cibar. legat., Tusc. in suis Conclus., tom. 3, concl. 225, n. 20, cum seqq.

Imò, ex vi præsentis decreti statim quòd melioramenta fiunt ipsi petio terræ, seu prædio, et ecclesiis, sunt ad utilitatem ejusdem ecclesiæ incorporata ex mente ipsius Papæ concedentis hanc licentiam, cum præinserto decreto ; ac propterea non est ab hoc recedendum, quia, cùm Papa consentiat dictæ locationi, illamque faciendi licentiam tribuat, seu jam factam confirmet, sub illo decreto et conditione quòd melioramenta quæcumque cedant Ecclesiæ, et

primò investitus sub eodem decreto illam acceptaverit, locatione cursu temporis finitâ, non possunt successores in locatione minimè comprehensi factum primi investiti impugnare, ut per Bald. in tit. *Qui success. feud.*, n. 1, super feud., Leon. in thes. for. Eccl., part. 4, c. 1, n. 25 et 26.

QUOMODOLIBET FACTIS.—Vigore hujus decreti intelligitur devolutionem solùm de ordinariis meliorationibus quas emphyteuta facere tenetur, puta cum solitis impensis, quæ respiciunt consuetam rei concessæ alienationem; verùm etiam de illis in quibus magnæ impensæ extraordinariæ factæ fuerint; totum enim hoc denotat illa dictio, *quomodòlibet*, quæ omnem modum includit, c. *Indemnitatibus*, § *Si qua verò*, c. *Un.*, § *Præsenti*, de Cler. ægrot. in 6; Paris., de Resig. benef., l. 9, q. 25, n. 50. Nec propterea posset conqueri emphyteuta, cùm jam consenserit contractui sub isto decreto, apposito in supra dictis litteris, sine quo summus Pontifex hujusmodi litteras non concessisset, ac propterea cessat hìc illa ratio, videlicet quòd pactum non debeat intelligi, ut alteri ex contrahentibus sit nimiùm onerosum; quòdque eo casu magis toleretur, ut non valeat, per text. in l. 3, § *Si quis insulam*, et ibi Fulgos., de eo quod cert. loc. et not.; Jas. ibidem, et in l. 2, n. 1, eod. tit., et in l. *Quoties*, n. 3, in fin. de verb. Oblig.

Ac propterea non potest emphyteuta, seu conductor, sive ejus hæredes aliquid sibi retinere pro melioratìonibus factis; sed sine aliquâ diminutione bona reddenda sunt Ecclesiæ cum ipsâ re, c. 1, ubi Joan. Andr. et Gemin., de Regular. in 6. Imò totum id deduci potest in pactum quod valere et adimpleri debet, dicit Bart. in l. *Jubemus nulli*, § *Sanè*, de sac. Eccles., ubi dicit se habuisse quæstionem de facto, cùm quædam ecclesia concessisset aream in emphyteusim, cum hoc quòd ibi fieri deberet ædificium; et quòd finitâ generatione concessionis, area simul cum ædificio transiret ad ecclesiam; hoc pactum valuit, Redoan., quæst. 72, cap. 3, num. 5, quia contractus à conventione partium legem accipiunt, l. 1, § *Si convenerit*, ff. Depos., et similiter, quando per decretum prohibetur melioramentorum deductio, quia contra decretum Papæ meliorameuta deduci non possunt, cap. 2, et ibi Clos. in verbo *Principi*, de Major. et Obed., Leo. in Thes. for. Eccles., part. 4, cap. 1, num. 29.

PLENO JURE.—Nempe in proprietate, possessione et usufructu; nam ita dicit intelligi hæc verba Card. Tusc. pract. Conclus., tom. 2, litterâ D, conclus. 331.

REVERTATUR.—Etiam jure communi inspecto, emphyteusis concessa ab Ecclesiâ vel alio ad certam generationem, finitâ generatione ipsâ, revertitur ad dominum, ipso jure, absque aliâ sententiâ vel declaratione, Castr., cons. 68, circa med., vers *Similiter etiam*, ubi arguendo ait quòd concessio facta usque ad certum tempus, vel certam generationem censetur finita, et negata post illud tempus et illam generationem, id. Tusc., tom. 3, conclus. 215, litterâ E, et clariùs declaratur per hoc decretum summi Pontificis: quare, cùm res alienata, post finitum tempus concessionis, sit ad Ecclesiam reversura, optimum erit ut tempore concessionis ipsi commissarii redigi faciant in scriptis omnes qualitates ac quantitatem necnon circumstantias ipsius rei, ad hoc ut quando ad ipsam Ecclesiam revertetur, sciri possit an sit meliorata, deteriorata, vel occupata à confinibus; quæ omnia fieri debent etiam per ipsos agrimensores et appretiatores cum eodem juramento, ut docet Quarant. in d. verbo *Alienatio*, sub n. 14, vers. *Quartò post decretum*.

Hìc etiam in praxi videamus, in hujusmodi terræ pretium, ad dictam ecclesiam reversum, finitâ tertiâ generatione, vel post aliud tempus possit denuò absque aliâ solemnitate alienari, seu alias concedi? Hic est unus ex casibus in principio hujus sermonis expressis, nempe cùm bona fuerint solita ab antiquo in emphyteusim dari. Et pro resolutione dicendum est priùs quòd, sicut antea diximus, dicta bona, sic reversa, possunt absque solemnitate, scilicet assensu apostolico, in evidentem utilitatem ecclesiæ alienari, quando præcesserunt duæ locationes, cum cursu temporis quadraginta annorum; aut una tantùm locatio solemniter facta; et hæc est communis DD. opinio in praxi recepta, de quâ testatur Jas., cons. 115, in princip., vers. *Dicitur autem*; Ruin., cons. 35, sub num. 30, lib. 1, nempe quando constat quòd res semel fuit licitè et solemniter infeudata, puta auctoritate Papæ, quòdque intervenerint alia requisita in hujusmodi alienationibus, Redoan., q. 65, num. 10.

Quod tamen intelligas ita fieri posse quando bona hujusmodi non sunt ex aliâ causâ ad dictam ecclesiam reversa, ejusque patrimonio incorporata; vel nisi alteratio fieret in novis pactis illi adjectis, quia tunc diceretur: Novus contractus tanquàm talis non potest evadere novas solemnitates; ita Quarant., verb. *Alienatio*, sub num. 4, vers. *Conclusionem hanc*, et colligitur ex c. 2 de Feud.; quod ita communiter à DD. interpretatur, Soccin., cons. 169, num. 9, lib. 2.

Ratio autem hujus rei ea est quia hoc modo non dicitur alienare qui alienationem veterem invenit, eamque confirmat, etiamsi in alteram personam transferat, per text. in l. 1, § *Permittitur*, ff. de Aq. quot.; nam cùm bona fuerint solita concedi in emphyteusim, sunt exclusa à generali prohibitione hujus Extravag. *Ambitiosæ*; ac propterea illorum nova concessio non dicitur alienatio, sed potiùs executio antiquæ alienationis, ut per DD. in d. c. 2, de Feud.; nam, quando res fuit alienata cum debitis solemnitatibus, videtur ex tunc statutum et ordinatum, quasi in vim primæ alienationis, quòd de cætero possit res illa alienari, Rot., decis. 360, num. 12, part. 1, Divers. Unde nihil novi facit prælatus titulum concedens, ut per Feder., de Sen., cons. 173; et dummodò ista nova concessio fiat non tantùm eisdem modo et formâ, quibus supra, verùm etiam quòd non valeat, si priùs fuit facta personis privatis, et modò secundâ vice communitati, vel potentibus, vel militibus, aut Ecclesiæ vel ecclesiasticis personis; ita consuluit Alex., consil. 9, Quæst., vol. 3.

Hoc tamen hodiè non habet locum in civitatibus et

locis S. R. E. devolutis et devolvendis, quia non possunt ampliùs alienari, concedi aut infeudari de novo per constitutionem Pii V, et per aliam sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII.

Hoc insuper circa hoc advertit id. Quarant. d. num. 4, nempe quòd quotiescumque cessaret causa primæ concessionis, et rebus non sic stantibus, non posset dari pro eodem canone seu pretio, quando plus fuerit oblatum, vel factâ diligenti inquisitione plus reperiri potuisset, propter verisimilem spem majoris perceptionis, quia, licèt causa finalis concedendæ emphyteusis sit melioratio, tamen hoc ipsum beneficium melioralionis nunquàm sentiret ecclesia, quia semper prælatus rem melioratam daret, vel relocaret amico vel consanguineo, pro eodem antiquo pretio, Cæsar de Grass., dec. 135, num. 14, hoc tit.

Sed quia diximus supra hoc sibi locum vindicare quando bona sic reversa non fuerint ecclesiæ incorporata, propterea notandum erit omnia præmissa cessare, cùm rector seu prælatus bona prædicta expressè describi facit inter bona mensæ seu ecclesiæ, vel saltem quòd supra dictus rector per multum tempus collegerit fructus ipsius rei, prout solet facere de aliis bonis incorporatis, Jul. Clar., in § *Feudum*, q. 15, vers. *Nunc pro intelligentiâ;* tunc enim suâ primâ naturâ amissâ, novam assumpserunt, id. Quarant. sub d. num. 4, Crescent., dec. 1, hoc titulo, num. 4.

Illique liberè cedat.— Quæ quidem dictio, *liberè*, hìc importat præcisam ac totalem libertatem, Aym. cons. 122, num. 5; Ruin., cons. 18, num. 6, etiam contradicentibus quibuscumque; unde in eventum quòd emphyteuta, seu conductor negaverit restituere rem conductam, finitâ locatione, potest eum rector propriâ auctoritate expellere, per ea quæ dicit Jas., in l. 2, vers. *Quartò et ultimò;* necnon prædictum terræ pretium, aut quamcumque rem, stantibus verbis prædictis, incorporare eidem ecclesiæ, Menoch., de Arbitr., lib. 1, q. 7, num. 36, absque aliquo decreto judicis, sed ex merâ voluntate, et nemine vocato, seu requisito, Glos., in c. *Cùm plures*, verbo *Liberè*, de Off. deleg., in 6.

Absque eo quod renovatio locationis hujusmodi, etc.— Quia, ut supra dicimus, apertissimi juris est, quòd finitâ generatione, pro quâ locatio concessa fuit, tenetur dominus directus sive ecclesia, illam hæredibus et descendentibus accipientis renovare, Bart., in l. 1, § *Permittitur*, ff. de Aqu. quot.; Mant., de Tacit. et Ambig., tom. 2, l. 22, tit. 53, num. 1; nam post finitam ipsam generationem, in emphyteusi præcipuum est prædictis competere dictum jus renovandi; alioquin, si eâ finitâ, dominus deneget hujusmodi renovationem, datur appellatio ab hujusmodi denegatione, quia hæredes, seu descendentes emphyteutæ gravantur et injuriâ afficiuntur; ac propterea judex appellationis debet compellere ipsum dominum ad renovandum eis investituram, juxta notabilem doctrinam, Bart. in l. *Si mihi et Titio*, ff. de verb. Oblig., nisi tamen ipsâ emphyteusi finitâ, voluerit dominus pro se retinere; tunc enim non cogitur ad renovandum ipsam emphyteusim, per ea quæ affert Genuens. in suâ Praxi, cap. 81; propterea hoc decretum apponitur per Papam in quibuscumque aliis locationibus, sive ad longum sive ad breve tempus factis, ut dictum est, nisi tamen in aliquibus locis tale adsit statutum, quòd res ecclesiæ, finitâ locatione ab antiquis colonis, debeat relocari proximioribus conductoris, seu emphyteutæ, prout statutum hujusmodi esse fertur in captivitate Beneventanâ, à Sixto V confirmatum.

A quoquam, quovis prætextu, etc., vel ex quavis causa peti, aut prætendi possit. — Hoc verbum hìc maximè operatur, cùm sit admodùm universale Clem. 1, et ibi Glos., verbo *Quovis modo*, eod. tit., et redditur nullum quodcumque aliud pactum quod fortè inter rectorem et emphyteutam fuerit initium. Quod quidem decretum, sicut omnes curiales sciunt, apponitur etiam in locationibus pro minori tempore, ut dictum est, puta ad decem vel novem annos; et tunc etiam aliud decretum additur, nempe: *Et dummodò locatio hujusmodi justo pretio fiat, et illius solutio non anticipetur.* Id verò servatur ad præscriptum concilii Trid., sess. 25, c. 11, de Reform.; unde rarò aut cum maximâ difficultate Papa solet suum assensum præstare in alienationibus bonorum, sive fructuum, quæ petuntur fieri anticipatis solutionibus, licèt quandoque videamus has concessiones ad tres annos tantùm quoad dictam anticipationem; quo casu additur decretum in supplicatione, quòd si orator interim moriatur, tertia pars fructuum remaneat pro successoribus.

Unde non est contemnenda cautela quam tradit id. Redoan., quæst. 57, num. 62, ubi dat consilium quomodò possunt negotiatores sibi providere, quando rem ecclesiæ anticipatâ solutione conducunt.

Hinc est quòd dataria apostolica semper ferè rejicit supplicationes, cum mentione anticipatæ solutionis; et hoc, ob maximum præjudicium, quod propterea infertur successoribus: et hâc ratione supra dictum concilium, ita sanctissimè statuit loc. cit., cui quidem decreto, tunc temporis causam dedit quidam Ambrosius Catharinus, episcopus Minoren., qui in ipso concilio intervenit, et dum in eo tractaretur de residentiæ decreto faciendo, ut in sess. 6, c. 1, de Reform., ipse exclamavit se non posse residere in ecclesiâ suâ Minoren. quia ab eâ suus prædecessor, locando redditus, omnes fructus anticipatis solutionibus abstulerat, ut refert id. Redoan, d. q. 57, n. 63, in fin.

Et cùm aliàs Cynthius Clemens monachâsset quamdam ejus filiam, contraxissetque æs alienum, usque ad summam scutorum duorum millium ad effectum illud exstinguendi, obtinuit ab Urbano VIII, facultatem locandi fructus quinque beneficiorum, quæ obtinebat, per hæc verba: *Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut pro exstinguendo duntaxat ære alieno scutorum duorum millium hujusmodi per te contracto, omnia et singula fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta ecclesiarum, et beneficiorum prædictorum, per te, vel procuratorem tuum infra sex menses proximos,*

uni vel pluribus personis, meliorem conditionem offerentibus, pro justo tamen, et rationabili pretio, unà vel pluribus vicibus locare, arrendare, seu ad annuam, vel aliam pensionem concedere ; necnon fructus, et redditus hujusmodi eisdem, qui pecuniam tibi crediderint pro dictâ summâ duntaxat obligare et hypothecare, vel in solutum, seu aliàs dare, prout in unâ Romanâ supervirentiæ, coram Dunozetto, 2 maii 1633, penès Rub., decis, 200.

Et pro nullitate dictæ gratiæ plura fuerunt opposita per successores in dictis beneficiis, post obitum dicti Cynthii, et inter cætera, quia apparebat debita fuisse contracta ex præcisâ causâ monachationis, et sic successores prædicti non tenebantur stare dictæ locationi fructuum, Innoc. in cap. *Ad hæc*, de Solut.; Menoch., de Arbitr., lib. 2, centur. 5, casu 432, num. 18 ; Navar., de Spol. cleric., § 10, num. 6, necnon quia non fuerunt adhibitæ solemnitates adhibendæ in locatione, quæ juxta formam brevis, debebant fieri justo, et rationabili pretio, de quo debuerat constare, prævià affixione edictorum pro inveniendo majore oblatore in loco beneficii ; præterea et signanter quia dicta locatio debuerat fieri intra sex menses proximos ; quod intelligitur à die datæ brevis, juxta regulam text. in cap. *Eam, te*, de Rescrip. in 6 ; Oldrad., cons. 56, num. 1 et 2, et isto lapso tempore, fuit consumpta facultas, et non poterat devenire ad novam locationem in præjudicium titularis ; quia adjectio temporis, in similibus taxativè, Archid. in c. *Si propter tua debita*, ex num. 7, de Rescript., et absurdum erat, quòd creditores potuissent, differendo usum gratiæ pro suo arbitrio, prorogare onus servitutis beneficii, ex Joan. Andr. in Add. ad Specul. super rubr. de Cler. non resid. -

Ecce igitur quæ sequuntur ex hujusmodi fructuum locationibus anticipatis solutionibus, quod quidem satis perpensum est per sacrum concilium Trid. d. sess. 24, c. 11, de Reform., ubi ait, *magnam ecclesiis perniciem afferre solet, cùm earum bona repræsentata pecuniâ, in successorum præjudicium, aliis locantur : omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenùs in præjudicium successorum, validæ intelligantur, quocumque indulto, aut privilegio non obstante ; nec hujusmodi locationes in Romanâ Curiâ vel extra eam confirmentur.* Nihilominùs verò summus Pontifex, qui in beneficialibus habet plenissimam potestatem, non obstante dicto concilio, adversùs cujus decreto ad suî libitum disponit, necnon aliis præmissis, suadentibus urgentioribus causis quandoque hanc licentiam concedit, non tamen sine maximis favoribus, ac pro personis sibi gratis et acceptis.

Verum est tamen quòd pro cautelâ, cauti negotiatores, qui prævident et prospiciunt casum mortis, sibi provident, quando alicui prælato locanti prædia, vel res ecclesiasticas, censum vel pretium locationis anticipatè pro multis annuis, vel pro aliquo tempore, solvunt et exbursant, procurant, quod prælatus confirmari faciat contractum celebratum, à Papâ, qui solet inseri cum clausulis, vel saltem substantialiter, factâ mentione in specie de anticipatâ solutione, in brevi Papæ desuper expedito ; quâ confirmatione obtentâ, sunt cauti, quia Papa pro tali anticipata solutione obligat ecclesiam, et quemcumque in illâ successorem ; quo casu obligatur successor, qui contractui stare tenetur, etiamsi prædecessor alienaverit omnes fructus integros prælaturæ, vel beneficii, ita idem Redoan., loc. cit., num. 62, subdens ibi, quòd ipse vidit episcopum non potuisse residere in episcopatu ; quia propter alienationem fructuum factam per prædecessorem suum anticipatâ solutione pro duobus annis auctoritate Papæ confirmatam, non habebat unde viveret ; unde fuit coactus pro subvenimento habere recursum ad Pium IV, et Sedem Apostolicam.

Unde non abs re summus Pontifex, nedùm prohibuit alienationem bonorum beneficii ultra triennium, verùm etiam illorum fructus, etiam anticipatis solutionibus ut supra, quia eidem judicandum est de fructibus bonorum Ecclesiæ, quoad de ipsis fructibus, c. *Si annum*, et ibi Glos. de Jud. in 6, cùm ipsi dicantur pars fundi l. *Fructus*, ff. de Rei vend., l. *In re*, ff. *Comm. divid.*; Zabar., cons. 146, num. 1; Roman., cons. 309, num. 3, sintque ipsi fructus obligati pro necessitatibus ecclesiæ et pauperum, sicut ipsamet bona, ut dixi hoc l., c. 1, n. 3, et propterea, sicut bona ecclesiæ non possunt ultra triennium, ut dictum est, locari, ita nec fructus, Garc., de Benefic., p. 2, c. 1, n. 36, prout in unâ Commen. locationum coram Pamphilio, quam ipse refert loc. cit.

In facultatibus autem alienandi bona ecclesiæ litigiosa, additur quòd, finitâ hujusmodi generatione, dictum terræ petium, cum omnibus in eis factis melioramentis, absque aliquâ refectione expensarum litis, aut melioramentorum dictæ ecclesiæ liberè cedat, t quoad dispositionem, super vitio litigiosi sine præjudicio jurium, parti collitiganti competentium.

In concessionibus verò perpetuis, additur quandoque hoc decretum in datariâ, quod videlicet, emphyteuta, seu conductor, ratione hujus concessionis, singulis quindecim annis solitum laudemium rectori pro tempore existenti, solvere omninò teneatur ; ac etiam singulis viginti novem annis renovatio concessionis hujusmodi fiat : hoc forsan ad excludendam quantùm fieri potest, perpetuam concessionem rerum ecclesiæ, quæ quidem concessio, cùm renovetur singulis viginti novem annis, dici non poterit perpetua, ut aliàs diximus ; his præterea in dicto decreto additis, videlicet : *Et inprimis, et ante omnia, præsentis, et postquàm facta fuerint instrumenta singularum renovationum, ut supra faciendarum in actis curiæ archiepiscopalis registrari ; et antequàm confirmationis, seu licentiæ alienationis hujusmodi feratur sententia, monumentum lapideum, seriem facti denotans, in aliquâ dictæ terræ petii eisdem commissariis benevisâ parte, apponi omninò debeat ; alioquin præsens gratia, ac inde secuta quæcumque nulla sint eo ipso.* Inscriptiò autem in dicto lapide, juxta casum perpetuæ concessionis, talis esse poterit, videlicet : *Territorium modiorum tot, ad ecclesiam S. N. legitimè spectans, anno*, etc., *Apostolicî auctoritate servatis servandis, ac vòcatis vocandis per judices delegatos N. in emphyteusim perpetuam singulis viginti novem annis renovandam, sub annuo canone*

ducatorum tot, monetæ Neapolitanæ, singulis annis in die, etc., *solvendorum, concessum, laudemioque itidem quindenniali pro eodem rectore, adjecto; prout omnia apparent ex processu in archivio curiæ archiepis. Neapolit., anno*, etc., *die*, etc.

Idem pariter servari vidimus in praxi in eâdem curiâ, quando petitur concessio rei transeuntis ad manus mortuas, cum expressione, videlicet solutionis laudemii; quod licèt de jure ita procedat, nihilominùs ad exuberantiam adjicitur, etiam in litteris: manus autem mortua dicitur ecclesia, civitas, collegium, sive aliud quodcumque corpus ecclesiasticum, vel seculare, quod nunquàm, aut rarò solet deficere, et idcò inter alias interpretationes, dicitur manus mortua, quòd sicut morientis hominis manus, id quod comprehendit, firmissimè tenet, neque facilè remittit, sic etiam quidquid universitas, sive corpus hujusmodi semel acquirit, et in potestatem suam, quasi in manum accipit, tenaciter retinet, et non nisi cum magnâ difficultate in commune hominum commercium postea remittit, ut dixit Rota, penès Farinac., p. 1, tom. 1, decis. 603, num. 3.

CAPUT IX.

Praxis venditionis In evidentem, etc.

Prædicta autem sufficere possunt quoad praxim concessionum in emphyteusim, seu aliarum quarumcumque, tam ad tempus, quàm in perpetuum. In venditione autem rerum ipsius ecclesiæ, præcipuè, terrarum et possessionum incultarum et sterilium, aut domorum, ruinam minantium, seu aliàs inutilium, nunquàm ferè admittitur supplicatio, nisi in eâ dicatur quod pretium ex tali venditione proveniendum, convertetur in emptionem aliorum bonorum stabilium magis ipsi ecclesiæ utilium; ac etiam in evidentem illius utilitatem, juxta text. in auth. *Item prædium*, c. de sacros. Eccles., et propterea ut appareat evidenter ipsa utilitas, oportet etiam exprimere valorem in proprietate rei vendendæ, ac illius annuum redditum, eo modo, quo supra diximus: ac insuper exprimendum erit, quantùm percipietur annuatim ex bonis ita emendis, quæ debent regulariter priùs reperiri, antequàm petatur beneplacitum apostolicum, ac etiam specificari. Quibus sic in dictâ supplicatione expressis, additur per dominos officiales, hoc decretum. *Et dummodò venditio, et pretii conversio, unico contextu fiant:* quod quidem ad hoc additum putamus, ut multis obvietur fraudibus; ac propterea pretium est re investiendum in bonis stabilibus, non autem in censibus, aut aliis introitibus, etiamsi fuerint loca montium non vacabilium de Urbe, quæ, inter stabilia nequeunt connumerari, ac proinde tuta non sunt, et facillimè rectores ea malitiosè distraherent in damnum ecclesiæ; licèt quoad dicta loca montium non vacabilium contentetur aliquando summus Pontifex, donec bona stabilia emenda reperiantur, ut infra dicetur. Quare hujusmodi decretum ita operatur, ut nulla mora, inter utrumque, admittatur; cùm illud intelligatur, nullo alio actu interposito, ut sentit text. in l. *Cùm antiquitas*, c. de Testam., quia factum diversis temporibus, non valet, quod unico contextu fieri debet, leg. *Hâc consultissimâ*, eodem tit., l. *Continuus*, ff. de Verb. obligat., Specul. in titulo *De his quæ fiunt à præl.*, num. 3, Paris., consil. 159, num. 16, volum. 4. Hoc enim præcipit Papa, ne pecunia supra dicti pretii remaneat otiosa, cum periculo illius diminutionis; vel eam in alios usus minùs utiles applicandi: quia dictum pretium debet succedere in locum rei alienandæ, Abb. in cap. 1. *De his quæ fiunt à præl.* Tunc enim dicitur conversio facta in utilitatem ecclesiæ, quando pretium rei venditæ convertitur in rem ecclesiæ duraturam, nempè in emptionem alicujus rei, seu in ædificium, vel aliam rem, per text. in l. 1, ff. de Impens. in reb. dot., Genuen. in Praxi, cap. 89, num. 7, circa med., ac propterea debent ipsi commissarii ad id delegati, omnem adhibere diligentiam circa hujus pretii conversionem, nec antea possunt procedere ad executionem litterarum; quod satis ostendit illa dictio, dummodò, quæ, cùm hic jungatur rei imperfectæ, in fururum faciendæ, inducit conditionem, cap. *Ut præteritæ*, de Elect.; Mar. Ant., Var. resol., lib. 2, resol. 31, num. 3, ac propterea, non sufficit illud fuisse versum in aliam emptionem, ut supra dictum est; quamvis id appareat per publicas scripturas confectas super confessione ipsius rectoris; nisi constet per instrumentum desuper confectum, et per commissarios supra dictos confirmatum; aliàs enim de facili, et improvidè posset prælatus, seu rector prodigus, confiteri pecuniam versam esse, quæ non esset versa, juxta text. in leg. *Jubemus*, § *Scientes*, c. de Sacros Eccles. Unde dixit Guido Papa, q. 151, quòd, si in instrumento alienationis dicatur quòd illa sit facta causâ utilitatis ecclesiæ, tamen id non præsumitur, nisi aliter probetur.

Cùm enim in proposito petitur à Papâ licentia vendendi bona ecclesiæ, præsupponitur, quod jam beneficiatus repererit priùs alia bona emenda in utilitatem ecclesiæ, quod si illa consistant in diversis membris, seu pretiis terrarum, non poterit quidem hujusmodi emptio fieri diversis temporibus, cum totum id debeat fieri simul et semel, tanquàm unicus actus, unico contextu explicandus Bald., in l. *Petens*, num. 59, vers. *Et ideo*, c. de Pact.; Aym., cons. 298, num. 13, et cons. 356, num. 1; Rota, decis. 932, num. 9, p. 5, recent., et in propriis terminis declarat Marches., p. 1, c. 2, num. 116 et seq., fol. 61, dicens quòd in hoc casu signatura solita fuit, et est, antequàm commissionem *Si in evidentem*, concedat, scire, an bona emenda, sive subroganda, sint reperta, et quatenùs reperta, ultra clausulam *Si in evidentem*, ut multis obvietur fraudibus aliam clausulam restrictivam addere solet nempe *Dummodò eodem contextu fiat;* id est, venditio bonorum ecclesiæ, et reinvestitio pecuniarum in aliis stabilibus subrogandarum, loco venditarum; ex quâ obviatur, ne interim pecuniæ ex re venditâ, receptæ conterantur, et per consequens Ecclesia careat re et pretio.

Cessant tamen præmissa extra casum supra dictum,

quoad emptorem rei ecclesiæ; qui non tenetur prolare pecuniam versam in utilitatem; cùm id nullo jure caveatur, sed tantùm tenetur in mutuo, deposito, vel quando res Ecclesiæ venditur pro solvendis illius debitis; quia stante beneplacito Papæ in dictâ alienatione, si in eâ adsit clausula, quod emptor faciat depositum, ut in casibus infra scriptis, pro faciendâ emptione aliarum rerum, satis est, ipsum emptorem facere depositum: nec compellitur ad probandum emptionem aliarum rerum, Genuen., cap. 89, n. 7.

Est tamen hìc notandum circa supra dicta verba *Dummodò venditio, et pretii conversio unico contextu fiant*, quòd sicut pœnæ Paulinæ non habent locum ubi necessitas alienandi urget cum celeritate causæ, ita ut possit fieri alienatio ubi superioris auctoritas requiri nequeat, ita etiam si stante etiam dictâ clausulâ *Dummodò*, etc., pecunia rei venditæ ex causâ etiam urgentis necessitatis, veluti, pro alimentis non possit converti in emptionem aliorum bonorum, puta cùm monasterium vendit, et pecuniam erogat in necessariam monachorum alimoniam, quorum necessitatibus non potest aliunde succurri, ut per Abb., in c. fin., n. 8, de Eccles. ædif.; Card. in Clem. 2, q. 12, de relig. Dom.; Quar. in Sum. Bullar., verbo *Alienatio*, num. 42 et 50, poterit superior monasterii pecuniam prædictam impendere in prædictorum monachorum necessariam sustentationem, cùm venter non patiatur dilationem, et fames sit acutissimus gladius, ut inquit Bald. in l. *Tale pactum*, c. de Collat., relatus per Surd., de Alim., tit. 1, q. 44, v. 36, ac postmodùm ex primis pecuniis perveniendis facere investimentum servatâ formâ rescripti *Si in evidentem;* quia propter hoc pretii conversio non aufertur, sed differtur ex justâ causâ, scilicet alendi monachos, ac etiam pro aliis necessitatibus religionis, sive monasterii, quæ celeritatem desiderant, et moram non patiuntur; quia pœna nunquàm censetur inflicta facienti actum ex necessitate; nam, illa semper censetur exclusa in quâcumque prohibitione sive legis, sive hominis, sive statuti, id. Surd., tit. 9, q. 22, n. 12, et seq., cùm hoc debeat intelligi de possibilibus, non autem in casu necessitatis, quæ nullam habet legem, maximè in materiâ alimentorum, in quibus nulla major necessitas potest considerari quàm famis, l. *Quæ propter necessitatem*, ff. de Reg. jur.; Bald., cons. 406, lib. 5, namque hoc modò non dicitur contravenire legi; ex eo quòd una necessitas facit cessare aliam necessitatem, emendi videlicet alia bona, Molin., de Just. et Jur., tr. 2, disp. 224, col. 5, in fin., cum aliis hìc, et in proposito congestis per Grat. Discep., foren., tom. 5, cap. 931, per tot.

Solet quandoque summus Pontifex concedere licentiam vendendi, seu venditionis confirmationem, absque eo, quòd bona emenda, et ut supra subroganda in utilitatem ecclesiæ, fuerint priùs reperta tempore porrectionis supplicationis; in quâ simpliciter petitur, quòd pretium converti possit in emptionem tot bonorum stabilium; et tunc illam concedit cum decreto: *Quod non priùs procedatur ad venditionem, quàm inventa sint alia bona stabilia; in quorum emptionem idem pretium convertatur unico contextu;* quod in substantiâ, idem est cum priori decreto; sed tantùm id operatur, ut non retardatur expeditio litterarum, aut aliàs ex gratiâ particulari.

Quoniam verò duobus modis aliquid dicitur converti in utilitatem ecclesiæ, primò, quando tantummodò convertitur in rem ecclesiæ, etiam in posterum duraturam, veluti in emptionem alicujus rei; secundò, quando non convertitur in utilitatem perpetuam, sed tantummodò temporalem, puta pro colendis agris, et reparandis domibus non necessariis, aliàs tamen utilibus, et majoris utilitatis quàm res vendenda; quia res ecclesiæ pro utilioribus benè possint alienari, cap. *Ut super*, hoc tit.; Redoan., q. 20, num. 61, cum seq. Propterea, cùm petitur licentia vendendi bona ecclesiæ, puta pro illius ædificiis reparandis, et in quibuscumque casibus, in quibus pecunia non reinvestitur in emptionem aliorum bonorum, datur aliud decretum, videlicet: *Et quod factâ venditione, pecuniæ ex eâ provenientes, deponantur penes ædem sacram, aut personam fide, et facultatibus idoneam; donec in reparationem et refectionem, ædificiorum hujusmodi quantocitiùs convertantur;* quod quidem decretum videtur desumptum ex l. *Acceptum*, c. de Usur.

Est autem sciendum in praxi, quod semper in his casibus, scilicet, quando agitur de convertendo pretio in reædificationem aut reparationem alicujus rei, cum maximâ difficultate, et rarò, conceditur hæc facultas; et non aliter quàm priùs proponatur in signaturâ (nisi parvitas materiæ aliud suadeat) quia semper summus Pontifex, quoad fieri potest, abstinere solet ab hujusmodi concessionibus, propter periculum diminutionis dotis ecclesiæ, juxta text. in cap. *Nulli liceat*, cap. *Qui abstulerit*, et cap. *Videntes*, 12, q. 2.

Et ob supra dictam rationem, aliquando præscribitur in supplicatione, tempus ad hujusmodi reparationem faciendam, si ita D. datario visum fuerit, videlicet: *Dummodò reparatio saltem infra annum à datâ præsentium computandum omninò fieri debet, alias irritum*, etc.

Pro solutione debitorum ecclesiæ, conceditur passim licentia vendendi bona minus utilia: sed oportet, ut in supplicatione (quatenùs ita sit) narretur quòd aliunde satisfieri non possit, nisi per ipsam venditionem; quia bona ecclesiæ alienari non possunt, quando pro debitis adsunt fructus, ex quibus possit illis satisfieri; aliàs enim non probaretur utilitas ecclesiæ, nam ut id. Genuen. in suâ Praxi Archiep., cap. 89, num. 4, non possunt bona ecclesiæ alienari, quando adsunt fructus pro satisfactione: quia, licèt prælatus, seu rector possit fructus ecclesiæ pro se retinere, hoc procedit, quando non subest necessitas alienandi; et sic debet ex ipsis fructibus providere, non autem bona ipsa alienare, ex Glos., in cap. 1, verbo *Defensore*, de Reb. eccles. non alien., in 6, et ibi etiam refert in proposito plures Rotæ Romanæ decisiones.

Ac propterea in hujusmodi venditionibus videmus etiam in praxi receptum, quod in casu, quo sint de necessitate res ecclesiæ alienandæ, hic ordo servari

solet, nempe, quòd si ecclesia habet mobilia superflua, illa primò sunt alienanda; sed primo loco sunt alienanda non sacra, postea verò sacra : quæ si alienentur alteri ecclesiæ, possunt alienari in eâdem formâ et figurâ : si verò laicis, sunt vendenda conflata, et confracta, cap. *Hoc jus*, 10, q. 2. Si verò ecclesia non habet mobilia superflua, tunc recurrendum est ad immobilia; quia sine mobilibus necessariis ecclesiæ non potest commodè deserviri : sed benè sine immobilibus : et ita potiùs hæc sunt alienanda, quàm alia. Immobilia verò illa sunt alienanda, quæ minùs utilitatis offerunt ecclesiæ, ut illius semper major utilitas servetur : nam in alienationibus faciendis de rebus ecclesiæ, semper alienans debet prospicere meliora; ac propterea vendendo, non debet incipere à rebus ipsi ecclesiæ utilioribus, sed à rebus successivè minùs utilibus : quia non dicitur meliora prospicere, qui vendit res ecclesiæ utiliores; et hunc ordinem semper vidimus in Romanâ Curiâ servari in casibus petendi facultatem sic alienandi.

Pari ratione id servatur, quando à Papâ petitur licentia imponendi aliquem censum super bonis ecclesiæ, pro solutione fortè debitorum contractorum, seu aliàs, ut supra dictum est, et infra dicetur. Non enim conceditur hæc licentia, si rector aliundè possit satisfacere creditoribus; unde, in calce supplicationis additur per dominos officiales : *Constito de evidenti necessitate, et utilitate, et quod dictus orator alia commodiori, et minùs dispendiosâ ratione, æs alienum restituere nequeat. Et cum decreto, quod pecuniæ ad censum, ut præfertur, accipiendæ, in solutionem dicti æris alieni, unico contextu convertantur*, id. Redoan., q. 19, à num. 91 ad 94.

Ex hâc igitur praxi satis constat quòd censûs impositio est alienatio, Bald. in c. *Ad audientiam*, 2, n. 2, de Rescrip., Tiraq., de Retract. lignag., § 1, gl. 6, sub n. 6, cum aliis allegatis in causâ *Romana Vinearum de Maximis* 1577, *coram Rubeo*, et propterea in ea facienda super bonis Ecclesiæ requiritur solemnitas, et justa causa, c. 1, de Reb. eccles. non alien., n. 6; Covar., resol. 2, cap. 17, sub n. 3, et dicitur, in unâ Romanâ invaliditatis census coram Pamphilio impress. penes Statil. Pacif., de Salu. interd., decis. 119, n. 1 et 2; Cavaler., decis. 510, n. 6.

Sanè, totum illud quod supra dictum est de rei ecclesiæ venditione adhibitis consuetis solemnitatibus dicendum est etiam de retrovenditione, quæ est verè alienatio, et fieri non potest sine superioris auctoritate; quandoquidem ex ipsâ venditione transfertur, etiam dominium, et jus in re, Bald., in l. *Sancimus*, c. de Reb. eccles. non alien., nec attenditur quod retrovenditio sit simplex resolutio primi contractûs, et fingatur retrò res non esse vendita, et propterea pro retrovenditione non debeat solvi laudemium, ut per Redoan., de Reb. eccles. non alien., q. 66, num. 9, Marius Antonin., Var. resol., lib. 1, resol. 99, n. 1 et 2, Ricc. in prax. for. Eccles., decis. 52, in quâ dum quæritur, an in retrovenditione rei ecclesiæ cum pacto de retrovendendo alienatæ, requiratur solemnitas, affirmativè concludit; quod quidem suaderi etiam videtur ex verbis generalibus prædictæ Extrav., ex eo quòd receptio solutionis dicitur alienatio, l. *Qui hominem*, § *Qui Titium*, ff. de Solut., id. Marius Antonin., loco cit., num. 4.

In alienationibus verò prædictis nunquàm admittitur supplicatio pro venditione rerum ecclesiæ magis utilium, pro ære alieno dissolvendo, aut aliquâ necessitate ipsius ecclesiæ, nisi dicatur quòd aliundè illi subveniri non potest : et nihilominùs in similibus supplicationibus semper additur sequens, vel simile decretum, nempe : *Et committatur ordinario, et dignitatem*, etc., *obtinendi*, etc. *Etsi eis legitimè constiterit, æs alienum, ut prædicitur contractum, aliàs quàm per alienationem prædictorum bonorum dissolvi non posse, ipsamque alienationem pro evidenti necessitate ejusdem ecclesiæ, ac minore illius damno fieri; tunc et non aliàs, eisdem oratoribus, aliqua bona stabilia, minus utilia, ad valorem tot ducatorum in proprietate duntaxat, et non ultra (dummodò debita per eos contracta, ad hanc summam ascendant, et bona vendenda hujusmodi jurisdictionem temporalem annexam non habeant, nec in decimis, consistant) plus offerentibus, et meliorem conditionem efficientibus vendendi licentiam concedant. Ita tamen, ut pretium inde habendum, in dissolutionem æris alieni, ut præfertur, contracti, omninò convertatur; ac venditio, et conversio hujusmodi unico, et eodem contextu fiant, aliàs irritum*, etc.

Sicque conceditur hæc licentia vendendi ex causâ necessitatis, quando ipsa necessitas aliunde reparari non possit nisi alienando rem ecclesiæ, Clem. 1, verb. *Necessitas*, et ibi Glos., de Reb. eccles. non alien., quæ quidem necessitas debet esse ecclesiæ, non autem personæ, veluti, si ipsa ecclesia pateretur ruinam, quam non posset aliundè, nisi ex venditione rerum, reparare, aut defectum ornamentorum, et vasorum sacrorum, ut in c. *Auram*, 12, q. 2. Secùs autem, si adesset necessitas personæ, puta quia rector seu beneficiatus esset ære alieno gravatus; tunc enim, licèt possit satisfacere creditoribus de fructibus, ut in cap. *Pervenit*, de Fidejus., non tamen poterit alienare bona ecclesiæ, Abb. in c. *Reprehensibilis*, de Appell.

Frequentiùs, in proposito, conceditur, ut expecuniâ, ex hujusmodi venditione redactâ, antequàm ad executionem litterarum deveniatur, fiat actuale depositum penes montem pietatis, aut mercatorem, sive aliam personam, fide et facultatibus idoneam, non amovenda, donec eadem fuerit conversa in tot bonorum stabilium emptionem; ex quibus, tot ducati quolibet anno percipiantur. Hoc est etenim regulare decretum, quod, sicut supra diximus, per dominos officiales datariæ apostolicæ, nunquàm in similibus supplicationibus omittitur, quando in eis narratur, non fuisse reperta bona emenda ex pretio rei vendendæ; quod tamen rarò, et cum difficultate concedi solet : ex quo summus Pontifex semper ferè mandat priùs reperiri bona prædicta, ad hoc, ut venditio, et pretii conversio fiat unico contextu. Hic verò, cum ex peculiari gratiâ ipse Pontifex concedit, ut donec bona

emenda fuerint reperta, fiat actuale depositum ex pecuniâ rei venditæ, hoc etiam decreto providetur indemnitati ecclesiæ eo modo, quo in priori casu, nempe quando bona, ut præfertur, emenda sunt inventa, et debent proinde fieri venditio, et pretii conversio unico contextu; et hoc ne pecunia pènes prælatum remaneat ita otiosa, cùm sit fragilis, et de rebus, quæ servando, servari non possunt, ut not. Glos., et DD. in l. 1, § *Fecit quæsitum*, ff. *Ad Trebell.*, et est text. in § *Constituetur*, inst. de Usufr. Dec., cons. 209, n. 15.

Quandoque etiam in casibus similibus, ita addunt domini officiales prædicti, videlicet : *Et quod pecuniæ ex pretio venditionis hujusmodi redigendæ, in emptionem tot locorum montium non vacabilium de Urbe interim convertantur, donec reperta fuerint alia bona stabilia, saltem æquivalentia, in quorum emptionem integrum pretium hujusmodi realiter, et cum effectu omninò converti debeat;* prout dicitur quando petitur vendi domus, seu molendinum, aut quid simile, quod ecclesiæ est potiùs damnosum, quàm utile, ratione expensarum, vel ex aliâ causâ.

Diversimodè etiam impetratur prædicta impositio censûs super rebus Ecclesiæ in text. in c. *Nulli*, de Reb. eccl. alien., ibi, *neque specialis hypothecæ titulo obligare;* per quem, census impositus super rebus alienari prohibitis, est nullus, Dec. cons. 101, num. 18; Rot., in unâ Romanâ, census de Cuppis, 17 martii 1577, coram Seraphino, et in unâ Spoletan. terrarum, 11 novembris 1599, coram Mellino, et prohibitus alienare, prohibetur imponere censum super re immobili, quia talis impositio dicitur alienatio, ut in pluribus decisionibus relatis in unâ Romanâ censûs penès Farin., dec. 178, num. 2, p. 1, tom. 1, in unâ Romanâ invaliditatis censûs, 24 maii 1591, coram Pamphilio : quare pro hujusmodi censuum constitutione ob aliquam causam, puta pro necessitate ecclesiæ, aut aliàs, frequenter porriguntur in datariâ apostolicâ supplices libelli pro licentiâ imponendi censûs super bonis stabilibus ecclesiæ, nec aliàs dantur, nisi cum decreto, quod orator singulis annis, ratam dictorum censuum, cum effectu extinguere et exsolvere teneatur; ita quod hujusmodi census intra tot annos, à datâ concessionis licentiæ computandos, omninò redempti, resque et bona omnia prædicta ab illis prorsùs liberata sint, et esse censeantur, ipsoque oratore in extinctione, et exsolutione alicujus ratæ hujusmodi deficiente, supradicta licentia, cum inde secutis, nulla sit eo ipso.

Datur etiam similis licentia, non modò pro necessitate ecclesiæ simpliciter, verùm etiam pro melioramentis rei ecclesiæ, quatenùs ipsa cedant in ejusdem ecclesiæ utilitatem, cum consuetâ clausulâ, scilicet : *Dummodò pecuniæ pro dictis censibus constituendis, in solutionem eorumdem melioramentorum unico contextu convertantur.*

Hoc itidem vidimus servari, ut si fortè, super fructibus ecclesiæ, apostolicâ auctoritate imponatur census pro reparatione domûs, molendini aut alterius rei ejusdem ecclesiæ, conditione expressâ quòd illius rector teneatur singulis annis ratam hujusmodi censûs extinguere, ut supra, additur hoc decretum, videlicet : *Quòd si orator ipse ejusque successores ipsam ratam annuatim in extinctionem supra dicti censûs non persolverint, dictâ ecclesiâ perpetuò sint privati, illaque vacare censeatur eo ipso.*

Pro sumptibus litis, et pro capitulo, sive cathedralis, sive collegiatæ ecclesiæ datur aliquando licentia accipiendi pecuniam ad censum, cum hoc tamen, quòd pretium censuum deponatur pènes aliquam ædem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illud convertendi in sumptibus litis; et præstitâ priùs per oratores cautione idoneâ, arbitrio ordinarii, de depositando quolibet anno tot scuta ex fructibus mensæ capitularis, in monte pietatis, seu, etc., pro extinctione dicti censûs : ita quod singulo biennio, pro summâ scutorum tot, extingui debeat, alioquin suspensi sint à divinis eo ipso : et si talis licentia petatur ab administratoribus alicujus loci pii, aut seminarii, vel similis, additur clausula quòd ipsi administratores, sive deputati, si intra præstitutum sibi tempus, novum censum non extinxerint, ab administratione seu deputatione hujusmodi suspensi sint. Hanc quidem licentiam propter causam supra dictam, non solet dataria apostolica denegare, maximè capitulo; quia talis impositio pro litibus sustinendis, videtur utilis ecclesiæ, ut per Glos. et DD. in cap. *Præteritam*, de Elect., Gonz., cons. 94, num. 34; Bald., cons. 22, n. 6, vol. 2; Redoan., de Reb. eccles. non alien., et ex pluribus, idem illustrissimus et reverendissimus D. meus Aloysius Riccius in Praxi fori eccles., decis. 49, num. 3.

Præterea, pro accipiendo pecuniam ad censum pro alio censu extinguendo, datur similis facultas, cum clausulâ : *Si in evidentem*, etc., et quòd acceptatio pecuniarum ad novum censum, ac extinctio anteriorum censuum, simul, et unico contextu fiant. Et factâ per oratores obligatione de extinguendo novos census infra tot annos, puta decennium, etc., à datâ gratiæ, videlicet, quolibet anno, ratam partem totius sortis principalis, sub pœnâ nullitatis ipsius gratiæ, et cum decreto irritanti.

Et aliquando additur quòd infra tot tempus tota integra summa principalis posteriorum censuum extinguatur, vel alio modo, prout domino datario videbitur. Hæc autem licentia adhuc frequens est in curiâ, nec denegatur, quando adest causa; quandoquidem similis alienatio dicitur utilis ecclesiæ, quando hujusmodi censui impositio fit pro alio extinguendo censu, pro quo ipsa ecclesia majori interesse gravatur, Monald., cons. 22, vol. 1, et in unâ Gadicen. censuum, 23 januarii 1595, coram Seraphino, in quâ fuit resolutum, censum constitutum à capitulo Gadicen., pro extinguendis prioribus censibus, ad majorem rationem creatus, et sumptis à personis particularibus, quorum redditus per plures annos capitulum recognoscendo bonam fidem, quòd pro ipsius capituli necessitatibus dicti particulares se obligaverint, solvit, fuisse utilem et validum, non obstante, quòd non constet de veri-

ficatione causæ, nempe, quòd fuerunt creati pro necessitatibus capituli; quia cùm hoc fassi fuerint, et negotium fuerit confectum cum auctoritate ordinarii Gadicen., habentis ad hoc auctoritatem à Sede Apostolicâ, utique præsumitur pro ipsius decreto, ut in 1. decis. quam affert Garc., de Benef., p. 12, c. 2, num. 137, id. D. meus Ricc., d. dec. 49, num. 2.

Tempore Clementis VIII, fel. record, fuit concessa licentia cuidam episcopo accipiendi mille scuta ad censum pro emendâ domo episcopali pro ipsius episcopi habitatione, cum decreto, quòd census imponendi, infra quinquennium proximum extingui, et bona mensæ episcopalis ab illorum solutione liberari omninò deberent, et interim episcopus orator, ac successores in ecclesiâ præsules, seu administratores pro tempore existentes, ratam partem censûs hujusmodi annuatim exsolvere et extinguere, seu illam penès aliquam ædem sacram, aut, etc., deponere, ad effectum extinctionis hujusmodi, tenerentur, alioquin ab administratione et regimine dictæ ecclesiæ suspensi essent eo ipso. Et hìc propriâ manu ipsius Clementis, in calce supplicationis fuerunt addita hæc verba : *Et dummodò ex redditibus dictæ ecclesiæ hæc pecuniarum quantitas haberi non possit.*

Quando similis facultas conceditur superiori monasterii, puta pro solutione debitorum ejusdem monasterii, tempore necessitatis contractorum, committitur ordinario, quatenùs constito de evidenti necessitate, et quòd oratores, aliâ commodiori et minùs dispendiosâ ratione, æs alienum restituere nequeant : addito decreto, quòd pecuniæ ad censum accipiendæ, in solutionem dicti æris alieni unico contextu convertantur; quòdque census hujusmodi infra decennium, vel aliud tempus D. datario benè visum, extingui omninò debeant; ipsique oratores sese ad id efficaciter obligare, ac interim, ad effectum hujusmodi extinctionis, quolibet anno tot scuta in locis montium non vacabilium de Urbe investire teneantur, donec ad dictam summam scutorum tot perventum sit, et tunc extinctio hujusmodi censuum fiat : ipsiusque monasterii bona, ab illorum solutione liberentur; alioquin ipsi oratores à divinis sint suspensi eo ipso. Et quòd dictus ordinarius, cujus conscientia oneratur, curare debeat, quòd ipsa summa ducatorum tot singulis annis cum effectu fiat, subjiciendo ipsum superiorem, et fratres, quoad hoc tantùm jurisdictioni dicti ordinarii : et isto semper modo utitur Papa in impositione hujusmodi censûs, quem mandat semper extingui, non in unicâ tantùm vice, sed illius ratam quolibet anno, prout illa praxis docet, de quâ testatur Rot. in unâ Rom. censûs, 1 julii 1611, coram Cavalerio, penès Farinac., decis. 350, num. 4, t. 1, p. 1.

Ut autem integra litterarum formula pro hujusmodi creatione censûs præ oculis quisque habeat, illius tenorem hìc inserere visum fuit eo quo sequitur modo, videlicet :

A tergo : *Venerabili fratri archiepiscovo Neapolitan. sive ejus vicario*, etc.

Intùs verò :

URBANUS *PP. VIII, venerabilis frater, seu*, etc., *salutem*, etc. *Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Hebdomadarii ecclesiæ Neapolitan., quod ipsi providè considerantes, quamdam domum in civitate Neapolitan. juxta suos notissimos fines sitam, et de eorum bonis existentem, satis vetustam, vel ruinam minantem; ac ob illius vetustatem et ruinas hujusmodi, non ultra nonaginta sex ducatis monetæ Neapolitanæ annuatim locari solere; illam verò minori impensâ quadringentorum ducatorum similium restaurari non posse, postquàm verò restaurata fuerit, centum quinquaginta ducatis paribus locandam fore. His igitur, ac aliis rationibus et causis adducti, domum præfatam restaurare, et cùm pro illius restauratione pecuniæ non habeant, præfatos quadringentos ducatos ad censum annuum, ut infra, accipere decreverunt*, etc. *Ideòque nobis*, etc., *ut eis*, etc., *dignaremur. Nos igitur, domus hujusmodi situationes* etc., *pro expressis habentes*, etc., *ipsoque exponentes*, etc. *Censentes, fraternitati tuæ*, etc., *seu discretioni*, etc., *mandamus, quatenùs eisdem exponentibus, ut unum, seu plures census annuos ad summam dictorum quadringentorum, monetæ tantùm, pro sorte principali, ascendentes, et infra quinquennium proximum redimendos, super quibuscumque eorum mensæ, seu massæ communis, bonis, vel eorum parte, et aliàs majori, quâ poterunt, conditione, servatâ formâ constitutionis fel. record. Pii V, prædecessoris nostri super creatione similium censuum editæ; et dummodò, aliundè, cùm minori dispendio restaurationi dictæ domûs provideri non possit, creare, constituere, et imponere, illumque, seu illos, sic creatum, seu creatos, constitutos et impositos uni, seu pluribus personis, illum seu illos emere volentibus, ad minorem rationem, quæ fieri poterit (salvâ dictâ redimendi infra quinquennium facultate) vendere, cedere, alienare et transferre, ac aliàs juxta constitutionem præfatam, necnon bona, seu illorum partem hujusmodi etiam in ampliori formâ cameræ apostolicæ quâcumque aliâ juris validâ formâ, pro censu, seu censibus hujusmodi, obligare et hypothecare, et quæcumque instrumenta desuper necessaria et opportuna celebrante; dictasque pecunias in reparationem et restaurationem dictæ domûs convertere liberè et licitè valeant, et auctoritate nostrâ concedas, eisque desuper ita indulgeas. Necnon emptorem seu emptores censûs vel censuum hujusmodi ad probandum, seu verificandum causas quare hujusmodi census impositi fuerint, nunquàm teneri, nec fructus annuatim, vel aliàs constituendis temporibus præstandos, in sortem computari. Sicque per quoscumque judices*, etc. *Irritum*, etc., *attentari. Non obstantibus* (*quatenùs opus sit*) *Pauli II et Pauli III, Rom. Pont. prædecessorum nostrorum, de Reb. eccl. non alien., ac aliis constitutionibus*, etc., *dictæque ecclesiæ juramento*, etc. *Volumus, et apostolicâ auctoritate decernimus, quòd pecuniæ ex venditione hujusmodi censuum perventuræ, penès aliquam ædem sacram, aut personam fide et facultatibus idoneam, deponantur, ad effectum illas in restaurationem hujusmodi quamprimùm fideliter convertendi. Quòdque census hujusmodi infra quinquennium proximum extingui, et bona mensæ, seu massæ hujusmodi sub pœnâ sus*

pensionis per eorum quemlibet ipso facto incurrendæ, ab illorum solutione liberare omninò debeant. Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 11 augusti 1627, pontificatûs nostri anno quinto.

M. A. Maraldus.

Ex his igitur patet quòd ista censûs impositio sit verè alienatio, ut supra jam diximus; nam requiritur in illius impositione beneplacitum apostolicum, aliàs hujusmodi impositio est nulla. Et cùm aliàs capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Celsi de Urbe vendidisset quemdam censum, et obligaret bona ecclesiæ sine debitâ solemnitate requisitâ in alienatione rerum ecclesiæ; ac dictum capitulum per 20 annos non daret de nullitate dictæ alienationis, sed taceret et terminos decursos solveret, lapso dicto tempore, opposuit de nullitate dicti censûs, ob defectum dictæ solemnitatis, et patebat prætensos redditus solutos compensari debere cum sorte principali; et quatenùs sortem prædictam excederent, restitui. Unde Rota declaravit censum prædictum esse nullum ob dictum defectum, redditus verò solutos antequàm daretur de dictâ nullitate, non esse compensandos nec restituendos; nam licèt alienatio esset ipso jure nulla à principio, intelligitur tamen ecclesiâ, seu capitulo volente; quare, cùm in prædicto tempore noluerit dare de dictâ nullitate censûs, sed habere pro valido contractum, et sustinere onus solutionis reddituum, habebat tunc implicitum statum validitatis, ac dominus illius justè dictos redditus et fructus percepit, ac suos fecit. Ita ut, licèt de nullitate postea dictum fuerit, et contractus declaratus invalidus, talis declaratio ad hunc effectum retrotrahi non possit; et sic fuit resolutum in unâ Romanâ S. Celsi coram Penia, et postea coram Mellino, 23 junii 1600, quam decisionem refert Gonzal., ad reg. 8, glos. 56, num. 97, cum duob. seqq.

Cùm verò ex istâ praxi satis liqueat, hujusmodi census super rebus ecclesiæ, nonnisi ad certum præfinitum tempus imponi posse, et ut plurimùm contingat, ut infra dictum tempus, ex aliquâ rationabili causâ, ille extingui non possit, propterea, sicut in cæteris casibus, consueverunt peti ejusdem temporis prorogationes, quæ nunquàm denegantur, ipsâ rationabili et legitimâ existente causâ, illæque petantur durante primo termino; cùm aliàs incurrerentur censuræ in dictâ licentiâ contentæ, quo casu non valeret prorogatio, Dec. in cap. *De causis*, num. 10, de Off. deleg.; illa tamen, etiam in ultimo prioris temporis momento fieri potest; illiusque effectus est, ut tempus prorogatum idem cum primo censeatur, ac omnes qualitates primi termini assumat, ut habetur in l. 2, § *Sed si judex*, ff. de Judic. Quare, ut istam prorogationem in proposito casu ad suam praxim deducamus, cùm oratores in prædictis litteris nominati, infra sibi præstitutum quinquennii tempus, censum integraliter extinguere non potuissent, paulò ante illius lapsum, novas eidem pontifici preces porrexerunt, ac narratâ causâ impositionis in prædictis litteris expressâ, subjunxerunt, census præfatos ob temporum calamitates, quæ justam inducunt causam ad derogandum extinguere non posse, dictique quinquennii fines instare; propterea illud petendo ad aliud summo Pontifici benè visum tempus extendi ac prorogari. Quare idem Pontifex, eidem ordinario, sive, etc., mandavit, ut dictum quinquennium ad aliud quadriennium, à fine dicti quinquennii computandum, arbitrio suo extenderet et prorogaret, cum adjectione earumdem censurarum in priori gratiâ expressarum: et regulariter hujusmodi prorogationes semper conceduntur cum eisdem qualitatibus et conditionibus, ut in primo actu, ad text. in l. *Sed etsi manente*, ff de Precar. cum plur., per Gabriel. de Dilat., conclus. 2, n. 4, et latè dicam in meâ Pract. benef.

Cæterùm autem, licèt ex præmissâ formulâ apparcat oratoribus fuisse supradictam licentiam concessam, ut possent eorum bona, seu illorum partem, pro hujusmodi censûs impositione obligare, non tamen reverà prædicta licentia requiritur quando Ecclesia omnia sua bona genericè non autem in specie obligat, arg. text. à contrario sensu, cap. *Nulli*, de Reb. eccles. non alien., et ibi, not. Abb., n. 3, in verbo *Specialis hypothecæ*, quòd prælatus non potest specialiter obligare rem unam ecclesiæ, in genere verò potest, etiam sine licentiâ episcopi, Redoan. q. 52, c. 39, n. 1, qui n. 2, ait quòd in hoc prælatus contrahendo, potest generaliter pro observantiâ contractus obligare bona ecclesiæ, etiam sine licentiâ episcopi.

CAPUT X.

Praxis permutationis etc., in evidentem.

Permutandi etiam licentia, seu permutationis jam factæ, sub Sedis Apost. beneplacito confirmatio, in ipsâ Romanâ curiâ, frequens est: cùm alienationis appellatione permutationem venire, nulli dubium sit; satis enim id patet in c. *Nulli*, de Reb. eccl. non alien., undè quæsivit Bald. in Auth. *Res, quæ*, c. *Comm.* de Leg., vers. *Quæro*, an ille qui non potest alienare, possit permutare; et negativam partem ibi tenet, nempe, quod prohibitus alienare, non potest permutare, Jas. in leg. 1, ff. de Rer. perm., n. 5, cum plurib. seq., ubi ait quòd appellatione venditionis, venit etiam permutatio, et venditione permissâ, intelligitur etiam permutatio, text. in l. *Statu liberi*. ff. de Statu lib.; si enim in d. extravag. *Ambitiosæ* prohibetur omnis contractus, per quem dominium transfertur, clarum est, quòd per hujusmodi permutationem, interveniente traditione, transfertur dominium, text. in l. 1, ff. de Rer. permut.

Hæc autem prohibitio permutandi an militet, quando permutatio fit inter duos rectores duarum ecclesiarum, de bonis earumdem, text. in cap. *Hoc jus porrectum*, 10, q. 1, et in cap. 1, de Reb. eccl., non alien., videtur negativa responsio: ex eo quòd jura prospiciunt tantùm, ne per contractus bona ad usum pauperum destinata, alienari contingat: unde, permutationes bonorum unius ecclesiæ, cum bonis alterius, non sunt prohibitæ; quia nihil refert, an sint bona unius vel alterius ecclesiæ; cùm, quidquid ha-

beat quævis ecclesia pauperum sit, c. *Quod autem*, 24, quæst. 7.

Alia insuper ratio assignari potest, nempè quòd spirituale cum spirituali licitè potest permutari; Glos., in c. *Ad quæsitionem*, in verbo, *Queat*, de Rer. permut., dummodò id fiat decreto episcopi, vel ejus vicarii, ad id ab eo facultatem habentis, d. cap. *Hoc jus porrectum*, § *Sed permutare*, 10, q. 2.

Nam, sicut potest episcopus admittere, etiam permutationes ipsorum beneficiorum, quæ non sint Sedi Apostolicæ reservata, Mandos. Reg. q. 13, n. 4; Lotter. de Re benef. lib. 2, q. 14, n. 94, servatâ formâ Constitutionis Pii V, § *Ad hæc*, sub datum Romæ apud S. Petrum, 1508, kal. aprilis anno tertio; ita eò magis potest admittere permutationes bonorum ipsorum beneficiorum, d. c. 1, de Reb. eccles. non alien.

His tamen non obstantibus, contrarium nos docet Romanæ Curiæ praxis, nempe hujusmodi permutationes bonorum, etiam inter duos beneficiatos, seu ecclesiarum rectores, nullo modo fieri posse sine beneplacito apostolico, et nisi servatis solemnitatibus contentis in c. *Sine exceptione*, 12, q. 2, et ibi Rebuff. per illum text. et per text. in c. 1, in § *Sed et permutare*, 10, q. 7, Redoan. de Reb. eccles. non alien., q. 12, n. 28, tit. de Immob. rer. eccles. alienat., et ita inter quædam notabilia Matthæi Contarelli reperitur: qui cùm esset datarius Gregorii XIII, ita adnotavit, ipsum Gregorium dixisse, scilicet: Hoc manè S. D. N. mihi respondit, non esse superfluam licentiam permutandi bona ecclesia inter duos rectores ecclesiarum Balneoregien. diœcesis, et Quar. in Summâ bull., verbo, *Alienatio*, n. 15, ait, ita vidisse practicari, et expediri brevia apostolica, etiam inter ecclesias compermutantes, si in evidentem utilitatem utriusque partis permutationes hujusmodi cesserint; quamvis ante Extrav. *Ambitiosæ* sufficeret consensus episcopi in ecclesiis sibi subjectis, cap. 1, et cap. *Ut super*, § fin., de Reb. eccles. non alienan.

At verò permutationes cum laicis, ab ipso ordinario admitti non possunt, nisi illæ tantùm, quæ juxta terminos cap. *Terrulas*, 12, q. 2, illi permittuntur; ad quod similiter duo debent concurrere, nempe causa et solemnitas, ut in d. c. *Sine exceptione*: propterea soli Pontifici sunt regulariter reservatæ, illasque faciendi licentiam, ipse tantummodò, et cum duplici limitatione concedit, nempe si permutentur ad invicem duo petia terræ, additur quòd petium terræ, quod laicus habet, ab omni, et quocumque onere, fideicommisso, devolutione, caducitate, et hypothecâ liberum existat, nec sit deterioris conditionis, quàm res ecclesiæ: ac insuper, dummodò non magis distet à prædictâ ecclesiæ, quàm illius res, quæ datur ipsi laico ab eodem rectore.

Nam circa hujusmodi permutationes non sufficit quòd valor probetur in proprietate, ac annuo redditu et proventu; sed oportet quòd res sit æquè vicina, æquè commoda, æquè cauta, etc., id. Redoan., q. 20, n. 169, et ita docet communis praxis; et hoc, cum ipsâ evidenti utilitate circa valorem rei quæ causâ permutationis datur ecclesiæ, cui neque sufficit dare rem æquivalentem, ad hoc, ut dicatur facta cum utilitate; quia ecclesiæ non est dandum æquivalens pro re ecclesiæ, sed res quæ sit majoris pretii; cùm enim datur res æquivalentis pretii, tunc dicitur constare de damno, et præjudicio facto Ecclesiæ, Dec. cons. 142, num. 3, vers. *Hoc etiam patet*, relatum per Redoan., q. 20, tit. *De caus. util.*, n. 172 et 173.

Numquid autem possit saltem episcopus, absque beneplacito apostolico, aliquid de bonis suæ mensæ episcopalis donare, et alienare canonicis, sive aliis personis suæ ecclesiæ? Et pro parte affirmativâ tenendum est; etiam non obstante juramento per ipsum episcopum præstito, de non alienandis rebus mensæ suæ episcopalis, inconsulto Romano pontifice, Glos. in Clem. 1, verbo, *Ecclesiam*, de Reb. eccles. non alien., ubi expressè dicit quòd episcopus, suo capitulo, de eo quod spectat ad mensam suam, potest alienare; maximè quando capitulum eget tali re; et subdit, id posse fieri, non obstante tali juramento; cùm hæc non sit propriè et verè alienatio rei, quæ in dominio suæ ecclesiæ remanet, l. *Unicum ex familiâ*, ff. de Leg. 2, quia sicut episcopus de propriâ mensâ donare potest loco religioso; c. *Consultationibus*, et c. *Pastoralis*, de Donat., ita multò fortiùs suo capitulo, cui magis est alligatus, donare potest, c. *Requisisti*, § fin. De test., ex eo quòd id non videtur tendere in alienationem, arg. leg. *Voluntatis*, c. de Fideicom., et l. *Pater.*, § *Quindecim*, ff. de Leg., 3; Oldrad. cons. 182, num. 1, vers. *Et sicut potest*, n. 1; Rot., decis. 756, n. 3 et 4, p. 1, divers. per hæc verba: «Ad primum, responsum fuit, quod imò applicatio facta Canonicis fuit valida, quia episcopus de bonis suæ mensæ episcopalis potest donare, et alienare capitulo sine solemnitatibus, non obstante juramento de non alienando sine superioris licentiâ; » juxta caput *At super*, de Reb. eccles. non alien., quamvis dicat Glos. in d. Clem. 2, per jura, ibi allegata, quòd in hoc casu tutius esset, ut hoc fieret auctoritate superioris, arg. l. *Non videtur*, § *Qui jussu*, ff. de *Reg. jur.*, c. *Quisquis*, de Reg. jur. in 6. Idem tenet Hostien., in c. *Novit*, De his quæ fiunt à prælatò., Joan. Andr. in reg. *Qui tacet*, de Reg. jur. in 6, qui dicunt, quod quando episcopus de bonis stabilibus suæ mensæ episcopalis dat capitulo suorum canonicorum indigenti, non dicitur alienare, quia retinetur in ecclesiâ licèt monetæ sint reparatæ quoad usum et administrationem, quos refert et sequitur Card. cons. 131, Ferret. cons. 38, n. 18.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam, tanquàm veriorem, et juxta Romanæ Curiæ observantiam receptam, omninò amplector: nec enim ibi casum semel evenisse scimus, quo dataria apostolica supplicationes desuper porrectas, tanquàm necessarias recipit; et signanter memini, ita episcopo Forosempronien. respondisse bon. mem. Cardinalem Arrigonium, tunc fel. record. Pauli V prodatarium, qui dicebat hanc esse verè alienationem, quodque episco-

pus non poterat in facto proprio auctoritatem suam interponere, ad text. in leg. *Pupillus*, de Auth. tut., cap. fin., de Instit., præsertim verò ipsa dataria innitur d. Glos. in Clem. 2, quæ voluit, quod in hoc casu tutius est adhibere prædictam auctoritatem superioris; ac insuper hæc observantia non parùm declarat, ita esse mentem summi Pontificis, Cassad., dec. 3, de Rescript. in fin., cujus organum mentis et vocis est illius datarius, Gonz. ad reg. 8, glos. 63, num. 7.

Et cùm aliàs capitulum et canonici hujus metropolitanæ ecclesiæ haberent sitam sacristiæ ecclesiæ S. Restitutæ nimis angustum, pro illius ampliatione petiit à bonæ memoriæ cardinali Boncompagno archiepiscopo, pro ampliatione ejusdem sacristiæ, sibi concedi quoddam cubiculum palatio archiepiscopali inutile; et quia de validitate hujusmodi concessionis sine beneplacito apostolico plurimùm dubitabat, fuit sibi ab Urbe rescriptum, ex mente datariæ apostolicæ, omninò requiri supradictum beneplacitum, super quo fuerunt litteræ in formâ brevis expeditæ tenoris sequentis, videlicet :

A tergo : *Dilecto filio nostro, et Sedis Apostolicæ in regno Neapolis commoranti, nuntio.*

Intùs verò :

URBANUS *Papa VIII. Dilecte fili, salutem*, etc. *Nuper pro parte dilectorum filiorum capituli, et canonicorum metropolitanæ ecclesiæ Neapolitani nobis expositum fuit, quòd sacristiæ situs capitularis ecclesiæ, seu capellæ S. Restitutæ intùs dictam ecclesiam metropolitanam, existentis, in quâ ipsi se ad divina celebranda præparant, adeò angustus existit, ut reponendis in eâ indumentis, et aliis ornamentis sacerdotalibus, locus non sit; nequeantque ipsi exponentes seorsim se præparare, et eâ, quâ par est, mentis attentione, orare, à sacerdotum, et eorum ministrorum uno eodemque tempore, ad celebrandum eo confluentium multitudine impediti; propter quod sacerdotum celebrari volentium, et ad id se in eâdem sacristiâ, vix duorum capaci, præparantium, alter alteri sæpè sæpiùs impedimento existit, divinoque cultui, ut convenit, vacare nequit. Cùm autem*, etc., *subjungebat, dilectus filius noster Franciscus tituli SS. quatuor coronatorum cardinalis Boncompagnus nuncupatus, Ecclesiæ metropolitanæ hujusmodi ex concessione et dispensatione apostolicâ præsul, pro ampliatione ejusdem sacristiæ, quoddam illi contiguum cubiculum, valoris summæ centum ducatorum monetæ regni Neapolis, iuxta æstimationem à peritis desuper adhibitis factam, non excedentis, archiepiscopali palatio Neapolitan. inutile nulliusque commoditatis, propterea que inhabitabile : et dudùm inhabitatum, eisdem capitulo et canonicis, ut divino cultui decore vacari possit, concedere liberè contentus sit, nobis propterea idem capitulum et canonici humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè*, etc. *dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas à quibusvis*, etc., *censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi per præsentes committimus, et mandamus, ut si narratâ veritate niti repereris, ac si, et postquàm idem Franciscus cardinalis cubicuum hujusmodi eisdem capitulo et canonicis ad effectum præmissum concesserit, concessionem hujusmodi auctoritate nostrâ apostolicâ, confirmes, et approbes, illique*, etc., *adjicias, ac omnes, et singulos, tanquàm facti defectus*, etc. *suppleas, non obstantibus fel. record. Pauli II, et aliorum Rom. Pont. prædecessorum nostrorum de Reb. eccles. non alien. aliisque constitutionibus, ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ, apud S. M. M., sub annulo Piscatoris, die* 18 *Julii* 1641, *pontificatûs nostri anno octavo.* M. A. Maraldus.

Aliæ permultæ alienationes passim in ipsâ curiâ, cum debitis requisitis admittuntur, quas hìc recensere superfluum duximus; cùm ex supra dictâ formulâ generali, satis illarum omnium praxis deprehendatur.

Quo verò ad vasa sacra, puta calices, nec non vestes, cruces, candelabra, paramenta, et ornamenta, vendi possunt alteri ecclesiæ, vel personæ ecclesiasticæ, causâ tamen interveniente, Glos. in c. *Ea enim*, § *Hoc jus*, 10, q. 2, in verbo, *Conflata*, et tunc venduntur in eâdem formâ, et figurâ, ad usum divinorum, Redoan., q. 21, n. 12 et 14, eòque magis potest una ecclesia alteri illa commodare, licèt quandòque ex hujusmodi commodatione majus damnum proveniat ob illorum deteriorationem, ac etiam, ut plurimùm, amissionem. Undè fit, quòd ad succurrendum indemnitati ecclesiarum ob hujusmodi causam, petatur à summo Pontifice inhibitio sequenti modo, videlicet :

INNOCENTIUS *Papa X, ad perpetuam rei memoriam. Conservationi et manutentioni ornamentorum et paramentorum ecclesiæ S. Restitutæ Neapolitan., dependentis à capitulo ecclesiæ metropolitanæ Neapolitan., benignè consulere, ac dilectos filios capitulum, et canonicos dictæ metropolitanæ ecclesiæ specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas à quibusvis*, etc., *absolventes*, etc., *supplicationibus dictorum capituli, et canonicorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati. Ne de cætero quisquam, quâvis auctoritate fungens, cruces, vasa, calices, candelabra, indumenta, ac quæcumque paramenta, et ornamenta, ustensilia, res, et bona, tam pretiosa quàm non pretiosa, ac quamlibet supellectilem, tam hactenùs ecclesiæ prædictæ, seu illius sacristiæ donata et assignata, quàm in posterum donanda et assignanda ac illarum usibus destinata, et deputata, ac destinanda et deputanda, per se, vel alium, seu alios, aliis Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, et locis piis, aut personis cujuscumque statûs, gradûs et conditionis, ac quomodocùmque et qualitercumque qualificatis, et privilegiatis, quovis prætextu, causâ, ratione, ingenio, occasione, aut quæsito colore, commodare, et ex ecclesiâ seu sacristiâ prædictis extrahere, seu asportare, aut, ut commodentur, extrahantur, seu asportentur, permittere aut consentire, sive ad id consilium, seu auxilium præstare quoquo modo audeat, seu præsumat, sub excommunicationis latæ sententiæ, à quâ non nisi à nobis, et pro tempore existente romano Pontifice, præterquàm in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, ac restitutionis faciendæ de suo proprio, in even*

tum amissionis alicujus rei commodatæ, pœnis, ipso facto, absque aliâ declaratione incurrendis, apostolicâ auctoritate, tenore præsentium interdicimus et prohibemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ac quatenùs opus sit, dictæ ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd præsentis prohibitionis copia, in valvis dictæ sacristiæ, vel aliquo perspicuo loco, quo ab omnibus cerni possit, continuò affixa remaneat. Dat. Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 8 maii 1646, pontificatûs nostri anno secundo.

M. A. Maraldus.

Seclusâ verò prædictâ inhibitione, nihil est quin possit una Ecclesia, alteri prædicta omnia commodare; quòd si vasa sacra eidem vendantur, venditio fiet sub eâdem formâ et figurâ, ut aliàs diximus, quia tunc non exeunt de Ecclesiâ, quæ in Ecclesiâ remanent : si verò vendantur laicis, postquàm illa fuerint confracta et conflata, cap. *Aurum*, 12, q. 2, et ibi Archid., id. Redoan. loc. cit., n. 22, cum duob. seqq.

Transactio quoque super rebus ecclesiæ prohibita est, sine solemnitatibus, cùm illa sit species alienationis, unde prohibitus alienare, est etiam prohibitus transigere, Bart. in l. *Nulli*, c. *de Transact.*; Roman. cons. 166, Abb. cons. 163, cum aliis allegatis per Red. de Reb. eccles. non alien., q. 2, n. 1, id. Abb. in c. *Contingit*, eod. tit.; Roland. cons. 15, vol. 1, cum aliis adductis per Ricc. in Prax. for. eccl., verbo *Alienatio*, dec. 46, n. 2, ac proinde in hujusmodi transactionibus requiritur beneplacitum apostolicum, sicut in omnibus alienationibus rerum Ecclesiæ, quia prædicta bona super quibus fit ipsa transactio, subsunt dispositioni Extrav. *Ambitiosæ*, de Reb. eccles. non alien.

Quod quidem intelligitur, etiamsi res sit penès adversarium, et in transactione agatur, quod res penès illum remaneat, quia nec in tali casu esset valida dicta transactio, sine prædicto beneplacito apostolico, Bart. et Jason. in d. l. *Nulli*, n. 2, de Transact. Federic. de Sen., cons. 94; Aym. cons. 323, n. 1, Caputaque, decis. 106, p. 1, et decis. 318, p. 3, cum aliis adductis in unâ Romanâ Casalis penès Coccin., decis. 301, n. 1, et decis. 362, n. 3, ac propterea in dictâ transactione oportet quòd interveniat utilitas Ecclesiæ, quæ debet esse evidens : aliàs erit nulla; Cavalc., dec. 46, n. 41, p. 1, Rota, dec. 178, n. 10, p. 2; Marius Antonin., var. Res., lib. 1, res. 38, n. 12, id. Bart. in d. l. *Nulli*, c. *De transact.*, dicens quod Episcopus potest transigere, si res apud ipsum remaneat per transactionem, licèt pro eâ det, vel faciat aliquid, non autem si rem alteri dat, Redoan. loc. cit. n. 3, et omnes concludunt, nempe ita demùm esse requirendum supradictum beneplacitum apostolicum, quando videlicet bona Ecclesiæ alteri dantur, secùs verò si Ecclesia retineat, et adversario aliquid det, Feder., de Sen., d. cons. 94, et Aym. d cons. 324; Roland. d. cons. 15, n. 43, Molin. de Primogen., Hispan., lib. 4, c. 9, n. 22, cum aliis relatis per Addit. ad Buratt., decis. 190, litterâ B.

Et idem est, si res ecclesiastica, super quâ fit transactio, reperiatur penès tertium, quando agitur, ut penès illum remaneat, quamvis ecclesiæ aliquid solvatur pro dimissione, quia adhuc requiritur beneplacitum prædictum, add. ad Ludovis., dec. 418, n. 17, Grat., Discept. for., c. 476, n. 16, et 486, n. 11, id. Add. ad. Burat., d. decis. 690, d. litterâ B.

Advertendum est tamen hoc non procedere in rebus nondùm ecclesiæ incorporatis, quia super illis fieri potest transactio, absque aliquâ solemnitate; bona autem ecclesiæ non incorporata, sunt illa quæ sunt relicta ipsi ecclesiæ, nam rector, vel prælatus ecclesiæ potest legatum rei immobilis, etiam non parvæ, repudiare, sine aliâ solemnitate; aliud enim est alienare, aliud verò non acquirere, ut est text. in leg. *Si sponsus*, § *Si maritus*, ff. de Donat. int. vir. et uxor.; Franc. in c. 1, n. 11, limit. suâ, n. 26, de Reb. eccles. non alien., sicut dicitur de pupillo, leg. 1, 2 et 3, de Præd. minor., et est omnium DD. conclusio, quod prælatus, seu beneficiatus potest in quærendis præjudicare ecclesiæ. Unde cùm hæreditas delata, nondùm tamen incorporata, dicatur jus quærendum, potest illa per prælatum, absque assensu Apostolico, repudiare, quia repudiatio non est alienatio, l. *Alienationis*, ff. de Verb. signif.; Ricc. in d. Prax. for. eccles., decis. 96, n. 2 et 3, dicens, fuisse in Rotâ decisum potuisse prælatum, absque ullo censurarum incursu, hæreditatem suæ ecclesiæ delatam repudiare, cum aliis decisionibus ibi ad id per eum allatis, per quas concludit, hodiè evidenter apparere, hanc opinionem in praxi esse servandam, juxta quas ipse de hâc re interrogatus, ita respondit.

Adest quoque notabilis decisio, Put. 507, lib. 2, in quâ fuit dictum, quòd prælatus solus potest hæreditatem, et legatum repudiare, et in acquirendis præjudicare ecclesiæ sine aliquâ solemnitate : nec obstare visum fuit quòd hospitale, cedendo jura sibi competentia, videretur hæreditatem adire, et ideò non agebatur de acquirendo, sed de jam quæsito, et sic Prælatus non poterat præjudicare; quia fuit responsum, quod aditio, quæ fit non ad finem habendi, sed alteri renuntiandi, non est in consideratione, ex Soccin. cons. 53, n. 17, vol. 4, et propterea fuit conclusum quòd sic acceptando et in favorem alterius renuntiando, prælatus potest Ecclesiæ præjudicare.

Ratio enim non longè abest, nempe, quia jus nondùm quæsitum non dicitur esse in bonis nostris, l. *Scribit*, in princip., ff. de Aur. et Arg. leg., l. *Profectitia*, § *Si patet*, ff. de Jur. dot.; Castr., cons. 178, vol. 1, Dec. cons. 24, vers. *Ad hoc responderi*, Socc. sen., cons. 53, vers. *Quo fundamento*, ubi consuluit, *legem si unquàm*, c. de Revoc. don., non habere locum in donatione nondùm acceptatâ, et ex eâ nullum potest dici jus donatario quæsitum : nam cùm jus quærendum non sit in bonis nostris, nullum damnum ex non illius acquisitione potest considerari, quod etiam probat text. in l. *substitutio*, ff. de Acq. rer.

domin., cum innumeris adductis per Hoied. de Incompat. benef., p. 1, c. 23, n. 30, 31 et 32, prout dicendum est etiam de jure merè conditionali, quod nihil ponit de præsenti, sed solam et nudam spem de futuro continet, ut in § *Ex conditionali*, instit., de Verb. obligat., Sarnenn. in reg. *De non toll. jur. quæs.* q. 4, n. 13.

Et hoc modo nullam pœnam contra alienantes inflictam, incurret beneficiatus, prout neque incurret, si remittat caducitatem emphyteutæ, si, verbi gratiâ, non solvit canonem per biennium, etiam quod videatur hujusmodi remissionem esse speciem alienationis; cùm nihilominùs verius sit, jus caducitatis sapere magis jus quærendi quàm quæsiti, ut ex pluribus probat Ricc., in Prax. for. eccles., decis. 135, n. 5, namque ista caducitas dependet à voluntate beneficiati, ut in d. dec. n. 6, et ita vidimus pluries in praxi servari.

Hoc tamen, circa antedictam conclusionem, minimè duximus omittendum, quòd eam in tantum procedere certum est, nempè quando repudiatio fit in eodem actu, in quo fit acquisitio, sive additio, quæ secundùm ordinem intellectùs procedere debet, et ille actus acquisitionis non præcedit simpliciter, sed tendit ad ipsam repudiationem, sive renuntiationem, ita ut acquisitio illa sit momentanea, quæ non habetur constitutione, ex Soccin. cons. 53, n. 27, et aliis adductis per Add. ad Buratt., decis. 773.

Aliter namque dicendum est, si essent duo actus separati, licèt incontinenti unus post alium, veluti, si monasterium priùs adivisset hæreditatem, et deinde in eodem instrumento cessisset, et renuntiàsset, tunc enim talis repudiatio, seu resignatio non valeret, prout fuit in Rotâ decisum per Vestan., decis. 66, et Peregr., decis. 71, cum aliis pariter adductis per d. Add. loc. cit., concludentem ibi, quòd quando præcessit additio, requiruntur solemnitates, quodque hoc procedit, sive tacitè, sive expressè præcesserit aliqua acceptatio, prout in unâ Medilonen. legati, 22 junii 1594, coram Gypsio.

Et sicut prælatus, seu beneficiatus non potest transigere super rebus suæ ecclesiæ, sine beneplacito apostolico, sic etiam neque compromittere, Alex. cons. 33, num. 2, lib. 2; Paris. cons. 134, n. 11, lib. 4.

CAPUT XI.

Praxis decreti pro executione litterarum in formâ : Si in evidentem, etc.

Pro executione denique supradictarum litterarum hujusmodi concessionis, cum illius decreto, concludendum est quòd expeditis monitionibus ac citatis citandis, captâque desuper informatione, testibusque examinatis, et compilato processu, ac monitis partibus ad dicendum super expeditione causæ, ipsisque auditis, devenitur ad decretum; sine quo alienatio esset nulla; quia illud est de substantiâ alienationis, sicut dicimus de alienatione rei minoris; quod quidem decretum debet interponi, causæ cognitione præcedente, nempe, quòd subsit causa, et quod liqueat judici : ut in l. *Magis puto*, § *Ne passim*, ff. De reb. eorum; formula verò talis decreti, hæc esse potest, aliquibus additis, vel detractis, juxta facti qualitatem, videlicet :

In Dei nomine, amen. Felix Tamburellus utr. jur. doct. protonot. apostolicus, eminentissimi et reverendissimi domini D. Francisci tituli SS. quatuor coronatorum, S. R. E. presbyteri cardinalis Boncompagni, archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis, et ad infrascriptam causam, per sanctissimum S. D. N. Urbanum Papam Octavum, judex specialiter delegatus.

Vincentius de Januario, primicerius ecclesiæ Neapolitan., et ad præsentem causam per S. D. N. Urbanum Papam Octavum specialiter delegatus.

Universis et singulis præsentes litteras inspecturis, notum facimus et attestamur, qualiter nobis pro parte, et ad instantiam Joannis Landulphi, rectoris sine curâ ecclesiæ, sub invocatione sanctæ Mariæ ad Josaphat hujus diœcesis, exhibitæ, productæ et præsentatæ fuerunt infrascriptæ litteræ apostolicæ, sub plumbo expeditæ, sanæ, integræ, non vitiatæ, non cancellatæ, neque in aliquâ ipsarum parte suspectæ, sed omni prorsùs vitio, et suspicione carentes, quas cum omni, quâ decuit reverentiâ, recepimus, tenoris sequentis, videlicet : (Inseritur hìc totus tenor litterarum.) *Post quarum quidem litterarum præsentationem, fuimus pro parte supradicti Joannis, rectoris, debitâ cum instantiâ requisiti, quatenùs ad earumdem litterarum executionem procedere deberemus. Nos igitur, attentâ illarum formâ, provisionem, cum inserto tenore ipsarum, expediri, ac dicto Joanni intimari mandavimus; quâ quidem provisione executâ, et in actis reproductâ; visoque postmodùm dicto petio terræ : coram nobis mensurato et appretiato, ut patet ex relationibus supradictorum agrimensorum, et appretiatorum, tenoris sequentis :* (Inseritur etiam hìc idem tenor.) *Captâque diligenti informatione ac monitis auditisque partibus ad dicendum super expeditione causæ; et ad audiendum præsens decretum, ac aliàs, et ad præscriptum supradictarum præinsertarum litterarum fel. record. Pauli Papæ secundi; consideratisque considerandis, dicimus, decernimus et pronuntiamus, concessionem et locationem prædicti terræ petii modiorum trium, supra dictis loco, et finibus designati, ad dictam ecclesiam, sub invocatione Sanctæ Mariæ ad Josaphat legitimè spectantis, sub annuo canone, seu responsione ducatorum sexdecim monetæ hujus regni Neapolis, cedere in evidentem ejusdem ecclesiæ utilitatem; visisque scripturis, omnibusque, actis consideratis considerandis, supradictis omnibus consensum et assensum, nec non licentiam, et facultatem, supradictam concessionem et locationem faciendi concedimus, et impartimur; ita ut licèt desuper fuerit confectum instrumentum, illud tamen de novo conficiatur ac celebretur cum inserto tenore supradictarum litterarum, ac præsentis decreti; non obstantibus omnibus illis, quæ idem S. D. N. Urbanus Papa VIII in supradictis suis litteris voluit non obstare; constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Verùm, finità, vel deficiente tertiâ gene-*

ratione hujusmodi, supradictum terræ petium, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis necnon quibuscumque meliorationibus desuper, pro tempore quomodolibet factis, ad dictam ecclesiam, pleno jure, ac omninò revertatur, illique liberè cedant, absque eo, quòd renovatio locationis hujusmodi, à quoquam, quovis prætextu, vel ex quâcumque causâ peti, aut prætendi possit, juxta formam earumdem litterarum, et non aliter, nec alio modo; et in præmissarum fidem. Dat., etc., *in palatio archiepiscopali Neapolitano, sub anno*, etc., *indictione*, etc., *die*, etc., *pontificatûs*, etc.

Ita pronuntiavi ego Felix Tamburellus vicarius generalis Neapolitan., et delegatus apostolicus.

Ita pronuntiavi ego Vincentius de Januario primicerius ecclesiæ Neapolitan, et delegatus apostolicus.

Pro regularibus verò, ad præscriptum decreti à S. congregatione concilii Tridentini emanati, quò ipsis interdicitur facultas hæc alienandi in suorum privilegiorum, absque ipsius congregationis expressâ licentiâ in scriptis, gratis concedendâ, sub pœnis in eodem decreto contentis, cujus tenorem suo loco apposuimus, porrigitur supplex eidem sacræ congregationi, sicut aliàs diximus : quo in ipsâ proposito si petita hæc facultas concedenda est, ea modo, quo sequitur, videlicet :

Die, etc., *sacra congregatio cardinalium concilii Tridentini interpretum, auctoritate sibi attributâ, commisit vicario Neapolitano, atque ejus ecclesiæ primicerio, ut vocatis, qui fuerint vocandi, ac servatâ formâ litterarum felicis recordationis Pauli II, postquàm comperirent concessionem prædictam ad tertiam generationem, ut supra, si fiat in evidentem monasterii supradicti utilitatem cessuram esse, gratis petitam facultatem oratoribus concedant.*

R. Card. Ubaldinus,
L. (†) S.
F. Paulutius Secret.

Porrò regulares omninò debent in eorum precibus exprimere, cujusnam ipsi sint ordinis, tam in his, quàm in quibuscumque aliis precibus Papæ, per eos offerendis. Verùm, quia sæpè contingit in ipsâ curiâ, eorum ordinem ignorari, ne propterea diutiùs eorum expeditio retardetur, ita stylus admisit, ut dicatur *S. Benedicti, seu alterius ordinis*, quatenùs pro viris regularibus; pro monialibus autem, aut aliis mulieribus, sub quâcumque regulâ degentibus, dicatur *S. Claræ, seu alterius ordinis*. Quare autem horum ordinum in dubio fiat mentio, dicam in meâ Pract. benef. tom. 2, l. 7, n. 7 et 8.

Prout etiam servatur in eâdem curiâ, secundùm rescriptorum qualitatem, quando prorsùs ignorari ibi contingit diœcesim oratoris, sive alterius in supplicatione nominati, vel an sit civitatis vel diœcesis; tunc enim, ob præmissam rationem, sat erit dicere, *supplicat orator N. Neapolitan. civitatis, vel diœcesis*, quia de stylo curiæ, non vitiatur rescriptum, si in eo dicatur, quòd orator sit de diœcesi, si tamen sit de civitate : ex quo, benè civitas ipsa, in diœcesi comprehenditur; cùm diœcesis nil aliud sit, nisi gubernatio, administratio, sive jurisdictio, Mandos. ad regul. 16, q. 42, n. 2, qui n. 6, ait, quòd appellatione diœcesanorum propriè illi veniunt qui sunt de territorio episcopi, sive distinctio, vel divisio finium episcopatuum; in quo etiam civitas ipsa; continetur, c. *Episcopum*, 7, q. 1, et ibi Archid. in princip. quare hìc nihil refert, an d. orator sit de diœcesi, vel de civitate; ac propterea sæpenumerò, et in quamplurimis rescriptis, ubi prorsùs ignoratur, cujusnam civitatis, vel diœcesis sit ipse orator, aut alius in eis nominatus, ut dictum est, sine difficultate admittitur expressio, quòd talis orator, sive alius, sit, verbi gratiâ, Neapolitan., seu alterius civitatis vel diœcesis. Nam etsi vera sit illa DD. distinctio, quod nimirùm, in materiâ odiosâ, si verbum *diœcesis* proferatur à lege vel constitutione generali, appellatione diœces. veniat ipsa civitas per tex. in c. 1, de Rer. permut., in 6, et ibi Gl. in verbo *Diœcesi*. si verò profertur in rescriptis, seu dispositionibus particularibus, minimè ipsa civitas comprehenditur in diœcesi, id verum est in dispositionibus particularibus odiosis præjudicium tertii respicientibus veluti rescriptis ab benef. vel similibus; tunc enim, exempli gratiâ, mandatum de providendo in civitate, non extenditur ad diœcesim, nec è contra, quia materia tanquàm ambitiosa, est restringibilis: prout etiam dicendum est de rescriptis ad lites, c. *Super eo*, de Off. deleg.; cæterùm verò, etiam in materiâ dispensationis, quæ de suî naturâ est odiosa et restringibilis, non sequitur ut, quoad hujusmodi expressionem, veniat restringenda, quia concernit tantùm, favorem dispensatorum; nec alicui aliquod infertur præjudicium; nec est materia ambitiosa; et hanc eamdem differentiam ponit, Felin. in c. *Rodulphus*, num. 8, de Rescrip., et docet Bellam., decis. 141, quod è contra, qui est de diœcesi, satis intelligitur esse de civitate, licèt secùs dicendum sit in materiâ strictâ et odiosâ, ut dictum est; quo casu, appellatione civitatis, id tantùm venit, quod solùm murorum ambitu continetur, et non veniunt, neque suburbia, neque diœcesis, id. Fel., d. n. 1, quod pro ipsius curiæ junioribus dictum sit.

Quare benè facit distinctio Ferret. cons. 220, tanquàm in praxi recepta, nempè quòd, quando agitur de rescriptione ad lites et beneficia, tunc appellatione diœcesis, non venit civitas nec ecclesia cathedralis, Rodulphus, de Rescript., quod loquitur de rescriptis ad lites, quæ sunt odiosa, tanquàm in præjudicium ordinariæ jurisdictionis, hìc etiam text. in c. *Quamvis*, c. De Rescrip. in 6, § 1, ubi loquitur de litteris Papæ ad beneficia, quæ tanquàm ambitiosæ, sunt restringendæ, ut sunt illius formalia verba, gloss. 2, in c. unic. de Rer. perm., in 6. E contra verò, in materiâ non odiosâ, appellatione diœcesis venit civitas ex Abb., in c. *Cùm contingat*, 2. notab. de Form. compet., ubi declarat quòd in litteris gratiæ ad beneficia, quæ sunt ambitiosæ si in illis fit mentio de beneficiis de diœcesi, tunc non venit civitas, quia adest ambitio et præjudicium ordinarii; secùs quando sumus in aliis casibus, præsertim circa executionem hujusmodi dispensationum aliarumque similium gratiarum, et sic in d. *Rodulphus*, et d. c. *Quamvis*, ponuntur duæ exceptio-

nes, in quibus appellatione diœcesis, non venit civitas, nempè propter ambitionem impetrantis, et præjudicium ordinariorum, in reliquis verò in contrarium est jus commune, ut est text. in cap. *Cùm nullus*, § 1, de Tempor. ord. in 6, et in c. *Cùm episcopus*, de Off. Ordin. in 6, et ita per illa jura, tenet Gloss. in d. c. unic. de Rer. permut., eod. l. 3, quòd appellatione diœcesis, venit Civitas per ea quæ supra dicta sunt et ait id. Ferret., d. cons. 220, ferè per tot.

Hic denique non est omittendum, quòd si fortè postquàm per supra dictos commissarios, vigore supra dicti decreti fuerit præcedentibus omnibus supra dictis declaratum, concessionem, seu locationem cedere, vel cessisse in evidentem utilitatem ecclesiæ, poterit tamen per alias veriores probationes probari, et haberi contrarium, nempe, quòd præmissa non cedant in utilitatem ipsius ecclesiæ; sed potiùs in læsionem, eo probato, corruet, prout corruere debet supra dicta locatio, seu concessio, per text. in l. *Si preces*, c. de Præb. minor., ubi adest casus alienationis factæ prædii minoris cum decreto, et causæ cognitione, ut ibi dicitur, quòd si per probationes appareat de falsâ causâ, non tenet decretum, nec alienatio; quod etiam probatur in l. *Magis puto*, § *Si æs alienum*, ff. de Reb. cred., et quod ibi dicitur in minore, procedit etiam in ecclesiâ, quæ utitur jure minoris, c. 1, et c. *Auditis*, de In integ. rest., tenet in terminis Innoc. per illa jura, in c. *Dudùm*, vers. *Tractatus*, de Reb. eccles. non alien., ubi firmat quòd etiam si interveniat causæ cognitio, et decretum, tamen non valet alienatio, nec ex tali alienatione transfertur dominium; nisi in veritate subsit justa causa alienandi; unde, eâ non subsistente, datur ecclesiæ rei vendicatio contra possidentem, et idem per Gemin. in c. *Sine exceptione*, col. fin. 12, q. 2, et in particulari consuluit Abb. cons. 41, vol. 1, ubi erat facta alienatio cum confirmatione Bonifacii Papæ, et tamen Abb. ibi firmat quòd licèt præsumatur in utilitatem ecclesiæ, tamen potest probari contrarium; quo probato, alienatio irritatur, Dec. cons. 133, ubi per commissarios apostolicos, captâ informatione, et interposito decreto, tamen, quia non erant concludenter probata omnia, et singula, summo Pontifici in supplicatione narrata, nihil valuit, quod actum fuit : et docet Jas. cons. 55, vol. 1, ubi, non obstante hoc decreto et informatione, consuluit datâ læsione, omnia in irritum revocari : est namque conclusio in jure, quòd ubicumque narratum in gratiâ, detegitur falsum, corruit ipsa, etiamsi sit facta motu proprio, et ex certâ scientiâ; quia talis motus proprius, et certa scientia, etiam cum clausulâ, *Non obstantibus*, et similes clausulæ operantur, donec probetur contrarium; quare, detecto quòd in hujusmodi alienatione, postquàm illa, vigore præsentis rescripti, facta fuerit, non intervenerit causa legitima, quæ est ipsius ecclesiæ evidens utilitas, concessio Papæ, vel confirmatio evanescit; quinimò, nec refert quòd talis vel similis gratia habeat forsan decretum irritans; quia illud nullum operatur effectûm, ubi gratia principalis, super quâ adjicitur, corruit quandoquidem tale decretum regulatur secundùm principalem gratiam, et tanquàm illi accessorium, quod quidem cùm secundùm suum principale regulari debeat, l. *Cùm principalis*, ff. de Reg. jur. c. *Accessorium*, eod. tit., lib. 6, profectò sublato principali, censetur sublatum et accessorium, arg. text. in l. *Quo jure*, vers. *Item tolle jura*, 8 dist., c. *Si monachus ad clericatum*, 16, q. 1, c. *Præterea*, de Off. deleg. Ac proinde, in casu alienationis sine causâ legitimâ, tam conscientiâ alienantis quàm recipientis, non est tuta quoad Deum, Archidiac. in c. *Non liceat*, 12, q. 2, Abb. in c. *Cùm venissent*, de Judic.; Redoan. q. 22, num. 93.

Et quotidiè videmus, tam in Romanâ Curiâ quàm extra eam, pronuntiari super nullitate alienationum rerum ecclesiasticarum, illarumque restitutione, etiam unà cum fructibus, et hoc tam propter defectum causæ quàm solemnitatis, quod ut plurimùm evenire non ignoramus, ex incuriâ et nimiâ festinatione commissariorum ad id à Sede Apostolicâ in litteris *Si in evidentem*, delegatorum, qui præcipitanter, non servatâ formâ procedunt.

Et aliàs in causâ vertente inter episcopum policastren. et baronem terræ Latronici super revocatione et annullitate concessionis cujusdam territorii factæ ab episcopo prædecessore prædicto baroni, in quâ apparebat, enormissimam læsionem ecclesiæ intervenisse; etiam deficiente beneplacito apostolico, quod præsumi non poterat ob non decursum temporis ad id requisiti, episcopus successor statim habitâ notitiâ de dictâ concessione, illam revocavit, prout facere potuit, datâ invaliditate et nullitate contractûs, per Gloss. in c. 1, de In integr. restit., et ibi omnes scribentes; imò requisivit punirl commissarios delegatos, quòd nullâ præcedente causæ cognitione, ad injustissimum, et nullum decretum processerunt, declarando dictam concessionem validam, nullo apparente tractatu, et in evidentem, ac enormissimam læsionem ecclesiæ. Et licèt conductor obtulisset, se restituere territorium, et sub colore, quòd bonâ fide possederit, negâsset se teneri ad fructuum restitutionem per text. in l. *Sed si lege*, § *Scire*, ff. de Petit. hæred., ubi patet errorem juris minimè malam fidem inducere, unde errans non impediatur facere fructus suos, Bald. in l. 2, c. *Si quis ignor. rem. minor.*, etc., ubi inquit, quòd errans in jure, si propter omissam solemnitatem, contractus sit nullus, facit nihilominùs fructus suos, et sequitur Alex. in l. 1, § *Si vir*, de Acquir poss., et stabitur juramento possessoris, quòd quis erraverit in jure, si est persona fide digna, præsertim cum diutinâ possessione 25 annorum, quo casu, etiam absque titulo bona fides præsumitur, ut per Bald. et Angel. in l. penult., c. *Quibus obst. longi temporis præscrip.*

Quibus non obstantibus, visum fuit, oppositum dici potuisse, et sic potiùs malam fidem præsumendam esse in eo qui præter et contra juris formam concessionem recepit, per reg, *Qui contra jus*, de Reg. jur. in 6, et in l. *Quemadmodùm*, c. de Agric. et cens., nec præsumenda est juris ignorantia; cùm quilibet scire jura præsumatur, l. *Leges sacratissimæ*, c. de Leg.

habitâ maximè consideratione ad personam ipsius conductoris, diligentissimam, litteratam, et industriam versatam in judiciis, et cum doctoribus magnis in civitate Neapolis; sicque minimè præsumi debet ignorâs e tam notoria jura, distractionem rei ecclesiæ prohibentia absque legitimis, et justis causis, et præsertim absque solemnitatibus; potissimùm, quòd in prudente et discreto non sit præsumenda juris ignorantia, ad effectum, ut lucretur fructus, ut consuluit Aret. cons. 17, in fin., et concurrente facti qualitate adhuc præsumitur scientia juris præsuppositâ concessione territorii pro vili et exiguo censu annuo, absque cognitione, contra juris communis dispositionem; unde nullatenùs se potuit excusare à fructuum restitutione, prout in terminis ait Bart in d. l. *Et si lege*, § *Scire*, Felin. in c. *De quàrtâ*, n. 31, de Præscrip. et in c. *Cùm causam*, vers. *Respectu autem fructuum*, de Re jud., ubi subdit communem esse opinionem et sustentabiliorem, ut error juris non excuset possidentem rem ecclesiæ minùs debitè distractam, et idem consuluit Aretin. d. cons. 17, et quòd omninò ipse conductor teneatur ad fructuum restitutionem, est text. apertus in l. *Jubemus*, § *Prædia*, c. de Sacros. eccles., et de jure canonico text. in c. *Non liceat Papæ*, 12, q. 2, et in c. *Si quis presbyterorum*, de Reb. eccles. non alien., ubi quòd liceat quibuslibet ecclesiasticis personis contradicere, et cum fructibus alienata reposcere, et hoc ob malam fidem præsumptam in eo qui contra juris formam concessionem recepit.

Prout neque eumdem conventum excusare potuit decretum commissariorum nulliter interpositum super concessione prædictâ in evidentem damnum, imò enormissimam læsionem ecclesiæ nullo interveniente tractatu, nec causæ cognitione; quare ex hoc nulla competit convento excusatio, ut non teneatur ad fructuum restitutionem, ut firmat Bald. in leg. *Fin.*, c. de Edict. divi Adr. toll., ubi, quòd missus inordinatè in possessionem, licèt auctoritate judicis, non facit fructus suos, et id. in l. 2, ff. de Servit. et Aqu.

Insuper, quòd nec ex verbis instrumenti concessionis, dicentibus tractatum fuisse adhibitum, tueri poterat conventus, cùm sint verba narrativa notariorum quibus standum non est, cùm deberet apparere per publicum instrumentum de ipso tractatu confectum, ut ait Specul. in tit. de Locat., § *Sequitur videre*, vers. *Sit Ecclesia*, prout nec ex temporis diuturnitate poterat præsumi solemnia præcessisse, præsertim cùm liqueat de ipsâ concessione minùs solemni, et sic potiùs de contrario, ut notat Paul. de Castr. cons. 94, Alex. d. cons. 10; Bald. in l. *Si certis annis*, c. de Pact. Et ita fuit pronuntiatum per regium consilium Neapolitanum contra prædictum conventum, prout testatur Grammat. decis. 79, quæ cùm plurimùm ad hanc praxim conferat, et in facti contingentiâ pluries fuisset allegata, visum fuit illam hìc summatim transcribere.

Et sicut pluries observavi, quando agitur de bonis ecclesiæ nulliter alienatis, cum maximâ difficultate devenitur ad restitutionem fructuum. Et nihilominùs certum est, ut bona sic malè alienata debeant Ecclesiæ restitui, unà cum fructibus à die alienationis, Fel. in c. *Cùm causam*, n. 27, de Re jud.; Surd. cons. 115, n. 32; Redoan. de Reb. eccles. non alien. q. 77, cit. num 2; Menoch. de Recuper., remed. 15, num. 634; Surd. decis. 45, num. 10; Rota in unâ Placentinâ bonorum, 26 junii 1585, coram cardinale Blanchetto, cum aliis allegatis in unâ Placentinâ decimarum, coram Durano, quæ est decis. 375, num. 1, p. 5, recent., in quâ fuit dictum, num. 2, emptores non potuisse excusari etiam à restitutione fructuum, quia cùm habuissent plenam scientiam nullitatis contractûs, non poterant allegare bonam fidem, quæ excusat à fructuum restitutione.

Et sicut supra dictum est, potest episcopus agere pro revocatione dictæ concessionis, ac prædictâ fructuum restitutione, non solùm pro ecclesiâ suâ, verùm etiam aliis ecclesiis suæ diœcesis, in quibus ipse, cùm habeat in illis interesse generale, potest agere pro omnibus rebus ecclesiæ sibi subjectæ, scilicet nomine ecclesiæ, non suo, secundum Bart. et Bald. in prælegatâ l. *Sancimus*, 1, c. de Sacros. Eccles., Redoan. d. q. 77, num. 3.

Cæterùm verò, non probatâ ecclesiæ læsione, alienatio præsumitur facta cum causâ, quia commissarius vel delegatus cui commissum est, quòd captâ diligenti informatione, et factâ perquisitione, de causâ ac de aliis narratis in litteris, *Si in evidentem*, concedat facultatem auctoritate apostolicâ, causas expressas veras repererit, ex consequenti præsumitur de antecedenti c. *Prudentiam*, et c. *Præterea*, de Off deleg., ac quòd quisque officium suum diligenter exerceat, cap. *Ad audientiam*, de Rescrip. Quare, quicumque prætendit causas in hujusmodi rescripto expressas non fuisse veras, hoc quidem probare debet, cùm præsumatur pro auctoritate delegati id legitimè interpositâ, id. Redoan. dict. q. 22, num. 88, cum plur. sequent.

Ubi tamen deprehendatur supra dictos commissarios perperàm fuisse executos supra dictum rescriptum, *Si in evidentem*, ob non servatam illius formam, tam quoad utilitatem ecclesiæ, quàm quoad alia, non poterunt, novâ adhibitâ diligentiâ, novum interponere decretum vigore ejusdem rescripti, ut in propriis terminis tenuit Rota in unâ Ferrariens. bonorum, quæ est decis. 651, p. 4, Divers, recent., num. 8, in quâ domini censuerunt non posse gratiam, *Si in evidentem*, etc., nulliter executam, denuò executioni demandari, quia post sententiam semel nulliter latam, tam pontificio, quam Cæsareo jure, judicis delegati jurisdictio expirat, l. *Si ut proponis*, c. *Quomodò et quando jud.*, l. *Judex posteaquàm*, et ibi Gloss. ff. de Re jud., et in terminis excutionis litterarum apostolicarum, tradit Archid. in cap. *Si cui*, in verbo *Contradictor*, de Præb., in 6; quam quidem sententiam eò libentiùs amplexi sunt domini, quia ullo unquàm tempore ecclesia patrimonium ecclesiasticum nulliter alienatum recuperaret, si occupatores possent quan-

documque, si nunquàm expiraret executorum jurisdictio, petere ut novam executionem, tanquàm re integrâ procederetur; ex quo omnis spes in posterum ecclesiæ dicta bona perperàm alienata repetendi auferretur, ut in d. decis., num. 9, rejectis omnibus contrariis, num. 10, Marescott. var. Resol. lib. 1, c. 14, num. 10, ubi comprobat quòd quando alienatio est nulliter confirmata non posset peti ut de novo confirmetur, nec ad id ecclesia cogi posset, sed ejus esset electio, an vellet stare contractui, vel potiùs ab eo recedere, ex juribus ibi allegatis, præsertim in causâ Cortonens. bonorum, 3 julii 1589, et 26 januarii 1590, coram cardinale Platto, et ad quamplura possunt videri in Placentinâ Decimarum, quæ est decis. 350, p. 5, recent., per tot.

Hic etiam subnectere placuit quod non semel in praxi evenisse non ignoramus, nempe supra dictos judices delegatos, si antequàm illis fuerit hoc rescriptum pro illius executione, præsentatum, occurret Sedis Apostolicæ vacatio, non posse ipsâ Sede vacante procedere ad dictam executionem, quia cùm prædictum rescriptum non fuerit præsentatum vivente illo Pontifice, non suffragatur, quia concessio alienationis non est facta per viam gratiæ, sed per viam commissionis, et idcò expirat per obitum Papæ, Dec. in c. *Relatum*, num. 22, de Offic. deleg., prout in propriis terminis de commissione, *Si in evidentem*, adest decis. 128, Ludov. à Peguera, et d. Genuens. in Prax. archiep. Neapolitanâ, et fuit resolutum in causâ Romanâ Horti, 16 decembris 1588, coram cardinale Mantica, et in aliâ Terdonens. bonorum, 13 decemb. 1610, coram Attrebatens. in unâ Romanâ alienationis, 26 novembris 1612, coram archiepiscopo Damasceno, ut dicitur in unâ Nicien. nullitatis contractûs, coram Coccinno, quæ est decis. 473, p. 3, recent., in quâ subditur non obstare quòd cùm versemur in executore ad gratiam exequendam, ejus officium non expirat re integrâ per obitum Papæ, c. *Si super gratiâ*, de Offic. deleg., in 6; nam fuit responsum quòd licèt verum sit quòd rescripta executoria gratiæ non pereunt morte mandantis, secùs verò dicendum est in rescriptis quæ causæ cognitionem requirunt, prout hìc, cùm commissio sit in evidentem utilitatem ecclesiæ, quia pereunt morte mandantis re integrâ, ut dìstinguit Gloss., d. in c. *Si super gratiâ*, in verbo *Principalis*, circa med., vers. *Et non obstat*, cum aliis allegatis in d. decis. 473.

Quare, pro executione litterarum, *Si in evidentem*, est petendum à successore Pontifice indultum, quòd videlicet supra dicti commissarii procedant ad prædictarum executionem litterarum, non obstante obitu prædecessoris, prout docet hæc praxis.

LIBER DECIMUS.

PRAXIS DISPENSATIONISSIVE LICENTIÆ TESTANDI DE REDDITIBUS ECCLESIASTICIS, PRO PERSONIS A JURE PROHIBITIS.

CAPUT PRIMUM.

Praxis prohibitionis testandi de redditibus Ecclesiasticis.

Sicut bona ecclesiastica, sine summi Pontificis facultate, justâque concurrente causâ, nequeunt alienari, ita neque de ipsorum redditibus testari, aut aliàs legitimè disponi posse, certum est; quare facultatem de illis testandi, aut aliter disponendi, dispensationem etiam appellârunt DD. præsertim, Navar. de Redd. eccles. per tot. Propterea, quid Romanæ Curiæ stylus, sive praxis, circa eamdem facultatem concedendam, servet, videre sequitur opportunè.

Pro quâ quidem praxi præponamus satis jure cautum esse ut de fructibus beneficiorum ac præbendarum omnibus beneficiatis prohibitum sit testari, nec modò de bonis ex redditibus ecclesiasticis acquisitis, verùm etiam de bonis emptis pecuniâ, quæ ex eisdem redditibus fuerit collecta; quandoquidem bona ecclesiæ dicuntur omnia quæ intuitu ecclesiæ aut de ecclesiæ facultatibus acquiruntur, et dixit Abb. in c. *Cùm in officiis*, n. 4, de Test., quòd clericus de dictis bonis non potest testari, aut aliter disponere, nisi in quatuor casibus: primò, si clericus tantùmdem de suo Ecclesiæ contulerit, quantùm vult relinquere vel disponere, c. *Si quis quâlibet*, 12, q. 2, cap. *Si quis episcopus*, eâd. caut., q. 5, secundò, de rebus mobilibus et modicis, si adsit consuetudo; tertiò, potest dare intuitu eleemosynæ quam clericus potest facere in infirmitate constitutus; quartò, quandò clericus vult remunerare honesta servitia, tam à consanguineis quàm ab extraneis accepta, c. *Relatum*, § *Licet*, de Test., et indistinctè tenet id. Abb., in c. *Cùm esses*, num. 21, eod. tit., quòd clericus quæcumque acquirit de bonis ecclesiæ, debet conferre ecclesiæ; aliàs punitur, per text. in c. 1, 12, q. 3.

Verùm aliquando dubitari contingit numquid prædictis clericis beneficiatis, ratione consuetudinis, liceat de ipsis redditibus ecclesiasticis testari, ubi viget talis consuetudo, circa quod tres opiniones adducit Sanch. in Opusc. morialib., l. 2, c. 2, dub. 15, num. 7, quarum prima est talem consuetudinem valere, et excusare à peccato beneficiatos vigore illius testantes, etiam ad usus profanos, ac suis cognatis et hæredibus relinquentes, prout dicit in Hispaniâ servari, ubi consuetudo est ab immemorabili tempore, pro iis tantùm, qui non sunt episcopi, cùm sit consuetudo observata et recepta, ac tacito Papæ ac prælatorum consensu approbata. Secunda est, prædictam consuetudinem non esse validam absolutè, sed ad testandum de dictis redditibus ad usus tantummodò pios, et in modicâ quantitate, secùs verò ad usus profanos, vel in magnâ quantitate; quod esset ecclesiæ valdè onerosum, et

Silv., verbo *Clericus*, 4, q. 2 et 3, et aliis ibi relatis. Tertia autem inhæret secundæ, nullâ adjectâ modificatione seu restrictione.

Quare etiam pro eo quod tenuit Romanæ Curiæ usus et praxis, nunquàm ab eâ recedendum esse, jure optimo tenendum est, scilicet, clericos ex redditibus ecclesiasticis, nunquàm testari posse ad usus profanos, et ad augendos cognatos, et alios hæredes, sicut testari possunt de bonis patrimonialibus; quod quidem nullâ posse consuetudine excusari videtur; nam, ut ait id. Sanch., loco cit., num. 10, dùm vivunt, tenentur dare superflua pauperibus; in morte autem omnia sunt superflua, ut ait Apostolus, nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid possumus; ergo dùm moriuntur non possunt ea profanis usibus erogare; prælatus namque, seu clericus, est in vitâ dominus, et in morte servus, nudâ vitâ contentus, ut ait Bald. in c. *Cùm M.*, n. 20, de Constit., ac proinde mala consuetudo, quæ est circa hoc, non excusat; et potissimam præsertim ibi affert rationem, quæ profectò omne dubium submovere videtur, nimirùm, quia licèt prohibitio testandi, sit de jure humano; prohibitio tamen disponendi in usus non pios, est de jure divino, et naturali; idcircò consuetudo non potest derogare, nec contrarium, circa id credibile est, Papam tenere et intendere, licèt aliud dicendum sit de distributionibus quotidianis; quandoquidem in illis percipiendis, magis laboratur, et pleniùs acquiruntur quàm fructus; et ita de illis potest clericus, uti verus dominus liberè testari; quod non potest de fructibus. Ratio enim est, quia illæ potiùs acquiruntur ratione operarum impensarum, quàm ratione præbendæ, ut per Gonzal., ad regul. 8, § 7, numero 164, et seq. Hinc propterea, jam satis notorius Curiæ Romanæ inolevit stylus, ut cùm hæres institutus à clerico, seu presbytero, petit ab ipso Papâ litteras monitoriales in formâ, *Significavit*, pro bonis ad se spectantibus, ratione successionis hæreditariæ talis clerici seu presbyteri, non aliàs ipsæ litteræ dantur, nisi pro bonis et rebus, de quibus ipse clericus, seu presbyter testari, aut aliàs legitimè disponere poterat: et hæc est notoria praxis. Quod quidem intelligendum est, ut excludantur, etiam bona, ex illicitâ negotiatione acquisita, quæ declaravit Pius IV, venire sub nomine spoliorum, ut in suâ constitutione quæ incipit, *Dicens, esse censentes*, sub dat., Romæ, anno 1560, non. novembris, anno primo.

Atverò, quia versatur nostra praxis circa licentiam testandi, quæ episcopis præsertim est interdicta; propterea pariter dicendum est, eo modo, quo Clerici testari possunt de bonis patrimonialibus, ita, et ipsos episcopos posse: et quamvis teneant aliqui, non posse episcopum de bonis propriâ industriâ, post adeptam dignitatem, partis testari ad omnes, etiam profanos usus, attamen probabilius est de dictis bonis episcopum testari liberè posse, ad quosvis usus, sine summi Pontificis facultate: quia, ut ait id. Sanch. dub. 51, n. 4, talia bona, propriâ industriâ et labore acquirunt, et sic sunt illorum absoluti domini, absque ullo pacto tacito vel expresso, ea convertendi in pios usus. Cæterùm de redditibus episcopatûs, certissimum est apud omnes, non posse episcopos testari, etiam ad pios usus, absque facultate Papæ. Ratio, ex eodem Sanch. n. 5, quia id jure ipsis prohibetur in concilio Agatensi, ubi statutum est quòd episcopi, de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant: quidquid verò de provisione suæ ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure ecclesiæ reserventur, ut in c. *Episcopi*, l. 12, q. 1, et in c. *Sint manifesta*, ead. q. 1, ubi Gloss. ait quòd res propriæ episcopi, et res Ecclesiæ debent esse separatæ, ut episcopus in obitu suo, sine interdictione, vel contradictione, quibus voluerit, propria relinquere possit; quodque justum est, ut nec ecclesia, nec propinqui episcopi detrimentum sentiant; aliàs enim semper res, ita acquisitæ, præsumuntur esse de bonis ecclesiæ nisi contrarium probetur: quapropter, si episcopus, vel alius prælatus permixtim utitur rebus suis, suæque ecclesiæ, cùm non sit facta distinctio, cogentur hæredes episcopi probare, illas res non esse ecclesiæ; sicut uxor cogitur probare, res aliquas non esse mariti: quia promiscuè utitur rebus mariti, ut suis, d. Gloss. in verbo, *Probantur*. Ratio, quare jus episcopis, et clericis, ex his redditibus testari interdixit, est, ut scientes in morte non posse per testamentum disponere invitarentur ad illa pauperibus distribuendum in vitâ; et sic effugerent avaritiam, id. Sanch., d. n. 5, ita tamen in proposito distinguit Barb. de Pot. Episc., gl. 114, num. 11, videlicet, aut constat prælatum habuisse bona tempore suæ promotionis, aut constat, quòd non habeat, aut sumus in dubio. Et primo quidem casu, censentur quæsita, non intuitu ecclesiæ, sed personæ, cùm præsumatur pro possessore, et contrarium intendenti, incumbit onus probandi; cùm jam constet illa bona, multò ante eumdem episcopatum, fuisse penes eumdem prælatum. In secundo casu videlicet, quando constat tempore promotionis, prælatum nihil habuisse, pro ecclesiâ præsumendum est, quòd nimirùm illius intuitu, fuerint quæsita. Tertio denique casu, quando res est incerta et dubia; quare neque constat, bona inventa penes prælatum fuisse quæsita ante, vel post episcopatum, tunc etiam pro ecclesiâ præsumendum est quòd illius intuitu fuerint comparata; quæ quidem distinctio rectè desumpta est ex text. in cap. 1, de Testam. in quo hujus negotii solida basis residet, ibi enim Gregorius IX, per hæc verba distinguit, videlicet: *Hortamur ergo, ut sollicitè hoc discutias, et quidquid ipsum habuisse patuerit, à quâlibet personâ detineri nullatenùs patiaris; nisi hoc solùm, quod cùm ante episcopatûs ordinem, proprium habuisse constiterit: quidquid verò ecclesiæ, ante ipsius consecrationem fuisse cognoveris, vel in episcopatûs ordine prædictum episcopum acquisivisse, in ejusdem ecclesiæ dominio conservetur.* Quæ quidem bona, etiam ab intestato deferuntur ad consanguineos, qui legitimè succedunt, ut tenuit Rot., decis. 41, n. 2, de Probat. in antiq.; Leo in Thes. for. Eccl., p. 3,

c. 3, n. 12, ubi præsertim ait hanc conclusionem procedere in episcopo patrimonium habente, nimirùm quòd illius bona hæreditaria præsumantur potiùs quæsita ex redditibus patrimonialibus episcopi, quàm ecclesiæ, ut tenuit Rota in unâ Constantien. bonorum, 18 martii 1560, quæst. 582, p. 3, l. 3, divers., et cùm sit satis notabilis, et sæpissimè viderim, eam in proposito tam in Urbe, quàm alibi allegari, visum est illius tenorem hìc subnectere per extensum, qui talis est, videlicet :

Constantien. bonorum, 18 *martii* 1560 : Mortuo episcopo Constantien., ecclesia omnem illius supellectilem, et alia omnia bona occupaverat, eaque modernus episcopus, nunc tanquàm bona ecclesiæ detinebat; hæredes autem episcopi defuncti ea ex bonis patrimonialibus confecta esse dicebant et asserebant. Hinc que ortâ lite, Rota aliàs judicaverat in favorem ecclesiæ, quia hæres nihil probaverat; dederat tamen hæredibus remissoriam; quâ executâ, et tunc in actis productâ, proposui dubium quod summatim complectebatur dicta testium, an ex his probaretur, vasa argentea, et aliam supellectilem, de quâ in inventario confecto Augustæ post obitum episcopi nullo signo, quam ecclesia pertinere ad hæredes, sive ad ecclesiam. Ecclesia duplici jure se præcipuè tuebatur. Primò, quòd erat eâ in possessione bonorum : unde ad adversarium spectabat onus probandi contrarium concludenter. Secundò, quia adversarius tenebatur probare identitatem corporum, quæ prætendit fuisse in bonis episcopi, quod ex testibus non probatur, Rota tamen, re diligenter consideratâ, ex præsuppositis in puncto, contrarium respondit. Nam cùm constet de paupertate ecclesiæ, et de bonis, et de divitiis proprii episcopi prædefuncti, semper bona quæ reperta fuerunt, non habentia signum ecclesiæ, præsumi potiùs quæsita ex bonis episcopi, quàm Ecclesiæ, Abb. in c. 3, de Pecul. cler., c. *Cùm testes*, n. 4, de Test.; Corn., cons. 314, col. 1, et seq., n. 3; Boec. decis. 20, n. 4; Covar. in c. 1, de Test. n. 7, et seq., qui loquuntur, etiam ubi ecclesia reperitur in possessione, nam hæ præsuppositiones prævalent, Soccin. cons. 91, in 3, Corn. cons. 79, num. 3, in 4; Rom. cons. 159, in fin. Barb., in c. 1, de Pecul. cler. Non obstat quòd bona hæc potuerint esse apud ecclesiam ante promotionem ejus episcopi, quoniam præsumptiones, de quibus supra, hoc excluserunt : deinde, cùm inter hæc bona reperiantur multa notata signo ecclesiæ, sequitur ea quæ existunt sine hujusmodi signo, non censeri esse ecclesiæ; propterea, cùm præsupponatur ex redditibus suis propriis, et legationibus et muneribus sibi oblatis plurima acquisivisse, et tempore obitûs sui non reperiantur alia bona sua, nisi quæ in inventario erant, necessarium est ut dicamus, hæc confecta ex illius bonis, nec aliàs omnes alios fructus evanuisse. Non obstat quòd objiciebatur de identitate, nam hæ præsumptiones ita sufficiunt, ut nisi contrarium doceatur, censeantur esse eadem bona, præsertim, quia tempore obitûs sui in Augustâ, extra ecclesiam suam Constantiam, reperta sunt apud eum talia bona, Anchar., cons. 198, num. 1 et 3. Præsumptiones autem multæ sunt, de quibus in puncto : quibus accedit et confectio inventarii, Bald. in Auth. *Licentiam*, n. 3, c. de Epis. et cleric. Nec ista Rota de jure probabat; quia tamen semper cupit veritatem, quoad ejus fieri possit, invenire, intelligitque morem esse ibi, ut singuli episcopi relinquant inventaria bonorum ecclesiæ; propterea placuit, ut jubeam moderno episcopo, transmittat ista inventaria, quo cognoscere possimus, an bona, de quibus agitur, integrè pertineant ad ecclesiam, aut minùs.

Ita tamen scimus, hodiè ubilibet ferè servari, sicut etiam admonet Barb. de Potest. Episc., gloss. 114, num. 15, ut omnis dubietas circa hoc tollatur, ut debeat episcopus tempore quo episcopatum consequitur, inventarium illarum rerum facere quas ipse ex patrimonio vel alio titulo sibi comparavit, juxta text in cap. de Syracusanæ 29, dist. ibi, *præsentis temporis habitâ rerum descriptione*, etc., et ibi ait id. Barbos. quòd si prælatus non confecerit hujusmodi inventarium, præsumitur contra eumdem, nihil habuisse, et quòd omnia intuitu ecclesiæ acquisiverit, ut in simili de hærede non conficiente inventarium, in Auth. de *Hæred.*, et Falcid., § *Sancimus*, coll. 1, vers. *Patet*.

Postremò, optimè declaravit Pius V, quænam ex prædictis bonis, sub spolio comprehendantur, ut in suâ constitutione, quam infra subjicimus, et præter exempta in eâdem constitutione, adhuc addere visum est, quod à dicto spolio eximuntur, omnia bona patrimonialia, vel ex causâ donationis, successionis, seu legatorum, aut ex fructibus eorumdem bonorum patrimonialium, et donationum, vel successionum acquisita, de quibus ipsi episcopi, seu aliàs beneficiati, liberè, testamento, donatione, vel quocumque alio modo, et titulo disponere possunt, id. Leo, d. cap. 3, num. 12.

Hinc etiam dicimus de jure patronatûs, per clericum beneficiatum fundato, quòd quando non constat ex quibus bonis fuerit fundatum, an videlicet ex bonis patrimonialibus et laicalibus, an verò ecclesiasticis, quia in dubio semper præsumitur fundatum et dotatum ex bonis intuitu ecclesiæ acquisitis, ac redditibus beneficiorum, quo casu certum est ex suppositione, quòd ipsa fundatio, seu dotatio facta sit de bonis ecclesiasticis, non autem patrimonialibus, Felin. in cap. *Ex litteris*, num. 3, de Constitut.; Rebuff. in Praxi signat., 3 par., vers. *Necnon juris patronatûs;* Mascard. de Probat., conclusion. 960, num. 9; Paris. de Resignat. benefic., lib. 2, quæst. 4, numero 39; Achill. de Grass. decis. 214, de Jure patr.; Crescent., decis. 9, eod. tit., et alii, quos refert Garc., de ben., p. 5, capit. 1, n. 593, proinde quoad hoc, usus curiæ datariæque apost. stylus, sive praxis inolevit (quod obiter dicimus), ut quoties clericus beneficiatus fundare ac dotare voluerit beneficium cum reservatione illius juris patronatûs, semper periti sollicitatores, in supplicatione pro hujusmodi erectione petant tale jus patronatûs, ita oratori concedi, quòd sit, et esse debeat de jure patronatûs laicorum, ac propterea ita existat,

et esse debeat; non ex privilegio apostolico, sed ex vero et reali jure patronatûs laicorum, ratione perpetuæ dotationis ex bonis verè et merè laicalibus et patrimonialibus, etc., cum amplioribus clausulis et cautelis, apponi consuetis in supplicatione, summo Pontifici porrigenda pro erectione, et concessione juris patronatûs in beneficio, per clericum beneficiatum erigendo, ut est notum omnibus curialibus, et ego latiùs reassumo in meâ Practicâ benefic. Circa quod omne dubium tollitur, attentâ infra scriptâ constitutione Pii V, quâ cavetur inter cætera, ut nullum fiat à camerâ spolium eorum qui beneficia ecclesiastica obtinebant, valoris triginta ducatorum auri de camerâ, aut pensiones annuas similis summæ; quia licèt res quas clericus post clericatum acquisivit, præsumantur acquisitæ ex redditibus ecclesiæ, attamen id procedit in bonis à prælatis defunctis relictis, qui amplos redditus habebant, non autem ab illis clericis qui juxta eamdem constitutionem non habent majores redditus iis, qui in eâ sunt expressi; quare, si quid acquisiverunt, præsumitur legitimè acquisivisse, id. Leo, d. cap. 3, num. 22.

Ampliorem ponit distinctionem Jul. Clarus in § *Testamentum*, quæst. 27, ubi ait quòd hæc est pulchra quæstio, et sæpissimè contingit in practicâ; et præmittit quòd in hoc proposito possunt considerari quinque genera bonorum, scilicet bona propria, seu patrimonialia ipsius clerici, seu prælati. Item bona ecclesiæ, sive beneficii. Item bona quæsita ex fructibus ecclesiæ. Item fructus collecti in bonis ecclesiæ. Item quotidianæ distributiones, quas clericus percipit in ipsâ ecclesiâ; quam quidem distinctionem cum iis quæ sequuntur, vide apud eumdem doctorem, loco citato.

Infertur etiam hinc ad illam quæstionem, quæ quotidiè in facto occurrit, numquid, videlicet, committat simoniam, renuntians beneficio; ex eo quia vult sibi solvi expensas ab eo factas in quibusdam massaritiis ecclesiæ; quare Felin. cons. 11, numero 6, distinguit, quòd aut impendit de bonis propriis, et potest absque labe simoniæ, aut de bonis ecclesiæ et non potest, aut de bonis utriusque, et compensabitur pro ratâ: si verò res erit dubia, præsumitur expensas fecisse de bonis ecclesiæ, et per consequens non potest illas repetere, ita Abb., in Capitul. fin., de Pecul. cler., ex quo omnia bona prælatorum et clericorum post adeptam dignitatem et beneficia, præsumuntur esse de bonis ecclesiæ, et de bonis ecclesiæ acquisita, cui præficiebantur, nisi contrarium probetur: quare ecclesia fundatam habebit intentionem, super omnibus bonis à prælato defuncto possessis: et possessio bonorum prælatorum continuatur in Ecclesiâ: ita notabiliter Paris. de Resignatione beneficiorum per diversa jura per eum allegata, libro 14, quæst. 7, numero 49, ubi numero 52, limitat id non procedere, quoties constat vel constabit, bona esse patrimonialia et ex redditibus patrimonii acquisita, Roman. consil. 159, numero 4, versic. *Primo casu;* Menoch. de Arbitr. jud., casu 95, num. 4, Bursat., Cons. 376, num. 4, vol. 4.

Ad hanc verò praxim descendendo, dicimus, hujusmodi facultatem petendam omninò esse in specie, etiam quoad usus profanos, per ea quæ superiùs dicta sunt, ex eo quòd si fortè summus Pontifex eam tribuat, ut possit ad quoscumque usus testari, prout ex formulis antiquis apparet, cùm nihilominùs in ipsâ facultate aliud non adderetur, concessa profectò ea tunc intelligebatur quoad usus tantummodò pios, non autem profanos, nisi de ipsis profanis usibus mentio habeatur, quod præsertim decidit Barbat., de Præstant. Card., parte primâ, quæstione quartâ, colum. 4, relatus per Navarr. de Reddit. Eccles., quæstione tertiâ, numero secundo, quia licèt omne privilegium debet ita intelligi, ut aliquid operetur contra jus commune, dato, quòd aliquid operetur, id debet restringi: quare, cùm prædicta facultas sit privilegium, et operari possit effectum testandi ad pios usus, contra jus commune, non debet alium effectum majorem operari, scilicet testandi ad profanos, idem Navarr. loco citato, numero tertio, et pluries ita decisum vidimus, et audivimus in facti contingentiâ, sicut hodiè servatur in praxi, et patet ex formulis infra positis. Hoc quidem benè conceditur, ut possint ipsi pro aliquâ competenti summâ testari in vim alterius, sibi attributæ facultatis; attento quòd extant litteræ in formâ brevis, moderatoriæ bullæ Pauli III, per quam archiepiscopis, episcopis, et aliis prælatis restringitur facultas disponendi in favorem ecclesiarum, et piorum locorum; adeò ut ii non habentes à Sede Apostolicâ licentiam testandi, possint decimam partem tantùm rerum, et bonorum mobilium, et immobilium, et se moventium, ac pecuniarum ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et piis locis, capiendi et acquirendi facultatem habentibus tantùm, non per viam institutionis hæredum, seu donationis, vel legati in vitâ, seu in morte relinquere, prout in dictâ constitutione sub dat. Romæ, sub annulo Piscatoris, 8 martii 1548, pontificatûs sui anno quartodecimo.

Et licèt, ubi ipsius summi Pontificis ad id auctoritas intercedit, ad quoscumque usus, sive pios, sive profanos, aliaque ad sic validè testandum, non requiratur causa, nec ob id hæredes instituti, sive legatarii, aut donatarii ad aliquam restitutionem tenentur; per ea quæ dicit id. Sanch., in ad. consil. moralib. lib. 2, capitulo secundo, dub. 51, num. 7, nimirùm quòd, seclusâ prohibitione testandi, si ipsi testentur ad usus profanos, licèt peccarent, nihilominùs verè dominium transferrent; nec accipientes tenerentur restituere, sicut si in vitâ prodigè donarent; cùm sit veri domini, sed prohibitio testandi, est de jure humano, ut ex supra dictis juribus allegatis patet; et licèt ad usus profanos, ipsa prohibitio sit de jure divino, id tamen est, quoad licitè fieri potest, non tamen quoad dominii translationem; sed dispensatio Papæ in jure humano absque causâ valet.

Nihilominùs regulariter summus Pontifex facultatem ipsam, non ita passim concedit, nisi pro gravi uti-

litate Ecclesiæ, veluti, quia est vir nobilis, aut aliàs de Ecclesiâ benemeritus, vel à quo utilitas speratur Ecclesiæ, ex quo etiam, quatenùs istud sit præceptum divinum, est tamen per Papam dispensabile; quamvis talis testandi facultas non concedatur de talibus redditibus in notabili quantitate, ita ut sit Ecclesiæ valdè onerosa, vel pauperum necessitatibus subveniri nequeat, vel in notabile divini cultûs detrimentum et diminutionem, id. Sanch., loco citato, numero 9.

Illud autem quod etiam huic praxi potissimùm præmittendum, inter cætera duximus, est, quòd diversi Romani Pontifices, bonorum episcoporum, et beneficiatorum decedentium diversorum spoliorum; uti ad cameram apostolicam spectantium. Collectores, et exactores in variis provinciis, et locis deputârunt, qui de illis, tanquàm de rebus ad cameram præfatam spectantibus donando, et transigendo, ac aliàs diversimodè disponere poterant, ut in Constitutione Pauli III, editâ anno 1552, et per Navarr., in Commentar., de Spol. cler., § 5, post princ. In quâ quidem Constitutione idem Paulus testatur, ab antiquissimo tempore citra dicta spolia, cameræ apostolicæ nomine exacta, et inter jura ipsius cameræ connumerata fuisse; ac proinde ad amputandas difficultates, quæ in medium afferebantur, declaravit, res et bona, spolia nuncupata, in quibuscumque regnis et dominiis, tam citra quàm ultra montes et maria, consistentia, quæ pro tempore, post obitum prælatorum, et personarum quantùmcumque, et quomodòlibet qualificatarum, etiam cardinalatûs honore fulgentium qui, vel nullo condito testamento, vel absque sufficienti facultate, aut ultra quantitatem, de quâ facultatem habuerunt, condito, decesserunt et decedent, ad cameram apostolicam, et non ad alios, etiam in quibusvis aliis ecclesiis, monasteriis, cæterisque beneficiis ecclesiasticis, cum curâ, et sine curâ secularibus, et quorumvis ordinum regularibus, spectare; illaque tanquàm ad ipsam cameram spectantia, perpetuò colligi, ac recuperari posse, et debere.

Cæterùm autem quænam bona veniant sub spolio hujusmodi, declaravit felic. record. Pius Papa V suâ peculiari constitutione; quæ cùm sit nimis salutaris, et in viridi observantiâ, hìc inseritur, et est tenoris sequentis, videlicet:

« Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Romani Pontificis providentiâ circumspectâ, ad ea sollicitudinis suæ partes potissimùm convertit, per quæ singulis ecclesiis debita obsequia, et opportuna subventionis auxilia, minimè subtrahantur. Cùm itaque, sicut accepimus, nonnulli patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, et abbates, seu commendatarii, ac alii beneficia ecclesiastica obtinentes, proprii honoris et salutis immemores, etiam prætextu facultatum testandi, eis, per Sedem Apostolicam concessarum, in earum ultimis voluntatibus, res sacras, et vasa, ornamenta, et paramenta ecclesiastica, aliaque cultui divino dicata, quandoque ex fructibus ecclesiasticis, per eos acquisita, non ecclesiis, et monasteriis, ac beneficiis, quibus præfuerunt, seu à quibus proventus ecclesiasticos, et stipendia acceperunt, prout rationi et honestati consentaneum foret, sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdùm eorum consanguineis, et affinibus relinquere, ac cameræ apostolicæ collectores, prætextu, quòd illa sub appellatione spoliorum veniant, tanquàm ejusdem cameræ spolia exigere, et percipere non erubescant, in maximum religionis dedecus, ac ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum eorumdem detrimentum, ac relinquentium animarum periculum, scandalumque plurimorum. Nos abusibus, scandalisque hujusmodi providere, ac singularum ecclesiarum, et monasteriorum, et beneficiorum indemnitati, animarumque quorumlibet saluti consulere volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, hâc nostrâ perpetuâ valiturâ constitutione, statuimus, ordinamus, decernimus, et declaramus, quòd de cætero omnia et singula ornamenta, et paramenta, ac vasa, missalia et gradualia, ac cantûs firmi, et musicæ, aliique quomodolibet nuncupati libri, et aliæ res sacræ, etiam auri et argenti, ac quæcumque alia bona per quoscumque patriarchas, archiepiscopos et episcopos, abbates seu commendatarios, et alios quoscumque, quæcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica, cum curâ, et sine curâ, secularia et quorumvis ordinum regularia in titulum, vel commendam, aut aliàs quomodolibet obtinentes, quocumque nomine vel titulo censeantur, etiamsi de illis et eorum qualitatibus, specialis et expressa mentio habenda foret, ad usum et cultum divinum, etiam in eorum privatis ædibus et capellis, vel oratoriis destinata, tempore eorum obitûs, ex testamento, vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi, et aliàs disponendi de bonis per eos ex altari, vel aliàs quomodolibet acquisitis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores, et successores nostros, ac nos, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et aliàs quomodolibet concessis, et concedendis minimè comprehendantur: nec sub appellatione spoliorum veniant; sed ad singulas Ecclesias, monasteria, etiam conventu carentia, et beneficia hujusmodi, in quibus resederint, aut quibus præfuerint, seu quæ aliàs obtinuerint, omninò spectent, et pertineant, ac spectare et pertinere, illaque post eorum obitum eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis, etiamsi in Romanâ Curiâ, et procul ab illis decesserint, vel ad illa nunquàm accesserint, etiamsi ante Ecclesiarum, et monasteriorum regimini cesserint, vel beneficia hujusmodi renuntiaverint, eo ipso applicata, et incorporata sint, et censeantur. Ita quod liceat illis defunctis in iisdem ecclesiis, monasteriis, et beneficiis successoribus, ac ecclesiarum et monasteriorum hujusmodi capitulis, et conventibus respectivè, illâ propriâ auctoritate liberè apprehendere, ac eorum ecclesiis et sacristiis applicare, et incorporare, ac quæcumque donationes, ac relicta, et legata, testamenta, et codicilli, et aliæ ultimæ voluntates, seu spolia desuper contra præsentis constitutionis tenorem quomodolibet pro tempore facta, quoad præmissa,

nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti existant; et personis, etiam ecclesiasticis, seu locis, etiam piis, aut ecclesiasticis, aliisque quibuscumque, in quarum, seu quorum favorem pro tempore facta fuerint, minimè suffragentur; nec per ea eisdem personis, seu locis, vel aliis ecclesiis hujusmodi aliquod jus in rebus prædictis, vel ad illas acquiri possit. Quinimò res sacras, et alia bona prædicta quocumque nomine, vel titulo pro tempore detinentes, ad illa ecclesiis et monasteriis, ac beneficiis per defunctos quomodolibet acquisitis, ut præfertur, juxta præsentium tenorem realiter, et cum effectu restituendum, et consignandum, quibusvis dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis minimè attentis, omninò teneantur, et ad per censuras et pœnas, etiam furti et sacrilegii, ac alia juris et facti remedia opportuna, cogi et compelli possint et debeant. Insuper, ne deinceps contingat, insolentia spoliorum cameræ apostolicæ collectorum, vel subcollectorum, aliquas ecclesias, nec hominum quemquam damno et injuriâ affici, nec cuiquam de cætero vertatur in dubium quæ res habendæ sint nomine spolii, simili modo statuimus, decernimus et declaramus, quod quæcumque scamna, cathedræ, arcæ et etiam ligneæ, vel lapideæ, etiam marmoreæ, mensæ et tabulæ, ac quæcumque dolia, seu vasa vinaria vacua, et alia similia suppellectilia domestica per quosvis presbyteros seu clericos ab humanis pro tempore decedentes, tempore eorum obitûs in ecclesiis, seu eorum domibus ecclesiarum earumdem, vel alibi ubivis locorum relicta, etiam si ex fructibus et proventibus beneficiorum, quæ dùm viverent, obtinebant, acquisita fuerint, sub spoliorum appellatione, minimè veniant, nec pro spoliis ullo modo reputari possint. Præterea quòd nullum spolium cameræ præfatæ fieri, nec quidquam à quibusvis spoliorum cameræ hujusmodi collectoribus, vel subcollectoribus exigi possit per obitum illius, qui dùm viveret, unum vel plura beneficia ecclesiastica obtinuerit, cujus vel quorum insimul fructus, redditus et proventus, triginta ducatorum auri de camerâ secundùm communem æstimationem, valorem annuum non excesserint, aut qui pensiones annuas, super quibusvis ecclesiasticis, usque ad dictam valorem annuatim perceperit, dummodò tamen is ab omni illicitâ negotiatione, et à sacris canonibus prohibitâ abstinuerit. Ita quòd, si quis dictorum collectorum aliquid ex bonis quorumvis defunctorum, qui similia beneficia obtinuerint, seu similes pensiones perceperint, prætextu spoliorum ejusdem cameræ percipere, aut alias contra præsentes nostras litteras, attentare præsumpserit, ad totalem bonorum per eum perceptorum restitutionem teneatur, ac ad viam juris, etiam per similes censuras et pœnas cogi et compelli possit et debeat. Districtiùs inhibentes quibusvis cameræ præfatæ spoliorum collectoribus, nunc, et pro tempore existentibus, sub indignationis nostræ et privationis eorum officiorum pœnâ, ne in ornamentis, et paramentis, ac vasis, et libris præfato cultui divino dicatis, ac aliàs in rebus sacris, necnon suppellectilibus præfatis quomodolibet se intromittant, nec in eorum inventariis, tanquàm spolia redigant, seu describant; sed ornamenta, et paramenta, necnon vasa et libros, aliaque divino cultui dicata, hujusmodi ecclesiis et monasteriis, capellis, et aliis beneficiis hujusmodi, eorumque rectoribus, et aliis præfatis liberè admittant, et consignent, ac consignari faciant cum effectu, ac suppellectilia prædicta in locis, ubi constiterint, relinquant. Ac decernentes, sic in præmissis omnibus et singulis, per quoscumque judices et commissarios, quâvis auctoritate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, quidquid secùs super iis, à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca, dilectis filiis curiæ causarum cameræ apostolicæ generali auditori, et singulis locorum ordinariis; ac majorem dignitatem, post pontificalem in universis ecclesiis cathedralibus et metrapolitan., pro tempore obtinentibus, per apostolica scripta, motu simili, mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque, ubi, et quando opus fuerit, quoties pro parte quorumcumque, in præmissis interesse habentium, ut præfertur, fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque, firmiter observari ac singulos, quos litteræ ipsæ concernunt, illis, pacificè gaudere: non permittentes, eos desuper quomodolibet indebitè molestari contradictores, auctoritate nostrâ appellatione postpositâ, compescendo. Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon ecclesiarum et monasteriorum hujusmodi juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, facultatibus testandi, aliisque privilegiis, indultis et litteris apostolicis, quibusvis concessis et approbatis, et innovatis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus, specialis et expressa mentio facienda esset, illorum tenores pro sufficienter expressis habentes, illis in reliquis in suo robore permanentibus cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quòd si aliquis ex patriarchis, episcopis, abbatibus seu commendatariis, et aliis beneficatis præfatis pluribus: ecclesiis seu monasteriis, pro tempore simul, vel successivè præfuerit, seu plura beneficia obtinuerit, ornamenta et paramenta, ac res et bona prædicta, ad illa omnia, habitâ ratione fructuum et temporis, quo eadem beneficia possedit omninò pertineant, et proportionabiliter inter ea dividantur. Quòdque præsentes litteræ in cancellariâ apostolicâ, et acie campi Floræ, de more publicentur, et inter constitutiones perpetuò valituras describantur, et quia difficile foret præsentes litteras, ad singula quæque loca deferri, volumus, et etiam declaramus, earum transumptis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus prælati, vel alterius personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ, sigillatis, eadem prorsùs fides in ju-

dicio, et extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, statuti, decreti, declarationis, inhibitionis, mandati et voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverint incursurum. Dat. Romæ, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, tertio kal. septembris, pontificatûs nostri anno secundo. Cæs. Glorierius.

Nonnullæ verò partes ejusdem Constitutionis declarantur per Navar. in Comment. de Spol. cler., § 8, ad quem lectorem, quatenùs opus fuerit, remittimus.

CAPUT II.

Praxis Licentiæ testandi de redditibus Ecclesiasticis pro Cardinale.

Quoniam verò hujusmodi testandi facultatem solus Papa tribuere potest, ut per Navar. in comment. de Spol. cler., § 9, num. 3, cùm ipsi soli, tanquàm universalis ecclesiæ bonorum administratori, sit immediatè à Deo commissa eorumdem bonorum administratio, quorum dominium est Domini Nostri Jesu Christi: eâ generali ratione, quia Domini est terra, et plenitudo ejus, ut ait Leo, in Thes. for. eccles., part. 3, c. 3, num. 31, proinde ut per praxim, et Romanæ Curiæ observantiam, magis ipsius Papæ voluntas, et intentio declarentur, Arg., leg. *Servus plurium*, § fin., ff. de Leg., 3; Rota, decis. 571; num. 3, p. 1; Gonz. ad reg. 8; Cancell., gl. 9, § 2, n. 63, formulam supplicationis eidem summo Pontif. porrigendæ, de more subjiciam: cùm autem hujusmodi testandi facultas S. R. E. cardinalibus sit nihilominùs interdicta, qui sine summi Pontificis licentiâ, testari nequeunt, teste Hostien. in Sum., tit. de Pœnit. et Remiss., § *Cui cardinales*, num. 16, ubi nil aliud pro hoc adducit, nisi, id procedere secundùm consuetudinem Rom. Ecclesiæ; ideò formulam testandi pro cardinale, primò, mox suo loco, alteram pro archiepiscopo sive episcopo subjiciam, cum omnibus decretis, clausulis, restrictivis, modificativis, et ampliativis, juxta recentem curiæ stylum; licèt hujusmodi facultas, pro quibuscumque personis, pro qualitate meritorum, variationem aliquam admittat; prima igitur formula pro eodem cardinale, tali concipitur modo, videlicet:

Dilecto filio nostro Stephano, tituli S. Laurentii in Pane, et perne, presbytero cardinali Duratio nuncupato.

« Urbanus PP. VIII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. De benignitate Sedis Apostolicæ provenire dignum est, ut ecclesiarum prælatis, præsertim S. R. E. cardinalibus, qui pro ipsius ecclesiæ statu salubriter dirigendo, assiduè laborare non cessant, disponendi de bonis suis, libera sit, tam in ultimâ voluntate, quàm aliàs attributa potestas, et ordinatæ per eos, perpetuò roboris firmitate subsistant. Hinc est, quòd, nos volentes te, qui extremum tuæ peregrinationis diem testamentariâ vel aliâ dispositione, prævenire desideras, favore prosequi gratiæ specialis; Motu proprio non ad tuam, vel alterius pro te, nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex merâ liberatione et certâ scientiâ nostris, dictæque apostolicæ potestatis plenitudine, tibi, in recompensationem laborum, quos pro Sede Apostolicâ sustinuisti, et continuè sustines, et servitiorum, quæ eidem Sedi et nobis summo studio et vigilantiâ, hacteuùs impendisti, et quotidiè impendis, ad quorum tamen laborum et servitiorum aut meritorum probationem seu verificationem aliquam, in judicio, vel extra faciendam, neque te, neque tuos hæredes, aut successores, ac jus, et causam à te quomodolibet habentes, et pro tempore habituros, aut quoscumque alios teneri volumus, et declaramus, ultra alias facultates, tibi per quosvis Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos quomodolibet concessas, et alias tibi de jure, consuetudine, privilegio generali vel particulari, quomodolibet competentes, quarum omnium, et singularum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis haberi volumus et quibus per præsentes, nec præsentibus per illas, in aliquo non præjudicari: imò si aliquid in aliquâ ipsarum deficeret, per aliam suppleri posse, et debere decernimus, ut (annulo cardinalitio, sive juribus tantùm illius ratione, cameræ apostolicæ debitis, duntaxat exceptis) de omnibus, et singulis, ac quibusvis bonis, necnon crucibus, candelabris, imaginibus, calcibus, patenis, vasis, vasculis, etiam sacris, pluvialibus et aliis paramentis, et ornamentis ecclesiasticis, aliisque rebus divinis cultui dicatis seu destinatis, et etiam tuæ capellæ, et quæ in capellâ nostrâ detulisti, et pro tempore detuleris, et quibus ibidem usus fuisti, ac etiam te uti contigerit, etiam, quæ aliàs ad sacristiam nostræ capellæ quomodòlibet pertinerent, ubicumque existentibus, ac quocumque modo, viâ, jure, causâ, formâ ad te nunc, et in futurum quomodòlibet spectantibus, pertinentibus cujusque qualitatis, valoris, speciei, et conditionis fuerint, etiam de quâdam parte, quæ à caudatariis prætendi solet, dummodò tamen, quoad bona, et jura hujusmodi capellæ, de illis in favorem alicujus ecclesiæ, seu capellæ, aut loci pii, et arbitrio tuo disponas; necnon de omnibus, et singulis jocalibus, gemmis, etiam pretiosis quomodòlibet S. R. E. cardinale et præsule, ac maximo principe dignis, ac de suppellectilibus, aliisque mobilibus, etiam in pecuniâ cujuscumque generis existentibus ac se moventibus, ac immobilibus quomodòlibet nuncupatis bonis, necnon castris terris, quàcumque dignitate suffultis, villis, domibus, palatiis, vineis, casalibus, possessionibus, aliisque dominiis temporalibus, et jurisdictionalibus, ac feudalibus, meroque, et mixto imperio, sine tamen præjudicio jurium cameræ apostolicæ nostræ, quoad jurisdictionalia prædicta, tam in Urbe quàm extra eam, in quâcumque mundi parte, etiam penès ipsa beneficia ecclesiastica, ecclesias et monasteria infra scripta existentibus, necnon juribus, actionibus et nominibus debitorum, quomodocumque modo, jure, viâ, formâ et occasione, ad te, nunc, et pro tempore spectantibus, in quibuscumque rebus

consistant, etiamsi illa omnia, vel eorum major pars, ex fructibus et emolumentis, tam sancti Laurentii, quæ titulus tui cardinalatûs existit, et cujusvis alterius, tibi pro simili titulo tui cardinalatûs pro tempore assignandis, quàm quarumcumque cathedralium, etiam metropolitanarum et patriarchalium ecclesiarum, quibus te præfici, aut præesse, seu administratorem deputari; et ad quas quandocumque assumi, vel transferri in futurum contigerit, et quorumcumque monasteriorum, etiam consistorialium, prioratuum, præpositurarum, præceptoriarum, dignitatum, etiam conventualium majorum, principaliumque personatuum, administrationum, officiorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ, et sine curâ secularium, et quorumvis ordinum, et militiarum, ac hospitalium, ac etiam sancti Joannis Hierosolymitani, regularium, quocumque nomine nuncupatorum, et quomodocumque qualificatorum, etiam personalem residentiam requirentium, et insimul incompatibilium, quæ ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, etiam in præsumptis, seu aliàs, etiam forsan de facto, absque dispensatione, vel ex regum et aliorum principum nominationibus seu præsentationibus in titulum vel commendam, seu administrationem, aut aliàs quomodolibet obtinuisti, et ad præsens obtines, ac in posterum obtinebis; necnon de quibuscumque aliis fructibus, redditibus et proventibus, etiam ecclesiasticis, ac fructibus, loco pensium, et ipsis annuis, super similibus vel dissimilibus, etiam mensarum patriarchalium, archiepiscopalium, episcopalium, abbatialium, capitulariumque, et monasteriorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus, et emolumentis, ac etiam distributionibus quotidianis tibi, tam reservatis et assignatis, quàm reservandis et assignandis, emolumentisque, quorumcumque Romanæ Curiæ officiorum et locorum montium, tam vacabilium, quàm non vacabilium, sorte principali, seu proprietate; necnon tam ex paternâ, quàm ex aliis hæreditatibus, muneribus et largitionibus, ac quorumvis donationibus, seu aliàs, quâvis occasione, vel contemplatione provenerint, ac qualitercùmque, quomodocùmque et undecùmque, etiam in functionibus quorumcumque munerum, et legationum, et alia quomodòlibet per te acquisita sint, et in posterum acquirentur; necnon de fructibus et proventibus ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum, seu eorumdem occasione, juribus, et actionibus, ac etiam de ipsis pensionibus tibi debitis, et debendis, servatâ tamen in omnibus, et per omnia, nostræ jam editæ, et aliarum, si quas, tam per nos quàm successores nostros Romanos Pontifices edi contigerit, constitutionum super fructibus in exactis, formâ cujuscumque quantitatis, valoris annui, etiam inexcogitati, et qualitatis, seu conditionis fuerint illa omnia, illorumque veros, etiam annuos valores, et denominationes, ac si specificè et sigillatim exprimerentur, etiamsi alia fuerint; quæ in generali appellatione bonorum et suppellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, specialemque notam requirerent, præsentibus pro sufficienter expressis, et specificatis habentes, usque ad quamcumque notabilem, notabilissimam, seu inexcogitabilem summam, per viam testamenti nuncupativi, seu inscriptis, aut epistolarum, seu codicillorum, aut solo verbo vel alio quovis modo, etiam minùs solemni, et sine aliquâ insinuatione, testandi per donationem tam inter vivos, quàm causâ mortis, etiam per viam simplicis distributionis, seu contractûs, omissis quibusvis solemnitatibus, etiam substantialibus, et formis, aliàs requisitis, tam ex jure, quàm per constitutiones, statuta, consuetudines urbis, civitatis, vel loci pii, ubi te ita disponere, aut mori, contigerit in dictâ curiâ, vel extra eam, etiam extra tuam residentiam, in eâdem voluntate permanendo, etiam notario publico, et duobus testibus, aut per tui ipsius cedulam privatam, vel aliàs, seu quâcumque aliâ ultimâ voluntate, et aliàs, prout, et quemadmodùm tibi videbitur, tam in curiâ, quàm extra eam, etiam in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione præsentis, vel aliarum tibi pro tempore concessarum similium, vel dissimilium facultatum; aut quod in vim illarum, seu quod de bonis ex redditibus ecclesiasticis, ut prædicitur, acquisitis, testari et disponere intendas, et velis in quosvis pios et non pios usus, et quarumcumque personarum utriusque sexûs, sive fuerint consanguinei, vel affines, aut nepotes, seu etiam alii quovismodo conjuncti, vel servitores et familiares tui, aut extranei, etiam illegitimi, ex quovis illicito, vel damnato coitu, quàm ex proprio corpore tuo procreati, ac etiam ipsorum illegitimorum parentes, conjuges, filii, descendentes, ascendentes, vèl cognati, seu attinentes; necnon collegiorum, universitatum, ecclesiarum, et locorum, tam piorum quàm non piorum, etiam nondùm erectorum, nec ædificatorum, favorem, et aliàs quomodocùmque et qualitercùmque pro libito, et voluntate tuâ absolutis, etiam præsentibus litteris, in actu condendi testamenti, vel quamvis aliam ultimam voluntatem, ac quamcumque dispositionem, si tibi videbitur, non exhibitis, semel, vel pluries, in toto, vel in parte, etiam successivè, toties, quoties tibi videbitur et placuerit; servatâ tamen formâ constit. nostræ de Superventiâ editæ, disponendi, eaque legandi, relinquendi et erogandi, seu in totum jam forsan facto testamento, donandi, legatis dispositione quâcumque perseverandi, dispositionisque, ut dicitur, semel, vel pluries in toto, vel in parte factas, et faciendas, etiam sæpè et sæpiùs moderandi, limitandi, commutandi, alterandi, et in totum, vel in partem revocandi, ac alias in personas distribuendi; ita ut per priores, et quascumque dispositiones, ut supra factas, et pro tempore quomodolibet faciendas, nunquàm hujusmodi facultates consumptæ dici possint, sed semper, et quandocumque dispositiones prædictas mutare, et alterare, at in totum, vel in partem revocare, aliàs ut supra disponere, etiam quoad priores dispositiones n pios, sequentes verò, in non pios usus factæ fuerint, possis, et valeas; et aliàs, prout tibi videbitur, et placuerit, ac duxeris faciendum et disponendum,

motu, scientiâ et potestatis plenitudine prædictis, liberam, plenam et omnimodam licentiam, et facultatem perpetuò duraturam, tenore præsententium concedimus et impartimur; ac ex tunc testamentum, codicillos, dispositiones, donationes, legata, relicta et erogata, ac ultimam voluntatem tuam hujusmodi, ac etiam quidquid super his per te, etiam nullâ, vel minùs sufficienti facultate suffultum, hactenùs, seu in futurum, in totum, vel in partem testatum, codicillatum, donatum, relictum, erogatum, legatum, et aliàs, tam inter vivos quàm in ultimâ voluntate hujusmodi, seu aliàs quovismodo dispositum esse contigerit, ac omnia, et singula inde secuta, et quæ inde sequuntur, approbamus et confirmamus, eaque valida et efficacia fore, ac perpetuâ roboris firmitate subsistere volumus: supplentes omnes, et singulos juris et facti, ac solemnitatum, etiam substantialium defectus, si qui forsan venerint in eisdem; ac etiam si contigerit te ab intestato, et sine ullâ bonorum tuorum supra dictorum, et aliorum quorumcumque, vel minùs legitimâ et invalidâ dispositione in quâcumque mundi parte, etiam in curiâ prædictâ, ac etiam extra loca debitæ à te residentiæ, etiam nullâ existente causâ decedere, omnia et singula bona, res, jura, actiones, fructus, pensiones, ac alia, quæcumque, et qualiacumque supra expressa, ad sedem et cameram apostolicam, vel ecclesias, monasteria, et beneficia prædicta, vel ad quoscumque alios nullatenùs pertinent, sed ad hæredes tui sanguinis vel alios conjunctos, tibi ab intestato succedentes, integrè, servatâ tamen constitutionum prædictarum formâ, devenire; et quoad bona capellæ, et res sacras, ecclesiis et locis piis per tuos hæredes declarandos deberi, et consignari volumus et mandamus. Decernentes, prædicta omnia, et singula, etiam, ut prædicitur, qualificata necnon spolia cujuscumque valoris, et quantitatis existentia, etiam ex prædictis, et aliàs undecumque provenientia, etiam si prædicta omnia ad summam quantumvis maximam, ac etiam inexcogitabilem ascendant, ac etiam quæcumque alia pro te, pro tempore, relicta, res, et bona, nullo unquàm tempore tanquàm spolia, seu aliàs ad nos et ad Sedem eamdem, et cameram apostolicam, aut ecclesias, et beneficia prædicta, seu in illis, successores, devolvi, seu spectare quomodolibet prætendi, nec hæredes, donatarios, et alios, ad quorum favorem, bona ipsa, quovis modo disposita, seu ad quos illa devenire contigerit, necnon executores, et alios, quibus negotium executionis tuæ voluntatis hujusmodi commiseris, ad solvendum tertiam partem eorumdem bonorum, per te pro tempore relictorum, quæ forsan per constitutiones apostolicas, aut aliàs de jure, vel consuetudine, post tuum obitum, ad dictam cameram, aut ad nos, et successores nostros Romanos pontifices, seu in pios et alios usus, forsan contra infideles, aut fabricam basilicæ principis Apostolorum de Urbe, vel ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum hujusmodi, seu cruciatam sanctam, vel alios usus converti deberet, seu dùm vixeris, convertere debeas; illudque nullâ subsistente causâ, sed pro tuo libitu voluntatis prætermiseris, quam ex nunc tibi et hæredibus, donatariis, et aliis, quocumque titulo, etiam ab intestato successoribus tuis hujusmodi, in recompensationem laborum, et servitiorum, et meritorum probationem, et verificationem in judicio, vel extra, facienda, neque te, neque successores tuos præd. teneri volumus et declaramus, titulo irrevocabilis donationis inter vivos, liberaliter donamus et elargimur, minimè teneri; neque super bonis, per te, ut prædicitur, seu aliàs pro tempore quomodolibet dispositis, seu etiam ab intestato relictis, per camerarium nostrum, pro tempore existentem thesaurarium generalem, commissarium, collectores et subcollectores, vel alios quoscumque agentes pro camerâ, vel tuos, in ecclesiis, monasteriis, beneficiis hujusmodi successores, prædictæ fabricæ præpositos, vel alios quoscumque, quovis modo, directè, vel indirectè, et ex causâ illicitæ negotiationis, etiam quòd fructus ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum prædictorum, propter non residentiam, vel quòd nunquàm illa visitaveris, aut illicitam negotiationem prædictam, et incompatibilitatem beneficiorum quorumcumque nunc, et pro tempore obtentorum, et in posterum obtinendorum, etiam ex eo quòd plures ecclesias, etiam cathedrales, vel metropolitanas, aut patriarchales, monasteria; et alia quæcumque beneficia ecclesiastica, cum curâ, et sine curâ secularia, et quorumvis ordinum regularia, qualitercumque, ut prædicitur, qualificata, etiam personalem residentiam requirentia, et sine dispensatione apostolicâ, simul eodemque tempore, etiam per longissimi temporis spatium, obtinueris, vel ob aliam quamcumque causam, fructus tuos non feceris, sed illos malè et indebitè perceperis; et propterea ad illorum restitutionem, cameræ nostræ, vel ecclesiis, monasteriis, et beneficiis prædictis, fabricæ sancti Petri, vel cuicumque alteri personæ, vel loco tenearis; dummodò super his, causa, te vivente, non fuerit introducta et terminata, molestari, et inquietari posse, nec debere, nec etiam, ex eo quòd in prædictâ curiâ, aut quâcumque mundi parte, vel extra ecclesias, cathedrales et metropolitanas, ad quas forsan te assumi contigerit, aliaque beneficia; curam animarum habentia, et personalem residentiam requirentia, secularia, et quorumvis ordinum, etiam hospitalium, sancti Joann. Hierosolymitani, regularia, et qualitercùmque qualificata nunc; et pro tempore obtenta, et obtinenda, etiam pro tuâ solâ voluntate, et nullâ subsistente causâ, non resistendi, et tam condito testamento, vel aliàs, tam inter vivos, et sine ultimâ voluntate, factâ dispositione, quàm etiam ab intestato, et nullâ, vel minùs validâ et legitimâ dispositione, ut prædicitur factas, te decedere contigerit, constitutione felic. record. Pii papæ quarti, similiter prædecessoris nostri, contra quoscumque episcopos, archiepiscopos, et alios ecclesiarum prælatos, necnon ecclesiarum parochialium rectores, aliàsque personali residentiæ adstrictos extra illam quomodocùmque decedentes

7 kalend. decembris, pontificatûs sui anno primo, seu veriori tempore emanatâ, et aliis quibuscumque constitutionibus, et sacrorum canonum, ac etiam conciliorum generalium et universalium decretis minimè obstantibus, aut alio quocumque prætextu molestari, vel perturbari posse, vel debere : ac etiam decernimus, quam per quamcumque causam; præsentes facultates, ac aliæ tibi concessæ, nullo unquàm tempore, annullari, invalidari, aut irritari possint, neque, te illis privatum, aut indignum redditum, aut aliàs illorum commodum, et utilitatem, in totum, vel in partem amisisse, dici valeat per quemcumque abusum, illicitam negotiationem, decessum extra residentiam, aut aliam quamcumque causam, seu excessum, etiam majorem expressis, etiam inexcogitatum vel inexcogitabilem; sed ordinata per te, ut prædicitur, tam inter vivos, quàm in ultimâ voluntate, semper validâ et firma existant, etiam si tu, nullis ex præd. vel aliis, etiam excogitatis, et inexcogitabilibus defectibus labores, etiam quod disposuisti et dispones ad favorem quorumcumque illegitimorum, non tam ex proprio corpore procuratorum, ut prædicitur indignorum vel incapacium ex quâcumque causâ, etiam in præsentibus, vel aliis facultatibus tibi, ut prædicitur concessis, non comprehensâ, non ad cameram nostram seu fiscum apostolicum, seu ad ecclesias, monasteria, seu loca prædicta, sed ad d. tuos hæredes, et successores, qui ex testamento, seu tibi ab intestato essent successuri, pertineant, aut pertinere prætendi possint. Præsentes verò litteras, nullo unquàm tempore, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu, et prætextu, ac ex quâcumque quantùmvis legitimâ causâ, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari ad terminos juris reduci, ut adversùs illas, quodcumque juris gratiæ, vel facti remedium impetrari, neque sub prædictâ Pii IV prædecessoris nostri super residentiâ, et aliis apostolicis constitutionibus, et sacrorum canonum, ac conciliorum, synodalium, vel provincialium, ac etiam generalium, ac universalium decretis, ac etiam sub quibusvis similium facultatum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, declarationibus apostolicis cancellariæ apostolicæ regulis, et præsertim illa, de jure quæsito non tollendo, per nos, et Sedem eamdem, etiam, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibusvis causis, etiam inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei factis, et in futurum faciendis, comprehensis, sed ab eis semper exceptas; et quoties comprehendi viderentur, toties in pristinum statum restitutas, repositas, et plenariè redintegratas, ac de novo, etiam sub quâvis posteriori datâ, per te, et alios prædictos, à te causam quomodòlibet habentes, ut supra, seu habituros, eligendâ, concessas; semperque validas, et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, nec præsentes per alias similes vel dissimiles gratias tibi concessas, et concedendas revocari, invalidari, suspendi, limitari, atque confundi, sed de illis cumulativè in omnibus et per omnia uti : et si quid in unâ ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere; nec te ad aliquam particularem licentiam, seu indultum, aut confirmationem præsentium à nobis, vel successoribus nostris Romanis pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in aliâ quâcumque simili gratiâ, vel ejus confirmatione, tibi quomodocumque concedendâ, de præsenti mentionem aliquam faciendi, nullatenùs teneri, nec ad illam unquàm necessitate cogi, nec te, tuosque hæredes, legatarios, donatarios, aut alios jus et causam à te habentes, vel habituros, seu quovis alios ad præsentes, in eâdem camerâ, etiam juxta constitutionem Pii papæ IV, de gratiis, qualecumque interesse cameræ apostolicæ concernentibus, intra certum in eâ expressum tempus, præsentandis, et in eâ suisque libris admitti, registrari, faciendis; aut labores et servitia, ac præd. seu causas, et quævis alia, etiam quantùmvis necessaria, in judicio, vel extra probandum, seu verificandum, tuosque hæredes et successores ad solutionem regalium, seu propinarum ullo unquàm tempore teneri, aut ad præmissa seu præmissorum aliqua, ullâ necessitate, causâ vel ratione cogi, vel compelli; nec etiam per viam sequestri, aut alias propterea molestari posse. Et nihilominùs præsentes, ad effectum tuendi possessionem, et dominium hæredum, et successorum prædictorum, sufficere, easque, et inde secuta et sequenda quæcumque semper et perpetuò valida, firma, et efficacia fore, et esse, ac persistere. Sicque in præmissis omnibus, et singulis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, necnon ejusdem cameræ camerarium, thesaurarium, præsidentes, clericos, collectores, subcollectores in quâcumque causâ et instantiâ. Sublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, interpretandi facultate, vel auctoritate judicari, et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostien. et Portuen. episcopis, ac dilecto filio curiæ causarum cameræ apostolicæ auditori generali, motu, scientiâ, et potestatis plenitudine similibus, mandamus, quatenùs ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se vel alium, seu alios præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte tuâ, et quorumcumque donatariorum, legatariorum, hæredum, et successorum quomodòlibet tuorum, et aliorum prædictorum, desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, tibique et aliis prædictis, in præmissis efficaces defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostrâ omnia, et singula præmissa per locorum ordinarios, et cameræ apostolicæ commissarios, et deputatos, et alios quoscumque observari : non permittentes te, vel dictos donatarios, legatarios, hæredes, et successores tuos, aut eorum aliquem desuper à quoquam indebitè molestari, perturbari, aut aliàs quomodòlibet impediri, contradictores quoslibet, et rebelles, per sententias, cen-

suras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia appellatione postpositâ compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, et auxilium brachii secularis invocando, quatenùs opus fuerit. Non obstantibus præmissis Pii IV, super illicitâ negotiatione, et ejusdem super residentiâ episcoporum, archiepiscoporum, et aliorum prælatorum, necnon rectorum, parochialium ecclesiarum cæterorumque personali residentiâ adstrictorum extra illam quomodocumque decedentium, sub datum 7 kal. decembris, pontificatûs sui anno secundo, vel alio veriori tempore, ac etiam Bonifacii Papæ VIII, per quam concessiones de fructibus in absentiâ percipiendis, sine præfinitione temporis fieri prohibentur; necnon aliarum constitutionum, et Sar. canonum et conciliorum, etiam generalium, et universalium statutorum, quibus decernitur, prælatos, et beneficiatos quoscumque propter non residentiam, seu incompatibilitatem, aut illicitam negotiationem, aut aliâ quâcumque de causâ bona acquisita, fructusque ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum, suos non facere, sed eos, ecclesiis seu beneficiis pro eorum reparatione, vel successoribus in eis deberi, vel in alios quoscumque pios usus erogandâ, vel cameræ apost., et alio quocumque modo, vel cuicumque alteri personæ applicanda esse, et quòd in litteris provisionum seu commendarum ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum quorumcumque tibi factarum, et faciendarum expressè caveatur, quod tu quartam, vel tertiam, aut aliam eorum fructuum partem in fabricam Ecclesiæ, paramentorum emptionem, vel fulcimentum, in pauperum alimoniam, aut alios quoscumque pios usus convertere tenearis : ac etiam Pii quinti, sub datum 3 kal. septembris, 1567, pontificatûs sui anno secundo; in quâ disponitur, ornamenta, et paramenta ecclesiarum, sub quibuscumque facultatibus testandi, minimè comprehendi, nec sub appellatione spolii venire, sed ad ecclesias, monasteria, et beneficia quibus præfuerit, pertinere, et aliâ ejusdem Pii V constitutione contra illegitimos, quæ incipit : *Quæ ordini ecclesiastico*, sub datum sexto kal. februarii, pontificatûs sui anno 6, seu alio veriori tempore, et aliis constitutionibus, contra eosdem, et illorum descendentes, uxores, et alias personas prædictas illegitimas, quomodolibet attinentes, tam per eumdem Pium; quàm alios quoscumque Romanos pontifices similiter prædecessores nostros, ac nos editis, necnon Pauli III, Pii IV et Pii V, ac quorumcumque aliorum Romanorum pontificum, pariter prædecessorum nostrorum, sive etiam nostris, et præsertim super prælatorum, et aliorum beneficiatorum decedentium, spoliis, hactenùs editis, et in futurum edendis constitutionibus, et ordinationibus, et declarationibus, ac etiam quibusvis ecclesiarum, monasteriorum, seu aliorum locorum, tam secularium quàm regularium in quibus beneficia hujusmodi forsan fuerint seu à quibusvis illa decendere contigerit, etiam sancti Joannis Hierosolymitani, aliarum quarumcumque militiarum, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ac privilegiis quomodocùmque etiam per nos, et Sedem Apostolicam hactenùs concessis, et in futurum concedendis, etiam si de illis servandis et impetrandis litteris apostolicis contra illa præd. eccl. monasteriis, ordinibus, et militiis, seu illorum præsulibus, administratoribus et magistris, et aliis quibuscumque personis, per te, vel procuratorem tuum hactenùs præstiteris, vel inposterum te præstare contigerit juramentum, ac litteris recol. mem. Alexandri Papæ VI, prædecessoris nostri, per quam etiam forsan motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, inter alia statuit, et ordinavit, quòd tertia vel alia tunc expressa pars omnium, et singulorum bonorum mobilium, et immobilium ex ecclesiis et aliis dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis, seu, aliàs acquisitorum, sed etiam intuitu et contemplatione personæ, pro temporum, provenientium, de quibus per ipsius S. R. E. cardinales pro tempore existentes, quibuscumque testamentis, donationibus, codicillis, et aliis ultimis voluntatibus, quovis modo, etiam ad pias causas quascumque, et alios licitos usus, prætextu similium licentiarum, facultatum et gratiarum, eis pro tempore concessarum, testari, seu disponere contigerit dictæ cameræ, pro cruciatâ sanctâ, et aliis dictæ Romanæ ecclesiæ necessitatibus supportandis, reservare, illaque ad dictam cameram, pleno jure pertinere, ipsamque cameram ea vendere posse, irritumque exindè decrevit, et inane, si secus super his, à quoquam, quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, et quibusvis similium facultatum restrictionibus, limitationibus, modificationibus, revocationibus quomodòlibet factis et faciendis, cancellariæ quoque Apost. regulis, etiam illa, de jure quæsito non tollendo, ac synodalibus, generalibus, et universalibus conc. quomodocùmque editis constitutionibus, decretis, et statutis, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis, tam dictæ fabricæ quàm quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere vel in specie, per quoscumque Romanos pontifices, prædecessores nostros, ac nos, et sedem hujusmodi, etiam iteratis vicibus, concessis, confirmatis, et innovatis, omnibusque aliis, et singulis, quæ in aliis facultatibus testandi, tibi per nos, forsan, concessis voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Decernentes, præsentes litteras, omniaque, et singula in eis contenta, valida, et efficacia fore, et esse, ac suum plenarium, et integrum effectum sortiri, etiam si in eâdem camerâ apostolicâ, juxta constitutionem piæ mem. Pii Papæ IV pariter prædecessoris nostri, sub datum 8 id. augusti, pontificatûs sui anno 6, vel alio veriori tempore, registratæ, et insinuatæ non fuerint : cui constitutioni, cæterisque omnibus, et singulis suora dictis, et aliis quibuscumque in contrarium

quomodòlibet faciendis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs, omisso, et in formâ in illis traditâ, observatâ, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes : illis aliàs in suo robore permansuris, hàc vice duntaxat specialiter, et expressè derogamus, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eâdem sit sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ, apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 3 octobris 1630, pontificatûs nostri anno 8. »

M. A. Maraldus.

Quare nos docet antiquus Curiæ Romanæ stylus, ut parùm obstet Manfred in. Tract. de card., decis. 126, dùm ait ex præscriptâ consuetudine cardinales, sine licentiâ testari posse; quod est omninò falsum, dùm testari nequaquàm possint nisi præcedente sum. Pontificis licentiâ, nec hujusmodi licentia aliquid operatur nisi fuerit in camerâ apostolicâ registrata, ut supra visum est juxta constitutionem Pii IV, quamvis quòd hujusmodi registrationem pro cardinalibus, aliisque qualificatis personis facilè derogari consueverit, teste Germonio de Indult. card., § *Quod tu Romanam*, num. 28 et 29, ubi num. 36, quòd si testamentum cardinalis antiquum reperiatur, quod publicè pro legitimo, validoque habeatur, ac in eo de bonis dispositum sit, de quibus sine licentiâ summi Pontificis disponere vetitum sit, eaque non ostendatur, nihilominùs existimandum est, illud de Papæ licentiâ conditum esse ex Alexand. consil. 101, num. 5, volum. 7.

Quinimò id ex ipsâ practicâ satis liquet; nam cùm tempore fel. record. Pauli V, repentè obiisset bo. mem. cardinales Palavissinus, licèt ipse sicut cæteri eminentissimi cardinales, amplissimam testandi facultatem haberet, statim tamen sua bona fuerunt per cameram apostolicam irremissibiliter incamerata. Quod quidem mihi magnam attulit admirationem; ex eo, quòd in facultatibus hujusmodi cardinalibus concessis ferè semper adjicitur clausula, quòd illæ valeant, etiamsi illi decederent ab intestato : sed tamen audivi, hujusmodi clausulam non adesse in litteris facultatis supra dictis cardinalis.

CAPUT III.

Praxis clausularum licentiæ testandi de redditibus ecclesiasticis.

Hic verò de tribus tantummodò, circa hanc praxim, ac clausulas supradictarum litterarum, quærere visum est; reliqua verò de necessitate reassumam in meâ Practicâ beneficiali. Primò, non semel in dubium audivimus revocari, utrùm licentia, sive facultas testandi de redditibus ecclesiasticis, de quibus aliàs testari non licet, necessariò præcedere debeat testamentum, an verò illud, jam antea conditum, per superveniéntem hujusmodi facultatem revalidetur.

Et quidem tale testamentum valere, docet Barbos., de Potest. episc., alleg. 11, n. 7, ubi ait per supervenientem licentiam hujusmodi, validum esse testamentum priùs conditum; eâ præsertim motus ratione; quia sufficiens est ad ejus valorem, ut habilitas testandi adsit tempore mortis, à quo robur sumit, ubi plures allegat doctores, præsertim Paul. de Castr., hanc sententiam sustinentes in monacho, de licentiâ Papæ testante et ibi ait, quòd quando Papa concedit licentiam testandi, cardinali vel episcopo, de fructibus beneficiorum, hujusmodi licentia se extendit ad testamentum jam conditum : nec quidem id à recto rationis tramite noscitur deviare; quandoquidem, et alibi constat, quòd habilitas superveniens, respectu alicujus actûs, seu effectûs producendi, ita operatur cùm supervenerit, ac si à principio adfuisset, text. in l. *Si quis in senatorio*, in fin. ff. de Rit. nupt., et ibi etiam Not. gloss., et Bald. in l. *Si quis tutor*, § *Quamvis*, vers. *Quid ergo*, ff. cod., et ibi etiam d. Gloss., in verbo *Obliviscuntur*. Hinc nominatus ad beneficia curata, licèt ætate minor, et sic tunc inhabilis, sufficit, quòd reperiatur major tempore acceptationis, ut aliàs diximus, et ait Rebuff., in tract. de nominat., q. 9, post num. 52, per text. in l. fin., c. de Testam., Mandos., Tract. signat. grat. hoc tit., vers. *Occurrit*, ubi tenet, hujusmodi licentiam respicere, seu validare testamentum jam factum, prout in propriis terminis tenet Alex. post. Paul. de Castr., in l. *In militibus*, in princip., c. de Milit. testam., et dixit Bald., in l. fin., col. ult.; R. de *Sent. quæ sin. cert. quant.*, quòd si testator legat centum Berthæ maritandæ, et ipsa jam testamenti tempore maritata erat, eidem debentur illa centum per text. in l. *Si jam facta*, ff. de Cond. et Demonst.; Paris., de Resign. benef., lib. 11, q. 7, num. 9, ubi arguit à gratiâ, *Perinde valere*, quæ habet oculos retrò, et revalidat omnia ab initio, cum omnibus inde secutis; dicens, quòd si Papa concessit abbati privilegium testandi, illa gratia facit ut testamentum jam factum, sustineatur; ita ut illud valeat absque novâ declaratione, et idem, si princeps concessit alicui licentiam faciendi molendinum, illa porrigitur ad molendinum jam factum : quare, secundùm terminos juris, sufficit in testamento adesse facultatem tempore mortis, l. *Si quis filio exhæredato*, § *Irritum*, ff. de Injust. reput. testam.; Alex., in leg. *Et militibus*, c. de Testam. mil.

His tamen non obstantibus, sententia negativa verior est, et in praxi recepta; omissis enim omnibus aliis quæ adduci possunt, facit, quòd cujuscumque rei initium spectari debet, l. *Qui id, quod*, ff. de Donat., l. *Quod ab initio*, et ibi Doc., ff. de Reg. jur., cap. *Firmatur*, eod. tit., lib. 6, cap. *Dudum*, 1, de Elect. card., cons. 104, col. 2, in princip., ubi ait quòd potestas superveniens non validat actum ab inhabili, Felin., in cap. 2, de Constit., num. 22; Alex., cons. 17, num. 4 et 5, vol. 4, sumus enim in casu,

quo requiritur, quòd præcedat licentia et auctoritas, non autem in casu, quo sufficit consensus, qui satis est, ut post actum superveniat, cap. *Suggestum*, de Jure patr., leg. *Cùm vir prædium*, ff. de Usufr.; Barth. et Jas., in l. *Si quis mihi*, § *Jussum*, ff. de Acquir. hæred.; Put. decis. 268, num. 2, lib. 3, quia licentia, nihil aliud est, quàm collatio libertatis ei concessa, qui eam non habet ex se ipso, cap. *Licet*, de Regul.; Bald., cons. 290, lib. 3, ac propterea hujusmodi licentia prohibitionem ostendit, text. in l. fin., c. de Jur. emph., et quoties aliqua forma, solemnitas, in aliquo aliquo actu requiritur, oportet quòd illa præcedat, non autem subsequatur, d. leg. *Si quis mihi*, Bart., in l. *Si autem plura*, vers. *Quandoque requiritur licentia*, de Aqu. plu. arcen., ac proinde id inter licentiam, et consensum noscitur versari discrimen; quia nimirùm, de naturâ consensûs est, quòd regulariter possit subsequi, licentia autem semper debet præcedere, nec eam sequi sufficit, auth. Licentia, c. de Episc. et cler., cap. *Licèt*, de Regular., et in propriis terminis adest notabilis decis. Caputaque, 285, num. 1, p. 3, in quâ expressè habetur quòd licentia concessa cardinali, ad effectum disponendi de rebus acquisitis ex fructibus ecclesiasticis, non validat testamentum antea factum, quia dicta facultas respicit actum faciendum, et sumus in casu, quo requiritur quòd præcedat licentia et auctoritas, Alex., cons. 17, n. 4 et 5, vol. 4, Gonz., ad reg. 8; Cancell., Gloss. 47, n. 49, ubi ait, quòd supra dicta decisio est potissimè attendenda, per quam, sicut dictum est, ita fuit resolutum, ac pluries in facti contingentiâ vidimus, et audivimus practicari; et in simili subdit ibidem id. Gonz., n. 47, quòd facultas ad majoratum instituendum, debet præcedere ipsius majoratûs institutionem, nec ipsum majoratum validari ex licentiâ subsecutâ, nisi expressè majoratus jam factus confirmetur.

Secundò, utrùm supra dicta licentia restringatur ad primum tantummodò testamentum, jam conditum, an verò illius vigore, possint plura condi testamenta. Ratio autem dubitandi, duplex insurgit. Prima, quia hujusmodi licentia, sicut ipsa dispensatio, adeò strictè interpretanda est, ut si aliquid operetur, non sit ampliùs extendenda, capitul. 1, § *Ille verò*, de Fil. presb., in 6. Secunda, quæ primæ est ferè affinis; quia in odiosis et onerosis, prima concessio respicit tantummodò priorem actum, per text. in c. *Non potest*, § 1, de Præb. in 6, ac propterea ita hìc dicendum est, cùm hujusmodi facultas sit odiosa, et tanquàm contra juris communis dispositionem, restringenda, cap. *Quod dilecto*, de Consang. et affin., c. 1, in fin., de Fil. præsb. in 6; Gloss., in Capitul. ordinarii, de Off. ordin., eod. lib.; Abb. in c. *De multa*, de Præb., ac propterea intelligenda est secundùm jus commune, ut illud minùs lædat, quàm fieri possit, id. Abb., in d. c. *De multa*, num. 4.

Nihilominùs contrarium verius est, tanquàm in praxi receptum, quæ ita docet, nempè oratorem posse plures in vim dictæ facultatis testari; cùm satis clarum sit privilegium debere intelligi secundùm naturam materiæ, super quam conceditur, licèt tanquàm dispensatorium strictè interpretandum, ut supra dictum est, Mandos., super reg. 23, q. 4, num. 5. Ea autem est natura testamenti, ut quamdiù testator vivit, revocari possit, et iterùm condi, vel confirmari; ita ergo hæc facultas testandi intelligenda est ut orator quoties sibi placuerit, possit revocare testamentum factum, et iterùm testari. Quod autem dictum est, nimirùm, quòd in odiosis, simplex concessio respicit primum tantùm actum; ita intelligi debet, quandò videlicet primus actus, aliquem habuit effectum, super quo jam ipsa facultas, tanquàm contra jus suum est effectum sortita; quod quidem de testamento dici non potest, nisi post mortem testatoris, ita Navar., in opusc. de Reddit., q. 3, n. 13 et 24, relatus per d. Sanch., in d. Cons. moral., d. c. 2, dub. 52, n. 2, nec dici potest, ipsam dispensationem, sive privilegium suum fuisse sortitum effectum in primo testamento, quod non ex ultimâ testatoris voluntate est intelligendum; ac propterea non est adeò dicta dispensatio restringenda, ut in nihilo prorsùs operetur; ac proinde reddatur in totum inefficax et elusoria; cùm in quâcumque mundi dispositione, ea sit sumenda interpretatio, ut actus magis valeat quàm pereat, ut ait text. in l. *Quoties*, ff. de reb. dub., cap. *Abbate sanè*, de Verb. signif.; Gamb., de Auth. leg., lib. 10, num. 274, concedendo etenim summus Pontifex, ut quis possit condere testamentum, censetur quidem licentiam concedere secundùm naturam testamenti, quæ est, ut possit, quandocumque per testatorem revocari, l. 2, ff. Quemad. testam. aper., quare haud dubiè hujusmodi facultas intelligi debet de ultimâ voluntate testatoris, quæ omninò supponit nullam priorem voluntatem; cùm quælibet dispositio recipiat interpretationem à subjectâ materiâ, etiam verba impropriando, l. fin. *In computationes*, c. *De jur. delib.*; Bart., in l. *Uxorem*, § *Testamento*, ff. de Leg., 3, Bald., in l. *Gallus*, § *Quidam rectè*, in 3 not., ff. de Lib. et posth., et in l. *Hæredes mei*, § *Cùm ita*, ff. ad Trebell. Anchar., cons. 264, quibus quidem juribus sic stantibus, cùm de jure communi detur revocatio prioris testamenti, per aliud posterius, non videtur posse dari ratio, cur hujusmodi facultas non debeat recipere hanc passivam interpretationem, respectu revocabilitatis, seu mutationis voluntatis; cùm verba hujusmodi facultatis, debeant omninò intelligi de testamento valido, et morte confirmato: quod quidem benè etiam suaderi potest, attentâ mente summi Pontificis, hanc licentiam concedentis, ubi nulla ratio suadet, cur ipse intellexerit de primo magis quàm de secundo testamento; cùm nihil suâ interesse videatur à principio, an primum potiùs valeat quàm secundum; ac propterea, cùm sit eadem voluntas quoad utrumque, non debet ista facultas restringi ad primum. Ita etiam ex parte impetrantis, qui aliter sibi imponeret legem, à quâ non posset recedere; attentâ præsertim ipsius testamenti definitione, quòd, videlicet, si voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit; quare si aliter ista facultas

veniret interpretanda, evanesceret, quidem, quoad hoc eisdem testamenti definitio : cùm nullum ipsius testamenti verbum eidem convenerit : cùm enim dicitur, *voluntatis nostræ* non convenit, quia est revocata, dicitur, *justa sententia*, nec etiam, cùm sit contra naturam testamenti; cùm similiter dicitur, *cùm quis post mortem suam fieri velit*, neque convenit; quia, cùm primum testamentum est revocatum, est potiùs de eo, quòd post mortem suam fieri nolit, ac demùm, quia absurdum videtur, quod quis vellet sic relinquere ei, cui nihil relinquere vellet, novis supervenientibus causis, post primum testamentum conditum. Nec propterea valet dicere, quòd in materiâ odiosâ, in actu hominis, quælibet dispositio intelligenda est de primo actu; quando quidem id non procedit, ubi subjecta materia aliud suadet, nimirùm, cùm actus ex suî naturâ sit multiplicabilis, et ubi secundus actus est revocatorius, primi sui natura revocabilis; cùm testamentum possit usque ad mortem mutari, minui, corrui, et revocari, c. ult., *Voluntas*, 15, q. 2, c. *Cùm Marthæ*, de Celebr. miss., quod adeò verum est, ut nullâ ratione possit inveniri via, ut testamenta fiant irrevocabilia; quinimò, nec pactum non revocandi aliquid efficit, Sanch., cons. moral., l. 4, c. dub. 17, et in tantum procedit, etiam si quis juravit se non revocaturum testamentum; quia nihilominùs valet posterius testamentum; nam, cum illud sit de suî naturâ revocabile usque ad mortem, juramentum non aufert hujusmodi testamenti naturam; nullumque medium dari potest, ut testamentum non sit usque ad mortem revocabile, Sylv. et Armilla, verbo, *Testamentum ille*, 1, q. 12, d. *Iste*, n. 4, verum tamen est, quòd qui tale testamentum revocat, efficitur perjurus; quia cùm possit licitè juramentum servare, illud violat, id. Sanch., d. c. 1, dub. 17, in fin., pro quibus omnibus adest notabilis Rot., decis. 47, par. 1, divers. in quâ concessa fuit episcopo Pientin. per summum Pontificem, facultas testandi; ac propterea in dubium revocabatur, an videlicet, dictus episcopus, vigore hujusmodi facultatis, potuerit primum testamentum revocare, et condere secundum; et fuit conclusum affirmativè, ut ex præmissis patet.

Hæc quidem interpretatio, tunc necessaria fortassè videtur, quando videlicet, in ipsâ testandi facultate non fuerit id per summum Pontificem declaratum; sicut videmus in antiquis hujusmodi concessionibus; in quibus simpliciter dicebatur quòd oratori tribuebatur ista facultas; et etiam in quibusdam modernis concessionibus ita vidimus : quare præmissa deservire possent, si talis fortè casus eveniret, quòd ex tenore litterarum prædictæ confacultatis id non apertè constaret. Quare regulariter istis temporibus nulla quidem cadit dubitatio, cùm per clara verba constet, non semel tantùm posse oratorem testamentum ita condere, sed quoties opus fuerit; cùm in formulâ prædictarum litterarum, detur facultas disponendi semel, vel pluries, in toto, vel in parte etiam successivè seu in totum, jam forsan in facto testamento, donatione, legatis, dispositione quâcumque perseverandi; dispositionesque semel vel pluries in toto, ac in parte factas, et faciendas, etiam sæpè et sæpiùs moderandi, limitandi, commutandi, alterandi, ac in totum, vel in partem revocandi, ac aliàs, in personas distribuendi; ita ut per priores, et quascumque dispositiones, ut supra factas pro tempore quomodolibet faciendas, nunquàm hujusmodi facultates consumptè dici possent, sed semper, et quandocùmque valeat orator dispositiones prædictas mutare, et alterare, ac in totum, vel in partem revocare, prout ei videbitur : quod quidem in supra dictis antiquis formulis non adjiciebatur; sed tantùm ita dicebatur, videlicèt : *Pro libito tuæ facultatis, liberè et licitè valeas plenam, et omnimodam licentiam, et facultatem concedimus*, prout in d. decis., sub n. 10, vers. *Iursus*. Quandoque etiam aliud ferè simile in hujusmodi supplicationibus adjicitur decretum, per quod declaratur quòd concessa hujusmodi gratia ac litteræ super eâ conficiendæ, etiam per similes, vel dissimiles concessiones, et facultates testandi episcopo oratori hactenùs factas, ac in posterum faciendas, ac concessas, et concedendas, non confundantur, nec alterentur, aut confundi et alterari censeantur; sed illis, et aliis sibi pro tempore factis, concessis, cumulativè in suî ac hæredum, etc., legatariorum, etc., beneficium et commodum in omnibus et per omnia uti liberè et licitè valeat, et siquidem in unâ ex concessionibus et facultatibus hujusmodi defecerit, id per aliam suppleri. Et licèt in his facultatibus pro cardinalibus, totum id pinguioribus verbis et clausulis explicetur, idem profectò intelligendum est de quibuscumque similibus facultatibus.

Sanè, ob eamdem rationem, tantò magis extenditur ista facultas ad codicillandum; quidquid dicat Soc. Jun., cons. 13, num. 12, vol. 1, qui ita tenuit propter odium hujusmodi facultatis, quæ cùm sit odiosa, venit restringenda; et nihilominùs, oppositum est verius, cùm clara sit illa conclusio, quòd cui permittitur posse testari, potest etiam codicillari, text. est expressus in l. 1, ff. de leg. 1, codicillus etenim nil aliud est, nisi minor ultima voluntas, et minus solemnis; quare, ita se habet ad testamentum, sicut scapha se habet ad navem : licèt enim scapha non sit navis magna, tamen est navis, ut in l. fin., ff. de Fund. instruct., ita etiam codicillus, qui licèt non sit testamentum, tamen ejus naturam habet; unde meritò testamenti appellatione, venit etiam codicillus, DD. in l. 1, ff. de Testam. Dec., cons. 512, col. 1, ad fin., et dicit text. in l. *Sciendum*, ff. de Leg. 1, quòd isti casus testandi, et codicillandi à jure sunt æquiparati : nihilominùs autem bonum est, in supplicatione adjicere hanc etiam codicillandi facultatem ad omne dubium submovendum, ut ait Mandos. in Prax. signat., hoc tit., vers. *Alia etiam*, ubi ait quòd pragmatici Romani hæc communiter ignorant, ac casu quodam, formulas suas conficiunt, vel alibi repertas, ad litteram transcribunt; quo fit ut plerumque rescripta impetrantes, ob pragmaticorum inscitiam, desidiam, et ignaviam, operam, et impensam perdant, Sanch. de Matr., l. 8, disp. 1, n. 38, ubi ex pluribus probat episcopum aut mona-

chum, cui data est potestas testandi, posse etiam codicillum facere aut causâ mortis donare; cùm hæc sint partes ultimæ voluntatis, quæ concesso testamento, conceduntur, et ibi contrarium sentientes reprobat, et probat. id. ex l. Marcellus, ff. de Donat. caus. mort.

Pro quâ autem summa detur cardinalibus hujusmodi facultas, dicendum est quòd diversis temporibus fuit diversimodè observatum; quandoque enim vidimus eam dari pro maximâ, determinatâ tamen summâ; hodie verò regulariter pro quantumvis maximâ summâ; ad differentiam aliorum prælatorum; prout infra in earum formulâ pro eisdem patebit; ac proinde, ipsis cardinalibus in recompensationem laborum quos pro Sede Apostolicâ sustinent, ac serviorum, conceditur facultas testandi pro quâcumque notabili et notabilissimâ et inexcogitabili summâ, ut ex supra dictâ formulâ patet, nec tamen, per hujusmodi sic amplam testandi facultatem, intendit summus Pontif., tertio aliàs præjudicium inferre, sed illa, qualiscumque sit, intelligenda est sine præjudicio tertii, et secundùm jus commune, c. *Ex parte*, 2, in fin. et c. *Super eo*, ante fin., de Off. deleg., c. *Ex multiplici*, ibi, *Quia non fuit intentionis nostræ*, de Rescript. in 6, et habemus integram regulam cancellariæ apostolicæ, per quam Papa declarat, quòd per quascumque gratias, etiam motu proprio concessas, nulli sibi jus quæsitum tollatur, id Mandos. Prax. signat., hoc tit., vers. *Indultum hujusmodi*, fol. 90.

Nunquàm tamen in hujusmodi facultatibus testandi pro cardinalibus annulus cardinalitius, sive jura, illius ratione veniunt: quæ semper in specie, et expressis verbis, omninò excipiuntur. Quisnam verò sit, et quomodò detur novo cardinali, annulus cardinalitius, et quænam, ante illius dationem præcedant, hæc paucula pro iis, qui has cæremonias non viderunt, easque prorsùs ignorant, hìc non ita prorsùs otiosè referre placuit, videlicet, quòd post nonnullas alias cæremonias, in publico consistorio, stantibus antiquis cardinalibus in circulo, ante Pontificem, prior ex novis cardinalibus nominatus genuflectit ante Pontificem, cui Pontifex imponit galerum rubrum super caput ejus, dicens: *Ad laudem omnipotentis Dei, et sanctæ Sedis Apostolicæ ornamentum, accipit galerum rubrum, insigne singulare dignitatis cardinalatûs per quod designatur, quòd usque ad mortem, et sanguinis effusionem inclusivè, pro exaltatione sanctæ fidei, pace et quiete populi christiani, augmento et statu sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, et intrepidum exhibere debeas. In nomine Patris.*, etc., et sic unicuique sigillatim galerum imponit, secundùm ordinationem sive pronuntiationem. Postmodùm in consistorio, sum. Pontifex, eisdem cardinalibus clauditos; eis inhibendo ne quid loqui præsumant in consistoriis aut consiliis, quousque de consilio fratrum duxerit eis os aperire. In secundo autem, seu tertio consistorio, ipse Pontifex aperit eis os in hunc modum, præmissis quibusdam, dicens, *Aperimus vobis os tam in collationibus, quàm in consiliis, atque in electione summi Pontificis, et in omnibus actibus, tam in consistorio, quàm extra, qui ad cardinales spectant, et quos solili sunt exercere. In nomine Patris*, etc. Deinde, ipsi novi cardinales, ad summum Pontificem, unus post alium, accedentes, primus genuflectit ante Pontificem, qui accipiens annulum pretiosum, ad hoc præparatum, immittit in digito annulari dextræ manûs cardinalis; dans ei annulum et titulum, dicens: *Ad honorem Dei omnipotentis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et S. N. committimus tibi Ecclesiam S. N. cum clero et populo, et capellis suis, secundùm formam quâ committi consuevit cardinalibus, qui eamdem ecclesiam in titulum habuerunt.* Et circa camdem annuli dationem, sciendum est, quòd novi cardinales, etiamsi antea erant prælati, non debent portare annulos, antequàm illos habeant à summo Pontifice. Cùm autem acceperint annulum, et titulum, osculantur pedem, et manum Pontificis, qui ipsos cardinales elevat ad osculum oris, prout hæc, et alia vidêri etiam possunt circa id in l. 1 Sacrar. cærem., c. 6, 7 et 8.

Quare, in proposito etiamsi gratia concedatur, sive motu proprio, sive ad supplicationem, cùm transit per datariam apostolicam, semper in illius calce ita additur per dominum datarium, videlicet: *Et citra annulum cardinalitium, seu jura illius ratione, cameræ apostolicæ debita.* Quæ quidem jura consistunt in quingentis ducatis auri de camerâ, qui, post obitum singulorum cardinalium, pro pretio annuli, eis, in eorum ad cardinalatum assumptione, adhiberi soliti, cameræ apostolicæ persolvuntur, prout in Constitut. 7 Julii III, quâ prohibuit ne de his testare possint: quæ quidem emolumenta fel. record. Gregorius XV, Basilicæ S. Joannis Lateranen. ad certum tempus concesserat; postmodùm verò hanc concessionem revocavit et extinxit; ac sacræ congregationi S. R. E. cardinalium, de fide catholicâ propagandâ, cum omnibus et singulis juribus et actionibus in perpetuum donavit et applicavit; ita ut liceat, eisdem S. R. E. card. ejusdem congregationis, vel ab illis deputatis, illa exigere, ac penès montem pietatis deponere, seu in tot locis montium non vacabilium, aut aliàs quovis modo arbitrio congregat. ad effectum illa convertendi in usus, et necessitates dictæ congregationis. Voluitque etiam quòd si aliqui ex ipsis S. R. E. cardinalibus, in eorum vitâ, hujusmodi emolumenta eidem congregationi, pro illius subventione tradiderint, hæredes cardinalis, vitâ functi, ad eorumdem emolumentorum solutionem minimè teneantur; et quod dicta camera propterea, ex quovis quæsito colore, nihil aliud à prædictis hæredibus prætendere possint, etiam ratione stipendii, seu salarii, ut in suâ Constitutione, quæ incipit: *Romanum decet Pontificem*, sub dat. Romæ apud S. Mariam Majorem, 1622, decimo kal. julii anno secundo.

Præterea, prædictus Julius III, in d. suâ constitutione voluit, quòd ornamenta et paramenta, capellæ ipsorum cardinalium, capellæ apostolicæ, in quâ missæ papales celebrantur, et ex quâ pauperibus prælatis, ad Romanam Curiam confluentibus, et paramenta ecclesiastica, cum quibus, processionibus, et aliis solemnitatibus, per Romanos Pontifices fieri solitis, in

cedere possint, non habentibus, subvenitur, devolvantur ; prout etiam cruces, candelabra, imagines, patenas, calices ; et alia cujusvis generis, tam aurea quàm argentea vasa jocalia et quævis ornamenta, et alia utensilia capellæ singulorum cardinalium decedentium, quæ ad eamdem capellam apostolicam pertinent, et per ipsorum cardinalium hæredes prætendi non possint, etiam vigore cujusvis facultatis testandi. Nihilominùs summus Pontifex, ipsis cardinalibus concedere solet hujusmodi facultatem, ut de omnibus paramentis et ornamentis, cæterisque rebus prædictis disponere possint, in favorem tamen alicujus ecclesiæ, seu capellæ, aut loci pii, arbitrio suo, ut in supra dictâ formulâ patet.

An autem hujusmodi facultas duret, durante vitâ summi Pontificis concedentis, an verò per illius obitum exstinguatur, fuit etiam pluries dubitatum, præsertim cùm advenisset annis elapsis casus obitûs, bonæ memoriæ Herculis vicarii archiepiscopi Rossanen., tunc enim illustrissimus nuntius, cùm prætenderet, hujusmodi facultatem extinctam esse per obitum fel. record. Gregorii XV, concedentis, ex eo, quòd litteris hujusmodi facultatis non fuerint infra annum præsentatæ, juxta regulam revalidatoriam cancellariæ apostolicæ, et tunc me patrocinante, obtinuerunt hæredes declarari validam hujusmodi facultatem ; quia ut in similibus terminis tenet 28, Ant. Gomez. in Comment. in l. 43, licentiæ ad instituendum majoratum à rege concessa, post illius obitum, non expirant etiamsi ii, qui acceperunt, illis non fuerint usi vivente rege, qui ea concessit, ubi in illius expositione dicitur, quòd regulariter, concessio gratiæ, vel privilegium principis, est perpetuum, licèt decedat re integrâ, antequàm sit executioni demandatum, per text. in c. *Si super gratiâ*, de Off. deleg., in 6, et ibi Gloss., et communiter DD. in c. *Si gratiosè*, de Rescrip. cod. l., ubi disponitur, quòd solùm quando exprimitur ad vitam, vel voluntatem, expirat per mortem ; secùs verò, si simpliciter, vel in dubio, quia semper perpetuò durat, etiamsi causa, propter quam fuit concessum, expiravit, et sit extincta, facit text. in c. fi., § *Porrò*, de Prec., ubi dicitur quòd, licèt precarium sit revocabile per expressam voluntatem concedentis, nihilominùs non finitur morte, ibi, *porro, precariæ, quæ quandoque de ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ*, text. in l. 1, de Constit. Princip., et in propriis terminis ejusdem facultatis testandi à Papâ concessæ, quòd non expirent morte concedentis re integrâ, tenet Molin. de Just. et Jur., 1 tom., tract. secundo, disput. 141 ; Sanch. de Matrimonio, libro 8, disputatione 29, num. 28, ubi absque dubio, tenet hanc licentiam non expirare ; cùm sit gratia facta, ac proinde, cùm testamentum vim non habeat nisi post mortem testantis, illi, cui licentia testandi concessa est, imputari nequit, concedente, superstite, cùm testatum non esse ; ex quo longiorem vitam adeptus est, quamvis, qui facultatem testandi concessit, et in propriis terminis tenuit Rota in d. Pretin. in quâ etiam dubitatum fuit, an talis licentia expiraverit per obitum Pii IV, concedentis, et fuit conclusum eam durare, etiam post obitum ejusdem Pii, cùm regulariter gratia Papæ non expiret eo mortuo, etiam re integrâ, ut ibi, per diversa jura allegata num. 2, Garc. de Benef., p. 6, cap. 2, n. 328, Barbos., de Potest. epis., alleg. 114, n. 25.

CAPUT IV.

Praxis licentiæ testandi pro archiepiscopis et episcopis, etc.

Postquàm vidimus quid servetur in praxi, circa facultates testandi de redditibus ecclesiasticis, eminentissimis cardinalibus concedendas reliquum est videre quid pariter servetur in eisdem facultatibus cum archiepiscopis, episcopis, cæterisque prohabitis personis. Et quidem, cùm hæc materia sit nimis frequens, et in principio hujus libri præposuerimus, quæ circa id duximus, etiam pro eisdem, necessaria, tantum hìc præmittimus, hujusmodi facultates diversimodè, ac pro qualitate meritorum impetrantium, concedi ; hoc insuper addito, quòd si episcopus ita secum petens dispensari fuerit regularis, erit omninò in principio supplicis libelli, Romano Pontifici porrigendi, explicandum ; cujus quidem ratio ea sanè est, quia difficiliùs ac magis limitatè religiosis, etiam episcopis hæc facultas conceditur, ut optimè, omnique tempore curiales observârunt, teste Bellam. decis. 247, sub tit. de Donat., Barbos. de Potest. episc., alleg. 114, n. 18, ubi ait quòd in episcopo monacho, alia viget ratio efficax, nempe quia ab eo vota in religione emissa non relaxantur nec limitantur ; nisi quatenùs illorum observantia obstet executioni muneris episcopalis, tanquàm majori bono ; quare, cùm teneantur voto paupertatis, factus episcopus ab eo non absolvitur, nec efficitur dominus reddituum ecclesiasticorum, sed solùm administrator ; quæ quidem administratio, cùm finiatur morte, ex quâ incipit testamentum valere, non potest disponere post mortem, quod fit per testamentum, ut ex infra dicendis constabit ; propter episcopatum etenim non liberatur ab aliis substantialibus regulæ ; unde, quidquid acquirit, episcopatui acquirit, text. in cap. unic. 18, quæst. 1, Fran. in cap. 1, num. 75, de Testam., in 6, ubi num. 27, idem dicendum esse ait de religioso facto cardinale, ac etiam de Papâ, quia nulla dignitas liberat quem à substantialibus regulæ, cùm per professionem constituitur homo in statu habente obligationem perpetuam annexam, id. Franc. loc. cit., num. 76 facit Gloss. in cap. 1, et ibi Covar. de Testam. ; quamvis negari non possit quin talis episcopus regularis faciat fructus suos in vitâ, et de eis disponere possit non minùs quàm secularis, Bald. in cap. *Clerici*, 2, num. 7, de Vit. et honest. cler. ; Ludovis. decis. 401, num. 7. Cæterùm, talis episcopus, simpliciter acquirendo, censetur ecclesiæ suæ acquirere ; secùs autem, ubi constet illum noluisse ecclesiæ, sed alteri acquirere ; ac proinde, uti laica et privata persona, acquisitionem bonorum stipulatus fuerit, per quod ostendatur quòd in acquisitione nullam habuerit contempla-

tionem ecclesiæ ; id. Ludovis. decis. 476, num. 2, cum seqq. In proposito igitur in episcopo religioso, duo concurrunt impedimenta, adeò ut si in precibus pro facultate testandi non fuerit expressum illum esse episcopum regularem, ea non valebit. Quare cùm possit summus Pontifex ei impartiri facultatem testandi, propterea, ut ait id. Barbos. Gloss. 114, num. 24, talis episcopus religiosus, etiam si petat, ut possit testari ad opera pia, tenetur hoc duplex impedimentum explicare, videlicet, alterum esse religiosum, alterum esse episcopum ; ac propterea tot requiruntur habilitationes, quot sunt obstacula, vulg. Aur., quod tamen intelligendum, si vellet testari de bonis acquisitis intuitu ecclesiæ, non autem de patrimonialibus ac propriâ industriâ partis, cùm hìc non repugnet episcopalis status, sed tantùm religiosus, id. Barbos. n. 24, Quando igitur episcopus religiosus, pro supra dictâ testandi facultate supplicat, factâ priùs in supplicatione de hoc mentione, postmodùm Papa in suis litteris ita dicere consuevit, videlicet : *Quare Nos volentes te, qui, ut asseris, vel ut accepimus, antequàm ecclesiæ N. præficereris, ordinem fratrum S. N. expressè professus fueras*, etc.

Ut autem, hæc ad suam praxim deducamus, hujusmodi licentiæ litterarum formulam, de more subjicimus, ut sequitur, videlicet :

A tergo : *Venerabili fratri Herculi, archiepiscopo Rossanen.*

Intùs verò :

« Gregorius Papa XV. Venerab. frater, salutem et apost. bened. Quia præsentis vitæ conditio, cursum habet instabilem, et ea quæ visibilem habent essentiam, tendunt invisibiliter ad non esse, tu hoc salubri cogitatione præcogitans diem tuæ peregrinationis extremum, dispositione testamentariâ prævenire, ac de bonis et rebus ecclesiasticis, quæ possides, et in futurum possidebis, liberè disponere posse desideras. Nos itaque volentes te favore prosequi, gratiæ specialis, et à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis à jure vel ab homine, quâvis occasione, vel causæ latis, si quibus quomodòlibet innodatus existis ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes fore censentes, tuis in hâc parte supplicationibus inclinati, tibi, ut de omnibus et quibuscumque domibus, vineis, casalibus, prædiis, possessionibus, proprietatibus, censibus, pecuniis, pecuniarum summis, jocalibus, gemmis, cæterisque rebus et bonis mobilibus, quæ tamen non sint altaris, vel altarium ecclesiarum tibi pro tempore commissarum, aut alicui speciali earumdem ecclesiarum servitio, aut ministerio, seu aliàs divino cultui dedicata, aut ad ejus usum confecta, et immobilibus ac se moventibus, juribusque et actionibus, creditis, ac debitorum nominibus universis, et quocumque nomine nuncupatis, ac quomodòlibet qualificatis, ad te, etiam ratione ecclesiæ Rossanen. cui præsse dignosceris, necnon quorumcumque monasteriorum, etiam consistorialium ac prioratuum, et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine curâ secularium, et quocumque nomine nuncupatorum, et aliàs quomodòlibet qualificatorum, ac quamcumque personalem residentiam requirentium, quæ tu etiam quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis, in titulum, commendam, administrationem, vel aliàs, quomodòlibet obtinuisti, et in posterum quomodòcumque et qualitercumque obtinebis, eorumque et quorumcumque aliorum fructuum, redditnum et proventuum, jurium, obventionum, emolumentorum ac distributionum quotidianarum, etiam loco pensionum annuarum, necnon pensionum quarumcumque super similibus vel dissimilibus, ac aliis quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus ac distributionibus quotidianis, et emolumentis quibuscumque, tibi assignatorum, reservatorum ac reservandorum, et assignandarum, quos et quas exegisti et percepisti, ac in futurum quocumque modo, ad te nunc et pro tempore spectantium et pertinentium, ac tibi per quoscumque et undecumque debitis et debendis ; ac per te non perceptis nec exactis, necnon pensionibus annuis, etiamsi illarum solutionis et perceptionis terminus nondùm advenerit, quas pro ratâ, quæ tibi, tempore obitùs tui debita erit, tuis hæredibus et legatariis, seu donatariis, et aliis infra scriptis, non autem tuis, in monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis hujusmodi successoribus deberi volumus et decernimus, necnon per te, tuis labore et industriâ, ac aliàs quomodòlibet et undecumque, nunc et pro tempore licitè tamen acquisitis et acquirendis, ac ex portionibus, seu locis montium, etiam venialibus et vacabilibus, ac officiorum Romanæ Curiæ emolumentis, quæ hactenùs obtinuisti et exercuisti, obtines et exerces, vel in posterum obtinebis et exercebis, illorumque intuitu, et contemplatione, ac etiam ex nostrâ, seu aliorum Rom. Pontificum regumque et aliorum principum, ac quorumvis aliorum largitionibus, donationibus, et aliâ quâvis occasione vel causâ ad te perventis et perventuris, etiamsi in auro, argento aliisque pretiosis rebus consistant, quorum omnium et singulorum, ac ecclesiarum, monasteriorum et prioratuum, necnon beneficiorum ac fructuum, pensionum, bonorum, rerum, actionum ac portionum, seu locorum montium, ac officiorum hujusmodi qualitates, quantitates, situationes, denominationes, vocabula, ac etiam annuos valores præsentibus, ac si specificè et sigillatim exprimerentur, pro plenè et sufficienter expressis et declaratis haberi volumus, usque ad summam duorum millium ducatorum auri de camerâ in totam, tam pro honestis et decentibus expensis funeris tui, quàm etiam remuneratione illorum qui tibi viventi inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in tuorum fratrum, nepotum ac aliorum consanguineorum et affinium, ac quarumvis aliarum utriusque sexûs personarum, etiam extranearum ; necnon universitatum, collegiorum, ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, hospitalium, ac aliorum piorum et non piorum locorum, non tamen illegitimorum, aut aliàs incapacium favorem, et quosvis alios pios et non pios usus, etiam nullis exigenti-

bus meritis vel causis, ac aliàs pro tuis voluntate et arbitrio liberis et absolutis, toties quoties tibi videbitur, et placuerit, tam in dictâ curiâ quàm extra eam, ac loca debitæ à se residentiæ, testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus, tam inter vivos quàm causâ mortis, etiam solo verbo, vel scriptis, ac aliàs quovis modo, etiam minùs solemni, etiam coram duobus, vel tribus testibus duntaxat, aut etiam epistolâ seu schedulâ solâ manu tuâ scriptâ vel subscriptâ, aut aliàs quâcumque aliâ ultimâ voluntate et dispositione, etiam per viam simplicis distributionis, omissis quibusvis solemnitatibus, etiam substantialibus, et formis aliàs requisitis, etiam per Nos, seu Romanum Pontificem dictæque Sedis legatos, seu etiam constitutiones, et statuta, aut consuetudines urbis, civitatis, provinciæ, regni vel loci ubi te habitare vel mori contigerit, ac aliàs in omnibus et per omnia, prout tibi videbitur et placuerit, etiam in mortis articulo, ac nullâ factâ mentione præsentis vel aliarum tibi pro tempore concessarum facultatum, aut quòd in vim illarum disponere velis et intendas semel atque iterùm, ac toties quoties tibi placuerit, disponere, statuere et ordinare, necnon testamenta, codicillos, donationes, legata, statuta, ordinationes et dispositiones hujusmodi semel vel pluries, ac toties quoties tibi videbitur, mutare, alterare, moderari, in totum vel in partem revocare et abrogare, et alia de novo condere liberè, et absque contradictione vel impedimento (sine tamen præjudicio jurium dictæ cameræ, quoad bona jurisdictionalia, et non aliàs) possis et valeas priùs tamen de omnibus bonis prædictis, ære alieno, et iis quæ pro reparandis domibus, seu ædificiis, consistentibus in locis ecclesiarum et beneficiorum, prædictorum culpâ vel negligentiâ tuâ, seu procuratorum tuorum destructis, seu deterioratis, necnon recuperandis aliis juribus ecclesiarum et beneficiorum hujusmodi deperditis ex culpâ vel negligentiâ supra dictis, fuerint opportuna, deductis, plenam et liberam licentiam et facultatem, apostolicâ auctoritate, tenore præsentium concedimus et elargimur. Decernentes omnia et singula bona immobilia, mobilia, jura, actiones, fructus, aliaque, ut prædicitur qualificata, et undecumque provenientia, per te pro summâ tamen duorum millium ducatorum duntaxat ex testamento vel aliâ dispositione pro tempore relicta, etiamsi te in dictâ curiâ vel extra eam ac loca debitæ à te residentiæ, ut prædicitur, mori contigerit, nullo unquàm tempore tanquàm spolia ad cameram apostolicam, vel Sedem eamdem, aut Nos, seu Romanos Pontifices pro tempore existentes, vel tuos in ecclesiis ac aliis beneficiis hujusmodi successores, vel alios quoscumque devolvi, seu spectare, nec ulli prorsùs spolio subjacere, minùsque licere dilectis filiis thesaurario, commissario vel spoliorum collectoribus, ac aliis cameræ, et Sedis prædictarum officialibus in bonis prædictis manus injicere, aut aliquam eorum descriptionem, seu inventarium aut depositum, seu sequestrum, vel quid simile facere vel attentare, neque id dici, censeri vel prætendi posse; nec collegia, universitates, ecclesias, et loca, ut successores, hæredes, donatarios, aut alios, quibus illa relinquentur, vel ad quos devenient, seu eos quibus negotium executionis tuæ ultimæ voluntatis hujusmodi commiseris, ad tertiam vel aliam bonorum, rerum et aliorum per te pro tempore relictorum, hujusmodi partem, quam Nos, et nunc, collegiis, universitatibus, et aliis locis, ac successoribus, hæredibus, legatariis, et aliis quocumque titulo successoribus tuis liberaliter donamus, fabricæ Basilicæ principis Apostolorum de Urbe, cameræ, seu sacristiæ hujusmodi applicandum teneri; nec te minùsve causam à te pro tempore habentes, super hujusmodi rebus et juribus per te, ut prædicitur, vel aliàs quomodòlibet relictis per Nos, seu S. R. E. camerarium, vicecamerarium, thesaurarium, præsidentes, clericos ac commissarios dictæ cameræ, vel quoscumque alios pro illâ agentes, vel ipsius cameræ spoliorum collectores, subcollectores, exactores, commissarios, provisores, ministros et officiales quoscumque vel tuos, in ecclesiis et aliis beneficiis hujusmodi, successores, ac dictæ fabricæ præpositos, præfectos seu deputatos, aut alios quoscumque quovis prætextu, vel quæsito colore, causâ et occasione, quomodòlibet molestare, perturbare aut impedire, seu camerarium, thesaurarium, præsidentes, clericos, commissarios et alios prædictos quidquam à te, seu tuis hæredibus, legatariis et aliis in quorum favorem dispositum à te fuerit, ratione præmissorum, seu sequestrationis, dissequestrationis, excamerationis, propinæ, seu trigesimæ aut aliorum quorumcumque regalium, vel jurium eis loco salarii vel mercedis, aut aliàs quomodòlibet debitorum aut competentium, petere, accipere vel prætendere ullatenùs unquàm posse; sed præsentes litteras sufficere ad effectum tuendi possessionem vel dominium dictorum bonorum prædictis hæredibus, tàm ab intestato quàm ex testamento, legatariis et quibusvis aliis personis, in quorum favorem dispositum fuerit, ac easdem præsentes litteras, sub quibusvis similium vel dissimilium facultatum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, declarationibus ac dictæ cameræ, vel aliis contrariis dispositionibus, etiam per modum legis, aut statuti perpetuorum, ac ex quibusvis aliis causis, etiam in favorem fidei, seu divini cultûs augmentum, vel dictæ cameræ necessitates, seu aliàs, etiam per Nos, et quoscumque alios Romanos Pontifices pro tempore factis, minimè comprehendi; sed ab eis semper exceptas, ac in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenariè redintegratas, ac de novo, etiam sub quâcumque posteriori datâ, per te, seu causam à te habentes, eligendâ, concessas, validasque et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi et aliis prædictis, in omnibus et per omnia suffragari, neque per similes vel dissimiles facultates, tibi forsan concessas et concedendas contundi, seu in aliquo præjudicari, sed te accumulativè illis, ut volueris uti, et si quid in unâ ex facultatibus hujusmodi defecerit, id per aliam suppleri debere. Sicque per quoscumque judices commissarios, quâvis

auctoritate fungentes, ac S. R. E. cardinales, dictæque Sedis legatos et nuntios, thesaurarium, præsidentes, clericos, collectores et subcollectores hujusmodi, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerab. fratribus archiep. Consentin. ac episcopo Bisinianen., necnon dilecto filio causarum curiæ cameræ apostolicæ generali auditori, per præsentes committimus et mandamus, quatenùs ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios tibi in præmissis, efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ, te facultate et licentiâ hujusmodi liberè uti; nec permittant te aut executores per te deputatos super præmissis per collectores vel subcollectores, seu quoscumque alios quomodòlibet indebitè molestari : contradictores quoslibet, et rebelles, per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque juris et facti remedia, appellatione postpositâ compescendo, invocato, etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus præmissis, ac fel. record. Bonifacii VIII de unâ, ac concilii generalis de duabus dictis dummodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium, ad judicium non trahatur, ac Alexandri VI tertiam partem omnium bonorum, de quibus per quascumque personas ecclesiasticas, vigore facultatum, eis pro tempore concessarum, vel aliàs disponi contigerit, dictæ cameræ pro illius necessitatibus, vel aliàs applicari debere disponentibus, necnon Pii IV, Rom. Pont. prædecessorum nostrorum, super archiepiscoporum, episcoporum et aliorum, ad personalem residentiam adstrictorum, extra eam quomodocùmque decedentium, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam facultatem, indultum et concessionem, testandi de quibusvis bonis in genere vel in specie, et de certâ summâ tunc expressâ, quibusvis personis, etiam cum derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolutis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis pro tempore factis revocantibus, necnon ecclesiæ Rossanen. ac dictorum monasteriorum et ordinum, quorum fuerint, ac ecclesiarum in quibus beneficia prædicta forsan fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis, thesaurario, commissario, collectoribus, subcollectoribus, et quibus aliis personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodòlibet concessis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, spectatis, specifica expressa, et individua; non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda fuerit illis aliàs in suo robore permansuris, hâc vice duntaxat, specialiter, et expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque aut si aliquibus communiter, vel divisim ab apostolicâ, sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut in eorumdem bonorum ecclesiasticorum dispositione, juxta quantitatem residui, erga ecclesias, à quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas; prout conscientia tibi dictaverit, et animæ tuæ saluti videris expedire. Dat. Romæ, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 18 martii 1623, pontificatûs nostri anno tertio. »

S. cardinalis S. Susannæ.

Camera etenim apostolica adeò habet intentionem fundatam super bonis episcoporum et aliorum beneficiatorum, ut statim ac decessit prælatus seu beneficiatus, nuntius, seu collector aut subcollector nedùm debeat, imò verò tenetur post obitum prælati seu beneficiati sequestrare fructus jam maturatos, ac alia bona ejusdem defuncti; quandoquidem, etsi asseratur seu in promptu exhibeatur ab hæredibus defuncti, facultas testandi pro quâcumque, sive definitâ, sive indefinitâ summâ, seu quantitate pecuniarum et bonorum ejusdem defuncti, non debent supra dicti desistere à sequestratione eorumdem, quia, cùm certum sit quòd prædicta jura debeantur Papæ, ergo ipsius cameræ, quæ introïtus et alia ad Papam spectantia, colligit, custodit et distribuit, illaque succedit in spoliis seu bonis ad ecclesias spectantib., Mandos., super reg. 4, q. 6, n. 4, 5 et 6.

Proinde non obstante exhibitione prædictæ facultatis testandi per Papam concessâ, non est abstinendum à supra dictâ fructuum et bonorum sequestratione; quia facillimo negotio contingere potest, dictam facultatem non esse ex aliquâ causâ justificatam, prout sæpè id contigisse, ac passim contingere scimus. Nec æquum est, quòd hæredes sibi ipsis justitiam ministrent, sed opus est, quòd prædictorum spoliorum collector cognoscat de validitate, seu invaliditate prædictæ facultatis; quâ cognitâ, et nihil in contrarium adducto, consignabit salvis aliàs juribus suis, hæredibus, quantitatem pecuniarum, et bonorum in ipsâ facultate contentorum, ut infra dicetur sub n. 19, vers. *Quinimò*, aliàs enim si hæredes ad eorum libitum vellent exequi dictam facultatem, innumeræ fraudes fierent in præjudicium ejusdem cameræ, quæ succedit in locum beneficiati, etiam in fructibus decursis in ejus vitâ, Seraph. decis. 608, num. 1.

Quæ autem ex formulâ breviter adnotanda duximus, hæc sunt, videlicet :

Primò, quòd episcopo datur clausula, *Teque absolventes ad effectum*, etc., quia prohibetur excommunicatus testari, ut tenet Gloss. in cap. *Decernimus*, de Sent. excom., in 6, licèt contrarium sit verius, quia excommunicatus retinet dominium, et administrationem rerum suarum, ac potest contrahere, ut not. in c. *Veritatis*, de Dol. et cont., præterea testari potest omnis ille, qui non reperitur expressè prohibitus, ut patet instit. *Quib. non est permis. fac. testam.*, circa fin., sed excommunicatus non reperitur prohibitus à jure, ergo potest testari, Innoc. in cap. *Cum voluntate*, de Sent. excom., ista enim prohibitio specialis est tantùm propter hæresim; quia hæreticus testari non po-

test, ut in c. *Excommunicatus*, § *Credentes*, de Hæret. Quare, hæc absolutio, in præmissâ formulâ hujusmodi facultatis, videtur potiùs ad cautelam, quàm ex necessitate, apposita, veluti si fuerit excommunicatus pro tali crimine, propter quod interdiceretur condere testamentum, veluti propter usuras, ut in c. *Quanquàm*, de Usur., in 6, Franc. in c. *Licet*, n. 32, de Test., in 6, qui multa pro utràque opinione congerit, loc. cit., Jul. Clar., in § *Testamentum*, q. 24, ubi ait quòd, quidquid antea fuerit, hodie contraria opinio est verior, scilicèt quòd excommunicatus possit testari, ut per Abb. in rubr., de Test., n. 5, cum pluribus aliis auctoritatibus ibi per eumdem Clar. adductis, qui fin. d. q. concludit, quòd est communis sententia fèrè omnium, maximè in occultè excommunicato, et hæc opinio intrepidè tenenda est, ubi duo concurrant. Primùm, quòd non sit excommunicatus ex causâ, quæ aliàs redderet illum intestabilem; secundùm, quòd excommunicatio sit occulta; si verò hæc duo non concurrerent, res non esset sine difficultate. Si quis autem cupit nonnullas in proposito videre distinctiones, adeat illustrissimum et reverendissimum D. Antonium Ricciullum, in suo celeberrimo tractatu de Jur. pers. extr. Eccles. exist., l. 5, c. 58, per tot., qui insignis doctrinæ præstantiam, cum nobilitate conjungens, se hâc nostrâ tempestate, oculis omnium conspicuum reddit. Hæc est autem inveterata praxis curiæ adjiciendi supra dictam clausulam *Absolventes*, vigore secundæ partis signaturæ, incipientis, *Et cum absolutione à censuris ad effectum*, etc., quæ tamen non apponitur in litteris pro cardinalibus, sive gratiam, sive justitiam concernentibus, prout in priori formulâ licentiæ testandi pro cardinale patet: illis etenim datur ista facultas motu proprio, episcopo autem ad supplicationem, quia absolutio motu proprio non datur sed tantùm ad supplicationem, Mandos. in Prax. signat., grat. tit. *Absolutiones*, vers. *Absolutiones non consueverunt.*

Secundò, archiepiscopis, episcopis aliisque personis non datur hujusmodi dispensatio, nisi pro certâ et determinatâ summâ: hoc quidem, ne sub prætextu incertæ quantitatis, seu valoris, Papa, seu camera decipiatur, ac defraudetur; putans spolia esse parvi momenti, cùm tamen ea sint magni valoris, et hoc modo unus, sibi plurimorum stipendia vindicarent contra, text. in c. *Quia nonnulli*, de Cler. non resid., quare Papa valorem spoliorum ignorans, non posset juxta qualitatem personarum distribuere, ut ait, id. Mandos. in d. prax., eod. tit., vers. *Addit aliquando signatura.* Quinimò, etiam patriarchæ, archiepiscopi et episcopi in capellâ, Romano Pontifici assistentes, licèt ex Constitutione Julii III, incip. Romanus Pontifex, possint testari pro summâ duorum millium ducatorum, teste Zerol. in prax. Episcop., verb. *Assistentes in capellâ Papæ*, p. 2, videmus tamen quòd tribuitur eis talis facultas regulariter pro summâ mille ducatorum, licèt in reliquis, eisdem consueverit sum. Pontifex, etiam per suas peculiares litteras, nonnulla privilegia, exemptiones, et prærogativas impartiri.

Primò, nimirùm, quia eos creat nobiles, eisque, ut omnibus privilegiis, quibus alii nobiles, etiam de nobili comitum genere etiam, qui illustres reputantur, etiam ex utroque parente procreati, in omnibus, et per omnia, ac si de illustri genere ex utroque parente, procreati forent; ita quod inter eos, et ipsos illustres quoad nobilitatem, et alia, ad illam necessaria, nulla sit differentia, nec fictio, locum habeat.

Secundò, quòd, dum in curiâ præsentes erunt, à solutione vectigalis vini pro sex vegetibus, de quibus suo arbitrio disponere valeant, ad instar cameralium, sint exempti.

Tertiò, eis concedit unam portionem panis honoris nuncupati in palatio apostolico dietim habendam.

Quartò, ut possint creare tres viros probos, et d id qualitatibus requisitis præditos, in Sedis Apostolicæ notarios, qui vulgò protonotarii nuncupantur.

Quintò, ut possint creare alios octo viros habiles, et idoneos, ac qualitatibus ad hoc requisitis præditos, auratæ militiæ equites, eisque, ut torquem aureum, et ensem, ac deaurata calcaria gestare, cum omnibus privilegiis, etc., quibus alii equites utuntur. Citrà tamen exemptionem à Trident. concilio sublatas, facultatem impartitur.

Sextò, ut in privato domûs suæ oratorio, etiam in almâ urbe existente, per vicarium ipsius Pontificis priùs visitando et approbando, unam missam pro unoquoque die, per seipsum, seu per quemcumque sacerdotem secularem, sive regularem: ac si ab urbe abfuerint, paschatis, resurrectionis, pentecostes, et nativitatis Domini, aliisque solemnioribus exceptis, in formâ consuetâ, celebrare valeat.

Septimò, ut possit transferre quascumque pensiones annuas, pro summâ quingentorum ducatorum auri de camerâ in formâ consuetâ, etc.

Octavò, ut possit testari pro summâ ducatorum mille auri de camerâ, sicut supra dictum est, in formâ consuetâ; quamvis pro majori summâ eisdem vidimus quandoquè hanc tribui facultatem.

Iis verò episcopis, archiepiscopis et patriarchis, qui sunt scriptores apostolici, per fel. record. Paulum III, concessum est, 1° ut ultra patrimonia, et alia bona, de quibus de jure communi, ac juxta privilegia, et indulta, populo Romano, et curialibus concessa, testari poterant, de aliis quibuscumque bonis mobilibus et immobilibus: 2° necnon fructibus, etc., et emolumentis ecclesiarum etiam cathedralium, et metropolitanarum, ac patriarchalium, et monasteriorum, ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, ac pensionibus annuis super fructibus ecclesiasticis, usque ad summam sex millium ducatorum auri de camerâ duntaxat, testari valerent; quam quidem facultatem Julius etiam III, usque ad quamcumque summam extendit. Pius verò IV, cùm sibi innotuisset quàmplures prælatorum, ecclesias etiam pingues, et magni redditûs obtinentes, et præfati Julii III extensione; cameram apostolicam defraudantes, officia scriptoriæ hujusmodi quotidie acquirere, stude-

re, ut possent testari usque ad quantumvis notabilem summam; extensionem hujusmodi revocavit, dictamque facultatem testandi ad primò dictam summam sex millium ducatorum reduxit, cum clausulâ, *sublata*, prout in suâ constitutione, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, anno 1560, id. martii anno secundo.

Tertiò, ubi cardinalibus conceditur ista facultas, ut illius vigore possint testari in favorem, etiam illegitimorum, ex quovis illicito, vel damnato coitu, in aliis tamen facultatibus pro episcopis, semper additur clausula: *Non tamen illegitimorum, aut aliàs incapacium*, etc., licèt nonnullis antea permissum fuisset testari ad favorem propriorum filiorum illegitimorum; seu spuriorum, ac de jure incapacium, seu aliàs prohibitorum, attamen Pius V hujusmodi facultates testandi, aut quovis alio modo disponendi de acquisitis bonis ecclesiasticis, ac de aliis rebus, etiam proprio labore partis, ad commodum illegitimorum, etiam legitimatorum, et habilitationes illegitimis ad succedendum in bonis feudalibus, et emphyteuticis ecclesiasticis concessa, revocavit, ut in suâ constitutione, incip. *Quæ ordini*, sexto kal. febr., 1570. Quam quidam revocationem posmodùm ampliavit, et voluit etiam procedere quoad bona patrimonialia ecclesiasticorum, in quibus illegitimi aut aliàs de jure incapaces, nec hæredes instituì, nec succedere posse decrevit, ut in suis litteris in formâ brevis expeditis sub dat. Romæ, die septimâ martii, 1572. Quinimò vidimus quandoque, etiam in hujusmodi facultatibus, cardinalibus concessis, clausulam, videlicet: *Citra facultatem testandi, vel aliàs disponendi in illegitimos et incapaces;* tamen prosequi etiam consuevisse, quòd si quidquam, per eumdem cardinalem, in favorem, et commodum illegitimorum, aut aliàs incapacium testari, vel aliàs disponi contigerit, nihilominùs testamenta, donationes, legata, et aliæ dispositiones hujusmodi, quoad legitimos et capaces, omninò valeant, ac perpetuâ roboris firmitate subsistant; nec ipsi, aut ipse cardinalis, sed duntaxat illegitimi, et incapaces præfati, facultatibus, et aliis præmissis, eorumque usu, et commodo privati sint, et esse censeantur, resque, jura, actiones, et bona, ipsos legitimos, et incapaces quomodòlibet concernentia, et sub hujusmodi testamentis, legatis, donationibus, et aliis dispositionibus comprehensa, nullatenùs ad cameram apostolicam, aut ipsius cardinalis, cui hæc facultas conceditur, in ecclesiis, monasteriis, et beneficiis successores pertineant, aut devolvantur, sed ejusdem cardinalis hæreditati cedant, et cum eâ consolidentur. Quod quidem optimâ ratione introductum videtur; quia, cùm simus in materiâ dispensationis, quæ de suâ naturâ, strictè est interpretanda, c. 1, de Fil præsb., in 6; Paris. de Resign. benef., lib. 6, q. 4, n. 31, attentis aliis in facultate appositis, scilicet, quòd non possit cardinalis testari in favorem illegitimorum, aut incapacium, illa bona, de quibus in illorum favorem ita nulliter dispositum fuerit, sine dubio pertinerent ad cameram, seu ad monasteria, aut beneficia ipsius cardinalis, prout de jure, ex quo, jam præmissa dispensatio in reliquis sufficit, quòd suum sortiretur effectum unde, quando illa aliquid operatur non erit ampliùs extendenda, d. cap. 1, § *Ille verò*, de Fil. præsb., in 6, cum exorbitet à jure communi, ut aliàs diximus; nec refert quòd ista facultas testandi videatur quodammodò reduci ad naturam privilegii, quod quandoque largam capit interpretationem; quia hanc testandi facultatem, sive licentiam, etiam dispensationem D D. appellant, et his nominibus promiscuè utuntur.

Quartò, pro istâ praxi notandum quòd licèt in hi facultatibus Papa decernat quòd pro summâ quam potest prælatus sic testari, nullo unquàm tempore ad cameram apostolicam spectet, minùsque liceat thesaurario, commissario, vel spoliorum collectoribus, ac aliis cameræ et Sedis Apostolicæ officialibus, in bonis expressis, manus injicere nihilominùs Papa etiam concedente potestatem testandi de hujusmodi bonis, commissarius apostolicus, seu ab eo substitutus, consuevit assequi possessionem ipsorum bonorum non expectatâ declaratione an defunctus testamentum condiderit, et an illud condere potuerit, vel super quibus bonis disponere potuerit et disposuerit, et consanguineos, sive defuncti hæredes, si quid prætendunt contra cameram agere seu experiri necesse est; quem quidem morem antiquum esse ait Zabarel in c. *Nisi*, vers. *Intueri*, in 3 not., de Renunt., quem refert Mandos. in Prax. signat., fol. mihi 88, vers. *Defuncto prælato, seu presbytero*, et sic, hoc non obstante, ita servatur, ut statim, post obitum prælati commissarius faciat spolium de bonis prædictis, ex quibus postmodùm hæredibus seu aliis tot bona, quatenùs pecunia numerata non adsit, assignantur, quæ per peritorum æstimationem constituant summam, pro quâ fuit dispositum ad præscriptum hujusmodi facultatis; aliàs enim facilè posset camera supra dicta decipi, cùm innumeræ fraudes circa hoc possent committi, ac propterea illis, dùm omnia bona defuncti transeunt per manus collectorum, certum est obviari, juxta text. in l. *Cui*, ff. de Servit., l. *In fundo*, ubi Gloss., ff. de rei Vend., c. fin. in princip., et ibi Gloss. de Postulat.

Quinimò nec practicos latet curiales, quòd ad occurrendum hujusmodi fraudibus, solent quandoque officiales datariæ apostolicæ addere in calce supplicationis pro hujusmodi licentiâ testandi, etiam de mente Papæ, quòd prætextu talis gratiæ, collectores, subcollectores, aliique deputati cameræ apostolicæ impediri nequeant quominùs inventarium de rebus et bonis prælati defuncti faceret ac possessionem capere eorum quæ sub spoliis prælatorum, pro tempore decedentium comprehenduntur, apprehendere, ac deductâ et solutâ summâ ducatorum duorum millium (vel aliâ quantitate in supplicatione expressâ), id quod supererit pro dictâ camerâ retinere; nec hæredes, prætextu cujusvis gravaminis, aut aliàs quovis modo ad judices incompetentes recurrere possint aut debeant; neque camera præfata ad solutionem æris alieni aliàs quàm pro necessitate et utilitate ipsius prælati defuncti, ac ecclesiarum sibi commissarum contracti, teneatur. Alia quoad theoricam hujus materiæ, poteris

videre penès eumdem Barbos. de Potest. episcop., d. alleg. 114, per tot.

Quintò, quod pro novis curialibus duximus, etiam adnotandum, illud potissimùm est, quod longâ experientiâ circa præsentem materiam contigisse scimus; nempe quòd in his testandi facultatibus, sicut etiam in quàmplurimis gratiis apostolicis, quo illæ pinguiores et ampliores conceduntur pro qualitate personarum, fortioresque proinde obstant fortasse constitutiones apostolicæ, eò magis exposcunt illæ specificam earumdem constitutionum derogationem; quibus sanè nullà aliâ opportuniori ratione dignoscitur derogari, nisi per adjectionem clausulæ, *Quorum tenores*, etc., quæ ita operatur, ac si earumdem obstantium constitutionum tenores, de verbo ad verbum, ac individuò exprimerentur, ut voluit Bald. in l. *Omnes*, c. de Præscript. trig. ann., Franc. in c. *Præsentium*, num. 1, de Test., in 6, prout, ut plurimùm in ipsis constitutionibus contrariis posteriori dispositioni cavetur : quare clausula hæc, in Papæ rescriptis, ejus plenitudinem potestatis ostendit, Alex. cons. 187, n. 19, in fin., vol. 5, dec. cons. 53, n. 5, et per illam voluisse omnia in contrarium facientia tollere satis patet, ex illis verbis, videlicet : *Non obstantibus*, etc. *Quorum tenores pro expressis*, etc. Ac proinde (quod pro curiæ tyronibus tantùm dictum volumus) licèt sæpè viderimus in posterioris gratiæ concessione, duas vel tres integras contrarias constitutiones de verbo ad verbum, præ inseri, optimâ tamen ratione clausulam ipsam adinventam fuisse constat, nimirùm, ut adinveniretur via, quâ Papa possit omnibus derogare contrariis constitutionibus, de quibus notitiam non habet; ex quo aliàs primis arctaretur, si ob illarum ignorantiam, eas revocare non posset; et quatenùs illarum haberet notitiam, si oporteret, eum inserere omnes tenores constitutionum, aliorumque in contrarium facientium, et in corpore juris existentium, et tam per se, quàm per suos prædecessores emanatorum, quando illis derogare vellet, daretur impossibilitas, cùm habere omnium memoriam, potiùs sit divinitatis, quàm humanitatis, leg. 2, § *Si quid autem*, c. *De vet. jur. enucl.*, nam licèt Papa dicatur habere omnia jura in pectore suo, ut in l. *Omnium*, c. *De test.*; id tamen intelligitur per interpretationem; quia nimirùm, omnia interpretari potest Gloss. in cap. *Præterea*, verbo *Fallit*, 23 dist. Nec refert, si dicatur, quòd inserere tenores omnium constitutionum, non esset magnum inconvenieus, cùm in registro Papæ facilè appareat, quænam constitutiones obstent; licèt enim id verum sit, nihilominùs registra curiæ Romanæ sunt innumerabilia, et quærere singulas contrarias constitutiones in tanto pelago registrorum, esset ferè velle pisces maris enumerare, ac proinde (ut ita dicam) inserendo tot constitutiones in ipsâ posteriori gratiâ, esset quasi conficere bullarium, quamvis ergo id esset possibile, non ideò erit de hoc Papa gravandus, ut ait Gonzal., ad regul. 8; Cancell., Gloss. 36, num. 24, cum seqq., qui neque per suos prædecessores potuit ad id arctari, et ita tenet, et servat stylus curiæ, quia, quando Papa vult per contrarias constitutiones non arctari, clariùs quidem id explicare non potest, quàm omnia quæ obstant, habere pro expressis; cùm perinde fit, ac si exprimantur; quo casu operatur hæc fictio idem, quod præcisa veritas in his, quæ pendent ab auctoritate fingentis, ut dixit, Imol., in c. *Dilectus*, de Cler. non resid., Gambar. de Auct. leg., l. 8, tit. de Potest., leg. *In legibus*: et Stat. cond., num. 40 et 41, ac cum his amplissimis, et pinguissimis clausulis, conatur Papa declarare, quòd præcedentia, cujuscumque tenoris, non obstent, et exhalat animum, tollendo omnia quæ expressè et magis specificè tolleret, si memor esset, ut per Cassad. super regul. Cancell., decis. 58, num. 3, circa fin., proindeque, hæc clausula, de quâ frequens habetur sermo tam in doctrinâ, quàm in cancellariâ Apostolicâ nunquàm in similibus supplicationibus omittitur per copistas, et ordinantes minutas, teste eod. Gonz., d. Gloss. 36, num. 21, adeòque salutaris existit, quod in dictâ cancellariâ, frequenter, et vulgariter dici solet, quòd clausula, quorum tenores, de stylo curiæ capit oves, et boves, teste Marches., de Commiss., p. 1, c. 5, num. 166.

Sextò, quod sicut S. R. E. cardinalibus, ita quandoque aliis personis benemeritis, conceditur, ut etiam si contigerit, eos ab intestato, et sine ullâ bonorum suorum, vel legitimâ et invalidâ dispositione decedere, omnia, et singula bona, de quibus eis, ut testari valeant, concessum est, ad Sedem et cameram apostolicam, vel ecclesias, monasteria, et beneficia, vel ad quoscumque alios, nullatenùs pertineant, sed ad hæredes sui sanguinis, vel alios conjunctos, sibi ab intestato succedentes, integrè deveniant; prout sæpè vidimus hanc facultatem concedi personis valdè dilectis, ac sum, Pont. gratis, præsertim suis capellanis quibus ita concedere consuevit, addito etiam, quòd deficientibus hæredibus sanguinis, ut supra, inter eorum familiares, arbitrio personæ, seu personarum, quas ad id ipsi, scripto nominaverint, distribuantur, nisi de illâ dispositione, vel intentione eorumdem, scripturas etiam minùs solemni secùs appareret, quam tunc velut efficacem, ipsæ personæ, vel aliis judices, seu executores omninò exequi, et adimplere, illisque se conformare in omnibus, et per omnia debeant.

Unde, est notandum, sicut in praxi contigisse scimus, quod aliàs, etiam hujusmodi facultate obtentâ, nihilominùs ab intestato decedentibus, bona omnia de quibus eis, est testari concessum, ipsis ecclesiis, quibus ipsi præfuerunt, incorporantur, absque eo, quòd prætextu hujusmodi obtentæ facultatis quis aliquid prætendere possit, ut in Auct. de Eccles. tit., § *Interdiximus*, vers. *Si quis autem episcopus*; Gloss. fin. in cap. *Requisisti*, de Testam.; Leo in Thes. for. Eccles., p. 3, c. 3, n. 13.

Septimò denique, quod hìc, sicut, in quàmplurimis aliis gratiis, quæ emanant à Sede Apostolicâ, consuevit inter cætera derogari regulæ de jure quæsito non tollendo: quia satis clarum est in jure, quòd Princeps potest pro libito voluntatis tollere non modò simpliciter leges positivas, c. 1. de Constit., in 6, cùm illis non

subjiciatur, sed illæ subsint ipsi, cap. *Proposuit*, de Concess. præb., sed etiam si per talem legem revocatoriam, tolleretur jus alteri quæsitum, ratione alicujus specialis tituli, ut per Bart. in leg. *Quotics*, ff. de *Pollicit.*, ex quo ipse pontifex Potest tollere jus quæsitum ex lege suâ, Sarnen., in reg. *De jur., quæs. non toll.*, q. 15, n. 4, ubi, quod si per viam rescripti, scienter deroget huic regulæ, non poterit ille, cui jus tollitur, uti illius exceptione, cùm in beneficiatibus, præsertim ut hìc, habeat potestatem, non solùm derogandi regulæ, sed etiam sine causâ, præjudicandi alicui, et auferendi jus quæsitum, per doctores ibi allegatos. Quare ob hujusmodi rationem, in similibus rescriptis potest etiam uti clausulâ *Sublatâ*, etc., cum decreto, irritanti, etc.

Cæterùm verò in quibuscumque aliis rescriptis, quibus adjiciuntur clausulæ, quæ impediunt aliter judicandi facultatem, prout sunt dicta clausula *Sublatâ*, etc., decretum irritans, ac quod de talis gratiæ subreptione, vel obreptionis dici non possit; quæ semper intelliguntur sine prædicto tertii: non propterea Papa per quascumque clausulas quantumvis favorabiles, quæcumque decreta, alicui præjudicium inferre intendit, ut supra diximus. Unde non lateat Romanæ curiæ juniores, quòd adversùs præmissa, opportunum remedium adhiberi consuevit, quod de stylo ipsius curiæ, *aperitio oris*, nuncupatur; ex eo quòd per hujusmodi decreta, et clausulas, et oratoribus, et judicibus os clauditur, demiturque facultas aliter judicandi, ac interpretandi, ut ex ipsâ clausulâ *Sublatâ* constat, quæ sic in litteris extendi consuevit, videlicet: *Sublatâ eis, et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, et interpretandi facultate, vel auctoritate, judicari, et diffiniri debere, ac irritum, et inane, si secùs super his à quoquam, quâvis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari;* quare supra dictis quidem judicibus interdicta est audientia. Quam tamen oris aperitionem, pluries observavimus non dari super exceptionibus frivolis, malèque fundatis, ad instar clausulæ prohibentis appellationem, quam intelligitur de appellatione frivolâ, ut per Bart. in l. *Omnes populi*, num. 65, ff. de Just. et Jur., sed tunc tantùm, et non aliter, dari, quando nimirùm enormis læsio intervenit; quo casu, Papa per prædictas clausulas, seu prædicta decreta, non intendit præjudicare enormiter læsis. Si etenim concederetur pro ordinariis juris remediis, frustra in concessionibus apostolicis, hujusmodi clausulæ et decreta adjicerentur, ad not. in cap. *Si Papa*, de Privil. in 6; Rot. penès Farinac., decis. 461, num. 8, tomo 1, parte 1. Quare sæpè videmus in ipsâ Curiâ, sive causa introducta sit in sacro Rotæ auditorio, sive alibi, peti in signaturâ, commissiones pro hujusmodi oris aperitione, quam quandoque concedere denegavit, nisi audito voto dominorum de Rotâ, in quâ proponitur dubium, an videlicet danda sit prædicta oris aperitio; interim verò, sicut supra dictum est, clausulæ supra dictæ, quæ omnibus facultatem adimunt judicandi præter litterarum tenorem, os claudunt; quare nec dictis, nec factis aliquid contra fieri potest, donec et quousque per Papam os aperiatur, ut fuit dictum in unâ Ispalen. *Canonicatus*, 13 martii 1553, teste Caputaq., decis. 134, num. 4, p. 3. Et licèt de supra dictis clausulis et decretis coram judice oppositum minimè fuerit, tamen quandocumque opponi potest; quia per eas inducitur impedimentum reale, jurisdictionem impediens, et ad judicandum judicis persona per Papam effecta est inhabilis, absque eo quòd aliquid opponatur vel excipiatur; proindeque processus et omnia inde secuta nulla sunt. Quod quidem, non modò servari scimus in ipsis concessionibus, verùm etiam in confirmationibus gestorum per inferiores, teste March., de Commis., p. 1, cap. 8, num. 5, qui num. 33, ait laudabilem inolevisse usum, ut quamprimùm de præfatis decreto et clausulis innotescat, non antea in causâ prudentes judices procedant, quàm per Papam, vel ejus signaturam gratiæ, os aperiatur, et num. 35, ait quòd quotidiè commissiones in ipsâ signaturâ porriguntur, in quibus agentibus os clausum, virtute prædictorum decretorum et clausularum, et ut contra illa objicere, ac sua jura deducere possint, aperiri supplicatur. Hæc autem pauca circa hoc obiter dixisse sufficiat, aliaque hanc materiam tangentia videri possunt penès eumdem Marches., loco cit.

Postremò, omittendum minimè duxi, quòd camera apostolica, circa spolia, habet intentionem fundatam nedùm in bonis episcoporum regularium ratione suarum ecclesiarum, eo modo quo supra diximus, verùm etiam omnium regularium extra claustra degentium, ex constitutione Gregorii XIII, cujus tenor talis est, videlicet:

« Gregorius Papa XIII, ad perpetuam rei memoriam. Officii nostri partes sedulò præstare tenemur, ut dubia quæ ab aliquibus falso sub prætextu, vel nimis subtiliter excitata, in cameræ nostræ apostolicæ præjudicium tendunt, declaratione nostrâ dilucidentur. Nuper accepimus quòd, etsi fel. rec. Pius Papa IV, prædecessor noster, constitutionem, et quæcumque in illâ continerentur per piæ memoriæ Paulum, Papam IV, etiam prædecessorem nostrum, contra apostatas editas per quam inter cætera decrevit bona quæcumque mobilia, et immobilia, ac census, redditus et proventus, jura et actiones per regularium ordinum professos extra claustra suorum regularium locorum, etiam de licentiâ suorum superiorum degentes, tempore quo extra claustra hujusmodi fuissent, acquisita, etiamsi acquisitiones hujusmodi ab ipsis professis ex redditibus beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ vel sine curâ per eos obtentorum seu detentorum, aut ex propriâ industriâ, seu artificio, mercatura, vel ex testamento, sive successione ab intestato quorumvis consanguineorum, affinium, vel amicorum suorum, aut quorumcumque aliorum factæ essent, non fisco, aut cameræ apostolicæ, sed religioni, aut monasteriis, in quâ, seu quibus primò professi fuissent, eo ipso applicata esse et censeri debere, ad juris et sacrarum constitutionum formam reduxerit; necnon præfata bona regularium extra claustra, ut præfertur, degentium sive mendicantium sive non mendicantium, aut militiarum professorum, etiamsi loca et canonicales

portiones aut dignitates in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis cujusvis ordinis regularibus obtinuerint, ac episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primitiali, vel quâvis aliâ præfulserint dignitate, post eorum obitum ad eamdem cameram apostolicam, et juxta constitutionem felicis rec. Pauli Papæ III, super spoliis sub dat., videlicet, tertio nonas januarii, pontificatûs sui anno tertio promulgatam, legitimè spectent et pertineant, idque per Romanos pontifices prædecessores nostros, ac nos, dùm collector generalis ad recuperandum spolia regularium specificè deputatus fuit, apertè demonstratum exstiterit, ac in possessione illâ exigendi, ac recuperandi eadem camera meritò semper fuerit; nihilominùs nonnulli vano sub dictæ constitutionis Pauli IV, prædecessoris præfati, prætextu contrarium aliquando asserere non dubitârint; nos omnem circa prædicta dubitandi occasionem dimovere, simulque æquitate et justitiâ suadentibus, ejusdem cameræ indemnitati, ne in dies molestiis et incommodis afficiatur, consulere volentes, præsentium auctoritate, declaramus res et bona quæcumque per dictos regulares extra claustra ecclesiarum, monasteriorum, domorum, et quorumcumque regularium locorum degentes, quocumque jure et actione, sive ex causâ testati, sive intestati acquisita, et in posterum acquirenda, vel ad eos delata in quibusvis provinciis, dominiis, regnis et locis consistant, nisi iidem, ad quos illa spectaverint, sufficienti fuerint testandi, aut de illis disponendi facultate suffulti, eâque legitimè usi fuerint, ad eamdem cameram pleno jure pertinuisse et spectare, ac bona quæcumque eorumdem sub spoliorum nomine comprehensa per ipsam cameram, ejusque nomine à quibuscumque illa quandoque occupantibus et detinentibus recuperari ac vindicari potuisse et posse, ac juxta Pauli III et aliorum prædecessorum nostrorum litteras eâdem camerâ apostolicâ in hujusmodi bonis spolia nuncupatis verè universaliter succedente, quòd ipsa camera quæ cæteris hæredibus et successoribus ampliori est privilegio munita, cuique meritò magis favendum est, dùm in eam rerum et bonorum dominium ac possessio nullâ traditione præcedente transeat, in quâcumque bonorum et spoliorum sive ad seculares sive ad regulares dùm viverent spectantium successione, quibuscumque in rebus, sive pecuniis illa consistant, etiamsi nominatim aut aliâ speciali notâ illa designanda essent, quæ ad eamdem cameram jure spoliorum pertinuerunt et pertinebunt in posterum, omni prorsùs fictione penitùs cessante jus et nomen veri hæredis in eisdem spoliis habere, illiusque naturam sortiri, ac veri hæredis privilegiis et juribus in quibuscumque bonis, pecuniis, juribus et actionibus uti antehàc potuisse, et nunc posse, idque eorumdem prædecessorum, ac nostræ etiam intentionis semper fuisse et esse, auctoritate præsentium declaramus; sicque per quoscumque judices in quibusvis causis, etiam per appellationem aut alias pendentibus et futuris, ac in quâcumque causâ, vel instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quâvis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et diffiniri debere: necnon quidquid secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenùs, vel in posterum contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Mandantes dilecto filio magistro Ludovico Tabernæ notario et thesaurario, necnon spoliorum ad dictam cameram pertinentium in universâ Italiâ collectori generali nostro, ejusque in dictis officiis successoribus, quatenùs præsentem nostram declarationem, et in eâ contenta quæcumque inviolabiliter observari curent et faciant; non permittendo eamdem cameram contra illius seriem quâcumque ratione vel causâ, aut quovis quæsito colore vel ingenio, directè vel indirectè molestari aut perturbari, contradictores quoslibet et rebelles per opportuna juris et facti remedia, ac dempùm per sententias, censuras et pœnas ecclesiasticas, appellatione postpositâ, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon ecclesiarum, et ordinum, vel militiarum cujus illæ fuerint, monasteriorumque vel regularium locorum etiam juramento, confirmatione apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, earumdem ecclesiarum præsulibus, capitulis, ac monasteriorum regularium locorum conventibus, illorumque ordinibus, superioribus et personis, necnon civitatibus, provinciis, dominiis et regnis, in quibus bona, vel pecuniæ collocatæ, aut illarum redditus percipiendi forsan fuerint, sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine; et ad favorem religionis concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus (etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, aut quævis alia expressio habenda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris) hâc vice duntaxat specialiter et expressè derogamus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolicâ sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis et indulgentiis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus præsentium impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, quæ quoad hoc volumus eis nullatenùs suffragari. Cæterùm præcipimus præsentium exemplis etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et dicti thesaurarii, seu alterius personæ in dignitate ecclesiasticâ constitutæ sigillo

munitis, eamdem prorsùs fidem adhibendam in judicio et extra, quæ præsentibus haberetur, si exhiberentur vel ostenderentur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 21 januarii 1577. »

Cæs. Glorierius.

CAPUT V.

Praxis registrandi in camerâ litteras apostolicas.

Praxis hæc, quemadmodùm utilis, ac scitu digna, ita à paucis cognita, seu potiùs animadversa, quam plures, etenim etiam prælatos in Romanâ Curiâ consummatissimos, ejusdemque rerum peritissimos, ferè jugiter fallere conspicitur : hi enim, postquàm summi Pontificis gratias, cameræ Apostolicæ interesse quomodolibet concernentes, impetraverint, eas tamen, quâ par est, sedulitate, ad præscriptum constitutionis fel. rec. Pii IV, negligunt conservare. Ipsâ namque constitutione cautum est quòd omnes qui impetrabunt aliqua privilegia, gratias, facultates, licentias, et indulta, aut concessiones per litteras Apostolicas, sub plumbo, ac in formâ brevis expedita, necnon per chirographa, vulgari sermone conscripta, ac manu Papæ subscripta, quæ, aliquâ ex parte, interesse prædictæ cameræ apostolicæ concernere censebuntur, debeant illa, intra tres menses, à die illorum impetrationis, in eâdem camerâ præsentare, ibique sub pœnâ invaliditatis eorumdem, registrari facere; longo, nihilominùs, experimento, compertum est, gratias, aliaque prænissa, sic obtenta, ob supra dictæ constitutionis inobservantiam, prorsùs evanuisse, oratoresque et impetrantes illorum effectu frustratos remansisse; ut pateat quàm verè sic Poeta ille Sulmonensis cecinerit :

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri.

Ne igitur prudentioribus exprobrari contingat, quòd etiam annosa vulpes capitur laqueo, dormitantem Homerum, sedulâ hâc praxi, libuit potiùs excitare. Unde, supra dictæ constitutionis tenorem, hìc duximus priùs annectendum; qui talis est, videlicet :

« Pius Papa IV. Motu proprio, etc. Ingens humeris nostris jugiter incumbens expensarum onus, ita nos premit et excitat, ut nostrorum, et cameræ nostræ apostolicæ rerum et jurium, sublatis quibusvis obstaculis, curam solertem habentes, ejusdem cameræ indemnitati, quantùm in nobis est, consulere studeamus. Cùm itaque, sicut nuper nobis innotuit, complures diversi statûs et conditionis personæ, varia privilegia, facultates, gratias, licentias et indulta, sive concessiones, tam à nobis, quàm pro tempore existentibus nostris, et apostolicæ Sedis legatis, eorum vicelegatis ac gubernatoribus, ac forsan aliis nostris, et dictæ cameræ ministris, et personis, nimiis forsan ac tædiosis quibusdam earumdem personarum precibus et instantiis, in dies obtineant, seu potiùs extorqueant, quæ, cùm à nobis, seu legatis, aut vicelegatis, vel gubernatoribus ac ministris, et personis hujusmodi, bonâ quâdam fide, reque minùs forsan, quàm par esset, diligenter, et accuratè, perfectâ, concedantur, illa nonnunquàm, imò sæpiùs in nostrum ac cameræ præfatæ præjudicium, gravamen et detrimentum non leve, concessa esse et emanâsse conspicimus. Quapropter, ut præmissis (ne aliis prodesse cùm velimus, nobis ipsis præjudicium inferamus) aliquantis per providere volentes, præsenti nostrâ perpetuò valiturâ constitutione et ordinatione, quam, vim et naturam legis perpetuæ ab omnibus observandæ, penitùs habere et obtinere decernimus, apostolicâ auctoritate, et ex certâ nostrâ scientiâ, harum serie statuimus et ordinamus, quod omnes, et singuli cujuscumque statûs, gradûs, ordinis et conditionis existentes, necnon, etiam ducali, marchionali, comitali, aut aliâ quâvis seculari ac patriarchali, archiepiscopali, episcopali seu etiam aliâ quâcumque ecclesiasticâ dignitate, præeminentiâ et auctoritate, etiam cardinalatûs honore fulgentes, qui aliqua privilegia, gratias, facultates, licentias, et indulta, aut concessiones, quæ aliquâ ex parte, quâvis ratione seu causâ, directè, vel indirectè principaliter, secundariò, vel accessoriè, aut aliàs quovis modo, nostrum, aut dictæ cameræ qualecumque, minimum interesse, vel præjudicium, gravamen, seu detrimentum concernere censebuntur, obtinuerint, illa infra tres menses à die eorum impetrationis computandos, in eâdem camerâ præsentare, ac ibidem registrare facere debeant et teneantur, alioquin lapsis tribus mensibus iisdem, ac privilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis ac indultis vel concessionibus hujusmodi non præsentatis, minùsque registratis, illa in judicio et extra nullatenùs fidem facere possint, et tanquàm non concessa, nullaque et ipso jure invalida, ac nullius roboris vel momenti fuisse, esse et fore, neminique suffragari vel prodesse posse, seu debere, respectivè habeantur et censeantur, prout nos illa ex nunc nulla et invalida, irritaque et inania, ac nullius roboris, vel momenti fuisse, esse et fore, neminique (ut præfertur) suffragari posse declaramus. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ dilecto filio nostro Vitellotio S. Mariæ in viâ latâ diacono, cardinali Vitellio nuncupato, moderno et pro tempore existenti S. R. E. camerario, quatenùs præfatam nostri motûs proprii cedulam, ac in eâ contenta quæcumque, ab omnibus quos illa concernunt et concernent in futurum, penitùs et omninò ac inviolabiliter et inconcussè observari faciat et procuret. Decernentes ita, ut præfertur, per dilectos filios ejusdem cameræ thesaurarium, præsidentes et clericos, aliosque ministros et personas, ac ejusdem S. R. E. cardinales, et alios quoscumque judices sublatâ, etc., judicari et diffiniri debere, irritum quoque, etc., attentari, privilegiis, facultatibus, licentiis, gratiis, indultis et concessionibus, necnon constitutionibus et ordinationibus apostolicis, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem quòd præsentis motûs proprii cedulæ, per quæcumque privilegia, gratias et indulta, etiam absque datâ et registraturâ, ut præfertur, concedendâ, nisi cum illius specificâ insertione, derogari nullatenùs possit, quòdque ejus sola signatura sufficiat, et ubique fidem faciat, et in judicio et extra, quâcumque regulâ, seu constitutione apostolicâ contrariâ non obstante, seu si consultius fore visum

fuerit, litteræ etiam ad perpetuam rei memoriam latissimè expediri possint. »

Ne autem quisquam ex ipsius Romanæ Curiæ tyronibus, tam levis rei terminos ignoret, cum scire opportunum est, plura adesse in ipsâ Curiâ rescriptorum apostolicorum, tum gratiæ, tum justitiæ registra, omnia in palatio apostolico collocata, videlicet supplicationum, tam manu Papæ, quàm cardinalis signaturæ, sive gratiæ, sive justitiæ præfecti, alteriusque prælati signaturam ordinariam, per *concessum* nuncupatam habentis; signaturum necnon bullarum sub plumbo, ac litterarum in formâ brevis; quare, licèt litteræ pro hujusmodi facultate testandi, per quamcumque viam transeant, sive per cancellariam, sive per officium minoris gratiæ, aut contradictarum, seu per præfecturam brevium, in suo peculiari registro, in præfato palatio existente, notentur, nihilominùs, in quocumque ex dictis registris, hujusmodi litteræ registrentur, non propterea per illud censetur eidem constitutioni satisfactum, præcipienti in camerâ apostolicâ registrari; quare perperam procurator cujusdam episcopi, annis retrò elapsis, coram illustrissimo nuntio Neapolitano contendebat, dùm facultas, ipsi episcopo testandi concessa, non reperitur in dictâ camerâ apostolicâ registrata, defuncti episcopi hæredes testamenti dispositione juvari posse; ac meritò proinde idem nuntius mordicùs tenebat eam ipsis hæredibus non debuisse suffragari; dicebat quidem, bonus procurator, non sine adstantium risu, prorsùs interesse an prædictæ facultatis litteræ fuerint in camerâ registratæ; cùm satis esset eas fuisse in palatio apostolico registratas; quia palatium est majus camerâ; ignorabat quippe quid esset registrari litteras in camerâ. Quare tyronibus tantummodò supra dictis, ad quos hic dirigitur sermo, dicere ausim, quòd cùm in istis gratiis, ejusdem cameræ interesse respicientibus, innumeræ fraudes possint intervenire, ut ex eâdem constitutione elicitur, propterea idem Pius IV ita statuit, ut postquàm hujusmodi facultates, sive quæcumque similes gratiæ fuerint registratæ in registro palatii, debeant præsentari, et denuò registrari in dictâ camerâ, præsertim introitus et alia ad Papam pertinentia; colligit, custodit et distribuit; ipsa namque camera suos habet officiales ad id deputatos; ejusque audientia ter in hebdomadâ convenire consuevit in palatio apostolico, et loco suo constituto, quem propterea vocant cameram apostolicam; in quâ publica negotia tractantur audiunturque; inter quæ etiam agitur de malâ litterarum expeditione, quæ per ipsam cameram transeunt, de quibus fusiùs agam in meâ Praxi beneficiali.

Hanc quidem registrationem in ipsâ camerâ, neminem latet, locum insinuationis obtinere, cujus solemnitatem propter duas causas introductam esse, non ignoramus, secundùm Bart. in l. *Modestinus*, ff. de Donat., alteram videlicet, ne homines decipiantur, ut in l. *Data*, c. eod.; ob hujusmodi enim insinuationem, dolus abesse præsumitur, l. 1, c. de Præd. num.; alteram, nam in magnis quantitatibus major observantia exigitur, l. fin. c. *Si cert. pet.*, quia ubi majus est periculum, ibi cautius est agendum, cap. *Ubi periculum*, de Elect., in 6, unde sic jura providere statuerunt, ne quis effundere posset patrimonium suum, inconsulto judice, per viam indiscretæ donationis. Quare, licèt hujusmodi insinuatio cadat super donationibus, ut est text. in d. l. *Data*, et in l. *Donatio*, c. de Donat., habet nihilominùs locum in gratiis apostolicis, interesse cameræ concernentibus, in quâ sæpè modificantur hujusmodi gratiæ; exempli gratiâ, in hujusmodi facultatibus, concessis episcopis assistentibus, quibus inter cætera concedi consuevit, ut possint testari pro mille ducatis, et quòd sint exempti pro sex vegetibus vini, ut supra diximus; propterea ista generalis facultas in camerâ apostolicâ præsentatur, et registratur, eique adjicitur decretum, per quod concessa hujusmodi facultas modificatur per ipsius Cameræ peculiare decretum, quod, tenoris sequentis esse consuevit, videlicet:

Die 5 *septembris* 1622, *supra dictis litteræ apostolicæ in formâ brevis expeditæ, exhibitæ fuerunt in camerâ apostolicâ, et ex illius decreto, commissæ perillustri et reverendissimo D. Hieronymo Vidono, ejusdem cameræ clerico; et die* 19 *ejusdem mensis, citato priùs R. P. D. Antonio Cicalotto prædictæ cameræ generali commissario, ex decreto ejusdem reverendissimi D. Vidoni desuper facto, admissæ pro ducatis mille, ut in eis, quoad facultatem testandi; quo verò ad prætensam exemptionem pro sex vegetibus vini, cum clausulâ: Quatenùs aliàs habeant similem exemptionem et existant in illius quasi possessione; et quoad facultatem disponendi de bonis jurisdictionalibus, sine præjudicio jurium cameræ, et præcedente tamen licentiâ Sedis Apostolicæ, juxta formam bullæ Sixti V et aliorum summorum Pontificum, et non aliter*, etc., *ac aliàs juxta formam protestationis dicti D. commissarii desuper factæ, ad quam*, etc., *et registratæ in libris ipsius cameræ, penès me illius notarium existentibus, nempe libro Diversorum, fol.* 95, *et seqq; et in fidem*, etc.

Joannes Baptista Cennus.

Vel sub aliâ formulâ, videlicet:

Hujusmodi breve apostolicum præsentatum fuit in camerâ apostolicâ, et instatum pro illius admissione et die, etc.. *mensis*, etc. *Referente illustrissimo et reverendissimo D Octaviano Raggio, dictæ cameræ clerico, et judice ab ipsâ camerâ specialiter deputato, Cipato ad hoc, perillustri et reverendissimo D. Felice Contiloro, ejusdem cameræ generali commissario, ipsa camera illud admisit, et in ejusdem cameræ libris registrari mandavit, prout per me ejusdem cameræ notarium infrascriptum registratum fuit in libro Diversorum nuncupato præsentis anni folio* 261, *et sequenti. Et in fidem*, etc.

Astulphus de Tarano.

Quare, sicut quæcumque generales constitutiones, interesse cameræ apostolicæ concernentes, ita etiam particulares, sicut sunt hujusmodi gratiæ, ad favorem particularis personæ; nisi tamen orator eximatur ab hoc onere registrandi, prout conceditur Eminentissimis cardinalibus, cæterisque prælatis, ac personis

benemeritis, ut patet in formulâ testandi pro cardinali, quam superiùs adjecimus, ibi: *Decernentes præsentes litteras, omniaque et singula in eis contenta, valida et efficacia fore et esse, ac suum plenarium et integrum effectum sortiri, etiam si in camerâ apostolicâ, juxta constitutionem piæ memoriæ Pii Papæ IV, prædecessoris nostri, sub dat. octavo id. augusti, pontificatûs sui anno sexto, vel alio veniori tempore, registratæ et insinuatæ non fuerint; cui constitutioni*, etc., *hâc vice duntaxat specialiter, et expressè derogamus.*

Quam quidem derogationem, suo motu proprio concedit ipse summus Pontifex supra dictis personis. Alio etiam modo peti, et concedi consuevit præfata derogatio, videlicet ad supplicationem, et per datariam apostolicam, licèt rarò pro aliis personis; tunc enim in calce supplicationis manu ipsius Papæ signatæ, additur hoc decretum, videlicet: *Et cum decreto et indulto opportunis, quòd orator, sive ejus hæredes, vel alii pro eis præsentes, vel desuper conficiendas litteras in camerâ apostolicâ etiam juxta quamdam constitutionem piæ memoriæ Pii Papæ IV, prædecessoris nostri, sub dat. octavo id. augusti, pontificatûs sui anno sexto editam, quòd impetrantes aliqua indulta cameræ apostolicæ interesse quomodolibet concernentia, illa in eâdem camerâ præsentare ac registrari facere teneantur, et aliàs quomodolibet disponente, cujus tenorem*, etc., *pro expresso habendo intra tres menses in eâdem constitutione præfixos, seu aliàs quomodocumque præsentare, intimare vel notificare, aut præsentari seu registrari facere minimè teneantur. Et nihilominùs præsentes et desuper litteræ conficiendæ valeant, et teneant, ac fidem faciant et suffragentur. Irritum*, etc., *et cum derogatione ejusdem constitutionis ad effectum*, etc. Quod quidem decretum idem ferè est cum alio prædicto decreto.

Cùm verò in dubium aliàs revocaretur, num gratiæ et facultates concessæ cum derogatione prædictæ Constitutionis Pii IV, adhùc in camerâ apostolicâ registrari deberent; proinde ad omne dubium submovendum, emanavit constitutio sanctissimi domini nostri Urbani Papæ VIII, quâ declaratur, supra dictas derogationes non deberi aliàs in eâdem camerâ registrari, cujus quidem constitutionis tenor talis est, videlicet:

Urbanus Papa VIII. Ad futuram rei memoriam. Cùm sicut accepimus, plures Romani pontifices prædecessores nostri concesserint, prout etiam nos concessimus, diversa privilegia, indulta, licentias et gratias, etiam interesse cameræ apostolicæ concernentia, tàm per litteras apostolicas sub plumbo, et in formâ brevis expedita, quàm per chirographa eorum, et nostrâ respectivè manu subscripta, in quibus quidem litteris et chirographis, motui proprio, seu constitutioni felicis rec. Pii Papæ IV, prædecessoris nostri, quo cavetur ut omnes et singulæ gratiæ interesse dictæ cameræ concernentes, in eâdem camerâ, intra certum inibi expressum tempus, registrari debeant, aliàs gratiæ ipsæ, nullæ sint, derogatum reperitur; à nonnullis verò nimiùm scrupulosis in dubium revocetur, an tales derogationes adhùc in camerâ prædictâ registrari debuerint et debeant. Nos, ne ullo unquàm tempore, de ipsorum privilegiorum, indultorum, licentiarum et gratiarum validitate, ex eo quòd privilegia, indulta, licentiæ, gratiæ, seu facultates aut derogationes hujusmodi in eâdem camerâ registratæ non fuerint, hæsitari; eosque, ad quorum favorem emanârunt, eo prætextu super privilegiis, indultis, licentiis, gratiis et facultatibus eisdem pro tempore, ut præfertur, concessis molestari contingat, providere cupientes, ac motûs proprii seu constitutionis præfati Pii prædecessoris tenores, præsentibus pro plenè et sufficienter expressis habentes, motu proprio, etc., omnia, et singula privilegia, indulta, licentias, gratias, et facultates, tam per prædecessores nostros, quàm per nos ipsos, per litteras apostolicas, sub plumbo, aut in formâ brevis expedita, seu per chirographia eorumdem prædecessorum vel nostrâ manu respectivè subscripta, etiam quodcumque interesse dictæ cameræ concernentia, cujuscumque qualitatis, generis, quantitatis et valoris, etiam maximi, et inexcogitabilis existat, concessa hactenùs, et in posterum per nos, et Romanos pontifices successores nostros concedenda, in quibus, motui proprio, seu constitutioni Pii prædecessoris hujusmodi, ad effectum, ut illi ad quorum favorem emanârunt, et emanabunt pro tempore, ad ipsa privilegia, indulta, licentias et gratias in eâdem camerâ registrandum, non teneantur, derogatum fuerit, seu derogari contigerit in futurum, etiam si illæ, et illa, sive derogatio et voluntas hujusmodi in prædictâ camerâ registrata non sint, et non registrentur, etiam ab earum datâ, valore, et de eorum validitate dubitari non posse; neque propterea illos ad quorum favorem emanârunt, aliquo modo molestari debere, tenore præsentium decernimus et declaramus. Ac dilectis filiis nostro, et S. R. E. camerario ac thesaurario generali, præsidenti et clericis, necnon commissario ejusdem cameræ, nunc et pro tempore existentibus; et aliis quibuscumque desuper interesse quomodolibet prætendentibus, aut qui illud quomodolibet prætendere possent, perpetuum silentium desuper imponimus. Mandantes camerario, thesaurario, præsidenti et clericis, necnon commissario, nunc et pro tempore existentibus, et aliis interesse prætendentibus prædictis, ne sub nostræ et pro tempore existentis Romani Pontificis indignationis, aliisque nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio, imponendis pœnis, et etiam interdicti ingressûs ecclesiæ, ac aliis ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, ipso facto, per contravenientes, et eorum quemlibet, toties quoties contravenerint respectivè, incurrendis; à quibus à nemine, præterquàm à Romano Pontifice pro tempore existente, præterquàm in mortis articulo constituti, absolvi, seu illæ eis relaxari nequeant, prædictorum aliquem super præmissis, aliquo modo molestare audeant, vel præsumant. Volentes, et eâdem auctoritate decernentes præsentes nostras litteras, declarationem et voluntatem, etiam quòd in dictâ camerâ non registrentur, neque præsententur, iis omnibus, de quorum interesse actum

fuerit, vel agetur pro tempore, suffragari debuisse et debere, perinde, ac si in eâdem camerâ debito tempore præsentatæ, et in eâ registratæ fuissent. Quocirca venerabilibus fratribùs nostris Osten. et Portuen. episcopis, ac dilecto filio causarum curiæ cameræ apostolicæ generali auditori, etc., mandamus, quatenùs, etc., præsentes litteras, et in eis contenta quæcumque, ubi et quando opus fuerit ac quoties pro parte, in præmissis interesse habentium, desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, ejusque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant, auctoritate nostrâ, illos præmissorum commodo et effectu pacificè frui et gaudere; non permittentes, etc., contradictores, etc.; non obstantibus, etc., volumus, etc. Dat. Romæ, apud S. Mariam Majorem snb annulo Piscatoris, die 16 augusti 1630; pontificatûs nostri anno 8.

Atverò, in proposito, ubi litteræ hujusmodi, vel similis facultatis non fuerint suo tempore registratæ in præfatâ camerâ, nullius quidem erunt roboris, aut momenti; quandoquidem ipsa constitutio, ut ex eâ constat, inducit formam, annullando actum; dùm ipse Pius voluit, quòd lapsis tribus mensibus in ipsâ constitutione præscriptis, ac gratiis et facultatibus hujusmodi minimè registratis, illæ nullam fidem faciant, sintque tanquàm non concessæ, et nemini suffragari valeant, vel prodesse, cum decreto irritanti. Praxis igitur hujus registrationis ea est, ut ipsæ litteræ præsententur alicui ex novem notariis ejusdem cameræ (hi quidem differunt à decem notariis auditoribus cameræ) qui postquàm eas registro ad verbum notaverit, exinde transumptum conficit in formâ probanti, cum earumdem litterarum insertione, hujusmodi, seu aliam gratiam, vel facultatem continentium. Formula autem ipsius transumpti talis est, videlicet:

Antonius miseratione divinâ S. Agathæ S. R. E. diaconus, cardinalis Barberinus nuncupatus, ejusdem S. R. E. camerarius. Universis et singulis, hoc præsens transumptum visuris, lecturis, pariter et audituris, notum facimus et attestamur, ac præsentibus fidem indubiam adhiberi mandamus. Camerariatûs officio, meritis licèt imparibus, apostolicâ auctoritate præsidentes, illud nobis potissimum incumbit, imò potiùs officii nostri debitum esse cognoscimus, ut ea quæ ex Romani Pontificis gratiâ processerunt, et in camerâ apostolicâ conservantur, cùm ab aliquibus petuntur in formâ probanti, concedamus, et testimonium veritati perhibeamus. Quapropter, universitati vestræ notificamus, qualiter libro secundo signaturarum S. D. N. D. Urbani divinâ providentiâ Papæ VIII, penes infra scriptum nostrum et cameræ apostolicæ notarium, et in eodem libro, folio, etc., reperiuntur registratæ litteræ apostolicæ ejusdem S. D. N. sub annulo Piscatoris (vel sub plumbo) expeditæ, et in eâdem camerâ solemniter admissæ, quas nos ad instantiam perillustris, et admodùm excellentis domini N., de mandato ejusdem sanctissimi D. N. Papæ vivæ vocis oraculo nobis desuper facto, et auctoritate nostri camerariatûs officii, per eumdem notarium transumi, exemplari ac fideliter extrahi, et auscultari mandavimus: quarum quidem litterarum tenor sequitur, ut est videlicet: Urbanus Episcopus servus servorum Dei (et inseritur totus tenor litterarum concessæ facultatis et prosequitur); quibus quidem litteris sic transumptis, exemplatis, ac per superadditum, et infra scriptum notarium debitè auscultatis et collationatis, de mandato et auctoritate præfatis, volumus, decernimus et mandamus quòd tam in judicio, quàm extra, ubilibet stetur et credatur, illisque adhibeatur talis et tanta fides, quæ, et quanta dictis originalibus litteris adhibeatur, si litteræ ipsæ apostolicæ desuper sub annulo Piscatoris (sive sub plumbo) expeditæ, exhiberentur et ostenderentur. In quorum omnium et singulorum fidem has præsentes fieri, et per infra scriptum nostrum et cameræ apostolicæ notarium subscribi, sigillique nostri, quo in talibus utimur, jussimus et fecimus appensione muniri. Dat Romæ, in camerâ apostolicâ, anno Domini 1641, indictione, etc., die, etc.; pontificatûs sanctissimi in Christo Patris, et domini nostri D. Urbani, divinâ Providentiâ Papæ VIII, anno decimo octavo.

Antonius cardinalis Barberinus
S. R. E. camerarius.
N. auditor.
N. notarius.

Locus † sigilli pendentis.

Registrata libro 7 Diversorum sanctissimi D. N. Urbani Papæ VIII, fol. 10.

Si tamen casus advenerit quo litteræ supra dictæ facultatis non fuerint juxta formam supra dictæ constitutionis Pii IV, in dictâ camerâ registratæ, ne proinde orator effectu sibi concessæ gratiæ frustratus remaneat, si adhùc vivit, porrecto sui nomine summo Pontifici supplici libello, ac illi annexo chirographo vulgari sermone conscripto, petit, se restitui adversùs lapsum temporis ad sic registrandum; tenor autem ipsius Chirographi talis esse consuevit, videlicet:

Reverendissimo cardinale camerlengo, vicecamerlengo, decano, et chierici della nostra camera apostolica. Sotto il dì, etc., *concedessimo à monsignor N. la facoltà di testare in sino alla somma di scudi*, etc., *come appare per breve spedito sopra di ciò; et non essendo stato presentato, et ammesso nella sodetta nostra camera, conforme alla constitutione di Pio quarto, nostro prædecessore de registrandis et desiderando detto monsignor N. per validità di tal gratia, che se ammetta come è di costume Con la præsentè, di nostra scienza, et potestà assoluta vi ordiniamo, che presentandosi detto breve in detta camera, l'amettiate, et facciate registrare nelli suoi libri, quale così ammesso, et registrato vogliamo, et decretiamo, che vaglia, et habbia il suo effetto, essecutione, et vigore, come se fusse stato ammesso, et registrato nel termine prefisso in detta costitutione, non ostante la medesima costitutione, et tutte l'altre cose, che faccino in contrario, alle quali, havendo il loro tenore per expresso, per questa volta, et à questo effetto,*

espressamente deroghiamo. Dal nostro palazzo apostolico, il dì 7 di giugno 1654.

INNOCENTIUS PAPA X.

Quod quidem chirographo sic obtento fit nova instantia in camerâ apostolicâ prædictâ, ejusque officialibus pro admissione et registratione, ac publicatione ejusdem brevis, et admittitur.

Pro quarum quidem litterarum, sive earumdem, transumpti executione, adveniente tempore obitûs prælati, seu alterius, qui supra dictam vel similem facultatem obtinuit, præfatæ litteræ, sive illarum transumptum hujusmodi, secundùm stylum nuntiaturæ hujus civitatis, exhibentur illustrissimo domino nuntio; qui eas, sive illud recognoscit, oculisque (ut ita dicam) lynceis observat, an alicui subreptionis vel obreptionis vitio subjaceant, sintque, ut præmittitur, in camerâ apostolicâ registratæ, vel in eis, supra dictæ constit. Pii IV, de registrandis, sufficienter derogatum; mandatque subinde idem nuntius, subcollectori spoliorum prædictæ cameræ, ut hæredibus defuncti, summam, in facultate testandi expressam, relaxet; quatenus prælatus, vel alius, de eâ, in vitâ non disposuerit; solutis tamen priùs eidem D. nuntio quibusdam regaliis, ad rationem decem pro quolibet centenario, in vim præsertim quarumdam litterarum in formâ brevi fel. record. Pauli Papæ V, sub Dat. Romæ apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die 23 aprilis 1610, cujus verba hæc sunt videlicet: *Quando verò à Nobis, seu Romanis pontificibus successoribus nostris pro tempore existentibus, facta fuerit gratia, seu donatio, eo casu, decimam et portionem à partibus recipere possint; nisi in gratiâ, seu donatione, per Nos, seu successores nostros prædictos, mandatum fuerit expressè, ut illam à camerâ præfatâ habere debeant.* Quare summus Pontifex, quando hæc regalia partibus remittere intendit, prout DD. cardinalibus, aliisque personis gratis et benè meritis remittere consuevit, id apertè in suis litteris declarat; et quamvis in supra positis formulis sint adjecta illa verba, videlicet, *tuosque hæredes et successores, ad solutionem regaliarum seu propinarum, ullo unquàm tempore teneri, aut ad præmissa, seu præmissorum aliqua, ullâ necessitate, causâ, vel ratione cogi vel compelli; nec etiam per vias sequestri, aut alias propterea molestari posse*, vel quid simile adjicitur, nihilominùs per ea non constat circa id, de expressâ ac enixâ voluntate concedentis, stantibus aliis verbis supra dicti brevis, quibus præcisè cavetur quòd supra dicta decima, seu portio, non à partibus, sed ab ipsâ camerâ apostolicâ haberi debeat; quare, cùm hoc non fuerit in litteris hujumodi facultatis expressum, sub aliis verbis comprehendi non potest ad text. in leg. *Si quis bona*, § *Jussum*, ff de acquir. Hæred., leg. 1, circa fin., ff. de Lib. et Posth., faciunt ea quæ tradit Bart. in l. fin. § *Omnem*, ff de Admin. tut., et ita in facti contingentiâ, pluries evenisse, ac apud illustriss. dominum nuntium Sedis Apostolicæ, in hâc civitate residentem, practicatum exstitisse, scio. Et ex his, ad laudem Omnipotentis Dei, ejusque Genitricis immaculatæ et purissimæ Virginis Mariæ, ac SS. Januarii et Francisci de Paulâ, peculiarium meorum tuteliarium, omniumque sanctorum, quorum vigiliâ hodiè eorum solemnissimam prævenimus festivitatem, sit absolutus hujus meæ praxis tractatus; quem, et omnia in eo contenta, correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ, ejusque Sedis Apostolicæ submitto, præmissâ protestatione, de quâ in cap. *Hæc est fides*, *Papa beatissime*, 24, q. 1.

REGULÆ, ORDINATIONES ET CONSTITUTIONES
CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ
S. D. N. ALEXANDRI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VII

Sanctissimus in Christo Pater, et D. N. Alexander divinâ providentiâ Papa VII, suorum prædecessorum vestigiis inhærendo, normam et ordinem rebus gerendis dare volens, in crastinum suæ assumptionis ad summi apostolatûs apicem, videlicet, die septimâ mensis aprilis, anno ab Incarnatione Domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, reservationes, constitutiones et regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Franciscus Episcopus Protuensis cardinalis Barberinus sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarius die vigesimâ ejusdem mensis in cancellaria apostolicâ publicari fecimus.

Reservationes generales, et speciales.

1. In primis fecit easdem reservationes, quæ in constitutione felici record. Benedicti Papæ XII, quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, et illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi officiales in eâdem constitutione expressi Apostolicæ Sedis officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore quo officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominùs beneficia, quæ dictæ Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, et quandocumque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit Beneficia, quæ per constitutionem piæ mem. Joannis Papæ XXII, quæ incipit *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerint. Quam constitutionem et reservationem S. S. tam ad Beneficia obtenta, quàm alia quæcumque, de quibus ordinarii, et alii collatores contra concilii Tridentini decreta disposuerunt, et disponent, in futurum extendit et ampliavit, et ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos ordinarios, aut alios collatores contra ejusdem concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, etc.

Reservatio cathedralium ecclesiarum et monasteriorum, ac de tempore vacationis episcopatuum, vacaturorum beneficiorum.

2. Item, reservavit generaliter omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, necnon omnia monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et in posterum vacatura. Et voluit quòd excessus hujusmodi in litteris exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates et beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electionem, et quamcumque aliam dispositionem patriarcharum, primatuum, archiepiscoporum et episcoporum, necnon abbatum, ac aliorum quorumcumque collatorum et collatricum, secularium et regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alterius præsentationem, vel electionem, pertinentia), quæ post illorum obitum, aut ecclesiarum, seu monasteriorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem seu amissionem, vel privationem, seu translationem, vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias, aut monasteria vel dignitates apostolicâ auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint, et vacabunt in futurum. Decernens irritum, etc.

Extensio reservationis Beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum.

3. Item, si qui de beneficiis ecclesiasticis præsertim curam animarum habentibus, seu aliàs personalem residentiam requirentibus, dùm pro tempore vacant, apostolicâ auctoritate provisi, seu providendi, ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suæ resignarent seu dimitterent, voluit, decrevit et declaravit quòd si in posterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis, tunc vacantibus seu vacaturis, per Sanctitatem suam, aut ejus auctoritate provideri, ipsosque provisos, seu providendos, intra vacationis t perovisionis, seu assecutionis eorumdem Beneficiorum tempora, quæcumque alia cum illis incompatibilia beneficia ecclesiastica secularia, vel quorumvis ordinum, ac etiam hospitalium regularia per eos tunc obtenta, nullâ speciali et expressâ de eisdem in provisionibus prædictis factâ mentione simpliciter vel causâ permutationis, ac aliàs quomodolibet, sive in Sanctitatis suæ, vel alterius Romani Pontificis pro tempore existentis, aut legatorum vel nuntiorum dictæ Sedis, sive ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare, seu dimittere, aut juribus sibi in illis, vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes et singulæ concessiones, collationes, provisiones, et quævis aliæ dispositiones de beneficiis seu juribus sic resignandis, dimittendis et cedendis pro tempore faciendæ, cum inde secutis quibuscumque cassæ et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia et jura, ut præfertur, resignata, dimissa, et cessa eo ipso vacent, ac sub reservatione prædictâ quam Sanctitas sua etiam quoad hoc extendit et ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium quàm per eamdem Sanctitatem suam, vel pro tempore existentem Romanum Pontificem nullatenùs disponi possit in omnibus, et per omnia perinde ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi verè ac realiter vacavissent. Ac ulteriùs voluit beneficium, de quo resignans fuerit auctoritate apostolicâ provisus, ac per cujus assecutionem beneficia vacare debebant, ut priùs vacare non fuisset resignantis facta, salvis tamen quibuscumque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causâ permutationis, summariè, simpliciter et appellatione remotâ exercendis. Decernens irritum, etc., attentari.

Reservatio dignitatum, necnon suorum, et S. R. E. cardinalium familiarum beneficiorum.

4. Item reservavit generaliter dispositioni suæ omnes dignitates majores post pontificales, in cathedralibus etiam metropolitanis et patriarchalibus, necnon valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedentes, principales in collegiatis ecclesiis. Reservavit etiam prioratus, præposituras, præpositatus, ac alias dignitates conventuales et præceptorias generales ordinum quorumcumque (sed non militiarum), ac quæcumque beneficia, quæ sui, etiam dùm cardinalatûs fungebatur honore, existentes, ac S. R. E. viventium nunc, et qui erunt pro tempore cardinalium familiares continui commensales obtinent, et inposterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus, seu ad quæ jus eis competit aut competierit, etiamsi ab ipsâ familiaritate per obitum cardinalium eorumdem, vel aliàs recesserint. Declarans dignitates, quæ in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificales non majores existunt, et quæ ex Apostolicæ Sedis indulgentiâ, vel ordinariâ auctoritate aut consuetudine præscriptâ, vel aliàs quovis modo in quibuscumque collegiatis ecclesiis principalem præeminentiam habere noscuntur sub reservatione prædictâ comprehendi debere. Decernens irritum, etc.

Reservatio beneficiorum collectorum et subcollectorum.

5. Item, reservavit generaliter omnia et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque collectorum et unicorum in quâcumque civitate, vel diœcesi, qui suo tempore officia exercuerint, subcollectorum fructuum, et proventurum cameræ apostolicæ debitorum, illa videlicet Beneficia duntaxat, quæ durante eorum officio obtinebant, et in quibus, seu ad quæ jus eis competebat. Decernens irritum, etc.

Reservatio beneficiorum curialium, dùm curia transfertur.

6. Item reservavit omnia et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque curialium, quos dùm Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quan-

tùmcumque etiam à dictâ curiâ remoto. Decernens irritum, etc.

Reservatio beneficiorum cubiculariorum et cursorum.

7. Item reservavit generaliter idem D. N. Papa dispositioni suæ omnia beneficia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum ac cursorum suorum. Declarans in prædecessorum suorum Romanorum Pontificum constitutionibus et regulis reservatoriis beneficiorum cubiculariorum, etiam cubicularios honoris nuncupatos, etiam à die earum editionis, et publicationis intelligi et comprehendi, ac comprehensos fuisse et esse. Irritumque, etc., attentari decernens.

Reservatio beneficiorum ecclesiarum S. Joan. Lateranen. et S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, et beneficiorum titulorum card. à Curiâ absentium.

8. Item reservavit dispositioni suæ generaliter quoscumque canonicatus, et præbendas ac dignitates, personatus et officia in S. Joannis Lateranen. et Principis Apostolorum, ac B. Mariæ Majoris de Urbe ecclesiis, necnon ad collationem, provisionem et præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. cardinalium à Rom. Curiâ absentium (non tamen ob servitium Sedis Apostolicæ cum licentiâ Sanctitatis suæ, vel apud eorum ecclesias residentium) ratione suorum episcopatuum, cardinalatûs, ac ipsorum cardinalium titulorum et diaconiarum spectantia, quamdiù absentia sua duraverit, canonicatus et præbendas, dignitates, personatus, administrationes et officia, cæteraque beneficia ecclesiastica, cum curâ et sine curâ vacantia, ac in antea vacatura, tam in eâdem Urbe, quàm in ecclesiis, civitatibus ac diœcesibus dictorum episcopatuum consistentia. Ac decrevit irritum, etc.

Reservatio mensium apostolicorum, et alternativa pro episcopis residentibus.

9. Item cupiens idem D. N. Papa, pauperibus clericis, et aliis benè meritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum curâ et sine curâ, secularia et quorumvis ordinum regularia, qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia, in singulis januarii, februarii, aprilis, maii, julii, augusti, octobris et novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum, extra Romanam Curiam, alàs quàm per resignationem, quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum, et collatricum, secularium, et quorumvis ordinum regularium (non tamen S. R. E. cardinalium, aut aliorum, sub concordatis inter Sedem Apostolicam, et quoscumque alios initis, et per eos qui illa acceptare, et observare debuerant, acceptatis et observatis, quæ lædere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum quæ de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio fient, de mense in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri, alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles, optandi majores et pinguiores præbendas, necnon privilegia etiam in limine erectionis concessa, et indulta apostolica circa ea, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quòd illa sub hujusmodi reservationibus nunquàm comprehendantur, etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis et fortioribus, efficatioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, quorum tenores, pro expressis haberi, et latissimè extendi voluit, quibusvis personis et collegiis cujuscumque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis et conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversùs reservationem hujusmodi minimè suffragari. Insuper Sanctitas sua, ad gratificandum patriarchis, archiepiscopis et episcopis intenta, et ipsis, quamdiù apud ecclesias, aut diœceses suas verè ac personaliter resederint duntaxat, de omnibus et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, cum curâ et sine curâ, secularibus et regularibus (ad liberam ipsorum, duntaxat, non autem aliorum cum eis, dispositionem, seu præsentationem vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus) quæ antea in mensibus februarii, aprilis, junii, augusti, octobris et decembris, extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodò aliàs dispositioni apostolicæ reservata vel effecta non fuerint) liberè disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi, in collatione aut aliâ dispositione beneficiorum, in aliis sex mensibus, videlicet januarii, martii, maii, julii, septembris et novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) seu, etiam aliorum dispositioni suæ, et dictæ Sedis aliàs quomodolibet reservatorum vel effectorum, sese intromiserint, aut quominùs provisiones, et gratiæ Sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo præstiterint, usu, et beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant, ac collationes et aliæ dispositiones de beneficiis illius prætextu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi verò qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propriâ subscriptas suoque sigillo munitas, et in suâ quisque civitate, vel diœcesi datas, declarare et litteras ipsas hùc ad datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis et recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demùm, et non antea uti incipiant gratiâ supra dictâ. Insuper declaravit quòd si idem episcopus pluribus ecclesiis quomodocumque unitis ex apostolicâ concessione et dispensatione, quomodocumque præsit, teneantur hujusmodi alternativæ gratiam quatenùs eâ potiri velit utriusque Ecclesiæ nomine explicitè acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem et admissionem, in datariâ neutri parti liceat nisi concordi consensu ab eâ recedere, declarans præterea exceptionem positam in Regulâ, favore S. R. E. cardinalium, et indultum conferendi beneficia reservata concessum cardinali episcopo, non suffragari capitulo ratione communio-

nis, et consortii juxta declarationem fel. record. Urbani papæ VIII, prædecessoris sui editam die decimâ septembris, anno 1626, quam Sanctitas sua in omnibus, et per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quoscumque, etc., judicare debere, ac irritum, etc.

De litteris in formâ, Rationi congruit, *expediendis.*

10. Item voluit idem D. N. Papa, quòd concessa per fel. record. Innocentium X, prædecessorem suum, et de ejus mandato expediantur in formâ, *Rationi congruit*, etc., sub die coronationis suæ, ut moris est, et idem quoad concessa per piæ mem. Urbanum VIII etiam prædecessorem suum ad sex menses duntaxat ab ipso die coronationis incipiendo observari voluit.

Declaratio reservationis ecclesiarum, et beneficiorum per prædecessores reservatorum.

11. Item declaravit, omnium et singularum ecclesiarum cathedralium et monasteriorum provisiones, quas prædicti prædecessores sui, ordinationi et dispositioni eorum, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica quæ dicti prædecessores, etiam prædictæ dispositioni, cum interpositione decreti reservaverant (quæ quidem ecclesiæ, monasterio, necnon sic reservata beneficia, tempore obitûs eorumdem prædecessorum vacabant, aut ecclesiæ ipsæ, vel monasteria hujusmodi, commendata, vel eis, administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacâssent) remansisse, et remanere per hujusmodi reservationem et decretum, affecta, nullumque de illis, præter Romanum Pontificem eâ vice, se intromittere vel disponere potuisse, sive posse quoquomodo. Decernens irritum et inane, si secùs per illos attentatum forsan erat tunc, vel in posterum contingeret attentari.

Revalidatio litterarum prædecessoris, gratiæ et justitiæ, infra annum concessarum.

12. Item prædictus D. N. omnes et singulas, ab ipso Innocentio X Romano Pontifice prædecessore suo infra annum ante diem obitûs eorum concessas, gratiæ vel Justitiæ litteras, temporibus debitis earum executoribus, seu judicibus non præsentatas, omninò revalidavit, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentæ, quoad hoc plenariè restituit, ac decrevit, per executores seu judices prædictos, vel ab eis subdelegandos, ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse et debere, juxta illarum formam.

Revocatio unionum

13. Item, rationabilibus suadentibus causis, ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorporationes, suppressiones, extinctiones, applicationes et dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis cathedralibus, necnon aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis ecclesiasticis, eorumve domibus, prædiis et locis, per cessum, vel decessum, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem, qualiacumque fuerint, invicem, vel aliis ecclesiis, monasteriis, et mensis etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis ac piis et aliis locis, universitatibus, etiam studiorum generalium et collegiis, etiam in favorem S. R. E. cardinalium, seu ecclesiis, monasteriis et beneficiis per eos obtentis, quomodolibet, apostolicâ vel aliâ quâvis (non tamen concilii Tridentini) auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento vel conservatione collegiorum, et aliorum piorum et religiosorum locorum ad fidei catholicæ defensionem et propagationem, bonarumque artium cultum, institutorum factas, quæ suum non sunt sortitæ effectum. Ac quæcumque concessiones, et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus et aliis præmissis taliter faciendis, revocavit, cassavit et irritavit, nulliusque decernit existere firmitatis. Nec alicui quascumque clausulas vel adjectiones, aut decreta quæ Sanctitas sua pro expressis haberi voluit, in quibusvis apostolicis, etiam quæ motu proprio, aut ex certâ scientiâ et consistorialiter processerunt, et emanârunt litteris, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse, aut jus quæsitum fore, quomodolibet contentæ adversùs revocationem et irritationem hujusmodi, voluit aliquatenùs suffragari.

Revocatio facultatum quibusvis concessarum.

14. Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis prælatis, et personis, necnon Apostolicæ Sedis nuntiis, ac fructuum et proventuum cameræ apostolicæ debitorum collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito, ac natalium et ætatis defectibus, et de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis in simul retinendis; necnon de notariis publicis creandis, ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, et aliàs præmissis, officia ipsorum nuntiorum et collectorum directè non concernentes, etiamsi in litteris desuper confectis sint clausulæ restitutoriæ, et derogatoriarum derogatoriæ, et aliæ efficaciores quas pro expressis haberi voluit, quoad omnia in quibus facultates ipsæ non sunt sortitæ effectum, etiamsi nuntiis eisdem, dictæ Sedis legatis de latere competens sit concessa potestas. Decernens irritum, etc.

Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata

15. Item revocavit quascumque facultates, et litteras desuper confectas, per quas quicumque sui prædecessores Romani Pontifices, quibusvis personis, ordinariam collationem, seu aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum, de jure, vel consuetudine, habentibus, et quâvis etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali, vel aliâ dignitate, vel alio, non tamen cardinalatûs honore fulgentibus, quâvis consideratione, vel intuitu, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis ac irritantibus, et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis, concesserant, ut

quamdiù viverent, vel suis ecclesiis, seu monasteriis præessent, aut ad aliud tempus, de beneficiis ecclesiasticis generaliter reservatis seu affectis, ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim spectantibus, disponere liberè et licitè valerent, aut etiam ad id, per eosdem prædecessores, vicarii perpetui, vel ad tempus constituti forent, decernens irritum et inane, etc.

De dictionibus numerabilibus.

16. Item, ut in apostolicis litteris, committendi crimen falsi, per ampliùs tollatur occasio, voluit et ordinavit quòd dictiones numerales, quæ in dictis litteris, ante nonas, idus et kalend., immediatè poni consueverunt, per litteras, et syllabas extensè describantur, et illæ ex prædictis litteris, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptæ fuerint, ad bullariam nullatenùs mittantur.

De concurrentibus in datâ.

17. Item voluit quòd de concurrentibus in datâ ejusdem diei, super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi quibus gratiæ motu proprio conceduntur, cæteris simili modo gratias non habentibus, aliàs graduati, non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos, priùs graduati, nec non colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in Curiâ præsentes, absentibus ab eâ, ac inter præsentes, non beneficiati, beneficiatis, et similiter inter absentes, cæteris paribus, oriundus non oriundo, et diœcesanus, non diœcesano. In reliquis verò, singuli, qui priùs apostolicas desuper litteras eorum, executoribus præsentaverint, aliis, in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione præferantur

De non tollendo jus quæsitum.

18. Item, ne per varias quæ pro commissionibus, seu mandatis et declarationibus habendis in causis, plerùmque fiunt suggestiones, justitia postponatur, idem D. N. decrevit et declaravit suæ intentionis fore quòd deinceps, per quamcumque signaturam, seu concessionem, aut gratiam, vel litteras apostolicas, pro commissionibus seu mandatis aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio, ex certâ scientiâ, ac etiam ante motam litem, à Sanctitate suâ emanaverit, vel de eis mandato faciendas, nulli, jus sibi quæsitum, quomodolibet tollatur.

Regula, de viginti.

19. Item voluit quòd si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium sive simpliciter, sive ex causâ permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendæ cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dùm esset sanus, signatæ et postea infra viginti dies à die, per ipsum resignantem præstandi consensus, computandos, de ipsâ infirmitate decesserit, et ipsum beneficium, quâvis auctoritate conferatur, per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque beneficium, nihilominùs per obitum censetur vacare.

De idiomate.

20. Item voluit quòd si contingat, ipsum, alicui personæ, de parochiali ecclesiâ vel quovis alio beneficio, exercitium curæ animarum parochianorum quomodolibet habente, provideri, nisi ipsa persona intelligat, et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia, vel beneficium hujusmodi consistit, provisio, seu mandatum, et gratia desuper, quo ad parochialem ecclesiam, vel beneficium hujusmodi, nullius sint roboris, vel momenti.

De non impetrando beneficium per obitum viventium.

21. Item, si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque, tanquàm per obitum alicujus, licèt tunc viventis, vacante provideri, et postea per obitum ejus vacet provisio, et quævis dispositio, dicto supplicanti, per obitum hujusmodi, denuò faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti.

De unionibus et unionum confirmatione.

22. Item voluit quòd petentes beneficia ecclesiastica, aliis uniri, teneantur exprimere verum annuum valorem secundùm communem æstimationem, tam beneficii uniendi, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat, et semper in unionibus, commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest : et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus, perpetuis concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, et bonis ecclesiasticis, ac etiam in confirmationibus unionum, singularumque dispositionum hujusmodi.

De mendicantibus transferendis.

23. Item, de mendicantibus transferendis, qui ad alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. rc. Martini PP. V, prædecessoris sui desuper factam, et in libro cancellariæ apostolicæ descriptam, quæ incipit : *Viam ambitiosæ cupiditatis*, etc., firmiter observari.

De malè promotis.

24. Item de clericis extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, aut absque dimissioris litteris, ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit, constitutionem piæ mem. Pii II, similiter prædecessoris sui, desuper editam, et in dicto cancellariæ apostolicæ libro descriptam, quæ incipit : *Cum ex sacrorum Ordinum*, etc., pari modo observari.

De monetâ.

25. Item, declaravit idem D. N. quòd libra Turonensium parvorum, et florenus auri de camerâ, pro æquali valore, in concernentibus litteras, et cameram apostolicam, computari, et æstimari debeant.

De beneficiis vacaturis per promotionem ad ecclesias et monasteria.

26. Item, prædictus D. N. Papa voluit, decrevit, et ordinavit, quod quæcumque concessiones, gratiæ, et mandata, etiam motu proprio, et cum derogatione hujus constitutionis, quæ ab eo, pro quibusvis personis emanaverint, de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad ecclesiarum et monasteriorum regimina, si hujus-

modi concessiones, et mandata, diem promotionis promovendorum ipsorum præcesserint, necnon quæcumque collationes, provisiones, et dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, ac quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis, secularibus, et regularibus; quæ per promovendos, vel assumendos ad quascumque prælaturas, inter illarum vacationis, et hujusmodi promotionis, vel assumptionis tempora, simpliciter, vel ex causâ permutationis ubicumque resignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum inde secutis pro tempore, sint cassæ et irritæ, nulliusque roboris, vel momenti.

De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.

27. Item, cum ante confectionem litterarum, gratia apostolica sit informis, voluit, statuit, et ordinavit idem D. N. quòd Judices in Romanâ Curiâ, et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. cardinales, causarum palatii apostolici auditores, vel quicumque alii, non juxta supplicationem *signaturam* super quibusvis impetrationibus (nisi in dictâ curiâ duntaxat sint commissiones, justitiam concernentes, per Placet, vel per S. R. E. vicecancellarium juxta facultatem, super hoc sibi concessam signatæ), sed juxta litterarum super eisdem impetrationib. et concessionib. confectarum tenores, et formam, judicare debeant. Decernens irritum, etc. Et si litteræ ipsæ per præoccupationem, vel alias minùs benè expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam ad apostolicam cancellariam remitti poterunt per ejus officiales, quibus hujusmodi tenores, et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendæ.

De regulis cancellariæ producendis.

28. Item, attendens D. N. papa, quòd super habendis, de cancellariâ apostolicâ regulis, et constitutionibus, inibi descriptis, faciliter per eos, qui in Romanâ Curiâ *indigerint*, ad ipsam cancellariam recursus dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regularum et constitutionum (quæ juxta varietatem concurrentium causarum, et negotiorum aliquoties immutari convenit), probando tenore, vel effectu, testium plerùmque tenacem desuper memoriam non habentium depositionibus stari deberet, voluit, statuit, et ordinavit, quod deinceps quilibet ex auditoribus causarum palatii apostolici, et aliis, (etiamsi S. R. E. sint cardinales), in ipsâ curiâ pro tempore deputatis, auctoritate apostolicâ, judicibus, etiam in causis actu pendentibus, super hujusmodi tenore, vel effectu probando duntaxat, stet, fidemque adhibeat scedulæ, seu scripturæ desuper à duobus majoris præsidentiæ, quòd danda sit, à tergo signatæ, et etiam à duobus aliis litterarum apostolicarum abbreviatoribus, in ipsâ cancellariâ auscultatæ, et vicecancellarii, seu dictam cancellariam regentis manu subscriptæ, ut moris est. Quidquid autem secùs fieri contigerit, nullius sit roboris vel momenti.

De subrogandis collitigantibus.

29. Item, D. N. audiens litium succidere anfractus, et ne novi, collitigantibus, adversarii dentur providere voluit, statuit, et ordinavit, quòd quoties deinceps, aliquem, super quovis, beneficio ecclesiastico collitigantem, in jure vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari concesserint (dummodò prædictus collitigans, in dicto beneficio intrusus non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquàm illud per triennium pacificè possederint, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmisso jure sive tunc vacet, vel cùm vacaverit, impetrationes, vel concessiones, etiam motu proprio, infra mensem ante concessionem hujusmodi factæ, nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominùs cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum præsertim, quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem, immineret vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus, tanquàm collitigantes in eorum juribus faciliùs subrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure, vel ad jus in beneficio defuncti, quòd illo vivente in casibus præmissis, vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur : ac subrogatio, vel gratia, *Si neutri*, *Si nulli*, seu *Novæ provisionis*, aut *Perinde valere*, taliter impetrandi nullatenùs suffragetur. Quod etiam strictissimè observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem et amotionem ex quibusvis criminibus, et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad diffinitivam sententiam, quæ tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

De verisimili notitiâ.

30. Item voluit et ordinavit, quod omnes gratiæ quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis, cum curâ, vel sine curâ, secularibus, vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, et ante datam gratiarum hujusmodi, tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

Non valeant commissiones causarum, nisi litteris expeditis.

31. Item quod omnes, et singulæ commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentæ, vel occasione concessionum duntaxat apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis gratiarum, super quibus litteræ apostolicæ confectæ non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti.

De impetrantibus beneficia per obitum familiarium cardinalium.

32. Item voluit, quòd impetrans nenencium vacans per obitum familiaris alicujus cardinalis, teneatur exprimere nomen, et titulum ipsius cardinalis, et si ille in curiâ fuerit, ejus ad id accedat assensus, aliàs desuper gratia sit nulla. Et idem servari voluit, si cardinales quomodolibet ab ipsâ curiâ absentes, et ubilibet, etiam in locis, infra duas dietas vicinis degentes, familiamque, et lares in eâdem curiâ retinentes, ab ipsâ curiâ recesserint, ad eamdem illicò reversuris, et infra decem, vel ad summum, quindecim

dies verè, et personaliter, reversi fuerint, ita quod cardinalibus, aliàs quàm, ut præfertur, ex quâcumque causâ, quantùmlibet necessariâ, ac quâlibet aliâ hìc necessariò experimendâ, absentibus, facultas præstandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis suæ, et Sedis Apostolicæ provisionem, et dispositionem, pertineant. Declarans, regulas et constitutiones suorum prædecessorum, etiam à die earum editionis et publicationis super assensu hujusmodi præstando, sic intellectas et intelligendas fuisse, irritumque, etc., attentari decernens. Quodque si prædicti familiares, eorumdem cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad beneficia, quæ familiaritate priori durante obtinuerint, et in quibus, vel ad quæ, priori ipsâ familiaritate durante, jus eis competierit, cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans præsentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quæ familiares ipsi, tempore obitûs eorum, in dictâ curiâ, vel extra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum, per eos obtentorum dictæ dispositioni generaliter reservata, vel affecta fuisse apparent. Necnon illos, quoad effectum dictæ constitutionis, familiares eorumdem cardinalium censeri, qui ipsorum cardinalium familiares continui commensales, ad minus per quatuor menses, etiam ante cardinalatum, fuisse probarentur. Decernens irritum, etc.

Super eâdem familiaritate.

33. Item, idem D. N. ad evitandas lites, et contentiones, quæ ex præcedenti suâ constitutione exoriri possent, vestigiis prædecessorum suorum inhærendo, voluit, statuit et ordinavit, quòd si beneficia, quæ per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reservationibus, ad alterius cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dictâ præcedenti constitutione non comprehendantur, quo ad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum, super expeditione litterarum illius cardinalis, cujus familiaris, defunctus ille extitit, consensus requiri debeat, sed beneficia hujusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem cardinalis ordinarii collatoris, ut præfertur, liberè spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione litterarum, illius cardinalis exigatur consensus, si in Rom. Curiâ præsens fuerit ad quem eorumdem collatio et dispositio, ut præfertur, pertinere deberet.

Signatura per Fiat, *præferatur alteri per concessum.*

34. Item, voluit D. N. quòd concurrentibus eâdem die super quocumque beneficio per *fiat*, et concessum, signaturis, ex eis, per *fiat*, etiam ut petitur, habens, alteri per concessum, etiam motu proprio habenti præferatur, etiamsi in illâ per concessum, prægnantiores et quantumlibet privilegiativæ essent clausulæ.

De annali possessore.

35. Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit, et ordinavit, quòd quicumque beneficium ecclesiasticum, tunc per annum immediatè præcedentem, pacificè possessum, et quòd certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris ejusdem, et quot annis ipse, illud possederit, ac specificam, et determinatam, ex quâ clarè poterit constare, quòd nullum ipsi possessori, in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses, ipsum possessorem ad judicium evocari facere, causamque ex tunc desuper infra annum, usque ad sententiam diffinitivam inclusivè, prosequi debeat, et teneatur. Alioquin impetratio prædicta, et quæcumque inde secuta, nullius existant firmitatis, et idem impetrans, de damnis, et interesse, possessorem præfatum propterea contingentibus, ei satisfacere : et si possessorem, ipsum injustè, frivolè, et indebitè molestâsse repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere cameræ apostolicæ sit adstrictus. Nec alius, quàm præmissæ vocationis modus, etiam per litteras, *si neutri*, aut subrogationis, aut aliàs sibi, quo ad hoc, ut beneficium hujusmodi eâ vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur; illudque nullatenùs in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatis, per privationem, et amotionem, vel aliàs propter commissa, excessus, et crimina, vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia, tanquàm vacantia per devolutionem.

De triennali.

36. Item statuit, et ordinavit idem D. N. quòd si quis, quæcumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, apostolicâ vel ordinariâ collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, et præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodò in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicæ, ex reservatione generali, in corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit) super eisdem beneficiis, taliter possessis, molestari nequeat : necnon impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis, sic possessis, factas, irritas, et inanes censeri debere decrevit; antiquas lites, super illis motas, penitùs extinguendo.

De non appellando, ante sententiam diffinitivam.

37. Item idem D. N., ut finis litibus celeriùs imponatur, et litigantium parcatur sumptibus et expensis, suorum prædecessorum constitutionibus et statutis inhærendo, statuit et ordinavit, quòd in causis pendentibus, et quas in posterum contigerit agitari nulli, ante diffinitivam sententiam liceat appellare, nec appellatio si

fuerit omissa, debeat admitti, nisi ab interlocutoriâ, quæ vim habeat diffinitivæ, vel à gravamine, minimè concernente negotium principale, quod non possit, per appellationem à diffinitivâ sententiâ reparari. Nullæque causæ appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutura vim diffinitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in appellatione à diffinitivâ non valeat reparari; alioquin appellationes, et commissiones in posterum, et quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti, commissionibus appellationum, jam judicibus præsentatis et exhibitis, in suo robore permansuris, in quibus latis super eisdem sententiis, secundò, vel ulterius ab eis non liceat appellare. Appellantes verò, et appellationes, etiam ab interlocutoriis et gravaminibus hujusmodi, suo, vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas, et damna, ad quæ resarcienda, de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœnâ mulctentur.

Non stetur commissioni, post conclusionem.

38. Item, statuit et ordinavit, quòd in commissionibus de justitiâ, seu mandatis, etiam consistorialibus, per eum, seu de ejus mandato, vel auctoritate, in causis, in quibus conclusum existat, in posterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi, implicitè, vel explicitè mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem commissionis hujusmodi, derogetur expressè.

De litteris religiosorum expediendis.

39. Item, voluit, et ordinavit, quòd si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium, ad nutum amovibile, cum clausulâ, quòd exinde pro solo nutu abbatis, vel superioris, amoveri non possint, litteræ, quo ad ipsam clausulam nullatenùs expediantur, nisi idem D. N. ponat in signaturâ, quòd non possit amoveri, vel ad partem, clausulam ipsam concedat.

De clausulâ ponendâ in litteris permutationum beneficiorum.

40. Item, si committatur alicui, beneficii resignationis receptio, ponatur clausula, *Attentè quoque provideas*, etc., et si ex causâ permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, *Quòd neuter permutantium jus acquirat*, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

De supplendis defectibus.

41. Voluit, quod si petatur, suppleri defectus in genere, nullatenùs litteræ desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur, vel per *fiat*, ut petitur, supplicatio signata fuerit.

De derogatione jurispatronatûs.

42. Item voluit quòd super quovis beneficio ecclesiastico de jure patronatûs laicorum, non expediantur litteræ, nisi ponatur expressè, quòd tale beneficium tanto tempore vacavit, quòd ejus collatio ad Sedem Apostolicam, legitimè est devoluta : vel quia tempus patronis laicis ad præsentandum à jure præfixum, lapsum existat, aut ad id patronorum ipsorum accedat assensus. Et si per ipsum, jurispatronatus hujusmodi derogari contigerit, jurispatronatûs hujusmodi mentio dispositivè, ac specificè, et determinatè, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem regem, ducem, marchionem, vel alium principem pertineat et de hoc in litteris provisionis, vel mandato, de providendo, de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

De commendis.

43. Item voluit, quòd nulli seculari de regulari, nec religioso de seculari, beneficiis commenda detur, nisi in signaturâ, per clausulam ad partem, super petitione commendæ hujusmodi, de commendâ ipsâ, mentio fiat.

De reformationibus.

44. Item voluit, statuit et ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus, quorumcumque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litteræ, super primâ datâ expediri possint, si ex hujusmodi expeditione, sub tali datâ, cuiquam videatur, posse fieri præjudicium, litteræ hujusmodi sub ipsâ primâ datâ, nullatenùs expediantur, nisi reformationes hujusmodi, per *fiat*, sub primâ datâ signatæ fuerint.

De consensu in resignationibus et pensionibus.

45. Item voluit et ordinavit, quòd super resignatione cujuscumque beneficii ecclesiastici, seu cessione juris in eo quam in manibus suis, vel in cancellariâ apostolicâ, fieri contigerit, apostolicæ litteræ nullatenùs expediantur, nisi resignans, vel cedens, si præsens in Rom. Curiâ fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum, expeditioni hujusmodi in eâdem cancellariâ expressè consenserit et juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem seu cedentem pluries super uno et eodem beneficio, in favorem diversarum personarum, successivè consentire contigerit, voluit sanctitas sua, quod primus consensus tenere debeat et alii posteriores consensus, ac litteræ illorum pretextu, etiam sub priori datâ expeditæ pro tempore, nullius sint roboris, vel momenti. Nec litteræ reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio, cujusvis pensionis annuæ, super alicujus beneficii fructibus, expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc habebit.

De ingressu religionis.

46. Item non dentur litteræ, super beneficiis vacaturis, per ingressum religionis, nisi illæ præcesserint datam, desuper petitionis.

Non valeat impetratio facta, per modum in cancellariâ exprimendum.

47. Item voluit, quòd si petatur aliquod beneficium vacans, per modum in cancellariâ apostolicâ exprimendum, talis impetratio non valeat, nec litteræ desuper expediantur.

De executione faciendâ.

48. Item voluit, statuit et ordinavit, quòd quotiescumque, per signaturam suam, vel de ejus mandato factam super exequendis aliquibus, cum adjectione, proprii nominis, vel dignitatis cujusvis, judex datur, litteræ desuper expediantur, cum expressione, quòd idem iudex executionem faciat, per scipsum.

De dispensationibus in gradibus consanguinitatis.

49. Voluit quòd in litteris dispensationum, super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut aliàs prohibito, ponatur clausula, *Si mulier rapta non fuerit.* Et si scienter, ponatur clausula addita in quaterno.

Super defectus natalium.

50. Voluit, quòd in dispensationibus, super defectu natalium, quòd possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula, *Quòd non præjudicetur illis,* ad quos successio bonorum ab intestato, pertinere debeat.

Super dispensationibus.

51. Item, quòd per quamcumque signaturam, in quàvis gratiâ, nullatenùs dispensatio veniat, nisi dicta gratia, totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat, vel aliàs nihil conferat, aut operetur.

Nulli suffragetur dispensatio nisi litteris confectis.

52. Item, cùm concessiones, super gratiis dispensationum quarumcumque, quibusvis per ipsum D. N. concessarum, vel concedendarum, per regulas cancellariæ apostolicæ sint providè limitatæ, licèt aliquando in petitionibus, super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum prætextu, id dispensativè tenere, aut facere præsumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quòd nulla talis dispensatio cuiquam, in judicio, vel extra suffragetur, antequàm super ea, litteræ apostolicæ sint confectæ.

De clausulis ponendis in litteris indulgentiarum.

53. Item voluit, quòd in litteris indulgentiarum ponatur, quòd si ecclesiæ, vel capellæ, vel aliàs, aliqua indulgentia fuerit, per ipsum concessa, de quâ inibi specialis mentio facta non sit; hujusmodi litteræ sint nullæ.

De indulgentiis concessis ad instar.

54. Item voluit idem D. N. quòd litteræ super indulgentiis non expediantur ad instar, nisi specificentur.

De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.

55. Item voluit, quòd in gratiis, quas quibusvis personis, de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, fieri contigerit, illorum et aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel concessum, aut mandatum provideri, verus annuus valor per marchas argenti, aut stergilingorum, vel libras Turonen. parvorum, seu florenos, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam, secundùm communem existimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut aliàs dimittere teneantur. Alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Et idem servetur in gratiis, quas à sanctitate suâ, motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia, tamen, de quibus, per sanctitatem suam, pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut aliàs disponitur, ac litteris, per quas pro tempore ad ecclesiarum patriarchalium et cathedralium, ac monasteriorum regimina promotis, conceditur, ut monasteria et alia beneficia ecclesiastica, secularia et regularia, per eos obtenta et in quibus, et ad quæ jus eis competit, retinere possint.

De clausulis in beneficiis vacantibus ponendis.

56. Voluit et ordinavit, quòd quando providet seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc, dari poterunt clausulæ, si petantur, etiam si illud quovis modo, etc., seu per constitutionem, *Execrabilis*, vacet, ac specialiter reservatum, inter aliquos litigiosum sit, et ejus collatio devoluta fuerit; et si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli, etc., petente, si tunc lis specificè exprimatur. Nec detur aliqua generalis reservatio dispositivè, nisi desuper in concessione, specialis et expressa, ac purè et non sub conditione, mentio fiat, et tunc reliquæ reservationes, ibi contentæ veniant. Si verò tempore expeditionis, inde litterarum, generalis reservatio hujusmodi probari non possit, aut in novis provisionibus, seu pro collitigantibus, *si neutri*, vel *si nulli*, etc., sit expressum et quòd ab aliquibus asseritur, illum cujus beneficium conceditur, collectorem, vel unicum subcollectorem, abbreviatorem, vel familiarem, notarium, aut dictæ sedis officialem fuisse, clausula ponatur, etiamsi dictum beneficium, ex eo quòd talis collector, vel unicus subcollector, abbreviator, vel familiaris, notarius, aut dictæ sedis officialis fuit, dispositioni apostolicæ, generaliter reservatum existat, dummodò non sit in eo alicui specialiter, jus quæsitum. In reliquis verò, nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura, per duplex *fiat* signata sit, aut reservatio, vel aliàs specialiter habeatur.

De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.

57. Item voluit, quòd super beneficiis ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum et ad illa consueverint, qui per electionem assumi, mentio fiat; aliàs gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi, affirmativè vel conditionaliter non exprimantur, negativa expressè desuper fiat, in beneficiis, quæ tales qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere.

De beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.

58. Item, si reservetur beneficium, per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium. Sed in beneficiis, per promotionem, aut ingressum religionis, vel assecutionem, vacaturis, ponatur clausula, etiamsi non petatur. Cùm beneficia hujusmodi, præmisso, vel aliàs quovis modo, etc., præterquàm per obitum obtinentis, vacare contigerit, etiamsi vacent.

De clausulis ponendis in litteris religiosorum.

59. Item voluit, quòd si petatur aliquem, in religionem recipi, et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri, per simplicem signaturam *fiat*. Receptio hujusmodi duntaxat detur, adjecto, si petens idoneus sit, aut aliud canonicum non obsistat et exprimatur, si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam

non derogetur, nisi expressè concedatur et si numerus iste non existat, ponatur, dummodò receptionis locus hujusmodi, nimiùm propterea non gravetur. Possintque executores provisionis hujusmodi, ad receptionem emissionis professionis, non expectato probationis anno, providere.

De translatione religiosorum.

60. Item si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio, vel alio regulari loco dependente, provideri, et appareat ex petitione hujusmodi, quòd alterius monasterii vel loci, religiosus sit, licèt ibi translatio non petatur, nihilominùs illa veniat.

De clausulâ : Si est ita.

61. Item quòd in litteris super beneficiis, per constitutionem, *Execrabilis*, vacantibus, ponatur clausula, *Si est, ita*, similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

Petenti provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti.

62. Item petenti sibi provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti, prout expedierit impetranti.

Revocatio decimarum et aliarum impositionum.

63. Item revocavit quascumque decimarum (non tamen nuper pro defensione fidei catholicæ in Germaniâ, contra hæreticos, et imperii rebelles, impositarum, sub dat. idib. januarii anno quintodecimo pontificatûs ejusdem Pauli prædecessoris, necnon subsidiorum vigesimæ, et aliorum onerum impositiones, quæ à prædicto Paulo V, prædecessore suo, ex quâvis causâ, etiam in subsidium expeditionis contra Turcas, et orthodoxæ fidei hostes, emanârunt; et quascumque facultates super decimarum vigesimæ, et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum et proventuum cameræ apostolicæ debitorum collectorum et Apostolicæ Sedis nuntiis ab eisdem prædecessoribus concessas. Suspendit quoque ad suæ Sanctitatis, et Sedis Apostolicæ beneplacitum, quascumque plenarias Indulgentias, ab eisdem prædecessoribus, ex quâvis causâ, etiam expeditionis hujusmodi concessas, si quæ per nuntios, vel quæstores deferebantur. Necnon deputandi et eligendi confessores, qui plenariè absolvant et alia faciant ad earumdem Indulgentiarum suspensarum effectum; reliquasque facultates, ipsas indulgentias quomodolibet concernentes, præterquàm quoad ea in quibus indulgentiæ et facultates, in aliquâ sui parte sint sortitæ effectum. Ita ut illis qui implentes injuncta eis in litteris indulgentiarum hujusmodi, jam consecuti sunt facultatem eligendi confessores qui absolvant eos plenariè in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non præjudicetur, quin facultate ipsâ uti possint in futurum. Decrevit quoque irritum et inane quidquid facultatum revocatarum earumdem prætextu, in posterum contigerit attentari.

Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum.

64. Item revocavit, cassavit et annullavit, ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum Romanæ Curiæ pro tempore vacantium, in toto vel in parte, ac quasvis concessiones et collationes aliasque dispositiones per fel. rec. Gregorium XV prædecessorem suum, de dictis officiis, etiam ex die collationum, concessionum, et dispositionum earumdem in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, collegiorum, seu eorum mensarum, etiam perpetuò, etiam in vim contractûs et ex titulo oneroso, et sub aliâ quâvis verborum formâ; quam, et præmissorum tenores, pro expressis haberi voluit, concessas et factas, quoad officia quæ post obitum ipsius prædecessoris vacârunt, et in posterum quomodolibet vacabunt.

Item revocavit quoque, cassavit et annullavit ac irritas declaravit quascumque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquomodo, etiam in emphyteusim, ad tempus, seu in perpetuum, etiam motu proprio, et de plenitudine potestatis ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen consistorium, et sine S. R. E. cardinalium consilio et consensu) à die constitutionis fel. rec. Pii Papæ V, prædecessoris sui super prohibitione alienandi et infeudandi civitates, et loca S. R. E. sub dat. Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto kal. aprilis, pontificatûs sui anno secundo, usque in præsentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos prædecessores, aut mandato vel auctoritate eorum, quomodocumque ac qualitercumque, et quovis colore factas et concessas, de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis S. R. E. et sanctæ Sedis Apostolicæ, et tam mediatè quàm immediatè subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum, nondùm devolutis. Nec non quascumque prorogationes, et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondùm finitarum quibusvis personis cujuscumque gradûs, statûs et conditionis, ac præeminentiæ, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut aliâ quâvis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractûs, et ex quocumque titulo, etiam oneroso, et per quascumque tam sub plumbo quàm in formâ brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam aliàs quomodocumque et qualitercumque expeditas litteras, ac sub quâvis verborum formâ, quam et præmissorum omnium tenores Sanctitas sua pro expresso haberi voluit, latissimè extendendos.

Quòd fructus in tertiâ parte augeri possint vigore clausulæ.

65. Item cùm nonnulli, in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus, etc., certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquàm obtineant à Sanctitate suâ, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut veriùs possint in confectione litterarum super hujusmodi impetrationibus, summa, aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis in posterum hæsitari contingat, declaravit prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem va-

loris expressi, et in primâ, quæ desuper fiet litterarum expeditione, duntaxat augeri posse, et eas quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificatis, aut non integro augmento prædicto, denuò desuper expediri contigerit, litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi nullius esse roboris vel momenti, etiamsi motu proprio, beneficiales gratiæ, et dispositiones quæcumque à Sanctitate suâ emanârint.

De insordescentibus.

66. Item ne personis pro quibus litteræ suæ Sanctitatis emanabunt, ob generalem absolutionem à censuris ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, et in litteris apost. apponi solita præstetur occasio, censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illis, statuit, et ordinavit, hujusmodi absolutionem, et clausulam in litteris quas in futurum cum illâ concedi continget, non suffragari non parentibus rei judicatæ, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus litteras, et supplicationes apost., et illis utentibus, receptatoribus et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, viâ facti, ausu temerario, apost. mandatis non obtemperantibus et nuntios, vel executores, Apostolicæ Sedis et ejus officialium, ejus commissa exequentes, impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum, excommunicati à jure, vel ab homine, per quatuor menses, scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint, et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus, etiam aliàs, quàm ut præfertur quomodolibet ligati, in illis per annum continuum insorduerint.

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. Item, idem D. N. exactionibus quas Sanctitas sua non sine displicentiâ plerumque fieri intellexit per officiales Romanæ Curiæ; qui constitutis sibi emolumentis, pro exercitio officiorum quæ obtinent, non contenti, ultra, à prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eâdem, exigere non verentur, obviare volens, districtè præcipiendo inhibuit omnibus et singulis, quævis officia in eâdem Curiâ obtinentibus, ne de cætero quidquam, prætextu officiorum quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi, exigere, seu ad hunc effectum, expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiosè differre, sub excommunicationis, et præter illam, suspensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro primâ, ad semestre, et pro secundâ, ad annum, et pro tertiâ vicibus, quibusvis si excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus si excesserint, pœnis. Ac voluit, quòd S. Rom. Ecclesiæ vicecancellarius et camerarius, excedentes ipsos, respectivè, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem, ac aliàs, ut præfertur, compellant, ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, et contra eos, per prædictas pœnas et alias, prout meliùs expedire viderint, procedant.

Reservatio beneficiorum vacantium Sede Apostolicâ vacante.

68. Item S. D. N. providè considerans, consuevisse quandoque Rom. Pontifices prædecessores suos, beneficia, quæ vacante Sede Apostolicâ, vacare contigerat, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tàm conclavistis, quàm pauperibus clericis, et aliis benè meritis personis providere, omnia et singula beneficia, per regulas cancellariæ apostolicæ, aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales Romani Pontificis, pro tempore existentis, dispositioni quomodolibet, et ex quâvis causâ, reservari solita, quæ die obitûs fel. rec. Innocentii X, prædecessoris sui, usque ad diem supra dictam septimam aprilis vacaverunt, et de quibus per quoscumque ordinarios collatores, tunc dispositum non fuerat, suæ dispositioni reservavit, decernens irritum, etc.

Revocatio indultorum superviventiæ.

69. Item quia ad importunam nonnullorum suggestionem, quandoque contigit prædecessores suos Rom. Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus, concessisse et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum, anticipatis solutionibus, ad tempus elocare, vel erga creditores aut quascumque alias personas obligare vel hypothecare, in solutum dare, aut aliàs quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minimè restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi successorum præjudicio et ecclesiarum detrimento. Ideò indemnitati ecclesiarum et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit et annullavit omnia et singula indulta et facultates in eâ parte quâ necdum verè et realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque Rom. Pontifices prædecessores suos hactenùs ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, et ex quâvis causâ, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones et emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum, elocare arrendare, ad firmam, vel ad responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quâvis causâ disponere pro tempore, ad vitam beneficiatorum, et tempus quo beneficia hujusmodi obtinuerint minimè restricto, et coarctato illorum tenore, etc. Decernens irritum, etc.

Quòd cardinales non comprehendantur sub regulis faciendis.

70. Item, cùm S. R. E. cardinales sanctissimo D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis et privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit et declaravit quòd in quibuscumque constitutionibus et regulis per Sanctitatem suam editis, et edendis non comprehensi censeantur ipsi cardinales, nisi illæ eorumdem cardinalium favorem concer-

nant, vel constitutiones edendæ de eorumdem cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem regulis, et constitutionibus facta fuerit ipsorum cardinalium expressa mentio.

Quòd regulæ cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

71. Item Sanctitas sua statuit et declaravit, quòd præmissis et quibusvis aliis regulis cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquàm censeatur derogatum, in quibuscumque constitutionibus, litteris, brevibus, indultis et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ emanatis, per quæcumque verba et decreta derogatoria irritantia universalia, et amplissima, et clausulas quantùmvis efficacissimas etiam derogatorias, atque specialis et individuæ expressionis vim habentes, et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio, et non aliter nec alio modo.

De potestate reverentiss. D. vicecancellarii, et cancellariam regentis.

72. Primò, quòd possit committere absolutionem illorum qui ignoranter in supplicationibus vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.

Item quòd possit corrigere nomina et cognomina personarum, non tamen eorum quibus gratia et concessiones fiunt ac beneficiorum, dùm tamen de corpore constet.

Item quòd possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curiâ, cum potestate citandi ad partes.

Item quòd processus apostolicâ auctoritate decretos aggravare possit, cum invocatione brachii secularis, et sententias executioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos per litteras apostolicas desuper conficiendas et non aliàs.

Item quòd possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis secularibus et regularibus dispositioni apostolicæ generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camerâ, vel totidem librarum Turonen. parvorum, seu totidem in aliâ monetâ, secundùm communem æstimationem, valorem annuum non excedet.

Item quòd possit signare supplicationes etiam duorum referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, *Si neutri*, et subrogationibus pro collitigantibus in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item quòd possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc à jure statuta tempora, in quibus sic arctati successivè ad ipsos ordines promoveantur.

Placet, Publicentur, et describantur. F.

Lectæ et publicatæ fuerunt supra scriptæ regulæ, ordinationes et constitutiones in cancellariâ apostolicâ ab uno ex RR. PP. DD. Majoris præsidentiæ abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, die verò vigesimâ mensis aprilis, pontificatûs præfati S. D. N. anno primo. Joannes Baptista Maurus Procustos.

DE SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS.

AUCTORE P. ANTONIO (1).

Sacrorum Rituum scientia, iis quibus animarum cura concredita sit, non solùm utilis, sed etiam necessaria est : Ecclesia enim ritus sive cæremonias instituit (hìc enim de sacramentis non agimus, quæ à Deo sunt instituta), tum ut aptiorem, quo Deus exteriùs colendus sit, modum demonstraret, tum ut sacra ordinatè fierent, tum ut homines per sensus ad divinum cultum alliceret, tum etiam, ut ea sensibus objiceret, quæ vel Dei majestatem aliquo modo indicarent, aut in hominum memoriam revocarent collata humano generi beneficia, et gratias quas sacramenta conferunt, ac divinas promissiones, sive alia peculiaris Dei erga homines providentiæ argumenta, quibus fides, spes et charitas, sive interior Dei cultus in nobis foveri et augeri valeat. Voluit præterea ut homines, hoc exteriore, internum cultum invicem significando, ad vividiùs Deum colendum provocarentur, et, ut cæremonias usurpando, quas ipsa præscripsisset, faciliùs vanas, superstitiosasque devitarent. Sunt itaque cæremoniæ veluti instrumenta quædam animarum rectoribus ab Ecclesiâ tradita, et commendata, ut per ea faciliùs christianos homines à viâ perditionis retrahant, atque ad æternæ salutis consecutionem dirigant. Nequeunt verò ministri iis ita uti, nisi sciant quid sint, quâ sunt auctoritate institutæ, quo fine et quæ menti contemplanda exhibeant. Sacrorum ergo ministris scientia hæc maximè necessaria est, præsertim iis quorum curâ christiani inter fideles hæreticosque degentes regendi atque instruendi sint. Ii enim Ecclesiæ instituendi ac præcipiendi ritus auctoritatem vindicare tenentur, institutosque veluti utiles sanctosque tueri, proponere et explicare; ac ulteriùs cavere debent, ne infidelium superstitione, et hæreticorum erroribus inficiantur. Hàc de causâ S. M. Bened. XIV pro sa-

(1) Vid. P. Antonii vitam, vol. 16 *Cursûs compl.* Theologiæ, col.

gulari, quam gerit dominici gregis, curâ, studium hujusmodi, quod ipse mirificè excoluit, omnibus commendavit, voluitque ut publicæ in Urbe scholæ instituerentur; mihique injunxit, ut in collegio de propagandâ Fide adolescentibus ad sacras missiones destinandis institutiones de sacris Ecclesiæ ritibus traderem. Ne quidpiam ergo in auctore nostro deesset, quod ad parochorum, missionariorumque instructionem necessarium videretur, in hâc novâ operis editione, fusiùs exposui, atque explicavi, quæ ad sacrorum rituum naturam, divisionem, originem, utilitatem, varietatemque pertinerent. En autem ordo, quem in iis tradendis servavi.

In primo capite, agitur de rituum definitione et divisione.

In secundo, regulæ nonnullæ proponuntur pro vanis superstitiosisque ritibus dignoscendis.

In tertio, de naturâ, origine, utilitate et necessitate sacrorum Rituum disputatur.

In quarto, ea quæ ad exteriorem Ecclesiæ formam spectant, exponuntur, et collata ipsi à Deo potestas asseritur et vindicatur.

In quinto, sophismata diluuntur novatorum adversùs catholicæ Ecclesiæ cæremonias.

In sexto, de Ecclesiæ orientalis statu, deque rituum in eâdem varietate, tractatur.

In septimo, historia recensetur eorum quæ ab Apostolicâ Sede acta sunt, ut orientalis Ecclesiæ ritus vigeant atque serventur.

In octavo, de obligatione quam quisque habet in semel suscepto ritu permanendi.

In nono capite, ritus indicantur, quos Apostolica Sedes proscripsit, et qui proscribendi videantur.

Denique septem alia adduntur capita quæ appendicis loco cuique de sacramentis in particulari auctoris nostri tractatui subjiciuntur, in quibus orientalis Ecclesiæ circa sacramenta disciplina declaratur.

CAPUT PRIMUM.

De rituum definitione et divisione.

De Christianorum ritibus dicturi, à rituum definitione exordium sumimus. Ritus itaque sive cæremonia, quæ idem in præsentiâ significat, *signum sensibile est quod non naturâ suâ, sed ex voluntate et arbitrio instituentis cogitationem in nobis excitare debeat, quæ de officio nos moneat, et in propositum finem dirigat.* Itaque actio ac cæremonia quælibet, quæ sensus nostros movendo ex vi suæ institutionis id menti nostræ considerandum offerat, ex cujus cognitione, vel mandatum quod urgeat, vel proprii statûs obligationem, vel receptum beneficium, vel promissionem, aut quidpiam aliud intelligamus, quo in propositum finem dirigamur, ritus nominatur. Sic signum crucis, quo Christiani ex consuetudine ab Apostolis ortâ se signare solent, ac usus quoque etiam à primis temporibus ortus ferendæ crucis, Christianorum ritus appellantur. Primùm enim memoriæ nostræ offerendo Christum pro nobis in crucem actum, cognitionem in nobis parit, quæ fidem ac spem in nobis foveat, et charitatem, quâ in propositum homini christiano finem dirigimur. Crucis autem delatio monitum illud Christi meditandum nobis exhibet, ut post Gregor. Magn. Nicol. Papa I, in resp. ad Cons. Bulg., exposuit, quo crucem ferre, ipsamque sequi jubemur; quo quidem monito *corpus nostrum per abstinentiam, corporisque cruciatum affligere, et per compassionem proximi necessitatem nostram putare admonemur*, inquit Magnus Gregorius.

Primam ritûs divisionem, finis quo nos dirigit, suppeditat, atque ita ritus vel civilis est vel sacer. Nam ut duplicem in hominibus in societate viventibus distinguimus finem, alterum in tranquillitate illâ positum quam in civitate exoptamus; alterum verò in æternâ illâ felicitate constitutum, quam in futurâ vitâ speramus; ita duplex rituum genus agnoscimus. Qui instituti sunt, ut ea hominum memoriæ offerant quæ ad tranquillam ac beatam in societate vitam agendam ducant, civiles ritus nominantur. Hujusmodi sunt sceptrum, corona, aliique splendidi ritus, qui in regum inauguratione adhibentur, ut veluti ad sensus majestate principum indicata, fortiùs subditorum animi ad obsequia præstanda moveantur. Item distinctæ magistratuum vestes, judiciorum solemnitates, aliæque cæremoniæ, quæ eo sunt institutæ fine in republicâ, ut homines de officio moneant, aut affectus illos in iisdem excitent atque foveant, quibus faciliùs constitutus in eâ ordo servari possit, ac optata tranquillitas obtineri.

Ritus verò, qui ita nos moveat, ut cognitionem in nobis excitet, quæ ad legem servandam Deumque colendum nos ducat, sacer sive religiosus erit. Atque hùc spectant omnes exteriores Dei cultûs actus, qui ad interiorem cultum augendum, Deique honorem et gloriam promovendam ex instituentis voluntate homines alliciunt et provocant.

Cùm sacri, tùm civiles ritus, vel publici sunt vel privati. Qui vel ex consuetudine, vel ex privati hominis instituto à privatis hominibus in civili societate adhibentur, vel ad mutua inter privatos homines officia fovenda, vel ad conciliandam inter ipsos mutuam benevolentiam, dici possunt privati ritus civiles. Sacri verò ritus privati sunt, quos privatus sibi proponat atque usurpet, ut eorum usu ea in mentem veniant, quæ interiorem Dei cultum fovere vel augere valeant. Qui publicâ auctoritate instituti sunt ritus, ut in publicis functionibus societatis civilis usurpentur, sunt ritus publici civiles; ut ii quoque sacri ritus publici dicuntur, qui in publicum religionis usum ab eo cui jus competat erga sacra sint instituti.

Sacri ritus ex parte instituentis, alii divini sunt, alii humani. Prioris generis sunt quos Deus stabilivit; alterius verò, qui homines auctores habent. Cæremoniæ omnes ac sacrificia veteris legis, nec non septem novæ legis Sacramenta à Christo Domino instituta, sunt ritus divini. Ii verò quos Ecclesia constituit, ut homines faciliùs à vitiis retraheret, ac per virtutis exercitium in Deum æternamque felicitatem

dirigeret, humani ritus sacri nuncupantur.

Humani autem ritus dividi possunt in legitimos atque illegitimos. Legitimi sunt quos ii stabiliverint quibus potestas insit præscribendi atque ordinandi ea quæ ad Dei cultum pertineant. Illegitimi sunt quos ille constituerit qui potestate careat, quamque jura vetant ea stabilire et ordinare quæ ad sacra pertineant. Hinc novatorum liturgiæ laicorum hominum auctoritate confictæ, ac cæremoniæ omnes quæ privatâ auctoritate sint institutæ, et publicâ Ecclesiæ auctoritate non probentur, pro publicis Ecclesiæ functionibus, et in sacramentorum administratione, illegitimi ritus appellantur.

Nota. Qui ritus illegitimos adhibent, non solùm contra Ecclesiæ præceptum peccant, quo prohibentur alios præter probatos, et receptos in Ecclesiâ ritus in sacris functionibus usurpare, sed etiam hæreseos suspecti haberi possunt, si illorum probare videantur opinionem, qui omnibus ministris jus instituendi et mutandi sacros ritus competere arbitrentur; et hæretici sunt qui hanc potestatem laicis principibus adjudicant.

Si rem sive causam materialem spectemus, ritus aut personam spectant, aut tempus, aut modum, aut rem ipsam, nempe oleum, panem, etc. Si causam formalem consideremus, nonnulli immediatè ad Dei cultum pertinent, ut sacrificium, oratio, adoratio; alii ad cultum disponunt, ut jejunium, et calibatus; alii denique sunt divini cultûs instrumenta, ut templa, calices, aræ, etc.

Hactenùs exposita generatim indicant, quinam esse debeant ritus, qui tutò in vero ac ordinato Dei cultu adhibeantur. Superest ut de iis dicamus quos veluti contrarios, ac vero Dei cultui inimicos devitare ac detestari oporteat. Ii verò sunt qui inordinatum vitiosumque Dei cultum redoleant ac foveant, et superstitiosi nominantur. Sunt autem triplicis generis, scilicet: falsi, superflui sive vani et idololatrici.

Falsi ritus sunt, qui cognitionem in mente excitent, ex quâ falsum judicium, vel falsus cultus sequatur. Hujusmodi sunt hâc nostrâ ætate veteris legis cæremoniæ, circumcisio, immolatio agni, etc., quæ venturum Christum vi institutionis significant. Earum itaque usus juxta vim et potestatem, quam habent, ad falsò credendum induceret, non adhùc venisse, sed venturum esse Christum. Item sacrificium eucharisticum, vel absolutio sacramentalis à laico homine peracta, falsus ritus esset, quia homines duceret ad credendum sacerdotem esse, qui non sit sacerdos, et sacramenta perfici eucharistiæ et pœnitentiæ, quæ non perficerentur, et ad falsum Dei cultum exhibendum. Rursùs falsa miracula, sive per imagines indicata, sive alio modo publicata, falsæ revelationes, falsæ reliquiæ, ac indulgentiæ confictæ ad populi etiam devotionem promovendam, et Dei gloriæ augendæ causâ, sunt falsi ritus, quorum usus Deo, qui summa veritas est et in veritate adorandus, maximam injuriam irrogant, et Religioni plurimùm nocent, quia, mendacio eam promovendo, cum impostura confundit, et quia occasionem præbent vera etiam miracula verasque revelationes in dubium revocandi et aspernandi. Denique inter falsos ritus omnes illæ cæremoniæ numerantur quæ falsum aliquo modo designant atque suadent, cujusmodi esset etiam ritus, qui veluti publicâ auctoritate institutus adhiberetur, cui tamen nonnisi à privato auctoritatem non habente, constitutus esset, cujusmodi esset oratio vel cæremonia aliqua in missâ usurpata, quæ à privato viro excogitata esset.

Hæc omnia Christianos omnes graviter dedecent, qui Deum verum in veritate colere jubentur, et Deo injuriam maximam afferunt, cujus honorem et gloriam in mendaciis et imposturis collocarent. Hinc maxima semper in iis præcavendis Ecclesiæ cura fuit. Conc. Laodicenum, can. 34: *Anathema sint*, inquit, *qui ad pseudo-martyres accesserint.* In Capitularibus Caroli Magni statuitur, ut falsa *nomina martyrum et incertæ sanctorum memoriæ non venerentur;* et in variis conciliis stabilitum est, *ut nullæ falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur.* Videatur conc. Trid. sess. 25, c. *de Invocatione, et veneratione, et Reliquiis sanctorum, et sacris Imaginibus*, ubi *statuit sancta synodus, nemini licere ullo in loco vel ecclesiâ, etiam quomodolibet exemptâ, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem cognoscente et approbante episcopo, qui simul ac de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit. Quòd si aliquis dubius aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omninò aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, metropolitani et comprovincialium episcoporum in concilio provinciali sententiam exspectet; ita tamen, ut nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum aut hactenùs in Ecclesiâ inusitatum decernatur.*

Superflui et vani ritus sunt qui nec à Deo vel Ecclesiâ sunt instituti, nec communi fidelium usu recepti, et inutiles prorsùs sint ad interiorem Dei cultum fovendum et excitandum. Itaque ritus qui nil conferat ad Dei honorem gloriamque augendam, ad interioris spiritûs devotionem atque virtutis exercitium, superfluus est.

Hinc nolle sacrum audire, nisi sacerdos celebret cui sit nomen Joannes, vel qui habeat figuram Christi, vel qui ante solis ortum, aut certo adhibito cereorum numero sacrum faciat, est superfluum cultum adhibere; id quoque contingeret si quis bis *alleluia*, aut *Pater noster* diceret, cùm semel recitare deberet. Horum rituum usus, secluso scandalo et contemptu, venialis culpa est.

Idololatrici ritus sunt quæ ad exteriorem idolorum cultum sive idololatriæ usum pertinent. Est autem idololatria duplicis generis: altera perfecta et imperfecta altera. Perfecta est idololatria, quâ idolo, quòd verus Deus habeatur, honor defertur: imperfecta verò est, dùm debitus Deo honor creaturæ, quæ creatura

existimetur, tribuitur. Itaque omnes cæremoniæ, quæ vel in idoli honorem adhibentur, vel creaturæ Dei honorem tribuant, idololatrici ritus appellantur. Ritus ergo, quorum usus expressam vel tacitam dæmonis invocationem præ se ferant, omnes superstitiosi sunt, et ad idololatriam imperfectam referuntur. Inter hos primo loco recensetur divinatio, quâ quis expressâ vel tacitâ dæmonis invocatione res cognoscere curat, vel contingentes et liberè futuras, vel ita occultas ut naturali virtute deprehendere nequeat. Expressè dæmonem invocat, qui vel verbis et signis pactum cum eo init, vel saltem facto aliquid usurpat, per quod scit aut credit dæmonem cooperari. Implicitè verò sive taciteè cum dæmone paciscitur, qui vanis et inutilibus utitur ad aliquid cognoscendum vel efficiendum : neque enim necesse est ut aliquando pactio præcesserit; sat enim est vana et improportionata hæc adhibere, ut dæmon sese immisceat, etsi iis utens invocandi voluntatem non habeat. Nam cùm improportionata et vana adhibeat, quæ nec à Deo, neque à bonis angelis instituta sunt, optatum effectum, nonnisi à dæmone exspectare potest; accedit etiam quòd omnes divinationis species ab idololatris dæmonum cultoribus, imò ab ipso dæmone originem trahunt. Undenam sunt oniromantia, sive divinatio per somnium; præstigium, quo variis apparitionibus dæmon oculos perstringit; aruspicium, quod per exta fit animalium; geomantia, quæ per figuram in terrâ; hydromantia, quæ per figuram in aquâ fit; aeromantia in aere, ac pyromantia in igne, nisi ab idololatrâ gente, et à dæmone ipso superstitionis auctore? At hæc plerùmque expressam invocationem habent, et necromantiâ continentur. Adsunt præterea astrologia, quæ per situm et motum siderum, res contingentes et liberè futuræ divinantur, auspicium, quo per signa volucrum, augurium, quo per signa animalium, ômen, quo per fortuitum signum, et sortilegium, quo per sortes divinare præsumitur, quæ etiam divinationis species à superstitione et dæmone ortæ sunt, ideòque tacitam semper ipsius invocationem præ se ferunt. Hæc verò à gravi culpâ quis excuset? Quis non videt gravem Deo injuriam afferre qui ad dæmonem confugiat ipsius inimicum, eique divinum quemdam tribuat honorem, exspectando illius ope, quod Dei unicè virtute et auxilio scire atque obtinere potest?

Neque à peccato excusari possunt, etsi protestentur nolle ullum cum dæmone commercium habere. Nam contra protestationem agunt, dùm per media quæ nec à Deo, nec à bonis angelis, sed à dæmone inventa sunt, cujusque unicè opem exspectare possunt, futura vel occulta cognoscere curant; nec etiam excusantur, qui similia credant ob experimenta jam facta, quia illa dæmonis ope facta fuisse præsumitur.

Nota 1° : Astrorum motu ac situ, et cantu, incessuque, ac motibus avium, aliorumque animalium uti possumus ad effectus naturales et necessarios, nec liberè futuros prænoscendos; nemo superstitionis accusat eos qui astrologiâ et animalium certo motu, aut imminentem pluviam, aut ventum, aut aliam aeris mutationem conjiciunt atque prædicunt. Hæc enim quamdam cum iis motibus connexionem habent, et ex retroactis observationibus, aliquando conjecturis assequi, et quandoque certò etiam prænuntiare possumus. Superstitionis autem sunt plenæ divinationes illæ quæ ad effectus agnoscendos prænuntiandosque adhibentur, qui contingenter ac liberè futuri sint, vel ad ea detegenda et cognoscenda, quæ sint occulta, per ea quæ ad hæc cognoscenda sint omninò improportionata, ut esset, v. g., usus sortium in aperitione libri vel jactu taxillorum, pro alicujus occultæ vel futuræ rei cognitione comparandâ.

Nota 2° : Somnia etiam, quæ nil ordinariè sunt, nisi confusæ quædam cogitationes ex occasione motuum cerebri ortæ, ad futura et occulta divinanda adhibentur. Si animadvertamus hæc à libero tumultuantium spirituum motu rerum imagines excitante atque menti exhibente proficisci, facilè intelligemus inepta ea esse et improportionata ad res futuras arcanasque cognoscendas. Scimus verò Deum iis quandoque usum ut hominibus vel futura præmonstraret, vel arcana reseraret, ut de Abimelecho, Jacobo, Labano, Josepho, Pharaone, Salomone, Nabuchodonosor, Daniele, Judâ Machabæo, aliisque, divinæ Scripturæ testantur. At constat etiam dæmonem in iis se immiscere consuevisse, atque partem idololatricæ superstitionis in iis fuisse collocatam. Hinc Deus, Levitici 19, somnia cum auguriis improbat· *Non augurabimini*, inquiens, *nec observabitis omnia;* et Deut 18 : *Non inveniatur in te, qui observat somnia.* Audi Gregor. Magn. lib. 8 moral., c. 13, dicentem : *Somnia, nisi plerùmque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquàm hoc vir sapiens indicaret, dicens :* « Multos errare « fecerunt somnia et illusiones vanæ, » *vel :* « Non au« gurabimini, nec observabitis somnia. » *Quibus profectò verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur.*

Dùm somnia sint à Deo, iis fidem indubiam habere tenemur, si id certò constet, aut certò putetur. Dùm verò dubium sit num ea sint à Deo, credere iis neutiquàm debemus : dùm enim somnia Deus immittit, certa etiam præbet indicia, quibus dubitatio omnis excludatur; alioquin divina hæc monitio suo frustraretur effectu, neque certa atque indubia immissi divinitùs somnii regula esse potest, quòd somnium ad bonum impellat, alacrem promptumque relinquat animum ad pietatis opera, cùm hujusmodi somnia passim in iis contingere debeant, ipsâ agente naturâ, qui Dei amore fervent, jugique Dei meditatione exercentur· Horum enim imaginationem, nullâ turbante causâ occurrente, somnia hæc suâ sponte sequuntur. Eodem modo de somniis, quæ depravata perversorum hominum imaginatio efficiat, philosophari oportet; neque enim dæmoni erit tribuendum, quod in perversâ imaginatione sui causam habeat. Hæc de somniis generatim; dùm verò ad divinationem referuntur, tunc cautè est procedendum; neque Deo, nisi certò omninò constet, sunt tribuenda, ne occasio præbeatur malo spi

ritui, per ambigua illa signa, perfectionis viam sectantes decipiendi. Quamobrem optima regula erit, ut nisi omninò explorata sit divina somnii causa, divinationes quæ inde fiunt omninò rejiciantur, ac veluti incertæ contemnantur.

Cùm divinatio per somnia sit per media naturâ suâ improportionata, atque à superstitione diabolicâ originem trahat, nemo non videt, graviter peccare, tacitamque cum dæmone pactionem inire, qui variis modis somnia procuraret, ut inde futurorum cognitionem hauriant. Inter quos femellas illas constituo, quæ in ludo Genuensi, vulgo *lotto*, lucrari cupientes, in lecto subtùs caput notulam numerorum, qui extrahi debeant, apponunt, ut somniando, quinam ex urnulâ extrahi debeant numeri, divinent. Quis non videt has absolutionis incapaces esse, dùm in hujus exercendæ superstitionis proposito persistant; atque eàdem culpâ teneri contendo, qui librum quem artis vocant, in quo modus indicatur divinandi hujusmodi numeros per somnia, aut vendunt aut spargunt, aut secum retinent, ut ipsi aliique eo utantur. Nam ii omnes illicitæ superstitioni operam aut occasionem dant; nec à mortali culpâ excusantur, qui somniis inde sequentibus, ac interpretationi juxta illum librum se fidem non habere protestantur; quia rem illicitam et superstitiosam agunt; quia aliis, simplicioribus præsertim, scandalo sunt, seu occasio in superstitione perseverandi; quia causam adhibent, cujus effectum à solo dæmone sperare possunt; et quia ex sacrâ illâ auri fame quâ ducuntur, ac fortassè etiam dæmonis suggestione, vix fieri potest, ut fidem aliquam non adhibeant, unde majorem lucri spem concipiant, quàm si aliâ viâ numeros selegissent. Atque hæc de divinatione. Vide tract. de Virt. relig.

Alii superstitionis ritus, vel ad magiam spectant, quæ mira facere contendit, non humanâ industriâ, quæ naturalis dicitur, et est licita, sed ope dæmonis, et ad vanam observantiam. Magia dùm exercetur ad meram ostentationem et commodum proprium vel alienum, suum retinet nomen; dùm verò ut alteri noceat fit, maleficium appellatur. Contra hanc omnia jura clamant, et est semper gravissimum peccatum, cùm invocationem, pactionem, et societatem saltem implicitam præ se ferat cum dæmone, quæ Deo gravissima injuria est, et in ejus contemptum cedit; quia homo, relicto Deo rerum omnium auctore, ad dæmonem ipsius hostem, honoremque divinum affectantem confugit. Vide tract. citatum, ubi etiam quæ ad vanam observantiam pertinent explicantur. Nos verò finem facimus, regulas indicando quæ superstitiosos ritus clarè demonstrent, ex quibus, quæ ad vanam observantiam pertinent, facilè intelliguntur.

CAPUT II.

Regulæ explicantur quibus faciliùs superstitiosi ritus cognosci queant.

Ut fidei depositum, intactum illibatumque servaretur, præcipua semper Ecclesiæ cura omni tempore fuit, ut vel umbra etiam superstitionis ex hominum mentibus radicitùs exstirparetur. Hùc spectant celebriorum Patrum conatus, plurimorum conciliorum canones, illustriorum Ecclesiæ pastorum documenta pastoralia, insigniorumque theologorum de vitandâ superstitione argumenta. At hæc satis non fuêre, ut ex inferis ortus, malignique spiritûs artibus auctus, ac perversâ hominum voluntate enutritus, superstitionis ignis penitùs exstingueretur. Viget enim, viget adhùc et non modò apud idololatras gentes, sed etiam apud Christianorum plerosque aliquod antiquæ superstitionis vestigium reperitur. Quamobrem necessarium duximus certas hic subnectere regulas quibus tutò cognosci queat, quæ cæremoniæ sint, quæ superstitionem redoleant.

Regula prima. *Ritus seu actio quælibet, quæ in iis circumstantiis adhibeatur, in quibus certò constet nullam habere naturalem virtutem ad effectum producendum qui speratur, illicita et superstitiosa habenda est.*

Regula hæc ex S. Thomâ deprompta est, qui, 2-2, q. 95, a. 2, in corpore, docet eos qui rem adhibeant ad producendum effectum, quem nôrunt naturali virtute suâ producere non posse, illam adhibere, non ut causam, sed tantùm ut signum, ideòque semper ad pactum se conferre, quod vel explicitè aut tacitè cum dæmone inierunt. Atque hinc infertur 1° superstitiosam esse artem *notoriam*, quâ ad scientiam repentè et sine studio acquirendam, res adhibentur quæ ineptæ sunt ad scientiam conferendam, et quæ nonnisi pro signis haberi possint, quæ invisibilem causam ad illius collationem moveant; ut verba ignota, certæ preces, certarum figurarum inspectio, vel potio aliqua, etc.; 2° superstitiosa esse improportionata quædam media quæ ad morbos hominum, vel animalium curandos adhibentur, ut certa signa, verba ignota, cæremoniæ inanes, certæ figuræ, numeri characteresque incogniti, etc. Item usus aliquarum rerum naturalium quibus inania et vana quædam, veluti necessaria adjungantur, ut est usus herbæ collectæ in vigiliâ sancti Joannis Baptistæ, pro curandis nonnullis morbis, etc.; neque enim constat diei illi vim esse inditam communicandi herbis particularem virtutem. Rursùs gestare amuleta, ligaturas, involucra falsis characteribus consignata contra vulnera, vel subitam mortem, ne possint lædi, vel ne sanguis effluat, vel ad conciliandum invisibilitatem, amorem, fortunam, nocumenta, et maleficia. Verbo dicam quidquid non habet nisi rationem signi ex instituto hominum ad effectum comparatum, qui speratur, si rationabiliter effectus ille à Deo exspectari non possit, superstitiosum, et illicitum est. Atque hinc altera eruitur regula.

Regula II. *Superstitiosa est et illicita quæcumque actio sive cæremonia, cujus effectus vel à naturâ, aut à Deo rationabiliter exspectari non possit.*

Regulam hanc theologica facultas Parisiensis suppeditat, art. 3 Censuræ, quam edidit anno 1396, per hæc verba: *Intendimus pactum esse invlicitum in omni observatione superstitiosâ, cujus effectus non debet à Deo, vel à naturâ rationabiliter exspectari.* Eruitur

etiam ex Gersone, atque ex Martino Arelatensi, qui in tractatu de erroribus circa artem magiæ, et articulis reprobatis juxta sanctorum Patrum, et præsertim Augustini sententiam, ait : *Observatio ad faciendum aliquem effectum, qui rationabiliter exspectari non potest à Deo miraculosè operante, nec à causis naturalibus, debet apud Christianos haberi superstitiosa, et suspecta de secreto pacto implicito vel expresso cum dæmonibus. Ista est doctrina sanctorum doctorum et nominatim Augustini in locis pluribus.*

Atque hinc patet à superstitione liberari non posse feminarum carminatricum benedictiones et preces, quæ ad morbos depellendos adhibentur, unctiones unguenti armarii quibus ferrum ungitur, ut absens percussus curetur, et id genus alia, in quibus optatus effectus à naturâ rei quæ applicatur, rationabiliter exspectari non potest, nec causa adest ulla quâ prudenter judicemus effectum illum Deum miraculosè producturum esse. Unde enim scimus aut prudenter conjicimus feminis illis, illique unguento vim inesse, quæ Deum moveat ad effectum illum miraculosè faciendum? Itaque ex benedictionibus unctionibusque illis nonnisi per occultam dæmonis actionem effectus haberi potest, si sequatur, ac nonnisi ex tacitâ cum illo pactione operari potest. Hùc quoque spectat superstitiosa illorum fides, qui in numero *tredecim* malam veluti qualitatem fingentes, putant nefas esse tredecim homines in eâdem mensâ sedere, futurum alioquin, ut eorum unus, aut eodem anno moriatur, aut instar Judæ proditor sit futurus. Quis enim huic numero malignam hanc indidit virtutem? Regula hæc locum non habet in iis quæ à Deo sunt instituta, à cujus promissione et virtute speratur effectus. Sunt autem cæremoniæ aliquæ, quæ utiliter adhibentur, etsi non sunt à Deo institutæ, dùm constet ab Ecclesiâ esse præscriptas, quæ à Deo instituendi ritus potestatem habuit. Ex quo tertia eruitur.

Regula III. *Superstitiosum est quidquid ad effectum producendum adhibeatur, quem exspectare non possumus, nec à naturali rei applicatæ virtute, neque ab institutione divinâ, neque ex præscripto Ecclesiæ, quæ id ad effectum illum obtinendum ordinaverit.*

Regula ex variis conciliis deducta est. Proferam tantùm verba duorum conciliorum Mechlinensium, quorum alterum anno 1570, alterum verò 1607, celebratum fuit; in illo, tit. de Superst., hæc habentur : *Cùm rectè moneat sacrosancta synodus Trid. ut omnis superstitio tollatur, docet hæc synodus omnem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo Dei et Ecclesiæ doctrinâ fit, proscriptis aliquibus ritibus et observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, et fiducia in eis collocatur certò exspectandi aliquem eventum, qui sine illis viribus ex sanctorum intercessione non speraretur, aut quæ in cultu sanctorum ex temeritate, aut quâdam levitate potiùs quàm pietate, et verâ in Deum religione, fieri videntur.* In altero verò, tit. 15, de Superst., legitur : *Et quoniam rudis populus sæpè ex ignorantiâ superstitionibus inquinatur, parochi subditos suos diligenter de illis doceant, et inter cætera. superstitiosum esse exspectare quemcumque effectum à quâcumque re, quem res illa nec ex institutione divinâ, nec ex ordinatione et approbatione Ecclesiæ producere potest.* Ex hâc regulâ lata patet ad cognoscendas superstitiones via. Ex eâ enim constat licitum esse res naturales ad effectus producendos applicare, quas naturaliter producere possint, ac licitum itidem res applicare ad effectus obtinendos, quos illæ naturâ suâ producere nequeant, modò Deus, vel Ecclesia res illas usurpari voluerit, ut optatum effectum habeamus, ut, ex. gr., res et verba, quibus sacramenta constant, pro obtinendâ gratiâ; vel preces, benedictiones, ac aliæ præscriptæ ab Ecclesiâ cæremoniæ pro illis effectis, quæ ex earum usu speramus. Dùm enim constitutas per Ecclesiam cæremonias adhibemus ad effectum etiam obtinendum, qui naturalem illarum virtutem non sequatur, certum est nos effectum non aliunde quàm à Deo sperare, atque ad illum obtinendum media adhibere ab Ecclesiâ, cui Deus hanc potestatem fecit, instituta, et quæ ob assistentiam quam semper habet Spiritûs sancti in iis designandis, errare non potest, ideòque nec superstitionem præcipere, aut fovere.

Neque dubitare possumus quin hanc Deus Ecclesiæ suæ potestatem concesserit. Matth. enim 10, convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis Jesus *potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Et Luc. 10, v. 19 : *Ecce*, inquit, 72 discipulos alloquens, *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici; et nihil vobis nocebit.* Hâc verò potestate uti sine cæremoniis non poterant; ac cæremonias reverà nonnullas constituisse, exorcismi pro depellendis malis spiritibus ab ipsâ Apostolorum ætate in Ecclesiâ usurpati, rem exploratam faciunt. Illam verò potestatem in Apostolis, ac septuaginta discipulis, datam fuisse Ecclesiæ pastoribus, tum ex eo constat, quòd semper in Ecclesiâ necessaria esset dæmonis depellendi potestas, quia semper is *circuit quærens quem devoret*, tum etiam ex perpetuâ et constanti Ecclesiæ traditione comprobatur. Hâc enim docemur, impositionem manuum ad curandos infirmos, et ab Apostolis adhibitam fuisse, et durâsse ad quintum usque Ecclesiæ seculum, ut agendo de ministro confirmationis ex auctoritate Innocent. I, ostendemus; ac deinde scimus in usu semper fuisse exorcismos pro expellendis malignis spiritibus, aliasque cæremonias. Atque hæc obiter diximus, nam de hâc Ecclesiæ potestate, cap. 5, ex professo tractabitur.

Itaque dùm rem ad effectum producendum adhibeamus, quæ, cùm virtutem illum producendi non habeat, solam rationem signi habere possit, si à Deo vel Ecclesiâ id institutum non sit, dùm ex illius applicatione effectum consequi certò speremus, id non aliunde quàm à dæmone exspectare possumus; ideòque tacitam vel expressam cum illo pactionem continet.

Id ex dictis satis perspicuè liquet. Sed quò facilius

res tanti momenti cognoscatur, novis etiam momentis comprobamus. Facultas Parisiensis, ann. 1398, hunc inter alios de superstitione articulum definivit : *In quâcumque superstitiosâ actione ex quâ effectus exspectatur, quem neque à rei quam applicamus naturâ, neque à Deo rationabiliter sperare possumus, tacita cum dæmone pactio intercedit.* Id etiam docent S. Th., 2-2, q. 96, a. 2. Gerson, tract. de Erroribus circa magiam, Dionysius Carthusianus, Guillelmus Parisiensis; theologi denique omnes, atque ratio quam afferunt, rem planè demonstrat. Nam dùm res ad effectum producendum applicatur, quæ apta ad illum producendum virtute careat, effectus ille nonnisi ab aliâ causâ exspectari potest. At non possumus effectum illum ex Deo sperare, neque ex angelis ejus ministris, dùm res illa à Deo ad illum effectum producendum destinata non sit, neque ab Ecclesiâ pro illo divinitùs obtinendo instituta; quis enim rationabiliter à Deo certò exspectabit effectum ex rei applicatione quam ineptam agnoscit? Superest ergo ut à solo maligno spiritu, à cujus unicè institutione vis quæ præsumitur pendere potest, effectus ille exspectetur. Pactio ergo saltem tacita cum illo intercedit. Accedit etiam quòd actio illa vana naturâ suâ inutilis, ex dæmonis suggestione excogitata præsumitur; nam ab Ecclesiâ et à Deo vanum superfluumque cultum vetante, prohibita est. Ergo contra Dei voluntatem adhibetur, et contra Dei voluntatem instituitur. Quis ergo dubitet, quin suggerente dæmone inventa fuerit, et quin ex tacito cum eo inito pacto ac societate adhibeatur? *Quòd si hæc superstitiosa inveniantur virtutis alicujus, tantò perniciosiora sunt secundùm Augustinum, quantò sunt ad seducendum validiora. Ille siquidem effectus, cùm neque à miraculo vero, neque à causâ naturali fieri cognoscatur, ut à seductoribus dæmoniis proveniat consequens est. A seductoribus autem fallacibus, à patre mendacii, ab hoste crudelissimo, quid boni, quid veri, quid commodi speres, tu videris.* Ita Gerson. de Erroribus circa artem magicam, et art. *Reprobatis* 3 dicto.

Vanus hic atque inutilis usus pluribus potest contingere modis. Primò, si effectus procuretur adjunctis nonnullis vanis et inutilibus, quæ ad effectûs productionem necessaria putentur; ut, v. g., verba non nulla sacræ Scripturæ vel ecclesiastica, quæ sint certâ formâ ac modo quodam particulari conscripta, vel certâ horâ; et delatio herbæ, quæ sit certo temporis momento collecta. Hæc enim cùm vanâ præsumptione adhibeantur, tacitam illam pactionem præ se ferunt. Secundò dùm recitantur aliqua Scripturæ verba pro effectu aliquo vano, vel ex vanâ præsumptione optato, obtinendo, ex. gr., promovendo agitandoque annulo ad filum appenso, pro incantandis canibus, etc. Vide quæ de annulo illo superstitioso scribit cardinalis Cajetanus in Sum., V. *Incantatio : Sciant*, inquit, *lectores quòd volui non experiri, sed convincere hujusmodi diabolicam institutionem ad effectus vanos propter utilitatem fidelium. Accepto namque filo et annulo, protegatur sum quòd versum illum sacrum Deo vero, cui à fidelitate dirigitur, dicebam, et non tanquàm institutum ad movendum annulum, et sic dixi versum illum, et annulus non est motus. Et hinc cognoscant omnes, quòd tunc diabolus movet annulum, dùm versus ille dicitur ei, ut ipse instituit.* Idem de iis dicito qui Scripturæ verba adhibent pro incantandis canibus; tunc enim juxta diaboli institutionem adhibentur.

Tertiò hæc intercedit citata pactio, dùm ad effectus obtinendos, quos naturâ suâ res applicata producere valeat, adduntur characteres ac vana quædam signa ut securiùs habeatur effectus : ut dùm quis pro corporis purgatione medicinam sumere nollet nisi certæ figuræ vase contentam, in quo priores alphabeti litteræ descriptæ essent. Quartò, dùm certa incognita verba adhibeantur pro effectu obtinendo, vel dùm ex alicujus oratione à privatis confictâ, in quâ certa Hebraica vel Græca verba habeantur, supernaturalis effectus certò exspectetur; tunc enim vanâ præsumptione effectus ille speratur, quem nonnisi dæmon, cujus suggestione vana illa cæremonia inventa fuit atque adhibetur, producere potest. Quod quidem attentè notandum est, ne sub prætextu cultûs divini aut alicujus sancti, dæmoni honor obsequiumque deferatur. Oblata mihi fuit paucis ab hinc annis quædam in honorem S. Patritii confecta oratio, quâ in nonnullis parùm ab Urbe dissitis locis utebantur ad benedicendam aquam cujus usu certo credebant, statim à quocumque ex veneno derivato morbo, hominem, sive bestiam liberatum iri, etiamsi is distans esset, modo alter saltem ipsius nomine aquam illâ præparatam biberet. Quis verò non videt vanam hanc credulitatem, quæ non ex Dei promissione, neque ex institutione Ecclesiæ, sed contra expositam ab Ecclesiâ doctrinam est, ex dæmone originem trahere, ideòque effectum illum nonnisi à dæmone exspectari? Sed neque oratio ipsa superstitione caret; habet enim *per hæc sanctissima nomina Eloi † Adonai † et Sabaoth †* atque ita occasionem præbet certò exspectandi effectum illum ob inditam, ut falsò putant, illis nominibus virtutem. Quinto denique, dùm verba quæ pro effectu extraordinario adhibentur, falsi quidpiam contineant, vel dùm preces in quibus vis magna statuatur, incertis apocryphisque historiis refertæ sint; cùm exspectari nequeat à Deo, qui summa veritas est, ex falsitate certus effectus. *Superstitiosum est*, inquit cardinalis le Camus episcopus Gratianopolitanus, *in orationibus historias apocryphas, fabulosas, incertasque miscere.* Atque hæc satis visa sunt ad superstitiones dignoscendas, et ad varios detegendos modos, quibus tacita cum dæmone pactio instituitur.

CAPUT III.

De naturâ, origine, utilitate ac necessitate sacrorum rituum.

Sacrorum rituum naturam, originem, ac necessitatem, non indicare tantùm, sed etiam demonstrare operæ pretium duximus; quamobrem variis propositionibus rem explicabimus. Esto itaque :

Propositio I. *Sacer ritus esse non potest actus illicitus.*

Nam eo fine institui debent sacri ritus ut iis Dei

cultus in hominibus augeatur : debent enim ex instituentis determinatione ea per sensus menti offerri, quæ hominis erga Deum obsequium concilient et augeant. Per actum autem illicitum, qui de se malus sit, vel aliquâ lege prohibitus, Dei cultus et gloria non augetur, sed ei injuria fit, ejusque gloria præcepti transgressione contemnitur. Atque hinc liquet, jure meritòque damnari ab Apostolicâ Sede festivas gratulationes, quæ solemni ritu in primâ puellarum purgatione fieri solent in regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus, quòd pudori et honestatis legibus adversentur, et detestandos esse obscœnos nonnullos ritus, quos in nuptiis celebrandis usurpari solere apud Hottentottos, gentem maximè barbaram, et nonnullos orientales, historici nonnulli testantur.

Propositio II. *Ritus sacri eâdem, quâ instituti sunt auctoritate, mutari possunt.*

Etenim ritus non naturâ suâ, sed instituentis voluntate ac determinatione, ea significant, quæ ad fovendum augendumque Dei cultum alliciant et moveant. Igitur tota eorum vis ab instituentis arbitrio pendet : ergo instituentis voluntate ritus significatu privari potest, atque res alia, sive alius actus, ad id significandum assumi.

Propositio III. *Si ritus hominum ex abusu ad superstitionem, vel hæresim fovendam adhibeatur, aut in Dei injuriam cedat, prudenti œconomiâ mutatur, et quandoque etiam aboletur.*

Nam sacri ritus non solùm non possunt esse pernicio:i, sed nec etiam inutiles, ut è definitionibus liquet. Igitur dùm homines iis abutuntur, ut superstitionem vel hæresim foveant, aut si eorum usu injuria Deo fiat, sive ex hominum malitiâ, sive aliâ de causâ, prudenti œconomiâ mutantur et abolentur. Ob abusus Ecclesia è medio sustulit *Agapas*, convivia, scilicet, christianæ charitatis fovendæ causâ primis Ecclesiæ temporibus instituta. Eâdem œconomiâ usus est S. Gregorius Magnus, dùm in Hispaniâ trinam immersionem, quæ in Baptismo ex antiquâ consuetudine adhibebatur, auferri permisit, quia eâ Ariani abutebantur ad docendum divinas personas naturâ et gradu esse distinctas, ut constat ex epist. 41, quæ est ad Leandrum Hispaniæ episcopum Eâdem de causâ alii in Latinâ Ecclesiâ mutati ac sublati sunt ritus. A Constantiensi et Trid. synodo usus calicis laicis interdictus fuit, quòd, ob ingentem communicantium numerum, passim Christi sanguis spargeretur, et alia occurrerent, quæ divino sacramento atque Deo injuriosa essent. Et, ut alia omittam, ablatis justis de causis diaconissis, disciplina quoque mutata fuit baptizandi per immersionem, ut feminarum pudori consuleretur.

Propositio IV. *Ritus legitimâ auctoritate institutus vel comprobatus, si in Dei cultum et gloriam augendam referatur, licitè et utiliter adhibetur, licèt antea ritus fuerit falsæ religionis, et idololatræ gentis.*

Nam ritus ratione illius quod menti offert, et quo homo in finem aliquem dirigitur, vel vitiosus, aut utilis est; ergo si ritus, quo idolum colebatur, mutato significato et objecto, ad augendum Dei cultum ejusque gloriam amplificandam referatur, licitus utilisque erit. Quod enim de se malum non sit, licitè usurpatur; utiliter verò quidquid in Dei gloriam referatur. Actus autem nullâ lege prohibitus, quem hæreticus vel idololatra superstitioso cultu ritum constituat, de se malus non est, sed solùm ratione objecti et finis in quem dirigitur; si ergo in Dei gloriam dirigatur, ac Deo obsequii causâ adhibeatur, licitus et utilis erit, nec ampliùs hæretici vel idololatræ ritus erit, sed orthodoxæ Ecclesiæ cæremonia. Sic cæremoniæ nonnullæ, quas Mosem ex Ægyptiis deprompsisse eruditis nonnullis visum est, determinatæ ex divinâ, quâ Moses ducebatur, inspiratione, ad significandum Christum venturum, divinæ deinceps cæremoniæ dictæ sunt ; baptismus, quo Judæi proselytos suos initiare solebant, postquàm à Christo Domino ritus Christianorum et sacramentum novæ legis constitutus est, non ampliùs baptismus Hebræorum, sed christianæ religionis ritus et sacramentum appellatum est. Processiones denique ab Arianis institutæ, ut religiosæ pietatis famam ac splendorem affectantes, precibus et hymnis quos hinc inde per vias et plateas canebant, imperitum vulgum in turpissimi erroris societatem protraherent, postquàm ab Orthodoxis in publicam veritatis contestationem ac in Dei laudem et gloriam fieri cœperunt, utiles sanctæque Ecclesiæ catholicæ cæremoniæ factæ sunt. Vid. Socrat. lib. 6 Hist. eccl., c. 8, et lib. 7, c. 23, et Sozomen. Hist. eccl., lib. 8, c. 8.

Atque hinc patet turpissimè eos falli novatores, qui ut catholicæ Ecclesiæ ritus contemnant et damnent, satis esse putant ostendere atque clamare vel à Synagogâ ut gentium superstitione originem trahere. Ritus enim, non ex eo quod retroactis temporibus fuit, nec ex fine quo tunc adhibebatur, sed ex eo quod in præsentiâ menti considerandum offert, et ex fine quo usurpatur, metiri debet. Igitur, si actus, si templum, si vestis, vel aliud quidpiam, quo gentes idolorum cultus ornandi, fovendi exercendique causâ usæ sint, ab orthodoxâ Ecclesiâ adhibeatur; vel ut exteriori pompâ sensibus indicatâ Dei majestate, et rerum omnium dominio, fortiùs homines moveat ad obsequium, vel ut in memoriam revocet collata humano generi beneficia, vel ut exteriori obsequio Dei cultum foveat et augeat, vel denique ut alio modo Dei honor et gloria augeatur, quid est quod reprehendi, quod damnari possit? Præterea quid mali est ritibus uti vicinitatem habentibus cum veteris Testamenti cæremoniis? Hæ enim designabant futurum Christum, nostri verò ritus jam venisse indicant, dùm, verb. gr., luminaria adhibentur ad significandum patefactam lucem Evangelii; thurificatio, ad ostendendum odorem gratiæ à Christo manentem; vestes, quæ commemorandæ Dominicæ passioni serviant. Hæc de rituum naturâ. Venio nunc ad originem.

Propositio V. *Exterior Dei cultus et ritus sacri nonnisi à Deo originem habent.*

Ea enim, quæ Deus homines docuit, ex Deo originem trahunt; exteriorem autem Dei cultum, ritusque qui interiorem foveant et augeant, Deus ipse homines

docuit. Patet id primùm ex eo quòd exterior Dei cultus cum hominibus cœperit, ut ex sacrificiis constat, quæ Caïn et Abel Deo obtulerunt, Genes., c. 4; deinde, quia omni ætate nationes omnes cultum externum ritusque sacros adhibuêre, idque vel ex eo quòd hujusmodi Dei colendi rationem à majoribus acceperint, quos Deus docuerat; vel quòd Deus ipse per rectam rationem id omnes homines doceat. Præterea constat itidem constituisse signum fœderis ipsum inter et terram initi; Genes., c. 9; circumcisionem statuisse signum pacti cum Abrahamo initi ejusque semine; ac plures per Mosem præscripsisse ritus, qui, aut collata beneficia Hebrææ genti, aut factas promissiones menti offerrent. Denique humano generi post diluvium præcepit ne carnem cum sanguine comederent, ut non tam faciles essent homines ad homicidia et sanguinis effusionem, sicut ante diluvium fuerant, quemadmodùm interpretes quamplurimi exponunt. Hebræo populo per Mosem cæremonias præscripsit; atque in plenitudine temporis, æterno ipsius Filio homine facto, baptismum, sacram cœnam, manuum impositionem, aliosque sacros ritus stabilivit, de quibus sequenti capite dicemus. Dubitari ergo non potest quin sacri ritus ex Deo originem trahant.

Propositio VI. *Sacri ritus in hâc providentiâ non solùm sunt utiles, sed etiam necessarii.*

Propositio hæc ex iis quæ superiori propositione demonstravimus, facilè patet. Cùm enim Deus omni ætate exteriorem cultum ritusque sacros homines docuerit, ac servandos quoque præceperit, argumentum est, non solùm utile, sed etiam necessarium esse, ut homines ex animo et corpore constantes, etiam exteriùs per corpus Deo obsequium exhibeant, et ut per sensus ad Deum colendum alliciantur et determinentur. Quò autem res clarior fiat, utramque propositionis partem paucis demonstrabo. Ad primam quod attinet, nemo non videt sacros ritus esse hominibus quàm maximè utiles; ii enim ea sensibus offerre debent, quæ homines ad Deum colendum moveant et alliciant, quæque apta sint ad augendum in eis interiorem Dei cultum, eosque in æternam beatitudinem dirigendos. Altera verò pars ex modo liquet, quo Deus suam erga homines providentiam exercet. Licèt enim ita homines regere potuerit, ut interiùs lumine suo eos docendo et dirigendo per verum cultum ad supernæ beatitudinis consecutionem perduceret; tamen per visibilia ad invisibilium suarum perfectionum cognitionem nos ducit, ut docet Apostolus, et per factam ad sensus per prophetas et apostolos revelationem, quæ credenda, quæque nobis agenda sunt, manifestavit, modumque indicavit quo ei servire cultumque exhibere debeamus. Voluit ergo Deus, ut in hâc providentiâ hominibus per sensus tum credenda, tum agenda proponerentur. Ergo juxta hunc providentiæ ordinem, necesse est, ut homines per sensus excitentur, et alliciantur ad Deum colendum. Ut enim fides esse debet auditu, ita per auditum et alios sensus ad cultum Dei provocari et allici debent: eò vel magis quòd hominum plerique vix aliâ ratione quàm per sensus determinari ac moveri possunt ad Deum colendum. Accedit etiam quòd homines in societate viventes invicem moveri et provocari debeant ad Dei cultum. Id verò, quâ ratione fiet, si exterior cultus sacrique ritus è medio tollantur?

CAPUT IV.

De christianæ Ecclesiæ ritibus, ubi præcipui circa eosdem errores hæreticorum, qui sunt hâc ætate nostrâ in Occidentali Ecclesiâ, recensentur et confutantur.

Explicatâ sacrorum rituum naturâ, origine et utilitate, de ritibus dicendum est quos vera Christi Ecclesia præscribit, servandosque præcipit. Itaque in hoc capite agemus de exteriore Dei cultu ac ritibus in universum, et exponemus catholicæ Ecclesiæ systema circa sacrorum rituum disciplinam. Plures sunt hoc tempore in Occidentali Ecclesiâ hæreses, quarum quælibet plures habet circa sacros ritus errores. Omnes catholicam Romanam Ecclesiam novitatis et superstitionis insimulant, ejusque auctoritatem, cujus sententia è fidelium communione dejecti sunt, contemnunt et negant. Sed invicem dissident, tum in designando novitatis initio, tum in exteriori cultu reprehendendo atque damnando. Sociniani et qui iis proximè accedunt Remonstrantes, Apostolorum ætate Ecclesiam Christi mutari ac depravari cœpisse, tum circa dogmata, tum circa disciplinam effutiunt. Calviniani à secundo, Lutherani verò aliique à tertio vel quarto Ecclesiæ seculo variationis et novitatis initium sumunt. Sociniani, Remonstrantes et Calviniani, exteriorem Dei cultum, ut christianæ Religionis simplicitati contrarium, detestantur; contra verò Anglicani hierarchiam ecclesiasticam, exteriorem Catholicorum in pluribus similem cultum, ac cæremonias benè multas usurpant et probant. Lutherani ritus adiaphoros putant, et contra aliorum hæresim, Christi Salvatoris imaginem in ecclesiis detinendam esse contendunt. Variant etiam in iis indicandis, quæ superstitionem in exteriori Ecclesiæ nostræ cultu redoleant, ut invicem pugnant circa dogmata fidei. Ita Deus Ecclesiæ suæ manifestat, eos superbiæ, dissidii, errorisque spiritu duci.

Hujusmodi errores confutaturi, ostendemus primò, exteriorem Dei cultum Christianæ Religionis humilitati, et simplicitati non adversari; secundò in Christi Ecclesiâ inesse instituendi ritus potestatem; tertiò, potestatem hanc cum auctoritate præcipiendi, condendique leges esse conjunctam; quartò, hanc potestatem non inesse in magistratibus, atque principibus; quintò, sed in Ecclesiæ pastoribus; denique, pastorum omnium jurisdictionem Romani Pontificis auctoritati esse subjectam.

Propositio I. *Exterior Catholicæ Ecclesiæ cultus christianæ Religionis simplicitati non adversatur.*

Ut, quæ sunt nota, ab iis quæ novatores in dubium revocant, secernantur, tria principio constituo quæ ab ipsis quoque hæreticis unanimi consensu probantur. Primum, ea quæ ad statuendum atque ser-

vandum in divino cultu ordinem et decorem utilia sint, non esse Christianæ rengionis humilitati, ac simplicitati contraria. Nam recta ratio docet in omnibus, sed præsertim in Dei cultu ordinem decoremque servari oportere; et Paulus 1 ad Cor., c. 14, v. ult., jubet, *ut omnia honestè et secundùm ordinem fiant.* Plures autem cæremoniæ, quibus exterior catholicæ Ecclesiæ cultus continetur, ad ordinem decoremque in sacro cultu servandum quam maximè conferunt, ut easdem expendenti manifestum fit.

Deinde statuo Christianam religionem non prohibere sacrorum rituum usum. Nam præterquàm quòd hujusmodi prohibitio, nec à Christo Domino, nec ab Apostolis ullibi facta legitur, ipsi quoque Novatores fatentur Christum constituisse Baptismum, ut sacrum ritum, quo homines novum hominem induerent, atque Christianæ religioni initiarentur; et sacram Cœnam, quam perpetuò ab Ecclesiâ in suî commemorationem fieri debere mandavit; nec inficiantur, Apostolos ad indicandum gratiam, aliaque sancti Spiritûs dona, quæ hominibus conferebantur, manuum impositionem, aliasque cæremonias adhibuisse.

Denique, *omnia illa quæ cum virtute nobis præscripta conjunctionem aliquam habent, et ad ejus perfectionem faciunt, et solo fine suscipiuntur, ut aptiores et promptiores simus ad colendum Deum*, optimè cum Christianâ religione cohærere, fatetur Limborgius ipse Arminianus Theol. Chr., lib. 5, c. 75, n. 15. At quæ cæremonia est in exteriori Catholicorum cultu, quæ si eo fine usurpetur, quo adhiberi jubet Romana Ecclesia, cum virtute nobis præscriptâ conjuncta non sit, vel ad virtutis perfectionem, Deique cultum augendum non referatur? Imò si qua sit cæremonia, quæ apta non sit fovere, et augere interiorem Dei cultum, quo Deum in spiritu et veritate diligimus atque colimus, tum ab Ecclesia, tum ab omnibus Theologis nostris, tanquàm inutilis et superflua rejicitur, et damnatur. Atque hæc notata sunt, ut palam cuique fiat hæreticorum impudentia, dum Romanam Ecclesiam calumniantur, quod cultum omnem divinum, hominis sanctitatem, ac totam æternæ salutis spem in exteriori cultu, et cæremoniarum usu constituat. Venio nunc ad demonstrationem.

Quidquid ad servandum in divino cultu ordinem et decorem, et ad interiorem in nobis Dei cultum augendum utile sit Christianæ religionis humilitati, atque simplicitati non adversatur: quippe quæ cordis, seu spiritûs humilitatem et simplicitatem commendat, nec ullibi vetat exteriores actus, qui simplici atque humili corde divini cultûs causâ fiant. Ritus autem, quibus exterior catholicæ Ecclesiæ cultus continetur, vel ad servandum in divino cultu, seu sacrorum confectione et administratione ordinem et decorem, vel ad virtutis exercitium, aut ad interiorem Dei cultum augendum referri debent, juxta catholicæ Ecclesiæ institutionem atque doctrinam. Hæc enim inutiles et superfluos ritus, ut superstitiosos damnat, atque abusus, si qui sint in cæremoniarum praxi, pastorum diligentiâ omninò removendos præcipit. Videatur conc. Trid., sess. 22, Decret. de Observ., et Evitand. in celebrat. missæ, et sess. 25, de Invocatione, veneratione, etc.

Et sanè quis neget plerosque ritus catholicæ Ecclesiæ ad sacrorum ordinem et decorem pertinere? Exterior pompa maximè confert tum ad decorem in sacris functionibus servandum, tum ad alliciendos homines ad publicum Dei cultum, tum ad debitam Deo ejusque divino cultui venerationem conciliandam, tum denique ad ostendendum hominibus Dei majestatem supremumque dominium, cujus consideratione cordis humilitas et simplicitas fovetur et augetur. Opera quæ Ecclesiæ præcipit, sunt veræ virtutis exercitium, vel ad virtutis exercitium disponunt, si eo fiant fine quo ipsa præscribit. Nam vel sunt actus religionis et virtutis, ut auditio sacri, sacramentorum susceptio, etc., vel ad exercendam virtutem disponunt et juvant, ut jejunia, cœlibatus, etc. Promissiones denique et Dei beneficia, quæ per ritus plerosque menti contemplanda offeruntur, ad fidem, spem et charitatem augendam destinantur.

Aiunt verò exteriorem Romanæ Ecclesiæ cultum mundi pompam redolere, quæ potiùs superbiæ fastum quàm cordis humilitatem fovet et auget.

At, si non mundi, sed religionis ac Dei causâ fiunt, cur mundanæ pompæ dicuntur? Si Ecclesia cum Christo docet hæc sine humilitate et simplicitate cordis fieri non debere, si pompæ illæ ac splendidi ritus, Dei majestatem ad sensus ostendendo, cordis humilitatem ac simplicitatem fovent et augent, quo jure ut affectus mundani damnantur? Numquid Deus mundanas pompas probavit, dùm auctoritate comprobavit suâ, splendidum ornatum, vestes et alia pretiosa divini cultûs instrumenta, quæ in Hierosolymitano templo adhibebantur? Non ita sanè visum est sanctis Ecclesiæ Patribus, qui eâ ætate floruère, in quâ redditâ jam Ecclesiæ pace, principum munificentiâ ita exterior Dei cultus exornari potuit. Videantur Cyrillus, cath. 24, Ambros., lib. 1 de Off., c. 22, Gregor. Nazianz., oratione 11 in Laud. Gorg.; Hieron., epist. 3 ad Heliodorum, et 2 ad Nepotianum; Patres denique omnes quarti et quinti Ecclesiæ seculi. Ii enim summis laudibus extollunt illorum pietatem et religionem, qui sumptus maximos impenderant in ornandis Christianorum templis, comparandisque pretiosis sacerdotum vestibus, atque aliis divini cultûs instrumentis. Numquid novatoribus ætatis nostræ magis exploratum est, quòd Christianæ religioni contrarium sit, quàm Patribus illis, quibus trium priorum seculorum traditio ignota esse non potuit, quique tanto studio ac fervore fidei puritatem ac disciplinæ uitorem in Ecclesiâ conservare conati sunt? Hactenùs quoad ornatum templorum, pretiosa divini cultûs instrumenta, splendidumque ecclesiasticarum functionum apparatum.

Venio nunc ad cæremonias quæ in sacramentorum administratione adhibentur. Non video quâ fronte has Christianæ religionis simplicitati adversari prætendant. Nam hæ adeò antiquæ sunt, ut nonnisi ex Apostolis repeti queant. Sunt enim, saltem magis præ

cipuè, Ecclesiæ Orientali et Occidentali communes; ac in Oriente vigent quoque apud Græcos, Jacobitas Nestorianosque à multis seculis è Romanæ Ecclesiæ communione separatos. Quamobrem initio quinti seculi fuisse cæremonias totius Ecclesiæ per universum diffusæ certò cognoscimus. At cùm non constet generali quâdam totius Ecclesiæ sanctione fuisse institutas, quis non videat nonnisi ab Apostolis et apostolicis viris originem habere potuisse, à quibus per universum constitutæ Ecclesiæ veluti à communi fonte descendunt? Vero autem simile non est pugnantia cum Christi religione Apostolos docere atque inculcare voluisse. Rursùs cæremoniæ baptismi, idem de aliis dicendum, ea menti offerunt, quæ christianam fidem doceant, eamdemque foveant et augeant. Exorcismi significant libertatem à dæmone quam per Christum acquirimus; abrenuntiationes Satanæ de officio hominis christiani baptizatum monent; immersio, Christi sepulturam memoriæ offert; et, ut alia omittam, salivæ usus, Christi miraculum indicando, quo cæco sputo visum reddidit, docet nos, Baptismum lumen afferre, quo cœlestem veritatem percipiamus. Hæc verò christianæ fidei, spei atque charitati non nocent, sed prosunt.

Dicent nefas esse Christianos ad egena et infirma mundi elementa revocare, scilicet, externis ritibus quidquam menti offerentibus, puerorum instar ad credendum et Deum colendum allicere et trahere. Hæc enim propria veteris legis œconomia erat, quæ fuit per Evangelii libertatem sublata. *Lex illa*, inquit Apostolus ad Galat., c. 3, *pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi fides jam venit, non sumus sub pædagogo*, id est, non trahimur ampliùs per cæremonias ad credendum, Deumque colendum.

Sed nemo dicet cæremonias, quâ ratione Ecclesia præscribit, usurpatas, egena appellari posse, et infirma mundi elementa. Hæ enim, ut dixi, ad augendum in nobis interiorem Dei cultum referri debent, eque spes salutis nostræ in exteriori earumdem cortice et usu ponenda est. Hoc sensu Apostolus veteris legis cæremonias egena et infirma mundi elementa appellavit, non verò quatenùs excitabant et fovebant in hominibus fidem in Christum venturum; quâ fide Abrahamum justificatum fuisse, capite illo docet, ubi etiam eos qui ex fide sunt, omnes filios Abrahæ appellat. Infirma quoque et egena elementa vocavit, postquàm fides illa venit, quam fovere debebant. Hâc de causâ dixerat: *Ubi venit fides*, hoc est, Christus, quem futurum cæremoniæ illæ significabant, *jam non sumus sub pædagogo*, nempe sub cæremoniis illis quæ homines puerorum instar per sensus ad credendum Christum futurum excitabant. Itaque veteris legis cæremoniæ, nuda, egena et infirma mundi elementa factæ sunt, postquàm ea fuêre destitutæ virtute quâ salutarem fidem in hominum cordibus excitabant. Egena quoque et infirma elementa vocavit, quæ superstitionis et idololatriæ causâ adhibentur, eâdem epist., c. 4, v. 8 et 10; nullibi verò scribit nefas esse Christianis ritibus uti, qui menti offerant quæ Christus pro nobis gessit, collata nobis à Deo beneficia, vel quidquam aliud, quo hominis erga Deum amor et cultus foveri et augeri queat. Imò Pauli ætate jam cœperat usus signi crucis ad revocandum in memoriam Christum in crucem pro nobis actum, trina immersio in baptismo ad significandum Christi corpus triduò fuisse sepultum, festum Paschatis, Pentecostes, ac etiam cujuslibet diei Dominici ad memoriam recolendam Christi resurrectionis, adventûs Spiritûs sancti, etc. Et, præter alios ritus, quos infra indicabimus, constat in precandi modo, tum Paulum, tum Apostolos reliquos imitatos fuisse Judæos.

PROPOSITIO II. *In Christi Ecclesiâ vera inest instituendorum rituum potestas.*

Hìc pro comperto habemus, Christum Dominum septem instituisse Sacramenta; idque à nostris theologis adversùs novatores abundè demonstratum statuimus. Contendimus verò Ecclesiæ potestatem fuisse concessam instituendi ritus, tum in sacramentorum administratione usurpandos, quibus non modò ordini et decori sacræ functionis consuleretur, sed etiam gratiæ indicarentur, quas homines per hujusmodi sacramenta reciperent, tum etiam quibus locus, tempus et modus divini cultûs præscriberetur, vel ea hominibus offerrentur, quibus virtutum exercitium facilius fieret, Deique gloria et cultus amplificari posset. Id verò facilè demonstratur.

Primùm, quia Deus Ecclesiæ suæ animarum curam concredidit; voluitque ut eas regeret, atque in æternæ felicitatis consecutionem dirigeret. Necesse ergo est tantam ei dederit auctoritatem, quanta ad hujusmodi directionem necessaria est. Neque enim Deus vult finem, quin media ad finem comparandum necessaria suppeditet. Ad id verò necessaria est potestas instituendi ritus quibus hominibus ea per sensus offerat, quæ, vel Dei majestatem, vel Dei beneficia aut gratias, quas nobis concedit in memoriam revocando, ad adorandum et diligendum Deum, et ad pietatem colendam, excitent atque determinent: sive, ut clariùs loquar, necessaria est Ecclesiæ potestas ea hominibus suggerendi et proponendi, quæ utilia sunt ad beatitudinis consecutionem; sunt autem ritus utiles, imò in hâc providentiâ etiam necessarii, ut in postrema superioris capitis propositione demonstravimus.

Deinde Christus Dominus, Joan. cap. 9, exemplo præmonstravit suo cæremoniarum usum, dùm luto usus est, ut cæco Siloe visum restitueret. Atque huic similes instituendi cæremonias fecisse Ecclesiæ suæ potestatem facilè patet: nam Matth. 12, et Luc. 10, Apostolis discipulisque fugandi dæmones, sanandique morbos potestatem concessit; ergo et auctoritatem instituendi cæremonias quas in hujusmodi potestatis usu adhiberent. Ejusmodi sunt impositio manuum, quâ Ananias usus est ad curandum Saulum recenter ad Christi fidem conversum, de quâ in Actis Apostolorum, atque exorcismi ad expellendos dæmones, insufflationes, aliique ritus, quos cùm semper ac ubique

terrarum Ecclesia usurpaverit, nonnisi Apostolis referre possumus acceptos. Rursùs an non Apostoli fuêre Christi ministri, ac mysteriorum Dei dispensatores, ut habetur ad Cor. 2, c. 4? Quis ergo credat auctoritatem à Deo non accepisse necessariam ad hujusmodi obeundum ministerium? At hæc secum potestatem ferebat ordinandi disponendique sacras functiones, instituendique cæremonias ad ea menti offerenda destinatas, quæ mysteria atque beneficia memoriæ offerrent, quæ fidelibus contemplanda essent. Hinc Apost. Paulus in supra laudatâ Epist., Aug. teste in Epist ad Januar., Corinthiis pollicetur se ordinem modumque dispositurum fuisse, quo Eucharistia sumenda esset, dùm ad ipsos venisset: *Cætera*, inquiens, *cùm venero disponam.* Eadem habet Trid. syn., sess. 13, c. 2.

Præterea, Ecclesia semper potestate instituendi ritus usa est, adeòque eam à Christo Domino accepit; neque enim est verisimile Apostolos, eorumque discipulos potestatem sibi usurpare voluisse, quam à Deo non habuerint. Plures instituisse ritus Apostolos, ex constanti et perpetuâ omnium seculorum traditione constat. Ex Apostolis enim originem ducunt nonnulli dies festi, scilicet Paschatis, Ascensionis Christi in cœlum, Pentecostes, ac dies Dominicus, jejunia nonnulla, puta antepaschale, ac fortassè etiam quartæ et sextæ feriæ jejunium; item mos ille quo prohibemur Eucharistiam sumere non jejuni; aliæque liturgiarum preces, trina immersio, insufflationes, unctionesque, et aliæ tum baptismi, tum aliorum sacramentorum cæremoniæ, quas Ecclesia ubique ac semper usurpavit, nec scimus ab aliis accepisse quàm ex Apostolis, unde fides ritusque per universum orbem à primis Ecclesiæ temporibus propagati, originem trahunt, ut Aug., epist. 54, aliàs 118, ad Januarium invictè demonstrat. Ritus antea dictos, indicatos legimus à Justino, propè finem Apologiæ ad Antonium Pium, ubi etiam commemorat sacros Christianorum conventus, concionum precumque ordinem, benedictionem antistitum, aquæ vinique oblationes, ac sacræ liturgiæ cæremonias; ab Irenæo, Athenagorâ, Tertulliano, lib. de Coronâ milit., c. 3, lib. de Bapt., et alibi, à Cypriano, Epist. ad Magnum; et Clemente Alexandrino, aliisque trium priorum seculorum Patribus; atque eorum plerosque præscriptos habemus in Constitutionibus et Canonibus qui Apostolorum nomine circumferuntur, in quibus Ecclesiæ disciplinam contineri, quæ ab Apostolis et apostolicis viris orta, pro Ecclesiæ regulâ primis temporibus habita sit, nemo negare potest.

Constat etiam Ecclesiam, deficiente miraculorum copiâ, ac primorum Christianorum fervore, progressu temporis ritus auxisse, ut frequentiùs in hominum memoriam Dei gratias ac beneficia, et majestatem revocando, pietatis in eisdem fervorem excitaret, eosque fortiùs ad Dei cultum percelleret. Auctos ita fuisse Ecclesiæ ritus, testantur Patres quarti et quinti seculi; Sacramentaria tum Gregorii Magni, tum aliorum, qui à septimo seculo apud Latinos scripserunt; ac Eucologia, quibus à mille et ampliùs annis utuntur Græci.

PROPOSITIO III. *Hujusmodi Ecclesiæ potestas cum auctoritate conjuncta est ferendi leges.*

Id facilè ex eo patet, quia potestas hæc Ecclesiæ omninò necessaria est. Ut enim regat atque in æternum felicitatem dirigat hominem, qui et veram erga Deum pietatem et suâm in eo beatitudinem neglecturi habere propensus est, necesse est ea præcipere possit, quæ homines ab iis removeant et distrahant, quæ huic comparandæ felicitati impedimento sint, et quæ istius consecutionem faciliorem faciant. Si enim in eo qui civili societati præsit, necessaria est ferendæ legis potestas, quâ homines ad præscriptos civitatis et imperii fines legibus dirigantur, cur in eâ societate necessaria non erit, quæ Deo ipso jubente homines in infinitè præstantiorem finem, hoc est, in æternam felicitatem dirigere debet! Sicut enim sine civilibus legibus, quæ impedimenta removeant, ac faciliorem reddant observationem legis naturalis, optata tranquillitas in societate haberi non potest, ita sine legibus, quæ removeant ea quæ impedimento sint, ac promptiores homines reddant ad servanda divina præcepta, ad virtutum exercitium et Dei cultum, difficilè admodùm, ac ne vix quidem regi ac dirigi possunt animæ in æternam beatitudinem. Cùm nemo neget hanc Deum dedisse summis imperantibus potestatem, quod medium sit ad tranquillitatem illam procurandam, quæ est imperii finis, quis neget eamdem potestatem dedisse iis quos animarum constituit rectores, voluitque ut eas per apta media in summum bonum, cujus unicè possessione beati sumus, dirigerent?

Sed non desunt in Scripturâ argumenta quibus hanc ex Deo accepisse potestatem demonstretur. Nam Christus, quos Apostolos discipulosque suos delegerat, docere jussit omnes gentes, Matth. cap. ult. Ac eorum qui credere in Christum vellent, pastores declaravit, dùm Petro dixit: *Pasce oves meas*, Joan. 21; *Deinde claves dedit ei regni cœlorum*, Matth. 16. Solvendi ac ligandi potestatem, ac facultatem dimittendi peccata, Matth. 10. Ubi verò ligandi solvendique potestatem fecit, declaravit, peccantem fratrem, qui post trinam monitionem Ecclesiæ parere noluerit (id enim significant verba illa: *Si Ecclesiam non audiverit*), habendum esse veluti *ethnicum et publicanum*, hoc est, veluti à communione et fidelium societate dejectum. Pastoris verò ovium curam habentis allegoria, juxta Scripturarum phrasim, supremam significat potestatem, 2 Reg. 5, et 1 Paralip. 11, v. 2, ubi: *Paces*, inquit Dominus, *populum meum Israel, et tu eris princeps super eum.* Et potestas clavium summam itidem potestatem designat. Nam Isai. 22, cùm Deus à Sobnâ in Eliacim summam potestatem transtulit, ait: *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, et dices ad eum: Quid tu hìc? expellam te de statione tuâ, et de ministerio tuo deponam te, et vocabo servum meum Eliacim; et induam illum tunicâ tuâ, et singulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et dabo clavem domûs David super*

humeros ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. Dubitari autem non potest, quin Deus pastores, quos in Ecclesiâ posuit *ad confirmationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, ad Ephes. 11, semper in Ecclesiâ futuros esse vellet; et quin semper apud eos illam clavium potestatem esse voluerit, quam pro regendis suis ovibus tradidit. Itaque si Christus, dùm Ecclesiam fundavit, ministros quos in eâ posuit, pastores declaravit, ac pastores, qui claves haberent regni cœlorum, qui ligarent ac solverent, qui è societate expellerent suâ inobedientes; quis dubitet quin summam eis dederit potestatem, quæ pastoritio munere ac clavium traditione conferri hominibus à Deo consuevit?

Imò hanc contulisse Christus ipse declarat, Lucæ 10, v. 16, dùm Apostolis dicit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Audire verò Latinè apud Tullium, Quintilianum et Alphonsum Jurisconsultum, l. *Arbit.*, ff. de *Recept. arbit.*, ut et Græcè ἀκούειν, sive ἐπακεῖν, et Hebraicè *sciamach* idem sonat ac obtemperare, et præcipienti parere. Itaque in ipsum Christum contumax est, qui Ecclesiæ jussa observare detrectet. Ergo quæ statuit ac præcipit Ecclesia, per factam ipsi à Jesu potestatem constituit et præcipit. Quamobrem Apostolus Paulus, ad Hebr. 13, v. 17, postquàm præpositos appellavit animarum pastores: *Obedite*, inquit, *præpositis vestris, et subjacete eis.*

Denique annon constat ex eâdem Scripturâ, et constanti atque perpetuâ traditione, Apostolos eorumque successores, jure pastoritio, atque acceptâ à Christo potestate clavium, usos semper fuisse in iis quæ ad fidem et disciplinam Ecclesiæ, vel ad tollenda scandala pertinerent? De iis enim rebus leges ab Apostolis, tum singulis, tum communi consilio constitutas, tota penè sacræ historiæ series evincit; hujusmodi autem constitutiones partim scriptæ, partim non scriptæ fuerunt. Nota res est ex Apostolorum Actis, quæ pro subrogando Apostolo in locum Judæ, et pro institutione diaconorum in curam viduarum egerint, ac celeberrima illa lex, de quâ, cap. 15, quæ pro decernendâ ortâ de legalibus controversiâ constituta fuit per hæc verba: *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.* In iisdem Actis, c. 16, memoratur S. Paulum Syriam et Ciliciam perambulâsse, *confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum;* τὰς διατάξεις, id est, *Constitutiones*. Accedit etiam quòd statim subnectitur de eodem Paulo atque Timotheo: *Cùm autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Hierosolymis.* Ubi Glossographus, post veteres omnes Ecclesiæ utriusque doctores, *dogmata* rectè interpretatur *statuta*. Mitto præcepta circa mores, tum publicos tum privatos, quæ passim in Apostolorum scriptis occurrunt. Quis ignorat pro regendâ Ecclesiâ plura verba constituisse, quæ litteris non sunt consignata? Id sanè indicat Apostolus, dùm 2 ad Cor. 11, se cætera quæ ad disciplinam spectarent, dispositurum pollicetur, et dùm, 2 ad Thess. 2, ait: *State, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam.* Hæ traditiones in Græco textu vocantur παραδόσεις, id est, præcepta. Ecquis neget ab hujusmodi præceptis ortum ducere jejunia nonnulla ac cæremonias quamplurimas semper et ubique in Ecclesiâ servatas, veluti supremâ quâdam lege institutas? Præterea Paulus incestuosum Corinthium tradidit Satanæ, aliosque improbos Ecclesiæ communione privavit, atque è fidelium societate dejecit.

Neque solùm Apostoli, sed eorum etiam successores hâc eâdem potestate leges ad Ecclesiæ disciplinam moderandam tulerunt. Quis enim ignorat tribus etiam prioribus seculis canones ab Ecclesiæ pastoribus fuisse conditos, quos veluti leges venerarentur? De iis enim Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus et Eusebius in suâ Hist. eccl. passim meminêre. Nec solido fundamento eorum caret opinio, qui plerosque canones, et constitutiones, quæ Apostolorum nomine circumferuntur, à latis antiquis illis temporibus ab Ecclesiâ legibus deprompta fuisse, tuentur. Imò, si Apostolis accepta referenda non sint, quæ in illis statuta sunt, pleraque saltem ab eorum fuisse successoribus primis seculis constituta, asserere oportet. Quæ cùm ita se habeant, nullus superesse videtur dubitationi locus, quin Christus Ecclesiam instituendo suam, ei vim seu facultatem fecerit, quâ leges ferret ad Dei cultum, ad retrahendos homines à vitiis, eosque ad virtutis exercitium alliciendos necessarias. Videndum itaque in quo hæc resideat potestas. Occurrunt statim novatores, Grotius præsertim, et Puffendorsius, qui summis imperantibus hæc unicè jura competere impudentissimè asserunt. Hos refellit

PROPOSITIO IV. *Potestas circa sacra à Deo Ecclesiæ concessa non inest in secum vivencibus.*

Demonst. Nemo negat potuisse Christum Dominum Ecclesiæ jura, sive illius regendæ potestatem summis imperantibus tradere, aut eam ita constituere potuisse, ut tota imperio subjecta esset, atque à supremo principe regeretur. Imò cùm cujusque sit hominis cor in manu ejus, et quòcumque velit trahat illud, reges ipsos poterat Apostolos, pastores rectoresque Ecclesiæ suæ eligere ac destinare. Sed non ita fecit. Nam Apostolos elegit duodecim, ac deinde discipulos septuaginta duos, ut eos qui suam vellent fidem profiteri, in illam societatem cooptarent, in quâ ipsi, Christi potestate atque nomine pastores essent, ligandi solvendique, ac clavium potestatem haberent. Hos ad omnes gentes misit, atque ad reges ipsos et præsides, ut hos etiam si vellent, Christi oves facerent, atque potestati ipsis concreditæ quoad Dei cultum, æternæque salutis consecutionem subjectos declararent. Et sanè annon ut populus, ita principes ac reges ad oves spectant, quas ii regere debeant, quibus Christus dixit: *Pasce oves meas*? Ii sanè quoad spiritualia et æternæ salutis consecutionem omnibus Christi ovibus dominari debent, ac leges præscribere, qui ligandi et solvendi, atque clavium potestatem acceperunt. Sed

videamus quænam fuerit illorum regum ac summorum principum sententia, qui omnium primi christianam religionem suscepêre, et quâ ratione à viris illis sanctis, qui christianam iisdem demonstraverunt doctrinam, Ecclesia ejusque forma atque jura exposita fuerunt. Verisimile non est aut principes pati voluisse, jura imperii ipsis debita violari, aut sanctos illos antistites eam voluisse sibi in reges et principes potestatem usurpare, quam Christus non dedisset, et quæ odiosam principibus Christi religionem reddere potuisset. Constantinus omnium primus christianorum imperator, teste Eusebio, lib. 3. de Vitâ Constantini, cap. 10, in concilio Nicæno non priùs assedit, quàm episcopi ut sederet annuissent. Et absoluto conc., Epist. misit ad omnes Ecclesias, quam idem Eusebius, ibid. refert, in cujus fine hæc leguntur : *Quæ cùm ita sint, cœlestem gratiam et divinum mandatum libenter suscipite. Quidquid enim in sanctis episcoporum conciliis geritur, id nunc ad divinam referendum est voluntatem.* Theodosius Junior in epistolâ ad synodum Ephesinam, *nefas est*, inquit, *qui sanctissimorum episcoporum catalogo adscriptus non est, illum ecclesiasticis negotiis et consultationibus sese immiscere.* Similia habet Martianus imperator, l. *Nem.*, cap. de Summâ Trinitate et fide catholicâ. Et omnium legum peritissimus Justinianus, novell. 83, leges civiles dixit non præcedere, sed sequi oportere leges ecclesiasticas, *secundùm sacras*, inquiens, *et divinas regulas* (ita canones appellat) *quas etiam nostræ leges sequi non dedignantur :* et in Authentic., const. 123, c. 7, hæc habet : *Si ecclesiasticum negotium sit, nullam communionem habent civiles magistratus cum eâ disceptatione, sed religiosissimi episcopi secundùm sacros canones finem imponunt.* Ut alios verò prætereamus, unus sufficiat Basilius imperator, qui in 8 synodo ita loquitur : *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè conversamini, quid ampliùs dicam non habeo, quàm quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitùs resistere integritati Ecclesiæ, et universali synodo adversari. Hoc enim investigare et quærere patriarcharum, pontificum, et sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui ligandi, et solvendi potestatem habent, qui ecclesiasticas et cœlestes adepti sunt claves : non nostrum qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari vel à ligamento solvi egemus.* Tom. 7, Conc., pag. 1154. Vides ergo non unum, sed plures, et quotquot de Christianâ religione rectè sensêre principes, ita christianam fidem professos fuisse, ut Ecclesiam instar reipub. à Christo institutam crederent, in quâ ipsi oves, ministri verò quibus claves traditæ fuêre regni cœlorum, pastores essent.

Sed rem clariorem faciunt editi hâc de re Ecclesiæ canones, Patrumque illorum sententiæ, qui primis christianis principibus Christi fidem exposuêre. Quid credat sanctissimos illos pastores, qui principes illos vel recenter ad fidem conversos, vel qui subditos plerosque haberent idololatras ac christiani nominis infensissimos hostes, in christianâ religione instituendos susceperant, vel in conciliis edere voluisse canones, aut ea palam illis inculcare quæ jura à Deo illis concessa turbarent et infringerent, et quæ contra divinam institutionem eosdem Ecclesiæ tribunali, ac senatui subjectos facerent? Igitur Patres illi persuasi esse debuêre eam fuisse Christi Ecclesiæ formam, eaque jura, quæ ipsi explicarent. Neque credibile est priorum temporum antistites, qui fuêre patientiæ, humilitatis, et charitatis exemplar, et qui dùm pastoris munus susciperent sese paratos ostendebant, ad subeundum pro Christi fide, ac veritate martyrium, superbiæ quodam fastu jus sibi usurpare voluisse, quod ex Deo non accepissent, et onus voluisse indebitum principibus summis imponere. At ii omnes consensu unanimi tradidêre, laicos etiam principes ac reges oves esse, quæ Ecclesiæ pastoribus subsint, et in iis quæ ad fidem et religionis disciplinam spectant parere debeant. Ex canonibus autem nonnullos tantùm referam. Gratianus, dist. 10, c. 6, hunc refert ad imperatores Constantinopolitanos directum : *Libenter accipitis, quòd lex Christi sacerdotali vos subjecit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim et nobis potestatem ; dedit et principatum multò perfectiorem principatibus vestris.* Gelasius Papa ad Anastasium imperatorem dist. 96, can. 10 : *Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur : auctoritas sacra Pontificum, et regalis potestas : in quibus tantò gravius est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis regibus in divino sunt readituri examine rationem.* Gregorius Magnus ad episcopum Metensem dist. 96, can. 9 : *Quis dubitet sacerdotes Christi, regum et principum, omniumque fidelium patres, et magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit non solùm in terrâ, sed etiam in cœlis se ligari posse, et solvi?*

Venio nunc ad Patres, atque rem ab Ignatio exordior viro apostolico, atque Joannis Apostoli discipulo. Is antequàm principes essent, qui Christianam doctrinam profiterentur, in epistolâ ad Philadelphios hæc scribit : *Principes, subditi estote Cæsari, milites principibus, diaconi presbyteris, presbyteri et diaconi atque omnis clerus, simul cum omni populo, et militibus atque principibus, sed et cæsares obediant episcopo, episcopus vero Christo, sicut Patri Christus : et unitas per omnia servetur.* S. Athanasius in epistolâ ad solitariam vitam agentes, ita Osium Cordubensem Constantinum Magnum in Nicænâ synodo allocutum fuisse scribit : *Desine, quæso, imperator : ne te mi ceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus imperium commisit : nobis, quæ sunt Ecclesiæ concredidit. Et quemadmodùm qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ ; ita et tu cave ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Post hæc Osii verba Athanasius ipse subnectit : *Quando à conaito ævo auditum est, quòd judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab imperatore accepit? aut quando unquàm hoc pro judicio agnitum est?* S. Ambrosius, epist. 33, sic Va-

lentinianum imperatorem affatus est : « Noli te gra-
« vare, imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt
« imperiale aliquod jus habere; noli te extollere, si
« vis diutiùs imperare. Esto Deo subditus; scriptum est
« enim : *Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Ad impe-
« ratorem palatia, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publico-
« rum tibi mœnium jus commissum est, non sacro-
« rum. » Habes itaque antiquiores Patres non solùm exponentes Ecclesiæ jura penes sacerdotes esse, sed et principes ipsos ne iis sese immiscerent prohibentes, ac divinam illis minitantes vindictam, dùm ea sibi usurpare pertenderent. Quæ cùm ita se habeant, quis non videat novatores illos qui summis imperantibus jus erga sacra impudentissimâ adulatione adjudicant, fundatam à Christo Ecclesiam penitùs evertere atque destruere?

Propositio V. — *Potestas erga sacra, sive jus perenne leges ad Dei cultum et Ecclesiæ disciplinam pertinentes à Christo Ecclesiæ suæ collatum in solis episcopis residet, qui jure divino presbyteris aliisque ministris superiores sunt.*

Utraque propositionis pars vel ex iis quæ hactenùs sunt disputata facilè comprobari posset. Sed ut in re maximi momenti nil intactum remaneat, rem hìc luculentiùs exponere ac novis argumentis demonstrare operæ pretium esse existimavimus. Itaque pars prior in hunc modum demonstratur. In iis potestas inest regendæ Ecclesiæ, ecclesiasticasque leges condendi, qui à nostrâ ætate ad exordium usque Religionis christianæ eam semper veluti à Christo sibi traditam exercuerunt. Hâc enim viâ et datam à Christo potestatem, et genus hominum in quo eamdem collocaverit, certò cognoscimus. Episcopi verò sive Ecclesiarum Pastores ritu à Christo instituto ordinati, à nostrâ ætate usque ad Apostolos, per quos Christus fundavit Ecclesiam, potestate quam à Christo acceperunt certò crediderunt, Ecclesiam rexêre, legesque ad ejus disciplinam spectantes condiderunt. De episcopis qui modò in Occidente sunt et communionem servant cum Ecclesiâ Romanâ, id vocari nequit in dubium, cùm inter fidei articulos habeant, potestatem hanc ex Deo habuisse per legitimam ordinationem, et cum eâ singuli in suis exerceant diœcesibus et communi consilio in conciliis. Græci quoque illi qui schisma sectantur auctore Photio incœptum, absolutum verò à Michaele Cærulario, Jacobitæ sive Syri, sive Armeni, sive Cophti, sive Abyssini, qui Dioscorum sequuntur in Chalcedonensi synodo damnatum, et ex Ecclesiæ sinu depulsum, ac Nestoriani, qui in Chaldæâ, Perside atque in variis provinciis Indiæ orientalis hæresim Nestorii in Ephesinâ synodo anno 431 damnatam tuentur, ii, inquam, omnes in Syriâ, Ægypto, Æthiopiâ, Armeniâ, Chaldæâ, Perside, aliisque remotis regionibus episcopos habent, qui se hanc per legitimam ordinationem à Deo accepisse potestatem credunt, eamque exercent. Id verò palàm facit undecimo, octavo, imò et quinto ecclesiæ seculo fuisse in toto terrarum orbe episcopos, qui hanc sibi adjudicarent potestatem, eamque à Deo esse certò existimarent. Fac enim deinceps hanc sibi usurpare cœpisse auctoritatem : vel omnes uno eodemque tempore unanimi consensu in id consenserunt; vel una priùs in Ecclesiâ hæc usurpari jura cœperunt, in cujus deinde sententiam aliæ successu temporis venêre. Quis verò convenisse refert episcopos omnes non solùm locorum distantiâ, et linguarum varietate, sed et omnimodà communione invicem separatos, qui de re hâc deliberarent, omnesque in hanc sibi usurpandam potestatem conspirarent? Fierine id potuit quin ulla tam numerosi conventùs, tamque mirabilis consensionis memoria remanserit? Neque credibile est unam Ecclesiam hanc sibi tribuere cœpisse potestatem quam aliæ deinceps sint imitatæ. Nam præterquàm quòd hujus novitatis nullum vestigium adest, quænam hæc fuit? Latina? Quis verò credat novitatem hanc nullo episcopo ac principe nullo obsistente et reclamante, in universam Latinam Ecclesiam induci potuisse? Quis dicat Græcos immani odio Latinos horrentes, Armenios, Cophtos, Abyssinos, Nestorianosque veluti hæreticos ab illis damnatos, voluisse ac potuisse sine ullâ oppositione novitatem ab illâ excogitatam amplecti, et quidem tantâ circumspectione, ut ne uni quidem vel ecclesiastico aut profano scriptori res nota fuerit, ut scriptis consignaretur? Itaque necesse est asserere ac omninò pro comperto habere, non aliam fuisse quinto seculo de auctoritate et potestate episcoporum universæ Ecclesiæ fidem atque sententiam, quàm ea quæ in Romanâ, in Græcâ, ac in totâ Orientali Ecclesiâ nostrâ hâc ætate viget. At eamdem sibi inesse credidêre ac usurpavêre potestatem episcopi omnes quarti, ac trium priorum seculorum. Notæ enim sunt leges sive canones à totius orbis episcopis conditi in concilio Constantinopolitano I, anno 381, et Nicæno I, anno 325. Nec opus est verbis, ut ostendatur, eâdem potestate sacros antistites usos fuisse illo eodem seculo in Galliâ, in Hispaniis, in Africâ et in Asiâ, cùm sint omnibus noti canones conciliorum Carthaginensium, Arelatensium, Eliberitani, Antiocheni, Neocæsariensis, Sardicensis, etc. Sed ne novatores nostri Lutherani, Calviniani, ac hujusce furfuris reliqui fingant, hoc seculo in quo pax Ecclesiæ concessa fuit, Ecclesiæ pastores hanc superbo quodam fastu sibi vindicare ac usurpare cœpisse potestatem, in medium proferemus priorum seculorum exempla. Mitto consilia celebrata in Africâ sub Agrippino et Cypriano, in Asiâ sub Firmiliano Cæsareæ episcopo, et quæ Stephanus in causâ rebaptizantium egit, aliaque concilia, in quibus canones pro Ecclesiâ regendâ conditi fuêre. Eusebius, lib. 5 Hist. Eccl., c. 24 et 27, scribit à Victore Romano Pontifice sub finem seculi secundi Theodotum tinum coriarium de Christo malè sentientem, ejectum ex Ecclesiâ fuisse, ortamque de tempore celebrandi Paschatis controversiam, indictis cùm Romæ, tùm alibi synodis, compositam ab eodem, ac Asiaticos Judaico more lunâ 13 Pascha celebrare perseverantes, à communione segregâsse; constitutiones denique ac canones, qui Apostolorum nomine circumferuntur,

partim ex apostolicis regulis, partim ex decretis synodorum primis temporibus ab episcopis celebratarum, originem trahere, celebriorum auctorum opinio est. Quæ sanè ostendunt ab hâc ætate nostrâ ad Apostolos usque, episcopos semper potestatem exercuisse decernendi disciplinam, Ecclesiæque leges condendi, ac certò credidisse Christum hanc eis pollicitum fuisse, ac per legitimam manuum impositionem contulisse. Id autem satis superque esset ad rem conficiendam, cùm verisimile non sit tot doctos sanctissimosque viros, qui Ecclesiis præfuêre, aut potestatem quam non haberent superbiâ et ambitione quâdam tribuere sibi voluisse, aut jura ignorâsse, quæ sibi competerent. Sed opus non est conjecturis. Nam Scriptura ipsa rem extra omnem controversiam ponit. Hæc enim, ut supra ex Paulo notavimus, positos esse à Deo in Ecclesiâ pastores, ait; Ecclesiæ autem pastores semper et ubique habiti sunt episcopi, quos Actorum 20, Spiritum sanctum posuisse legimus, *ut regerent Ecclesiam suam*. Potestas autem, quam loquimur, pastorum est, quibus pascendi Christi oves munus concreditum est, quibusque ligandi et solvendi, clavisque potestas promissa fuit. Atque hinc Richerii quoque refellitur hæresis, qui toti Ecclesiæ potestatem clavium collatam finxit, Petro verò, Apostolis et episcopis instrumentaliter et ministerialiter tantùm, seu quoad executionem.

Venio nunc ad alteram partem. Et quanquàm ex hucusque disputatis facilè patet episcopos jure divino esse non solùm christianâ plebe, sed etiam presbyteris et diaconis superiores, tamen, ut in re maximi momenti nil prætereamus, quod ad perspicuam illius dilucidationem conferat, novam demonstrationem afferemus. Principio verò animadverto ex supra allatis argumentis ostendi eamdem fuisse ab exordio, ac nunc est, Ecclesiæ formam, nec variationis initium designari à novatoribus posse; quibus quidem si addatur, Epiphanium, hæresi 75, et Aug. de Hær., num. 53, Aerium inter hæreticos recensere, quòd asseruerit *presbyterum ab episcopo nullâ differentiâ debere discerni*, hæreticos deinceps ob hanc opinionem Wicleffum, Calvinum, aliosque fuisse ab Ecclesiâ declaratos, facilè intelligitur Ecclesiam credidisse semper habere episcopos à Deo auctoritatem, potestatemque, quâ diaconis presbyterisque præsint. Nam novatores nostræ assertionis novitatem, imò et initium assignare nequeunt; nos verò demonstramus illorum sententiam, cùm primùm innotuit, continuò erroneam hæreticamque habitam fuisse atque damnatam. Sed videamus alia argumenta.

Occurrit primo loco ipsum *episcopi* nomen, quod cùm ab ἐπὶ, *super*, et σκοπέω, *considero*, aut *speculor*, originem trahat, idem sonat ac *superinspector*, et *speculator*. Episcopi nomine in veteri Testamento appellabatur, qui Levitis præesset, Esdræ 11, cap. 11, v. 22. Ab ethnicis diis suis, quos universarum rerum rectores putabant, istud idem nomen fuisse tributum, ostendit in annot. ad primum canonem apostolicum Beveregius testimoniis Homeri, Plutarchi et Hierodiani; ubi observavit etiam *episcopos* nominari consuevisse viros qui rebus administrandis præficerentur, idque ex Plutarcho in Numâ et Cicerone, l. 7, ep. 11, ad Atticum. Itaque vel ex ipso *episcopi* nomine constat his committi populorum ac fidelium regimen et præfecturam, quod ipse Paulus demonstravit, dùm Act. 20, v. 28, Ecclesiæ rectoribus dixit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei*. In Apocalypsi, cap. 2, episcopi vocantur *angeli* Ecclesiarum, non aliâ de causâ, nisi quia Evangelium annuntiabant, et eminenti præditi erant auctoritate. Angeli enim Dei nuntii sunt, et inter res creatas principem locum tenent. Itaque vel ipsum nomen dignitatem auctoritatemque designat.

Deinde ritus ipse quo ab Ecclesiæ exordio episcopi promoveri ad hujusmodi ordinem consueverunt, presbyteris gradu, dignitate ac potestate superiores esse demonstrat. Presbyter ab uno episcopo, episcopus verò à duobus vel tribus aliis ordinari debet; id verò, ex consuetudine semper ac ubique receptâ, et ex antiquâ ab Apostolis ortâ lege. Hanc enim inculcatam legimus can. 21 concil. Arausicani, can. 4, concil. Arelatensis, can. 4, concil. Nicæni I, can. 1, illorum, qui *apostolici* appellantur, ex eo quòd inter antiquas, apostolicas quoque nonnullas constitutiones complectantur, inter quas legem de ordinando episcopo à duobus vel tribus aliis, jure meritòque recensemus: tum quia, cùm hæc semper ac ubique locorum viguerit, nec ex novâ totius Ecclesiæ determinatione post Apostolorum ætatem constituta ostendatur, ex ipsis Apostolis derivata præsumitur; tum etiam quia hâc fuisse ratione ordinatum Timotheum Paulus, primâ ad ipsum datâ Epistolâ, per hæc verba significat: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*. Quæ sanè verba, præmissâ perpetuâ illâ et constanti totius Ecclesiæ consuetudine de episcopo à duobus vel tribus aliis ordinando, satis aptè interpretantur de electione et deputatione Timothei ad episcopatum per prophetiam, et de gratiâ quam in susceptione ordinis accepit ab episcopis cum impositione manuum collati. Nam episcoporum cœtus et collegium passim *presbyterium* appellatur; imò, cùm presbyterium Ecclesiæ senatum exprimat, nil aptius dici posse videtur ad cœtum episcoporum designandum. Si Ecclesia viventibus Apostolis ritu quodam splendidiori ac nobiliori episcopos ordinari præcepit, horum ordinem presbyteratu digniorem altioremque habuit, episcoposque à Deo presbyteris superiores constitutos ostendit.

Ac ita reverà esse jurisdictio illa demonstrat, quam semper, ac ubique in presbyteros exercuêre. Nam presbyteris à primis temporibus vetitum fuit de unâ in aliam parœciam migrare absque proprii episcopi permissione, can. 12 Apost., ac omnia ad nutum episcopi administrare jubentur, can. 33; quod et Tertullianus quoque asserit, lib. de Bapt., c. 17. Rursùs jus eis competit ordinandi presbyteros aliosque ministros, ut veterum omnium scriptorum, omniumque

antiquorum canonum consensu constat. Quamobrem hoc veluti certo et explorato principio constituto, Epiphanius adversùs Aerianos concludebat episcopos a Deo presbyteris superiores esse constitutos, quòd episcopi potestatem acceperint creandi presbyteros, non verò contra ; et Athanasius Iscarum accusatorem suum presbyterum fuisse negabat, quia à Colluto ordinem susceperat, qui non erat episcopus. Itaque si episcopi nomen inditum est, quo juxta Hebræorum, Græcorum, Latinorumque loquendi rationem, is indicatur, qui sacrorum supremus sit moderator, quique aliis ministris præsit, si ritus quo in hujusmodi ordinem cooptatur, eorum supra presbyteros dignitatem significat, si jus ab exordio Ecclesiæ habuit ordinandi, ac veluti sibi filios creandi presbyteros, si presbyteris aliisque ministris veluti subditis imperavit ; perspicuum argumentum est, episcopos à Deo institutos fuisse, ac eâ donatos auctoritate et potestate, quâ plebi, ministris, presbyterisque præsint et quoad regimen Ecclesiæ dominentur. Hinc à Dionysio Areopagitâ, de Eccl. Hierar., c. 5, episcopus divinus pontifex, cui presbyteri pareant, et ab auctore Const. Apost. l. 2, c. 18, et 26, episcopus, dicitur, qui omnium curam egerit, vocaturque credentium *Dux*, *Princeps*, *Rex*, atque *Dynasta*. Quis ergo dubitet quin episcopi sint, quibus jus pascendi, ligandi ac solvendi, claviumque potestas concessa sit? Ita sanè qui quinto et quarto Ecclesiæ seculo scripserunt, sentiebant, quamobrem Acriani oppositum docentes veluti novatores, ac hæretici ab hominibus habiti sunt, atque damnati, ac eamdem fuisse antiquiorum patrum fidem facilè patet. Africanam Ecclesiam id pro comperto semper habuisse, fidem faciunt Tertullianus et Cyprianus. Ille, lib. de Bapt., c. 17 : *Dandi* Baptismi *habet jus summus sacerdos, deinde presbyteri, et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem, quo salvo salva pax est.* Alter verò in Carthaginensi synodo, cui ipse præfuit, veluti rem omnibus exploratam asseruit : *Apostolis nos successimus eâdem potestate Ecclesiam Dei gubernantes.* Epist. 27 docet : *Ecclesiam super episcopos esse constitutam ;* et Ep. 65 ad Rogatianum : *Meminisse autem diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, episcopos Dominus elegit.* Palæstinæ ac Alexandrinæ Ecclesiæ eamdem fuisse sententiam, Origenes, et Clemens Alexandrinus testantur : nam ille, hom. 2 in Jerem., de se loquens presbytero, ait : *Plus à me exigi quàm à diaconis, ab iis verò plus quàm à laicis, plus rursùs ab his, quibus et super diaconos et super presbyteros commissum est regimen, et principatus ecclesiasticus.* Clemens autem lib. 3 Pædagogi, c. 12, *Alia præcepta*, inquit, *data sunt episcopis, alia diaconis ;* et lib. 6 Strom. : *Et hìc quoque in Ecclesiâ sunt progressiones episcoporum, presbyterorum et diaconorum.* Accedunt etiam Acta S. Ignatii martyris edita ab Usserio et Ruinartio, quæ habent, n. 4 : *Honorabant enim Sanctum per episcopos, presbyteros et diaconos, Asiæ civitates, et Ecclesiæ ;* Epist. Ecclesiæ Smyrnen. de martyr. Polycarpi, in quâ Smyrnensis episcopus S. martyr appellatur ; et demùm indiculi catalogum exhibentes episcoporum, qui Apostolis successêre, ab Irenæo, Tertulliano, de Præscr., Optato contra Donat., et Eusebio editi, in quibus cum Irenæo omnes sentiunt, episcopos Apostolorum esse successores, ab iis ordinatos esse, eorumque *ordinatione* et *successione* veritatem conservatam, et ad nos derivatam. Vide lib. 3 adv. hæreses. Quid plura? Ignatius quoque adest vir apostolicus, et qui Joannis Apostoli consuetudine usus fuerat. Is, epist. ad Magnesianos n. 6, episcopum præsesse Ecclesiis ait, ac Dei locum tenere, ad Trallianos n. 3. Eidem credentes subjectos esse oportere *tanquàm Jesu Christo :* et ad Philadelphienses, ait : *Attendite episcopo et presbyteris et diaconis :* ac infra *Sine episcopo nihil facite.* Quæ cùm ita sint, nemo non videt, omni ætate ac ubique terrarum semper in Ecclesiâ fuisse diaconos, ac presbyteros, præter plebem, qui episcopo veluti supremo rectori subjecti essent, ac episcopos habitos semper esse veluti Apostolorum successores et tanquàm ii, qui susceptâ ex Deo ab Apostolis, et ab iis ad eos derivatâ auctoritate, et potestate ecclesiam Dei rexerunt. Annon hæc satis superque sunt ad demonstrandum constitutam à Deo esse Hierarchiam ecclesiasticam, ac episcoporum ordinem, qui dignitate et potestate cæteris præemineret? Sed quæ Scriptura habet, rem extra omnem controversiam ponunt. Mitto Apocalypsis loca, quibus episcopos præfectos fuisse Ecclesiis declaratur, quibusque sublimi angelorum nomine eorum præstantia ac auctoritas significatur ; unus enim tantùm textus Actor. 20, ad rem conficiendam sufficiet : *Attendite vobis*, inquit Paulus Ecclesiæ pastoribus, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei.* Cùm omnium seculorum scriptores memoriæ prodiderint à Spiritu sancto episcopos per ordinationem jus pastoritium potestatemque habere ; cùm omnes ubique gentium episcopi hanc semper crediderint accepisse in ordinatione auctoritatem, potestatemque, quis dubitet, quin textus ille designet Deum Ecclesiam instituisse suam cum hierarchiâ, quam loquimur, et in quâ episcopi jus regendi ab ipso derivatum haberent?

Nec ullum nobis negotium facessunt novatorum adversùs tam apertam veritatem sophismata. Aiunt enim Scripturam, apertè docere eosdem fuisse Apostolorum ætate episcopos atque presbyteros, cùm presbyteri episcopi, ac ii vicissim presbyteri passim vocentur. Addunt præterea Clementem Romanum, Chrysostomum et Hieronymum non agnovisse inter episcopos atque presbyteros in primævâ institutione discrimen. Sed hæc facilè corruunt, si animadvertamus :

Primò, quid episcopi, quid presbyteri, quid diaconi nomen significet. De episcopo diximus supra ; ad diaconum, et presbyterum quod spectat, διάκονος Græcè, idem sonat ac Latinè *minister ;* πρεσβύτερος verò idem ac Latinè *senior*, quod aliquando ætatis, quandoque honoris et dignitatis nomen est. Nam ad honores dignitatesque ii eligi solent, qui ætate rerumque gerendarum experientiâ cæteris præstent ; quamobrem Romani orudentiores ad rempublicam admi-

nistrandam delectos patres *seniores*, eorumque collegium *senatum* appellare consueverunt. Hoc posito, munia expendentes episcopi facilè intelligemus, eos Christi et Ecclesiæ ministros fuisse ac senatum illum constituisse Ecclesiæ, cujus auctoritate et consilio omnia moderarentur. Igitur si aliquando diaconi, sive ministri appellarentur, ut aptè aliquod eorum munus explicaretur, atque seniorum vocabulo aptè itidem judicaretur viros esse, quorum cœtus stabilitum à Christo pro regendâ Ecclesiâ senatum denotet. Itaque demus aliquando Apostolos veteresque scriptores ministros, sive diaconos et seniores, hoc est, presbyteros vocâsse episcopos; quis inde inferat tres non fuisse in Ecclesiâ ordines, et episcopos eosdem fuisse ac simplices presbyteros, et diaconos? Constans, et perpetua omnium seculorum traditio, ac Scriptura ipsa apertè docet tres hujusmodi ordines in Ecclesiâ fuisse; poterant ergo episcopi ob ministerium quod exercerent, vel senatum quem constituerent, Ecclesiæ ministri, ac seniorum nomine donari, quin ab eâdem excluderentur Ecclesiâ inferiores diaconorum et presbyterorum ordines; non secùs ac Barnabas, Andronicus, Junias, aliique à Paulo apostoli appellantur, ob munia quæ subiêre, quin nos cogant Apostolorum numerum augere. Mirum id non erit iis qui statuant tunc rem fuisse omnibus exploratam, quo casu, ex promiscuâ illâ appellatione nulla oriri poterat confusio; ut in præsentiâ apud catholicos nulla ambiguitas ac confusio nulla occurreret, si episcopi, vel Ecclesiæ ministri, aut presbyteri nomine in datâ aliquâ occasione appellarentur, ut passim contingit. Imò nequidem demonstratæ assertioni obesse posset, etsi ostenderetur aliquando presbyteros vel diaconos, superinspectores seu episcopos fuisse vocatos, cùm munus aliquando iis demandari potuerit, ob quod speculatores inspectoresque dici potuissent. Hinc Theophylactus in Epist. ad Philip. scribit etiam presbyteros dici episcopos posse, *quòd etiam ipsi populum inspiciant, ut purgent et illuminent; sed alia esse episcopi officia, non enim presbyteri ordinant.* Itaque ex hujusmodi nominibus in personæ dignitatem cadentibus, non in munia quæ exercerent, ordinis discrimen argumentamur; quo in sensu semper diversos à Deo in Ecclesiâ institutos ordines designârunt.

Deinde si statum spectemus nascentis Ecclesiæ, haud difficile erit conjicere Apostolos in novis constabiliendis Ecclesiis episcopos tantùm cum diaconis constituisse, qui crescente deinde fidelium numero atque Ecclesiâ exigente, presbyteros ordinarent, quos vel minoribus urbibus destinarent, aut juxta eorum gradum in ministerii partem adsciscerent. Quod quidem ab Apostolo ad Tit. 1, v. 4, indicatum arbitror, cùm dixit: *Hujus rei gratiâ constitui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Nec quidpiam asserere vetat plures quoque in unâ eâdemque urbe, dùm idoneos viros reperissent, ordinare consuevisse episcopos, ut paratos haberent idoneos antistites pro novis quas fundarent Ecclesiis. Quid ergo prohibet hâc nos viâ Scripturæ textus exponere, in quibus episcopi tantùm cum diaconis mentio occurrit, ut Epist. ad Timoth., c. 3, et alibi, et ubi plures in eâdem urbe reperiuntur episcopi: ut ad Phil. 3, v. 1, et Act. 20. Hæc sanè attentâ Ecclesiæ illius ætatis conditione et ætate illâ, in quâ nondùm institutæ essent diœceses, verisimilia videntur. Cur ergo ad illorum Scripturæ locorum expositionem afferi non poterunt quæ Puritani opponunt?

Hæc ad Scripturam quod attinet. Eâdem ratione exponi possunt, quæ ex Clemente Romano objiciunt, qui in Epist. ad Cor., n. 42, scribit Apostolos per regiones constituisse viros probatæ fidei in *episcopos et diaconos eorum qui crederent essent.* Eò vel magis, quia in eâdem Epist. presbyteros ab episcopis apertè distinguit. Nam n. 1 mandat ut reverentiam exhibeamus Ecclesiæ *præsulibus, et honorem presbyteris;* n. 21: *Præpositos nostros revereamur, et presbyteros nostros honorenus*; et n. 49, hæc scribit: *Summo sacerdoti sua munera tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius assignatus est, et Levitis sua ministeria incumbunt, et homo laicus præceptis laicis constringitur.* De Chrysostomo pauca dicenda sunt; is enim nil aliud contendit, nisi episcopos, presbyteros et diaconos aliquando appellatos fuisse, Hom. 1 in Ep. ad Philip. et 11 in 1 ad Timoth., et suâ quoque ætate episcopos nonnullos scribere consuevisse *compresbytero, et condiacono nostro*, etc. Discrimen verò aliquod inter eosdem statuit, ac Episcopis ordinandi jus tribuit, quod negat presbyteris. Etiam Hieronymus eadem habet, Epist. ad Evagrium, dùm dicit: *Quid enim facit episcopus, exceptâ ordinatione, quod presbyter non faciat?* Dùm verò ad diaconorum petulentiam coercendam asserit, initio Ecclesiæ communi consilio episcopos et presbyteros omnia rexisse, *postea verò unum fuisse electum qui cæteris superponeretur*, innuit tantùm presbyteros ab episcopis in sollicitudinis partem initio admissos fuisse ut Apostoli seniores in sollicitudinis partem vocaverant; postea verò crescente fidelium numero satiùs duxisse ad schismata removenda cæteris unum præficere, ita ut plura episcopus statueret ac præciperet, presbyteris inconsultis. Sed quid ambigua unius Hieronymi sententia tam perspicuæ veritati obesse potest? Præsertim cùm eâ Scripturæ expositione nitatur, quæ ex superiùs à nobis notatis omninò dubia et incerta demonstratur.

Itaque Christus ita Ecclesiam instituit suam, ut hæc plebe constaret, quæ ovium nomine designatur, ac ministris et presbyteris, qui etiam pastoribus subessent, quos episcopos posuit ad regendam Ecclesiam, quibusque etiam legis ferendæ potestatem fecit. At hìc eorum occurrit oppositio, qui Optati et Chrysost. auctoritatem urgent asserentium, Ecclesiam instar collegii esse in republicâ; unde inferunt non alia ei competere jura, quàm quæ Cujacius, Gottifredus, aliique jurisconsulti collegiis competere exponunt. Sed quorsùm hæc? Annon Optatus et Chrysostomus fatentur, Ecclesiæ pastoribus à Deo jus circa sacra, et pro decernendâ Ecclesiæ disciplinâ concessum? Nil ergo

ex horum sententiâ auctoritati obest Ecclesiæ, eam instar collegii in republicâ constituere, dùm illius collegii naturam servet, quod Christus instituit, in quod et principes et reges cooptari possint, ac cooptati, oves fiant pastoribus eorumque legibus subditæ. Hìc non de nominis appellatione, sed de jure quod sit à Deo Ecclesiæ concessum, deque præscriptâ ab ipso Ecclesiæ formâ disputamus. At Deus Apostolos delegit, et discipulos ac episcopos Apostolorum successores. Hos omnium, quotquot Christi fidem susceperi essent curam habere voluit, eaque iisdem jura dedit, quibus pro locorum et temporum varietate leges aptas conderent ad spirituale bonum promovendum, pœnas in transgressores sancirent, ac contumaces è communione dejicerent. Dùm hæc sarta tecta maneant, parùm obest quin in republicâ esse dicatur, quin appelletur collegium. Quâ appellatione donari hoc sensu poterit, quod christiani in hoc terrarum orbe, et in republicâ, peregrinorum instar, eorum more vivant, qui cursum absolvere studeant, ut virtutum apparatu instructi ad optatam patriam perveniant, cùm eorum sit finis æternæ felicitatis, et gloriæ consecutio.

Propositio VI. *Suprema in Ecclesiâ potestas in Romano Pontifice Petri successore residet, ejusque auctoritati omnium episcoporum jurisdictio subjecta est.*

Propositio hæc variis argumentis adversùs novatores et schismaticos à theologis demonstratur. Nos verò cum eo unico fine de eâ tractemus, ut notum sit, in quo resideat suprema erga sacros ritus in Ecclesiâ potestas, atque ut clarè sit explicatum orthodoxum circa hujusmodi disciplinam systema, indicabimus tantùm, unum vel alterum momentum, quo dogmatica hujusmodi assertio demonstrari solet. Primum itaque constat, Romanum Pontificem Petri successorem esse, tum quòd nullus unquàm fuerit episcopus præter Romanum, qui se Petri successorem prædicaverit, tum etiam, quia id exploratum est ex perpetuâ et constanti omnium seculorum traditione, scilicet, ex Irenæo, Tertull., lib. de Præscr., c. 36, Cypriano, lib. 1, epist. 3, Epiphan., hæresi 26, August., aliisque. Constat verò ex sacris litteris, Petrum peculiari prærogativâ fuisse donatum, per quam in fratres, hoc est, in episcopos omnes jurisdictionem habuit. Christus enim non solùm populi, sed etiam fratrum ei curam commisit, dùm Lucæ, c. 22, v. 32, ait : *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Dùm Joan. 21, v. 15 et seq., eum jubet non solùm agnos, sed etiam oves pascere, hoc est, non solùm populum, sed etiam fratres, sive episcopos, ut Chrysostomus in hunc locum interpretatur, et post ipsum Theophl. et Bernardus, lib. 2, de Consideratione. Dùm denique Matth. 16, v. 18 et seq. inquit : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcumque ligaveris super terram,* etc. Non est qui non videat, hìc ob singularem à Petro factam de Christi divinitate confessionem singulare ei privilegium fuisse collatum, in eo situm, ut Christi Ecclesia supra ipsum tanquàm supra firmam petram fundanda ac stabilienda esset : ut Petro eam regente, portæ inferi prævalere non possent; et ut denique in omnes omninò jurisdictionem haberet, quæ singulari ei concessâ clavium potestate designatur. Ne verò ullus ambigendi sit locus, notare hìc necesse est, Christum Syriacè locutum dixisse Petro, tu es cepha, hoc est, petra, et petra quoque legitur in textu Græco : quamobrem dubitari non potest, quin Petrum, petram voluerit esse illam, supra quam Ecclesia fundata est. Deinde notum est, hanc jurisdictionem, quæ Petro collata fuit, ut necessariam ad conservandam in Ecclesiâ fidei, cultûs, et disciplinæ unitatem et ordinem, Romanos Pontifices semper exercuisse. Patet id ex eo quòd initio secundi seculi Marcio hæreticus à proprio episcopo in Ponto excommunicatus, Apostolicam Sedem adierit, ut illius auctoritate Ecclesiæ communioni restitueretur; quod circa finem ejusdem seculi, ortâ in Asiâ controversiâ circa diem, quo Pascha celebrandum esset, causa delata sit ad Victorem Romanum Pontificem, ut ipsius auctoritate scandala ex Ecclesiâ amoverentur, ac circa hujusmodi disciplinæ caput unitas in Ecclesiis omnibus conservaretur; quod denique tertio Ecclesiæ seculo, contendentibus Firmiliano in Asiâ, et Cypriano in Africâ, baptizatos ab hæreticis esse iterùm baptizandos, Stephanus Romanus Pontifex eos ad servandam hâc de re antiquam traditionem, etiam excommunicationis minis obligare voluerit.

Hæc satis sunt ad ostendendum jurisdictionem quam Romanus Pontifex in Petri personâ, cujus successor est, accepit etiam tribus prioribus seculis, ut rerum circumstantiæ ferebant, in universam Ecclesiam exercuisse. Hujus autem rei luculentiora et frequentiora suppetunt in sequentibus seculis exempla. Hinc inprimis in Oriente celebratis conciliis omnium Patrum consensu, tanquàm primas et Ecclesiæ caput, et supremus rector habitus est, ut ex eorumdem actis liquet; et ut alia mittam, in Florentinâ synodo, Græcis etiam consentientibus, decretum prodiit quod sequitur : *Definimus sanctam apostolicam fidem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium.*

Atque hinc patet solum Romanum Pontificem posse universæ Ecclesiæ præscribere ritus, atque stabilitos et universim receptos mutare, aut circa eorumdem usum dispensare. Reliqui verò episcopi, etsi dispensare, vel mutare possint ordinariâ auctoritate ritus quos ipsi vel eorum prædecessores in usum propriæ diœceseos constituere, ut jejunia, dies festos, processiones, etc., tamen circa ritus, vel ab Apostolicâ Sede constitutos, vel in conciliis generalibus præscriptos, aut Ecclesiæ universæ Orientalis vel Occidentalis usu et consuetudine comprobatos, nihil nisi ex delegatione seu concessione Apostolicæ Sedis innovare possunt. Quamobrem concil. Trid. sess. 7, can. 13, ait : *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramento-*

rum aamnistratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

Igitur ex Ecclesiæ præcepto in solemni sacramentorum administratione quisque tenetur ritus receptos et approbatos adhibere. Quamobrem graviter peccant, qui eosdem omittunt; si etiam contemnant, vehementer hæreseos suspecti habendi sunt; hæretici verò, si contendant et teneant sine peccato omitti posse pro libito, vel à quolibet ministro mutari. Jure itaque meritòque Apostolica Sedes missionarios illos improbavit atque reprehendit, qui in Madurensi, eique finitimis regnis vel ex præsumptâ cujusdam episcopi dispensatione, aut propriâ auctoritate in solemni baptismi administratione omittebant insufflationes, salivam, unctionesque, quòd hujusmodi gentes ante dictas cæremonias horrerent. Ritè autem omittuntur durante dispensatione Apostolicæ Sedis, quam ad mitationem suorum prædecessorum, etiam sanctissimus D. N. Benedictus XIV ad decennium concessit, ut infra indicabimus.

CAPUT V.

Romanæ ataue catholicæ Ecclesiæ ritus à superstitionis notâ vindicantur.

Ritus superstitiosi sunt, vel superflui sive vani, vel falsi aut idololatrici, ut nobiscum novatores fatentur. Romana autem atque catholica Ecclesia, nec probat, nec usurpari patitur ritus qui ad unam ex illis tribus superstitionis speciebus referantur. Nam ritus hujusmodi damnat, atque animarum pastoribus præcipit et inculcat, ut circa sacras cæremonias populum Christianum instruant, ne ex abusu inutiles fiant; atque omnes ex Ecclesiæ institutione et eo fine adhibitæ, quo ipsa cæremoniis uti præscribit, ea quæ verè Deus revelavit, menti offerunt, et ad Dei gloriam semper referuntur. Id legentibus rituales libros quos Ecclesia probat, fit illicò manifestum : quippe in iis nulla præscribitur actio quæ ordinata et decens non sit, atque apta ad ea menti offerenda, quæ per ipsam Ecclesia significare vult; nullæ sunt preces, quæ ad Deum, ut supremum rerum omnium largitorem, non referantur. Si ita ritus nostros expenderent novatores, non adeò faciles essent ad damnandum distinctas sacrorum ministrorum vestes, cantum in psallendo, non vernaculæ linguæ usum in sacris liturgiis, candelarum usum, thurificationes, lustralem aquam, *Agnus Dei*, etc., quæ sacramentalia vocantur, consecrationem Ecclesiæ et altarium, benedictiones seu baptismos ut vocant, campanarum, et alia hujus generis.

Sed videamus quàm sint hâc in re inepti novatores. Quis ignorat sacras vestes ad gloriam decoremque divini cultûs pertinentes in veteri Testamento commendari? Videatur Exod. 28, 1 Reg. 2. Neque in Christi Ecclesiâ recenter inventas esse, jure clamant. Nam Nazianzenus orat. 2, *sacerdotalem stolam*, conc. Læodicenum psallentis Clerici *orarium*, et Eusebius, Hist. eccles., c. 24, ex Polycrate Ephesino, Pontificale refert πέταλον, hoc est vittam, sive laminam appellatum, quo Joannes Apostolus utebatur. Rursùs Stephanus ad pontificatum evectus, jussit ut sacerdotes et levitæ *vestibus sacris* uterentur. Sigebertus arguit Vandalos ad annum 451, quia vestes sibi fecerant *ex sacris palliis et vestibus*, ac similia de Genserico illorum rege narrat Victor Vitensis. Sacra vestimenta laudant Hincmarus, Ratherius Veronensis, Cyrillus Hierosolymitanus, apud Sozomenum, lib. 4, c. 24, aliique. Exstat præterea vetus pictura in cœmeterio Priscillæ exprimens S. Pii I, et Pastoris presbyteri sacra indumenta, ut videre est apud Aringhum, Rom. Subter. tom. 2, pag. 305, et Blanchinium in not. ad Anastasium. Ciampinus quoque in Disquisitione de duobus emblematibus sacras vestes delineat ex vitreo orbiculo ætatis, ut ipse opinatur, duorum Philipporum, qui consules fuêre ann. 247, sedente Fabiano in Cathedrâ Petri.

Neque psalmodiam et cantica, quæ adhibemus, jure reprehendunt. Annon legimus apud Paulum ad Ephes., v. 19 : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino?* In quæ verba Hieronymus habet : *Sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur.* Rursùs quis ignorat cantum alternatim in Ecclesiâ à primis temporibus usurpari cœpisse? Id Ignatium instituisse in Antiochenâ Ecclesiâ habetur in actis martyrum ab Usserio et Ruinartio editis, p. 8, scribitque Socrates, lib. 16, c. 8. Auctor verò q. ad Orth. inter opera Justini edit. Peironii, p. 60, ait : *Retentum* in Ecclesiâ cantum, *quoniam movet animum ad ardentem cupiditatem rei, quæ in cantibus delectat, sedat motus, qui in carne excitantur.* Augustinus lib. 9 Confess., c. 7, Ambrosium laudat, quòd secundùm morem Orientalium instituerit, ut psalmi et hymni canerentur, *ne populus mœroris tædio contabesceret.* Ut alia verò mittam, Lucianus ipse in Philopatro conviciatur Christianis *ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantibus.* Et C. Plinius in epistolâ ad Trajanum, de quâ Tertullianus, c. 2, Apolog., Euseb. lib. 3, c. 33, et Hieronymus in Chronico, refert de Christianis, *quòd soliti essent ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Adeò hæc clara sunt, ut Novatores in dubium revocare non possint. Ne verò abusus qui in hujusmodi cantibus occurrunt vitio nobis vertant, sciant necesse est, Romanam Ecclesiam docere, hortarique episcopos omnes, ut quoad fieri possit, abusus hujusmodi de medio tollantur. *Hoc*, inquit Benedictus XIV, de synodo Diœc., lib. 11, c. 7, *hoc procul dubio ad episcopi officium pertinet, ut synodalibus decretis ecclesiasticæ musicæ rationem, quatenùs in diœcesi suâ opus esse cognoverit, ad certas regulas exigat atque componat; ut corda fidelium ad pietatem excitet, non aures solas, sicut fit in theatris, inani voluptate demulceat.* Videatur integrum caput, in quo encyclica ab ipso edita ac t. 3 Bull., n. 3, impressa laudatur; usus deinde improbatur eorum, qui sine necessitate, ac solo ecclesiæ in cantu serviendi fine excitantur : atque hominum cantum, aliaque in ecclesiâ tolerari asseritur, quæ tolli non possent, quin pastores, quibus *populorum amor ad munus suum utiliter gerendum maximè necessa-*

rius est, eorum animos à se ultrò abalienare, sibique molestias et offensiones sine causâ parere velle videantur. Porrò in Encyclicâ illâ episcopis ditionis ecclesiasticæ jubet, ut *organo, aliisque nonnullis instrumentis retentis, ea duntaxat ab ecclesiarum choris eliminare studeant, quæ theatralibus ludis potiùs quàm sacris locis et actionibus convenire videntur.*

Sed aiunt, quorsùm psallere, ac sacras liturgias incognitâ linguâ celebrare? Quid enim inde fructus ac spiritualis alimenti plebs christiana percipiet, quæ verborum sensum non tenet? At facilè patet Novatores hæc objicientes antiquam et universalem Ecclesiæ consuetudinem ignorare. Nam exploratum est, ex iis quæ de Orientalium ritibus disputaturi sumus, non solùm Latinos, sed etiam Orientales omnes psallendo, ac sacra perficiendo linguam, quæ vernacula non est, adhibere. Græci, Armeni, Syri, Chaldæi, Cophti, Æthiopes, Orientales denique omnes ab antiquis temporibus linguâ sacra faciunt, quæ vernacula non est. Imò facilè quoque ostendi potest, vel à primis temporibus id fuisse in more positum. Nam cùm Latina tantùm, et Græca lingua universim sacra fierent Apostolorum ætate, ac sequentibus inde temporibus, quis dicat in totâ Africâ Romano subditâ imperio, Latinam linguam, quâ sacra ibi fiebant, populo plebique fuisse cognitam? aut notam fuisse toti plebi Orientis Græcam linguam, quæ generatim in regionibus illis, adhibebatur? Aliud itaque est de privatis, aliud de publicis orationibus asserendum. Dùm de privatis loquimur, conveniens est ut quisque proprio ac sibi explorato idiomate loquatur, sed ubi de publicis agitur, satius est publico uti ore, atque Ecclesiæ spiritu duci, quam certò scimus nobiliori intentione dirigi, sublimioribusque verbis loqui, quàm possit excogitare universorum hominum ingenium, vel eloquentia. Rursùs semper fuêre in Ecclesiâ pastores, qui ex officio explicare populo tenerentur, quæ in publicis Ecclesiæ functionibus repræsentantur, et fiunt. Nec defuerunt Ecclesiæ causæ, quæ ad hanc servandam disciplinam impulerint. Prima est, ut faciliùs unitas servetur, quæ linguarum varietate, ob maximam quæ inde sequeretur confusionem, facilè perderetur. Et sanè quæ confusio non esset, si omnes, qui Romanæ Ecclesiæ ritum servant, patrium sermonem adhiberent? Ubi tum esset mutua illa in sacris communio inter Hispanos, Gallos, Germanos, Polonos, Italosque, quæ in præsentia viget? Secunda causa fuit, quia vernaculæ linguæ ob aliarum gentium incursiones mutationi, ac perpetuæ vicissitudini subsunt; in sacris autem has novitates admittere non convenit, ob simpliciores, qui novitatibus facilè turbantur. Atque hinc tertia quoque causa patet, quia ex tot, quæ fierent sacrorum librorum versiones, vix novitates, dissidia, erroresque caveri possent, quæ res passim inde sequuntur. Hæc itaque in causâ fuêre Ecclesiæ, ut antiquâ, et quæ variationi non subsit, linguâ à ministris sacra fierent, quibus tamen præcepit, ut populis, quæ scitu sunt necessaria, explicarent.

Quoad cereorum usum, sat erit afferre quæ Hieronymus adversùs Vigilantium disputavit l. 2: *Quicumque accendunt cereos, secundùm fidem suam habent mercedem. Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Unde et virgines illæ evangelicæ semper habent accensas lampades suas. Et ad Apostolos dicitur: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Itaque non ad fugandum tenebras tantùm, sed in typum spiritualis luminis, et ad ostendendum lumen nobis ex Evangelio datum, unde spiritualis lætitia est, cerei adhibentur, et quidem ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, ut ex Nazianzeno contra Julianum invectivâ 2, aliisque antiquis scriptoribus constat.

De thuris usu pauca dicemus. Hujus rei exempla passim in veteri Testamento occurrunt, ex novo verò Lucæ 1, et Apocalyps. 8. Atque à Christianis adhiberi solet, ut orationis est symbolum divinique cultûs. Hujusce usûs mentio fit can. 3 apost., à Dionysio, de eccles. Hierarchiâ, c. 3, in Act. 3; Conc. Chalced, ab Ambrosio l. 1, in Lucam; et ex eo constat etiam quòd antiqua sint in Ecclesiâ thymiamateria, seu thuribula, cùm Anastasius in Sylvestro dicat duo aurea dedisse Constantinum Lateranensi basilicæ.

Aspersio lustralis aquæ, quæ interioris ablutionis est symbolum, et per Ecclesiæ preces sanctificata plurimùm valet ad dæmonem expellendum, obtinendamque supernam benedictionem, instituta ab Apostolis ostenditur à Baronio, Bonâ, Bellarmino et Blanchino in notis tom. 2, Anastas., p. 83. Illius mentio habetur lib. 7, c. 44, Const. Apost., apud Synesium epist. 121; Theodoret. lib. 1, c. 21, Hist. eccl., ubi narrat à Marcello Apamenorum episcopo sparsâ aquâ benedictâ fugatos fuisse dæmones, et apud Hieronym. in Hilarione, 2 parte, tomo 9, ubi refert dissipatas ejusdem aquæ aspersione ethnici aurigæ præstigias. Hæc satis sunt ad ostendendum semper, ac ubique obtinuisse. Sed quid, si dicamus de novo fuisse ab Ecclesiâ institutam? Satis enim superque probavimus hanc à Christo inditam ei esse potestatem.

Ad alias benedictiones quod spectat, satis notæ sunt in antiquâ disciplinâ *eulogiæ*, panes scilicet benedicti, quos in communionis tesseram fideles invicem mitterent. Cujus rei mentio occurrit in can. 24 conc. Laodiceni, in lib. 1, de pecc. Merit. et Remiss. apud Augustinum, et in Sulpicii Severi Hist., in S. Paulini Epistolis, aliisque antiquis Ecclesiæ monumentis.

Cinerum quoque, palmarum cereorumque benedictionem antiquæ Ecclesiæ commemorant. Scilicet usus cinerum in ijs aspergendis qui publicam pœnitentiam agerent, memoria exstat apud Tertullianum, Cyprianum, Ambrosium, et in can. 63 concil. Agathensis. Quid ergo mali est, horum usu mortis memoriam homini offerre, atque ita ad pœnitentiam excitare? Palmarum benedictio, quarum usu triumphalis Salvatoris nostri ingressus in urbem Hierusalem in memoriam revocatur, et quæ pro pacis gratiæque symbolis habentur octavo certè seculo antiquior est,

cùm hujus cæremoniæ memoria exstet in Sacramentario Gregorii Magni, ac in vetusto quodam calendario à Martenio edito, cujus sententiâ codex ante quintum seculum exaratus censetur, mentio fiat *Dominicæ in Palmis*. Cerei quoque paschalis usus et benedictio ex antiquis ad nos derivavit. Sigebertus in Chronico, Leo Ostiensis, Amalarius, Rupertus, et alii Zosimum Papam paulò post initium quinti seculi institutorem faciunt; sed rectè observat Baronius ad ann. 418 hujus cerei usum Zosimo antiquiorem fuisse, cùm Anastasius ac Liber pontificalis tradant constituisse Zosimum, ut cereus, qui accendi tantùm solebat in basilicis, benediceretur, ac adhiberetur in parœciâ. Accenditur paschalis cereus ob memoriam resurrectionis Christi; conc. Tolet. IV, et ob evangelicæ fidei et gratiæ splendorem.

Superest nunc ut pauca dicamus de cereis benedictis Agni imaginem præ se ferentibus, qui vulgò *Agnus Dei* vocantur. Hujusmodi imagines *Agni* ex cerâ purâ et virgineâ confectæ, symbolum habentur Agni immaculati Christi Jesu, qui absque ullâ contagione ex Virgine prodiit. Non immoramur in eorum demonstrandâ antiquitate, etsi scimus Vincentium Bonardum, Gretserum, lib. 2, de Benedictione, aliosque quinto seculo antiquiores esse demonstrare; sat enim nobis est à pluribus seculis in usu esse atque à summis Pontificibus solemniter benedici, ac maximâ cum devotione à fidelibus suscipi solere, ob symbolum Christi Jesu, quod exhibet, et quia à summis Pontificibus benedicuntur, ac fidelibus commendantur, ut ob Ecclesiæ preces benedictionesque eorum delatione ex Christo imperii dæmonis eversore se maximum adversùs dæmonis insidias habere confidant præsidium. Si causam institutionis quam Baronius affert expendamus, nil hâc cæremoniæ institutione prudentius Ecclesiam agere potuisse comperiemus. *Christianos*, inquit ille, *ex bullis ethnicorum, quas parvulis suis fascini avertendi causâ appendebant, occasionem sumpsisse ut recens baptizatos bullis, sed sacris insignirent, superstitione in religionem mutatâ.* Hæc institutionis causa fuit, nec iis agnis vim ullam intimam esse credimus, sed quidquid ex illorum delatione optamus, ex Christo, cujus præ se imaginem ferunt, et ex publicis Ecclesiæ precibus institutâque ab ipsâ cæremoniâ obtinere confidimus. Quid in hoc superstitionis est? Ecclesiæ sanè hujusmodi instituendi cæremonias jus à Deo concessum esse demonstravimus, atque æqua et sancta fuit ejusdem in hâc institutione œconomia. Maximum Ecclesiæ præsertim Romanæ semper studium fuit, ut Benedict. XIV, lib. 13, de Synodo diœcesenâ c. 17, observavit, *ut publicis offensionibus et scandalis consultissimum aliquando remedium adhiberet, studens criminosis quibusdam actionibus alias substituere rectas cœlestique præmio dignas; atque ita Religionem impietati subrogavit, sanctâque metamorphosi inductâ, quod improbatum erat immutavit. Nemo non scit, quid essent Lupercalia, quæ ab Evandro, ut ferebatur, instituta, mense februario celebrabantur. Ut autem probabilis fert opinio, à S. Gelasio I, Pontifice sæculo V, proscripta fuerunt, subrogatâ in ipsorum locum piâ supplicatione, quæ festo die Purificationis B. M. V. ab Ecclesiâ habetur.* Atque hinc alterius quoque cereorum benedictionis origo detegitur, et illius usus cùm institutione, tùm etiam objecto atque fine rectus ac sanctus demonstratur.

Præcipua eorum argumenta ad quatuor capita facilè revocantur : primum quòd cæremoniarum pleræque ex Synagogâ aut ex idololatrâ gente originem trahant; præterea, quia, ut ostendit Claudius Vert, vestes, cerei, thura et alia ejusdem generis ex necessitate vel usu locorum primùm fuerunt usurpata, ac deinceps veluti cæremoniæ habita sine institutione ullâ; deinde, quòd earum quamplurimæ ad augendum interiorem Dei cultum nullo modo conferant, adeòque inutiles sint, plures verò omninò falsæ, cujusmodi sunt illæ quæ vel purgatorium, vel transubstantiationem, aut aliæ, quæ dogmata significant quæ ipsi respuunt. Denique idololatriam saltem imperfectam inesse putant in usu et cultu sacrarum imaginum et reliquiarum, atque in invocatione sanctorum.

Sed si, ut par est, exponatur doctrina quam orthodoxa tradit Ecclesia, hujusmodi sophismata illicò corruunt. Ad primum quod spectat, satis superque ostendimus, proposit. 4, cap. 1, sacros ritus superstitionis insimulari non posse, quòd antea superstitiosi cultûs cæremoniæ fuerint, si deinceps legitimâ auctoritate, mutato significato et fine, ad obsequium cultumque veri Dei promovendum augendumque referantur. Ex objecto enim et fine sacri ritus metiri debent. Ita verò præscribi atque usurpari ab orthodoxâ Ecclesiâ cæremonias, quæ antea vel ab Hebræis, vel à gentibus adhibebantur, eas ritè expendenti manifestum fit.

Ad secundum, aio turpiter errâsse Claudium Vertium, si putavit nullam omninò fuisse in ecclesiasticis cæremoniis mysticam et symbolicam significationem, sed ob ministrorum commodum, locorumque consuetudinem fuisse institutas; ferri verò ipsius opinionem posse, si contendat prædictis ex causis nonnullas originem habuisse, sed retentas deinceps, ac in sacrorum usu conservatas, ob mysticam symbolicamque, quæ eisdem deinceps accesserit ex instituto Ecclesiæ significationem. Quæ quidem significatio in omnibus adest, ac plerùmque per preces exprimitur, cum quibus conjungi debent, aliquando indicatur in rubricis, quæ eorumdem usum præscribunt, quandoque verò ipsæmet actiones à sacris ministris expressæ cogitationes in christianorum mentibus excitant divinum cultum foventes.

Ad tertium respondemus, catholicam Ecclesiam, ritus qui inutiles seu supervacanei sint, omninò damnare, atque animarum pastoribus præcipere, ut supra etiam innuimus, ut christianum populum circa sacros ritus instruant, ne ex negligentiâ vel abusu inutiles vanique fiant. Neque falsos ritus Ecclesia nostra probat. Quippe dogmata illa, quæ novatores respuunt, quoque Ecclesia cæremoniis suis fidelibus credenda inculcat, ab ipsis Apostolis, ex quibus ipsa descendit, et à quibus fidei depositum habuit, accepit;

et ante duo secula etiam novatorum hominum majores eadem dogmata cum Ecclesiâ profitebantur, quæ reverà dicitur, et est Apostolica, non verò Reformata, vel Calviniana, vel Anglicana, vel Lutherana, aut alio denique nomine appellata, quo novatorum sectæ designantur.

Venio nunc ad tertium caput. Neque circa usum cultumque sacrarum imaginum, et reliquiarum, ac invocationem sanctorum quidquam occurrit quod jure novatores reprehendere valeant, si ritè intelligant doctrinam quam catholica exponit Ecclesia. Incipiamus ab imaginum usu : sacras imagines vocamus, imagines Christi, Deiparæ et sanctorum hominum, aut eas quæ exprimant angelos, æternum Patrem, aut Spiritum sanctum eâ formâ sub quâ prophetis vel aliis sanctis hominibus sacræ Scripturæ apparuisse indicant. In iis verò quid est quod reprehendi possit? Non imago ipsa : quippe de se mala non est, nec lege ullâ prohibita. Non usus : nam in memoriam revocat hominum Christum Dominum, et ea quæ Christus pro nobis egit, aut sanctissimam ipsius Matrem, vel sanctos homines quos Deus ob insignes virtutes cœlesti glorià donaverit, aut denique sacræ Scripturæ historias, in quibus ea narrantur quæ apparitiones in figurâ corporeâ vel Dei aut angelorum exhibent, vel quæ Deus pro nostrâ salute fecit. Quid in iis novatores reprehendendum offendunt? An non utiles sunt cogitationes quas in hominum mentibus excitant? Nemo sanè negat utiles esse reipublicæ imagines, quæ antiquas historias exprimant, quarum memoria regendæ reipublicæ utilis sit, et quæ res gestas designent illorum hominum, qui fuerunt de eâdem republicâ optimè meriti, ut cives ad illos imitandos provocentur. Cur ergo utiles non erunt imagines, quæ hominum memoriæ offerant factas à Deo, sub certâ figurâ apparente, sive per angelos suos humanâ formâ donatos, revelationes, aut collata humano generi beneficia; quæque considerationi nostræ subjiciant Christum Salvatorem nostrum, Matrem ipsius, sanctosque homines, qui nobis exhibent veræ virtutis exempla, qui nos movent ad fidem illam profitendam, pro cujus defensione subiêre supplicia, quique spem in nobis fovent illius beatitudinis quam ii divinâ gratiâ, veluti laborum mercedem, sunt consecuti? En imaginum usus, ut Romana Ecclesia præscribit. Videatur Tridentina synodus, sess. 25 : *Illud verò*, inquit, *diligenter doceant episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis vel aliis similitudinibus expressas, erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assiduè recolendis; tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, non solùm quia admonetur populus beneficiorum et munerum quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam.*

Aiunt verò imaginum cultum idololatriam esse, ideòque illarum usum illicitum, quòd ad idololatriam provocet. At injuriâ id asserunt. Sacrarum enim imaginum cultus, quâ ratione à Tridentinâ synodo præscribitur, omnis superstitionis suspicione caret. Nam hæc mandat Ecclesiæ pastoribus, *ut fideles diligenter instruant, docentes eos imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur, id quod conciliorum, præsertim verò secundæ Nicænæ synodi decretis contra imaginum oppugnatores sancitum est.* Quæ cùm ita se habeant, ubi est idololatria, vel etiam superstitionis umbra in cultu quem Romana Ecclesia sacris imaginibus deferendum esse docet? Hoc enim cultu, non imagines, non divinitatem, aut vim aliquam quæ in imagine fingatur, sed id veneramur et colimus, quod imagines menti cognoscendum exhibent; scilicet, Christum Dominum, Deiparam, angelos sanctosque homines, qui cum Christo in cœlis regnant; motivum autem nostri cultûs in Deiparâ, in angelis sanctisque hominibus, non est naturæ quædam proprietas sive conditio, sed gratia Dei, quâ sancti fiunt et Deo chari, sed dignitas, excellentia, aut supernaturalis prærogativa, quâ à Deo exornantur, ac veneratione digni fiunt. Quamobrem nostri cultûs *objectum*, ut vocant, *formale*, est Dei gratia atque supernum divinæ liberalitatis donum, quo fit ut hâc veneratione et cultu Deus ipse glorificetur, qui hâc de causâ *gloriosus* dicitur *in sanctis suis*. Igitur cultus quo Deiparam, angelos sanctosque homines veneramur, ad Deum ipsum refertur, qui eo glorificatur. At veri Dei cultus superstitione caret. Item templa et altaria non sanctis hominibus, sed Deo dicamus in honorem sanctorum, quos ipse gratiâ et glorià suâ honore dignos fecit.

Eâdem ratione à superstitione vindicamus cultum quo sanctorum reliquias prosequimur. Ait Tridentina synodus, loco supra citato : *Sanctorum quoque martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritûs sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, à fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur.* Colimus ergo SS. corpora quòd fuerint in hâc vitâ *viva Christi membra, et templum Spiritûs sancti*, ut ait Apostolus 1 ad Cor., cap. 3, v. 16, quòdque ad æternam vitam suscitanda et glorificanda sint, ac multa per ea beneficia hominibus præstentur. Quid verò est in hujusmodi cultu, quod ad augendum hominis erga Deum amorem, ad fovendam fidem et spem, ad glorificandum Deum non referatur? In quo ergo sita est superstitionis suspicio?

Docet propterea catholica Ecclesia in supra citatâ

synodo, *sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere.* Nos hìc non suscepimus demonstrandum sanctos cum Christo in cœlis regnare, nostrarum precum conscios esse, atque Deo nostras orationes offerre; id enim pro certo habemus, et tum ex Scripturâ, tum ex constanti omnium seculorum traditione à nostris theologis luculenter ostenditur; sed eorum invocationem omni superstitione carere demonstramus. Nam confugere ad eorum orationes et opem, ob obtinenda à Deo per Jesum Christum Filium ejus beneficia, non est eis divinam prærogativam, vel honorem, qui superstitiosus sit, tribuere. Ipsos enim spectamus ut homines Dei gratiâ cœlesti glorià præditos, ac ejusdem Dei amicos constitutos, qui perfectâ illâ quam habent charitate ducti pro hominibus Deo orationes suas offerunt, quique scientiâ illâ quam Deum intuendo habent, tum nos, tum nostras petitiones agnoscunt, atque ad impetranda pro nobis à Deo beneficia per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum moventur, dùm suppliciter eos invocamus. Hanc autem invocationem, non necessariam, sed utilem duntaxat asserimus. In iis autem perspicuum est nos sanctis hominibus in cœlis cum Christo regnantibus nec divinam aliquam prærogativam, nec indebitum honorem tribuere, sed eosdem considerare, ut Dei amicos cœlesti glorià donatos, qui, ut sacræ Litteræ describunt, sunt ante thronum Dei, eique serviunt, ac pro nobis orant.

Nota. Ex iis quæ diximus abundè patet injuriâ novatores sanctorum hominum cultum superstitionis accusare. Sed ut clariùs pateat quantùm Romana Ecclesia superstitiones horreat et abusus omnes qui in divino cultu occurrere possint, paucis indicabo quæ in eâdem synodo Tridentinâ pro præcavendis abusibus circa sacras imagines sanctorumque cultum stabilita sunt. Primò itaque universim mandat ut si qui abusus in has sanctas et salutares observationes irrepserint, omninò tollantur, *ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quòd si aliquando historias et narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Secundò, ut *omnis superstitio in sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione, et imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, et sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comessationes, atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem sanctorum per luxum ac lasciviam agantur.* Tertiò præcipit ut tanta circa hæc diligentia et cura ab episcopis adhibeatur, *ut nihil inordinatum, aut præposterè, et tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat.* Quartò denique, ut fideliùs hæc omnia serventur, statuit, *nemini licere ullo in loco, vel ecclesiâ, insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati consentanea judicaverit. Quòd si aliquis dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, vel omninò aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, episcopus antequàm controversiam dirimat, metropolitani, et comprovincialium episcoporum, in concilio Provinciali sententiam exspectet, ita tamen, ut nihil inconsulto sanctissimo Romano Pontifice, novum, aut in ecclesiâ hactenùs inusitatum decernatur.*

CAPUT VI.

De Ecclesiæ Orientalis ritibus, eorumque varietate.

In superiori capite exteriorem cultum, ritusque catholicæ Ecclesiæ ab hæreticorum, qui in Occidente sunt, criminationibus vindicamus. Nunc de Orientalis Ecclesiæ ritibus dicemus. Idque in tribus distinctis paragraphis: in primo, Orientalem Ecclesiam universim describemus; in altero, schismaticorum et hæreticorum, qui in eâ sunt, tum sectas, tum præcipuos errores indicabimus; in tertio verò, varios, qui in Ecclesiâ Orientali sunt, ritus exponemus.

§ 1. *Describitur generatim Orientalis Ecclesia.*

In Orientali Ecclesiâ ab Apostolorum ætate Alexandrinus et Antiochenus antistites, post Romanum Pontificem, reliquis universi orbis episcopis honore ac prærogativis præeminuerunt. Nam in Nicænâ synodo omnium generalium primâ, anno 325, celebratâ, canone 6, statutum fuit ut antiqua consuetudo servaretur circa Alexandrinos et Antiochenos episcopos, qui summi metropolitani appellati sunt. Leo autem magnus circa medium V seculi, epist. 53, quæ est ad Anatolium, scribit hujusmodi consuetudinem ex Apostolo Petro originem trahere. Neque id in controversiam revocari potest: nam explorata res est, Alexandrinam Ecclesiam Apostolum Petrum per Marcum, Antiochenam verò per seipsum fundâsse. Itaque cùm Nicæna synodus definierit, ex antiquâ ab Apostolis ortâ consuetudine antedictos episcopos reliquos superare, perspicuum fit, præeminentiam ac jurisdictionem hujusmodi ex Petro Apostolorum principe accepisse.

Ut in concilio Nicæno primo hujusmodi antistites appellati fuerunt summi metropolitani, ita in primâ synodo Ephesinâ vocati fuerunt archiepiscopi, et in Constantinopolitanâ primâ exarchi diœceseos. Tempore autem inter Constantinopolitanum, et Chalcedonense concilium intermedio, nuncupari cœperunt patriarchæ, quod nomen ex synagogâ in Ecclesiam deductum; primùm in Theodosii ad Valentinianum imperatorem epistolâ, Leoni I, Romano Pontifici tributum fuit, ac deinde in Chalcedonensi synodo

Alexandrino quoque, et Antiocheno antistiti. Iis additus postea fuit Constantinopolitanus episcopus, qui postquàm in hâc urbe sedem suam imperator constituit, in magno honore haberi cœpit apud Orientales, ac consuetudine, accedente etiam principum favore, jus metropolitani diœceseos Ponti, Asiæ, et Thraciæ sibi usurpaverat. Demùm eadem prærogativa Hierosolymitano antistiti concessa fuit ob Apostolicæ Sedis honorem, quæ prima episcopum habuisset.

Quanquàm patriarcha Constantinopolitanus Alexandrino et Antiocheno posterior est, nec ipsius sedes cum Alexandrinâ et Antiochenâ comparari potest, et licèt Romanus Pontifex diutiùs rejecerit 28 canonem Chalcedonensem, quo ei jus patriarchicum conferebatur, nec nisi ab Innocentio III, initio tertii decimi seculi, ut patriarcha sit agnitus; tamen undecimo seculo vastissimam sibi jurisdictionem usurpaverat. Nam sub se habebat metropolitanos sexaginta quinque, archiepiscopos independentes, quibus nulli subjecti erant episcopi, triginta quatuor, et episcopos sexcentum, et ampliùs, ut refert Leo Allatius ex Nilo Doxapatrio Græco scriptore. Sed everso deinceps Græcorum imperio, ac restitutis, quas in Calabriâ et Siciliâ Romano Pontifici usurpaverat, provinciis, valdè imminutus est eorum numerus. Ipsius enim jurisdictioni subjecti sunt episcopi circiter centum quinquaginta, inter quos sunt viginti quinque metropolitani, quorum plerique suffraganeis carent. Provinciæ, in quas jurisdictionem exercet, sunt quæ sequuntur : Asia minor, insulæ maris Ægei, Thracia, Græcia, Valachia, Moldavia, Servia, Mingrelia atque Circassia. Nonnulli quoque Græci, qui in Moscoviâ sunt, aliquem ei honorem deferunt, licèt, magno Basilide imperante, proprium ibi constituerint sibi patriarcham.

Tres ante recensiti patriarchæ cum Episcopis ac Christianis reliquis, qui orthodoxam fidem profiterentur in Ephesinâ et Chalcedonensi synodis definitam, contra Nestorium, Eutychetem, atque Dioscorum, à Nestorianis et Eutychianis, sive Jacobitis, appellati sunt Melchitæ seu Regalistæ, quòd imperatores, præsertim Marcianus, Orientalibus omnibus fidem in duobus illis conciliis definitam edictis suis inculcaverint. Igitur Melchitæ nomen excogitatum fuit ab hæreticis ad conflandam invidiam in orthodoxos, qui definita in conciliis illis dogmata profitebantur. Sed postquàm patriarchæ atque episcopi fermè omnes Græci ritûs, schismati erroribusque Græcorum adhæserunt, Melchitarum nomine appellare solemus orthodoxos Græcos, qui scilicet Romano Pontifici subsunt; reliquos verò Photianos dicimus.

Alexandrinus patriarcha Græcus schismaticus sedem in Cahirâ habet, jurisdictionem verò exercet in varias Africæ et Arabiæ provincias; Antiochenus Damasci sedet, Græcisque præest suis in Syriâ, Mesopotamiâ et Caramaniâ degentibus; Hierosolymitanus denique Palæstinis, atque iis Arabiæ Ecclesiis præest, quæ sunt Palæstinæ finitimæ. Ii cum subjectis sibi Episcopis Græcum ritum servant, ac Græcâ linguâ et etiam Arabicâ celebrant officia sacramentorum omnium. In eorum communione sunt Syri multi, qui Syriacè sacra celebrant.

Ac præter hos, qui, ut dixi, schismatici sunt, adest nunc Melchitarum patriarcha Antiochenus, qui cum reliquis Græci ritûs sibi subjectis orthodoxam fidem profitetur, atque Romano Pontifici obtemperat. Adest epistola S. M. Benedicti XIV, tomo 1 Bullar., pag. 290, ad Cyrillum patriarcham Antiochenum Græcorum Melchitarum, et omnes ejusdem ritûs catholicos episcopos eidem patriarchæ subjectos, in quâ plura circa ritus ac ejusdem patriarchæ jurisdictionem decernuntur. Pag. quoque 312, alia ad eumdem patriarcham data legitur epistola, cum quâ eidem pallium transmissum fuit. In actis autem consistorialibus pro concessione dicti pallii, quæ leguntur t. 2, Bull. in append., pag. 21, inquit SS. Pontifex : *Præest Cyrillus noster genti Melchitarum, quæ hodiè Catholicos ingenti numero complectitur, quæque à decem episcopis, qui ipsum tanquàm legitimum patriarcham venerantur et colunt, providè gubernatur.*

Nomen patriarchæ Antiocheni, habet quoque Maronitarum patriarcha, qui modò est Simon Ewodius ex archiepiscopo Damasceno patriarcha renuntiatus à Benedicto XIV, ut ex litteris constat ad eumdem datis die 16 martii 1745 : *Nuper ad nos*, etc. Metropolitanorum et episcoporum Maronitarum sedes et limites ita describuntur in Appendice synodi Montis Libani, quæ appendix inserta legitur Constitutioni Bened. XIV, *Apostolica prædecessorum*, etc. En verba : « Patriarcha « Antiochiæ ac totius nationis Maronitarum sedem « habet in Monte Libano, in cœnobio quod Canu- « biense dicitur; sub eo erant archiepiscopi et epi- « scopi sequentes : 1° Tyri, 2° Damasci, 3° Cypri, « 4° Aleppi, 5° Beryti, 6° Tripolis, 7° Botri, 8° Aco « seu Ptolemaidis, 9° Laodiceæ, 10° Apameæ, « 11° Arcæ, 12° Eden, 13° Sareptæ, 14° Paneadis, « 15° Listræ seu Bybli, 16° Neapolis. Sed in synodo « Montis Libani die 30 septembris 1736, decreverunt « Patres, ut Maronitarum diœceses in posterum ad « octo tantùm redigerentur, salvâ Reverendissimo « Domino patriarchæ episcopo nonnullos titulares « ordinandi potestate; videlicet : 1° Aleppi seu Beroæ « et adjacentium locorum; 2° Tripolis; hujus ponti- « ficis jurisdictio extenditur à Tripoli et Janiâ ad Ar- « cam Balaneam, Aradum, Orthosiadem, Gabalum, « Laodiceam, usque ad fines Aleppi; 3° Bybli et « Botri; hujus jurisdictio extenditur in diœceses By- « bli et Botri, Acuræ, Dairalamari et regionis Bisa- « rajæ; 4° Heliopolis seu Baalbech; hujus jurisdictio « extenditur in diœceses Heliopolis et Phathuchæ in « Bybliensis regionis confinio, et dimidiæ partis di- « tionis Gazirensis, cujus caput Gusta et Gazir; 5° Da- « masci; hujus jurisdictio extenditur in diœcesim « Damascenam, necnon ampliatur ad alteram dimi- « diam partem ditionis Gazirensis, cujus caput est « Agelton, complectitur præterea Bascontam, Zuc- « charabam et Zabbugam; 6° Cypri; hujus jurisdictio « complectitur universa insulæ illius castella, ac « præterea in Chesroe regione habet Bacafajam,

« Bethschebabam, earumque villas, necnon villas « Caestœniæ usque ad Pontem Beryti; 7° Beryti; « hujus jurisdictio extenditur à Beryto usque ad Ma- « thatam, et Giordam, et Algarbam, et Sciacharam « Mathanæ, et usque ad Pontem fluvii Cadi, seu « Tamyris; 8° Tyri et Sydonis; hujus jurisdictio com- « plectitur Sydonem, Tyrum, earumque villas, nec « non Suph-Bacaam, Vallem Tainæ, et adjacentes « Teny à fluvio Tamyri, usque ad sanctam civitatem « Hierusalem. Nos subscripti hanc diœcesum distribu- « tionem approbamus. Datum in sanctâ nostrâ synodo « in monasterio Deiparæ de Leoisiâ, die 30 septem- « bris 1736. Joseph Petrus patriarcha Antiochiæ, « Gabriel Sareptæ. Simeon Damasci, Abdalla Beryti, « Elias Arcæ, Basilius Tripolis, Philippus Lystræ, « Stephanus Botri, Gabriel Aco, Joannes Laodiceæ, « Ignatius Tyri, Gabriel Aleppi, Michael Pancadis, « Tobias Cypri. »

Jacobitæ quoque duorum patriarchatuum titulos servaverunt, Alexandrini scilicet atque Antiocheni. Alexandrinam verò diœcesim ita obtinuerunt, ut orthodoxis et plures essent quodammodò et auctoritate superiores. Nam ex quo Arabes Ægyptum subjecerunt, omnes fermè Græci profugientes vacuam Alexandriæ Ecclesiam hæreticis reliquerunt. Nativi Ægyptii ad Jacobitarum hæresim propensissimi, eam ubique amplexi sunt, atque ita in Thebaide omnes Christiani eam intra paucos annos acceperunt. In Nubiâ et Æthiopiâ cùm sacerdotes et episcopos à Jacobitis ordinatos haberent, Jacobitæ quoque intra unius seculi spatium facti sunt. Iidem cùm ex veteri quodam jure patriarcharum Alexandrinorum, Palæstinam suæ sedi vellent esse subjectam, Hierosolymis metropolitam ordinaverunt. Hanc autem præ reliquis sectis, quæ vel omninò interciderunt, vel adhuc supersunt, prærogativam habet Jacobitica, quòd episcoporum non interruptam successionem hucusque conservat, ab illis ordinatorum, qui in Ecclesiâ catholicâ manuum impositionem acceperant, quales erant Dioscorus et Dioscori successores. Ita quamvis hæretici et abscissi ab Ecclesiâ, validam tamen ordinationem habebant, cùm impositionem manuum accepissent ab episcopis legitimè priùs ordinatis. *Notum est enim*, inquit Renaudotius, diss. de Patriarchâ Alexandrino, *pulso Dioscoro, orthodoxos ejus loco patriarchas constitutos, quos Jacobitæ pro intrusis et prædonibus habent. Illo defuncto, ejus sequaces Timotheum Ælurum substituerunt, qui occiso Proterio, cathedram occupavit, ejectusque et restitutus sub Basilisco tyranno et Zenone qui Dioscorianis favebant, eam per viginti duos annos retinuit, secundùm Severi et aliorum Jacobitarum sententiam. Timotheo Petrus Mogus, Athanasius, Joannes alter, Dioscorus Junior, Timotheus, Theodosius, Petrus Danianus, Anastasius, Andronicus successerunt, atque huic Benjamin, cujus anno duodecimo, Jesu Christi* 640, *Alexandria ab Arabibus capta est, statimque Benjamin ejectus, et in monasteriis latitans, restitutus est sedi suæ, atque omnem, pulsis orthodoxis Græcis, ipsoque Gregorio patriarchâ, qui Constantinopolim fugit, ecclesiasticam auctoritatem obtinuit. Ut autem certa est ea, quam fusè explicavimus in historiâ patriarchali Jacobitarum patriarcharum à Dioscoro ad Benjaminum, ita quoque certissima est hodiernorum Alexandrinorum antistitum ex eâdem sectâ ad Benjaminum usque, successio.* Hæc notanda esse censui, quòd paucis abhinc annis litteras à quodam missionario ex Ægypto scriptas legerim, in quibus asserebatur Cophtos Jacobitas legitimis episcopis carere. Hactenùs dicta perspicuè demonstrant Jacobitarum patriarcham Alexandrinum succedere Dioscoro, auctoritate Chalcedonensis synodi ex illâ sede pulso; Græcum verò orthodoxis patriarchis, qui post Proterium, in locum Dioscori suffectum, in eâdem sede fuerunt. Licèt enim pulso ab Arabibus Gregorio anno 640, ut supra ex Renaudotio adnotavimus, Græci per annos nonaginta non habuerint hanc patriarchalem dignitatem, eam tamen iterùm obtinuêre anno 780, atque deinceps suos quoque Melchitæ patriarchas semper habuerunt, quorum legitimus successor est Græcus, quem supra diximus in urbe Cahirâ sedem tenere. Patriarcha Jacobitarum vocatur quoque patriarcha Cophtorum, licèt nomen *Cophti*, non sectam, sed nationem indicet, quæ Cophticâ linguâ sacra celebrat. Ejusdem jurisdictionem tituli quibus à suis donari solet, designant. Hos ita exprimunt : *Pater N. sanctissimus archiepiscopus magnæ urbis Alexandriæ et potestatis Babylonis, et Nomorum Ægypti, Thebaidis, Pentapolisque Africanæ, regionisque Æthiopiæ et Axumitarum, Nubiæque, et Macaureos, regionisque superioris.* Horum explicationem vide apud Renaud., diss. cit.

Jacobitæ habent quoque patriarcham Antiochenum, quem ut legitimum Severi successorem agnoscunt omnes Syri Monophysitæ. Illius amplissima auctoritas est, vocaturque inter eos *Papa Orientis*. Plures metropolitani, episcopi ac monachi benè multi sunt eidem subjecti. Inter metropolitanos, seu archiepiscopos, recensentur Hierosolymitanus, Damascenus, Edessenus, Cyprius, etc. Præter hos habebant etiam olim suæ auctoritati subjectos alios secundi generis patriarchas, quos Catholicos appellant, quorum alter Persidis, alter Armeniæ patriarcha diceretur. Sed ii jam à longo tempore nullam in eo jurisdictionem agnoscunt, ac tanquàm supremi Armeniæ gentis Patriarchæ habentur.

Armeni non minùs ac Jacobitæ latè diffusi sunt per Orientem, imò eorum plerique sunt etiam in Occidente. Sunt enim in utràque Armeniâ, majore scilicet, atque minore, in Perside, Mesopotamiâ, Palæstinâ, Georgiâ, aliisque benè multis Orientis provinciis. In Occidente verò, præter eos qui commercii causâ in variis locis degunt, quamplurimi sunt in Russiâ Polonicâ, eique finitimis provinciis. In Oriente ab anno fortassè 605, ex quo propriam æram sumunt, duos antedictos patriarchas sive Catholicos habent : antea enim ex Cæsariense antistite metropolitam accipere solebant. Prioris sedis est Artaxata, majoris Armeniæ urbs, sed residere solet in monasterio Eczmiazin, eique parent viginti sex archiepiscopi, episcopi verò septuaginta

quinque, ut ex testimonio Uscanii Armenii, episcopi, istius patriarchæ vicarii, qui id Riccardo Simonio narravit Parisiis anno 1670, refert Brunus, dissert. 10, quæ est de Liturgiâ Armen., art. 1. Alter manet Cis, quæ minoris Armeniæ urbs est, ac præest episcopis circiter triginta. Priori subest episcopus, sive patriarcha Constantinopolitanus ejusdem gentis; huic verò Hierosolymitanus, et is qui Aleppi residet. Ii quos dixi schismatici sunt. Sed habent quoque Armeni orthodoxos episcopos. Qui Aleppi sedem habet, sed modò vitandæ persecutionis causâ in monte Libano commoratur, patriarchæ titulum ac jurisdictionem habet. Plures ei subjecti sunt episcopi, inter quos adest Edessæ episcopus, qui nunc Romæ manet. Qui in Russiâ, Poloniâ, atque iis finitimis locis degunt, catholico archiepiscopo subsunt, qui Leopoli residet. Et præter archiepiscopum Naxiavensem, qui à quartodecimo seculo desumi semper solet ex inclyto Prædicatorum ordine, quique iis præest, qui auctore Bartholomæo Parvo ejusdem ordinis, Joanne XXII Ecclesiam regente, cum orthodoxâ fide Latinum quoque ritum susceperunt, ut § 3 hujus capitis exponemus : plures alii Armeni catholici sunt in variis provinciis, qui Latinorum missionariorum curæ concrediti sunt, quorum operâ catholicam fidem susceperunt.

Alii quoque sunt in Oriente, qui patriarchas habent, quos catholicos vocant. In Mingreliâ Græcus schismaticus patriarcha residet, quem catholicum vocant; cui episcopi aliquot subjiciuntur, quos principes ex monachis seligere solent, qui *Beri* nuncupantur.

At celebrior est patriarcha, qui eodem nomine donatur apud Chaldæos. Nestoriani ex Romano imperio pulsi, ad Persarum limites, aut in eorum provinciis sedes fixerunt. Hinc post annos satis multos, cùm Ecclesiam Seleuciæ Parthorum invasissent, quæ quidem ex nuper institutâ sub Justiniano Catholico dignitate novam auctoritatem consecuta erat, eam suæ Religionis cathedram primariam esse voluerunt; atque inde nullum majorem titulum, quam *catholici Seleuciæ, et Ctesiphontis* patriarchis suis veteribus attribuerunt. Hujusmodi patriarcha, qui deinceps apud Mosulam residere consuevit, quinto decimo seculo tantam ac tam vastam jurisdictionem exercebat in Assyriâ, Mesopotamiâ, Chaldæâ, Perside, ac etiam in Indiis Orientalibus, ut tredecim metropolitanos, et episcopos benè multos sibi subjectos haberet, ac tercentum mille recenserentur, quæ eidem obtemperarent, familiæ; ut scribit Petrus Stroza in Expositione Fidei, et Tractat. de Dogmat. Chaldæorum.

Is enim hæc de Nestorianis eorumque patriarchâ eodem in libro scribit. Nestorianorum autem patriarcha ecclesiæ Babylonis præest, ejusque residentiæ locus est Monasterium ad oppidum Musul, in viciniis antiquæ Ninivis, ut aiunt, ædificatum. Dissident inter se Jacobitæ atque Nestoriani odio implacabili; sed Nestoriani, numero atque opibus præstant, quorum ad trecenta millia, et ampliùs domorum recensentur: cùm familiæ Jacobitarum numero octoginta millia non excedant. Itaque patriarchæ Nestorianorum amplissima est auctoritas, eaque in Indiam se extendit. Nam Chaldæi, qui Goæ, Cocchini, Angamalæ, atque in Insulâ S. Thomæ ante adventum Patrum Societatis Jesu reperiebantur, omnes pariter professione Nestoriani obediebant patriarchæ Babylonis. Nunc quidem magna eorum pars, studio ac diligentiâ Jesuitarum, ad Ecclesiam sanctam catholicam reversa summum Pontificem colit. Defunctoque nuper metropolitano Chaldæo, successorem ab Apostolicâ Sede suscepit archiepiscopum Angamalensem à Clemente VIII, ex Societate Jesu ordinatum. Ante pontificatum Julii III, nomen hujus patriarchæ ignotum penè nostris fuisse videtur, neque de ipso, neque de Chaldæorum natione mentionem ullam factam fuisse in Pontificum Romanorum monumentis reperio. Sedente verò Julio III, cùm nonnulli ex Chaldæis Nestorianis se ab obedientiâ patriarchæ subtraxissent, detestatâque Nestorianâ hæresi, in communionem venissent catholicæ Ecclesiæ, illis summus Pontifex, ut postulaverunt, patriarcham ordinavit, eumdem quem ipsi hâc de causâ legaverant, Simonem Sulacham ordinis sancti Pacomii Monachum. Is cum patriarchali pallio, atque titulo pathriarchæ Assyriorum Orientalium ad suos rediit, et Charemet, sive Camed residens, archiepiscopos, et episcopos, ac sacerdotes quamplurimos ordinavit. Sic igitur Chaldæorum natio uni patriarchæ Babylonis usque ad illa tempora subjecta, in duas partes divisa fuit. Sulachâ deinde à Turchis, adversariorum operâ, ut fertur, è vivis sublato, sufficitur in ejus locum Abdiesus ejusdem ordinis monachus, vir mirificæ eruditionis, linguarum varietate, et sacrarum litterarum notitiâ, de quo in vitâ Pii IV præclara fit mentio, cujus Pontificatu Romam venit pro confirmatione, qui et Tridentino concilio interfuit. Ejus autem effigies depicta conspicitur in Aulâ regiâ palatii Vaticani inter cardinales, cæterosque prælatos Alexandro III assistentes, imperatorem Fridericum pœnitentem Venetiis recipienti Plurimùm quidem profecit Abdiesus, multosque ex Nestorianis ad Ecclesiam catholicam convertit; acceptamque ab Apostolicâ Sede auctoritatem valdè propagavit, quam ejus successores postea conservare sibi aut nescierunt, aut non potuerunt. Nam qui ei successit Ahatalla, et ipse monachus ejusdem ordinis, parùm vixit. Et Denha Simeon postea ex archiepiscopo Gelu, et Seert factus patriarcha, nec ætate, neque doctrinâ idoneus tanto muneri, tempore, quo episcopus Sidoniensis in Orientem profectus est nuntius apostolicus, relicto Charemet, ubi alii patriarchæ orientalium Assyriorum resederant, in provinciam Zeinalbech secesserat ad fines Persidis, potentiæ cedens patriarchæ Babylonis. Quo loco etiam hodiè manet ejus successor, Simon quoque, et ipse vocatus, existimatione ac numero subjectorum, ut accepimus, prædecessoribus longè inferiori : ita ut patriarchæ Babylonis status nunc videatur in pristinum restitutus, æmulo sponte suâ quasi in exilium relegato. Igitur qui modo sedem Babylonis obtinet, Marella Chaldæorum patriarcha, multò minùs quàm prædecessores sui domestico dissidio laborat, subjectamque ejus

obedientiæ nationem pacificè gubernat : metropolitis, et episcopis, cleroque non modò obtemperantibus ei, sed ipsum valdè diligentibus. Hæc ille, quibus statum exhibet Chaldæorum Ecclesiæ circa initium seculi XVII. Hâc nostrâ ætate pauci admodùm in Indiis Orientalibus occurrunt, atque ob facilem eorum ad Mahumedanismum defectionem, vix quadraginta mille homines sibi subjectos habet patriarcha Nestorianus, qui in urbe Ninive, sive Mosulâ residet. Ac longè minor eorum est numerus, qui patriarchæ catholico, Diarbekir commoranti, subsunt. Is verò Josephus est hoc nomine tertius. Nuntiatum fuerat Mamachio à Carmelitis nonnullis, ut ipse scribit, t. 2, orig., et Ant. Christ., lib. 2, c. 5 : *Patriarcham Nestorianorum conjungi nobiscum societate communionis velle, secum autem una* 11 *circiter hominum millia ad orthodoxam religionem perducturum. Imo verò*, inquit ipse, *litteras patriarcha ad sacram congregationem scripsit, quibus etiam atque etiam orat atque obsecrat, ad se ut ministri mittantur.* Attributa utique ea pars Dominicanis est, missique initio ferè anni 1750, Cajetanus Codileonicus, Corradius Turrianus docti ex illo instituto viri ; sed mutata fortassè patriarchæ voluntate, nec optata illa, quæ sperabatur, conversio contigit, nec spes certa affulget, quâ prudenter existimetur brevi saltem futura.

Præter eos quos dixi, ad Orientalem Ecclesiam ratione originis et Rituum pertinere dicimus, non solùm Græcos, qui in Moscoviâ, Valachiâ, Bulgariâ, Hungariâ, aliisque iis finitimis provinciis degunt, atque Ruthenos, quos supra nominavimus; sed etiam Græcos et Albanenses, qui in ditione ecclesiasticâ, et in reliquis Italiæ partibus, ejusque insulis adjacentibus, sive orti sive aliunde advecti incolæ commorantur. Ii scilicet, qui grassantibus jamdudùm per totum Orientem, tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam schismaticorum perfidiâ, ex Græciâ, Epiro, Albaniâ, aliisque Asiæ regionibus, ad Italiam, eique adjacentes insulas, tanquàm ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverunt ; et tam ipsi quàm eorum filii Græcorum mores, instituta, ritus et consuetudines à Græcis progenitoribus sibi traditas studiosè, enixèque servare pergunt; ita tamen ut debitam Romanæ Ecclesiæ obedientiam ac devotionem omninò profiteantur. Ut iis præstò sint ministri, à quibus juxta proprium ritum sacramenta recipiant, et ne ad schismaticos episcopos pro ordinatione cogantur confugere, Clemens VIII, anno 1595, constituit, Romæ habendum esse episcopum Græcum catholicum, qui Græcos episcopis Latinis Italiæ, et adjacentium insularum, subjectos, initiaret. Clemens verò XII, anno 1735, ut Italo-Græcorum in utràque Siciliâ commorantium rebus commodiùs consuleret, alterum ejusdem Græci ritûs episcopum in seminario Corsino à se in Calabriâ erecto, propter Græcorum hujusmodi ordinationes, manere jussit, quorum laudatissimum institutum confirmavit, et innovavit S. M. Benedictus XIV, constitut. *Etsi Pastoralis*, tomo 1, Bullard., pag. 167.

§ 2. — *De schismaticorum, hæreticorumque sectis, quæ in Orientali Ecclesiâ sunt ; deque præcipuis earumdem erroribus.*

Cùm non adeò facile sit errores omnes detegere, in quos Orientales, postquàm ab Apostolicæ Sedis communione sejuncti sunt, vel superbiæ et erroris spiritu ducti, aut ignorantiâ, inciderunt ; eos unicè explicandos suscipimus, qui proprii sint cujusque sectæ, ac magis præcipui. Schismaticorum autem sectæ, quæ in Oriente occurrunt, ad tres facilè revocantur, scilicet, Nestorianorum, Jacobitarum et Photianorum. Nestoriani à Nestorio nomen, erroresque mutuati sunt. Præcipuus eorum error in eo situs est, ut negent beatam Virginem esse Dei Matrem, quòd in Christo Domino duas inesse personas putent; alteram hominis ex Mariâ Virgine nati, alteram verò Dei Filii ex æterno geniti, quæ in homine ex Virgine nato veluti in templo inhabitet. Hinc aiunt beatam Virginem Christiparam, non verò Deiparam, appellandam esse, atque unionem Dei et hominis in Christo esse, per voluntatum conjunctionem, et dignitatis participationem, non secundùm naturam et personam. Hujusmodi errorem, qui damnatus fuit in primâ Ephesinâ synodo anno 431, docuisse reverà Nestorium, ac ipsius sectatores tueri, ex liturgiis aliisque Nestorianorum libris facilè demonstrare est contra Basnagium aliosque novatores, qui Nestorium ejusque sectatores ab omni errore vindicare contendunt. Vide Liturgiam quæ celebratur quinquies in anno, scilicet, in Epiphaniâ, in vigiliâ S. Joannis Baptistæ, in vigiliâ doctorum Græcorum, feriâ quartâ hebdomadæ supplicationis Ninives, et in Paschate. *Exstitisse porrò istam Liturgiam antiquitùs apud Nestorianos præter codices manuscriptos, testantur auctores Syri, atque inter eos Ebedjesus, qui eam recenset, ut etiam Echellensis ejus meminit*, inquit Renaud. in Not. ad hanc Liturg. In eâ autem hæc leguntur de Dei Filio : *Semetipsum exinanivit, et similitudinem servi accepit, hominem perfectum ex animâ rationali intelligente et immortali, et corpore mortali hominum, et conjunxit illum sibi, univitque secum in gloriâ, potestate et honore, ex naturâ suâ passibilem.* Videantur etiam Nestorianorum libri. Elias Catholicus, eo nomine tertius, in expositione Fidei quam scripsit cùm esset Metropolita Nisibenus, et in disputatione cum Viziro Abulkacimo, et in alio opere ait : *Verbum æternum productum à sapientiâ Creatoris, quod Filius appellatur, estque una personarum trium, habitavit, seu illapsum est homini assumpto ex Mariâ Virgine, mediante potentiâ intellectuali, unitumque illi est per unionem potestatis, benevolentiæ, voluntatis, honoris et repræsentationis.* Ita etiam Ebneltaib, Amrus Matthæi filius, et alii ferè omnes, quorum scripta ad nos pervenêre. Denique videatur Lectionarium Persicum ad usum Nestorianorum, ubi hæc verba *æqualem se faciens Deo*, explicantur *secundùm honorem, dignitatem et potentiam.* Itaque perspicuum est, Nestorium ejusque sectatores errorem propugnare, quem summus Pontifex Cœlestinus, et Ephesina synodus damnavit. Clarissimus Assemanus in Bibliothecâ Orientali alios Ne-

storianorum errores recenset, quos nos de sacramentis agendo indicabimus. Unum verò præterire non possumus, scilicet, eorum plerosque negare originale peccatum, quem errorem verisimile est à Theodoro Mopsuesteno mutuâsse, quòd in maximo honore apud Nestorianos habeatur. Ii sunt magis præcipui Nestorianorum errores. Errant præterea cum hæreticis omnibus, quòd Romani Pontificis primatum negent, atque orthodoxæ Ecclesiæ auctoritaten contemnant. Nicænam synodum primam ac primam Constantinopolitanam pro legitimis habent, sed præter viginti canones qui in Nicænâ illa conditi fuerunt, eidem perperàm tribuunt canones omnes, qui in canonum qui *Arabici* vulgò dicuntur, collectionibus reperiuntur. Rejiciunt primam Ephesinam synodum, et concilia omnia generalia, quæ deinceps, tum in Oriente, tum in Occidente celebrata sunt.

Altera hæreticorum secta, quæ in Oriente est, Jacobitarum dicitur. Hæc Dioscori errores tuetur, ejusque sectatores Jacobitæ appellantur à Jacobo, quem Nicephorus et alii *Zanzalum*, id est, *vilem*, appellant; Arabes verò *Baradæum*, sive *Baradatum*, qui cum aliis circa medium sexti seculi Monophytarum hæresim per totum Orientem disseminavit, et plurimos, in totâ Syriâ et Mesopotamiâ præsertim, episcopos, sacerdotes et diaconos ordinavit. Eodem ferè tempore in eamdem cum Jacobitis abiêre hæresim Armeni, qui in Tibenensi conventu circa annum 554 damnârunt Chalcedonensis synodi decreta, ac si plena Nestorianorum errorum et impietatis essent, et Dioscori errores amplexati sunt. Quo factum est ut hujusmodi hæresis per majorem Orientis partem propagata sit. Sunt qui putent hos Eutychianorum errorem tueri, iique non vulgares modò, et nullius auctoritatis scriptores, sed etiam doctissimi, ut Joannes Morinus, auctor Perpetuitatis catholicæ Ecclesiæ fidei circa Eucharistiæ sacramentum, aliique. Id verò minùs rectè, cùm Jacobitæ Eutychi anathema pronuntient. Ita enim statuunt, illum eodem quo Apollinarius errore laborâsse, atque adeò Christum habuisse de cœlo corpus, quod nostro consubstantiale non esset, sed phantasticum. Commixtionem quoque naturarum, confusionem et alterationem, quam Eutychiani adstruebant in Christo, rejiciunt. Sed Christum Dominum licèt ex duabus naturis unum agnoscant, tamen non ut Ecclesia catholica in unitate personæ, sed in unitate naturæ unum illum profitentur, atque consubstantialem Patri secundùm humanitatem, et cum Dioscoro Chalcedonense concilium damnant, quòd duas in Christo naturas post unionem stabilierit, et Leoni Romano Pontifici, cujus Epistola ad Flavianum in concilio probata fuerat, anathema dicunt.

Post duodecim aut tredecim annos à Chalcedonensi synodo Jacobitæ, auctore Petro Fullone, addidêre trisagio, his scilicet verbis : *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, *Sanctus immortalis*, hæc alia : *Qui crucifixus es pro nobis;* quæ quidem additio tanquàm Monophytarum tessera habita deinceps fuit à Jacobitis Syris, Ægyptiis et Armenis, atque tum ob hanc causam, tum quòd divinam naturam trium personarum videatur indicare passibilem esse, à Felice III Romano Pontifice improbata, ac pluries deinceps ab Apostolicâ Sede damnata fuit.

Imò et eorum quoque interpretatio rejecta fuit, qui non ad tres divinas personas, sive ad divinam iisdem communem naturam, sed ad solum Filium trisagium illud referri contenderent. Videatur quâ ratione rem narret in Encyclicâ ad missionarios per Orientem deputatos Benedictus XIV, num. 29, ubi hæc habet : Cùm Petrus Fullus, cognomento Gnaphæus, fautor hæresis Apollinaristarum, qui Theopaschitæ appellantur, ausus fuisset trisagio hæc verba superaddere : *Qui crucifixus es pro nobis;* sicuti fusè commemorat Theodorus Lector, lib. 1 Collectaneorum, et cum nonnullæ Orientis Ecclesiæ, ac pòtissimùm Syrorum et Armenorum, opera cujusdam Jacobi Syri, teste Nicephoro, lib. 18, cap. 52, additamentum hujusmodi recepissent, haud prætermiserunt Romani Pontifices, pro eâ quam in similibus adhibere consueverunt, vigili curâ, et sollicitudine, inolescenti errori se opponere, factamque trisagio additionem interdicere; rejicientes interpretationem, quâ, trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non verò ad tres divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi jactabatur : tum quia periculum semper supererat adhærendi dogmati hæretico; tum quia humanæ mentis præsumptio ad solum Christum referre minimè poterat hymnum ab angelis in honorem sanctissimæ Trinitatis decantatum, sicuti Lupus rectè expendit *in notis ad Can.* 82, *Trullanum*, ubi, postquàm retulerat, à Felice III, et Romanâ synodo damnatam fuisse additionem trisagio factam, ita subdit : *Hymnum soli divinæ Trinitati à sanctis semper angelis adcantatum, Ecclesiæ ab ipso Deo ac eisdem sanctis angelis in puero laudato traditum, malorum regiæ urbi impendentium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu et ratione comprobatum à plenâ synodo Chalcedonensi, constanter asseverant* (loquitur de episcopis tum in prædicto concilio congregatis, tum de aliis additamentum trisagio factum respuentibus) *humanâ præsumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri.* S. Gregorius VII eodem religionis studio, ipsam additionem improbavit in suâ epistolâ 1, l. 8, scriptâ ad archiepiscopum, sive patriarcham Armenorum. Idem præstitit Gregorius XIII, in nonnullis suis epistolis datis in formâ brevis ad patriarcham Maronitarum die 14 febr., anno 1577. In congregatione autem propagandæ fidei habitâ die 30 januarii, anno 1633, cùm examini subjecta fuisset Armenorum liturgia, atque inter cætera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrùm additio inducta trisagio tolerari posset, ob indicatam causam, quòd illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur : responsum fuit, id non esse permittendum, additionem omninò expungendam.

Syri hâc unicâ additione in liturgiis errorem designant, aut erroris saltem suspicionem produnt; Ægyptii verò adduut etiam expressè post unionem in Christo unam tantùm inesse naturam. Et Armeni à miscendo

cum vino aquam in Missâ abstinent, ne duplicem in Christo naturam profiteri videantur : huic particulares nonnulli Armeni doctores plures alios errores addiderant, ut videre est apud Galanum, aliosque, ex iis nonnullos quos de sacramentis agendo indicabimus. Jacobitæ omnes tria priora generalia concilia suscipiunt ac venerantur, scilicet Nicænum primum, primum Constantinopolitanum, et Ephesinum primum ; rejiciunt verò atque damnant Chalcedonensem synodum, et quotquot deinceps celebrata sunt concilia cùm in Orientali, tùm in Occidentali Ecclesiâ. Nonnulla quoque fidei dogmata, quæ in conciliis in Occidente celebratis definita sunt, eorum plerique respuunt; sed errores hujusmodi videntur potiùs à Photianis reliquis Orientalibus communicati.

Schisma Græcorum Photianum dicitur, quod nono Ecclesiæ seculo, patriarchâ Constantinopolitano Photio, cœperit, ob dissidium Latinos inter et Græcos, circa processionem Spiritûs sancti à Patre Filioque, et additionem particulæ *Filioque* in Latinâ Ecclesiâ Nicæno Symbolo factam, atque ab Apostolicâ Sede deinceps probatam ; licèt absolutum non fuerit, nisi sub Michaele Cerulario circa annum 1054, Constantinopolitani deinceps patriarchæ alios quoque tres Græcos patriarchas in schisma erroresque traxêre suos. Præcipui Photianorum errores sunt, qui sequuntur : Primò, negant Romanum Pontificem esse visibile totius Ecclesiæ caput, cui pastores omnes subesse debeant, ac concilia omnia respuunt, et damnant, quæ in Occidente celebrata sunt. Secundò, licèt fateantur Spiritum sanctum esse Deum, ac personam à Patre et Filio distinctam, quæ procedat ex Patre, negant tamen etiam ex Filio procedere, ac Romanam damnant Ecclesiam, quòd symbolo particulam *Filioque* addiderit. Tertiò, negant dari purgatorium, et justorum animas, quibus nihil luendum supersit, ante extremi judicii diem clarâ Dei visione donari. Quartò, licitum esse putant dare uxori libellum repudii, et ad alias nuptias transire, atque adeò matrimonium dissolubile esse credunt. Quintò, eorum plerique negant fornicationem esse peccatum. Sextò, in eo quoque nonnulli errant, quòd tertias et quartas nuptias pro illicitis omninò habeant ; nec desunt qui usuras licitas esse credant. Alii eorumdem errores in eo consistunt, quòd Latinæ Ecclesiæ disciplinam, quæ cum Græcâ non consentiat, contemnant, atque tanquàm illicitam et malam detestentur. Aiunt itaque, primò, Latinam Ecclesiam errare, quòd Eucharistiam in Azymo conficiat, et quòd hujusmodi pane perfici posse credat. Secundò, quòd sabbato jejunet. Tertiò, quòd Eucharistiam sub unicâ tantùm specie laicis administret. Quartò, quòd confirmationem à Baptismo sejungat. Quintò, quòd sanguinis et suffocati usum tanquàm licitum permittat. Reprehendunt etiam eamdem Ecclesiam, quòd à Septuagesimâ usque ad Pascha in sacris officiis omittat *Alleluia*, et quòd ritus alios, qui Græcis conformes non sint, adhibeat, et probet. Imò non defuêre inter eos, qui vel baptizatos à Latinis sine trinâ immersione, iterùm baptizandos esse docuerint, vel saltem nefas esse, trinam in Baptismo immersionem omittere, crediderint. Plures quoque inter eos in Palamitarum errorem abierunt, qui docent *particulas divinitatis, divinitatemque ipsam aliquam inter ea quæ videntur, viderive possunt, recenseri*, ut ait Papadopoli in Prænot. Mystag., resp. 2, sect. 5, pag. 114.

§ 3. *De propriis Orientalis Ecclesiæ ritibus, eorumque varietate.*

Quanquàm in Ecclesiâ Orientali plures sunt sectæ, quæ à multis seculis, à Romanâ Ecclesiâ separatæ, nullam cum eâ communionem habuerunt ; tamen circa exteriorem Dei cultum ac disciplinam, eamdem cum Romanâ Ecclesiâ doctrinam profitentur. Omnes enim Ecclesiæ auctoritatem agnoscunt ritus instituendi, ac ea præcipiendi quæ ad disciplinam pertineant. Omnes septem sacramenta admittunt : omnes sanctos invocant, angelosque, ac tum eos, tum eorumdem reliquias, et imagines cultu aliquo prosequuntur : omnes dies festos et jejunia servant, ac præceptum ab Ecclesiâ ciborum delectum : omnes missæ sacrificium admittunt, quod propriis induti vestibus sacerdotes celebrent : habent omnes monachos, qui castitatem voveant ; nec ulla secta est, quæ cœlibes episcopos non habeat. Quæ quidem satis superque videntur ad convincendum novitatis et falsitatis hæreticos illos, quos superiori capite nominavi. Dissidet autem à Latinis Orientalium circa sacros ritus disciplina : primùm ratione linguæ, quam in sacris celebrandis officiis usurpant ; deinde, quod Orientales proprias liturgias habeant, ac propria Euchologia, quæ cæremonias in Sacramentorum administratione adhibendas, in nonnullis à Latinâ Ecclesiâ diversas, præscribant. Præterea in ordine divinorum officiorum, quæ ab ecclesiasticis recitantur. Item ratione disciplinæ circa jejunia. Denique ex eo à Latinis Orientales dissident, quod juxta eorum disciplinam simplices presbyteri unicam et virginem uxorem habere possint, quam ante sacrorum ordinum susceptionem duxerint.

Prima atque omnium antiquissima Ecclesiæ divisio est in Latinam et Græcam. Hæc autem non aliunde ortum habuit, quàm ex linguâ, quâ sacra officia celebrarentur. Latina non solùm Romanam et reliquas Occidentis Ecclesias, sed etiam Africanam, quæ eâdem ac istæ utebatur linguâ, designat. Græca verò omnes Orientales Ecclesias complectitur, quibus, si paucas excipias, quæ Syriacè fortassè celebrabant, et Ægyptiacè, Græca lingua communis erat. Quâ de causâ Orientalis Ecclesiæ ritus universim ritus Ecclesiæ Græcæ appellari solent ; atque omnes origine Græci reputantur, licèt mutationem aliquam subierint, postquam alia lingua sacra fieri cœperunt. Ecclesia Armena, quæ à Græcâ Cæsarææ Ecclesiâ cum episcopo disciplinam acceperat, initio quinti seculi, tum sacra Biblia, tum alios ad sacrorum disciplinam pertinentes libros propriâ linguâ scriptos habere, ac in sacris peragendis usurpare cœpit. Atque eadem lingua, quæ vernacula non est, sed doctis tantùm co-

gnita, etiam nunc Armeni utuntur. Circa finem ejusdem seculi, cùm Nestoriani omnes prope Mesopotamiæ Ecclesias occupâssent, amisso Græcæ linguæ usu, illam quoque in sacris officiis celebrandis omiserunt, Syriacâque solâ uti cœperunt. Cùm Arabica ubique passim obtinuisset, ita ut soli eruditi Syriacè scirent, et plebs illitterata, imò ecclesiastici ipsi, non nisi adhibito studio, Syriacam linguam intelligerent, ea tamen ratio tanti visa non fuit, ut antiqua consuetudo aboleretur, et vernaculè sacra fierent. Unde hucusque apud Ecclesias omnes Nestorianas et Chaldæas quoque Catholicorum, non aliter quàm Syriacè celebrare solent. Imò cùm Nestoriani à quinto seculo plurimas in Perside Ecclesias fundàssent, ubi Syriacæ linguæ usus nullus erat, eam tamen in sacris celebrandis retinuerunt. Plebi tamen ita consuluerunt, ut lectionaria, quibus Epistolæ et Evangelia de circulo anni continebantur, Persicè interpretata essent. Eâdem linguâ usi sunt, atque utuntur in aliis, quas in Tartariâ et Turquestaniâ, et aliis Indiarum Orientalium partibus habent, Ecclesiis. Syriacam quoque linguam adhibere cœperunt Jacobitæ quoque, postquàm Antiochenum sibi usurpavêre patriarchatum. Licèt enim verisimile sit, nonnullas in eâ regione fuisse Ecclesias, quæ Syriacâ linguâ uterentur, tamen explorata res est, IV et V seculo Antiochiæ Græcè celebrare consuevisse; atque constat quas hujusmodi Jacobitæ habent Liturgias, ex Græco in Syriacum sermonem esse translatas; quippe in iis plura Græca vocabula occurrunt, et formulæ nonnullæ Græci sermonis, quæ clarè ostendunt ex Græcis fontibus originem trahere, ut observavit Brunus, tom. 2, dist. 9, quæ est de Liturgiis Syrorum. Hâc eâdem linguâ, quæ à multis seculis vernacula ampliùs non est, utuntur quoque Syri Melchitæ et Maronitæ.

Qui verò in Ægypto sunt Jacobitæ, non Syriacam, sed Cophticam linguam adhibent. Sunt qui contendant semper fuisse in Ægypto Ecclesias, quæ hâc linguâ, olim hujusmodi genti vernaculâ, uterentur. Sed utcumque se res habeat, negari non potest, quin antea Alexandrina, et aliæ quoque benè multæ Ægypti Græcam linguam usurpaverint. Renaudotius enim ex antiquissimis Ægyptiorum glossariis hæc refert verba, quæ ex præfatione deprompta sunt unius ejusmodi glossarum collectionis: *Antiquum morem fuisse ut lectiones ex Scripturis legerentur Græcè, sequereturque Cophtica interpretatio, idque factum, antequàm ulla omninò apud Christianos foret Arabicæ linguæ cognitio. Sed per universam Ægyptum, antiquitùs Christiani legebant lectionem Græcè, eamque Cophticè explicabant, et postea aliam, sicut nunc, legunt lectionem Cophticam, et eam Arabicè interpretantur.* Igitur linguæ Græcæ usus, qui modo penes illos paucos yiget, qui Græco Alexandrino patriarchæ subsunt, fuit antea, tum Alexandriæ, tum in plerisque saltem Ægypti Ecclesiis, et nonnisi postquàm Jacobitarum schisma prævaluit, Alexandriæ ac in totâ Ægypto Cophticè celebratum est. An id factum sit, quòd invasâ à Saracenis Ægypto, post aliquot annos Græca lingua omninò esset incognita, ut visum est Renaudotio; sive quod Jacobitæ cum Græcis, quos incredibili odio prosequebantur, convenire ampliùs non vellent, nostrum non est in præsentiâ investigare. Cùm lingua hæc populo, qui Arabicè loquitur, nota non sit, postquàm Scriptura sive Evangelium vel à Sacerdote celebrante, vel à diacono lectum sit, vulgaris seu Arabica interpretatio legi solet.

Æthiopes sive Abyssini, qui à patriarchâ Cophto Jacobitarum cum Metropolitâ, quem accipere solent, Cophticæ Ecclesiæ disciplinam et Jacobitarum errores mutuati sunt, Æthiopicâ linguâ sacrâ faciunt, quæ tamen est à populari diversa.

Ii quos dixi, linguâ, ritu et disciplinâ à Græcis dissident; quippe cæremonias in plerisque diversas habent, ac canones omnes non recipiunt, quibus Græcorum disciplina continetur, ut ex superiori paragrapho liquet. Adsunt verò alii qui Græcum ritum, et disciplinam servant, sed in sacris officiis peculiari linguâ utuntur. Scilicet, Colchi, nunc Mingrelenses et Iberi, sive Georgiani, ritum et disciplinam Græcam tenent, sed suo quisque idiomate sacra facit. Illyrici seu Sclavoni in Serviâ, Misniâ, Bulgariâ, etc., Illyricè sive Sclavonicè celebrant; Moscovitæ verò et Rutheni, Ruthenam linguam parùm à Sclavonicâ dissidentem adhibent. Reliqui Orientalis Ecclesiæ ritum servantes Græcâ linguâ utuntur. Scilicet Græco-Itali, Græci, Melchitæ orthodoxi, Schismatici omnes, qui Patriarchis Græcis Constantinopolitano, Alexandrino et Hierosolymitano obtemperant, et alii.

Ex hactenùs dictis perspicuum est illustriores Orientis Ecclesias sacra officia, linguâ quæ vernacula non sit celebrare. Quamobrem Orientalis Ecclesiæ exemplo atque usu, manifestæ falsitatis et calumniæ convincuntur ætatis nostræ novatores, qui Romanæ Ecclesiæ vitio vertunt quòd sacra officia vernaculâ linguâ non celebret. Nam ex hoc liquet Ecclesiam ubique terrarum, tum retroactis temporibus, tum etiam nunc credere satis provisum esse plebi, si à sacris ministris, tum Scripturæ, tum Liturgiarum mysteria interpretentur; nec semper expedire ut, mutatâ in regione aliquâ populari linguâ, Ecclesiæ etiam lingua variari debeat; tum, ut cum disciplinâ fidei unitas conservetur, tum etiam ut novitates illæ vitentur et confusiones quæ novas sacrorum librorum versiones sequerentur. Et sanè, undenam factum est, ut inter tot qui in Occidente sunt hæreticos, nulla sit fidei et disciplinæ unitas, sed confusio maxima, nisi ex hâc quam sibi usurpare ausi sunt libertate? Hæc quantùm ad linguarum varietatem quas orthodoxa probat vel usurpat Ecclesia in Oriente.

Dissident etiam Orientales, tum à Latinis, tum inter se ob Liturgias, et rituales libros quos habent. Liturgias vocamus sacra officia publica Ecclesiarum auctoritate conscripta, atque earumdem usu comprobata, quibus preces et ritus ad consecrandam et administrandam Eucharistiam continentur. Libros verò qui vel aliorum sacramentorum vel alia ecclesiastica officia præscribant, Rituales appellamus, Græci verò

Euchologium, quod nil aliud est quàm collectio ecclesiasticarum precum et benedictionum, ideòque, ut Goarius explicat, Rituale sive manuale, aut sacerdotale, et pontificale commodè appellari potest. Hic non inquirimus, num sacræ Liturgiæ, quas Græci, Syri, sive orthodoxi, sive Nestoriani, sive Jacobitæ, atque Cophti et Æthiopes habent, iis auctoribus acceptæ sint referendæ, quorum præ se nomen ferunt; num primis Ecclesiæ seculis litteris consignatæ fuerint; nec quot unaquæque Orientis Ecclesia Liturgias habeat, quotque libros quibus ecclesiastica officia continentur. Hæc enim eruditis investiganda relinquimus. Nobis enim sat erit ostendere omnes Orientalium Liturgias, non secùs ac Latinas, eam perficiendæ atque administrandæ Eucharistiæ formam continere, quam à primis temporibus Christi Ecclesia adhibere consuevit; Orientales, tum à Latinis, tum etiam invicem, ritibus tantùm qui merè cæremoniales sint, dissidere; ac denique nonnulla notare, quæ observatu digna videntur, ut tum Liturgias, tum reliquos Orientalium libros ab iis emendari queant erroribus, qui schismaticorum malitiâ in eosdem irrepserint.

Ita inter se Liturgiæ omnes conveniunt tum Orientales, tum Occidentales, ut ab uno fonte, Apostolorum scilicet exemplo et præceptis, ad omnes Ecclesias promanâsse certissimè agnoscantur. Neque aliunde tanta in divinis mysteriis celebrandis conformitas esse potest, quanta est in Liturgiis, quas ab antiquis temporibus tùm Occidentis, tum Orientis Ecclesia usurpat, quam ex communi ac notâ traditione nasci potuit. Ita verò invicem convenire Liturgias omnes, quas diximus, tum legentibus illicò fit manifestum, tum etiam ex partibus liquet, quibus constant. Omnes à Sacerdotibus sacram Eucharistiam fieri præscribunt, qui sacra vasa, eaque pretiosa, et vestes itidem sacras adhibeant, et in altari celebrent, quod omnibus in magnâ veneratione est: omnes exhibent præparatorias orationes et cæremonias, Scripturarum lectiones, psalmorum cantus, orationes pro vivis et defunctis, memoriam Sanctorum, osculum pacis, præfationem, quæ initium anaphoræ propriè dictæ, sive canonis est, orationes pro donorum oblatione, recitationem historiæ institutionis Eucharistiæ cum Christi verbis quæ ejusdem nomine à sacerdote proferantur, invocationem Spiritûs sancti, orationem Dominicam, fractionem hostiæ, atque ejusdem communionem, ac confessionem Corporis et Sanguinis ejusdem Domini nostri Jesu Christi. Tanta conformitas, in tot loco dissitis ac communione à multis seculis separatis Ecclesiis, non aliunde oriri potuit, quàm ex communi per antiquos Patres ab Apostolis acceptâ traditione. Atque hinc patet Liturgias omnes quæ sunt apud Orientales in usu, non modò inter se, sed etiam cum Latinis ad rei substantiam, quod spectat, omninò convenire. Itaque rituum diversitas, quæ in iis inest, tota est circa ritus qui merè cæremoniales dicuntur, et circa formulas et ordinem precum, ac circa alia quæ institutam à Patribus perficiendæ Eucharistiæ formam non variant. Sed licèt ita se habeat hæc rituum diversitas, tamen quisque ex Ecclesiæ præcepto eos adhibere tenetur, qui in propriâ Ecclesiâ usu recepti, et consuetudine comprobati sint. Nonnulla, quæ ad hujusmodi differentiam spectant, alibi indicabimus, ubi de materiâ et formâ, ministro et subjecto sacramenti Eucharistiæ ac cæremoniis nonnullis agemus. Interim nonnulla de liturgicis ac ritualibus libris Orientalium dicemus.

Cùm hæreticorum schismaticorumque malitia tum in Liturgias, tum in alios Orientalium libros errores irrepserint, circa eorumdem emendationem ac usum, duæ quæ sequuntur observandæ sunt regulæ. Prima: *Phrases quæ exprimere possint hæreses quæ in illis locis vigeant, sunt omninò tollendæ.* Hinc à Nestorianorum libris non solùm expungi debent dictiones illæ quæ indicare videntur duas inesse in Christo personas, quarum una in alterâ inhabitet, vel cum alterâ conjuncta sit per amorem, ac per honoris, potentiæ, dignitatisque communicationem; sed etiam verba illa quibus beata Virgo Christi Mater appelletur; ibi enim Christiparæ nomen pro Nestorianismi tesserâ habetur, illiusque usus prohibitus omninò censendus est; sicuti in Antiochenâ Synodo, circa finem tertii seculi prohibitum fuisse à nonnullis asseritur, appellare Dei Filium, seu Verbum *omousion* Patri, quod à Paulo Samosateno ejusque sectatoribus hujusmodi Verbum adhiberetur ad indicandum Filium non esse à Patre distinctam personam, et in Ephesinâ synodo Mariam appellari Christiparam, quia hâc voce Nestoriana hæresis ab hæreticis significabatur aut occultabatur. Ex Jacobitarum verò libris non solùm tolli debent verba illa quibus una in Christo natura post unionem designari videatur, sed etiam additio illa facta Trisagio, quam supra diximus, quæ Jacobiticæ hæreseos aliquando habita est tessera, ac vehementer Jacobiticæ hæreseos suspicionem ingerit. Imò hâc de causâ Armeni cogendi sunt ad miscendam cum vino aquam in missâ, quòd fama sit ab hujusmodi mixtione abstinere, ne duplicem in Christo naturam post unionem profiteri videantur. Altera regula: *Ex omnibus Liturgiis Orientalibus, ubi sanctorum memoria celebratur, expungi debent nomina schismaticorum et hæreticorum.* Nam præterquàm quod falsò inter sanctos recenseantur qui extra Ecclesiæ communionem obierunt; memoria hæc schismatis sive hæreseos professio est. Sunt autem nomina hæc vel Nestorii, vel Dioscorii, vel Severi, aut aliorum qui in hæresi sive schismate mortui sunt.

In iisdem Liturgiis schismatici vel hæretici patriarchæ, sive episcopi commemoratio fieri non potest. Nam id esset cum iisdem in divinis communicare, ac probare quodammodò schisma vel hæresim. Imò in iis locis Romani Pontificis commemoratio fieri omninò debet: tum quia hæc commemoratio tessera est communionis cum eodem Pontifice, tum etiam quia ibi necessaria est ad tollendam schismatis suspicionem, et ad fidem illam profitendam, quam schismatici, negando primatum summi Pontificis, contemnunt. Hùc spectat monitum primum, quod Benedict. XIV, in primâ de novâ

euchologii Græci editione epistolâ proponit.: *Sciendum est,* inquit, *quòd sacerdotes, qui euchologio sunt usuri, nôsse debent ecclesiasticos sanctorum patrum canones, et catholicæ Ecclesiæ constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta, aliaque peragentes officia, errare comperiantur. Cùm igitur in sacrâ Liturgiâ commemorationes fieri soleant, oportet primùm quidem Romani Pontificis commemorationem agi, deinde proprii episcopi et patriarchæ, dummodò catholici sint. Quòd si alter eorum, vel ambo sint schismatici, sive hæretici, eorum commemoratio nequaquàm fiat.* Id autem decreto consonum est congregat. habitæ 1 maii, ann. 1745, ac à Pontifice maximo probato, quo instructionem hanc euchologio præmittendam præcipiebatur. Omnes Latini sive Ambrosianum, sive Mozarabicum, sive alium quemcumque rìtum habentes, in missâ Romani Pontificis commemorationem faciunt, quod argumentum est antiquam esse, et à primis deductam temporibus hanc in Latinâ Ecclesiâ consuetudinem. In Græcâ quoque Ecclesiâ à multis seculis hanc fieri consuevisse commemorationem, et nonnisi ortos schismate sublatam, facilè conjicimus. Nam Romanus Pontifex Acacium Constantinopolitanum antistitem communione privavit, quod ann. 484 inaudito ad eam diem temeritatis excessu Felicis III, Romani Pontificis nomen è diptychis abraserit, cujus damnationi Græca quoque Ecclesia subscripsit sub Hormisdâ Pontifice, ac Justino imperatore. Erat itaque in sacris diptychis Romani Pontificis nomen; pro eo ergo nominatim orabant Græci inter missarum solemnia. Quod quidem magis magisque comprobatur ex eo quòd Michael Cerularius, Photiani schismatis instaurator, ad alios patriarchas Orientis scripserit, ut videre est apud Cotelerium t. 2 Monum. Eccl. Græcæ, n. 9, p. 140, ac miratus sit, quòd nomen Romani Pontificis in sacris diptychis recenserent; cui Petrus patriarcha Antiochenus ita respondit epistolâ ab eodem Cotelerio in citato opere relatâ: *Ad hæc ego quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesiâ præcellunt, quòd sub beatæ memoriæ patriarchâ Antiochiæ Domno Joanne Papâ Romæ, ipse etiam Joannes nominatus in sacris diptychis referretur. Constantinopolim præterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus reperi, sub sanctæ memoriæ patriarchâ Domno Sergio, prædictum Papam in sacrâ Missâ cum aliis patriarchis referri.* Accedit etiam post natum in Græcis schisma nunquàm agi cœptum de unione cum Romanâ Ecclesiâ instaurandâ, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut sacræ Liturgiæ Romani Pontificis commemoratio insereretur. Hanc sanè conditionem Michaeli Palæologo an. 1163, unionem optanti, Urbanus IV, proposuit, teste Nicetâ lib. 5, c. 2; eamdemque conditionem proposuit in concilio Lugdunensi, ann. 1275, Beatus Gregorius X, eamque à Græcis admissam fuisse; ac executioni demandatam, asserit Pachymeres, lib. 5, c. 32, ubi ait: *Ex hoc legatorum adventu pacem factam referentium, duo consecuta sunt, vi priùs conventorum, exauctoratio patriarchæ, et Papæ in sacro commemoratio publica.* Id etiam in Florentinâ synodo actum fuisse testatur quoque Sylvester Sguropulus schismaticus scriptor in Histor. Conc. Flor. sess. 10, c. 12. Eàdemque præmissâ conditione tentatâ iterùm fuit concordia à Constantino, dùm ad Nicolaum V, legatos pro eâ iterùm obtinendâ misit. Hujus autem commemorationis necessitas ex eo patet, quia hæc membrorum cum Ecclesiæ capite communionis est tessera. Hinc Apostolica Sedes Græco-Italis imperavit, constit. *Etsi pastoralis*, ut hanc commemorationem facerent. Et à variis Orientalis ritûs Christianis in synodis id constitutum legimus. In synodo Zamosciæ à Ruthenis habitâ, 1710, et in eâ, quæ in monte Libano à Maronitis celebrata fuit anno 1736, in quâ, tit. de Symb. fidei, num. 12, habetur: *Sanctissimi Romani Pontificis commemorationem, tam in missis, quàm in divinis officiis, ante reverendissimi domini patriarchæ nomen, ut hactenùs consuevimus, celebrare non omittamus.*

In Liturgiis Cophticis, et aliorum Orientalium tolerari non possunt preces pro principibus, quas ita exprimant, ut se orare dicant pro orthodoxis, et fidelibus principibus, si hoc nomine designari velint principes Jacobiticæ, vel Nestorianæ sectæ; secùs verò si pro verè orthodoxis principibus orare contendant. Imò si hâc intentione orent, permittendæ sunt orationes quoque illæ, in quibus se orare aiunt pro principibus nostris, cùm hujusmodi preces ad catholicos principes dirigantur: ut testati sunt Cophti. Hìc verò notare necesse est, aliud esse orare ut infideles ac etiam hæretici, fidei lumen, aliaque bona obtineant, quæ iisdem ad animæ salutem prodesse possint; aliud eorum in missâ commemorationem facere. Primùm licet, ac Ecclesia etiam Latina in feriâ sextâ in Parasceve exemplo comprobat suo: atque hoc sensu intelligendi sunt Patres, qui cum Tertulliano ad Scapulam, cap. 2, antiquos Christianos pro imperatoribus sacrificâsse scribunt; neque enim aliud imperatoribus optâsse credimus, nisi verum bonum, ac æternæ salutis consecutionem, quæ Christianæ Religionis est finis. Alterum verò nec nunc, nec primis temporibus licuit. Nam commemoratio de quâ loquimur, communionis tessera est. Quis verò dicat in divinis cum hæreticis ac infidelibus Ecclesiæ communicare licere? Itaque horum in sacris commemorationem facere non licet. Id verò non obstat, quominùs in Græcis aliorumque orientalium Liturgiis commemoratio relinquatur imperatoris et regum, cùm orationes mentis proposito dirigantur, cùmque Orientales omnes pluries professi sint, se hoc semper propositum animo habere, ut pro orthodoxis principibus ac Christianis regibus orent. De Cophtis supra diximus, de Græcis verò Catholicis testatur id Goarius in not. ad Eucholog. Græc. pag. 38.

Præter ea quæ notata sunt, tria observanda occurrunt, quæ Apostolica Sedes circa ecclesiasticos orientalium libros instituit, tum ut schismaticorum errores præcaveantur, tum etiam ut sarta atque tecta servetur derivata ex antiquis Patribus disciplina. Benedict. XIV, Constit. *Etsi pastoralis*, quæ est pro Italo-Græcis, § 6, n 18, hæc habet: *Quia in ecclesiasticis Græcorum*

libris nonnulli errores irrepsêre, quibus primævam Ecclesiæ Græcæ puritatem fraude potissimùm ac dolo schismaticorum corruptam esse orthodoxi dolent; ideò pastoralem Latinorum ordinariorum, in quorum diœcesibus iidem Græci et Albanenses degunt, vigilantium per præsentes nostras litteras excitamus, ut omni studio curent, non aliis Græcos ipsos, seu Albanenses, tam prælatos ac presbyteros seculares quàm regulares, ecclesiasticis libris in sacramentorum administratione, et missis divinisque officiis celebrandis, uti, nisi iis qui per congregationem à sanctâ Sede Apostolicâ emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti typisque impressi fuerint. Deinde constit. cujus initium est *Demandatam*, quæ est de ritibus Melchitarum, § 11, ait. *Ut autem à sacerdotibus Græco-Melchitis in sacris mysteriis peragendis una et eadem cæremoniarum ratio, iidemque ritus serventur, et ne aliqua sensim in iisdem obrepat difformitas, mandavimus typis congregationis de propagandâ fide imprimi Missale ad usum illorum Ecclesiæ, juxta rubricas remotissimâ antiquitate firmatas, quod, absolutâ editione sacrorum librorum ritûs Cophtici, qui sub prælo sunt, incessanter impleri curabimus.* Denique § 21 ejusdem constit. de Monachis agens, Græco-Melchitis, inquit : *Nullius verò generis libros aut folia sine prævià approbatione et licentiâ episcopi diœcesani, et patriarchæ prædictorum edere possint, atque insuper nullum de rebus sacris librum aut folium publici juris faciant inconsultâ Sede Apostolicâ. Quòd si novas sacrorum librorum ab eâdem sanctâ Sede jam probatorum editiones fieri contingat, onus erit patriarchæ et episcoporum Catholicorum, inspicere, ne ullâ in re discordent ab editionibus approbatis.*

Hæc quoad ecclesiasticos orientalium libros, quibus addendum censemus, prodiisse jam summâ curâ ac numeris omnibus absolutum Euchologium Græcorum anno 1754, typis congregat. de propagandâ Fide, ejusque usum omnibus à summo Pontifice Benedict. XIV, commendari.

Venio nunc ad disciplinam indicandam, quam in sacris Liturgiis celebrandis à Latinis diversam habent. Jam dixi de iis quæ ad Eucharistiæ materiam et formam, ministrum atque subjectum spectant, plura alibi reperiri. Hìc itaque nonnulla unicè exponam de loco in quo sacrum fieri debet; de missis, quæ eodem die in uno altari celebrari queant; deque præsanctificatorum missâ juxta Orientalium ritum statis temporibus celebrandâ, atque ea explicabo quæ sunt ab Apostolicâ Sede definita.

A primis Ecclesiæ temporibus altaria in quibus Eucharistia celebrari debet, episcopi benedictione consecrari solent, atque hujusmodi consecrationem necessariam esse, ut licitè sacrum fiat, Ecclesiæ omnes, tum Orientis, tum Occidentis unamimi consensu asserunt. A multis seculis diversa est Latinæ à Græcâ Ecclesiâ disciplina. In Ecclesiâ Latinâ incruentum missæ sacrificium celebrari neutiquàm potest, nisi super altari, quod vel totum ritè consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum lapidem, qui *tabula altaris* nuncupatur. Græca autem Ecclesia à pluribus seculis, ubi altari solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapideæ hujusmodi tabulæ, super altaris mensâ aptare solent linteum quoddam episcopali benedictione consecratum, in cujus angulis sanctorum reliquiæ reconditæ sunt, quodque vocatur *antimension*, et super ipso sacra mysteria conficiuntur. Nunquàm Apostolica Sedes hunc Orientalis Ecclesiæ ritum improbavit; sed eum non solùm in partibus Orientis, verùm etiam in ipsâ Italiâ Græcis et Albanensibus observare permisit, ut videre est tum in Clementis VIII instructione, tum etiam in constitutione sæpè à nobis laudatâ *Etsi pastoralis*. Latinis verò super Græcorum antimensiis missas celebrare vetitum est mox citatâ constitutione, § 6, ubi num. 17, hæc habentur : *Si Græci velint accipere altaria portatilia ab episcopis Latinis consecrata, benè erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia, sive throni super altaria lapidea ponendi, cùm celebrant.* Et n. 59 : *Latinis presbyteris Latino ritu in Græcorum catholicorum ecclesiis celebrantibus, si careant proprio altari portatili lapideo, super antimensiis, seu thronis Græcorum sacrum facere non licet.* At S. M. Benedictus XIV, anno 1751, constit. quæ incipit *Imposita nobis*, justis de causis concessit missionariis aliisque sacerdotibus Latinis in totâ Russiâ Polonicâ commorantibus, ut *in Ecclesiis Ruthenorum unitorum, deficientibus lapideis altarium tabulis ritè consecratis, super sacris eorumdem Ruthenorum antimensiis missarum sacrificia celebrare, atque etiam ut in hujusmodi celebratione eorumdem calicibus stanneis uti liberè et licitè possint et valeant* (1).

Nota. Clemens VIII, anno 1602, permisit ut *Sacerdotes Rutheni, non schismatici, in Ecclesiis Catholicorum ritûs Latini, altaribus, calicibus et vestibus sacris eorumdem Catholicorum uti, et missam celebrare possint in casu necessitatis, ac etiam solùm devotionis causâ, dummodò ritu Rutheno celebrent. Et è contra sacerdotes ritûs Latini in Ecclesiâ Ruthenorum, non schismaticorum, altaribus, et calicibus, ac vestibus sacris uti, et missam celebrare valeant, ritu tamen Latino; dummodò prædicta serventur secluso omni scandalo, et de licentiâ prælatorum et rectorum ipsarum Ecclesiarum.*

Tum in Oriente, tum in Occidente antiqua consuetudo erat, ut in unâ ecclesiâ unicum altare inesset, in quo semel tantùm in die celebraretur. Hæc verò consuetudo jamdiù in Ecclesiâ Latinâ mutata est : quippe à pluribus seculis plura in ecclesiâ quâlibet altaria habentur, atque in uno eodemque plura eodem die sacrificia celebrantur. At in Oriente, si Maronitas excipias, paucosque alios, qui non à multis annis Latinorum sacerdotum morem imitantur, omnes fermè antiquam consuetudinem servant. Quam quidem consuetudinem ex universæ Ecclesiæ consensu derivatam, nonnisi Apostolicæ Sedis auctoritas mutare potest. Hæc autem permittit Græcis presbyteris, qui in Italiâ insulisque ei adjacentibus degunt, ut, si velint, morem

(1) Ritu tamen Latino sacrum agere illis injunctum est.

servent ex antiquissimo, et hactenùs servato ritu derivatum, nonnisi semel in die per unum sacerdotem in parochialibus ecclesiis celebrandi; concedit tamen ut in suis parochialibus vel aliis ecclesiis, præter altare majus, alia etiam minora altaria habeantur, in quibus sibi liceat pro sacerdotum numero plures in die missas celebrare. Const. *Etsi pastoralis*, § 6, n. 8 et 9. At Græco-Melchitis postulantibus ut ad satisfaciendum pietati sacerdotum et multiplicibus fidelium oblationibus, prædictum ritum antiquitate commendatum immutari permitteret, et in ecclesiis Libani et Ante-Libani plures missas eodem die super eodem altari offerendi sacerdotibus fieret potestas, Benedictus XIV, const. *Demandatam*, petitioni minimè indulgendum censuit. Permisit tamen, juxta decretum latum die 31 martii 1749, *ab aliquibus ex venerabilibus fratribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus negotiis propagandæ fidei præpositis, ut alia altaria in loco ecclesiæ apto erigi possint. Si autem altarium numerus celebrantium et offerentium multitudini non respondeat, liceat pluribus sacerdotibus, ubi hujusmodi consuetudo viget, super eodem altari unà cum episcopo vel alio sacerdote sacrificium peragente, concelebrare, ita tamen ut sacris vestibus more celebrantium induti, unusquisque totam liturgiam integrè recitet, et verba consecrationis proferat, perinde ac si sacrosanctum sacrificium singulatim conficerent.*

Hujusmodi autem sacrificium singuli sacerdotes juxta mentem eorum qui voluntarias oblationes exhibent, licitè valeant applicare. Quòd si secundæ et ulteriores oblationes prò ejusdem sacrificii applicatione superaddantur, sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriore loco offerentes, de aliis oblationibus ad eumdem finem acceptis; et nisi iidem offerentes unicâ missæ celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minimè satisfacturum. Eorum verò mentem, qui pro sacrificio obtulerunt, nunquàm à sacerdotibus impletum iri declaramus per solam adjectionem particularum, et commemorationem quæ in panis preparatione ante missæ sacrificium fieri solet; cùm omninò necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat.

Ex græco et Orientali hoc ritu, inquit idem sanctissimus Pontifex Epist. Encycl. ad mission. per Orient. deputatos, *nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium an privatis missis, quæ ab uno sacerdote celebrantur, in Orientali et Græcâ Ecclesiâ locus esse possit, cùm in Græcis templis unicum altare existat, unicum ad illud missæ sacrificium offeratur, et sacerdotes cum episcopo celebrent, aut cum sacerdote, qui primi presbyteri munere fungitur.* At privatæ etiam missæ usus, juxta Orientalis Ecclesiæ disciplinam, ex can. 31 conc. Trullani, et ex notis quibus illum Balsamon explicavit, satis validè vindicatur, atque adeò frequentis sacerdotum cum episcopo celebrationis ritus, et intacta pariter privatarum missarum consuetudo in Orientali Ecclesiâ permansit. In commodum verò sacerdotum, qui privatum missæ sacrificium offere cupiunt, salvâ semper consuetudine, ut ad unum altare unum tantummodò sacrificium in dies singulos offeratur, Græci constituerunt *paracclesias*, de quibus Allatius in Epist. ad Joannem Morinum loquitur. Sunt autem *paracclesiæ* oratoria quædam ecclesiæ contigua, in quibus altare inest, in quo sacerdos celebret, qui in alio, ubi alter celebraverit, sacrum facere nequit. Refert quoque Goarius unam templi Græcorum formam, in quâ secundum altare reperitur, in usum Latinorum sacerdotum positum. Ex quo constat non solùm Græcos privatas missas probare, sed et Latinos in Græcorum ecclesiis, ac Orientales in Latinorum altaribus, ubi proprium desit, celebrare posse, quin ea rituum permixtio sequatur, quæ vetita est, sed *urbanitatis officia ita exercentur, vel potiùs præcepta implentur æquitativi cujusdam juris, exposcentis ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda quæ jure aliquo præstare jubetur, locus ipse libenti animo concedatur*, ut concludit idem Pontifex in eâdem Encyclicâ, n. 42.

Est etiam in more positum apud Orientales, præsertim Græcos ut in feriis quadragesimæ, exceptis diebus Sabbati et Dominicæ, nonnisi præsanctificatorum missa celebretur, quæ ei similis est, quam Latina Ecclesia semel in anno, feriâ sextâ, in Parasceve celebrat. Scilicet in quâ non consecratur hostia, sed antecedentibus diebus præsanctificata sive consecrata adhibetur. A Græcis sacra dona die dominico consecrata singulis quadragesimæ feriis, exceptis tamen sabbatis, feriâ quintâ in Cœnâ Domini, festo Annuntiationis B. M. Virginis, et aliis, si quæ sint solemnitates, in quibus celebrari debeat, solent adhiberi. Patriarcha Antiochenus Græco-Melchita petiit ab Apostolicâ Sede, ut in prædictis quadragesimæ feriis sacerdotibus sui ritûs integrum sacrificium peragendi facultatem concederet. Sed SS. D. N. Benedictus XIV, petitionem rejecit, mandavitque his de rebus: *Veteres Ecclesiæ Græcæ rubricas omninò servari, eorumque executionem sacerdotibus inculcari; eliminatâ tamen ab opinione vulgi ineptâ credulitate, quâ nonnulli arbitrari dicuntur sacerdotem utentem indumentis, et supellectilibus, quibus alius sacerdos eâdem die usus est, jejunii observantiam infringere.*

Græcis verò et Albanensibus, quos sæpè diximus in cit. const. *Etsi*, etc., indulsit, *Ut tempore jejunii quadragesimalis, quo, exceptis dominicis, sabbatis, et nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more non nisi missa præsanctificatorum celebratur, servato tamen, nec prætermisso in parochialibus ecclesiis præsanctificatorum ritu, in aliis altaribus, seu ecclesiis, sive cappellis, pro suâ ac fidelium populorum devotione, missas integras quibuslibet hebdomadæ diebus, ac præsertim cum dies festi de præcepto Latinæ Ecclesiæ occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo majoris hebdomadæ triduo, celebrare possint, et valeant.*

Nota 1°: Ægyptii seu Cophti ecclesia nonnisi sine calceis ingredi fas esse credunt. Contra verò Nestoriani non solùm nefas esse putant sine calceis ecclesiam ingredi; sed eam pollui arbitrantur si quis cum calceis ingrediatur. Imò pollui aiunt altaria, si presbyteri et clerici non jejuni, aut mulieres, laicique he-

mines ad eadem accedant. Hæc autem, atque iis similia ineptæ credulitates videntur.

Nota 2°: Nestorianorum nonnulli quotidianas missas damnârunt. Sed si attendamus ad antiquam Ecclesiæ disciplinam et ad ea quæ diximus facilè erroris convincuntur. In variis enim Ecclesiis primis seculis diversa fuit, atque Augustinus et Chrysostomus missæ quotidianæ usum probârunt. Augustinus, epist. 54, novæ editionis ad Januarium : *Alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur ; alibi sabbato tantùm, et dominico ; alibi tantùm dominico.* Chrysostomus, homil. 3, in epist. ad Ephes. : *Frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare, nemo est qui semel participet.*

Nota 3° : Varia fuit etiam olim circa horam celebrandæ Liturgiæ disciplina ; nimirùm nocturnum tempus, matutinum, horâ tertiâ, sextâ, nonâ, et post vesperas, ut refert Martene lib. 1, de antiquis Ecclesiæ Ritibus. Id verò observatione dignum est, ne Orientales ob hanc rationem reprehendantur. Hinc sacr. congr. supr. inquis. 22 aprilis 1682, missionariis Capuccinis inter Maronitas degentibus permisit ut in quadragesimâ juxta ipsorum ritum tertiâ horâ post meridiem celebrare possent.

Diversa quoque est Latina ab Orientalis Ecclesiæ disciplinâ, tum circa horas canonicas, quas ecclesiastici recitare debent, tum circa dies festos, quos celebrant. Ad canonicas horas quod spectat, modo errores præcaveantur, qui in eorumdem libros ex schismaticorum dolo irrepserint, nec quidquam occurrat quod in hæreticorum vel schismaticorum hominum honorem cedat, proprium quisque ritum tutò sequitur. Illorum verò Orientalium opinio, qui diaconos presbyteros, monachosque ad recitandum extra chorum canonicas horas non obligant, probari neutiquàm potest. Tum quia ex antiquâ cùm Orientalis, tùm Occidentalis Ecclesiæ consuetudine constat, Ecclesiam eos quoque ad recitandum officium obligare voluisse, qui choro non intersint. Tum etiam quia Orientales Ecclesiæ, penès quas vigent adhuc instituta majorum, hanc obligationem fatentur : ut Græci, Syri, Armeni, aliique, quod argumentum est, apud nonnullos ex solo abusu contrariam consuetudinem ortam esse, Ecclesiâ non consentiente. Tum denique, quia refert Thomas à Jesu, Gregorium XIII, Romanum Pontificem ad dubia à Maronitarum patriarchâ proposita respondisse : *Tenentur etiam omnes ordinati ad horas canonicas, saltem illi nationi consuetas, non solùm beneficiati, sed etiam qui sunt in sacris sine beneficio.* Si ex iis nonnulli juxta proprium ritum aliud officium habeant recitandum in choro, aliud verò extra chorum, ut de Syris testatur Joseph. Simon. Asseman. dist. de Monophysitis, non dubito quin muneri satisfaciant suo, dùm justis de causis à choro absentes, aliud officium recitent.

Quoad sanctorum festos ex Orientalibus soli Maronitæ Gregorianum calendarium recepêre. Sed quæ hùc spectant, vide in Appendice ad tract. de Legibus. Circa solemnes festivitates servanda est Eugenii IV const., quæ tom. 2, Bull. est ordine 19. In eâ verò habetur : *Cum inter alias sit etiam cum ipsis Armenis disputatum, quibus diebus festivitates Annuntiationis B. M. Virginis, Nativitatis B. Joannis Baptistæ, et consequenter Nativitatis, et Circumcisionis D. N. J. C., ac præsentationis ejusdem in templo, seu purificationis B. V. M., celebrari debeant, satisque dilucidè veritas patefacta fuerit, tam SS. PP. testimoniis, quàm consuetudine Ecclesiæ Romanæ, et omnium aliarum universaliter apud Latinos et Græcos ; ne igitur in tantis celebritatibus dispar sit Christianorum ritus, unde perturbandæ charitatis occasio possit oriri, decernimus tanquàm veritati et rationi consentaneum, et juxta totius reliqui orbis observantiam, ut ipsi etiam Armeni festum Annuntiationis B. M. V. die 25 martii, Nativitatis B. Joannis Baptistæ 24 junii, Nativitatis verò secundùm carnem Salvatoris 25 decembris, Circumcisionis ejusdem 1 januarii, Epiphaniæ 6 ejusdem januarii, Præsentationis D. in templo seu Purificationis Dei Genitricis 2 februarii debeant solemniter celebrare.*

De Orientalium circa jejunium disciplinâ plura disputavimus alibi, atque satis explicavimus Græcorum ritum et obligationem quâ quisque tenetur juxta propriæ Ecclesiæ consuetudinem jejunare. Hic autem ubi veluti in propriâ sede, de diversâ quæ in variis Orientis Ecclesiis viget jejunandi disciplinâ tractamus, ea exponimus quæ sunt prætermissa. A Mingrelensibus exordium sumimus, qui licèt propriâ linguâ in sacris peragendis utantur, Græcum tamen ritum servant. Ii quatuor quadragesimas habent, ut scribit Verricellus q. 3, sect. 1 ; prima ante Pascha, quæ incipit à quinquagesimâ ; altera post Pentecosten ; tertia ante Virginis Assumptionem, eaque initium sumit à die primâ augusti. Quarta, adventûs domini per quadraginta dies. Nonnisi post solis occasum, Græco more, cœnant, quamvis interdiù, sicut et Græci, nulli scrupulo ducant fructus aliquos comedere. A carnibus abstinent, imò per tres hebdomadæ dies etiam à piscibus. In majori hebdomadâ vinum non gustant ; et nobiles quoque mulieres totâ eâ hebdomadâ, quamvis excessiva sint frigora, nudis pedibus incedunt, et tribus ejus ultimis diebus nihil omninò cibi accipiunt. Severissimæ sunt apud eos jejunii leges, nec in abstinentiâ à carnibus pro ætate aut lethali infirmitate conceditur dispensatio ; Græcorum Patrum præcepta observantes, ex quibus S. Basilius in orat. de Jejunio ait : *Ne quis se excludat à numero jejunantium, in quo omne hominum genus, omnis ætas, omnes dignitatum formæ censentur.* Ita citatus auctor, qui longo tempore in regione illâ commoratus est.

Syrorum Jacobitarum jejunia ita describit Gregorius Barhebræus ab Asseman. relatus, t. 2. Bibliothecæ Orient. pag. 304. « Quinque sunt jejunia celeberrima populo Syrorum, præter feriam quartam et sextam. Primum jejunium Quadragesimæ ; alterum Apostolorum ; tertium Migrationis, sive Assumptionis B. M. V. ; quartum Nativitatis : Quintum denique Niniviticum. Et jejunium quidem Quadragesimæ, cùm illud hebdomada Passionis salutaris subsequatur, octo supra

quadraginta diebus absolvitur. Apostolorum verò jejunium à feriâ secundâ post Pentecosten usque ad vicesimam nonam diem junii, in quâ festivitas Petri et Pauli celebratur, Occidentales observant; Orientales verò usque ad complementum quinquaginta dierum. Jejunium autem Migrationis à calendis augusti ad decimam quintam usque diem protrahitur. At jejunium Nativitatis sunt qui à quintâ decimâ novembris auspicantur; alii à calendis decembris inchoant : nonnulli verò à decimâ decembris per duas hebdomadas observant. Denique jejunium Ninivitarum à feriâ secundâ, quæ tribus hebdomadis quadragesimale jejunium præcedit, usque ad feriæ quintæ matutinum observant Orientales; Occidentales verò usque ad matutinum sabbati. » Notat hìc clar. Asseman. nomine Orientalium venire hìe Jacobitas in Assyriâ et Mesopotamiâ sub Mafriani potestate constitutos : Occidentalium verò alios Jacobitas, qui in eâdem Mesopotamiâ, et in Syriâ propriè dictâ, et in Phœnicâ atque Ciliciâ et Palæstinâ et Armeniâ sub jurisdictione patriarchæ ejusdem gentis vivunt. Iis citatus auctor canonem addit Cyriaci patriarchæ de jejunio feriæ quartæ et sextæ, in hæc verba : *Presbytero aut diacono, aut sexûs utriusque fideli, qui vicesimum ætatis annum excedit, fas non esto solvendi jejunium feriæ quartæ et sextæ, exceptis quinquaginta diebus Pentecostes, præterquàm si morbo aut pressurâ, aut vi aliquâ detentus sit aut mulier gravida vel lactans.*

Syri Nestoriani ab iis quos diximus, haud multùm dissident in jejunii disciplinâ. Præter ferias quartas et sextas quibus per anni circulum jejunant, septem jejunia Orientales Nestoriani colunt, ut ex antiquo eorumdem auctore refert cit. Asseman. Primum jejunium Quadragesimæ per septem integras hebdomadas, à dominicâ, quam illi ingressum jejunii, nos verò Quinquagesimæ dicimus. In hujusmodi jejunio ab aliis Orientalibus dissident, quòd sabbatis quoque et dominicis jejunent. Alterum jejunium Apostolorum vocatur, per totidem hebdomadas à feriâ secundâ post Pentecosten, usque ad primam æstatis, quæ septima est à Pentecoste, et in quâ festum duodecim Apostolorum celebrant. Tertium jejunium Migrationis B. M. V., ut supra. Quartum jejunium Eliæ, seu Crucis per hebdomadas septem à dominicâ primâ Eliæ, quæ quartam æstatis sequitur, usque ad feriam sextam quartæ hebdomadæ Crucis, seu septimæ Eliæ. Quintum jejunium Nativitatis, seu Annuntiationis, per quatuor hebdomadas, à Dominicâ primâ Annuntiationis, quæ proximior est calendis decembris, usque ad diem vicesimam quintam ejusdem mensis, in quâ Nativitas Christi celebratur. Sextum jejunium Niniviticum, seu Rogationis per tres dies à feriâ secundâ tertiæ ante jejunium quadragesimale hebdomadæ usque ad matutinum feriæ quintæ ejusdem hebdomadæ. Septimum denique jejunium Virginum, tribus post festum Epiphaniæ diebus. Quæ quidem jejunia, exceptis quadragesimali, Assumptionis, et Ninivitico, aliter hodiè à Nestorianis fiunt : nam jejunium Crucis seu Eliæ, et jejunium Virginum omninò sublata sunt. Jejunium verò Apostolorum à feriâ secundâ post Pentecosten usque ad vigesimam nonam junii, hoc est, usque ad festum Apostolorum producitur; jejunium Nativitatis seu Annuntiationis, à calendis decembris usque ad diem 25 ejusdem exclusivè. Imò Ebediesus Sobensis ex Gabrielis metropolitæ Bassorensis auctoritate ostendit, seculares seu laicos ad jejunia Apostolorum, Eliæ et Annuntiationis nequaquàm adigi; secùs verò monachos, quos ait ex consuetudine jejunare totum quidem jejunium Annuntiationis, duas tantùm hebdomadas jejunii Eliæ, et Apostolorum.

Nota 1° : Tam Nestoriani quàm Orientales Jacobitæ juxta morem à majoribus acceptum, jejunium feriæ quartæ et sextæ (idem de aliis) à vespere exeuntis feriæ tertiæ et quintæ inchoant, idemque exeuntis feriæ quartæ et sextæ vespere solvunt, id est, ab occasu ad occasum solis perducunt; non verò ut Latini, Græci et alii Orientales à mediâ nocte ad mediam noctem protrahunt. Id verò notari debet, ne ob consuetudinem ritè ex majoribus derivatam, reprehendantur (non enim plus Nestorianis jejunant, qui à cibis abstinent à mediâ nocte ad mediam noctem, sive à matutino ad matutinum, vel à meridie ad meridiem); et ut tollantur abusus, si qui sint in iis partibus, circa hujusmodi jejunii disciplinam.

Nota 2° : Nestoriani non modò inchoant jejunium in die dominico, sed etiam omnibus dominicis et sabbatis quadragesimæ jejunant. Hinc Abrahamus Abraza patriarcha, Barhebræo teste, præcepit ut in sabbatis et dominicis jejunii quadragesimalis sub vesperam liturgia celebraretur, quod à Georgio patriarchâ ante institutum fuisse affirmat Georgius Arbelensis. In hoc autem Nestoriani tum ab universæ Ecclesiæ disciplinâ, quæ vetat die dominico jejunare, tum ab Orientalis Ecclesiæ more recedunt, quæ solo majoris hebdomadæ sabbato jejunare solet. Hujus autem mutationis causam hanc fuisse refert Barhebræus, quòd cùm catholico significatum fuisset quosdam die dominicâ, acceptâ oblatione, inde egressos, in quodam horto lautum convivium instruxisse, legem ipse constituerit, quâ prohibebatur dominicis et sabbatis per diem fieri oblationem, ac vespertinis horis eam celebrari præcipiebatur.

Nota 3° : Jejunia Ninivitarum et Virginum, ortum ducunt à supplicationibus quas episcopi, dùm populi calamitatibus premerentur, indixerunt. Primum itaque Ninivitarum jejunium dictum est, quòd episcopus, cùm populus peste affligeretur, indictis supplicationibus Ninivitarum usus sit exemplo, tum ut populum moveret Ninivitarum instar ad pœnitentiam agendam in cinere et cilicio, tum etiam ut in eo excitaret atque foveret spem divinæ illius miserationis quam experti sunt Ninivitæ. Alterum verò jejunium Virginum appellatur, quòd ex supplicationibus originem habeat, eâ occasione indictis, in quâ rex Arabum, sive, ut alii malunt, Persarum, ex urbe Hirtâ quadraginta virgines ut sibi adducerentur imperaverat. Ob beneficia sive gratias quas per illas supplicationes obtinuerunt, statuêre ut quolibet anno jejunia hujusmodi celebraren-

tur. Vide Asseman. tom. 2 Bibl. Orient. pag. 425 et seq., ubi advertit meritò ex hâc ratione confutandos esse recentiores nonnullos, qui in Artziburio Armeniorum (quod idem cum jejunio Ninivitico Syrorum est) errores hæresesque comminiscuntur.

Cophti et Æthiopes qui eorum disciplinam sequuntur, præter jejunium feriæ quartæ et feriæ sextæ, tribus diebus post dominicam Septuagesimæ jejunare solent; ac præter Quadragesimam, quam à feriâ secundâ post Quinquagesimam auspicantur, jejunia colunt, Adventûs scilicet, quod festum Nativitatis D. N. J. C. præcedit, Assumptionis B. M. V., à primâ augusti ad quartam decimam *inclusivè*, et sanctorum Apostolorum, quod exordium sumit à die qui festum Pentecostes subsequitur, et protrahitur usque ad festum Apostolorum, quod 29 junii celebratur. Ita rem narrant monachi ritûs Cophti, qui Romæ in cœnobio sancti Stephani, vulgo *de' Mori*, commorantur, in supplici libello, quem S. M. Benedicto XIV exhibuerunt, quique dispensationem obtinuêre, quâ permittitur, tum iisdem monachis, tum aliis in eodem S. Stephani monasterio commorantibus, *ut non ad alia jejunia teneantur quàm ad jejunia Quadragesimæ à feriâ 4 Cinerum usque ad Pascha Resurrectionis, et à die lunæ post dominicam primam Adventûs, usque ad Natale Domini, et ad reliquas vigilias, et quatuor anni tempora, juxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ;* eâ tamen lege ut indultum nonnisi ipsis in Urbe aut in aliis Italiæ partibus extendatur.

Armeni non ubique eadem jejunia servant. Quamobrem præter ea quæ alibi notavi, nonnulla hìc observare operæ pretium duxi, quæ ex Epistolâ deprompsi ad illustrissimum Lercarium sacr. Congreg. de propagandâ fide à secretis missâ, in quâ Armenorum jejunia describuntur, qui Constantinopoleos commorantur. Sunt autem quæ sequuntur: Primò, omnes Armeni tum catholici, tum hæretici à feriâ secundâ Quinquagesimæ, quadragesimalis jejunii exordium sumunt; hæretici verò à piscibus abstinent, Catholici utuntur. Secundò, feriâ quartâ et sextâ non servant unicam comestionem, sed tum orthodoxi, tum hæretici à carnibus et lacticiniis abstinent; hæretici verò etiam à piscibus. Si in hujusmodi dies incidat festum Nativitatis D. N. J. C., omnes carnibus vescuntur: sicut etiam à Paschate ad Ascensionem; licèt hoc tempore Catholicorum nonnulli, ne scandalo sint, à carnibus aliquando abstineant. Tertiò, hæretici ante Nativitatis festum, quod die octavâ januarii celebrant, septem diebus jejunant, atque in vigiliâ jejunium ad vesperam usque protrahunt, tum sacrum faciunt, ac deinde cœnant, utunturque in eâ lacticiniis et ovis. At Catholici in vigiliâ duntaxat Nativitatis, cujus festum diverso ab hæreticis die celebrant, jejunare solent, ac etiam à piscibus abstinent. Missam verò, quam juxta proprium ritum celebrare deberent, vitandæ persecutionis causâ, plerùmque omittunt. Ante Epiphaniam verò ut hæretici, ita et ipsi septem diebus jejunant. Quartò, festum Assumptionis B. M. V. semper die dominico celebrant, et die lunæ ad sabbatum usque, quo die lacticiniis utuntur, jejunare solent: eâdem ratione jejunia servant, quæ præcedunt festum Transfigurationis, et festum Exaltationis sanctæ Crucis. Quintò, à feriâ secundâ post Pentecosten ad feriam sextam jejunium colunt, quod vocant sancti Eliæ; ejusdemque rationis sunt alia jejunia, sancti Gregorii illuminatoris, sancti Jacobi episcopi, S. Sergii martyris, ac S. Gregorii quem Thaumaturgum appellant, in quibus à feriâ secundâ ad sextam jejunant; sabbato verò antevertente festo, quod die dominico semper celebratur, comedunt etiam carnes. In iis hæretici unicam comestionem servant, quam ad vesperam protrahunt; meridie verò parùm tantùm cibi sumunt, et in comestione pisces non respuunt. Catholici verò solam abstinentiam à carnibus et lacticiniis servant.

Nota 1°: In iis quæ narrata sunt, quatuor observare necesse est. Primò, Armenos juxta proprium ritum missam quandoque ad vesperam usque protrahere nonnullis jejunii diebus. Id verò reprehendi nequit; imò et Græcis ipsis in Italiâ commorantibus, constitutione pluries citata *Etsi pastoralis*, permissum est. Usus autem lacticiniorum et ovorum in cœnâ, quam post missam vigiliæ Nativitatis, aut etiam sabbati sancti habere solent, permitti non potest si Latinorùm Græcorumque more à mediâ nocte jejunii exordium sumant: hoc enim in casu lacticinia et ova, ac fortassè etiam pisces Armenorum disciplina prohibet. At si jejunium à solis occasu cum aliis, quos supra diximus, auspicantur, contra jejunii disciplinam non peccant, si lacticiniis, ovisque ac etiam carne post solis occasum utantur; tum enim jejunii dies omninò transiit. Nec dubito quin ex hâc jejunandi ratione usus hujusmodi initium habuerit: mutato verò jejunii initio, usus ille, abusus evasit, adeòque tollendus est. Secundò, etiam Catholicis abstinendum esse à piscibus, feriâ quartâ et sextâ ac iis quadragesimæ diebus, in quibus hæretici abstinent. Id enim non est hæreticorum inventum, sed Armenæ, imò Orientalis Ecclesiæ disciplina, quam Catholici majori quàm hæretici studio, ac fervore custodire, atque servare debent, ne hæreticis scandalo sint, aut occasionem præbeant orthodoxos depravatæ disciplinæ accusandi. Tertiò, à Paschate ad Ascensionem, secluso scandalo non teneri ad jejunium feriæ quartæ et sextæ, cùm ex antiquâ disciplinâ, ut alibi notavimus, plures Orientales Ecclesiæ hoc tempore jejunia non servent. Quartò, sabbati diebus extra Quadragesimam, in quibus jejunare non soleant, sed lacticinia ac etiam carnes sumere, ad jejunium, vel alias abstinentias adigi non debent; cùm enim Orientalis Ecclesia excepto sabbato majoris hebdomadæ in ejusmodi diebus jejunium præcipere non soleat, jure meritoque præsumitur illam consuetudinem ex hâc disciplinâ originem trahere.

De abstinentiâ à piscibus, quam Syri Armenique servare debent, plura disserit, ac decernit in sup. cit. Encycl. Bened. XIV, n. 47: « Syri, inquit, Armenique catholici, juxta ipsorum ritum, ab esu piscium jejunii tempore abstinent; verùm cùm lati-

« nos iis vesci conspiciant, et cæteroquin impossibile, « vel saltem difficillimum asseratur, eos temperare posse à piscibus, diebus quibus Latinos iis vesci intuentur, ideò tanquàm rationi consentaneum proponitur, ut missionariis facultas tribuatur cum iis « dispensandi, cautè tamen, omnique secluso scandalo, et pio aliquo opere in locum abstinentiæ à « piscibus subrogato. Aptissimus hic fieret locus disserendi de vetustate jejunii apud Orientales, ejusque lege, licèt severiori, exactissimè tamen semper « servatâ; sed ne longiores simus, quàm par est, id « unum dicimus Apostolicam Sedem toties patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem jejunii suis « subditis præscripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum patriarcha, archiepiscopis et episcopis « sibi subjectis carnibus vesci, laicorum more indulsit, licèt juxta veterem disciplinam carnibus abstinerent, universo autem populo Quadragesimæ « tempore pisces edere, vinumque bibere permisit, « quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V, datis ad patriarcham Petri successorem litteris apostolicis in formâ brevis, die 9 martii 1610, « jussit, ut abrogatis iis, quæ Petrus patriarcha concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In « pontificatu nostro ad examen revocata est nimia « facilitas atque indulgentia Euthymii archiepiscopi « Syri, et Sidonis, et Cyrilli Patriarchæ Antiocheni « erga Græcos Melchitas, fuitque improbata: ut patet « ex constitutione nostrâ *Demandatam* 87, § 6, Bullarii nostri, tom. 1 : *Nos hujusmodi innovationem, « et abstinentiarum relaxationem, et coarctationem, in « nimium detrimentum veteris Græcarum Ecclesiarum « disciplinæ vergere judicantes, licèt alioquin, deficiente « auctoritate Apostolicæ Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostrâ expressè revocamus, et nullum effectum in posterum habere, neque ullatenùs executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere jubemus, atque insuper in toto « tractu patriarchatûs Antiocheni laudabilem consuetudinem à majoribus derivatam abstinendi etiam quâlibet feriâ quartâ, et sextâ per annum ab esu carnium, « quæ ab aliis quoque finitimis populis ejusdem Græci « ritûs exactè custoditur, indistinctè servari præcipimus.* « Incongruum verò est asserere, ideò dispensationem « concedendam esse, vel potiùs dispensandi generalem « facultatem, quod nempe Orientales aspicientes Latinos vesci piscibus tempore jejunii, exinde facilè « adducantur, ut ipsi non quidem ex aliquo contemptu, « sed naturæ fragilitate victi piscibus jejunii diebus « utantur : hoc namque argumento, si quid illud valeret, inprimis omnimoda induceretur rituum confusio; deinde si illius ratio haberetur, illud etiam « consequeretur, ut Latini inspicientes Græcos peculiaribus quibusdam vivere institutis quæ Latinis minimè permittuntur, imò inhibentur, dispensationem « petere possent, ut sibi liceret ea facere, quæ à « Græcis fieri intuentur; profitentes se Latinum quidem Ritum suscipere, sed ob naturæ fragilitatem « eum diutiùs servare non posse. »

Nota 2° : Jejunium sabbati vetitum fuit ab Ecclesiâ, quòd Manichæi aliique hæretici qui Deum malum hujus mundi conditorem atque colendi sabbati auctorem fuisse fabulabantur, sabbato jejunandum statuerint, ut publica mœstitia odium ostenderetur erga Deum colendi sabbati auctorem, qui malus rem pessimam fecisset, rerum hanc machinam tot malis obnoxiam, tot sceleribus obligatam. Vide Epiphanium hæresi 14. Ex canonibus hâc occasione editis, quibus præcipitur, nonnisi sabbato majoris hebdomadæ jejunandum, Græcorum aliorumque Orientalium disciplina pendet. At lex illa nunquàm in Romanâ Ecclesiâ recepta fuit, quæ ex apostolicâ traditione semper in memoriam Christi sepulturæ sabbati jejunium colnit; cujus rei testes sunt locupletissimi Hieronym. epist. 28, August. epist. 86, conc. Eliberitanum can. 4, et Joannes Cassianus Chrysostomi discipulus collat. 3, quibus addimus Innoc. I in Epist. ad Decentium Eugub. Episc. c. 4, Nicol. I ad Consul. Bulg., qui sub Sylvestro ortam hâc de re controversiam scribit, definiturque, ut nullus deinceps contra hujusmodi statutum *venire aut mutare præsumeret.* Quare, ut Romana Ecclesia non improbat, sed laudat Orientalis Ecclesiæ consuetudinem ex iis canonibus ortam, qui dùm hæretici, in Oriente præsertim, sabbati jejunio abuterentur, conditi fuerunt; ita Græci aliique Orientales Romanæ Ecclesiæ morem probare ac commendare tenentur, quòd cùm ei nulla devitandi ejusmodi jejunii occasio fuerit, traditionem quam nonnulli aiunt ex Apostolo Petro derivatam, servaverit.

Hæc quantùm ad Orientalium jejunia. A jejunio ad ciborum delectum ut res ordine exponatur gradum facimus. Nam etiam in hoc Orientalium à Latinæ Ecclesiæ disciplinâ dissidet. Græci enim à sanguine, et suffocato abstinendum putant, ac distinguentes inter mundos immundosque cibos ad normam Mosaicæ legis putant sine culpâ ad Christi corporis sanguinisque communionem accedere non posse, qui immundi quidpiam comederit, aut contrectaverit, nisi benedictione præmissâ, quæ in eorum Euchologio præscribitur. Alii quoque Orientales saltem, quoad abstinentiam à sanguine et suffocato, eodem modo opinantur, Armenis orthodoxis exceptis (nam qui Vartanum sequuntur, à quibusdam cibis abstinent), qui in unione cum Ecclesiâ Romanâ acceptandâ hanc Græcorum consuetudinem se relinquere professi sunt. In collationibus enim pro hâc ineundâ unione habitis, hæc Galanus refert tom. 2 de Conc. Eccl. Armen. cum Rom. *Patres Armeni tum Sisensis, tum Adanensis concilii, cum Romanâ Ecclesiâ suam conciliantes, approbaverunt epistolam dogmaticam Gregorii Armeniæ patriarchæ ad regem Haytonem, ubi Hebraica illa ciborum discretio his verbis refellebatur. Cibos autem immundos, præcipuè, qui ad pauperum manus obiter veniunt, omnes, ut inquit Paulus, in nomine Domini purificatos habere jubemus, quos, et orationibus benedicti docuit Dominus Nierses, nimirùm Chelajensis, qui similiter Armeniæ doctor et patriarcha fuerat.* Hic verò antequàm ad Græcorum morem expendendum descendam, necessarium puto Aposto-

licæ Sedis sententiam exponere. Pluries verò ab eâ decreta hâc de re prodiêre. Gregorius II, in capitulari suo ad Bavaros misso, c. 7, ait : *Nihil in perceptione ciborum judicatur immundum, nisi quod fuerit idolis immolatum, quia juxta quod magisterio apostolico docetur, omnis creatura Dei bona est; et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Nicol. I, ad Consul. Bulg., num. 43 : *Omne animal*, inquit, *cujus cibus minimè corpori noxius esse probatur, comedi non prohibetur.* Exstat præterea decretum in Florentinâ synodo pro Jacobitis editum, quod : *Romana*, inquit, *Ecclesia firmiter credit, profitetur et prædicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, quia, juxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat hominem; illamque Mosaicæ legis ciborum mundorum et immundorum defferentiam, ad cæremonialia asserit pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denuntiat, quam societas admittit humana, nec inter animalia discernendum per quemcumque sive virum, sive mulierem, et quocumque genere mortis intereant, quamvis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari et ecclesiasticâ disciplinâ possint et debeant non negata dimitti, quia, juxta Apostolum, omnia licent, sed non omnia expediunt.* Accedit etiam professio fidei, quam ex præscripto Urbani Papæ VIII Orientales emittere tenentur, in quâ hæc leguntur : *Item legalia veteris Testamenti, seu Mosaicæ legis cæremonias, sacra, sacrificia et sacramenta D. N. J. Christo adveniente cessâsse, et post promulgatum Evangelium sine peccato observari non posse, ejusdem etiam legis veteris ciborum mundorum et immundorum differentiam ad cæremonialia pertinere, quæ, surgente Evangelio, transierunt, illam etiam apostolorum prohibitionem ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, illi tempori congruisse, ut inter Judæos et gentiles dissensionis materia tolleretur, cujus Apostolicæ prohibitionis causâ cessante, etiam cessavit effectus.*

Quæ cùm ita se habeant, apertè Apostolicæ Sedis sententiæ contradicunt, qui etiam nunc vigere aiunt latam per Mosem legem de mundorum immundorumque differentiâ, et apostolicum decretum de abstinendo à sanguine et suffocato; cùm fuerit illa per Christum sublata, istud verò œconomiæ causâ ad tempus stabilitum. Vide Paulum 1 ad Cor. 8, ubi docet secluso scandalo, etiam tum fideles immolatitiis uti potuisse, et quidquid *in macello venit, quia Domini est terra, et plenitudo ejus.* Ostendit ergo ad tempus, atque œconomiæ causâ apostolos decretum de hujusmodi abstinentiâ edidisse. Errant itaque Græci si credant, aut vigere adhuc discrimen inter munda et immunda veteri lege constitutum, aut ex apostolico, et Scripturæ præcepto, ut habetur in Trullano can. 67, *à sanguine et suffocato esse abstinendum.* Consuetudo autem hæc, de medio sublato errore, permitti potest, dùm scilicet non ob apostolicum. quod ampliùs non viget, præceptum, sed ut obsequium novæ ex Ecclesiæ consuetudine derivatæ legi præstent, à sanguine et suffocato abstinent. Nam Ecclesia potest etiam cæremonias veteris legis, finc ac objecto variato, in proprium usum convertere, ut supra nos demonstravimus, ideôque in obsequium, memoriamque primi ab apostolis editi decreti, potuit etiam tacito consensu suo consuetudinem probando legem de hujusmodi abstinentiâ ferre. Quâ quidem ratione etiam undecimo Ecclesiæ seculo plures Latinæ Ecclesiæ hujusmodi abstinentiam servabant, ut scribit Humbertus cardinalis ac Sylvæ candidæ episcopus in dialogo contra Græcorum calumnias edito. Neque benedictiones illæ sunt reprehendendæ, quas Græci sacerdotes adhibent juxta eorum euchologii præscriptum erga eos, qui tetigerint, vel immundi quidpiam comederint, etiamsi res illas respiciant, quæ in lege veteri subjectum erant præceptorum cæremonialium; *dummodò quidquid ab eis fit, non eo animo fiat, ut veteris jam abolitæ legis præceptis pareatur, sed ut obsequium præstetur, aut novæ Ecclesiasticæ legi, vel canonicæ consuetudini, diuturni et continui temporis observantiâ roboratæ*; inquit Bened. XIV, in citat. constitut. Eucholog. præmittenda.

Venio nunc ad postremum disciplinæ caput, in quo Latina ab Orientali dissidet Ecclesia, quod in cælibatu clericorum situm esse diximus. Orientalis Ecclesia non secùs ac Latina à primis seculis suos semper habuit monachos, qui castitatem voverent, atque episcopos etiam nunc nonnisi cælibes habet. Imò cùm Nestorianorum, Jacobitarumque nonnulli, monachis, episcopisque uxores permiserint, non solùm à reliquis Orientalibus, sed etiam ab aliis earumdem sectarum episcopis, tanquàm disciplinæ et Ecclesiæ contemptores habiti sunt. Quamvis antiquissimo tempore ad augendam clericalis militiæ sanctitatem utraque Ecclesia Occidentalis et Orientalis æquè præscripserit, nedùm presbyteros, sed alios etiam in sacris ordinibus constitutos in perpetuo cælibatu versari debere, et hanc custodiendæ castitatis obligationem nunquàm remiserit aliarum mater, et magistra Romana Ecclesia; secùs tamen contigit tractu temporis in Orientali Ecclesiâ, quæ diaconis ac presbyteris secularibus uxorem permittit; unicam tamen, eamque virginem. Nam eorum disciplina præcipit cum Apostolo Paulo, 1 ad Timoth., cap. 3, *ut Diaconi sint unius uxoris viri;* ac vetat *bigamiam, tum propriam* quæ ex secundo matrimonio profluit, tum etiam *similitudinariam* ex primo matrimonio ortam cum viduâ vel corruptâ contracto; canones apostolici 17 et 18, et canon 3 conc. Trullani, cujus auctoritas licèt in Ecclesiâ Occidentali recepta non sit, illam tamen Orientalis Ecclesia suscipit et veneratur. Quanquàm Orientalis Ecclesiæ canones ita constituant, et licèt iisdem canonibus ætas præscripta sit, ante quam nefas sit quemque sacris ordinibus initiari : tamen partim ignorantiâ, partim hæreticorum malitiâ factum est, ut, neglectâ omninò Ecclesiæ disciplinâ, apud Jacobitas præsertim Cophtos, ac Nestorianos quamplurimos, pueri paucorum annorum sacro diaconatûs ordine initientur, qui post susceptum ordinem non solùm nubunt, sed ad secundas quoque, atque tertias nuptias transeunt. De iis verò plura dicemus dùm de Orientalium disciplinâ circa Ordinem,

et Matrimonium tractabimus, ubi ea distinctè exponemus, quæ hâc super re constituta et explicata sunt à SS. D. N. Benedicto XIV, in duabus pastoralibus instructionibus super nonnullis dubiis circa Cophtorum ritum editis.

Hæc satis visa sunt ad discrimen ostendendum, quod Latinam inter ac Orientalem Ecclesiam intercedit, et quo nonnullæ invicem dissident Orientis Ecclesiæ : inter has autem unam prætermisi, quæ extensione parva, sed gloriâ maxima est. Hæc in Naxivaniensi majoris Armeniæ provinciâ sita est, et à quarti decimi seculi initio, in quo à Bartholomæo Parvo ordinis prædicatorum stabilita fuit, fidem orthodoxam, cum Latino ritu Dominicanorum more, quem Armena lingua servat, intactam custodivit. Archiepiscopus, qui è Dominicanorum familiâ semper delectus est, sedem habet in oppido Abraner, habetque sub se decem circiter oppida, in quibus Dominicanorum ejusdem ritûs cœnobia nonnulla exstant.

CAPUT VII.

De Apostolicæ Sedis œconomiâ in disciplinæ unitate tuendâ ac procurandâ, et in tolerandis diversis aliarum Ecclesiarum, præsertim Orientalium, ritibus.

Inter cætera argumenta, quæ Apostolicam Sedem Ecclesiarum omnium principem, magistram, ac Matrem esse demonstrant, præcipuum sibi vindicat locum prudens illa œconomia, quâ disciplinæ unitatem quoad fieri potuit conservare, Apostolica instituta sarta tecta custodire, ac novitatibus, ut rerum temporumque circumstantiæ ferebant, obsistere studuit, et quâ ritus varios, qui fidei morumque integritati noxii non essent, non solùm patienter sustinuit, sed ubi ex Majorum institutis ortos agnoverit, vetuit etiam ne aliorum auctoritate immutarentur, ac ab omnibus servari mandavit. Quâ quidem agendi ratione, cùm acceptam à Christo Domino in Ecclesiam universam potestatem, tum debitum apostolicis ordinationibus obsequium, tum denique illum erga Christianos omnes amorem significavit, quo veluti pia eorumdem Mater, ita disciplinæ inter eos unitatem procuravit, ut in iis quæ cum fidei honestatisque regulâ cohærent, illorum ingenio ac voluntati indulserit, qui in ritibus variis à majoribus acceptis enutriti, haud facilè potuissent ad omnimodam disciplinæ unitatem revocari. Hujusmodi agendi rationem Petrus Romanis Pontificibus ipsius successoribus præmonstravit. Is enim patienter in Hebræis recenter ad Christi fidem conversis tulit nonnullarum cæremoniarum usum, quas à Deo eorum majores acceperant, quòd haud facile esset homines tantâ cum veneratione in illis enutritos ab earum usu divellere; ac in Hierosolymitano concilio, ut dissidiis occasionem præcluderet, mutuamque inter novos Christianos pacem foveret, Legem constituit, quâ ad tempus etiam ii qui è gentibus ad Christum venerant, à sanguine et suffocato immolatisque abstinere jubebantur. Atque ut facilè posset, quem ipse aut solus, aut ex aliorum etiam Apostolorum consilio disposuerat sacrorum ordinem, Ecclesiis omnibus præscribere et exhibere, primùm Antiochiæ sedem posuit suam, ibique septem mansit annis, quòd inde facile esset disciplinam illam ad omnes Asiæ Ecclesias transmittere; deinde Marcum in eâdem à se institutum disciplinâ, Alexandriam misit; ex quâ urbe facilè Ecclesiis Ægypti ac Africæ reliquis eadem tradere poterat instituta; ac demùm Antiochiâ Romam ipse venit, ibique perpetuò Sedem suam esse voluit, tum ut facilè posset in totâ quoque Occidentali Ecclesiâ eamdem disciplinam stabilire, tum etiam quia præstò inde esse poterat ad novas, dùm opus esset, instructiones suppeditandas, constitutis à se Antiochiæ et Alexandriæ metropolitis. Hinc autem ortam reor mirabilem illam in Ecclesiis omnibus consensionem in præcipuis ritibus, quos semper et ubique servatos legimus in perficiendâ Eucharistiâ, in aliorum sacramentorum administratione, ac in aliis quamplurimis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus.

Romanorum Pontificum Petri successorum prima ac maxima semper cura fuit, ut stabilitam ab Apostolis disciplinam in Ecclesiis omnibus custodirent. Quamobrem à primis temporibus ad hæc usque tempora nunquàm passi sunt, ut quæ in illâ contenta essent, abolerentur; et non nisi ex gravissimis causis trinæ immersionis in Baptismo usum, calicisque à laicis in recipiendâ eucharistiâ sumptionem, ac iis similia immutari permiserunt. Hujusmodi autem sollicitudinis luculentissima exempla suppetunt, tum in antiquâ, tum in recentiori ecclesiasticâ historiâ. Cùm esset ab Apostolis constitutum Ecclesiisque à Petro traditum, ut Pascha nonnisi dominico die celebraretur, sicut Euseb., lib. 5, c. 23; Socrates, lib. 5, c. 21, aliique antiqui scriptores memoriæ prodiderunt, statim ac Romanis pontificibus innotuit fuisse nonnullas in Asiâ Ecclesias, quæ lunâ quartâ decimâ martii in quemcumque hebdomadæ diem caderet, illud celebrarent, apostolicam disciplinam etiam in Ecclesiis illis restituere curârunt. Anicetus rem cum Polycarpo amicè tractavit. Victor verò illius successor concilio Romæ habito circa annum 198, jussit, *ne alio quàm dominico die mysterium resurrectionis celebraretur*, et Polycratem aliosque Asianos obtemperare detrectantes excommunicavit; etsi hortatu ac precibus Irenæi Lugdunensis episcopi excommunicationis deinde effectum suspendit. Zephyrinus quoque, qui Victori successit, tum ob falsa nonnulla dogmata, tum ob violatam apostolicam disciplinam Montanistas damnavit, qui *ad omne penè delictum Ecclesiæ fores obserabant, ac scelerata putabant iterata connubia, et Christianis, secùs ac Apostolica disciplina præscribebat, tres in anno Quadragesimas* proponebant, *quasi tres passi sint Salvatores*, inquit Hieronymus, Ep. 54. Stephanus quoque Romanus Pontifex circa medium tertii seculi, cùm Firmilianus in Asiâ et Cyprianus in Africâ baptizatos ab hæreticis iterùm baptizandos esse contenderent, *nihil adversùs traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, gravissimè id tulit*, ait Eusebius, lib. 7, c. 3, imò *abstinendos illos putavit, quòd priscam consuetudinem convellere conа-*

rentur, ut Augustinus scribit lib. 1, de Baptismo, c. 25. Habes itaque ex satis notis antiquæ Ecclesiæ monumentis, Apostolicam Sedem etiam tribus prioribus seculis in universam Ecclesiam acceptam à Christo potestatem exercuisse, ac traditionem et disciplinam, quæ ex Apostolis esset, adhibitis etiam Ecclesiasticis pœnis, in Asiâ quoque, in Africâ ac ubique gentium sartam tectam custodire studuisse. Cujus quidem sollicitudinis sequentium quoque seculorum historia toties exempla suggerit, quoties Apostolicæ Sedi significatum fuisse asserit, fuisse inter Christianos homines, qui vel apostolicam traditionem contemnerent, aut ritus usurpare neglexissent, quos Apostolica disciplina stabilivit; ut ex iis perspicuum fiet, quæ de ritibus ab Apostolicâ Sede proscriptis c. 9 disputabimus. Ita suum de disciplinæ unitate servandâ desiderium ac studium semper demonstravit.

Sed impedire non potuit quominùs novi ac varii in diversis Ecclesiis ritus instituerentur. Nam cùm difficillimis primis Ecclesiæ temporibus, nec episcopis omnibus facile esset Apostolicæ Sedi exponere, quæ pro locorum et temporum circumstantiis novæ instituendæ viderentur cæremoniæ, aut disciplinæ ecclesiasticæ ordinationes; nec facile itidem esset Apostolicæ Sedi nova disciplinæ capita, quæ stabilire expediret, Ecclesiis omnibus proponere, neque expediens videretur episcoporum hâc de re jurisdictionem limitare, eorum arbitrio relictum est, novas cæremonias addere ac sacrorum disciplinam moderari. Ne verò ex nimiâ rituum ac disciplinæ varietate confusio oriretur, plurimorum episcoporum concilia passim celebrabantur, in quibus *altiora quæque in commune tractabantur*, ut Tertullianus scribit, lib. de Jejunio, c. 13. Ex hujusmodi conciliis tribus prioribus Ecclesiæ seculis celebratis, pleraque eorum deprompta sunt, quæ in canonibus et constitutionibus apostolicis habentur, ut est à quampluribus eruditis viris observatum. Ad antiquam hujusmodi consuetudinem attendisse videtur magna Nicæna Synodus, dùm can. 5, bis in anno hujusmodi concilia celebrari decrevit. Quod quidem decretum innovatum deinceps fuit in Antiochenâ synodo sub Julio 1, can. 20; in Arausicanâ 1, sub Leone magno, can. 29, etc. In iis verò de sacrorum ordine, ac disciplinæ unitate procurandâ actum fuisse, constat ex sancto Leone in epistolâ ad episcopos Siciliæ, ex conciliis Epaunense et Gerundiense, circa sexti seculi initium celebratis, et ex Bracarensi synodo, anni 563. Atque hinc patet undenam diversi in Ecclesiâ orti sint ritus, quorum magna erat etiam in Latinâ Ecclesiâ varietas, quinto, ac sequentibus seculis, ut ex epistolâ Innocent. I, ad Decentium Eugubinum episcopum, ex epistolâ Gregorii magni ad Augustinum, quem in Angliam miserat, aliisque scriptoribus sexti atque septimi seculi, intelligimus. Quarto quoque et tertio seculo fuisse in Ecclesiis rituum varietatem, qui, salvâ pace, veluti majorum instituta susciperentur ac pro lege haberentur, jam scripserant Augustinus, ep. ad Casulanum, Hieron., ep. 29, ubi ait : *Unaquæque provincia abundet in sensu suo, et præcepta majorum leges apostolicas esse arbitretur;* et Firmilianus, qui circa medium tertii seculi hæc ad Cyprianum scripsit : *Circa multa divinæ rei sacramenta sunt apud illos* (hoc est, Romanos) *aliquæ diversitates, nec observantur illic, quæ Hierosolymis observantur.* Et infra : *Multa pro auctorum diversitate variantur, neque tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace et unitate discessum est.*

In hâc rituum varietate sustinendâ maximè enituit Apostolicæ Sedis œconomia. Nam etsi unitatem optaverit, tamen nunquàm passa est, ut ritus illi tollerentur, qui à viris aut instituti, aut commendati essent, maximæ apud populos venerationis. Hinc in Latinâ Ecclesiâ, ubi cùm Romanorum pontificum diligentiâ, tum aliarum Ecclesiarum in Apostolicâ Sede imitandâ studio, ritus penè ad unitatem redactus est, viget adhuc Ambrosianus ritus in Mediolanensi Ecclesiâ, et Mozarabus in nonnullis Hispaniarum parœciis, quòd hujusmodi ritus antiquitate et auctorum sanctitate commendati in maximâ veneratione apud gentes illas habeantur. Sed circa Orientales, ac præsertim Græcos œconomia hæc Apostolicæ Sedis mirabilis semper fuit. Cùm enim novisset Græcos majorum institutis summoperè addictos haud facilè induci ad proprium ritum deserendum, non solùm in eodem illos permanere voluit, sed plurima etiam maximè in ritum illum venerationis argumenta præbuit. Quâ quidem agendi ratione discretionem, moderationem, ac clementiam significavit suam in eos, qui dissidii spiritu incitati Latinorum ritus improbabant.

Hujus autem rei historiam à Nicolao I, in cujus pontificatu Photianum schisma cœpit, exordiemur. Is itaque, ep. 2, ad Photium hæc scribit : *De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis, scribentes per diversas Ecclesias, diversas esse consuetudines, si illis canonica non obsistit auctoritas, pro quâ obviare debeamus, nihil judicamus, vel resistimus.* Schisma sub Photio inchoatum Michaele Cerulario auctore circa medium undecimi seculi eâ animi contentione tantoque fuit odio ab impio schismatico absolutum, ut Latinorum Ecclesias, quæ Constantinopoli, Alexandriæ, et in Patriarchatu Hierosolymitano erant, in quibus sacra Latino ritu fierent, observari jusserit. Leo verò IX, Roman. Pont., missis ad illum pro extirpando schismate legatis, inter alia hæc scripsit : *Ecce in hâc parte Romana Ecclesia, quantò discretior, moderatior, et clementior vobis est, siquidem cùm intra, et extra Romam plurima Græcorum Monasteria reperiantur, sive Ecclesiæ, nullus eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paternâ traditione, sive suâ consuetudine, quin potiùs suadetur, atque admonetur eam observare. Scit sancta Romana Ecclesia quia nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, et tempore consuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quæ potest, uni Deo commendat omnes.*

Initio seculi decimi tertii, cùm Latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, et summus Pontifex, Innocentius III, decrevisset patriarcham Latinum in eâ civitate constituere, cui non solùm Latini,

sed etiam Græci obtemperarent; nihilominùs palàm declarare non prætermisit, nullum se velle Græcis ritibus inferre detrimentum; nisi quæ fortè consuetudines, inter eos receptæ, periculum animarum parerent, aut ecclesiasticæ honestati adversarentur. En decretalis verba, quæ habentur, tum t. 7, Coll. concil. Harduini, pag. 22, tum etiam in cap. *Licèt*, de Bapt.: *Licet Græcos diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes, fovere, et honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantùm cum Domino possumus, sustinendo; in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus quæ periculum generant animarum, et ecclesiasticæ derogant honestati.* Iisdem usus est verbis Honorius III in ep. ad regem Cypri, dùm indulsit, ut in nonnullis illius regni civitatibus duo essent episcopi, Latinus unus, alter Græcus. Eadem ferè verba usurpavit Innocentius IV, tum in epist. ad Danielem Russiæ regem, quam Raynaldus refert ad annum 1237, quâ ritum Ruthenum probavit; tum etiam in eâ quam ad Othonem misit cardinalem Tusculanum Sedis Apostolicæ legatum in insulâ Cypri. Idemque pontifex mittens Laurentium Minoritam apostolicum legatum ad Græcos, qui in regno Cypri erant, et ad Orientales omnes, qui in patriarchatibus Antiocheno et Hierosolymitano morabantur, mandavit ipsi, *quatenùs Græcos illarum partium, quocumque nomine censerentur, auctoritate Apostolicâ protegens, turbari eos violentiis, vel quibuscumque molestiis non permitteret, et injurias quaslibet et offensas, à Latinis eisdem illatas, plenariè faceret emendari, ac Latinis ipsis districtè præciperet, ut à similibus de cætero penitùs conquiescerent.* Alexander IV, de Synodo verba faciens à Latino episcopo in regno Cypri celebrandâ, in quam ecclesiastici quoque Græci ritûs episcopo illi subjecti convenire debuerant, episcopo indicit, ut Græcos cogeret *recipere et observare synodalia statuta, quæ tamen Græcorum ritibus fidei catholicæ non adversis, et à Romanâ Ecclesiâ toleratis non obviarent.* Nec minor fuit sequentibus seculis Apostolicæ Sedis cura in Orientalium ritibus tolerandis ac conservandis. Dùm in Lugdunensi et Florentino, aliisque conciliis de Græcorum unione cum Romanâ Ecclesiâ actum est, ea semper conditio apposita fuit, ut illis liberum rituum exercitium permitteretur. Hinc Leo X et Clemens VIII constitutiones edidère, quæ in Græcorum Enchiridio Beneventi edito reperiuntur, in quibus vehementer Latini nonnulli increpantur, qui in Græcis reprehendebant, quæ in concilio Florentino eisdem permissa fuerant: scilicet quod sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent, antequàm sacris ordinibus initiarentur, eamque post susceptos ordines sacros retinerent, quòdque Eucharistiam sub utràque specie etiam pueris exhiberent. Pari studio Pius IV, Gregorius XIII, Clemens VIII, Paulus V, aliique Romani pontifices ritus illos custodire curârunt, ut ex eorum const. liquet, præsertim ex sæpè laudatis Const. Bened. XIV. Fuisse verò de Græco et Orientali ritu servando vehementer sollicitos, satis superque probant *Ecclesiæ, quas diversis temporibus Romani pontifices Græcis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quæque etiamnùm exstant et patent, ut sacras functiones in ipsis juxta ritum suum singuli expleant,* ut inquit Bened. XIV, in Encyclicâ ad Mission. per Orient. deputatos. Ubi addit etiam: *Opportunè hìc quoque referri posset, quemadmodùm Clemens VIII, in suâ constitutione 24, § 7, veteris Bullarii, Græcum episcopum Romæ constituit, ut Italo-Græcis Latinas diœceses incolentibus ordinem juxta Græcorum ritum conferret: deindè verò alium à Clemente XII, proximo prædecessore nostro, in suâ const. incipiente* Etsi pastoralis, *fuisse superadditum Græcum episcopum, qui fixam in Bisinianensi diœcesi sedem habet; ut Italo-Græcis ordines conferat; ne qui longiùs ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut ordinès ab episcopo Græco Romæ degente juxta allatam Clementis VIII constit. suscipiant; ac ne ipsis quidem episcopis catholicis Maronitarum, Cophtorum et Melchitarum, qui aliquando Romæ versantur, denegari facultatem conferendi ordines juxta ritum suum, nationis suæ hominibus, dummodò idonei reperiantur.* Accedit etiam vetitum à Romanis Pontificibus esse quibuscumque etiam episcopali et patriarchali dignitate præfulgentibus, aut quidpiam Ritibus Orientalium detrahere aut innovare, vel aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observantiam immutet, ut videre est in const. sæpè à nobis citatâ: *Demandatam*, etc. Ac maximis etiam expensis procuratum est ab iisdem Pontificibus, ut ab omni expurgati errore Orientalium libri Romæ typis congreg. de Propag. Fide ederentur. Et præter missalia Cophticum, Maroniticum, Illyricum, etc., novissimè Græcorum Euchologium accuratissimâ editione vulgatum vidimus.

Ne verò quidpiam intentatum relinqueret quo suum in Orientales amorem significaret, et quo mutuam eos inter atque Latinos unionem foveret, Orientalibus nonnullis aliquos Latinorum ritus servare permisit, ac nonnullos ex Orientalibus in proprium usum transtulit. Armeni et Maronitæ, qui Orientalium ritum servant, veterem consuetudinem secuti propriis episcopis perspectam et approbatam, Eucharistiam non in fermentato pane, ut Orientalium reliqui, sed in azymo conficiunt. Quam quidem consuetudinem, quod ex veteribus ortam noverit, Apostolica Sedes nunquàm improbavit. Imò Bessarionis cardinalis petitioni ob hujusmodi exemplum indulsit, ut etiam in abbatiâ Cryptæ Ferratæ, quæ primùm eidem cardinali commendata fuerat, Græci monachi in illâ degentes in azymo consecrarent. Idem quoque servatur in Ecclesiâ collegiatâ sanctæ Mariæ de *Grafeo* nuncupatâ, sitâ in Messanensi diœcesi, licèt ipsius clerus ritum Græcum retineat. Similiter nonnullis ab hinc seculis Maronitæ pontificales ac sacerdotales vestes adhibent ejusdem planè formæ quam Latinus ritus præscribit, et in concilio Libanensi habito anno 1736, unanimi consensu, subsecutâ quoque apostolicâ approbatione, iidem Maronitæ, quoad Præsanctificatorum missam Latinum ritum amplexi sunt, illam tantummodò feriâ sextâ in Parasceve celebrantes; ut habet Bened. XIV, in laudatâ Encyclicâ, n. 31. Ex Græcâ autem disciplinâ

in Latinæ Ecclesiæ usum transtulit ritum recitandi Constantinopolitanum Symbolum in sacrâ missâ, ut ex Toletano concilio anni 589, colligitur : canone enim secundo decretum fuit, *ut secundùm formam Orientalium Ecclesiarum* per omnes Ecclesias Hispaniæ et Galliæciæ Symbolum illud recitaretur. Item consuetudo adorandi sanctam Crucem feriâ sextâ in Parasceve; usus etiam trisagii *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, in eâdem sextâ feriâ, et aquæ benedictio in pervigilio Epiphaniæ ex Orientali in Ecclesiam Latinam translata sunt; ut in eâdem Encyclicâ ostendit sapientissimus Pontifex. Hæc verò satis, meo judicio, demonstrant Apostolicæ Sedis studium in fidei derivatæque ab apostolicis disciplinæ unitate servandâ, ac mirabilem quoque œconomiam, quo aliarum Ecclesiarum ritus sustinuit, honoravit, atque ab omni errore immunes custodire curavit. Superest nunc, ut ipsius leges exponamus, quibus cuique proprios servare mandavit, ac semel susceptos deserere vetuit.

CAPUT VIII.

De obligatione quam quisque habet in suscepto ritu permanendi.

Ritus nomine intelligimus disciplinam Ecclesiæ auctoritate stabilitam, vel usu, et consuetudine eâdem auctoritate comprobatam. Hæc autem, ut ex auctoritatibus liquet, quas circa finem superioris capitis citavimus ex Hieronymo, Augustino, et ex pluribus Romanis pontificibus, semper tanquàm Ecclesiæ lex habita est. Præterea c. 4, demonstratum est Christi Ecclesiam potestatem habere instituendi ac præcipiendi ritus : ex quo clarè consequitur, institutos Ecclesiæ auctoritate ritus, et consuetudines eâdem auctoritate comprobatas, vim legis habere, ut ex iis quæ in Tractatu de Legibus disputantur. Ritus verò, qui in Orientali Ecclesiâ vigent, aut publicâ auctoritate Ecclesiarum instituti sunt, aut sunt consuetudines eâdem auctoritate comprobatæ, et etiam Apostolicæ Sedis decretis roboratæ, quippe quæ probat ritus, mores, et consuetudines omnes Orientalis Ecclesiæ, quæ orthodoxæ fidei non adversentur, et periculum secum non ferant animarum. Ergo ritus illi, quibus Orientalium Ecclesiarum disciplina continetur, leges sunt publicâ Ecclesiæ auctoritate stabilitæ. Hujusmodi autem legibus fideles omnes obligantur, omnes episcopi et patriarchæ omnes, ac is tantùm ab eis dispensare potest, qui universæ Ecclesiæ præest, Romanus Pontifex.

Atque hinc patet : Primò, liberum non esse cuique susceptum ritum deserere, atque ad alium transire; cùm nemo possit legem illam deserere, cui subjectus est. Secundò, unius Ecclesiæ ritum sequentes, non posse sine gravi culpâ alterius Ecclesiæ ritum contemnere; verùm etiam Ecclesiæ legem contemnerent, et disciplinam illam, quæ licèt à propriæ Ecclesiæ disciplinâ diversa sit, tamen in eumdem finem, hoc est, in æternam beatitudinem diversâ viâ fideles dirigit. Tertiò, non posse episcopos, ac multò minùs missionarios, Orientalibus proprii ritûs mutationem consulere, nec eam ullo modo probare, sive admittere, inconsultâ Apostolicâ Sede. Quamobrem SS. D. N. Const. sæpè cit. *Demandatam*, in virtute sanctæ obedientiæ Maronitarum episcopis vetat, *ne quocumqu prætextu, aut obtentu, rebus spiritualibus nationi Græco Melchitarum, in iis, quæ spectant ad jurisdictionem, et auctoritatem illius patriarchæ episcoporum et parochorum, se ingerere audeant, neve eorum subditis transitum à Græco ad Maroniticum ritum suadere, vel eos, qui spontè transire vellent, nisi fortè peculiaris à Romano pontifice licentia intervenerit, acceptare præsumant.* Et Missionariis præcipit : *Ne aliquid iisdem suggerere, aut suadere audeant, quòd liberum contemptum, atque imminutionem inducere possit; multòque minùs auctoritate propriâ aliquid circa illa innovare, aut etiam super iisdem aliquam dispensationem concedere, vel admittere præsumant. Alioquin* (inquit), *præter districtam, quam Deo, nobis, suisque superioribus* (quos de urgendâ hujus decreti observantiâ peculiariter oneramus) *rationem reddent, sciant se harum litterarum vigore privationem vocis activæ et passivæ, et inhabilitationem ad quemcumque gradum, et officium in suis respectivè ordinibus, institutis, et congregationibus, ipso facto incursuros.* In Encyclicâ sæpè à nobis citatâ, n. 21, idem summus Pontifex declarat eâdem ratione ab Apostolicâ Sede prohiberi Ruthenorum transitum ad Latinorum ritum, sive ecclesiastici sint, sive laici; Græcis verò in Italiâ degentibus sub episcopis Latinis, si laici sint, cum episcopi permissione transitus ad Latinum ritum permittitur, non verò si sint ecclesiastici, quibus Apostolicæ Sedis dispensatio necessaria est, ut ritum mutare valeant.

Hactenùs explicata generatim ostendunt obligationem in semel suscepto ritu permanendi. Nunc ad particularia veniendum est, ac primum de iis agemus, qui proprii ritûs episcopo subsunt, atque in ipsius ecclesiâ degunt; deinde de iis Orientalibus, qui in Ecclesiis vivunt, quibus Latini episcopi præsunt; denique de Latinis qui in Orientalium episcoporum diœcesibus commorantur.

§ 1. *De obligatione quam habent manendi in suscepto ritu Orientales, qui ejusdem ritûs episcopis subsint.*

Quanquàm ex iis quæ supra dicta sunt, manifestum est eos qui in proprii ritûs Ecclesiâ versentur, obligatos esse ad permanendum in eodem ritu, nec eum mutare posse sine supremâ Apostolicæ Sedis auctoritate, quæ ad alium transire permittat : tamen ea hìc indicare operæ pretium duxi, quæ sunt ab Apostolicâ Sede definita, ex quibus particulares, quæ hâc super re occurrere possunt difficultates, facilè solvuntur. Et unicè afferemus, quæ in supra c. constit. *Demandatam*, etc., pro Græco-Melchitis Bened. XIV, decrevit; ex quibus facilè colligere est quid de aliis quoque Orientalibus sit sentiendum.

Primò itaque, prohibentur Græci ad Maronitarum ritum transire sine peculiari Romani Pontificis licentiâ, atque eodem modo prohibetur transitus ad Latinum ritum, ut supra dictum est.

Secundò de iis, quos *Latinizantes* appellant, nimirùm, qui à Græcis parentibus progeniti, deficientibus Græcis sacerdotibus, Latino ritu à Latinis ad hunc diem baptizati fuerunt, eumque ritum hactenùs tenuerunt, quorum magnus numerus Damasci inveniri perhibetur, neque satis hucusque definitum fuit, cui potissimùm ritui addicti esse deberent, *statuitur et declaratur*, ut coram personâ ab ipso summo Pontifice deputandâ, semel profiteri debeant, in quo ritu vivere malint; in eoque in posterum omni variandi facultate ademptâ, perseverare teneantur.

Tertiò statuitur ut filii qui ab hujusmodi parentibus post emissam ab illis prædictam declarationem nascentur, necnon ii qui jam nati sunt, sed nondùm ad usum rationis pervenerunt, sequantur conditionem parentum, si conjuges unum eumdemque ritum elegerint; sin minùs, patris ritum sequantur.

Quartò, si quos in posterum Græcos, necessitate cogente, ob defectum parochi catholici ritûs Græci, baptismum, aut alia sacramenta à Latino presbytero recipere eveniat: illi non ideò censendi erunt Latinum ritum suscepisse; sed omni dubitatione sublatâ, ritum Græcum, in quo orti sunt, observare teneantur. Et eum quidem, durante prædictâ necessitate, in omnibus rebus quibus possunt, et præcipuè in jejuniorum observatione, retineant; in reliquis verò integrè resumant et prosequantur, statim ac episcopus, aut parochus Græcus supervenerit.

Quintò decernitur ne missionarii Latini, quos in episcoporum adjutorium et levamen Apostolica Sedes in eas regiones mittit, utendo facultatibus sibi concessis, eorumdem episcoporum jurisdictioni præjudicium inferant, et numerum subditorum imminuant : atque statuitur et declaratur, *licere tantummodò fratribus ordinis minorum S. Francisci custodiæ terræ sanctæ parochialia munia obire circa Græco-Melchitas, eisque sacramenta administrare, in iis locorum et temporum circumstantiis, quibus omninò deficiat modus habendi parochum aut alium antistitem Græci ritûs, quo casu prædicti fratres emolumenta legitimo jure debita percipere licitè valeant, et à jurisdictione Antiocheni patriarchæ nullatenùs ipsi dependeant, sed huic duntaxat petenti teneantur singulis annis notulam tradere animarum Græci ritûs in eâ civitate seu loco existentium, utpote quæ in reliquis eidem patriarchæ omninò subesse intelligantur; cujus curæ committitur, ut pro sui muneris implemento, ubicumque opus fuerit, catholici parochi copia suppetat, quo præfati Græco-Melchitæ sacramenta Græco ritu recipere queant.*

Nota. Ex hactenùs dictis colligitur, primò, ubi sunt plures episcopi, qui in eisdem locis subditos proprii ritûs habeant, ut sunt in patriarchatu Antiocheno, Maronitæ, et Græco-Melchitæ, quemlibet eorum in eos tantùm jurisdictionem habere, qui proprium ritum sequuntur, nec alterum posse alieni ritûs fideles ad proprium ritum suscipiendum attrahere, ac multò minùs admittere. Secundò, missionarios in eos qui sunt Latini ritûs, jurisdictionem exercere, tanquàm in subditos, qui nullo modo dependent à jurisdictione episcoporum, qui sunt ritûs Orientalis. Tertiò, missionarios, christianos Orientis, qui velint schisma vel hæresim ejurare, non posse hortari ad mutandum ritum, nec ad Latinum ritum admittere, sed eosdem in proprio ritu relinquere debere, ac catholico ejusdem ritûs episcopo, si adsit, subjectos. Quartò, quod spectat ad Christianos Orientalis ritûs, missionarios in adjutorium et levamen episcoporum destinatos esse; nec quidpiam facere posse, quod in illorum jurisdictionis præjudicium cedat; quamobrem tenentur iisdem episcopis ostendere, se ab Apostolicâ Sede illùc missos esse : sed jurisdictionem non ab episcopis illis, sed ab Apostolicâ Sede habent, cujus exercitium nequeunt dicti episcopi sine causâ, et inconsultâ Apostolicâ Sede impedire. Ex decreto sac. congr., de propagandâ Fide, 5 decembris 1645.

§ 2. *De obligatione quam habent manendi in suscepto ritu Orientales, qui in Latinorum Ecclesiis degunt.*

Etsi ii qui in societatem aliquam cooptantur, statim illius legibus subjiciuntur, quâ fortassè de causâ dicere solitus erat Augustinus: *Ad quam Ecclesiam veneris, ejus morem conserva;* tamen, ut quandoque homines ex principum liberalitate in alieno quoque dominio proprias servare leges sinuntur, ita Ecclesia non solùm passa est, sed etiam voluit, ut Latini in Orientalium et Orientales in Latinorum Ecclesiis proprium ritum conservarent, tum ut suam erga ritus omnes venerationem ostenderet, tum quòd exploratum haberet, homines ita in susceptam à majoribus disciplinam ferri, ut grave nimis sit eamdem deserere; tum demùm quia, hâc seclusâ lege, maxima oriri posset confusio. Leges autem hâc de re ab Apostolicâ Sede latæ, sunt constitutiones Innoc. IV pro Græcis qui in regno Cypri Latinis episcopis subjecti erant, et Leonis X, Clementis VII, Pauli III, Julii III, Pii IV et V, Gregorii XIII, Clementis VIII et Benedicti XIV, pro Italo-Græcis. Nemo autem rem distinctiùs exposuit Benedicto XIV, qui const. *Etsi pastoralis*, aliorum pontificum hâc de re decreta confirmavit et explicavit, ac alia etiam quæ opportuna visa sunt, definivit.

Primò itaque permittit, Græcos et Albanenses in Italiâ vel alibi sub episcopis Latinis degentes in proprio ritu manere; ac eos qui sunt « Ecclesiastici, in « quocumque ordine minori, vel etiam majori constituti, seculares vel regulares, à ritu Græco ad Latinum sine expressâ Sedis Apostolicæ licentiâ transire « non posse; laicos verò, ut ad ritum Latinum transire possint, episcopum diœcesanum posse pro suâ « prudentiâ permittere, non tamen communitati Græcorum sive Albanensium hujusmodi sine Apostolicæ « Sedis licentiâ, sed solùm privatis personis, attentâ « uniuscujusque necessitate. »

Secundò statuit: « Infantes natos ex patre et matre « Græcis, ritu Græco, nisi aliter parentes, accedente « Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debere. »

Tertiò: « Natos verò ex patre Latino et matre Græcâ, Latinis esse cæremoniis baptizandos : proles « enim sequi omninò debet patris ritum, si sit Lati« nus. »

Quartò: « Si verò pater sit Græcus, et mater Latina, « liberum esse eidem patri, ut proles vel ritu Græco « baptizetur, vel etiam ritu Latino, si uxor Latina « prævaluerit, id est, si in gratiam uxoris Latinæ con- « senserit Græcus pater ut Latino ritu baptizetur. »

Quintò: « Infantes ad ejus parochiæ jurisdictionem « pertinere, cujus ritûs sunt baptizati, cùm per bapti- « smum fiat suscepti ritûs Græci vel Latini professio; « ita ut ad Latinum ritum spectent, qui Latinis cære- « moniis baptizati fuerint; qui verò ritu Græco sacra- « mentum baptismi susceperint, in Græcorum numero « sunt habendi, adeòque si ante usum rationis decess- « serint, à proprio, cujus ritu baptizati sunt, parocho, « et in propriâ Parochiâ sunt jure communi sepeliendi, « nisi iis baptismus collatus fuerit, vel ob gravem ne- « cessitatem, cùm nimirùm morti proximi fuerint, nec « haberi potuerit proprii parochi, vel ritûs copia, vel « ex dispensatione apostolicâ, cùm videlicet facultas « data fuerit ut latinè quidem baptizentur, sed in suo « ritu Græco permaneant: in iis enim casibus non « censentur à proprio ad alium ritum transisse. Post « usum verò rationis idem dicendum, nisi quis in alieni « ritûs Ecclesiâ sepeliri cupiat; si quis enim Græco ritu « baptizatus in Latinâ Ecclesiâ, vel Latinæ baptismate « initiatus, in Ecclesiâ Græcâ sepulturam eligat, juris re- « gulæ sunt servandæ: nimirùm cadaver extra propriam « parochiam à proprio parocho esse associandum, quar- « tâ funerali ei minimè imminutâ, et ubi tumulandum « est cadaver, ibi à parocho illius Ecclesiæ, sive La- « tinæ, sive Græcæ, sunt exequiæ celebrandæ. »

Sextò: « Quando verò infantibus prædictis, seu etiam « adultis, exequiæ ritu Græco, et in Ecclesiâ Græcâ, « ut præfertur, jure communi sunt celebrandæ, tunc « nullum jus habet Latinus parochus interessendi cum « Græco parocho, nec partem aliquam stolæ perci- « piendi; similiter nullum jus competit parocho Græco, « quando exequiæ in Ecclesiâ Latinâ, et per Latinum « parochum sunt peragendæ, sed servanda sunt utro- « bique statuta de juribus parochorum, circa sepultu- « ram eorum qui ad propriam parochiam spectant. »

Septimò: « Quem ritum semel in baptismo sunt pro- « fessi, sive Latinum sive Græcum, in eo institui et « educari debent, nec ad alium possunt transire, si « Latinum semel susceperint. Ritus enim Latinus pro- « pter suam præstantiam, eò quòd sit ritus sanctæ « Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris, et « magistræ, sic supra Græcum ritum prævalet, maximè « in Italicis regionibus, ubi Latinis episcopis Græci « subjecti sunt, ut non modò ab ipso ad Græcum trans- « itus nullatenùs permittatur, verùm etiam à Græcis « semel assumptus absque apostolicâ dispensatione « deseri nequeat. » Hinc maritus Latinus uxoris Græcæ ritum sequi non potest, nec Latina uxor mariti Græci. Græcus verò maritus potest, si velit, ritum uxoris La- tinæ sequi, et Græca itidem uxor mariti Latini, post cujus obitum ad ritum Græcum redire nequit.

Præter hæc quæ § 2 et 8 citat. const. sunt expli- cata, § 9 præscribitur quâ ratione Græcus ritus in Ita- liâ et insulis adjacentibus sit observandus. Ac primò quidem, Græcis ipsis et Albanensibus ritûs Græci inter Latinos degentibus, tam prælatis, parochis, et pres- byteris secularibus, quàm regularibus et laicis, ut suis ritibus atque observantiis et consuetudinibus uti, ac illos et illas observare, missasque et divina officia secundùm eorum antiquam consuetudinem celebrare liberè ac licitè possint, concedit et indulget. Sic verò id ipsis permissum esse declarat, « ut quæ à fidelibus « in diœcesi ubi ipsi habitant, universim et sine ullo « personarum et rituum discrimine, juxta sacros ca- « nones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non ob- « stante rituum diversitate, obligati censeantur. » Cu- jusmodi sunt, Kalendarii Gregoriani observatio de quo diximus alibi, summi Pontificis, et ordinarii loci in missis, ac divinis officiis commemoratio; non verò patriarcharum et antistitum orientalium; quibus ad- dere licet commemoratio Græci catholici antistitis, ubi ex licentiâ Sedis Apostolicæ, vel ordinarii loci, pontificalia exercere permittitur: subjectio etiam con- stitutionibus apostolicis contra sollicitantes, ut loco supra citato diximus: denique dies festos de præcepto Latinæ, ubi degunt, Ecclesiæ servare tenentur.

Secundò: « Ad observationem verò jejuniorum et « vigiliarum ejusdem Latinæ Ecclesiæ, si tota loci « Græcorum communitas, vel potior Laicorum pars « cum parochis et presbyteris conjuncta induci pos- « set, optimum esset; idque absque aliâ Sedis aposto- « licæ dispensatione, arbitrio ordinariorum relinquitur « Latinorum. Non tamen ad id cogi debent, si velint « ritum suum in jejuniis sequi; cùm ipsi quâlibet heb- « domadâ, feriâ quartâ, et feriâ sextâ, ut asseritur, « soleant jejunare; neque privatis personis fas sit, « ubi parochiam Græcam habent, ibi contra proprium « ritum Latinorum more jejunia et vigilias servare; « sed omnes vel Græcè cum Græcis, vel Latinè cum « Latinis jejunent. Ubi verò propriam parochiam non « habent, ibi liberè et licitè possunt in omnibus Latino « ritui sese conformare, sive laici sint, sive presbyteri, « excepto Græco ritu, qui in missis, ac divinis officiis « à presbyteris est servandus. »

Tertiò: « Ubi parochiam Græcam habent, toleran- « dus est apud Græcos esus carnium die sabbati, si « sine scandalo fieri potest, in locis autem ipsorum, « et inter eos tantùm. »

Quartò: « Prohibentur tamen Græci suis famulis « Latinis cibos vetitos apponere die sabbati, sive alio « quocumque tempore, quando prædictis Græcis car- « nes comedere licet, sive alio quocumque tempore, « quo Latini debent ab illis abstinere: Latini enim fa- « muli Græcorum, Latinum ritum servare tenentur. »

Quintò: « Tolerandum est, ut ad jejunium eodem « die sabbati in quadragesimâ, excepto uno Sabbato « Sancto, ex antiquâ traditione non teneantur, sed « duntaxat ad abstinentiam. In jejuniis quoque bidua- « nis vel triduanis, vel aliàs à diœcesanis, vel in jubi- « læis à summo Pontifice Romano indictis, dies sab- « bati in eis comprehensus vel præscriptus, in alium « diem pro Græcorum plebe ab ipsâ diœcesanus apo- « stolicâ auctoritate permittitur commutari. »

Sextò. Mandat ne plebibus Italo-Græcis præficiantur sacerdotes à Latino diœcesano episcopo ordinati, qui Latino ritu ministrent; sed Græci vel Albanenses, catholici tamen sive advenæ, sive indigenæ, Græco ritu viventes; et ne presbyteri Latini, ni specialiter per ipsos Græcos vocati, se immisceant Græcorum functionibus. Prohibentur quoque clerici presbyterique Græci in Latinorum Ecclesiis missas et alia divina officia cum solemnitatibus, et cantu celebrare, nisi episcopus, cujus jurisdictioni subjiciuntur, vel ejus in spiritualibus Vicarius Generalis licentiam concedat: quam tamen ritè concedere valeant, etiamsi nulla præcisa necessitas adsit, sed aliqua tantùm spiritualis utilitas inde speretur.

Septimò. Præcipit ut in præcedentiis clericorum Latinorum et Græcorum « nisi consuetudo aliter ob- « tineat, non attendatur ritûs Græci et Latini diver- « sitas, sed tempus ordinationis prædictorum clerico- « rum, vel qualitas ecclesiasticæ dignitatis, si aliqui « eorum eâ insigniti reperiantur, vel cæteræ qualita- « tes, quæ jure suo in solemnitatibus ecclesiasticis « principem locum sibi vindicare solent. »

Octavò. Ita Græcos ritus servare permittit, ut Latinorum episcoporum, in quorum diœcesi degunt, jurisdictioni subjecti ita censeantur, « ut non obstantibus « quibuscumque exemptionibus et privilegiis dictis « Græcis, eorumque prælatis, rectoribus, abbatibus et « aliis tam sancti Basilii, et alterius ordinis regularibus, « qui privatam vitam degunt, nec in congregationem « sint redacti, quàm secularibus, ac etiam laicis per- « sonis quocumque nomine nuncupatis, ita Latinis « ordinariis locorum quos habitant, debeant esse sub- « jecti, ut ipsi locorum ordinarii, quascumque eorum- « dem Græcorum et Albanensium Ecclesias, monaste- « ria, prioratus, alia pia loca, tam secularia quàm cu- « jusvis ordinis regularia, eorumque prælatos, etiamsi « episcopali, archiepiscopali ac majori dignitate præ- « fulgeant, nec non abbates, rectores, ministros et « quasvis alias ejusdem nationis personas in suis civi- « tatibus et diœcesibus consistentes, quoties opus fue- « rit, visitare, ac in illis suam ordinariam jurisdictio- « nem, plenamque et omnimodam auctoritatem, in iis « quæ Dei cultum, sacramentorum administrationem « ac animarum salutem, hæresumque extirpationem « concernunt, exercere et exequi liberè et licitè va- « leant, etc. »

Nonò. « Ubi verò duo essent episcopi ejusdem loci « à Sanctâ Sede Apostolicâ deputati, unius Latinus, « alter Græcus (quemadmodùm in Calabriæ partibus, « et in Siciliâ olim fuisse perhibetur, et nunc in qui- « busdam Græciæ insulis existunt) episcopus Latinus « de personis ecclesiasticis et secularibus Græcis, ac « de jurisdictione episcopi Græci, vel aliis quibuscum- « que ad episcopum Græcum quomodolibet spectanti- « bus, nullatenùs se intromittere præsumat; sed epi- « scopus Latinus Latinorum, episcopus verò Græcus « Græcorum duntaxat curam et jurisdictionem respe- « ctivè habeant et exerceant. Id quod de episcopis « Græcis pro ordinatione Italo Græcorum Romæ, vel « in Calabriâ per Sedem Apostolicam constitutis, in- « telligendum non est, cùm facultatibus ordinariorum « careant. »

Decimò. « In diœcesi, ubi Latini et Græci inhabi- « tant, et solum archiepiscopum, sive episcopum La- « tinum ordinarium habent; dictus archiepiscopus « sive episcopus, circa negotia et causas dictorum « Græcorum vicarium Græcum ipsis Græcis gratum, « vel per ipsos Græcos eligendum (ex quo Græcus vir « meliùs Græcos mores novit quàm Latinus) ipsorum « stipendio et salario retinendum deputet; et in causis « appellationis ad metropolitanum, qui forsan Græcus « non esset, dictus metropolitanus similiter in dictis « causis judicem Græcum deputare teneatur. »

Nota. « Ad conservandam pacem inter Armenos « unitos regni Poloniæ, et ob alias gravissimas causas, « sacra congreg. de propagandâ Fide annuente San- « ctiss. decrevit, ne de cætero Armenis unitis sive « laicis, sive ecclesiasticis secularibus, quàm regulari- « bus, ad Latinum ritum quâcumque de causâ sine « speciali Sedis Apostolicæ licentiâ transire liceat; et « proinde omnibus archiepiscopis, episcopis et officia- « libus Armenorum unitorum districtè præcipiendo « mandavit, ne deinceps licentias pro hujusmodi tran « situ subditis suis, cujuscumque gradûs et conditio- « nis existant, concedere præsumant; et archiepisco- « pis, episcopis et aliis prælatis Latinis, et eorum of- « ficialibus, ne deinceps Armenos prædictos unitos ad « Latinum ritum transire volentes quovis prætextu « aut causâ, etiam cum licentiâ Armenorum prælato- « rum suorum recipere audeant sub pœnâ nullitatis « actûs. Die 2 aprilis 1669. »

§ 3. *De obligatione quâ Latini in proprio ritu permanere tenentur.*

Plura sunt quæ peculiarem in Latinis permanendi in proprio ritu obligationem demonstrant. Primùm quòd Latinus ritus sit sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium ecclesiarum est mater atque magistra; deinde quòd Clemens VIII, aliique Romani pontifices, ac præsertim Bened. XIV, utràque à nobis supracitatâ constitutione, semper expressè prohibuerint Latinos ad Græcum ritum transire; denique in partibus Orientis, ubi hæc Latini ritûs mutatio contingere posset, si paucos excipias, omnes fermè Schismatici vel Hæretici sunt; adeòque si Latini ad Græcum, vel alium orientalem ritum transirent, sese periculo exponerent labendi in hæresim; quia ritus hujusmodi suscipiendo, cogerentur saltem progressu temporis Sacramenta recipere, ac verbum Dei ab Orientalibus sacerdotibus audire ut plurimum Hæreticis, et Schismaticis, à quibus facilè in errorem induci possent, ut argumentatur Verricellus, tit. 3, de Leg., q. 81.

Hinc cùm pater Albertinus Societatis Jesu missionarius in insulis maris Ægei, in quibus omnes Græcum ritum sequuntur, dubium proposuisset sacræ congregationi quod sequitur: *An possint absolvi fideles ritûs Latini, qui transierint ad ritum Græcum, et in illo vivunt, comedendo carnes die sabbati, ac per omnia ritum servant Græcorum;* die 7 julii 1639, responsum fuit:

Posse absolvi, nisi intenaunt perseverare in ritu Græco, sine dispositione; nisi justa necessitas excuset.

Atque, hinc sequitur, primò, missionarios, à sacr. congreg., ad Orientales destinatos, teneri ad omnia Latinorum jejunia servanda, sicut etiam reliqua, quæ Latinæ Ecclesiæ disciplina præcipit; cùm sine Apostolicæ Sedis dispensatione Latinæ Ecclesiæ ritum mutare nequeant. Errat ergo Pasqualigus, ut est etiam à Verricello notatum, dùm ait, missionarios inter Orientales degentes non teneri ad jejunia, quæ extra Quadragesimam Latini servant, quòd hæc apud Orientales non vigeant, ac fortassè nunquàm viguerint. Nam præterquàm quòd Latinum ritum, quâ parte possunt, omninò servare tenentur, ut ex Romanorum Pontificum decretis liquet, tum in citatis à nobis constitutionibus, tum etiam sacrarum congregationum definitionibus, pluries declaratum est, Latinos in Oriente degentes, vigilias, aliaque propria Latinæ Ecclesiæ jejunia servare debere.

Sequitur secundò, non rectè sentire Thomam à Jesu, dùm de conversione omnium gentium, lib. 6, c. 8, v. 2, ait: *Seculares domicilium habentes in Ecclesiâ Græcâ, vel aliâ Schismaticorum, quales nunc sunt Lusitani multi in interiori Æthiopiâ, posse se consuetudini accommodare, et debere; maximè si sit scandalum, nisi aliàs vellent ipsi in omnibus Latino more vivere, habeantque ministros Ecclesiæ Latinæ: nam tunc certum est nullatenùs teneri.* Etenim ex generali consuetudine totius orbis christiani, nullus obligatur proprium ritum deserere, quòd nimis durum sit antiquos mores mutare; quamobrem ne Orientales quidem, qui inter Latinos degunt, proprium ritum mutare coguntur. Nec video in hoc scandalum esse posse ullum, cùm hæc consuetudo notissima sit, ut ex Leonis IX epistolâ liquet, quæ est ad Michaelem patriarcham Constantinopolitanum, cujusque verba nos supra retulimus. Præterea à Romanis Pontificibus expressè vetitus est transitus à Latino ad alium ritum; imò ne Latinæ quidem uxori ad Græcum viri ritum transire permittitur. Pro iis ergo ea tenenda erit regula, quam Bened. XIV, const. *Demandatam*, pro Græco-Melchitis præscripsit; scilicet, ubi Latinus necessitate cogente, ob defectum Parochi et alterius sacerdotis proprii ritûs, Baptismum, aut alia sacramenta ab Orientali presbytero recipere eveniat, ille non ideò censendus erit Orientalem ritum suscepisse, sed omni dubitatione sublatâ, ritum Latinum observare debebit, eumque durante prædictâ necessitate, in omnibus rebus, quibus potest, et præcipuè in jejuniorum observatione retinere: in omnibus verò integrè reassumere tenebitur, statim ac episcopus aut parochus proprii ritûs advenerit.

Sequitur tertiò, non teneri Latinos, qui in Oriente versantur, etsi ibi perpetuum domicilium stabilierint, jejunia Orientalium more servare; Ecclesia enim neminem ad jejunia diversarum Ecclesiarum simul cogit. Curare verò debent, ne aliis præsertim pusillis scandalo sint.

Nota 1°: Cùm lex, quæ obligat ad manendum in proprio ritu, sit lex ecclesiastica, quæ cum gravissimo incommodo neminem obligare præsumitur, scilicet in iis circumstantiis, in quibus pia Ecclesia mater filios suos non obligaret, dari potest casus in quo sine peccato aliquis ritum mutet suum. Ut, ex. gr., si uxor Latina in Oriente degens nequeat virum Græcum ad Latinum ritum trahere, nec cum eo possit pacem servare, si Græco more non vivat, imò gravissima ei molestia sit, poterit etiam sine culpâ Græcum ritum sequi; ut etiam à theologis deputatis in congregatione Romæ habitâ coram eminentissimo card. de Cremonâ, die 7 julii 1639, definitum fuisse refert Verricellus, tit. 3, q. 82. Ad permanendum verò in hoc Græco ritu necesse semper esset petere dispensationem à S. Sede Apostolicâ, quam petere tenetur si potest.

Nota 2°: Si maritus, ex. gr., Græcus Latinæ uxori molestus sit, in contemptum Latini ritûs quem servat, eamque ad hunc contemnendum obligare velit, tenetur hæc potiùs mortem subire, quàm obtemperare viro; quia cùm id cedat in catholicæ fidei contemptum grave esset contra fidei confessionem peccatum. Vide ea quæ in tract. de Leg. sunt ab auctore hâc de re explicata. Tunc verò Ecclesia contemneretur, cùm vir Græcus Latinæ Ecclesiæ ritum malum esse assereret, in eoque homines æternam salutem consequi non posse; vel cùm Ecclesiæ aut Apostolicæ Sedis auctoritatem legemque sperneret, quæ præcipit eum etiam Latinam Græci viri uxorem servare oportere; Ecclesiam verò non contemneret, si uxori molestus esset, eamque derideret, quod Græcum suum ritum prædiligeret, in eoque ob austeriora quæ servantur jejunia, aut alia, plus omnipotenti Deo hominem placere posse, affirmaret; id enim non esset Romanam Ecclesiam contemnere, ut patet ex cap. *Novit*, 12, dist.

Nota 3°: Nulla rituum permixtio, quæ vetita sit, haberetur, si deficiente proprii ritûs ecclesiâ, aut Latinus minister cum plebe sui ritûs in ecclesiâ Orientalium, aut Orientalis in Latinorum ecclesiâ, sacrificium missæ, aliasque ecclesiasticas functiones celebraret, *sed urbanitatis officia exercerentur, vel potius præcepta implerentur æquitativi cujusdam juris, exposcentis ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda quæ jure aliquo præstare jubetur, locus ipse libenti animo concedatur.* Vide cit. Encycl.

CAPUT IX.

De ritibus Apostolicæ Sedis auctoritate proscriptis, deque iis qui rejiciendi videantur.

Non omnes hìc recensendos suscipimus ritus, quos Apostolica Sedes etiam ab antiquis temporibus damnaverit; sed eos tantùm, quos in regionibus in quibus hâc ætate nostrâ sacræ missiones vigent, adhiberi aut tolerari posse prohibuit. Primùm verò eos indicabimus quos in Indiis Orientalibus, præsertim apud Sinenses et Malabares nec usurpari, nec ferri ullo modo posse definivit. Deinde eos quos damnavit in const. quam edidit Benedictus XIV, pro regno Serviæ, eique finitimis regionibus. Ac demùm illos qui in aliis missionum partibus tolerari non posse videantur.

§ 1. *De proscriptis ritibus Sinensibus et Malabaricis.*

Ad Sinenses quod attinet, ritus indicamus Aposto-

licæ Sedis decretis pluries damnatos, quorumque proscriptionem Clemens XI, const. quæ incipit, *Ex illâ die*, et Benedictus XIV, const. cujus initium est, *Ex quo singulari*, comprobaverunt. Primò itaque statuitur : « Cùm Deus optimus, maximus congruè apud « Sinas vocabulis Europæis exprimi nequeat, ad eum- « dem verò verum Deum significandum, vocabulum « *Tien Chù*, hoc est, Cœli Dominus, quod à Sinensibus « missionariis et fidelibus longo ac probato usu rece- « ptum esse dignoscitur, admittendum esse; nomina « verò *Tien* Cœlum, et *Xang Ti*, supremus imperator « penitùs rejicienda. »

Secundò, « idcircò tabellas cum inscriptione Si- « nicâ *King Tien*, Cœlum colito, in ecclesiis Christia- « norum appendi, seu jam appensas inibi retineri « permittendum non esse. »

Tertiò, « nullâ de causâ permittendum esse Christi- « fidelibus, quòd præsint, ministrent aut intersint so- « lemnibus sacrificiis, seu oblationibus, quæ à Si- « nensibus in utroque æquinoctio cujuscumque anni « Confucio, et progenitoribus defunctis fieri solent, « tanquàm superstitione imbutis. Similiter nec esse « permittendum, quòd in ædibus Confucii, quæ Sinico « nomine *Miao* appellantur, iidem Christifideles exer- « ceant ac peragant cæremonias, ritus et oblationes « quæ in honorem ejusdem Confucii fiunt, tum singulis « mensibus in novilunio, et plenilunio à mandarinis, « seu primariis magistratibus, antequàm dignitatem « adeant, seu saltem post ejus possessionem adeptam, « qui postquàm ac gradus sunt admissi, è vestigio ad « templum, seu ædem Confucii se conferunt. »

Quartò, « non esse permittendum Christianis in « templis, seu ædibus progenitoribus dicatis, oblatio- « nes minùs solemnes eisdem facere, nec in illis mi- « nistrare, aut quomodòlibet inservire, vel alios ritus « et cæremonias peragere; nec oblationes hujusmodi, « ritus et cæremonias coram progenitorum tabellis, in « privatis domibus, sive eorumdem progenitorum se- « pulcris, sive antequàm defuncti sepulturæ tradantur, « in eorum honorem fieri consuetos, unà cum genti- « libus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare « aut interesse. » Imò cum omnibus hinc inde perpensis, « prædicta omnia ita peragi comperta sint, ut à « superstitione separari nequeant, Christianæ religio- « nis cultoribus nequidem permitti possunt, præmissâ « publicâ aut secretâ protestatione, se non religioso, « sed civili ac politico tantùm cultu erga defunctos, « illa præstare, nec ab eis quidquam petere aut « sperare. »

Quintò, « permittendum non esse Christifidelibus « tabellas defunctorum progenitorum in suis privatis « domibus retinere, juxta illarum partium morem, hoc « est, cum inscriptione Sinicâ, quâ thronus seu sedes « spiritûs vel animæ N. significetur, imò nec cum aliâ, « quâ sedes, seu thronus, adeòque idem ac priori, licèt « magis contractâ, inscriptione designari videatur. Quo « verò ad tabellas solo defuncti nomine inscriptas, to- « lerari posse illarum usum, dummodò in eis confi- « ciendis omittantur omnia quæ superstitionem redo- « lent, et secluso scandalo, hoc est, dummodò, qui « Christiani non sunt, arbitrari non possint, tabellas « hujusmodi à Christianis retineri eâ mente, quâ ipsi « illas retinent, nec non adjectâ insuper declaratione « ad latus ipsarum tabellarum apponendâ, quâ, et « quæ sit Christianorum de defunctis fides, et qualis « filiorum ac nepotum erga progenitores pietas esse « debeat, enuntietur. »

Venio ad Malabaricos : Primò prohibentur in baptizandis tam pueris, quàm adultis omittere sacramentalia, jubenturque omnia palam adhibere; *et signanter salivam, sal, et insufflationes, quæ ex Apostolicâ traditione catholica Ecclesia recepit; et ob recondita in iis sacris cæremoniis divinæ ergo nos bonitatis mysteria, sanctè et inviolabiliter custodire.* Ac missionarii gravis negligentiæ arguuntur, quod recursum non habuerint ad Apostolicam Sedem pro obtinendâ facultate dispensandi circa usum prædictorum sacramentalium, declaraturque malè se gessisse episcopos, concedendo hujusmodi dispensationem inconsultâ Apostolicâ Sede. Hæc dispensatio concessa fuit ad decennium à Clemente XII, atque ad aliud decennium prorogata à S. M. Bened. XIV, anno 1744 : « Omnibus tamen « missionariis districtè præcipiendo, ut hâc dispensa- « tione benignè à S. Sede indultâ, nonnisi certis in « casibus, et cùm gravis id necessitas postulabit, de « quo eorum conscientia oneratur, utantur, nec nisi « in prædictis casibus salivæ usum in administratione « baptismatis possint omittere, et occultas adhibere « insufflationes; modo ii, qui se baptizandos offerunt, « in eâ non sint opinione, ut credant salivam atque « insufflationes hujusmodi ineptam esse, atque inde- « centem sacramentalis ritûs materiam; qui enim « adeò falsâ atque distortâ persuasione imbuti essent, « tanquàm indigni et incapaces sacramenti Baptismatis « licitè suscipiendi, ab eo repellendi essent. »

Secundò : Statuitur ne Christianis nomina imponant Idolorum, vel falsæ sectæ pœnitentium, atque *curent quantum fieri potest, ut*, juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem baptizando à baptizante nomen imponatur alicujus sancti in martyrologio Romano descripti.

Tertiò : Monentur ne baptisma infantium, ex christianis parentibus ortorum, diù protrahatur, non sine maximo dictorum infantium salutis discrimine; « sed « sacrorum canonum memores, terminum breviorem « quàm fieri possit, attentis circumstantiis, genitori- « bus præsignent, graviter conscientiam eorum one- « rantes, nisi filios intra præfixum tempus ad Eccle- « siam deferant sacro fonte abluendos. »

Quartò : Prohibetur contrahi matrimonium juxta morem regionis ab infantibus sex aut septem annorum, « ex genitorum consensu, qui matrimonium « indissolubile de præsenti contrahant per impositio- « nem Taly, seu aureæ tesseræ nuptialis uxoris collo « pensilis, et ne hujusmodi matrimonia irrita inter « Christianos fiant, neque sponsos ita conjunctos co- « habitare sinant, donec completâ legitimâ ætate, et « explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiæ ve-

« rum et canonicum matrimonium contraxerint, juxta « formam à concilio Tridentino præscriptam in locis in « quibus decretum dicti concil. in cap. 1, sess. 24, de Re- « for. Matrim., publicatum est, et in posterum publi- « cabitur, neque ejus observantia sit impossibilis. »

Quintò : Prohibentur christianæ mulieres ad collum appensum deferre *Taly*, quod imaginem licèt informem præ se fert Pulleyaris, seu Pyllejaris idoli nuptialibus cæremoniis præpositi, « et ne uxores innu- « ptæ videantur, uti poterunt alio Taly, vel sanctis- « simæ Crucis, vel D. N. J. Christi, vel B. M. V., vel « aliâ quâvis religiosâ imagine ornato. »

Sextò : Declaratur superstitione non carere funiculum centum et octo filis compositum, et croceo succo delinitum, quo plerique dictum *Taly* appendunt; quamobrem *prohibetur dictorum filorum numerus, et unctio.*

Septimò : Interdicuntur cæremoniæ nuptiales juxta harum regionum morem, « cùm undique noxiâ gen- « tilitatis labe scateant, et difficillimum sit eas à su- « perstitiosis expurgare. » Quamobrem missionariis, eorumque superioribus injungitur, ut novis adhibitis diligentiis superstitiosa omnia à dictis cæremoniis expungant, « et signanter, præter statutas in hâc ma- « teriâ ab iisdem missionariis reformationes, ramus « arboris Aresciomara omninò auferatur, ferculorum « numerus, non minùs ac cibi præscripta qualitas va- « rietur : circuli super caput sponsorum ad tollenda « maleficia omittantur; et quod de ferculis dictum est, « de luteis vases ibidem adhiberi solitis dictum et « prohibitum intelligatur. »

Octavò : « Fructus vulgò dictus cocco, ex cujus fra- « ctione prosperitatis vel infortunii auspicia gentiles « temerè ducunt, vel omninò à Christianorum nuptiis « rejiciatur, vel saltem, si illum comedere velint, non « publicè, sed secretò et extra solemnitatem aperiatur « ab iis qui Evangelicâ luce edocti, ab hujusmodi au- « spiciorum deliramento sunt immunes. »

Nonò : « Decernitur non licere animarum pastori- « bus nec per seipsos, nec per catechistas, nec per « alios quoscumque mulieribus menstruali morbo la- « borantibus prohibere accessum ad ecclesiam, vel ad « confessarium, durante dictâ infirmitate et dictæ pu- « rificationis tempore. »

Decimò : Prohibentur festivæ gratulationes, quæ in primâ puellarum purgatione ibi fieri solent, missionariisque injungitur, « ut non solùm eas, vérùm etiam « genitores moneant, quàm dissona sit virginei pudo- « ris legibus ejusmodi obscœna consuetudo, quæ à « gentilium impudentiâ videtur inducta, ut ita labe- « factatâ puellarum verecundiâ eas effrenatè ad libidi- « nem provocare valeant. »

Undecimò : Statuitur ne hominibus abjectæ et infimæ conditionis, vulgò dictis *Pareas* qui Christiani sint, desideranda relinquatur in infirmitate copia confessarii : et ne, ingravescentibus morbis cum gravissimo vitæ corporalis periculo, ii æternæ consulere cogantur, « missionariis præcipitur ne infirmos hujus- « modi conditionis ad Ecclesiam deferendos exspe- « ctent, sed consultiùs domos ubi ægrotant, pro viri- « bus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus et « precibus, sacramentorumque pabulo recreandos, « atque demùm eos in extremo vitæ discrimine con- « stitutos sancto infirmorum Oleo deliniant absque « personarum aut sexûs acceptione, damnaturque ex- « pressè quæcumque praxis huic christianæ pietatis « officio contraria. » Præterea monentur idem missionarii, « ne ad Baptismum admittant Indos qui in « eâ sunt opinione, pareas à Deo esse reprobatos, et « ideò nullam posse sperare salutem, nisi eam opinio- « nem deposuerint. »

Duodecimò, prohibentur Christiani tympanorum pulsatores tibicines, vel alterius cujuscumque instrumenti musici sonatores, « ne in posterum audeant, « nec in pagodis, nec extra, tum occasione sacrifi- « ciorum, tum quarumcumque solemnitatum super- « stitioso cultu imbutarum sonare aut canere sub « pœnâ excommunicationis latæ sententiæ; de quâ « missionarii non solùm eos monere tenebuntur; ve- « rùm etiam illam omninò executioni demandare, « et contrafacientes ab Ecclesiâ expellere, donec ex « corde resipiscant, et publicis pœnitentiæ signis « patratum scandalum emendaverint. »

Tertiodecimò. « Declaratur pontificiam constitu- « tionem Gregorii Papæ XV, incipien. *Romanæ Sedis* « *Antistites*, ad petitionem PP. Jesu editam, quâ in- « digenis Christifidelibus lavacra non aliâ occasione « et fine, quàm corporis reficiendi, et à naturalibus « sordibus mundandi, ab Apostolicâ Sede permit- « tuntur, interdictis tempore et modo, quibus à « gentilibus adhiberi solent, æquè afficere Evangeli- « cos operarios, quibus propterea non liceat sub quâ- « cumque aliâ causâ, et fine, etiam ad effectum, ut « existimentur Sanias, seu brachmanes præ cæteris « dediti hujusmodi ablutionibus, illis uti præsertim « statutis eorum horis, et ante vel immediatè post « quamcumque sacram functionem. »

Quartodecimò. « Prohibetur cineres ex vaccæ « stercore confectos, et impiam gentilium pœniten- « tiam à Rutren institutam redolentes benedicere, eos- « que fronti sacro Chrismate delinitæ impigere, sive « quæcumque alia signa albi vel rubei coloris, qui- « bus Indi superstitiosissimi in fronte vel in pectore, « aut in aliâ quâvis corporis parte utuntur, deferre; « præcipitur verò ut sanctæ Ecclesiæ consuetudo, « piique ritus cineres benedicendi illisque chri- « stianorum caput cruce signandi ad humanæ infirmi- « tatis memoriam recolendam, religiosè serventur, « tempore, ac modo ab Ecclesiâ præscripto, scilicet « feriâ quartâ Cinerum, et non aliàs. » Hæc tum ab aliis summis Pontificibus, tum à Bened. XIV, const. quæ incipit, *Omnium sollicitudinum*, definita sunt.

§ 2. *Recensentur ea quæ proscripta sunt in const. Benedicti XIV* inter omnigenas, *quæ est pro incolis regni Serviæ et finitimarum regionum.*

Primò universim prohibet, ne ad occultandam Christianæ Religionis professionem Christiani quidquam faciant, quòd præ se professionem ferat Ma-

humeticæ sectæ, scilicet, ne Circumcisionem suscipiant; nomina Turcica, quorum nec memores esse deberent, per labia sua assumant; abominanda infidelium templa quæ *moscheas* vocant, frequentent; neve ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanent, eo fine ut Mahumetani credantur. *Quòd hæc omnia etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeant sine Mahumetis errorum simulatione.*

Secundò, damnant usum sepeliendi Christianorum cadavera in Turcarum sepulturis, cum Turcarum assistentiâ et Mahumetanis ritibus.

Tertiò, qui hujusmodi decretis non pareant, incapaces declarantur Sacramentorum in vitâ, et si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem, pœnisque subjiciuntur canonicis ministri illi qui hos ad sacramenta admittere præsumant.

Quartò, à sacramentis quoque arcendæ jubentur mulieres, quæ nuptiarum nomine in Turcarum contubernium admissæ, vitam ibi agant ab omnis religionis exercitio remotam, etiamsi interiùs se fidem profiteri asserant, *quia fides sine operibus mortua est.*

Quintò, dùm mulieres antea dictæ filios parochis baptizandos exhibeant, si eorum vitæ periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere non dubitent, admonitis matribus, ut si filii convaluerint, ipsos in Christianâ religione sedulò educare procurent. Si verò filii validi sint, nihil Pontifex summus expressè decernit, sed hortatur ministros, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritûs sancti, juxta illius dictatum, et prudentiæ suæ dictamina se gerant. Hos verò, « si ad baptismum admitti posse crediderint, matri- « bus inculcare jubentur districtam obligationem, « quam habent hujusmodi Ecclesiæ filiis, si ad ra- « tionis usum pervenerint, notam facere veritatem « Dei, eosdemque in disciplinâ, et correptione Do- « mini educare. »

Sextò, irrita atque nulla declarat matrimonia, quæ vel coram solo Turcarum judice, *caddi* dicto, vel per solos sponsos, et non ad præscriptum contrahuntur concilii Triden., quod in illis partibus publicatum, usuque receptum est; atque adeò eos qui ita contraxerint, si convivant, tanquàm in illicito concubinatu versari; arcendosque à sacramentorum communione, *nisi de præterito pœnitentiam agant, et justo in facie Ecclesiæ jungantur.*

Septimò, « Matrimonio à fidelibus ritè contracto, « eisdem minimè permittit, ne quidem ob causam « uxorum à Turcarum raptu servandarum, idem co- « ram Caddi per procuratorem Turcico ritu renovare; « nisi tamen Mahumetanus nuptiarum ritus sit merè « civilis et nullam Mahumetis invocationem aut aliud « quodcumque superstitionis genus includat. »

Octavò: Proclamationes à Tridentino statutas, quæ in concilio Albano parochis Serviæ præscribuntur, ademptâ dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem, cùm fieri potest, observari præcipit.

Nonò: Declarat non dissolvi matrimonium per uxoris fugam, et nuptias ab eâ cum Turcis contractas; adeòque si vir deinceps nupserit, in concubinatu versari. Nec sacramentorum capaces esse mulieres christianas, vel vi à Turcis raptas, vel à puellis nuptas, quamdiù in hoc concubinatu versantur, etiamsi à Turcis justæ uxoris loco habeantur.

Decimò: Jubet episcopis et missionariis, ne facultatibus sibi ab Apostolicâ Sede communicatis, inconsultò, vel erga immerentes utantur, neve terminos suæ potestatis transiliant; quamobrem vetat, dispensationem ullam concedi Mahumetanos ritus simulantibus, « vel iis in casibus quibus matrimonia juxta ri- « tum Ecclesiæ catholicæ, et validè, et sanctè cele- « branda non esse præviderint. »

Atque monet inter facultates eis communicatas, non reperiri facultatem « dispensandi super impedimento « justitiæ publicæ honestatis, proveniente ex matri- « monio rato, quod aliàs inter alterutram partem, et « alterius consanguineum in primo gradu, intercesse- « rit; sed ante consummationem, vel morte, vel aliter « legitimè solutum fuerit. »

Undecimò: Præcipit « in celebratione nuptiarum « observari tempora ab Ecclesiâ præscripta: » non vetat verò iis temporibus nuptiis interesse officii causâ, quæ à Turcis celebrentur, si sine scandalo, et Creatoris injuriâ fiat, ac dummodò in iisdem nihil fiat, quod superstitionem redoleat.

Duodecimò: Vetat cognationis spiritualis gradus ultra illos extendi, quos Trid. synod. præscripsit; declaratque nullam cognationem oriri « ex assistentiâ « matrimonio præstitâ, etiam ad contrahentium invi- « tationem, sicut nec inter eos, à quibus capilli pue- « ris primò tondentur. »

Tertiodecimò: Retineri præcipit missalis, ritualis, cæremonialisque Romani usum, rejectis ritibus, et precationibus aliunde petitis: cæremonias Baptismi, vel non omitti, vel citò suppleri; atque aquam Baptisterii juxta ritum Romanum benedici, et in Baptismo adhiberi.

Quartodecimò: In sepeliendis cadaveribus omnes Turcarum superstitiones devitari jubet, « à quibus « profectò originem trahunt superstitiosi quidam ri- « tus: veluti lotiones, quæ incenso thure, et certa- « rum precum recitatione, quæ à catholicâ impro- « bantur Ecclesiâ, peraguntur. »

§ 3. *De reliquis ritibus, qui vel proscripti sunt, vel rejiciendi videntur.*

Hactenùs ritus recensuimus, qui proscripti sunt in constitutionibus, quæ circa ritus Sinenses et Malabricos, ac circa abusus illos prodierunt, qui in christianam religionem irrepserant in regno Serviæ finitimisque regionibus. Nunc abusos illos recensebimus, quos auctores apud alias gentes vigere referunt. Initium autem sumimus ab Abyssinis, dicemusque de reliquis ordine.

Abyssini, seu Æthiopes circumcisionem adhibent, quam apud Ægyptios quoque nonnullos in usu esse, auctores testantur. Supremæ inquisitionis decreto, anno 1637, statutum fuit: « non esse quocumque præ- « textu tolerandam circumcisionem. Pastores verò « corrigere oportere subditos, quantùm possunt, con-

« tumacesque arcendos esse à communione. » Et quidem jure atque meritò; nam circumcisio ab hujusmodi gente adhibetur, vel ut Hebræorum, aut Mahumetanorum cæremonia est, vel ut Christum, qui circumcisus fuit, imitentur, sive, ut alii malunt, in signum honoris et nobilitatis, ut ostendant se ex Davidicâ gente originem trahere. At nullo ex iis modis circumcisio licita esse potest : ut enim Hebræorum vel Mahumetanorum est cæremonia, ritus falsus est, vel falsæ religionis tessera, ut ex dictis liquet; à Christo Domino adhibita fuit, ut cæremonia legalis; hæc autem cæremonia Christianis prohibita est. Hinc S. Th. in 4, dist. 1, q. 2, a. 5, q. 3, ad tertium ait : « non « posse honestari usum circumcisionis ex quocumque « fine honesto, quia ex prohibitione factus est malus. « Et actus malus non honestatur propter bonam inten« tionem. » Igitur ne quidem in signum nobilitatis usurpari poterit.

Nota : Si verum est quod nonnulli narrant, Ægyptios nonnullos tum masculos tum feminas circumcidere, naturâ id exigente, quæ sine circumcisione ad propria obeunda munia inepta foret, nihil reprehendi poterit, sed curandum unicè erit, ne ex hâc circumcisione scandalum alii patiantur, neve superstitionem involvat.

Refert Thomas à Jesu Abyssinos in festo Epiphaniæ quolibet anno post benedictionem aquæ, mares feminasque ter in aquam mergere prolatâ etiam baptismatis formâ. Hæc etiam cæremonia abusus est : abluere enim hominem proferendo baptismatis à Christo instituti formam, vel est baptismum conferre, aut baptismum simulare. Nefas autem est baptismum à Christo Domino institutum aut iterare aut fingere. Aiunt se id facere in memoriam baptismatis Christi. At etsi liceat vel simplici ablutione, vel aliâ ex arbitrio institutâ cæremoniâ, Christi baptismum in memoriam revocare, nullo modo licitum esse potest pro hâc cæremoniâ Sacramentum usurpare à Christo Domino pro animarum regeneratione institutum, quod iterari non liceat, quodque sine injuriâ fingi seu simulari non possit.

Ægyptii ac Syrorum plerique in eo errore versantur, ut ante determinatum tempus, hoc est, ante definitivum certum dierum numerum, nefas putent parvulos baptizare ; quamobrem plures perire sinunt sine necessario ad salutem consequendam remedio. Accedit etiam, quòd falsò credant, nunquàm licere Laicis baptizare, aut validum non esse collatum ab ipsis baptisma. Sed de his infra.

Supra citatus Thomas à Jesu inter Jacobitas nonnullos esse refert, qui baptizatorum fronti ferro candenti crucem imprimunt. Hæc autem cæremonia omninò rejicienda videtur. Nam præterquam quod arduum reddit omnibus ad salutem necessarium remedium, Seleucianorum redolere videtur hæresim ab Ecclesiâ damnatam, quæ etiam igne homines baptizandos esse contendebat.

Inter Syros quoque, Nestorianos plures vigere abusus, ritusque damnandos, narrat Assemanus in suâ Orientali Bibliothecâ : scilicet horum nonnulli baptismati circumcisionem addunt ; et qui peccatum originale negant, dùm pueros baptizant, exorcismos omittunt, quos adultis tantùm convenire posse arbitrantur, in quibus reperiri potest peccatum. Rursùs pueros morti proximos solo oleo consignant, ac inter eos nonnulli sunt qui eos iterùm baptizant qui aliâ aquâ præter eam quæ oleo unctionis consecrata fuerit baptizati sint. Ineptè pariter credunt, pollui aquam baptismatis, sacrum oleum, vasa sacra, et alia hujusmodi, si à laicis, vel à sacerdotibus, qui jejuni non sint, tangantur : item pollui quoque credunt altaria, si ad ea vel mulieres, vel laici aut clerici sacerdotesque non jejuni accedant ; imò et Ecclesiam ipsam, si quis in eam sine calceis ingrediatur. At vanæ ineptæque credulitates sunt, ut vana credulitas appellatur constitutione supra citatâ *Demandatam*, etc., fides illa Græcorum, qui putant jejunium frangere sacerdotes, si dùm sacrum faciunt, vestibus utantur quas antea alter sacerdos adhibuerit, vel si in altari celebrent, in quo eodem die sacerdos alter celebraverit. Hæ itaque, hisque similes cæremoniæ, quæ ad Dei augendum promovendumque cultum non conferant, sed ineptas potiùs in hominibus credulitates foveant, sunt omninò à sacris officiis rejiciendæ, ut quisque ex iis quæ cap. 1 et 2 disputavimus, facilè intelligere poterit.

Armeni schismatici, ut capite 6 diximus, dùm sacrum faciunt, aquam cum vino non miscent, eâque omissione Jacobiticam hæresim profiteri creduntur. Hinc Apostolica Sedes nunquàm Armenis, qui ad unionem cum Ecclesiâ Romanâ venerint, permittere voluit, licet enixè petierint, ut ad vitandam schismaticorum persecutionem, aut aliâ de causâ, aquæ cum vino mixtionem in missæ sacrificio omitterint ; sed præcepit semper, ut juxta Ecclesiæ præceptum, dùm sacrum faciunt, aquam cum vino misceant, idque non in *sacristiâ*, nec clanculùm, sed palam et publicè, ut in eorum Missali ab Apostolicâ Sede probato præscribitur. Exstant hâc de re decreta sacræ congregat. de propagandâ Fide 30 januarii 1635, et supremæ Inquisit. 1740. Ejusdem congregat. decreto, 30 januar. 1635, statutum fuit, non licere Armenis ad Romanam communionem venientibus, trisagio quo uti solent in sacris officiis, addere, *qui passus est pro nobis*. Vide quæ hâc de re explicavimus cap. 6, ubi de Jacobitis egimus.

Antequàm Græcorum ritus improbatos suspectosque recenseam, nonnulla indicare operæ pretium duco, quæ Nicolaus Papa I, in resp. ad Consult. Bulgar., superstitiosa, aut superstitionis suspecta declaravit. Primùm itaque ad ciborum delectum, quod spectat, veluti superstitiosam rejecit illorum opinionem, qui ut *animalia sive volatilia* comederent, inquirendum putabant num ferro, aut ictu hominis percussa, mortua essent ; quod nefas crederent ictu percussa, ac sine sanguinis effusione occisa comedere, num. 90. Distinctionem quoque inter munda et immunda animalia, de medio per Evangelium sublatam fuisse declaravit num. 43, ideòque sine superstitione

servari non potuisse, si aut naturâ suâ quædam immunda putarentur, aut vigere adhuc crederetur lata per Mosem lex. Addit etiam num. 57, ferri neutiquàm potuisse frivolam illorum Græcorum credulitatem, qui sine peccato comedi non potuisse opinarentur mactata ab eunuchis animalia. Deinde observationes diei et horarum in incipiendis, exercendisque negotiis, ut incantationes, et joca ac carmina, et nonnulla auguria exercere, pompas, operationesque diaboli esse declaravit, quibus in Baptismo abrenuntiavimus. Rursùs usum lapidis quo ad corporis sanitatem recuperandam uti consueverant antequàm Christiani essent, veluti superstitiosum prohibuit num. 62. Item morem aperiendi clausum codicem particulâ ligni, quâ aperitione scire se posse putabant, quod cuperent, n. 77. Ac demùm delationem ligaturæ è gutture pendentis pro infirmitate curandâ, ac phylacteria, veluti dæmoniacis inventa versutiis, rejecit atque damnavit.

Inter proscriptos Græcorum abusus in sacris cæremoniis, nonnulli falsi ritus occurrunt, quos cardinalis de Torres, archiepiscopus Montis-Regalis, in quâdam diœcesanâ synodo damnavit. Primùm itaque usum interdixit *Sinaxarii* quod recitare solebant post lectionem sextam sabbati ante dominicam Sexagesimæ, quia error in eo continebatur jam ab Ecclesiâ damnatus de animabus non recipiendis in cœlum, neque ad æternas ablegandis pœnas ante extremi judicii diem. Deinde vetuit ne officium fieret impii Gregorii Palamæ archiepiscopi Thessalonicensis. Ac demùm acclamationes quasdam censurâ perstrinxit, quibus eidem Palamæ, ac scelestissimo Photio plaudebant, ut refert Bened. XIV, de Synod. diœc. lib. 6, c. 3

Præter ea quæ diximus, nonnulla quoque recensere placuit, quæ ab Apostolicâ Sede statuta sunt pro tollendis nonnullis, qui apud Græcos vigent, abusibus, quò faciliùs sacri ministri possint certam sibi constituere regulam, quâ abusus reliquos cognoscere, eosque è medio tollere valeant. Primò itaque statutum est ne sacerdotes celebrare audeant, quin, dùm opus sit, sacramentalem confessionem juxta Tridentinæ synodi præscriptum antea præmiserint, et ne pueris altari servientibus Eucharistia concedatur, quin ii qui ratione polleant, eamdem confessionem præmiserint. Secundò, ne permittatur mulieribus altari servire, sive administrare. Tertiò, ne monachi, vel alii iter agentes, ut à periculis liberentur sive ex alio prætextu sacram ad collum appensam secum ferant Eucharistiam, neve eamdem domi, sive in propriâ cellâ retineant. Quartò, non esse Eucharistiam toto anno in Ecclesiâ servandam, et si in fine anni habeatur, consumi oportere; ac tollendum omninò abusum tundendi, vel miscendi cum sacro oleo, ac iterùm coquendi, vel alias exsiccandi species eucharisticas feriâ 5, in cœnâ Domini, ut deinceps asserventur. Quintò, ut sacramentum eucharisticum, quod pro infirmis conservatur in ecclesiis, singulis octo diebus, aut saltem quindecim renovetur. Sextò, ne viri et uxoris simul, et eodem tempore confessio ab eodem Sacerdote excipiatur. Alia recensebimus, dùm de sacramentis tractabimus.

Nota. Hæc pauca circa proscriptos ab Apostolicâ Sede ritus, abususque damnatos indicâsse sufficiat. Ex iis enim facile est cuique intelligere Apostolicam Sedem damnare ritus omnes, qui vel idololatriam, vel hæresim redoleant, sive ex animo, sive simulatè adhibeantur, ac eos qui vani inutilesque sint; et abusus omnes proscribere, qui in Sacramentorum administratione ubique gentium occurrant, hoc est, ritus consuetudinesque, quæ cum debitâ Sacramentis veneratione minimè cohæreant. Quamobrem alibi (nempe in Appendice ad tractatum de Legibus) diximus, constitutiones omnes Romanorum pontificum, quæ iis de rebus editæ sint, ac deinceps fient, ad Orientales quoque pertinere; licet pœnæ ecclesiasticæ, quæ in eisdem constitutionibus statuuntur, eos tantùm quandoque afficiant, quos expressè nominant.

INDEX RERUM.

PYRRHI CORRADI VITA. 9-10
AUCTORIS PROŒMIUM. *Ibid.*
PRAXIS DISPENSATIONUM APOSTOLICARUM. 11-12
LIBER PRIMUS. De dispensatione in genere. *Ibid.*
Caput primum. De definitione dispensationis. *Ibid.*
Cap. II. De origine dispensationis. 16
Cap. III. De divisione dispensationis. 17
Cap. IV. An in dispensatione requiratur verbum *Dispensamus.* 22
Cap. V. An dispensatio sit amplianda vel restringenda. 24
Cap. VI. An dispensatio litteris suffragetur. 30
LIBER SECUNDUS. Praxis dispensationis super irregularitate ex defectu sacramenti, bigamiæ videlicet, et reiterationis baptismi. 37-38
Caput primum. Praxis dispensationis super bigamiâ. *Ibid.*
Cap. II. Praxis clausularum primæ partis supplicationis dispensationis super bigamiâ. 43
Cap. III. Praxis clausularum secundæ partis supplicationis ejusdem. 49
Cap. IV. Praxis litterarum dispensationis super eâdem bigamiâ. 58
Cap. V. Praxis narrativa earumdem litterarum. 69
Cap. VI. Praxis primæ partis dispositivæ earumdem litterarum. 78
Cap. VII. Praxis secundæ partis dispositivæ earumdem litterarum. 86
Cap. VIII. Praxis expeditionis earumdem litterarum. 103.
Cap. IX. Praxis dispensationis cum reiterantibus baptisma. 117
LIBER TERTIUS. Praxis dispensationis super irregularitate proveniente ex defectu corporis et animæ. 121-122
Caput primum. Praxis dispensationis cum illegitimis ad ordines et beneficia. *Ibid.*
Cap. II. Praxis dispensationis cum expositis ad ordines et beneficia. 143
Cap. III. Praxis legitimationis quoad honores et successiones. 149

Cap. IV. Praxis dispensationis ad beneficia cum filiis hæreticorum. 154
Cap. V. Praxis dispensationis cum illegitimis regularibus. 157
Cap. VI. Praxis dispensationis cum corpore vitiatis. 160
Cap. VII. Praxis dispensationis cum neophytis. 171
Cap. VIII. Praxis dispensationis super defectu libertatis. 173
Liber quartus. Praxis dispensationis super irregularitate proveniente ex defectu ætatis et temporis. 175-176
Caput primum. Praxis dispensationis super defectu ætatis ad ordines et beneficia. *Ibid.*
Cap. II. Praxis eadem sequitur. 179
Cap. III. Praxis dispensationis super defectu ætatis ad matrimonium requisitæ. 198
Cap. IV. Praxis dispensationis de promovendo extra tempora. 206
Cap. V. Praxis dispensationis de promovendo in temporibus et intra annum. 212
Cap. VI. Praxis sequitur clausularum ejusdem. 233
Cap. VII. Praxis decretorum ejusdem. 245
Cap. VIII. Praxis dispensationis cum malè promotis extra tempora. 255
Cap. IX. Praxis dispensationis cum malè promotis ante ætatem. 257
Cap. X. Praxis dispensationis cum malè promotis sine litteris dimissoriis. 262
Cap. XI. Praxis dispensationis cum malè promotis sine titulo. 269
Liber quintus. Praxis dispensationis super irregularitate ex quocumque homicidio proveniente. 279-280
Caput primum. Praxis dispensationis super homicidio ex delicto. *Ibid.*
Cap. II. Praxis dispensationis super defectu lenitatis perfectæ. 290
Cap. III. Praxis dispensationis cum exercentibus artem medicinæ. 292
Cap. IV. Praxis dispensationis patrocinandi in causis civilibus. 298
Cap. V. Praxis dispensationis cum presbyteris ad studendum juri civili. 306
Cap. VI. Praxis dispensationis super residentiâ, et de percipiendis fructibus pro canonicis. 314
Cap. VII. Praxis dispensationis super residentiâ, pro curatis. 344
Cap. VIII. Praxis dispensationis super residentiâ, pro episcopis. 352
Cap. IX. Praxis dispensationis cum simoniacis simoniâ reali. 355
Cap. X. Praxis dispensationis cum confidentiariis. 360
Cap. XI. Praxis dispensationis cum simoniacis et confidentiariis occultis. 366
Cap. XII. Praxis formulæ absolutionis cum simoniacis. 371
Cap. XIII. Praxis dispensationis ad ordines cum apostatis. 374
Cap. XIV. Praxis dispensationis cum ejectis à religione. 378
Cap. XV. Praxis dispensationis sive licentiæ pro mulieribus ad egrediendum et ingrediendum monasteria monialium. 400
Liber sextus. Praxis dispensationis ad beneficia secularia pro regularibus, et è contra. 425-426
Caput primum. Praxis dispensationis ad beneficia secularia pro regularibus. *Ibid.*
Cap. II. Praxis dispensationis sive retentionis beneficiorum et pensionum pro clericis societatis Jesu. 441.
Cap. III. Praxis dispensationis beneficialis per viam commendæ. 446
Cap. IV. Praxis clausularum ejusdem commendæ. 452
Liber septimus. Praxis dispensationis super matrimoniis contrahendis in gradibus prohibitis. 465-466
Caput primum. Praxis impedimentorum ad matrimonium contrahendum. *Ibid.*
Cap. II. Praxis causarum dispensationum matrimonialium sine copulâ. 477
Cap. III. Praxis causarum dispensationum matrimonialium cum copulâ, vel sine illâ ob infamiam. 510
Cap. IV. Praxis impetrationis et commissionis earumdem dispensationum. 517
Cap. V. Praxis narrativæ litterarum dispensationis matrimonialis, cum causâ et sine copulâ. 553
Cap. VI. Praxis dispensativa earumdem litterarum. 581
Cap. VII. Praxis derogationis obstantium cum sequentibus, etc. 604
Liber octavus. Praxis dispensationum matrimonialium cum copulâ scienter et ignoranter, necnon de scienter et ignoranter contracto. 641-642
Caput primum. Praxis dispensationum matrimonialium cum copulâ scienter. *Ibid.*
Cap. II. Praxis sequitur narrativæ earumdem dispensationum. 659
Cap. III. Praxis dispensationum matrimonialium de scienter contracto. 670
Cap. IV. Praxis dispensationis matrimonialis de ignoranter contracto. 693
Cap. V. Praxis dispensationis matrimonialis cum copulâ, in formâ pauperum. 710
Cap. VI. Praxis imponendi à delegato pœnitentiam in eisdem litteris dispensationis injunctam. 742
Cap. VII. Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento publicæ honestatis justitiæ. 762
Cap. VIII. Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento cognationis spiritualis, seu compaternitatis. 779
Cap. IX. Praxis dispensationis super impedimento criminis. 787
Cap. X. Praxis dispensationis matrimonialis super impedimento voti. 794
Liber nonus. Praxis dispensationis super alienatione bonorum ecclesiasticorum, in formâ : *Si in evidentem*, etc. 821-822.
Caput primum. Praxis prohibitionum alienandi bona ecclesiastica. *Ibid.*
Cap. II. Praxis supplicationis: *Si in evidentem*, etc. 834
Cap. III. Praxis primæ partis narrativæ litterarum in in formâ : *Si in evidentem.* 841
Cap. IV. Praxis secundæ partis narrativæ earumdem litterarum : *Si in evidentem*, etc. 851
Cap. V. Praxis dispositivæ earumdem litterarum : *Si in evidentem.*
Cap. VI. Praxis suppletionis defectuum in eisdem litteris : *Si in eviuentem.* 900
Cap. VII. Praxis derogationis obstantium in eisdem litteris : *Si in evidentem*, etc. 912
Cap. VIII. Praxis decretorum Papæin eis dem litteris: *Si in evidentem*, etc. 922
Cap. IX. Praxis venditionis *Si in evidentem*, etc. 931
Cap. X. Praxis permutationis: *Si in evidentem*, etc. 942
Cap. XI. Praxis decreti pro executione litterarum in formâ : *Si in evidentem*, etc. 949
Liber decimus. Praxis dispensationis sive licentiæ testandi de redditibus ecclesiasticis, pro personis à jure prohibitis. 957-958
Caput primum. Praxis prohibitionis testandi de redditibus ecclesiasticis. *Ibid.*
Cap. II. Praxis licentiæ testandi de redditibus ecclesiasticis pro cardinali. 969
Cap. III. Praxis clausularum licentiæ testandi de redditibus ecclesiasticis. 979
Cap. IV. Praxis licentiæ testandi pro archiepiscopis et episcopis, etc. 988
Cap. V. Praxis registrandi in camerâ litteras apostolicas. 1005
Regulæ, ordinationes et constitutiones cancellariæ apostolicæ S. D. N. Alexandri divinâ providentiâ

Papæ VII. 1013 1014
Reservationes generales et speciales. *Ibid.*
Extinctio reservationis beneficiorum per assecutionem pacificam vacaturorum. 1015
Reservatio dignitatum, necnon suorum, et S. R. E. cardinalium, familiarium beneficiorum. 1016
Reservatio beneficiorum curialium, dùm curia transfertur. *Ibid.*
Reservatio beneficiorum cubiculariorum et cursorum. 1017
Reservatio beneficiorum ecclesiarum S. Joan. Lateranens. et S. Petri, ac B. Mariæ Majoris de Urbe, et beneficiorum titulorum card. à curiâ absentium. *Ibid.*
Res rvatio mensium apostolicorum, et alternativa pro episcopis residentibus. *Ibid.*
Declaratio reservationis ecclesiarum et beneficiorum per prædecessores reservatorum. 1019
Revalidatio litterarum prædecessoris, gratiæ et justitiæ, infra annum concessarum. *Ibid.*
Revocatio unionum. *Ibid.*
Revocatio facultatum quibusvis concessarum. 1020
Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata. *Ibid.*
De dictionibus numerabilibus. 1021
De non tollendo jus quæsitum. *Ibid.*
Regula de viginti. *Ibid.*
De idiomate. 1022
De non impetrando beneficium per obitum viventium. *Ibid.*
De unionibus et unionum confirmatione. *Ibid.*
De mendicantibus transferendis. *Ibid.*
De malè promotis. *Ibid.*
De monetâ. *Ibid.*
De beneficiis vacaturis per promotionem ad ecclesias et monasteria. *Ibid.*
De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum. 1023
De regulis cancellariæ producendis. *Ibid.*
De subrogandis collitigantibus. *Ibid.*
De verisimili notitiâ. 1024
Non valeant commissiones causarum, nisi litteris expeditis. *Ibid.*
De impetrantibus beneficia per obitum familiarium cardinalium. *Ibid.*
Super eâdem familiaritate. 1025
Signatura per *Fiat* præferatur alteri per concessum. *Ibid.*
De annali possessore. 1026
De triennali. *Ibid.*
De non appellando ante sententiam diffinitivam. *Ibid.*
Non stetur commissioni post conclusionem. 1027
De litteris religiosorum expediendis. *Ibid.*
De clausulâ ponendâ in litteris permutationum beneficiorum. *Ibid.*
De supplendis defectibus. *Ibid.*
De derogatione jurispatronatûs. *Ibid.*
De commendis. 1028
De reformationibus. *Ibid.*
De consensu in resignationibus et pensionibus. *Ibid.*
De ingressu religionis. *Ibid.*
Non valeat impetratio facta per modum in cancellariâ exprimendum. *Ibid.*
De executione faciendâ. *Ibid.*
De dispensationibus in gradibus consanguinitatis. 1029
Super defectus natalium. *Ibid.*
Super dispensationibus. *Ibid.*
Nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis. *Ibid.*
De clausulis ponendis in litteris indulgentiarum. *Ibid.*
De indulgentiis concessis ad instar. *Ibid.*
De clausulis in beneficiis vacantibus ponendis. 1030
De expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus. 1030
De beneficiis vacantibus per contractum matrimonii. *Ibid.*
De clausulis ponendis in litteris religiosorum. *Ibid.*
De translatione religiosorum. 1031
De clausulâ, *Si ita est.* *Ibid.*
Petenti provideri de vacaturo, dentur litteræ de vacanti. *Ibid.*
Revocatio decimarum et aliarum impositionum. *Ibid.*
Revocatio facultatum percipiendi pretium officiorum. *Ibid.*
Quòd fructus in tertiâ parte augeri possint vigore clausulæ. 1032
De insordescentibus. 1033
Officiales nihil exigant ultra debitum. *Ibid.*
Reservatio beneficiorum vacantium Sede Apostolicâ vacante. 1034
Quòd cardinales non comprehendantur sub regulis faciendis. *Ibid.*
Quòd regulæ cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus. 1035
De potestate D. vicecancellarii et cancellariam regentis. *Ibid.*
DE SACRIS CHRISTIANORUM RITIBUS. (Auctore P. Antonio.) 1035-1036
Cap. prim. De rituum definitione et divisione. 1037
Cap. II. Regulæ explicantur quibus faciliùs superstitiosi ritus cognosci queant.
Cap. III. De naturâ, origine, utilitate ac necessitate sacrorum rituum 1048
Cap. IV. De christianæ Ecclesiæ ritibus, ubi præcipui circa eosdem errores hæreticorum, qui sunt, hâc ætate nostrâ in occidentali Ecclesiâ, recensentur et confutantur. 1052
Cap. V. Romanæ atque catholicæ Ecclesiæ ritus à superstitionis notâ vindicantur. 1073
Cap. VI. De Ecclesiæ Orientalis ritibus, eorumque varietate. 1082
§ 1. Describitur generatim Orientalis Ecclesia. *Ibid.*
§ 2. De schismaticorum hæreticorumque sectis, quæ in Orientali Ecclesiâ sunt, deque præcipuis earumdem erroribus. 1090
§ 3. De propriis Orientalis Ecclesiæ ritibus, eorumque varietate. 1094
Cap. VII. De Apostolicæ Sedis œconomiâ in disciplinæ unitate tuendâ ac procurandâ et in tolerandis diversis aliarum ecclesiarum, præsertim Orientalium, ritibus. 1117
Cap. VIII. De obligatione quam quisque habet in suscepto ritu permanendi. 1123
§ 1. De obligatione quam habent manendi in suscepto ritu Orientales qui ejusdem ritûs episcopis subsint. 1124
§ 2. De obligatione quam habent manendi in suscepto ritu Orientales qui in Latinorum Ecclesiis degunt. 1126
§ 3. De obligatione quâ Latini in primo ritu permanere tenentur. 1130
Cap. IX. De ritibus Apostolicæ Sedis auctoritate præscriptis, deque iis qui rejiciendi videntur. *Ibid.*
§ 1. De proscriptis ritibus Sinensibus et Malabaricis. *Ibid.*
§ 2. Recensentur ea quæ proscripta sunt in Const. Benedicti XIV *Inter Omninegas*, quæ est pro incolis regni Serviæ et finitimarum regionum. 1134
§ 3. De reliquis ritibus qui vel proscripti sunt, vel rejiciendi videntur. 1136
INDEX RERUM. 1139-1140

FINIS TOMI DECIMI NONI THEOLOGIÆ.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

230.8
M588

1845

Migne, J.P. (Editor)
AUTHOR

Theologiae Cursus Completus
TITLE
Vol. XIX

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER

1845